


ALFONSI SALMERONIS TOLETANI,

E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

COMMENTARII IN OMNES Epistolas B. Pauli, & Canonicas; in quatuor tomos distributi, quos versa pagina inuenies; quorum hic est primus, in ordine autem

TOMVS DECIMVS TERTIVS

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Antonium Hierat, & Ioannem Gymnicum,
ANNO M. DC. XIV.
Cum gratia & Priuileg. Sacræ Cæsar. Maiest. speciali.

Primus Tomus in Epiſtolas B. Pauli, XIII, in ordine ad reliqua opera P. Alfonſi Salmeronis ; continet Prolegomena communia omnibus Epiſtolis, & explicationem Epiſtolæ ad Romanos, & in quatuor libros partitus eſt.

II Tomo XIV. exponuntur duæ S. Pauli ad Corinthios Epiſtolæ, libro Quinto comprehenſæ.

III Tomus XV. continet elucidationem Epiſtolarum B. Pauli ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, & vtriuſque ad Theſſalonicenſes, quæ libro ſexto comprehenduntur. Item expoſitionem Epiſtolarum duarum ad Timotheum, ad Titum, & ad Philemonem; ſeptimo libro contentas. Præterea Epiſtol. ad Hebræos, in qua Octauus liber conſumitur.

IV Tomus XVI. continet Commentarios in omnes Canonicas Epiſtolas, & Præludia generalia in Apocalypſim, & Authoris Epiſtolas,

REVERENDISSIMO ET ILLVST.^mo PRINCIPI,

AC DOMINO D. IVLIO, EPISCOPO HERBIPOLENSI, FRANCIAE ORIENTALIS Duci, &c. Domino suò clementissimo.



Iennium circiter est, Reuer.^me & Illust.^me Princeps, quòd primum ante conspectum vestrum obtulimus Magni illius ac Reuerendi viri P. Alfonsi Salmeronis Commentariorum in Euangelistas elucubratorũ tomos priores tres; quos cũ gratissimos fuisse Ill.^mæ Celsitud. V.^æ tàm ex datis ad nos litteris, quàm insigni adiuncto honorario (cuius memoria penes nos cum gratitudine perpetuo conseruabitur) comperissemus; memores voti nostri singulis sequentibus Nundinis, quotquot isto interuallo typis procudere licuit, tomos submisimus, donec tãdẽ duodecim tomorum, quos in Euangelica & acta Apostolorum adornarat P. Alfonsus, numerus compleretur; quos omnes, vt rectè ad manum traditos, ita iuxta acceptos fuisse prorsus confidimus.

Iam vero quoniam restabant adhuc eiusdem Auctoris Commentarij in epistolas Pauli ac reliquorum Apostolorum, & quicquid superest Testamenti noui, quatuor in tomos distributi, eosdem etiam typis nostris subijcere, & V.^æ Ill.^mæ Celsitud. similiter consecrare, tum instituti nostri ratio; tũ promissi obligatio requirebãt. Nec enim nos fugit, quemadmodum hoc initio editionis huius operis serijs verbis polliciti simus. Et vero cur nõ vni eidemq; Principi (præsertim

tam benè de nobis merito) decicaremus nulla ratio fuit, cum & ipſius operis ratio, qua totum nouum Teſtamentum eximijs Commentarijs explicatur, & vnius Auctoris poſthumus ac ſingularis fœtus omnino id potius flagitarent.

Qua igitur fronte ac animi ſerenitate Reuer. & Illuſtr. Domin. priores illos tomos excipere es dignatus; eadem, rogamus, & hos poſteriores ſi pauciores, ſalutem non minori ſtudio ac diligētia concinnatos, acceptare nō dedigneris. Nam reuera meretur hoc opus quoq; ſingularem cōmendationem, quam non eſt huius loci contexere longius. Illud tātum addendum, vel vnius D. Pauli Epiſtolas tam operoſo commētario illuſtrari eſſe rem vt maximè arduam, (quis enim ignorat difficultatem harum Epiſtolarū, quam ipſe etiam Petrus Apoſtolus luculenter teſtatus eſt. 2. Pet. vlt.) ita omnibus modis amplexandā & expetendam. Quod ſane non dubitamus quoq; facturos omnes eos, qui ſeria Scripturarū lectione & ſolida explicatione delectātur. Inter quos etiam V^m. Ill.^m Celſitud. Reueren.^{me} & Ill.^{me} Princeps non poſtremo loco haud ſine cauſa numeramus, quam vt noſtri tanquam ſuorum Clentium memorem, Magnus ille rerum omnium Arbiter Germaniæ noſtrę, ac totius Chriſtianiſmi bono incolumem diu tueri ac conſeruare dignetur, ex animo precamur. Coloniæ ex officina noſtra Typographica. 12. die menſis Septem. 1604.

V.^a R.^{ma} & Illuſt.^{ma} Celſitud.
obſequentiſſ.^{mi} clientes

Antonius Hierat, &
Ioan. Gymnicus.

PRÆFATIO AVCTORIS AD CANDIDVM LECTOREM, IN LIBROS Disputationum super Epistolas B. Pauli Apostoli



Ab initio quo animum appuli ad suscipiendum hunc laborem scribendi in Nouum Testamentum, sperabam, candide Lector, paucis sed illis quidem luculentis, & succulentis Canonibus, ac Disputationibus Apostolicam Pauli doctrinam me posse complecti, & ea tantum quæ maioris erant ponderis, attingere, & elucidare, vt etiam nonnulli probi viri, vt hoc facerem; & rogabant, & impense efflagitabant. verum enimuero cum id facere cœpissē, propositumq; scopū ægre me posse consequi animaduerterē, propter vastissimam rerū perplexarū syluam, & per q̄ difficillimus, atq; obscurissimos Pauli locos, qui strenuis, & in Sacris literis exercitatissimis quibusq; negotiū possent facere mutato consilio, fusiori, & liberiori oratione agere deliberaui, quo commodius detortos Hæreticorum sensus, quos Paulo affingunt, confutarem, & Catholicas, & Ecclesiasticas explanationes statuerem. Hæc enim si quis conciso, & Laconico sermone explicare contendat, vt ratio canonum præscribit, profecto ipsa breuitate obscurus fieret, & canones ipsi aliorum indigerent commentariis, vt intelligi, & accipi à lectoribus possent. Cæterum, quoniam non omnia quæ in Pauli Epistolis habentur, tantis tenebris circumfunduntur, & pleraque planiora, & faciliora inueniuntur, quibus ad obscura quæque penetranda, atque patefacienda vehementer adiuuamur iuxta canonem illum à Tertulliano traditum: *Oportet*, inquit, *secundum plura, & posteriora pauciora & priora, incerta de certis, & obscura de manifestis praeiudicari:* Operæpretium duximus in obscurioribus quibusque locis explicandis operam nostram ponere, in his videlicet, qui per seipsos ob rerum magnitudinem, & profunditatem difficiles sunt; vel ob varios & multiplices sensus, quo à veteribus Patribus acceperunt, dubii, & ambigui redduntur; vel ob id quod à nouatoribus agitantur, factum est, vt in prauas, & peruersas intelligentias detorqueantur: quo ita Sacrarum literarum veritas magis splendescat, & ab hæreticorum importunis, & violentis glossis vindicetur Dei verbum. Quo sane consilio, ac temperamento, quantum tenuitas nostra diuino fauore sustentata, & illustrata poterit, & obscura aperiantur, & aperta, & quæ expositionis lucem non desiderant, minime attingantur. Qua in re magnorum, & in Ecclesia Dei probatissimorum virorum exemplum, & consilium secuti sumus. Nam ecce Hieronymus scribens in Zachariam: *Commentarios*, inquit, *scribimus: quorum officium est præterire manifesta, obscura disserere.* Idem in Commentariis Epistolæ ad Gal. *Officii mei est obscura disserere, manifesta perstringere, in dubiis immorari: vnde & à plerisque Commentariorum opus, explanatio nominatur.* Et paullo post, *Qui per me intellecturus est Apostolum, nolo vt mea scripta difficulter intelligat; & ad interpretem cognoscendum, alium quærat interpretem.* Hæc ille gloriosus Doctor. Ne quis vero nouam libri inscriptionem admi-

Propositū autoris.

Propria horum librorum interpretandi methodus

Colligitur hic Canon. ex Tertull. li. in Praxeam, & alys locis.

Ordo doctrinæ à Tertulliano tradit[9].

D. Hier. in fi. c. in Zachar. li. 1. circa prin. to. 7. circa fi. Idem in Præfat. 3. li. in epist. ad Gal. circa med to. 9. circa dimidi. Idem ibid in fin.

Commentariorum quod munus sit.

Ratio inscriptionis horum librorū quę nam sit.

retur; intelligat, nos ea ratione disputationum in Epistolas Pauli titulo vsos, quod singula Paulini contextus verba non sit mens nostra edisserere. quia hoc à multis veteribus Patribus &, à plerisque recentioribus præclare præstitum est; sed quod præcipue nostram diligentiam impendamus in Hæreticos, qui se Paulinos Theologos nuncupant, & iactant, & in Pauli maxime doctrina, quasi soli sibi, & suis dogmatibus patrocinetur, gloriantur, disceptare peculiariter voluerimus. Ecce enim Lutherus omnium nostri seculi tragœdiarum autor, Præfatione sua in Nouum Testamentum, abolendam esse censet communem illam de quatuor Euangelijs sententiam, & Ioannis Euangelium esse vnicum, verum, purum, & principale Euangelium, & alijs tribus longe & longe præferendum: ita vt Ioannes, & Epistolæ Pauli præponi debeant tribus primis Euangelijs. Vbi potes prudens Lector facile agnoscere hominem temerarium, & in sanum tres Euangelistas indigne tractantem, vel præ Ioanne, & Paulo contemnentem; non ob aliud, quam quod in illis continentur leges, & præcepta bene viuendi, in his vero fidei, & credendi mandata: nec esse in eis vlla præcepta, aut leges Ne ex Christo, inquit, Moysen faciamus Idem Lutherus in sermone de Publicano, & Pharisæo non veretur B. Lucam reprehendere quod perpetuo resonet opera, & præcepta; quasi ex operibus esset iustitia. Sed profecto hoc aliud non fuit, quam in stimulum calcitrare. Nullus enim
Luc 18. perinde atque Apostolus bonorum operum studium celebrat, nullus eorum dignitatem, meritum, atque iustitiæ incrementum, & coronam illis
Act.9. debitam commendat. Nam ipsius Pauli vox est: *Qui parce seminat, parce &*
2.Cor.9. *metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*: ac de seipso: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: In reliquo, reposi-*
2 Tim.4. *ta est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* Et iterum: *Discant autem & nostri* (scilicet fideles. *bonis operib. præesse, vt non sint in*
Tit.3. *fructuosi.* Verum de his suo loco plenius agendum.

Æternæ damnatio nis minister Lutherus vnicũ duntaxat Ioannis Euãgelium agnoscit, & recipit, cætera respuit, & auersatur in felix.

Quo consilio id fecerit insignis nebulo.

Quam temere, & falso idem Lutherus Apostolum fidei tantũ non bonorum operum tradere documẽta pronuntiet.

Operis distributio.

Porro hasce nostras disputationes in nouem libros ita distribuere decreuimus: vt primus quidem generalia quædam præcepta, & multis epistolis communia contineat. Et in tres partes secandus erit. In prima peculiarius agetur de ratione tradendæ Apostolicæ doctrinæ per Epistolas, de nomine Pauli, de Epistolarum numero, & ordine; de modo argumentandi, quem seruat Apostolus, & de ratione superandi sa'ebras, & difficultates eiusdem, & à technis Hæreticorum eum vindicandi, & alijs similibus. In secunda vero agendum de nonnullis verbis, quæ obscuritatem, & homonymiam habent in disputationibus Pauli In tertia parte de Ecclesia, an certo possit cognosci, & quo lumine; & quæ incerta sint, & falsa eius signa, & quæ certa & indubitata, & quod genus gubernationis in ea Christus instituerit, disserendum erit. Secundus, tertius, & quartus libri in eis locis explicandis versabuntur, qui in epistola ad Romanos inueniuntur: qui profecto non pauci existunt, ob innumeras difficultates, & ambiguitates quibus referta est. Quintus, ea quæ in vtraque Epistola ad Corinthios maius explicationis lumen suo iure reposcunt, explicabit. Sextus, ea quæ maioris sunt ponderis in Epistolis ad Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, ac Thessalonicenses, complectetur. Septimus vtramque ad Timotheum, & eas quæ ad Titum, & ad Philemonem sunt, explanabit. Octauo libro vni ad Hebræos Epistolæ impendendus est labor, eaque ab obiectionibus Hæreticorum, quibus Canonicam, & Pauli Epistolam non esse asserunt, defendenda, & à quibusdam detortis illorum sensibus vindicanda. Nonus, ac postremus liber (si Dominus dabit) in quibusdam locis Episto-

larum

larum Catholicarum, qui lectori negotium exhibere possent, insumetur: & omnia pro mediocritate nostra elucidabuntur.

Porro in qualibet disputatione in primis, quatenus opus fuerit, de ordine, & congruentia sequentium cum præcedentibus disputabitur, quo mens Apostoli melius percipi queat. Deinde, si plures sint lectiones & variæ, quæ sit verior, & loco, de quo est sermo, accommodatior, explicabitur. Tertio si in vocibus ipsis, id est, nominibus, verbis, vel particulis, quæ non inflectuntur, siue Latinis, siue Græcis, & Hebraicis insit aliquid difficultatis, vel dubietatis, id merito ante omnia excutiendum erit. Quarto, si quicquam producant Apostoli & Euangelistæ ex Prophetis, vel Veteri Testamento, an id ex Hebraicis fontibus, an ex Septuaginta interpretibus; & id an ad literam, an mystice productum sit (quia permultum id nosse refert) exponendum erit. Quinto de vero, & genuino sensu agendum in primis erit. & si plures extiterint, quis cæteris præstet, aperiendum erit. Quod si locus eogat ad conferendas manus cum Hæreticis, præsertim nouellis, non grauabimur in arenam descendere, & latius quandoque disputare. Postremo si Paulus aut sibi ipsi, aut alijs Scripturæ locis aduersari videatur, acuti erit, & docti enarratoris, nihil dissimulare, sed diligenter laborare debebit, vt prudenti lectori indicet, qua ratione loci illi sibi inuicem non contradicant, vel quomodo sibi inuicem concilientur. His paucis te, bone lector, admonendum esse putauimus vt laboris nostri scopum non ignores, & summam eorum quæ his libris continentur, cognitam atque compertam habeas, & minimo negotio ea quæ tuo gustui erunt gratiora, inuenire valeas. Bene vale, & aliorum laboribus, si vtiles sunt, fruere: sin tales non sint, ignosce, & bona autoris mente, qui aliorum studia iuuare, voluit, esto contentus.

In vnaquaque disputatione quid seruandum erit.



INDEX DISPVTATIONVM QVÆ IN HOC TOMO DECIMO TERTIO CONTINENTVR.



Libri I. in epistol. Beati Pauli secunda pars.

Disputatio

Libri primi Disputationum in Epistolas B. Pauli pars tertia.

Liber secundus Disputationum in Epist. B. Pauli ad Romanos.

Disput.

Liber tertius Disputationum in Epist. B. Pauli ad Romanos.

Liber quartus in Epiſtolam ad Romanos.

Finis Indicis Diſputationum.



Licentia P. Prouincialis.

EGO *Ferdinandus Lucero, Societatis Iesu, in prouincia Toletana, Prepositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua Præposito nostro Generali, facultatem concedo,* vt Commentaria in omnes Pauli Epistolas, & Canonicas, & Præludia in Apocalypsim, *Patris Alfonsi Salmeron (vnius è primis nostræ Societatis) grauium, doctorumq; hominum nostræ Societatis, testimonio approbata, typis mandentur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus. Compluti die decimoquarto Ianuarij, Anni M. DC. I.*

Ferdinandus Lucero.

Approbatio.

EX Commissione Regii Senatus, magna cura ac diligentia perlegi *Disputationes in Epistolas B. Pauli, & Canonicas*, autore sapientissimo patre Alfonso Salmerone, Societatis Iesu Theologo eruditissimo: in quibus mirum est, quam seipsum in aliis operibus autor superauerit: nihil enim humanarum diuinarumque literarum omisit, quod ad præsens institutum conducere posset, quod non summo studio, & magna venustate concinnarit. Autoris grauitas in dicendo, acumen & iudicium in definiendo, & in aduersariorum argutiis confutandis facundia, ingeniique dexteritas, summa cum religione & pietate coniuncta, omnibus sunt notissima. Doctrina sana, & Christi spiritum vbique spirans, sanctorum Patrum & Scholasticorum vestigia sectans, illustrioraque reddens, commendatione non indiget. Tantum abest, vt quidquam sanctæ fidei aduersum, aut piis & religiosis moribus dissentaneum hæ Disputationes contineant. Ideo dignas iudico, quæ in Sacræ Scripturæ studiosorum vtilitatem & commodum, lucem videant, typisque mandentur. Dat. Madriti, postridie Idus Februarij. M. DC. I. in conuentu nostro B. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum.

F. Ioannes Temporal Diffinitor Generalis.

R. P.

R. P. ALFONSI SALMERONIS TOLETANI, E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

COMMENTARIORVM SVPER EPISTOLAS D. PAVLI, ET ALIORVM Apostolorum

LIBER PRIMVS.

TRACTATVS I.

De ratione dispensatæ doctrinæ Apostolicæ per Epistolas.



PRIMA Disceptatio in eo posita erit, vt quale extiterit Dei consilium, perscrutemur quo maximam partem doctrinæ Apostolicæ voluit nobis per Apostolorum epistolas dispensari. Hoc enim etsi à nullo (quod sciam) tactum fuerit, aut in dubium reuocatum: nobis tamen dignum visum est, quod primo loco in disputationem veniret. Sumam autem dicendi exordium ex eo, quòd Scriptura vetus plurimas, & eas quidem fusissime scriptas contineat prophetias, sicut & legem prolixam, & historicos libros permultos: quia Christus Dominus nondum venerat, & opus erat multis Propheticis testimonijs, & legis vmbris, & figuris, & varijs Sanctorum historijs pleraque Christi, & Sponsæ eius Ecclesiæ mysteria adumbrantibus, & prænuntiantibus. E contrario in Nouo Testamento modica & exigua prophetia collata est, quæ vno libro Apocalypsis continetur: breuis historia, quam vnicum Actuum Apostolorum volumen complectitur: compendiosa lex Euangelica, & Verbum verè abbreuiatum, nimirum quia Christum iam exhibitum cum omnibus suis opibus, hoc est gratia, & veritate, & Spiritu suo nos locupletantem continet, & qui suæ splendore sapientiæ totam veterem legem illustrauit, & eam nobis quasi à morte viuificauit. In libris tamen qui ad sapientiam spectant, abundat Nouum Testamentum, iuxta illud quod Esaias de statu, & tempore Messiæ prædixerat: *Repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientis*: Nam hæc Pauli, & aliorum Apostolorum Catholicis epistolis comprehenditur: ita vt sicut lex Prophericis libris, ita Euangelium Apostolorum abundauerit epistolis. Nam & Apocalypsis epistola quædam est, vt patet in salutatione in principio ad septem Asiæ Ecclesias præmissa, & ex libri calce, vbi habet: *Gratia Domini nostri cum omnibus vobis. Amen.* Vt ita ex quatuordecim Pauli, & septem Catholicis Apostolorum, & postrema Apocalypsis summam viginti duarum epistolarum conficiamus. Et vt omittam, quod rectè tradit Augustinus, sermonem faciens de Sacris literis: *Et hæ, inquit, de illa ciuitate vnde peregrinamur, literæ nobis venerunt: ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur, vt bene viuamus*: Ex quibus vniuersam Scripturam accipimus nihil aliud esse, quàm epistolam Dei ad nos datam: voluit tamen Spiritus sanctus nos per epistolas peculiariter alloqui, ac docere ob varias, & salutares commoditates nostras. Quas quo commodiùs percipiamus, prætermittendum est, arctissimas hominum consociationes, & amicitias diu permanere non potuisse, nisi diuino beneficio inuentum fuisset inuicem scribendi, & mutuo literas dandi, & accipiendi officium; vt ita, qui corpore à nobis, vel nos, qui ab illis absumus, animis saltem præsentes redderemur: quodque viuis vocibus præstare non possumus, literis saltem hinc & inde datis obtineremus, atque ita amicitiam sanctè coleremus, itaque ac leges amicorum constarent. Hinc Cicero ad Curionem: *Epistolarum, inquit, genera multa esse non ignoras: sed vnum illud certissimum, cuius caussa inuenta res ipsa est, vt certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire aut nostra, aut ipsorum interesset.* Et Ambrosius ad Sabinum: *Epistolarum vsus est, vt disiuncti locorum interuallis affectu adhæreamus: in quibus inter absentes imago refulget præsentiæ, & collocutio scripta separatos copulat: in quibus etiam cum amico miscemus animum, & mentem ei nostram infundimus.* Hæc ille.

Cur Vetus Testamentum quàm Nouũ, legem ampliorem, plures etiam prophetias historiasq; contineat.

Esai. 10.
Rom. 9.

Euangelium cur dicatur verbum abbreuiatum.

Esai. 11.

Apocal. 1.

Epistolarum Euangelio cõtentarum numerus.

August. in Psal. 90. conc. 2. paulò ante med. tom. 6.

Quid sit omnis diuina Scriptura, secundũ Augustinum.

Cuius rei caussa inuentum sit per epistolas mutuæ scriptionis officium inter homines.

Cicer. li. epist. famil. epist. 14. in princip.

Ambros. epist. l. 7. epist. 45. circa med. to. 2. procul à med.

Vnde ducta epistolæ nomen.

Dicta est autem à mittendo Επιστολὴ, eo quod ab vno ad alterum mittatur. Nam inter præsentes nihil opus est epistola, nisi fortè quid certis, præscriptisque es acturus verbis: quemadmodum Suetonius Augustum Cæsarem refert sermones cum singulis, etiam cum Liuia sua grauiores, nonnisi scriptos, & è libello habere solitum, ne plus, minusve loqueretur ex tempore quam oporteret.

Sueton. in August. c. 24.

Propositæ dissolutio quæstionis.

Epistolæ igitur Apostoli, siue Spiritus sancti per Apostolum ad varias Ecclesias transmisse, dignitatem, & statum indicant amicorum, de quo: *Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

Ioan. 15.

Epistolarum Pauli necessitas.

Nam amicos per epistolas admonemus, aut rogamus, aut consolamur, aut certiores nostrarum rerum reddimus, aut illis gratulamur, aut nos ipsos, vel alios quos volumus, commendamus. Sunt enim Pauli literæ in omni genere conscriptæ, vt nihil in illis desiderari valeat: nosque de illis rebus certiores faciũt, sine quibus aut vita, aut salus nostra, aut denique Euangelica doctrina constare non posset.

Multiplex earum officium, & vtilitas.

Et illius maximè intererat hæc nos docere; & nostra, vt hæc ab eo acciperemus, ac disceremus. Præstantque officium gratulandi in prosperis, aut conciliandi dissentientes, aut corroborandi eos, qui cum aduersarijs luctantur; aut docendi, & disserendi de Fidei altissimis mysterijs; aut Scripturas veteres interpretandi; aut denique statum vitæ præstantiorem consulendi, & persuadendi.

I. commodum.

Nam ita Plato ad Dionysium scripsit de philosophia, & Seneca ad Lucilium fratrem: & à Patribus nostris Dionysio, Hieronymo, Ambrosio, & Augustino de diuersis sacris quæstionibus per epistolas disputatum est.

Hieron. tomo 2 & 3. Ambros. tom. 3 à medio. August. tom. 2 per totum, & alibi.

Contrà verò Iudæi ad hanc filiorum, siue amicorum prærogatiuam assumpti non fuerunt; quamobrem nec cum eis epistolis Deus egit, sed vt serui tractati sunt: quos per alios conseruos, hoc est Prophetas allocutus est, in nomine suo præcipiens, siue minitans: quemadmodum etiam arrogantissimus Romæ dominus, vt est apud Cornelium Tacitum, nihil vnquam cum seruis egit nisi nutibus, aut de scripto.

Iudæos olim per epistolas cur suo non sit dignatus allo qui Deus. Superbissimus mo talium Nero agere cum seruis tantum nutibus, & de scripto solebat. Cornel.

II. commodũ.

In eo etiam alia detegitur commoditas, quòd lumen Noui Testamenti maius fuit in eius ministris ad promptè dictandas epistolas, pro varijs & personarum, & rerum euentibus: quemadmodum nonnisi viri docti & in scribendo exercitati sunt, qui elegantes epistolas conscribere consueuerunt. Prophetæ verò veteris legis administri, visa tantùm, & audita veluti transcribebant, & alijs Dei mandata pronuntiabant.

III. commodum.

¶ Tertiò, hoc genere literarum scribendarum, maiorẽ charitatem alios piscandi, & catechumenos faciendi complectitur: quia non solùm voce viua, & prędicando, sed etiã mutis, & mortuis vocibus, id est scriptis epistolis Apostoli mundum Christo lucrifecerunt.

IV. commodum.

Inuitur quartò lex Christi amplior atque vniuersalior, & subditi eius remotiores; vt necessarium fuerit non solùm pluribus linguis agere, &c. iuxta illud, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: sed etiam opus fuerit epistolis, eo quòd Apostoli omnia loca per se penetrare non potuerunt; penetrarunt autẽ epistolæ, quò ipsi peruenire non potuerunt.

Psal. 18. & Rom. 10.

Lex verò strictior erat, atque eius subditi propinquiores, vnaq; lingua Hebręa vtentes, & terram vnam diuturno tempore inhabitãtes; vt propterea epistolis doceri, aut admoneri non indiguerint.

V. commodum.

¶ Adde, quòd cum Apostoli in mandatis haberent, vt per vniuersum terrarum orbem Euangelium prædicando discurrerent, nõ poterant diu vni loco hærere: quare populi, qui fidem susceperant, cum à Iudæis, vel Gentibus aliena, & fidei contraria dogmata obijcientibus vrgerentur, multisque aporijs, & dubitationibus torquerentur, accurrebant ad eos Apostolos, à quibus fidem acceperant, quò vel Fidei sententias magis explicatas, & ab obiectionibus aduersariorũ sartas tectas acciperent, vel eorum ambiguas in fide conscientias, & in quibusdam ad mores spectantibus vacillantes, suis epistolis constabilirent, & corroborarent.

Marc vlt. Matth. 28.

Quod Iudęis non perinde contigit, qui secum Moysen habebant, qui cõsulto in tabernaculo Domino, ad omnia dubia respondebant: quẽadmodum etiam extincto Moyse, rem ad summum Pontificem deferebant, qui multis rationibus Deum consulebat, atque eius oracula interrogationibus depromebat: ac proinde vsus respondendi per epist. de fide vel de moribus, nullus erat.

Iudæi in suis difficultatibus fidei, vel morum epistolarum ministerio cur minime opus habuerint. Deut 17. & seq.

VI. commodum.

¶ Adhæc cum Noui Testamenti propter Christum susceptum maximæ, & ingentes essent futuræ tribulationes, & bella Christi professorib. ab Infidelib. ab Hęreticis, & ab hypocritis perpetuò essent indicenda, omnino cum ratione coniunctũ erat, cõsolatorijs eos recreari epist. precibus, & exhortationibus accendi, & ad omnia aduersa patienti animo toleranda animari. Hæc aũt munera egregiè literis præstare soliti sunt maiores, cum animaduerterint, inferiores tentationib. agitari, vel in fide laborare.

Superiorum erga inferiores officium.

At verò iusti in Veteri Testam. quieti erãt, opibus abundantes

hostium suorum victores, ac proinde literis consolatorijs non ita instrui opus habebant.

VII ac postremum commodum.

Postremò tantus Pauli, & aliorum Apostolorum vsus in dictandis, & conscribendis epistolis ad Ecclesiarum instructioné, & corroborationem, certum quoddam futurorum extitit præsagium. Debebant enim illi, qui Apostolicæ sedis cathedram moderaturi erant, ab omnibus Christi interrogati, siue de fide, siue de Sacramentis, siue de moribus, pro munere suo, quo Christi locum in terris sustinent, per suas decretales epistolas Ecclesiam Dei regere, & legibus canonicis gubernare: quemadmodum Clemens, Anacletus, Innocentius, Leo Magnus, & Gregorius Roman. fecisse deprehenduntur, quorum multa, & præclara extant epistolarum monimenta. Nó secus atque Iurisconsultis euenit: nam citantur Catonis Censorij, & multorum Iurisconsultorum libri de quæsitis, & responsis per epistolas: quod etiam Imperatores obseruarunt. Ita Pontificum nostrorum vox erat: *Interrogationi tuæ taliter respondemus*: qua voce plenæ sunt Decretales epistolæ. Debebant præterea in populo Christiano eminere multi Doctores singulari doctrina, & vitæ sanctitate conspicui, per quorum eruditissimas epistolas Ecclesia Dei in controuersijs, quæ fidem, vel Sacramenta attingunt, vel in expediendis Sacrarum literarum nodis non tantùm illuminanda, vel instruenda, sed etiam ad bonorum operum studium, & ad consilia Christi, vt virginitatis, & euangelicæ paupertatis, & martyrij, amplectenda pro Christi nomine, & gloria excitanda erat, atque accendenda. Tales extiterunt permulti, vt Ignatius, Dionysius, Martialis, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Basilius, & Gregorius Nazianzenus: qui vndique interrogati, etiam ab ipsis Ecclesiæ vniuersalis moderatoribus, & à viris magnis, qui in remotissimis mundi partibus degebant, consulti, & Euangelica mysteria detexerunt, & scrupulos Satanæ mirificè dissoluerunt, & innumeros, ac difficiles diuinarum literarum locos epistolis, quibus respondebant, illustrarunt. Quamobrem si illorum veterum Patrum scripta consulas, numerare possis libros quinque epistolarum in Cypriano, libros decé apud Ambrosium, tres, vel quatuor tomos apud Hieronymum, integrum volumen, & magnum apud Augustinum, & magnum epistolarum aceruum apud alios, vt Basilium, Nazianzenum, & Bernardum. Certè Isidorus Pelusiota beati Chrysostomi discipulus, & Pelusiaci monasterij Abbas, à quo etiam cognomentum accepit, propè chiliadas decem epistolarum, hoc est myriadem vnam, omnis generis diuina, & humana gratia refertarum conscripsit: quibus sacras omnes vtriusque Testamenti Scripturas explicauit, & bonos hominum mores instituit: vt tradit Nicephorus. Adde, quòd octo libri Constitutionum Apostolicarum aliud nihil sunt, quàm epistola quædam Apostolorum, & Presbyterorum nomine ad omnes per orbem credentes missa: vt patere potest legenti eius principiū, in quo salutantur illi, ad quos mittitur: *Gratia*, inquit, *vobis, & pax ab omnipotente Deo per Dominum nostrum Iesum Christum in cognitione ipsius.*

Apostolicum hunc scribendarum epistolarum morem perquam salutarem populo Dei, Rom. Pont. qui primi omnium consectati fuerunt.

Ab antiquis Patribus magna cum fidelium consolatione & fructu vsurparum idé scribendi genus.

Ambros tom. 2 à medi. Hierony tom. 1.2 3 & 4. August. to. 2. Basil to vlti. Isidori Pelusiotæ prope prodigiosus epistolarum numerus.

Niceph li 14. c. 33. propè initium.

Nec illud omittam, quod Clemens Petri successor in Pontificatu, nonnullas mittit epistolas ad Iacobum fratrem Domini, episcopum Ierosolymitanum iam ante nōnullos annos in Domino defunctum: morem Platonicum imitatus, cuius doctrinā iunior Clemens imbiberat. Nam solebat ille dialogos edere, in quibus vita functos homines ad se inuicem loquentes introducebat: quem etiam morem Cicero in oratore sectatus est. Titulo ergo Iacobi fratris Domini efficto erudiendi gratia epistolas scribit; quibus totam Ecclesiam, & omnes eius pastores, & moderatores prudenter ac modestè instituit, & officij quod Ecclesijs suis debent, commonefacit. Neque etiam dissimulanda epistolarum monimēta, quæ Græci, & Romani scriptores ethnici nobis reliquerunt, in quibus & sapientiæ thesauros, & prudentiæ, & eloquentiæ opes nobis consignarunt: vt sunt illæ Ciceronis, & Plinij, & Senecæ, qui multis literis ad vnum tantum datis Lucilium, vitæ rectè instituendæ præcepta quam proxima his quæ Christiani profitentur, tradidit: nec tantū prosa oratione, sed etiam carmine, tùm heroico, tùm elegiaco, epistolarum conscriptionem & illustrarunt planè, & nobis commendarunt.

Quo duce Rom. Pont. Clemens ad Iacobum fratrem Domini iam ante defunctum epistolas destinauerit.

Earum scopus.

Possunt etiam Apostolicæ epistolę inter eas, quæ per notas, & ænigmata conscribuntur, numerari; quæ etiamsi incidant in manus alienorum, ob ignoratas notas non intelliguntur: quia nisi lector adferat Christi fidem, quæ instar clauis artificium earū, & mysteria aperiat, & penetret, exiguum, aut nullum ex illarum lectione colliget fructum. Quare Paulus Timotheum admonuit, quòd ab infantia Sacras literas nouisset: *Quæ te*, inquit, *possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Iesu*: idem & de epist. Pauli intelligi debet. Quare quisquis

Paulinæ literæ absq; diuino fidei lumine eas legentib quales meritò videri possint.

2. Tim. 3.

sine solida Christi fide eas explicare, aut pertractare voluerit, in multos sanè, ac pudendos errores inciderit.

Cur Pauli plures, quàm aliorum Apostolorum sint epistolæ.

I. ratio.

Meritò autem in dubium vocari potest, cur vni beato Paulo plures conscribere epistolas datum sit, quàm reliquis Apostolis. Respondendum est, hoc magno diuinæ sapientiæ consilio factum. Tum vt Christi professores recrearet, & à vinculis peccatorum solueret, consolareturque: quia olim spirans minas, & cędes in discipulos Domini, accessit ad Principē Sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, vt viros ac mulieres Christi caussa vinctos perduceret in Ierusalem: iustum ergo fuit, vt qui aliorum epistolis Christianos vexauerat, ipse proprijs literis salutari doctrina, & ardenti charitate refertis, damnum illatum compensaret. Et vt pulchrè ait Augustin. *Patitur Paulus quod fecerat Saulus. Saulus lapidauit, Paulus lapidatus est. Saulus Christianos virgis affecit: Paulus pro Christo quinquies quadragenas vna minus accepit. Saulus persecutus est Ecclesiam Dei, Paulus submissus est in sporta. Saulus vinxit, Paulus vinctus est. Et dum Saulus saeuiens quærit minuere numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerum confessorum.* Hæc ille.

Act 9.

August. serm. 1 in festo Apost. Petri, & Pauli, prope fin. seu sermo. 25. de sanct. tom 10. non procul à fin.

II. ratio.

Cyrill. Ierosolym catech. 10. circa fin.

Aliam tamen huius rei firmam, ac solidam rationem producit Cyrillus Ierosolymitanus, dicens: *Miratus sum certè sancti Spiritus dispensationem: quòd aliorum quidem epistolas paruo numero circumscripsit, Pauli autem, antea sui persecutoris, quatuordecim esse concessit. Non enim eo quòd minor esset Petrus, aut Ioannes, præcidit gratiam, absit; sed quòd dubia non esset doctrina illius, qui antea esset inimicus, & persecutor, plura concessit illum scribere; vt omnes sic nobis faciliùs persuadeamus. Stupebant enim omnes de Paulo dicentes: Nonne hic est, qui prius persequebatur?* Hæc ille. Quæ profectò tanti momenti ratio est, vt aduersus Iudaicam perfidiam nullo magis administro Spiritus sanctus vti debuerit, quàm Paulo, qui illas tres tanti ponderis veritates, nimirum de aduentu Messiæ promissi, de abrogatione, & cessatione legis Mosaicæ, de Gentibus ad Euangelium vocatis, etiamsi circumcisionem, & ritus Mosaicos non obseruassent; ac proinde Christi gratia ac donis ad iustitiam, & salutem necessarijs per eum omnibus oblatis; plura Paulus & viua voce disseruerit, & scripto consignauerit; quàm reliqui omnes Apostoli. Magnam siquidē fidem, & demonstrationem facit, doctrinę euangelicæ hostem capitalem, & ad vincula, & mortem Christianos vndiq; conquirentem, & in eos sæuientem, repente mutatum in alium virum, & in eam quam persequebatur gentem, & doctrinam tanto disputandi acumine, tanta Scripturarum efficacia, ac tantis signis & prodigijs in eius cōfirmationem editis ad finem vsque vitæ, & totius sanguinis profusionem propugnasse, & pugnæ victoriam à se stetisse. ¶ Tertiam quoq; adiungere possumus rationem. Cùm enim Paulus tā ardenti charitate eos, qui ad fidem veniebant, prosequeretur, & tanto fidei ardore diceret: *Præter illa quæ extrinsecus sunt: instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scādalizatur, & ego non vror?* continere se non poterat, quin ad eos scriberet, qui vel stabant in fide, vel laborabāt, siue illis prædicasset, siue per alios euangelizatum fuisset. Cùm enim persecutiones, & insectationes in Christi fidem non possent nisi ex ignorantia proficisci, iuxta id; *Et hæc facient vobis: quia non nouerunt Patrem, neque me*: debebat Paulus, qui tanto sapientiæ splendore, & tanta in Ecclesia Christi autoritate valebat, tantaque charitate flagrabat, omni ratione se opponere, & omnes excitatos in eam rumores sedare atque componere. Et hæc firma est ratio, quæ tot epistolas ab eo expressit, vt omnes iuuaret, &, vt ipse ait, omnibus omnia fieret. Noui ego nostro seculo illustrem quandam, primariamque fœminam, nuper excitatam, à sedeque Apostolica probatam piorum virorum religionem tam studiose coluisse, tantoque pro zelo suo erga Christum deamasse affectu, vt quoties in remotis, vel propinquis ciuitatibus rumores, aut tumultus aduersus eam excitarentur, illa lectissima domina protinus rumoribus sedandis prospicere volens, literas quamplurimas & graues cōscribebat, & interdum aliquot ex suis familiaribus in ea loca nō sine sumptibus destinabat, vt sua autoritate, qua plurimum valebat, & murmurationum flammas extingueret, atq; eius congregationis honorem tueretur, ac sartum tectum redderet.

Ibid.

Quàm è re Christiana fuerit Pauli Apostoli antea Christi hostis de Christo eiusque fide testimonium.

III. ratio.

2. Cor. 11.

Paulinę charitatis ardor.

Ioan 16.

1. Cor. 9.

Nobilis cuiusdam fœminæ insignis pietas.

Fuisse autem in magno autoritatis pondere, & veneratione epistolas Pauli, etiam ab initio, & ipse quidem partim innuit, cū ait in persona aliorum: *Quoniam quidem epistolæ, inquiunt graues sunt & fortes; præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis.* Docet & Apostolorum Princeps Petrus, qui grauissimum de illis testimonium pronuntiat, & eum (à quo tamen reprehensus fuit) mirificè cōmendat: *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Constat etiam suo tempore eas in libelli formam collectas in Vrbe circumferri solitas apud omnes credentes:

Pauli epistolæ quanti fecerit vel olim Ecclesia primitiua.

2. Cor. 10.

Gal. 2.

2 Pet. 3.

Rom. 2.

vnde

vnde Petrus & Romæ eas legere, & probare potnit. Seneca quoq; in quadam ad eum epistola restatur ilias ad Galatas & Achæos Principi Neroni obtulisse, ac legisse, & maiorem in modum de tanta sapientia, ac doctrina admiratum fuisse.

De eisdem Seneca quid senserit.

II. DISPVTATIO.

De difficultate, & obscuritate Paulinæ doctrinæ.

Paulinæ lectionis difficultatem, aduersus nostri seculi hæreticos vnde liceat deprehendere

1 locus.

2. Pet. vlt.

QVantopere hæretici hallucinentur in eo, qnod tradunt, Sacras literas dilucidas esse per se ipsas, planas prorsus, & apertas, vnns Paulus apertè demonstrat: cuius epistolæ tam obscuræ sunt, & tenebris tum rerum tum verborum obsitæ, vt eos planè mendacij reuincant. Cui rei argnmēto est, quod Apostolorum Princeps Petrus in posteriori sua epistola grauissimis verbis earum lectores admonendos censuit, qui aliter existimantes, nihil industriæ, aut operæ ponerent in ea intelligenda. Ecce Petri verba: *In quibus*, inquit, *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Vbi primum expende verbum, In quibus: non epistolis, quia fœminini generis est Græcè epistola, & Græcè dicitur siue masculine, siue neutraliter, ἐν οἷς, quod referendum est ad dicta, vel scripta Pauli: quod maximè testatur epistola ad Ephesios, & ad Galatas, in quibus nonnulla sunt difficilia: at illis Petrus scribebat eam epistolam, in qua se à Paulo reprehensum Antiochiæ legerat. Etenim Romæ Petrus epistolas Pauli quæ circumferebantur inter Catholicos, iam legerat, & ipse vicinus iam morti illam secundam epistolam scripserat, in qua habet: *Certus* (sum) *quòd velox est depositio tabernaculi mei.* Itaque viuente vtroque Apostolo; iam cœperant epistolæ Apostolicæ in sensus falsos, & à catholica doctrina alienos detorqueri. Et rectè suis coloribus depingit hæreticos, vocans illos, indoctos, fide, & Spiritu sancto destitutos, & in doctrina euangelica rudes, & ignaros; etiamsi alioqui secularibus literis essent eruditi. Deinde appellat eos, instabiles: qnia hæretici nunquam aut sibi ipsis, aut cū alijs conueniunt, sed semper cantant, & recantant; & vt ille dixit: *Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.* Agnouerunt veteres Patres duritiem multorum locorum, ac tenebras in Apostolo. Ecce Iren. qui libr. 3. in hæreses Valentini ita scriptum reliquit: *Quoniam hyperbatis frequenter vtitur Apostolus, propter velocitatem sermonum suorum,*

Gal. 2.

2. Pet. 1.

Quando primum ab hæreticis cœperit Pauli doctrina peruerti.

Quales hæretici Petri Apostolorū Principis testimonio.

Horat. 1. epi. 1. in fine.

Alter locus.

D. Iren. c. 7. ad initium.

Paulus cur abundet hyperbatis, teste Irenæo.

Gal. 3.

& propter impetum qui in ipso est Spiritus, ex multis quidem aliis est inuenire. Sed & in ea, quæ est ad Galatas, sic ait: Quid ergo? Lex factorum posita est, vsquequo veniat semen cui promissum est, disposita per Angelos in manu Mediatoris. Ordinatio enim sic est: Quid ergo lex factorum? disposita per Angelos in manu Mediatoris posita est, vsque dum veniret semen, cui repromissum est: vt sit homo interrogans, & Spiritus respondens. Et iterum in secunda ad Thessalonicenses, de Antichristo dicens, ait: Et tunc reuelabitur ille iniquus; quem Dominus Iesus Christus interficiet Spiritu oris sui, & destruet præsentia aduentus sui, illum cuius est aduentus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & portentis mendacij. Etenim in his ordinatio dictorum sic est: & tunc reuelabitur ille iniquus, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & portentis mendacij, quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui, & destruet præsentia aduentus sui. Non enim aduentum Domini secundum operationem Satanæ fieri, sed aduentum iniqui, quem & Antichristum dicimus. Si ergo non attendat aliquis lectioni, & per interualla aspirationis manifestet quod dicitur, erit non tantum incongruentia, sed & blasphema legens, quasi Domini aduentus secundum operationem fiat Satanæ. Huic adiungo Originem, qui in præfat. epistol. ad Roman. initio ita loquitur: *Quod cæteris Apostoli Pauli epistolis difficilior putatur ad intelligendum hæc quæ ad Romanos scripta est, duabus mihi videtur fieri ex caussis. Vna quod elocutionibus interdum confusis, & minus explicitis vtitur. Alia, quod quæstiones in ea plurimas mouet, & eas præcipuè, quibus innitentes hæretici astruere solent; quod vniuscuiusque gestorum caussa non ad propositum debeat, sed ad naturæ diuersitatem referri: & ex paucis huius epistolæ sermonibus totius Scripturæ sensum, qui arbitrij libertatem concessam à Deo homini docet, conantur euertere.* Hæc ille. Tertius accedat Hieronymus: qui in epistola aduersus errores Ioannis Ierosolymitani, magnificis titulis Apostolum exornat: *Vbi est*, inquit, *electionis vas, tuba Euangelij, rugitus leonis nostri, tonitruus Gentium, flumen eloquentiæ Christianæ?* & alio loco: *Paulum Apostolum proferam: quem quotiescunque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. Legite epistolas eius, & maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est*, &c. Infra: *Videntur quidem verba simplicia, & quasi innocentis hominis, ac rusticantis, & qui nec facere, nec declinare nouerit insidias: sed, quocunque respexeris, fulmina sunt: hæret in caussa: capit omne, quod tetigerit: tergum vertit, vt superet: fugam simulat, vt occidat.* Sic ille, detegens admirabile Pauli artificium in scribendo.

2. Thess. 2.

Origen. to. 2. circa med.

Epistolæ ad Romanos caussa difficultatis duplex secundū Orige.

Hiero epi 61. aliquanto remotius ab initio tom. 2. ante dimid.

Act. 9.

Pauli honorifica cognomenta.

Idē ep 50. circa med eiu tom 2.

Quale Pauli artificium in scribendo.

III. locus. Arguit etiam obscuritatem in scriben-
do, tanta veterum Patrum, & recentiorum
scriptorum multitudo, qui in eius epistolas
explanationes non pęnitendas ediderunt,
nec tamen assequi potuerunt omnia, quin
aliquid supersit posterioribus dicendum.
IV. locus. Illud tamē abundè comprobat, sublimem
esse, ac difficilem epistolarum eius doctri-
nā, quòd hæretici omni seculo multos eius
locos in sensus alienos, & quos Paulus mi-
nimè cogitauit, detorserunt: quod in suam
ipsorum faciunt perditionem, & vtinam
I. locus ex epist. ad Rom. non etiam in perditionem aliorum. Nam
v.g. quoniam Apostolus ad primam iusti-
Rom 3 & infra, & alias. ficationem opera legis Mosaicę non exigit;
venerunt qui dicerent, satis esse ad salutem
II. *Sup. 2. & inf* solam fidem: quæ hæresis etiam ipsorum
Apostolorum tempore cœpit, ac viguit.
III *Infra 4. & seq & Gal. 3. & seq.* Deinde, quia Gentibus lege carentibus, &
naturaliter legem facientibus, Paulus æter-
nam promittit vitam; Pelagiani acceperūt,
sine gratia Christi legem, & præcepta ob-
seruari posse. Tertiò, quia statuit ex fide,
non ex lege Moysis iustificationem homi-
nis consurgere; venerunt Lutherani & ne-
garunt Christum legislatorem, aut aliquid
IV. *Rom 5.* aliud pręter fidem pręcepisse. Quartò, quia
dixit, *Vbi abundauit delictum, superabundauit*
& gratia: exorti sunt qui iniquè colligerent,
V. *Idem.* peccandum esse, vt Dei gratia commenda-
retur, & abundaret in nobis. Quintò, quo-
niam dixit per vnum hominem peccatum
intrasse in mundum, & per peccatum mor-
tem: cum alibi Propheta præcinuisset, *Filius*
Ezech. 18. & aliis in locis. *non portabit iniquitatem patris*: vim, & natu-
ram peccati originalis quidam negarunt.
Alij verò peccatum originale confitentes,
VI. *Rom. 5.* naturam hominis damnarunt vt malam, &
quasi ab initio sic esset à Deo condita. Sex-
tò, quia legem fidei à lege operum distin-
guit Apostolus; extiterūt quidam, qui ope-
ra charitatis à lege fidei separarent; cum ta-
men Apostolus tantum legem Moysi ap-
pellet legem operum, siue factorum. Sep-
VII. *Infra 7.* timò, quia docet nobis malū inesse, & pec-
catum, qui mente seruimus lege Dei, carne
autem legi peccati; dogmatizarunt quidā,
nullum esse peccatum prolabi in concupis-
centias carnis: quod libenter audit caro,
VIII. *Supra 7.* quæ legi Dei nequit esse subiecta. Octauò
quia per legem asseruit præberi occasionē
peccandi, & fieri supra modum peccans
peccatum; surrexerunt Manichæi, qui le-
gem Moysi à Deo vero, vel bono non esse
IX. *Infra 8.* profectam affirmarent. Nonò, quia dixit
Paulus: *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ij sunt*
filij Dei; conflata est secta quorundam, qui se
ab Spiritu Dei agi asserunt, etiam cum in
omnia vitia, & peccata prolabuntur. Deci-
mò, quia dixit omnem hominem subiectū
esse peccato; dixerunt quidam, Deum im- X. *Sup. 5.*
possibilia præcepisse, & per Baptismi Sacra-
mentum peccatum non esse sublatum. Vn- XI.
decimò, quoniam dixit: *Quos præsciuit; &* *Infra 8.*
prædestinauit: statuunt quidam, præscientiā
meritorum, caussam esse prædestinationis. XII.
Duodecimò: quoniam per contrarium di- *Rom. 9.*
xit, non ex operibus Esau odio habitū; pro-
nuntiant quidam, quosdam reprobari abs-
que vllo demerito, sed solo Dei beneplaci-
to. Decimotertiò, quoniā dixit: *Certus sum,* XIII.
quia neque mors, neq; vita, neq; Angeli, &c. neque *Supra 8.*
creatura alia poterit nos separare à charitate
Dei: affirmant nostri seculi hæretici, omnes
electos certos esse prædestinationis per fi- XIV.
dem. Decimoquartò, ex illis verbis: *Non vo-* *Infra 9.*
lentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: qui-
dam liberum arbitrium ab homine sustu-
lerunt, & ex consequenti merita, & bona o-
pera, vt habet Luth. assertio. Decimoquin- XV.
tò, ex illis verbis: *Charitas Dei diffusa est in* *Supra 5.*
cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est no-
bis: quidam asseruerunt, charitatem nō esse
donum Spiritus sancti in nobis creatū, sed
ipsammet personam Spiritus sancti: ad quā
sententiam accesserunt Anselm. in eadem
verba scribens, & Petrus Lombardus ibi- *Anselm. in c. 5. ad Rom.*
dem, & in 1. senten. distin. 17. Decimosextò, *Petrus Lomb. ibid. & alib.*
ex illis Pauli verbis: *Sine pœnitentia sunt dona,*
& vocatio Dei: intulerunt quidam, omnes XVI.
qui baptizati sunt, salutem omnino conse- *Rom. 11.*
cutoros, & ab ea excidere non posse. Deci
moseptimò, ex illo loco: *Cui vult miseretur,* XVII.
& quem vult, indurat: somniarunt nonnulli, *Supra 9.*
homines propriè à Deo indurari, ac Deum
esse propriè peccati autorem, & caussam, ita
vt ipse infundat malitiam: quod horrendū
est vel cogitare. Decimooctauo, quia præ- XVIII.
cepit, seculi Principibus, qui gladiū portant *Infra 13.*
fideles subiectos esse debere, & dicto illorū
auscultare; nouelli hæretici spiritualium
caussarum cognitionem, ac decisionem il-
lis propriè tribuendam esse censuerunt; &
plures illam sibi iniquè vsurparunt. Deci- XIX.
monono, quia ca. 14. ad Rom. & alijs in lo- *Rom. 8. &*
cis, ciborum legis delectum quasi rē super- *1. Cor. 8.*
stitiosam reprobauit Apostolus: Iudæi qui-
dam asseruerunt, Apostolum legis Mosai-
cæ destructorem esse; noui verò hæretici
carnis libertatem inde acceperunt, & Eccle
siæ traditiones de ieiunijs, & certis cibis nō
edendis contempserunt. Vigesimò, quia XX.
dixit Paulus: *Bonum est non manducare carnem,* *Ibidem.*
& non bibere vinum: Manich. quæ sequuntur
in Apostolo dissimulantes, vsum carnium,
& vini potum, tanquam à malo Deo inuen- *Carnis esus, & vini potus quatenus à Paulo prohibita.*
ta prohibuerunt: cum tamen Apostol. sub-
iungat: *In quo frater tuus offenditur, aut scan-*
daliza-

dalizatur,aut infirmatur. Et hactenus de er-
roribus, qui ex sola epistola ad Romanos
accepti sunt:& potent fortasse alius plures
inuenire. Vigesimoprimo, quia in epistola
XXI ex prior ad Corin. ad Corinth. vituperat erigentes sectas,& di-
1. Corinth. 1. centes, *Ego quidem sum Pauli,ego autem Apollo,*
ego verò Cepha, ego autem Christi. Hæretici pe-
culiarem deuorionem erga sanctos repro
barunt, & ad diuersitatem religionum ca-
lumniosè retulerunt, quasi illa repugnaret
Christo: ob id quod quidam dicant, Ego
sum Basilij,ego verò Augustini, ego autem
Benedicti. Detorserunt etiam ad varia Phi-
losophaudi, & Theologizandi studia, vt
Thomistas,Scotistas,Reales, & Nomina-
les,& alia id genus:cũ tamen vnum spirent
Christum, & vuam doctrinam euangelicã
XXII locus. tueantur omues. Vigesimosecundo: ex illis
1.Cor. 1. verbis: *Christus factus est nobis sapientia,& iu-*
stitia,& sanctificatio, & redemptio: noui magi-
stri imputatam Christi iustitiam confinxe-
XXIII. runt,vt donum inhærentis iustitiæ vilipen-
Infra 3. dant. Vigesimotertio:illa sententia, *Funda-*
Matth.16 18. *mentum aliud nemo potest ponere, præter id quod*
19 & Ioa.21. *positum est:quod est Christus Iesus,* nostræ æta-
tis nouatores abutentes; summum Pon-
tificatum Petri, Christi verbo sacratum su-
stulerunt. Vigesimoquarto, quoniam Pau-
XXIV. lus scripsit: *Propter fornicationem autem vnus-*
1.Cor. 7. *quisque suam vxorem habeat, & vnaquaq, suum*
virum habeat: &, *Melius est nubere, quam vri:*
torquent quidam,vt Sacerdotes, & mona-
XXV chi ineant coniugia. Vigesimoquinto, as-
Infra 9. seruit Paulus de seipso, sine sumptu Euan-
2 Thess.3. gelium posuisse,& manibus suis laborãtem
Ephes.4. sibi victum conquisisse,cum posset vti po-
testate Apostolica: Præcepit quoque alijs,
vt laborarent operãdo manibus suis quod
bouum est,vt habeat vude tribuat necessi-
tatem patieuti. Ex quib. quidam statuunt,
statum mendicitatis propter Deum assum-
ptum reprobari. Vigesimosexto, cum dixe-
XXVI. rit, *Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iu-*
1.Cor. 9. *dæos lucrarer:* somniauit quidam, licere ho-
mini Christianitatem ore abiurare, licet
XXVII. non corde. Vigesimoseptimo: ex illis ver-
Infra.15. bis: *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in*
Christo omnes viuificabuntur: & quod donum
Dei debet vincere peccatum, vt habetur ad
Roman.5. dogmatizarunt quidam, homi-
nes,vel Angelos reprobos aliquando salu-
tem consecuturos. Vigesimooctauo: ex il-
XXVIII. lis verbis: *Seminatur corpus animale, surget spi-*
1.Cor.15. *rituale:* ausi sunt quidam asserere, nos hanc
carnem, & ossa non induturos, sed aliud
corpus ex altera natura spirituali confe-
ctum;& sexuum distinctiouem in illo sta-
XXIX. tu non futuram. Vigesimonono: ex illo
Ibid.47. dicto; *Primus homo de terra,terrenus: secun-*
dus homo de cœlo, cœlestis, commentum suum
hausit Valentinus, Redemptorem no-
strum carnem de cœlo attulisse. Trigesi- XXX ex epi. ad Gal.
mo:quia in epistola ad Galatas asseruit: *Li-* Gal 1.
cet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis,
præterquam quod euangelizauimus vobis, anathe-
ma sit: Lutherus cum suis sequacibus au-
toritatem, & ius interpretandi Sacras lite-
ras sibi per illa verba vsurpauit, ita vt an-
deant dicere, *Si quis aliter, quam nos prædica-* XXXI.
mus, prædicauerit; anathema sit. Tricesimo- Infra 2.
primo ex facto Pauli Petrum coram omni-
bus reprehendentis,& ad veritatem Euan-
gelij non ambulasse asserentis; colligunt
quidam, Petrum Christi vicarium non fuis-
se;alij verò,Papam in rebus Fidei definien-
dis errare posse. Tricesimosecundo: quia XXXII.
in eadem epistola legis ceremonias videtur Gal.5.
reprobare: inde hæretici omnes ceremo-
nias,siue euangelicas,siue Ecclesiasticas re-
probandas esse censuerunt; alij vero vt in-
differentes acceperunt, nec nisi propter vi-
tandum scandalum seruandas. Trigesimo- XXXIII. ex
tertio: quia ad Ephes.asserit, dispensatio- epis. ad Ephe.
nem Sacramenti (id est incarnationis Ver- Ephes. 3.
bi Dei)absconditam à seculis in Deo, & in-
uotuisse principibus & potestatibus in cœ- Luc 1. & in-
lestibus,per Ecclesiam,&c. cogitarunt qui- fra 2 & alib.
dam non rectè considerantes, eiusmodi
mysterium Angelos ignotasse; cum tamen
per illos fuerit Ecclesiæ reuelatum. Tri- XXXIV. ex
gesimoquarto: quia in epistola ad Philip- epist.ad Phil.
pens.de Christo dixit: *In similitudinem homi-*
num factus, & habitu inuentus vt homo: in-
de deduxerunt, Christum verum homi-
nem nou fuisse,nec veram habuisse huma-
nam carnem. Trigesimoquinto: ex illo
loco, *Deus est qui operatur in vobis & velle, &* XXXV.
perficere, pro bona voluntate; quidam nihil Philip. 13.
penitus libertati arbitrij reliquerunt. Tri- XXXVI.
gesimosexto: ex illo, *Vt & inueniar in illo* Infra 3.
non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed
illam quæ ex fide est Christi Iesu: asserunt Hæ-
retici,inhærentem iustitiam, per quam co-
ram Deo iustificamur,nullam esse, sed so- Calui & alij.
lam iustitiam Christi imputatam nobis præ
stare. Trigesimoseptimo: ex eo dicto ad XXXVII. ex
Colossens. *Nemo vos iudicet in cibo, aut in* epist.ad Col.
potu,aut in parte diei festi, &c. colligunt Hæ- Coloss 2.
retici contra festiuitates Ecclesiæ, & con-
tra delectum ciborum; cum tamen Apo-
stolus contra ea agat, quæ ad legem Moy-
si spectabant. Trigesimooctauo: ex illis XXXVIII. ex
verbis prioris ad Thessalon. *Nos qui vi-* prioris ad Th.
uimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum 1.Thess.4.
illis in nubibus obuiam Christo in aera: cre-
diderunt quidam, multos sine morte
in diem iudicij peruenturos; & aduen-
tum ad iudicium tempori Pauli in-

XXXIX. ex posteriori ad Thess. 2 Thess. 2. Ibidem.

stare, quòd se cum illis connumerauerit. Trigesimonono: ex illa sententia de Antichristo: *Ita vt in templo Dei sedeat; ostendens se tanquam sit Deus.* Et infrà: *Cuius est aduentus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus:* impudentissimi quidam, & imprudentissimi Hæretici peruersè ad Romanum Pontificem detorserunt; cum ille in templo Dei cum cæteris fidelibus Christum colat: nec prodigijs vllis se ostentauerit, nec adorari se mandauerit tanquam Deus; sed tantum illum cultum, qui Christi Vicario debetur, ad Christi gloriam tuendam accipiat.

Romanus Pontifex quo tantū nomine à fidelib. se adorari permittat.

XL ex 1. ad Timoth. 1. Tim. 1.

Quadragesimo: quia in epistola ad Timotheum. prohibet fabulis & genealogijs interminatis intendere; quidam Erasmi spiritum imbibentes, ad immaculatam Virginis conceptionem odiose retulere, quasi illa nihil aliud esset quam fabula, & genealogia interminata. Quadragesimoprimo: ex illis verbis, *Lex iusto non est posita:* peruerse quidam intulerunt, Christianos non habere legem, qua obligentur. Quadragesimosecundo: quia dixit Deum inuisibilem, Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest; ausi sunt quidam negare, Deum in se videri vnquam posse, & quòd pugnet sibi alio loco dicenti, *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Quadragesimotertio: ex illa sententia, *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est:* quidam carni patrocinantes, & ieiunia, & ieiuniorum vtilitates abrogarunt. Quadragesimoquarto: ex eo Pauli verbo; *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum:* admittunt quidam nostri seculi hæretici Episcoporum, & Sacerdotum spurcissima coniugia. Quadragesimoquinto: quia inquit Apostolus, *Volo iuniores nubere, filios procreare, &c.* quidam votis virginum puellarũ, & sanctimonialium detraxerunt. Quadragesimosexto: quia in epistola ad Hebræos, Christum characterem esse diuinæ hypostaseos, Apostolus dixit; tres hypostases quidam commenti sunt, non secus ac tres substantias, vel tres naturas distinctas: quod tamen nunc à Catholicis recipitur, sed in bonum sensum, vt hypostasis, non substantiam, sed personam significet. Quadragesimoseptimo: ex illis Pauli sententijs: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam:* &, *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: & Esau non inuenisse pœnitentiæ locum, & quanquam cum lacrymis inquisisset eam:* Nouatus hæreticus negauit pœnitentiæ Sacramentum esse in Ecclesia, & non remanere secundam tabulam post naufragium. Quadragesimooctauo: quia de Melchisedec asseruit, fuisse sine patre, & sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habentem; antiqui quidam hæretici, quorum meminit Augustinus, asseruerunt hominem non fuisse, sed Angelum, vel Spiritum sanctum. Quadragesimonono: quoniam nomen Testamenti, quod Hebraicè Berith appellatur, vocauit legem Euangelicam, & in se confirmatam ab eis, qui (Dominum) audierunt: & quia dixit, vrnam cum manna, & virgam Aaron, & tabulas testamenti contentas fuisse; multi ex nouatoribus illam epistolam esse Pauli, aut canoicam pernegarunt. Quinquagesimo ac postremò: quia asseruit Apostolus, sanctos illos Patres non acceptis repromissionibus defunctos esse, vt non sine nobis consummaretur; quidam hæretici affirmarunt, animas fidelium defunctorum Deum facie ad faciem ad extremum vsque diem iudicij non videre. ¶ Ex tot igitur Beati Pauli locis in prauum sensum partim malitia hominum, partim ignoratione detortis, beati Petri sententiam de obscuritate epistolarum Pauli, comprobatam, & cõfirmatam relinquimus.

Beatissimæ Virginis Mariæ purissimā conceptionē, Erasmus fabulæ, & genealogię interminatæ similē pronunciauit.

XLI. Ibidem. XLII. Ibidem. 7. & infrà 6. Ioan. 1. & 1. Cor. 13. XLIII. 1 Tim. 4. XLIV. Supra 3. & Tit. 1. XLV. 1. Tim. 5. XLVI. ex epi. ad Hebr. Heb. 1.

Tres quidem in diuinis subsistentias, non tamen substātias, catholica agnoscit, & cōfitetur Ecclesia.

XLVII. Infra 6. Infra 10. Infra 12. Gene. 27.

Hæresis Nouati.

XLVIII. Heb. 7. Gen. 14. August. in catal. hæresum, nu. 34. to. 6. initio. XLIX. Hebr. 2. Infra 9.

Laus postremus locus. Infra 11.

2. Pet. vlt.

DISPVTATIO III.

De numero epistolarum B. Pauli.

APOSTOLORVM epistolæ aliæ dicuntur Catholicæ, siue Canonicæ, quia ad omnes generatim scribuntur. Aliæ verò sunt Paulinæ, quæ numero quatuordecim in canonem receptæ sunt. Quòd si quis præterea plures extitisse comprobet: tum ex eo, quòd aliæ nomine Pauli circumferuntur, vt illæ ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, & præterea epistola ad Laodicenses, cuius meminit in epistola ad Colossenses, & præterea tertia quædam ad Corinth. de qua prim. Corinth. 5. Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicarijs. Id etiam comprobari posset testimonio Gregorij, qui quindecim epistolas Paulum scripsisse tradit. ¶ Posset etiam probari, pauciores esse quam quatuordecim: quia illa ad Hebræos à plerisque olim in dubium reuocata fuit, & etiamnum hodie à multis à catalogo canonis reiecta est. His tamen non obstantibus, statuendum est, numerum quatuordecim certa fide esse recipiendum, ac tenendum;

Catholicæ siue canonicæ epistolæ cur huius nominis.

Pauli epistolas plures esse quam 14. vnde constet secundum aliquos. Coloss. 4. 1. Corinth. 5.

Vnde pauciores.

quia

quia ita iu Oecumenicis Synodis definitũ est, & tota antiquitas cũ Ecclesia, quatuordecim Pauli semper est venerata epistolas.

De Pauli ad Senecam epistolis quid sentiendum sit.

Hieron to. 1. à medio.

August. epist. 54. circa med. tom 2.

B. Linus Pontifex.

Quod verò obiectum est, facilè dissoluitur. Nam illæ ad Senecam, nunquam vt canonicæ receptæ fuerunt: nec propterea inde colligitur, aut Pauli non esse, aut omninò omni autoritate esse destitutas. Nam eas Hieronymus in lib. de scriptoribus Eccles. & Augustinus in epistol. ad Macedonium, & Linus Petri discipulus, vt probabili autoritate constantes, producunt: quod minimè facerent, si eas esse apocryphas, aut omninò reiectas intellexissent. Nec Apostoli, aut Prophetæ semper Spiritu diuino aut loquebantur, aut scribebant, sed interdum etiam vt prudentes & boni viri agebant. Hinc est, quòd in eis non agit vt Apostolus, neque more Apostolico salutat, neque aliquod dogma Catholicum edisserit; neque ille etiam eius doctrinæ erat, cum nondum esset Sacramento fidei initiatus, sed tantum, vt amicus ad amicum. Porrò has Pauli epistolas ad Senecam commẽtatus est Ioannes Faber Episcopus Viennensis.

De ea, cuius idem Paulus meminit, ad Laodicenses epistola, variæ Patrum quorundam sententiæ.

Hieron ibidẽ, de Paulo loquens Philastrius inter med. & princ. li. De hæresib.

Porrò epistola ad Laodicenses quæ circumfertur, non videtur Apostoli fœtus, quam Hieronymus ait ab omnibus explodi. Adde Philastrium in catalogo hæresum, vbi eam tradit à quibusdam vt Pauli receptam; sed in Ecclesijs non fuisse cõsuetudinem vt publicè legeretur: sicut Epiphanius in hęr sim Marcionistarum, eam quoque reijcit. At Tertullia. lib. aduersus Marcionem, indicat Marcionem ipsum fuisse in hac sententia, vt crederet, epistolam, quę iuxta nos inscribitur ad Ephesios, fuisse à Paulo nõ Ephesijs, sed Laodicensibus scriptam, & inscriptam.

Epiph. in hæres 42. ante med. Tertull. lib 5. aduers. Marc à med.

Eandem epistolam vnde credibile sit Pauli non esse.

Adhæc si epistola quæ circumfertur nomine Pauli ad Laodicenses, & citatur à Iacobo Fabro in Commentarijs suis in epistolas Pauli, vera sit eius epistola; cùm parua sit, & omnia ferè, quæ in ea traduntur, habeantur in illa ad Colossenses, non video qua ratione Apostolus præciperet Colossensibus, vt illa, quæ missa est ad Laodicenses, in eorum Ecclesia legeretur. ¶ Superest vt respondeam ad verba Pauli, quæ ad Colossenses. 4. ita habent: *Et cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite vt & in Laodicensium Ecclesia legatur; & ea quæ Laodicensium est, vt vobis legatur.* Hæc enim postrema verba aliter in Græco habentur, nimirum: & ea, quæ ex Laodicea est scripta. Vbi Chrysostomus sentire videtur, hanc epistolam non esse Pauli ad Laodicenses, sed Laodicensis alicuius ad Paulum. Et eiusdem sententiæ est Ambrosius in eodem loco: quia illa aliquid continebat, quod ad propositum Colossensium faciebat. Et vt Theodoritus censet, verisimile est eos in ea accusasse, quæ fiebant Colossis, vt eodem morbo cum eis laborasse viderentur: vt ideo dixerit, hanc quoque epistolam eis esse legendam. Nõ ignoro tamen Theophylactum aliter exponere: vt illa, quæ ex Laodicea est, intelligatur fuisse prior ad Timotheum epistola, quæ scripta est ex Laodicea, vt habet in fine Græca subscriptio. Mihi tamen prior sententia magis arridet.

Col. 4. Illa eiusdem Apostoli verba: & cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, &c. quomodo accipienda sunt.

Chrys. ho 12. in epist. ad Colos. sub initium tom. 4. Ambr. to. 5.

Theodor. p 2.

Theophyl. hac de re quid senterit.

Eius d dicti Apostolici: Scripsi vobis in Epistola, Ne commisceamini fornicarijs, qua vera sit intelligentia.

Theophyl. in prior. ad Corinth cap 5. Theodo. ibid. part 2 Oecumen. ibid.

Ad aliud de tertia illa epistola ad Corinth. propter illa Apostoli verba: *Scripsi vobis in epistola, Ne commisceamini fornicarijs*: Respondendum est, ea verba secũdum Theophylactum, Theodoritum, & Oecumenium, non de noua alia epistola, sed de illa ipsa priori ad Corinth. intelligenda esse. Prædixerat enim paulò antè: Modicum fermentum totam massam corrumpit.

De epistola ad Hebræos quid vere tenendũ sit.

Cur tantum quatuordecim epistolæ, non plures neque pauciores.

Septenarius quid indicet.

Ad postremum de epistola ad Hebræos, minimè est ambigendum, illam verissimam esse Pauli epistolam, & in canonem receptam: sicut suo loco abundè probabimus. Atque in hunc modum numerus Thesseradecadis præcisus comperit Paulo, quia numerus ille sacer est Matthęo in 1. cap. & mysterio plenus. Si enim septenarius vniuersitatem significat, duplex septenarius maiorem plenitudinem denotabit. Est etiam germanus Mosaicę legis interpres, & Christi verus prædicator: quia numerus tesseradecadis componitur ex decade, symbolo legis Mosaicæ, & ex tetracty, siue quaternitate Euangelij propter quatuor Euangelistas. Est etiam duplex hic numerus ad epistolas Apostolorũ, quæ Catholicæ vocantur. Nam illæ tantum sunt septem; vt intelligas vnum hunc Apostolum abundantius cæteris Apostolicis laborasse, vt ipse de se testatus est. Quibus si adiungas, duplicẽ fuisse Apostolorum numerum, alterum, dum Christus viueret, duodecim, & alterum quatuordecim post Christi resurrectionem, peculiari Spiritus sancti imperio: nam dixit, *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*, colligere poteris, quatuordecim Pauli epistolas respondere quatuordecim Apostolis, quos inter summum locum tenuit Paulus, sub Petro tamen, qui pastoratu omnes excedebat.

Quatuordenarij Sacramentum numeri.

1. Cor. 15.

Duplex Apostolorum numerus.

Act 13.

Longioribus ad Gentes, quam ad Ecclesiarum Antistites epistolis Paulus cur vsus fuerit.

¶ Ex quatuordecim autem epistolis, decem sunt ad Ecclesias datæ, quatuor verò ad singulares personas: vt duæ ad Timotheum, & altera ad Titum, quarta ad Philemonem. Istæ autem quatuor pauciores sunt, ac breuiores: quia perfecti rariores esse solent, & minore indigent instructione, & cohortatione ad mu-

nus suum

nus suum præstandum. Inter has autem singulares, plures missæ sunt ad Prælatos, & pastores Ecclesiarum, id est numero tres ad Timotheum, & Titum; ad priuatum autem hominem, & laicum, hoc est ad Philemonem, vna tantùm: etsi Ioannes inter tres Catholicas suas epistolas, duas postremas ad laicos destinauerit, nempè ad Gaium virum insignem, & ad Electam, fœminam illustrem, quam dominam vocat. Ita vt in epistolis Apostolorum erudiantur & multitudines Ecclesiarum, & singulares personæ; & pastores Ecclesiarum, & laici, qui oues illorum sunt: & non tantum masculi, sed etiam fœminę. Et hactenus de numero epistolarum.

2. Ioan. 3.

DISPVTATIO IV.

De ordine Epistolarum inter se.

Epistola ad Romanos quibus temporibus sit posterior.

CVM constet epistolam ad Romanos non fuisse primam ab Apostolo conscriptam, sed alias plures tempore antecessisse, vt vtraq; ad Thessalonicenses, & vtraque ad Corinthios, & prior quę ad Timotheum, & illa, quæ ad Titum, & septimum locum sortiatur epistola ad Romanos, vt latè Theodoritus in præfatione eius epistolæ comprobat; & reliquas omnes septem ex vrbe Roma missas confirmat: meritò in dubium reuocatur; cur priorem locum sortiatur epistola ad Roman. quam constat tempore septimam fuisse. Adhæc cùm epistolam ad Hebræos per Timotheum missam fuisse, indubium sit, & ita illa secunda ad Timotheum, qua illum cohortatur, vt ad se veniat, eo quòd iam tẽpus resolutionis suæ instaret, illa sit posterior, quà ratione factum est, vt epistola ad Hebræos postremum locum sortiatur, cùm sit prior posteriori ad Timotheum. Respondendum est, temporis ordinem neglectum fuisse à Deo & in numero psalmorum statuendo, & in ordine Prophetarum. Ita etiam in collocandis epistolis Apostoli illum tacitè neglexisse videtur Spiritus sanctus, vt aliquod mysterium nobis insinuaret, quod iam aperiemus. ¶ Vt ergo epistola ad Romanos primo loco collocaretur, vt ratio dignitatis, & ordo doctrinæ, & æquitas conuenientiæ id suo iure pascebant. Primò quidem ob Ecclesiam Romanam habentem principatũ ouilis Dominici in Petro, & successoribus: vt quemadmodum ab Ecclesia fidei confessionem, & interpretationem Scripturarũ, & definitionem in omnibus quæstionibus, & controuersiis, & pastum animorum spiritualem suscipiunt omnes, qui se Christi oues profitentur, ita & huius excellentis doctrinæ succum non nisi ab eadem quasi matre, & magistra omnium sibi deriuarent. ¶ Secundò, ordo doctrinæ seruatus est, ob id quòd continet proprios locos doctrinæ Christianæ, & Fidei principia. Discernit enim Euangelium à Lege, & Philosophia: monstrat Christi beneficia, & qua hostia placatus Deus contulerit nobis gratuitam peccatorum remissionem, liberationem à morte, veram coram Deo iustificationem, donationem Spiritus sancti, certam spem futuræ immortalitatis, patientiam denique, ac perseuerantiam, & reliquos bonorum operum fructus, quibus apprehendimus vitam æternam. Continet etiam hæc epistola vniuersos hominis status, nempè hominis existentis in Euangelio, & natura instaurata per Christum, & agentis in Iudaismo sub lege, & viuentis in statu Naturæ lapsæ, & veteris Adæ ignorata lege, & Euangelio. Quamobrem in hac epistola maximè comprimitur hominis superbia, qui putat se aliquid esse, cùm nihil sit: & gratia Christi statuitur, per quam Deo omnis gloria adscribitur. ¶ Accedit tertiò loco duplex decorum, siue conuenientia. Altera, quia ciuis Romanus erat, & quidem natus, vt ipse coram tribuno testatus est: vnde ab illis tanto honore sublimatus, eam ciuitatem debuit primitijs suæ doctrinæ decorare. Altera, quia cum Doctor Gentium esset à Christo positus, congruum fuit, vt ea ciuitas, quæ caput Gentium erat, huius ad se missæ epistolæ principatum inter omnes sibi vendicaret: quemadmodum etiam eius sanguinem habere promeruit. Etenim cum illa ciuitas in potestate Ecclesiastica principatũ habeat: sicut plus ædificat, cum virtutem, & charitatem amplectitur, ita magis scandalizat, quando vitia, aut errores consectatur. Neque aliud fuit Spiritus sancti consilium, quando Petrum, & Paulum columnas Apostolorum suorum in vrbem destinauit, nisi vt illa prima ad fidem Christi conuersa, & Christo lucrifacta viam muniret omnibus gentibus, vt faciliùs doctrinam Euangelicam per Apostolos disseminatam assumerent. ¶ Quòd verò non nisi vna tantùm epistola ad Hebræos missa sit, & postremum locum post alias nouem missas ad Ecclesias Gentium sortiatur; mysterio non caret. Iudicatum est enim, Paulum non esse Iudæorum peculiarem Apostolum, sicut erat Petrus: & paucos ex illis in Christum credituros, & post omnes alios ad fidem

B. Theodo. par. 2.

2. Tim. 4.

Propositæ quæstionis dissolutio.

I. Ratio.

II. Ratio.

Quid præstet Euangelium.

Quid doceat Apostolus in hac epistola.

Gal. 6.

III. Ratiò. *Act. 22.*

1. Tim. 2.

Quonam Dei prouidentia factum sit, Romana ciuitas vt Petrum & Paulum Apostolorum Principes sortiretur.

Rom.11. ad fidem reducendos. Cum enim teſte A-
poſtolo, plenitudo Gentium intrauerit;
tunc omnis Iſrael ſaluus fiet: & in ea re pe-
culiariter implendum illud, quod Spiritus
Deut.28. ſanctus eis comminatus fuerat: *Ipſe* (ſcilicet
Gentilis) *erit in caput, & tu eris in caudam.*
Pauli Epiſtolarum quanam temporis ordo ſeruatus. ¶Ordo autem temporis, in quo conſcriptæ
ſunt epiſtolæ, talis fuit, vt docet Theodo-
rit. in præfat. in Paulum. Primo enim loco
I. epiſtolam ad Theſſalo. ſcriptam exiſtimat,
B Theodo. par. 2 in prin. quam miſit ab Athenis, vt ipſemet capit. 3.
eiuſdem docet: quam & per Timoth. mi-
1. Theſſ. 3. ſiſſe videtur, quia in ea ait: *Placuit nobis re-
manere Athenis, ſolis. Et miſimus Timotheum fra-
trem noſtrum, &c. ad confirmandos vos, & ex-
hortandos pro fide veſtra.* Ruſus poſt non
II. multum temporis ſecundam miſit ex eodẽ
Act. 18. loco: nam Act. 18. habetur, Paulum egreſ-
ſum ab Athenis, veniſſe Corinthum: vbi
III. diu egit. Poſt has duas, tradit ſcriptam prio-
rem ad Corint. ex Epheſo, quoniam in po-
1. Cor. vlt. ſtremo cap. eius epiſt. ſcripſit: *Permanebo au-
IIII. tem Epheſi vſque ad Pentecoſten.* Sed inſcriptio
Græca aliter habet; miſſam ſcilicet ex Phi-
lippis; & ſimiliter ſecundam epiſtolam ad
eoſdem. Quintam ponit priorem ad Ti-
V. motheum: vbi habet: *Sicut rogaui te vt rema-
1. Tim. 1. Act. 16. neres Epheſi, cum irem in Macedoniam:* quo tem-
Supra 14. *pore nondum Epheſum venerat, prohibitus à Spiri-
tu ſancto loqui verbum Dei in Aſia.* Erat autem
ſimul cum Apoſtolo Timotheus. Et vt
habes Actor. 17. Silas, & Timotheus re-
manſerunt ibi, & Apoſtolus nauigauit A-
VI. thenas. Sexta ſequitur ad Titum; cum in ijs
Tit 3. locis adhuc ageret Paulus. Iuſſit enim Ti-
tum ad ſe venire, dicens; *Cum miſero ad te
Arteman, aut Tychicum, feſtina ad me venire
Nicopolim: ibi enim ſtatui hyemare.* Eſt autem
Nicopolis, vrbs Thraciæ vicina Macedo-
Nicopolis quid. niæ. Septimam miſit ad Romanos, quo-
VII. niam poſt has omnes ſe hanc ſcripſiſſe do-
Rom. 15. cet: *Nunc igitur,* inquit, *proficiſcar in Ieruſa-
lem miniſtrare Sanctis. Probauerunt enim Mace-
donia, & Achaia collationem aliquam facere in
pauperes Sanctorum qui ſunt in Ieruſalem.* Et
1 Cor. 16. Act 19. ruſus; *Quod ſi dignum fuerit vt ego eam; me-
cum ibunt.* Cum autem in Græcia inſidiæ ſi-
bi factæ eſſent à Iudæis nauigaturo in Ieru-
ſalem, vt habetur Act. 20. præmiſſis fratri-
Quando ſcripta ad Romanos epiſtola. bus aliquot, venit intra quinque dies Troa-
dem; vbi eos inuenit: antequam veniret, e-
piſtolam ad Romanos conſcripſit. Et inde
Rom. 16. deſcendens in portum Corinthiorum Cẽ-
chreę dictum, vt inde nauigaret, inuenit ibi
Phœben, fœminam Chriſti cultricem, &
miniſtram Eccleſię Cenchreenſis, quæ iter
ſuum adornabat in vrbem: illiq; tanquam
VIII. fideliſſimæ tabellariæ, tradidit epiſtolam
Epiſtolæ ex vrbe ſcriptæ. ad Romanos perferendam. Inter epiſtolas
ex vrbe miſſas primum locum habet epi-
ſtola ad Galatas, vt Græci teſtantur; ſecun-
dum illa ad Philippenſes: tertium, quæ eſt
ad Epheſios: quartũ, ad Coloſſenſes: quin-
tum, ad Philemonem: ſextum, ad Hebręos:
poſtremum, ſecunda ad Timotheum: quã-
quam de quibuſdam harum aliter ſentiant
Latini, vt ſuo loco dicemus. ¶Harum verò Epiſtolæ Pauli de carcere miſſæ quid
epiſtolarum omnium quaſdam ſcripſit ex amplius præ
vinculis, alias liber extra vincula. Et illæ cæteris habere
quidem, quæ ex carcere ſcriptæ ſunt, maio- videantur.
rem ſpirant charitatem, ſi fidem habeamus B. Chryſ. ho.
Chryſoſtomo, dicenti: Omnes quidem e- 1. in epiſt. ad
piſtolæ Pauli ſanctæ ſunt; habent tamẽ am- Coloſſ. initio, tom. 4.
plius quiddam quæ ab eo ex vinculis ſunt Quænam illæ
miſſæ; vtpotè quæ eſt ad Epheſios, quæ ad ſint.
Philemonem, quæ ad Timotheum, quæ ad
Philippenſes, & pręſens iſta, ſcilicet ad Co-
loſſen. Idem latius confirmat Hieronymus Hieron. to. 9.
ſuper epiſtolam ad Philemonem, vbi ait:
*Scribit ad Philemonem Roma vinctus in carcere,
quo tempore mihi videntur ad Philippenſes, Co-* Philip. 1.
*loſſenſes, & Epheſios, epiſtola eſſe dictata. Ad Phi-
lippenſes illa ex cauſſa: primum, quod cum ſolo
Timotheo ſcribit, quod in hac epiſtola facit. De
hinc quod vincula ſua manifeſta dicit facta pro
Chriſto in omni prætorio: quod ſit autem præ-
torium, in ipſius epiſtolæ fine ſignificat: Salutant* Infra 4.
*vos omnes ſancti, maxime autem qui de Cæſaris
domo ſunt. A Cæſare miſſus in carcerem, notior fa-
miliæ eius factus, perſecutoris domum, Chriſti fecit
Eccleſiam. Deinde ait: Quidam autem ex conten-
tione Chriſtum annuntiant, non ſincere, exiſti-
mantes preſſuram ſe ſuſcitare in vinculis meis.
Porrò & ad Coloſſenſes principium ſimile: Paulus* Coloſſ. 1.
*Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Ti-
motheus frater. Et in conſequentibus; Cuius factus* Ibid. 24.
*ſum ego Paulus miniſter, qui nunc gaudeo in paſ-
ſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſ-
ſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius,
quod eſt Eccleſia. Et in fine, Salutatio mea manu
Pauli: memores eſtote vinculorum meorum. Hoc
ideo; vt ſciamus, has quoque epiſtolas de carcere,
& inter vincula fuiſſe dictatas.* Idem ſtatim
comprobat de epiſtola ad Philemonem, Idem tom 2. circa mediũ.
cui ſeruus Oneſimus commendatur, con-
ſcripta. Eadem repetit in Apologia
prima aduerſus Ruffinum: &
hactenus de or-
dine.

DISPV-

DISPVTATIO V.

De diuisione cuiuslibet Epistolæ Pauli, siue de partibus eius.

OMNIS Pauli epistola in duas partes distribui solet, nempè in priorem dogmaticam, & posteriorem ethicam, siue parænetica̓m, id est moralem, siue exhortatoriam ad rectè vitam instituendam. Nam in more habet Apostolus, vt in qualibet epistola post salutationem, primùm de controuersijs Fidei disputationem ineat, quò & eorum zizania euellat, & quam seminat & plantat, veritatem Euangelicam stabiliat. Deinde vbi satis disseruit, ad bonæ vitæ, & præcepta morum tradenda orationem solet conuertere. Ratio autem, cur præcedat disputatio monita bene viuendi, in promptu est. Frustra enim quis ad vitam honestè ducendam, & mores suos componendos exhortaretur, si recta fides nō præcederet, cum scriptum sit; *Iustus ex fide viuit.* Annotauit hoc in Apostolo Augustinus libro de Fide, & operibus. Hinc Apostolus in epistola ad Roman. per 11. integra capita disputationem protendit; à 12. autem ca. in fi. vsque, ad virtutis studium, & bonos mores accendit. In priori ad Corint. per 15. cap. priora fidem docet; in vltimo, hoc est 16. fidelium mores instruit. In illa ad Ephesios, per tria capita de dogmate tractat, per totidem quæ sequuntur, de vita rectè instituēda. In epistola ad Hebræos, postremis duobus capitibus exhortationes ad bona opera suppeditat, in prioribus vndecim de fide agit. Eandem regulam tradidit B. Chrysost. in epistolam ad Romanos, vbi tradit, Apostolum, dum docet, plerumque in sermonem moralem digredi; quo plausibiliorem & gratiorem reddat orationem. Vt cum in principio cap. 5. ad Rom. dixit: *iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum:* quæ sanè verba speciem exhortationis præ se ferunt. Sicut & illud cap. 6. *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius; simul & resurrectionis erimus.* Sanè verò Chrysostomus, qui hanc regulam in Paulo obseruauit, eiusdem & ipse fuit in suis scriptis obseruantissimus. Nam in permultis suis commentarijs, & præsertim in Paulum, vbi de dogmate aliquantisper disseruit, in moralem locum consueuit spatiari, quo lectores faciliori cibo pascat, & consoletur: vt videatur in dogmaticis solidam escam porrigere, in exhortationibus lac, & potum.

Apostolicæ ordo doctrinæ.

Fidei, quam morum cur prius dogmata tradenda.

Abac. 2. Rom. 1. Gal 3.

B. August. li. de Fide & operib. c. 7 prope med. to. 4. sub initium.

B. Chrys ser. 10. in epist ad Rom. tom. 4. in princ.

Rom. 6.

Apostolicum docendi morē D. Chrysostomus ferè sectatus.

Antequam autem disputationem aggrediatur, à gratiarum actione, siue à benedictione, & à iugibus precibus, quas Deo pro ijs, ad quos scribebat, fundere solebat, in omni ferè epistola (vna, aut altera, nempè ad Galatas, ad Tim m, & ad Hebræos, atque id quidem non sine causa (nimirum quoniam illæ procemio carebant) exceptis) exordium dicendi sumit: atque id diuino consilio factum, nemo debet ambigere. Nam ita lectores ad suam doctrinam facilius suscipiendam, magis sibi beneuolos, magisque dociles, & attentos reddebat. Id enim vehementer cupiebat Apostolus, Ecclesias quibus literas dabat, non ignorare, quanto eas charitatis deamaret affectu, & quantum cordi Apostolico earum salus esset, & quantum apud Deum pro eis precandi studium. Atque ea ratione sensim, diuina quadam insinuatione in epistolę argumentum delabitur. Demum sub epistolæ finem peculiares, & honorificas salutationes ad quosdam illorum mittere solet: eo fortassis spectans, vt à tanto Apostolo laudari atque commendati, minus ab Euāgelica doctrina retrocederent, & magis in fide persisterent: virtusque ea ratione magis laudata cresceret: quò etiam illi, qui partes erant illius Ecclesiæ, ad quam scribit Apostolus, intentis magis animis epistolas perscrutarentur, amplecterenturque: lectores verò quicunq; non nisi illustrem, & insignem Pauli charitatem & in literarum principio, & in fine agnoscerent.

Omnis ferè Pauli disputatio cur incipiat à benedictione diuina.

Apostolicę salutationes quò tendant.

Habent igitur in vniuersum omnes ferè Pauli epistolæ quinq; hæc membra distincta videlicet salutationem, exordium, partem dogmaticam, & partem parænęticam, & postremò commēdationes, & salutationes peculiares: ex quibus partitionem, seu diuisionem commodam lectores suscipere poterunt. Addimus illud non negligendū lectori; consueuisse Apostolum in literis conscribendis opera aliorum velut amanuensium vti, vt constat ex epist. ad Romanos, quam Tertius (vel vt tradit Theodoretus in eam scribens epistolam, Terentius) vnde illud; *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino.* Illas tamen Paulus subscribebat: quanquam epistolam ad Galatas sua manu conscripsit: vnde in fine eius epistolę dixit: *Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu:* quod fecit, vt omnem excluderet suspicionem supposititiarum literarum; solebāt enim sub nomine Pauli multæ epistolæ prodire confictæ. Hinc ipse ad Thessal. scribit, *Rogamus vos fratres, vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam.* Et in priori ad Corint. ait; Salutatio

Vniuscuiusq; fermè Pauli epistolæ est diuisio quadrimembris.

Epistolas quare Paulus subscriberet.

Rom 16. Theodoret.

Gal. 6.

2. Thess. 2.

1. Cor. 16.

Coloſſ vlt. 2.Theſſ 3.

lutatio, mea manu Pauli: eodem modo ſalutat Coloſſenſes, & in poſteriori ad Theſſal. *Salutatio. mea manu Pauli: quod eſt ſignum in omni epiſtola, ita ſcribo.* Deinde vt declararet, quantopere ſibi curę eſſet ſalus Galatarum, dixit: Videte qualibus literis ſcripſi vobis, etſi Græca habeant πηλίκοις γράμμασι. Quibus verbis nō tam quantitatem literarum, quam characterum magnitudinem ſignificari annotauit Hieronymus, id eſt, quam grandem epiſtolam mea manu ſcripſerim contra morem meum. Etſi Hieronymus exiſtimet, Paulum ab hoc loco in finem ſcripſiſſe, non totam epiſtolam: quod tamē facilè refellitur, quia de præterito dixit, nō de præſenti, ſcribo, vt erat dicēdum. Chryſoſtomus hæc verba refert ad characterum qualitatem, id eſt deformitatem; eo quod non pulchros pingeret characteres. Alij verò interpretātur, qualibus literis, id eſt quā libere, & aperte.

B. Hieron. in cap vlt ad Gal. tom. 9.

Chryſoſt. ibidem, circa ſin. tom 4.

Loci, vnde ſcriberet, cur Paulus meminiſſet.

Poſtremò deſignari ſolet locus, ſiue ciuitas, vnde ſcripſit. Quod nō puto eſſe negligendum; quia ex loci deſignatione, vnde ſcribitur, poſſit, & ſoleat in primis agnoſci epiſtola vera, & legitima, & minimè conficta, cum illis, ad quos ſcriberet, ex publica fama conſtare poſſet, Paulum eo tempore ibidem egiſſe, & prædicaſſe, cum apud nos confictæ, & ſuppoſititiæ haberi ſoleant illæ literæ, quæ certum locum, vnde ſcribūtur, non detegunt. Deinde non exiguus fructus ſolet percipi, quod attinet ad ipſius epiſtolæ clariorem intelligentiam, ſi illi qui literas accipiunt, notam habeant ciuitatem, ex qua mittuntur. Solet enim plerumque de loco illo verba facere, aut de fructu, qui in ea, ſua præſentia, aut prædicatione colligitur. Quare operæpretium erit, aut ex Latinis, & Græcis ſimul codicibus id noſſe; aut vbi Latini id ſupprimunt, ex Græco, vel ex Syriaco volumine venari. Certè epiſtola ad Romanos in Græcis exemplaribus ita habet: Scripta fuit à Corintho, per Phœben miniſtram Cenchreenſis Eccleſiæ: quam ſubſcriptionem veram eſſe docent, quæ cap. 16. de Phœbe baiula literarum, & Cenchreenſis Eccleſiæ miniſtra tradit Apoſtolus. Porrò Cenchreæ, pagus eſt Corintho vicinus, ex quo nauigari poteſt. Idem probat quod addit: *Salutat vos Caius hoſpes meus, & totius Eccleſiæ.* Porro ad Corinthios epiſtola miſſa fuit è Philippis per Stephanam, & Fortunatum, & Achaicum, & Timotheum. Quæ ſubſcriptio ex eo vera comprobatur, quoniam illi ab Eccleſia Corinthiorum miſſi fuerant cum literis ad Paulum, vt interrogarent eum de matrimonio, & virginitate, de idolothytis, de cœnæ Dominicæ celebratione, de reſurrectione, & quibuſdam alijs. Vnde propè finem epiſtolæ ſcripſit: *Gaudeo autem in præſentia* (vel de aduentu) *Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam id quod vobis deerat, ipſi ſuppleuerunt. Refecerunt enim & meum Spiritum, & veſtrum.* Illi enim qui ſunt ex familia Chloe, qui renunciauerunt Paulo diſſidia, & contentiones Corinthiorum, & quos à principio nominibus ſuis diſtinctis non expreſſit, ne eos in odium eius familiæ efferaret, cum Timotheo ad Paulum venerant: quos Paulus cum literis, & eorum commendatione ad Corinthios remiſit. Poſterior ad Corinthios talem habet ſubſcriptionem in Græco textu: *Ad Corinthios ſecunda miſſa fuit à Philippis Macedoniæ per Titum, & Lucam*: quod verum eſſe comprobat id, quod Apoſtolus in eadem epiſtola ca. 8. eorum meminit. In epiſtolæ ad Galatas coronide ita ſcribitur: *Ad Galatas. Miſſa fuit è Roma. etſi Latini eam ex Epheſo miſſam teſtentur, quia videtur tunc liber, & ſolutus à vinculis ſubſcripſiſſe: & memorat ſua ſtigmata, non vincula, & propria manu illam exaraſſe.* Prior tamen ſententia præualere videtur, quia ita habent Græca ſcholia in argumento epiſtolæ ad Galat. præfixo: atque eam ſequūtur Chryſoſtomus, & Theodoritus. Epiſtola ad Epheſios in fine ſic habet: *Scripta fuit ex vrbe Roma ad Epheſios per Tychicum: cuius ipſe meminit prope finem cap. 6.* ¶ In illa verba ad Philippen. habetur: *Scripta eſt ab vrbe Roma per Epaphroditum, quem ipſimet Philippenſes ad eum Romæ vinctum miſerant cum literis, & eleemoſyna, vt Paulum ſubleuarent.* ¶ In coronide epiſtolæ ad Coloſſen. ſcribitur: *Scripta ab vrbe Roma per Tychicum, & Oneſimum: de quarum literarum baiulis facit mētionem cap. 4. eiuſdem epiſtolæ, dicens; Quæ circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus chariſſimus frater, & fidelis miniſter, & conſeruus in Domino: Quem miſi ad vos ad hoc ipſum, vt cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra, cum Oneſimo chariſſimo, & fideli fratre qui ex vobis eſt.* ¶ In priori ad Theſſalo. Græcus codex habet: *Ad Theſſalonicenſes prima ſcripta fuit ex Athenis, & vt puto, per Timotheū, vt in principio 3. capitis tradit.* Secunda, ex eodem loco miſſa eſt, vt in Græcis habetur codicibus, etiamſi apud Oecumenium in argumento illi pręfixo habeatur, hanc vrbe Roma ſcriptam. Sed prius eſt mihi probabilius ob autoritatem Theodoriti, & quia vinculorum ſuorum in illa non meminit. ¶ Prior ad Timotheum habet Græcam ſubſcriptionem: *Scripta fuit ex Laodicea, quæ eſt metropolis Syriæ Pacatianæ.* Poſterior ad eundem manifeſtè ex vrbe ſcripta fuit, vt ipſe in epiſtola indicat, cum ait ſibi inſtare mortem

Idem vbi ignoratur, vnde conſtare potuit.

Cenchreæ quid. *Rom 16.* **Quis ille fuerit Caius, cuius facit ad Rom. Apoſtolus mentionem.**

1. Cor. 16.

Supra. c.

Gal. 6.

Chryſoſt. in prologo ſuper epiſtol. B. Pauli tom 4. initio.

Theodor p. 2. in præfatio. in principio.

Epheſ. vlt.

Ibidem. 13.

Coloſſ 4.

1. Theſſ. 3.

Oecumen.

B. Theodo. par. 2.

tem proximam. Et subscribitur Græcè: *Scripta è Roma ad Timotheum secunda, cum Paulus iterum sisteretur Cæsari Neroni.* ¶ Ad Titum epistola missa habet in Græco: *Scripta ex Nicopoli Macedoniæ.* ¶ Porrò epistola ad Philemonem manifestè se prodit scriptam ex vrbe Roma, & missam per Onesimum seruum. ¶ Ad Hebræos epistola habet in Græco: *Scripta ab Italia per Timotheum*: quod etiam ipsa epistola indicat per Timotheum missam, & quia vincula sua commemorat, & quia in extremis verbis habet: *Salutant vos de Italia fratres. Gratia cum omnibus vobis. Amē.* Et hactenus dictum sit de partibus, quibus epistolæ Pauli constant.

2. Tim. 4.

Heb. 13.

DISPVTATIO VI.

De modis argumentandi Apostolo familiaribus.

Quo maxime contenderit Pauli doctrina

Qvoniam Apostolus totus fuit in Christo statuendo, & diuinæ gratiæ necessitate explicanda, & per contrarium in Mose abolendo, & lege eius abroganda, & in naturæ humanæ corruptione & imbecillitate declaranda, idcircò ad hunc scopum lector collimare debet, si eius verum sensum consequi velit. Ait enim Hieronymus in proœmio epistolæ ad Galatas: *Nullus quidem Apostoli sermo est, vel per epistolam, vel præsentis, in quo non laboret docere antiqua legis onera deposita, & omnia illa, quæ in typis, & imaginibus præcesserunt.* Hæc ille. Quare mirari non debemus, si tantopere Christum repetit, & inculcat, etiam præter vllam quodam modo occasionem, quātum nobis videtur, oblatam: & totam legem, & ceremonias eius, ad spiritualem referr intelligentiam: & frequenter differit de Israele, qui est secundum carnem, & de Israele, qui est secundū promissionem; & de Iudæo in spiritu, & in littera; de carnis, & cordis circumcisione, de lege literæ, & spiritus; de lege peccati, & lege spiritus vitæ; de interiori, & de exteriori homine: de veteri homine exuendo, & nouo induendo; de filijs promissionis, & benedictionis, & de filijs secundum carnē: de Nouo, & Veteri Testamento. Denique hic vnus totam legem veluti sol quidam illustrat, & viuificat; vt iam nihil carnale, vel temporale, sed spirituale, & æternum spiret. Et quoniam in oratoria palæstra confirmatio magnam vim habet ad persuadendum quod volumus, maximè si coniuncta sit cum eorum, quæ in contrarium objiciuntur, confutatione: in diuinis Pauli scriptis attentè inspiciendum, vnde argumenta, quibus aliquid confirmat, aut infirmat, petere consueuerit.

B. Hieron. tom. 9.

1. Cor. 10. Rom. 9. Supra. 2. Ibid. 28. Infra 8. Ibidem. Supra 7. Ephes. 4. Rom. 9. Gal. 4. Qualem Paulus Moysi legem reddiderit.

Vnde sumeret Apostolus argumenta. I. locus.

Assumit igitur argumenta, ad hæc comprobanda, vt plurimum ab Scripturis, quæ solidę sunt autoritatis: atque illis egregiè disputat ad quoduis persuadendum in sensu literali; siue Messiam probet Filium Dei, ad quod tot locos producit ex verbo Dei ad Heb. 1. siue cum docet, iustificationem à fide proficisci exemplo Abrahæ, & testimonio Prophetæ, Iustus ex fide viuit.

Rom. 4. & seq. & Gal. 3. & seq. Hab. 2. Rom. 1. Gal. 3.

Illud tamen diligenter animaduertendum, cùm aliquid assumit ex Scripturis, integrum verborum textum non ponere, sed ea tantum, quæ ad propositum suum spectaut, reliquis suppressis: vt annotatum ex Origene alio loco reliquimus. Adde, quòd quæ citat ex Veteri Testamento, magis ex Septuaginta interpretum versione (quorū sententias eisdem penè verbis allegat) quā ex Hebræis fontibus testimonia profert, vt etiam est alibi comprobatum. Et hoc intellige etiam in ipsa ad Hebræos epistola, vt inde accipi possit, non Hebraicè, sed Grçcè esse conscriptam.

Orig. in c. 6. epist ad Rom. lib. 5. ante med. tom. 2. Idem Septuaginta interpretum lectionem ferè sequitur.

Alter locus.

Quandoque tamen ex mystico sensu argumenta deducit, præsertim agens cum fidelibus. Nam etsi eiusmodi argumenta apud Iudæos refractarios, & infideles firma, & solida non sint: apud Iudæos tamen ad Christum conuersos suam & probabilitatē, & firmitatem habent: maximè illo principio posito, legem esse vmbram futurorum bonorum, & omnia in figura illis contigisse. Vnde solidè deducimus, Christum esse verè agnum, & verum serpentem in cruce exaltatum, & verum manna: & Apostolos esse boues illos, de quibus: Non alligabis os boui trituranti. Sapientes etiam nō semper demonstrationibus agūt, sed etiam probabilibus, & topicis rationibus vtuntur: quæ interdum apud simplices solent esse plausibiliora argumenta, quod facilius illis, & suauius erudiantur. Hinc raræ sunt Paulo allegoriæ, nisi nonnullis in locis, in quibus aliquid producit, & simul interpretatur ex Veteri Testamento. Hinc Augustinus lib. de opere monachorum: *In more est Paulo apertius differere, & magis propriè, quā figuratè loqui.* Sic ille. Sæpe etiam non contentus vno, vel altero testimonio, plura producit; cùm tamen vnū satis esset. Quod consulto factum est, nimirum vt nobis explicet Scripturas, & illas peruias, ac dilucidas reddat: vt cum ad Roman. 15. de vocatione Gentium edifferit, quinque locos Scripturarum producit.

Heb. 10. 1. Cor. 10. Ioan. 1. Infra 3. Num. 21. Exod. 16. 1. Cor. 9. Deut. 25. Allegoriæ cur apud Paulum rationes.

B. August lib. de opere monach. c. 2. sub initium. tom. 3. procul à med.

Psal. 68. Psal. 17. Psal. 116. Esa. 11.

III. locus.

Tertio, interdum agit ad hominem dictis Poetarum, vt facilius reuincat, aut vt

Idem cur interdum vtatur testimonijs Poetarum. Act 17. 1.Cor. 15. Tit. 1. Act 17. Clem. Alex. lib 6. Strom. remotius à princip.

Paganis plausibiliorem suam reddat orationem. Qua ratione sententias Arati, & Menandri, & Epimenidis, loquens cum Atheniensibus, & Corinthijs, & cum Tito de Cretensibus, allegauit. Imò etiam à testimonio aræ inscriptæ Ignoto Deo, non abhorruit etiam apud Doctissimos Areopagitas. Quin etiam, vt autor est Clemens Alexandrinus libro Stromatum, auditores suos qui erant ex Gentibus, quò citius persuaderentur, ad Sibyllam de Christi mysterijs aperte loquentem, mittebat.

IV. locus.

Quartò, rationibus multis suas sententias munire solet, acceptis, vel ex his, quæ natura constant, vt cum docet, mulierem velato capite preces fundere debere: vnde dixit, *Vos ipsi iudicate, Decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: Mulier verò si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Et cum prohibet ne mulieres in Ecclesia doceant: *Turpe est enim*, inquit, *mulieri, loqui in Ecclesia:* vbi à natura honestatis argumentum petit. Vel ex his quæ communiter euenire solent: vt facit, cum de testamento disserit, quod tamen in mortuis confirmatum tantum esse tradit ex hominum more, vt docet ad Hebræos: & ad Galatas, testamentum hominis docet neminem spernere, aut superordinare. Solet etiam, cum pluribus rationibus aliquid astruit, postremo loco fortiores ponere, & Nestoris instar (teste Quintiliano) firmiora rationū præsidia in prima, & postrema acie collocare. Annotauit hoc Chrysostomus in priorem ad Corint. Nam cùm deterreret homines ab idololatria, & multis vijs id persuadere niteretur; demùm sermonem his verbis absoluit, *An æmulemur Dominum? Nunquid fortiores illo sumus?*

1.Cor. 11. — Infra 14. — Heb. 9. — Gal 3. — Firmiora rationum præsidia vbi Paulus disponeret. Quintil. lib 5. c. 12. non procul à prin. Chryso. ho. in prio ad Cor. 24. circa med. tom. 4.

V. locus.

Quinto loco, consuetudinem, vt telum fortissimum contra refractarios obijcit, dicens: Si quis videtur contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei. Vbi aduerte, Apostolum argumentari à consuetudine eorum, quæ Ecclesia nō faciebat; quam proculdubio vincit Ecclesiæ consuetudo faciendi, quanto affirmatio solidior est negatione. Sicut etiam in eadem epistola argumentum capit à more mortuos baptizandi, cùm ait: Alioquin quid facient qui baptizātur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis? Quod si Paulus à consuetudine paucorum annorum, & ab eo quod Ecclesia aliquid nō faceret, solidè argumentatus est: quanto magis nobis aduersus Hæreticos, & pertinaces in suis proprijs inuentionibus, petere efficacia argumenta licebit, & à consuetudine mille, & quingentorum annorum, & ab eo, quod ipsa faciendum esse obseruauit?

1.Cor. 11. — Infra 15. — Argumenta ab Ecclesiæ antiqua consuetudine.

VI. locus.

Vrget etiam exemplis Sanctorum Veteris Testamenti, cùm ad virtutem fidei, vel patientiæ, vel obedientiæ adhortatur: sed nullo magis frequenter, quàm Christi Domini, qui illustrissimum fuit omnium virtutum exemplar. Interdum etiam suo vrget auditores exemplo, dum ait: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi:* non audens simpliciter se proponere in aliorum exemplum, sed cum illa restrictione.

Quale Christus sit exemplar. — 1.Cor. 11. Pauli modestia.

VII. locus.

Vsurpat præterea argumentum ad impossibile, vel absurdum deductum, siue ab absurdo & inconuenienti, & è contrario à decoro & conuenienti ratiocinatur: vt etiam annotauit Chrysostomus: *In plerisque locis*, inquit, *Paulus id, quod non est, perinde ac sit, exempli gratia ponit, quod in superiectionibus ferè solet. Vt cum ad Galatas scribens, si nos, aut Angelus de cælo nuntiauerit*, inquit, *aliud vobis quàm ego, anathema esto: quanquam nec ipse, nec Angelus fuerit id facturus: sed vt rei magnitudinem ostendat ponit quod futurum non erat.* Idem illud est: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Hæc enim tā insignia, & heroica diuini amoris argumenta absq; charitate, & quidem insigni non fiunt. Item alibi ait: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neq; Angeli, neque principatus, neque virtutes, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quanquam nullus Angelorum, aut principatuum tale quicquam esset attentaturus vnquam.* Cùm etiam ad Corinthios comprobat resurrectionem, eodem modo argumentatur: *Si autem Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est?* Ponit enim hæc ratio, quòd quæ in Ecclesia prædicantur ab Apostolis, vt articuli Fidei, falsa esse nequaquam possunt. Et subdit: Si autem resurrectio mortuorum non est; neque Christus resurrexit: quod tamen erat falsum, & impossibile. Et addit: *Si autem Christus non resurrexit; inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra. Inueniuntur autem & falsi testes Dei*, & quæ sequuntur. Adhæc familiaris esse solet Apostolo modus argumentandi à comparatione, siue collatione: tùm quòd perspicuus est, tùm etiam quod valdè efficax. Nam 1. Corin. 13. Charitatem confert cum cæteris donis, quæ vocat charismata, etiam cum fide, & spe, & illam cæteris præstare, atque excellere docet. Deinde 14. c. sequenti multis argumentis ostendit donum prophetiæ excellentius esse, &

Chrys. ho. 31 in prio. ad Cor. paulò longius à princ. tom. 4 — Gal 1. — 1.Cor. 13. — Rom. 8. — 1.Cor. 16. — Ibidem 13. — Ibidem 14.

nobilius quam sit donum linguarum. Et 1. Cor. 7. Virginitatem, siue cœlibatum confert cum matrimonio, & probat à fructibus vtriusque præferendam virginitatem coniugio, & viduitatem secundis nuptijs.

Nonnunquā Apostolus ab Scripturis negantem argumentandi rationem adhibet.

Non dissimulabo, quòd interdum videtur Apostolus argumentum quoddebile & infirmum habere apud Dialecticos, vsurpare, nempe ab autoritate Scripturarū negatiuè. V.g. Hoc non habet Scriptura, aut illud suppressit; ergo non est vt verum asserendum: quæ argumentatio futilis est, ac parum solida. Simili enim ratione hæretici argumentantur: Scriptura nunquam vsa est voce Homusij, ergo non est de Filio Dei asserendum, quod sit Patri homusios. Ita Lutherus: *Nullibi, ait, in Scripturis inuenimus liberum arbitrium, nomen satisfactionis, aut purgatorium, aut indulgentiæ vocem: Falsa igitur sunt dogmata, quæ nos de illis stabilimus*: quæ inualida sunt argumenta: vt Catholici ostendunt.

Eadem argumentandi formula hæretici in quibus vtuntur.

I. locus. Et tamen Apostolus Paulus in vna, & eadē epistola ad Hebræ. quater hanc rationem argumentandi vsurpauit: bis. c. 1. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Id est: Quòd Pater tantam Filij Dei dignitatem Angelo tribuat, in Sacris literis non inuenitur. Deinde in fine capitis subiungit: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquādo, Sede à dextris meis, &c.* quæ per omnia priori similis est disputandi ratio. Arguit enim negatiuè, nunquam dictum Angelis: *Sede à dextris meis*. Tertius locus est cap. 11 vbi habet: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. Id est: Nullo in loco Scripturæ legi potest, quod Deus Angelum assumpserit. Quartò cap. 7. de Melchisedec ex his quæ Scriptura non habet, argumentum ducit, cùm ait: *Hic enim Melchidec, Rex Salem, Sacerdos Dei summi, &c.* primum quidem qui interpretatur Rex institiæ, deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimulatus autem filio Dei, manet Sacerdos in æternum, &c. vbi apertè agnoscitur ex eo quod scriptura suppressit, petitum esse argumētum: nam neq; ille erat sine patre, aut sine matre, vt docet Epiphanius, neque sine genealogia, neque sine initio dierum, aut fine vitæ, si homo fuit, vt erat, & non Angelus, vt quidam Hæretici somniarunt.

Heb. 1. *Psal. 2.* *II. locus.* *Psal. 109.* *III. locus.* *Heb. 2.* *IV. locus.* *Infra 7. Gen. 14.* *B. Epiphan. in hæresim 55. & alibi.*

I. Ratio. Confirmatio Apostolicæ Argumentationis illius.

Sed dicendum est, argumenta Apostoli solida esse, & firma, argumētationes autem Hæreticorum, quibus nos adoriuntur, infirmas esse ac vanas. Atque illud primum duplici ratione ostendo: cum enim Apostolus ad Thessalonicen. scripserit: *State, & tenete traditiones quas didicistis, siue per epistolam nostram*, sanè indicauit non minus esse firmum verbum Dei quod habet traditio, quàm quod Scriptura prodit. Vnde ipse interdum citat verba Domini non scripta, vt illud; *Beatius est magis dare, quàm accipere*; & meminit Iannis & Mambre, qui restiterunt Moysi; & de Moyse Hebr. 12. *Exterritus sum*, inquit, *& tremebundus*; Et illud, *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Hæc enim omnia nequaquam ex Sacris literis, sed ex traditione viua accepit Apostolus. Ita vt cùm dixerit: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, &c.* &, *Ad quem Angelorum dixit aliquando, Sede*, aut, *Nusquam Angelos apprehendit*, non expresserit se de sola Scriptura loqui. Non enim dixit: Cui enim aliquando Angelorum in Scripturis dictum est, aut, Nusquam in Scripturis dicitur, quòd Angelos apprehenderit, sed excludit tam Scripturam, quam traditionem, in qua poterat aliquod verbum Dei contineri, vt probatum est.

2. Thess. 2. *Act. 20.* *2. Tim. 3.* *Heb. 12.* *Ephes. 5.*

II. Ratio.

Secundo possumus & aliter respondere, & tueri argumenta Apostoli tanquam firma, dicendo, satis esse Scripturum tales dignitates Angelis nūquam tribuisse, quia illis minimè conueniebant, quemadmodū dignitates, & excellentiæ Dei; vt quòd sit immortalis, æternus, creator, & gubernator mundi, nequaquam falsis dijs, aut illis qui participatione sunt dij, tribuuntur, nec illis possunt quoquomodo conuenire. Et qui argumentaretur, eiusmodi perfectiones nunquam tribui falsis, aut participatione dijs, sed vni soli vero Deo, solide quidem argumentaretur, & efficaciter, etsi ex negatione Scripturarum, quę hoc alijs dijs nō tribuunt, argumentum duceret. Quod si quis contendat, Angelo conuenire nomen Filij Dei in singulari, aut illi dictum, Sede à dextris, & Deum Angelos apprehendisse, onus subire debet hoc ipsum probandi ex Scripturis. Nec enim tanta veritas, quanta est Deum assumpsisse Angelum, & illum esse Filium Dei, & Messiam, & Redemptorem nostrum, nobis in Scripturis celanda erat, sed potius aperienda, & detegenda, & inculcanda, vt Redemptorem nostrum agnosceremus, & illi salutem nostram acceptam referremus, illumque debito cultu, & laude, & gratiarum actione prosequeremur. Ad hunc enim scopum præcipuè designandum Scripturæ omnes texūtur. Quēadmodum nunc Iesu Filio Dei, & Filio Virginis, hoc est Deo, & homine, existente mediatore, & Saluatore nostro inconueniens, & absurdum fuisset, si has dignitates, & perfectio-

Soli Deo, non Angelis, aut dijs falsis quæ competant.

Filij Dei prærogatiua.

Finis Scripturarum potissimus.

fectiones Scriptura siluisset, cum Scripturæ tum Veteris tectæ, tum Noui Testamenti apertę hoc ipsum centies nobis repetant, & inculcent, vt eum tanquam Deum, & Dominum nostrum agnoscamus, atque in eo proram, ac puppim salutis nostræ collocemus.

Hæreticorum illæ ab Scripturis argumentationes nihil euincere, duplicitèr.

Quòd verò Hæretici malè ratiocinentur, & ex negatiuis inferant multa contra fidé, ex eo est, qui traditionem non agnoscunt, in qua multa præter scripturas nobis credenda, aut agenda traduntur; aut sanè in eo peccant, quod negent aliquid contineri in Scripturis, nisi id, vt ita dicam, formaliter sit expressum. Nam plerumque etsi nomina, & voces non inueniantur, satis est res ipsas alijs verbis æquipollētibus tradi. Nam quid est aliud Homusion, nisi, *Ego & Pater vnum sumus*? Et facultatem liberi arbitrij multis alijs verbis expressit in Sacris literis Spiritus sanctus. Ita dicendum de Purgatorio, de Indulgentia, de satisfactione, & reliquis quæ molestè ferunt Hæretici, non ad res ipsas, sed ad voces tantum imprudenter spectantes.

Homusion esse Patri Filium vnde cōstet.
Ioan. 10.

Iam de Melchisedec dicendum: quia enim in Scripturis moris est virum aliquem magnum, aut Prophetam non introduci sine eius genealogia, vt docet Augustinus his verbis: *Non solet duces nominare Scriptura, cum constituuntur nisi commemorata etiam origine parentum.* Et cum Melchisedec Rex esset, & summus Dei Sacerdos, & tantus vir Abrahæ seculo, qui decimas ab eo accepit, & illi benedixit, videri poterat præter modum, & consuetudinem Scripturarum factum, vt eius progenitores non enumerentur: quod admirationem aliquam lectoribus parere poterat. Nam si casu id accidisset, vt Moses proximus scriptor eorum mentionem non fecerit, quia oblitus sit, aut ignorauerit; Deum tamen, & Spiritum sanctum remotum, ac primarium Scripturæ diuinæ autorem, in quem non cadit ignoratio, aut obliuio, asserendum est id certo prouidentiæ suæ consilio omitti voluisse, etiamsi id Moyses non ignoraret, vt ita daretur locus Apostolo designandi Dei filium, qui solus est sine patre, & sine matre, & sine genealogia, & sine principio, & vitæ fine. Et ita efficaciter argumentatur Apostolus, & rationem propter quam id suppressit Spiritus sanctus, Paulus nobis aperuit.

B. Aug lib 7. q in lib. Iudi. c. tom 4.
Gen 14.

Diuina circa Scripturā Spiritus sancti prouidentia.

Ex quo etiam argumentandi modo & nos non sine magna probabilitate colligimus, B. Virginis parentes Ioachimum & Annam suppressos esse in Euangelio, cum tamen aliorum inferiorum hominum progenitores describantur; vt eo silentio nobis Scriptura indicaret, Deiparam Virginem non esse nobis vt Adæ filiam considerandam, quæ peccato originali fuerit infecta, sed vt Matrem Christi, & Dei genitricem, quod frequenter inculcant Scripturæ, & ipsam omnis peccati vel originalis expertem, & immunem insinuant,

Mariæ virginis progenitorem cur taceant Euangelia.

Consueuit etiam Apostolus ambiguitates, & quæstiones alijs nodis, & maioribus quæstionibus inuoluere per interrogationem, vt auditorem magis vrgeat, ac deprimat, & persuadeat diuina ab hominibus comprehendi non posse. Vt cum ad Rom. 9. ait: *Dicis itaque mihi, Quid adhuc queritur? voluntati eius quis resistit? O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, &c.* & ad Rom. 11. post disputationem ait: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c.*

Difficiles sæpe Apostolus quæstiones difficilioribus alijs cur soleat implicare.
Rom. 9.

Solet etiam tacitis obiectionibus frequentissimè occurrere, vt rectè annotauit Hieronymus ad Hedibiam: *Paulus*, inquit, *solet, quicquid alius obijcere potest per* Ἀνθυποφορὰν, *quam Quintilianus vocat Subiectionem, antequam obijciatur, edisserere, Vt: Nunquid repulit Deus plebem suam quam præsciuit? &, Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit.* Infra: *Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus qui infert iram? (secundum hominem dico) Absit.* Et cum in secunda ad Corinthios dixisset: *Deo autem gratias qui semper triumphat nos in Christo Iesu* (id est triumphare facit) *& odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, poterat aliquis obijcere*: Quomodò ergo non omnes credunt? priusquam interrogaretur, soluit, dicens: *Quia Christi bonus odor sumus Deo in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt. Alijs quidem odor mortis in mortem; alijs autem odor vitæ in vitam.* Et cum ad Roman. 1. scripsisset: *Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent*, & vidisset sibi contradici posse, vnde Gentiles veritatem Dei cognouerint: subintulit: *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis reuelauit.* Et quomodo manifestauerit, cum Scripturas non haberent, subiungit explicando: *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas.*

Frequens in Paulo tacitæ obiectionis figura.
Hieron epist. 150. q 11. à med tom. 3.
Quint. lib. 9. c. 2. sub init.
Rom. 11.
Supra 3.
Ibidem.
2. Cor. 2.
Rom. 1.
Ibidem 19.
Ibidem. 20.

Moris est item Apostolo, si fortè in argumētatione quapiam alia necessaria inciderit quæstio, in eam digredi, & postea ad præcipuum scopum reuerti; magis curans ductum Spiritus sancti, quam Aristotelis regulas. Docet enim in lib. 8. Topicorum,

Aristotelica docendi ratio quædā à Paulo neglecta.

& in Sophisticis Elenchis, vt si in disputatione alicuius problematis, alterius obscuri problematis incidat quæstio, eam vt mittamus, ne alterum problemate altero perturbetur, & neutra explicationem accipiat disceptatio. Sed hoc non obseruat Apostolus, vt annotauit Theophylactus in cap. 11. prioris ad Corinth. explicans illa verba: *Probet autem se ipsum homo; & sic, de pane illo edat, & de calice bibat.* Vnde Oecumenius eadem edisserens verba: *De Dominica quidem cœna*, inquit, *erat ipsi sermo: sed quoniam in aliquem mysteriorum sermonem incidit, quadam verborum consequẽtia, quæ proposita sunt, recto ordine disponit. Nam is mos erat Paulo, quæcunque interim inciderent, aut interfererentur, disponere.* Hæc ille. Huius moris Apostolici exempla sunt manifesta. Paulus 1. Corint. 5. tractans de fornicario, multa interseruit de eius reductione, & resipiscentia: & postea ad eundem redit, cum ait: *Scripsi vobis in epistola: Ne commisceamini fornicarijs, &c.* Et cum 1. Tim. 3. multa disputasset de diaconis, & proximè de eorum vxoribus multa interseruisset, rursus ad eosdem diaconos redit, cum ait: *Diaconos similiter pudicos, non bilingues:* Et post multa dicit: *Diaconi sint vnius vxoris viri.* Simile quid facit in eiusdem epistolæ cap. 5. nam cum dixisset: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis*, interserit alia præcepta de castitate seruanda, & modico vino bibendo: & rursus redit ad id quod prius dixerat de non facilè admittendis ad ordinationem, subinngens: *Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quorundam autem sequuntur:* docens quomodo non sit peccatis alienis communicandum: quod acutè vidit, & annotauit Gregorius in li. Moral.

Theophylact.

Oecumen. c. 11. circa finem. 1. Cor. 11.

Eiusmodi digressiones in Paulo vbi licet obseruare.

I. locus. II.

III.

B. Greg. lib. 5. Mor. cap. 29. prope fin. to. 1. IV locus. *Tit. 1.*

Aliud exemplum fit ad Titum 1. *Sunt*, inquit, *multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores, maxime qui de Circumcisione sunt: Quos oportet redargui, &c.* & subdit: *Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta.* Quod dixit ex illis, non intelligas, Iudęis, de quibus proximè mentionem fecerat: nec enim Epimenides qui citatur, Iudæus erat: sed intellige de Cretensibus, de quibus à principio dixerat: *Huius rei gratia, reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas.* Et reliq.

Præterea, in docendo, Apostolus, quæ alterius sunt, vt plurimum in propriam personam transferre consueuit. præsertim si res sit molesta, ne auditorem perturbet. Vnde in prima ad Corinth. impugnans illorum dicta: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Et infrà: *Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri eius cui credidistis.* Et rursus infra: *Hæc autem fratres transfiguraui in me, & Apollo: propter vos, vt in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio.* ¶ Solet etiam personam inducere perfectorum, vt cũ ait: *Volo omnes vos homines esse sicut me ipsum.* Et alibi: *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Item alio loco vt perfectus ait: *Bonũ certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, &c.* Interdum verò etiam insipiẽtium partes sustinet, vt cum ait: *Cum essem paruulus, cogitabam vt paruulus, sapiebam, vt paruulus, cogitabam vt paruulus, &c.* Et paulò antè: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Et in cap. 7. ad Rom. multas personas induit docendi gratia, vt cum ait: *Sine lege peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mãdatum; peccatum reuixit:* Et infra: *Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Vbi Apostolus nunc personam agentis in lege Naturæ, nunc sub statu legis Scriptæ viuentis, nunc denique sub Christo, & gratia Euangelica degentis assumit, quò commodius doctrinam diuersorũ statuum nobis tradat. ¶ Non omittam etiã illud, Apostolũ in comprobãdo resurrectionis articulo non produxisse apparitiones factas mulieribus, quemadmodum nec Euangelista Lucas, qui sub eo conscripsit Euangelium, quas tamen alij tres Euangelistæ commemorant: sed peculiariter Paulus ab illis abstinuit, quod cum scriberet ad Gentes, illa tanquam parum firma testimonia accipere potuissent. Et hactenus de modis ab Apostolo adhiberi solitis argumentando.

1. Cor. 1.

Infra 3.

Infra 4.

1. Cor. 7.

Philip. 3. 2. Tim. 4. 1 Cor. 13.

Rom 7.

Ibid. 17.

1. Corinth. 15.

Matth. vlt. Mar. 16. & seq. Ioan. 20. & seq.

DISPVTATIO. VII.

De verborum & nominum delectu, quẽ Paulus obseruauit.

CIRCA dictionis cultum, & loquendi characterem, non admodum studiosus extit Apostolus, rebus ipsis maximis, & supra hominum captum positis intentus. Nec accusari potest Paulus ab aliquo, vt olim à Platone Demosthenes notatus fuit, tanquam θηρολέξης, & λογοδαίδαλος, id est verborum venator, & præclarus dictionum artifex; sed vulgaribus, & communibus, & protritis indifferenter est vsus, vt patria Cilix, apud quos rudis erat, & rustica lingua, & à solœcis-

Platonis de Demosthene iudicium.

Qualis Cilicum lingua.

cis-

cismis non admodum longè remota. Et vt Christi Apostolus verborum fuit contemptor, siue vt ipse testatur, sermone imperitus. Hinc pudendus Laurentij Vallæ error detegitur, asserentis Apostolum nulla alia re eminere, quam eloquentia; cum tamen ipsemet Paulus dicat; *Etsi imperitus sermone, sed non scientia*. Ex quo testimonio deducimus, Paulum sapientia magis eminuisse, & quam ipse loquitur inter perfectos. Sed hoc dictum ab homine Grammatico, vt temerè effusum accipiendum est, qui tantum externa orationis ornamenta & quærebat, & magni faciebat. Alij verò Theologi, & viri spirituales alia sine comparatione maiora in Paulo agnouere; vt ingentem charitatis virtutem, singularem, ac verè diuinam prudentiam, incredibilem scientiã, & patientiam inuictam: quæ omnia, & similia longè eloquentiam antecellunt. Sed vt ad Paulum reuertamur, voces, quæ in bono, vel quæ in malo dicuntur, consueuit pro alterutris vsurpare. Hinc de Romanis masculis, & fœminis, sexib. turpiter abutentibus, dixit; *Mercedem (quam oportuit) erroris sui in semetipsis recipientes*. Et ad Hebræ. *Omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem*: quibus in locis mercedis, siue retributionis voces pro supplicio iusto accepit. Quod nun ignorans Chrysostomus: *Solet Paulus*, inquit, *in malè significantibus rebus, bonis vti nominibus, & in bene malis. Vt exempli gratia; captiuitatis nomen malæ significationis nomen videtur: sed in bona eo Paulus hic verbo vtitur, In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Contra in re mala præclaro vtitur verbo: Regnauit peccatum. Atqui regni nomen laudabilius est. Itidem hoc in loco cum inquit, Saluus erit, nihil aliud quam supplicij incrementum significat, quasi dicat, ipse perpetuo in supplicio permanebit*. Idem expendens Gregorius Nyssenus in tractatione illius sententiæ Paulinæ: *Tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia*, in hunc modum scribit: *Ac nemo ad communem nominis subiectionis abusionem respiciens, vocabulum aspernetur. Solet enim sapientia magni Pauli ad id, quod visum fuerit, ad arbitrium suum verbis vti, & ad suæ sententiæ seriem atque complexum, verborum significationes adaptare, etiamsi ad alios quosdam intellectus consuetudo abusum dictionum trahat. Nam vnde sumpsit vsum verbi* ἐκένωσεν. *id est. exinaniuit seipsum; & illud, Gloriationem meam nemo inanem reddet: itemque Inanis facta est fides; &, Nec inanis reddatur crux Christi? Ex quo vsu hæc ad suum traxit sermonem? Quis item iudicabit eum, quod dixerit* ἱμειρόμενοι ὑμῶν; *id est cupidi vestri, & erga vos propensi? per quam dictionem amoris habitum & affectum ostendit; Quomodo per dictionem* περπερεύεσθαι, *id est perperam agere, & procacem ac temerarium esse, charitatem à superbia vacuam demonstrat? Studium item contentionis, ac vlciscendi cupiditas, quo pacto per verbum* ἐριθείας. *ab eo significatur? cum perspicuum sit omnibus, quod ex* ἐριουργίας, *id est lanificio,* ἡ ἔριθος, *idest, ancilla propriè quæ lanam tractat, ex ipsa Scriptura nominatur: atque exercitum, & studium lanæ, nomine* ἐριθείας *significare solemus. Attamen omissis frigidis etymologijs, quibus verbis ei visum est, animi sui conceptum exprimit, atque exponit. Etenim multa quoque alia, qui diligenter scrutatus fuerit, in scriptis Pauli deprehenderit, quæ non seruant vsui consueto; sed quæ per propriam quandam considerationem, ab eo consuetudinem nihil curante, pro arbitrio proferuntur. Hic igitur in hoc quoque loco subiectionis significatum alio sensu præter communes intellectus, à Paulo accipitur. Idque hinc demonstrari potest, quod neque in hoc loco subiectio inimicorum, quorum mentionem fecit, coactum quid, & voluntarium se habet, quemadmodum dixerint hi, qui consuetudini seruiunt: sed apertè per verbum subiectionis salus in ipsis declaratur*. Hæc ille.

1. Corinth. 11.
Lauren. Valla in proœm. lib. 4. elegantiarum.
1. Cori. 2.
Quib. ille rebus eminuerit secundum Patres.
Rom. 1.
Hebr. 2.
B. Chrys. homi. 9. in prio. ad Corinthi. paullò à med. eo 4.
2. Cor. 10.
Rom. 5.
1. Cor. 3.
Greg. Nyssen.
1. Cor. 15.
Philip. 2.
2. Corint. 11.
Rom. 4.
1. Cori. 1.
1. Thess. 2.
1. Cor. 13.
Rom. 2.
2. Cor. 2.
Gal. 5.

Varijs præoccupandi modis solet Apostol. obscuriorē suã sententiã explicare.

Frequens, & familiaris est B. Paulo phrasis, cum aliquid obscurius ac difficilius tractauerit, eius explicandi gratia subiungere: Dico autem, vel; Dico ergo: quasi diceret, Explico meipsum, vel Meam mentem apertius detego: quod non tantum Paulo proprium est, sed & ijs omnibus, qui alios docent & in genere, ac in confuso paullò obscurius aliquid dicentes, eo modo explicare solent. Quod vt exemplis illustretur, ecce illud: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*; id est, Explico intelligendum de Christo, & Ecclesia. Et ad Colossens. secundo, Hoc autem dico (id est, repeto, & declaro) vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Et ad Romanos: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ*: &, *secundum hominem dico*, id est, Humano more, & modo explico. Tale est illud; *Vobis enim dico Gentibus, quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus*, &c. Et ad Ephesi. *Hoc igitur dico, & testificor in Domino: vt iam non ambuletis*, &c. Et in epistola ad Romanos sæpè ait; *Dico ergo, Nunquid Deus repulit plebem suam?* &, *Dico ergo, Nunquid sic offenderunt, vt caderent? Sed dico, Nunquid non audierunt?* Interrogando enim, & respondendo explicare solet Apostol. mentem suam. Et 1. Corint. 1. *Hoc autem dico* (id est explico) *quod vnusquisque vestrum dicit, ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ*. Et cum dixisset, 1. Corinth. 10. *Si quis dixerit, Hoc*

Ephes. 5.
Coloss. 2.
Quid illud: Humanum dico; &, secundum hominē dico.
Rom. 6.
Supra 5.
Infra 11.
Ephes. 4.
Rom. 11.
Ibidem.
Supra 10.
1. Cor. 1.

continet, id est, sensus perturbationem, propter admirabilem sibi occurrentium rerum, earumque diuersissimarum copiam. Estque hic verborum ordo: Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis, mittit salutem, hoc modo videlicet: *Gratia vobis, & pax à Deo, Patre*, &c. Reliqua verò quæ interiecta sunt, & orationem perturbant, per parenthesim sunt legenda. Vbi vides, in vna, & eadem salutatione Hyperbaton, Parenthesin, & Eclipsin: quia illi sententiæ: *Gratia vobis, & pax*, deest verbum, quod supplendum est. ¶ Habet item Paulus frequentes verborum Eclipses, maximè quando cum indignatione loquitur. Solent enim qui excandescunt, non integrum proferre sermonem, vt illud, *Quos ego*, &c. Comicus.

Pauli salutatio ad Rom. 1. quomodo ordinanda.

Verborum defectus in Paulo etiam frequentes.

Virgil. libr. 1. Aeneid sub init. Terent. Rom. 9.

Quæ illam? quæ me? quæ non? &c.

Ad eum modum Apostolus, vt illis, qui insurgunt aduersus Deum, silentium imponeret, dixit: *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam*, &c. Vbi supplendum est aliquid, quod orationem impleat, nempè nō habet homo, quod iure queratur, &c. & ad Galat. 4. per Eclipsin dixit; *Estote sicut ego, quia & ego sicut vos*. vbi supplendum est aliquid, quo sensum reddat oratio: Estote sicut ego nunc sum æmulator Euangelij, sicut olim fui legis, & sicut nunc vos æmulatores estis. Et illud 1. Timoth. 1. *Sicut rogaui te, vt remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam*; necessariò requirit verbum, quo constet oratio; id est, sic exequere, vel, sic facito.

Gal. 4. Quomodo accipiendum sit illud. Estote sicut ego, quia & ego sicut vos.

1. Timoth. 1.

Habet præterea figuram Ἀνακόλουθον, siue Ἀναπόδοτον, quando videlicet disiunctis enūciationib. non reddit membra sua respondentia, vt par erat, sed alterum membrum prætermittit, vnde oratio redditur obscurior. Sed putauit Apostolus ab attentis lectoribus facilè subintelligēdum, quod deerat. Huius figuræ habemus exemplum ad Roman. 5. *Propterea, sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransijt*, Vbi supplendum est, vt quidam volunt: ita per vnum hominem iustitia intrauit in mundum, & per iustitiam vita. Hic tamen locus alibi à nobis diligentius pertractabitur. Sed ad hanc figuram non puto esse referendum, si quandoque aduerbio μὲν, non respondet alterum membrum δὲ, vt alio loco fusius dictum est, neque frequenter eadem sine necessitate sunt repetenda: satis est annotare, Demetrium Phalereum in libro Peri hermenas, id est, De elocutione, tradidisse, eius particulæ δὲ omissionem splendidiorem, & sublimiorem efficere orationem.

Quid sit hæc figura. Rom. 5.

Disput. 30. 2. lib. Lib. 1. Comm. in Euang. Prolegom. 10.

Demetri. Phaler.

Est & figura Gradationis, quæ Græcè dicitur Κλῖμαξ, qua non semel vtitur Apostolus. Vt Roman. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit*. Et cap. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit*, &c. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit*. Et rursus in epistola: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem credent sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* ¶ Vt interim supprimam alias sine numero figuras, quas suis scriptis interserit: vt Metonymiam, Apostrophon, Aposiopesim, id est, Reticentiā, Emphasim, Tapinosim, qua minus dicimus, quàm sit, Periphrasim, Amplificationem, & Epiphonema, & reliqua eius generis schemata: quæ, etsi sobriè, & loco, & tempore suo adhibita, orationem gratiorem, & illuminatam magis reddant; interdum tamen, cùm frequentiùs inculcantur, & sermonis lucem obnubilant, & orationis nitorem obscurant. Sed hoc Spiritui sancto per Paulum loquenti, & scribenti non præscribit: quia Spiritus qui continet omnia, scientiam habet vocis.

Roman. 5. & Iacob. 1.

Rom. 8.

Infra 10.

Alia eidem schemata quænam vsitatissima.

Sap. 1.

Expedit etiā illud animaduertere, quod Origenes lib. 6. in epistolam ad Romanos admonuit, cùm Paulus dicere solet: *Non solum*, & nihil subiungit, cui aptari queat, ad superiùs dicta esse referendum: quod exemplis illustratur. Nam Romano. 5. habetur: *Non solum autem* (scilicet gloriamur spe futuræ immortalitatis, de qua prior fuit sermo) *sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum*. Et capit. 8. *Non solum autem illi* (scilicet creatura in Christo renata ingemiscit) *sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus*. Et cap. 9. eiusdem epistolæ: *Non solum autem illa* (scilicet Sara filium promissionis habuit, vt superiora testantur) *sed & Rebecca ex vno* (*cō cubitum habens*) *Isaac patris nostri*, &c. Vides quomodo particula, Non solùm, semper referat superiora.

Origen. in ca. 8 & 9 epistol. ad Rom. pa. 2.

Rom. 5.

Infra 8.

Infra 9.

Genes. 21.

Infra 25.

Particula, *De cætero*, quæ dicitur, Τὸ λοιπὸν, frequenter apud Paulum deseruit ad finem epistolæ indicandum, Vt 2. Corinthior. 13. *De cætero fratres, gaudete*, &c. & ad Galat. 6. *De cætero nemo mihi molestus sit*: ad Ephesios 6. *De cætero fratres, quæcumque amabilia*, & quæ sequuntur. item 1. ad Thessalonic. 4. *De cætero ergo fratres, rogamus vos*, & reliq. Et in posteriori capit. 3. *De cætero fratres, orate*

Quem vsum habeat Apostolo hæc dictio. De cætero.

2. Corint. vlt. Gal. vlt. Ephes. vlt. Phil. 4. 1. Thessal. 4. 2. Thess. vlt.

pro no-

pro nobis, Et significat: Hactenus satis disputauimus; vel satis docuimus. Quod superest, siue, Quod reliquum est, gaudete, orate, vel orate, & reliqua. Hic ergo sermonis neglectus, & vocum peregrinarum vsus, & tanta troporum, & figurarum congeries, tam frequentes Hebraismi, tantus præpositionum, & coniunctionum abusus, quia per Catachresin, siue per Enallagen vna pro altera ponitur, denique interpretis durities, qui quædam minus propriè, quædam ἀπρεπῶς, & alia παρεμφατικῶς reddidit, in causa sunt, vt minus dilucida, & min' proprietatem seruans Pauli Apostoli oratio reddatur.

DISPVTATIO VIII.

De virtute Circumcisionis ad iustificandum, siue ad conferendam gratiam Circumcisis.

Vtilitas circumcisionis ex Paulo.

IN Controuersiam non vulgarem vocata est virtus, & efficientia Circumcisionis, quod attinet ad iustitiam, sine gratiam Dei conferendam. Nam & Apostolus multum illi tribuere videtur, cum ait ad Roman. secund. *Circumcisio quidem prodest, si legem obserues. Si autem præuaricator legis sis, Circumcisio tua præputium facta est.* Et capite tertio. *Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas Circumcisionis? Multum per omnem modum.* Si ergo seruanti legem, prodest, & multum vtilis appellatur; non est dubitandum, ad gratiam dandam contulisse. Adde quod capite quarto dicitur de Abrahã: *Et signum accipit Circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei*, id est, signum iustitiæ per fidem partæ.

Rom. 2.

Infra 3.

Infra 4. Genes. 7.

Per contrarium verò illi Paulus detrahere videtur. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Et infrà: *Nam in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur.* Et objicitur testimonium productum vltimo loco, quod Fidei tribuit iustificationem, circumcisioni verò, tantùm signaculum esse iustitiæ fidei. ¶ Patres quoque veteres in tradenda efficacia Circumcisionis, varij extiterunt. Nam quidam illi vim iustificandi tribuunt, alij verò ex opposito eam illi tribuunt, & parem quidem ipsi baptismo. Qui vt certius intelligantur, non grauabor eorum testimonia in medium producere. Iustinus siquidem martyr (vt ab hoc principium sumam) in dialogo contra Tryphonem: *Circumcisio*, inquit, *quam ab Abraham accepistis secundum Carnem, in signum, nobis discreti. Et vt soli ipsi patiamini, quæ nunc meritò perpetimini.* Et infrà: *Nam & ipse Abraham in præputio adhuc cum esset, propter fidem, qua Deo credidit, iustificatus est, & benedictione auctus, prout Scriptura indicat. Circumcisionem autem in signum, non ad iustitiam accepit, quemadmodum & Scriptura, & res ipsa nos fateri cogunt. Quocirca iure dictum est de populo illo, exterminatum iri animam eam ex genere suo, quæ non circumcidetur octauo die. Et quod genus muliebre circumcisionis carnalis capax non est, satis id ostendit, in signum datam circumcisionem istam, & non vt iustitiæ opus. Iusta namque & placita sibi, pulchraque omnia ex æquò, & fœminas seruare posse, efficit Deus.* Huic accedit Irenæus libro aduersus Valentinum: *Quoniam autem & circumcisionem, non quasi consummatricem iustitiæ, sed in signo eam dedit Deus, vt cognoscibile perseueret genus Abrahæ, ea ipsa Scriptura discimus. Dixit enim, (inquit) Deus ad Abraham; Circumcidetur omne masculinum vestrum, & circumcidetis carnem præputij vestri, & erit in signum testamenti inter me, & vos.*

Gal. 4.

Ibidem 6.

Duæ Patrum inter se oppositæ de circumcisione sententiæ.

I. opinio.

Iusti Mar. to. 4. circ princ. Leuit. 12. & alibi.

Abraham in præputio, fide iustificatus.

Genes 15. Roman. 4. & Gal 3 Iaco. 2. Gen. 17.

Iren li 4. aduersus Hæres. c. 30 in princ.

Genes. 17.

Adde his tertium Epiphanium contra Ebionæos: *Imò*, inquit, *neque enim perfecta prima circumcisio, sed signi gratia data est, & ad commonefactionem ipsorum postea, & propter hæsitationem ipsius Abraham, velut dixi, obiurgati, & figura gratiæ illius magnæ circumcisionis; quæ omnia secundum æqualitatem implet in his qui digni fiunt. Etenim si hæc sanctificationis gratia erat, & hæreditatis regni cælorum; ergo priuata est Sarra regno, & Rebecca, & Lia, Rachel, & Iochabeth, & Maria soror Mosis, & omnes sanctæ mulieres, & non poterunt esse hæredes regni cælorum, cùm non potuerint circumcisionem Abrahæ habere quam Deus ipsi dedit.*

Epiph in Hæres. 30. Ebion. circa fin.

Genes. 17.

Vim sanctificandi si habuisset circumcisio, quid consequeretur secundum Epiphanium.

Quartus sit Gregorius Nyssenus in libr. Testimoniorum, quibus Deum habere Verbum & Spiritum probat: *Quod neminem*, inquit, *circumcisio iustificet, ex his perspicuum est. Abraham incircumcisus seruiuit Deo. Primum enim visus est acceptus, & probatus esse: & tunc dedit ei circumcisionem. Atque illi item, qui spatio quadraginta annorum nati sunt in deserto, incircumcisi erant, & illi qui ab Adam vsque ad Abrahamum Deo placuerunt, & accepti fuerunt, similiter omnes incircumcisi erant.* Hunc sequitur Theodoritus in Quæstionibus in Genesin: *Quod si Iudæi gloriantur de circumcisione, certo sciant, quod non solus Patriarcha circumcisus est, sed etiam Ismael semiseruus, & Vernaculi, & Argyronitæ: similiter, & Idumæi, & qui ex Cetura orti sunt. Ægyptij quoque didicerunt ab Israelitis circumcidi. Non igitur circumcisio iustos reddit.*

Greg. Nyssen. circa ope is de med.

Theod. in Aporis q 67 parte 1. circ. prin. Genes. 17. Infra 28.

illi enim omnes tanquam impij à diuina Scriptura notantur. Ergo neq; Abraham circumcisio iustificauit, sed fides illum iustum declarauit, & illustriorem reddidit virtus. Circumcisio autem data est velut signum fidei.

Oecume. in c. 4. ad Roman. paulo ante med. seu c. 5.

Tribus de caussis data est circumcisio, teste Suida.

Adde Oecumenium in verba Apostoli: *Data est circumcisio, non vt iustitiam operaretur, sed vt sigillum esset, ac signum iustitiæ, quæ est per fidem.* Suidas quoque in verbo Circumcisio, ita habet: *Circumcisio Iudæis tribus de caussis data est: vt & signum esset fidei, & Abrahamici generis indicium, & symbolum, & ænigma vitæ puræ, & temperantiæ. Itaque non data est, vt iustitiæ effectrix, sed sigillum, & signum iustitiæ Abrahami ex fide.*

Tertull.

Genes. 2.

His accedunt Latini autores duo, qui instar erunt multorum. Primus sit Tertullianus lib. aduersus Iudæos, sub initium: *Si circumcisio purgat hominem, Deus Adam incircumcisum cùm faceret, cur eum non circumcidit, vel posteaquã deliquit, si purgat circumcisio? Certè in paradiso constituens eum incircumcisum, colonum paradisi præfecit.* Et paulò inferius: *Hac igitur Dei prouidentia fuit dandi circumcisionem Israel in signum, vnde dignosci posset, cum adueniret tempus, quo meritis suis suprà dictæ in Ierusalem admitti prohiberetur: quod & quia futurum erat, nuntiabatur, & quia factum videmus recognoscimus.*

Ambr. tom. 5. procul à med.

Quid crediderit Abraham Deo.

Genes. 15.

Alter est Ambrosius in capite quarto, ad Romanos. *Abraham cùm esset in præputio, credidit Deo. Quid credidit? Semen se habiturum, id est filium, in quo omnes Gentes iustificarentur per fidem in præputio, sicut & Abraham iustificatus est. Nam circumcisionem signum accepit iustitiæ fidei. Credens enim se filium habiturum, huius rei signum accepit, quam credidit, vt quid credens iustificatus sit, cerneretur. Non ergo circumcisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantum. Quod signum ideò accipiebant filij Abrahæ, vt scirentur eius filij esse, qui credens Deo hoc signum acceperat, vt æmuli essent paternæ fidei vt crederent in Iesum, qui promissus est Abrahæ.* Hæc ille satis eleganter.

Altera opinio.

S. Cyprian.

Enumerandi iam sunt Patres, qui aliter sentire videntur. Quos inter primus Cyprianus, De ratione Circumcisionis edissertens: *Sanè originale peccatum, quod à primis Patribus in totam generis huius successionem defluxit, omni tempore aliquibus remedijs oportuit expiari, licèt vim plenam significantiæ non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine. Et licèt Sacramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen & effectus eorum ignorari non poterat; quia ab Adam vsque ad Noe sacrificia Deo constat fuisse accepta. quæ vsque ad illud tempus sine legis distinctione diuinitus inspirata institutione primi hominis celebrarent.* Infrà: *Propter hoc cùm iam fidei tempora propinquarent, imperata est circumcisio; & pars illa corporis, in qua est voluptatum seminarium, & libidinis officina, iussa etiam in paruulis amputari, vt proprij primitias sanguinis, & qui totum sanguinem suum oblaturus erat, offerrent: & communia singulorum sacrificia singulare præcedent holocaustum.*

Cur olim in genitali parte fieret circumcisio.

August. lib. 2. de nup. & cõcup. c. 11. in fi. to. 7.

Rom. 4.

Secundus accedat Augustinus, qui libro de nupt. & concup. ad Valerium: *Ex quo,* inquit, *instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum iustitiæ fidei, ad significationem purgationis valebat, & paruulis originalis, veterisq; peccati, sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo est institutus.* Hæc ille.

Gratian. de consec. dist. 4.

B. Thom.

Cuius verba etsi Gratianus, & B. Thomas falsos codices secuti, *ad sanctificationẽ purgationis,* legerint, cum legendum esset, *ad significationem purgationis:* non tamen obstat sanctificationi eius: quia quod significabat, etiam efficiebat, id est, liberationem ab originali. Sed iam audi efficaciora testimonia:

Idem lib. 4. de Baptis. contra Donat. ca. 23. sub init. tom. eodem.

Act. 10.

Genes. 17.

Exod. 4.

Genes. 21.

nam lib. de bapti. paruulorum: *Veraciter,* inquit, *conijcere possumus, quid valeat in paruulis Baptismi Sacramentum, ex circumcisione carnis, quam prior populus accepit. quam priusquam acciperet, iustificatus est Abraham sicut Cornelius etiam dono Spiritus S. priusquam baptizaretur, ditatus est. Dicit tamen Apostolus de ipso Abraham: Signum accepit circumcisionis, signaculum fidei iustitiæ, quia iam corde crediderat, & deputatum illi erat ad iustitiam: Cur ergo ei præceptum est, vt omnem deinceps infantem masculum octauo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, vt ei deputaretur ad iustitiam, nisi quia & ipsum Sacramentum multũ valebat? Quod in filio Moysi per Angelum manifestatum est, qui cum adhuc incircumcisus à matre ferretur, præsenti, & euidenti periculo, vt circumcideretur, exactum est: & cum factum esset, depulsa est pernicies. Sicut ergo in Abraham præcessit fidei iustitia, & accessit circumcisio signaculum iustitiæ fidei: ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lauacro baptismi. Et sicut in Isaac, qui octauo suæ natiuitatis die circumcisus est, præcessit signaculum iustitiæ fidei; & quoniam patris fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa iustitia, cuius signaculum in infante præcesserat: ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis Sacramentum; & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conuersio, cuius mysterium præcessit in corpore.* In his cernere potes quantum tribuit Augustinus circumcisioni, & quomodo asserat ipsam per seipsam multum valere: quod est dicere, gratiam ex opere operato per illam exhibere. Idem etiam lib. contra Iulianum: *Nec opus est, vt anfractibus longis ea quæ concedo, mihi probare coneris: sed ad hoc responde, si potes, Cur ipso Isaac nisi baptisma-*

tis Chri-

Idem libro 3. contra Iul ca. 18. sub initio. eod tomo.

Idem ibidem circa finem.

tis Christi signo circumcisus die octauo fuisset, perisset anima eius de populo suo? Explica si potes, tanta pœna quo merito plecteretur, nisi ab hac illo Sacramento liberaretur? Et infrà: *Quid de Isaac dicturus es, cui quicquam nec possibile, nec impossibile est imperatum; & tamen perditionis animæ suæ pœna ferretur, si octauo die non circumcideretur? An verò nec sic tandem respicis illud primitus in paradiso datum possibile, ac facile fuisse præceptum, quo contempto atque violato omnes ex vno homine, tamen in massa originis commune illud habere peccatum, & hinc esse iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.*

Ecclesiast. 40

Idem lib 2 de pecc origin c. 30 in fin. eod. tom.

Genes 25.

Infra 35.
Infra 49.

Adhæc libro De peccato originali contrà Pelagium, & Celestium: *Quid enim mali, quæso, paruulus propria voluntate commisit, vt alio negligente, & eum non circumcidente, ipse damnetur, damnatione tam seuera, vt pereat anima illa de populo suo? Neque enim temporalis mortis terror incussus est, cum de iustis, quando moriebantur, tunc potius diceretur: Et appositus est ad populum suum, vel, Appositus est ad patres suos: quoniam deinceps homini nulla tentatio formidatur, quæ illum separet à populo suo, si populus eius, ipse est populus Dei.*

Gregor. lib 4. Moral cap. 2. paulò à med. tom. 1. circa princip.
Beda tom 7. inter med. finem.

Exod 19. & seq
Psal. 83.

Adde tertio Gregorium lib. Moralium in Iob: *Quod verò apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.* Beda quoq; venerabilis sermone De Circumcisione, circa principium: *Idem, ait, salutifera curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptismus agere reuelata gratia tempore consueuit; excepto quod regni cælestis ianuam necdum intrare poterant, donec adueniens benedictionem daret, qui legem dedit, vt videri posset Deus deorum in Sion: tantùm in sinu Abrahæ post mortem beata requie consolati supernæ pacis ingressum spe fœlici expectabant.* Hæc ille: quæ etiam in Glossa ordinaria ad Rom. 4. allegantur.

D. Bernard.

Esa. 9.

Hug. de S. Victo. li. 1. de Sacram. par 12. c. 2. prop. init.

Adde beatum Bernardum, qui in natali Sanctorum Innocentum scribit: *An verò de Innocentum coronis quis dubitet? Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptionis filios numerari? Alioquin quando coæuos sibi pueros, puer ille qui natus est nobis, non contra nos, propter se pateretur occidi? quod vtique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid eis prouideret, vt quemadmodum cæteris infantibus, tunc quidem circumcisio, nunc verò baptismus sine vllo propriæ voluntatis vsu sufficit ad salutem, &c.* His accedit Hugo de S. Victore lib. De Sacramentis: *Vt ostenderetur,* inquit, *Sacramentum Circumcisionis, non quemadmodum priora Sacramenta ad volũtatem propositum, sed ex necessitate exequendum, præceptum comminatione firmatur, cùm dicitur: Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit anima mea de populo suo. Caussa quoque subinfertur, cùm dicitur: Quia pactum meum irritum fecit. Si ergo per pactum Dei irritum factum præuaricationem primorum parentum intelligimus; cùm incircumcisus ob præuaricationem pacti periturus dicitur, manifestè datur intelligi Sacramentum Circumcisionis ad hoc institutũ, vt per ipsum homo à debito primæ præuaricationis liberaretur.* Hæc ille.

Genes. 17.

Supra 3.

Vides igitur quantum pugnent istorum testimonia contra eos, quos priori loco produximus? Sanè si rem ipsam acutius excutiamus, posteriores Patres probabilius videntur locuti, quia priores nihil tribuunt efficientiæ circumcisioni, quæ sine dubio remittebat originale: quod tamen rationabilius posteriores illi adscribunt. Sed profectò non minor pugna est inter Scholasticos Doctores, quibusdam illorum testantibus, per circumcisionem ablatum quidem peccatum fuisse, sed gratiam non conferri solitam: quod incredibile videtur, cùm peccata nonnisi per gratiam deleãtur, siue, quod idem est, à Deo non imputentur. Alij verò per contrarium & auferri peccatum originale, & conferri gratiam tradunt. Adde, quòd rationibus hinc inde pugnatur. Nam scribunt multi, gratiam conferri in circumcisione, tanquam per Sacramentum ex opere operato, Alij verò ex opere operante. Alij rursum per nescio quid medium inter opus operatum, & opus operans. Et quia hæc multis nodis inuoluta, & perplexa sunt, & lumen maioris explicationis desiderare vidẽtur, duabus assertionibus articulum istum expediam.

Sacrorum à schola Doctorum variæ opiniones de circumcisione.

Quod olim in circumcisione Iudæis gratia soleret cõferri.

1. ratio.

Secundo.

Tertio.

Genes. 17.

Genes. 25.
Infra 35.
Infra 49. 33.
& sæpè aliàs.

¶ Prima assertio sit: In circumcisione solitum Deum gratiam impertiri circumcisis ad liberationem à peccato originali in pueris, & in adultis, etiam ab actualibus, à multis traditũ & apertè confessum est. Hæc autem firmis probantur testimonijs illorum Patrũ, quos superiori loco attulimus. Secundò, ex concordi sententia vniuersæ penè scholæ; quæ etsi in modo impertiendi gratiam varia sit; in hoc vno tamẽ, quòd homines per illam iustificarentur, sunt concordes. Tertiò, ad rem maximè facit, quòd præceptum hoc non sine magnæ pœnæ cõminatione promulgatum fuit. Legimus enim Genesis capite 17. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Deleri autem de populo suo, nihil est aliud, quàm vitam æternam amittere. Vt enim sanctos piè morientes, legimus appositos

ad po-

Quid per pactum Dei irritum accipiant Patres.

ad populum suum, & appositos ad patres suos: ita perire, seu deleri de populo, non tam temporalem, quàm sempiternum interitum designat. Et sequitur: *Quia pactum meum irritum fecit.* Cùm autem quærimus hoc pactum per puerum irritum factum; non aliud sese offert, quàm illud pactum Adæ de non edendo ligno vitæ, quod fregit: & ideò vt ab eo liberetur, opus habet circumcisione. Ita hunc locum interpretati sunt Patres quidam, vt superius vidimus: quibus vnum aut alterum adiūgemus pro eo sensu corroborando. In primis igitur Augustinus libro, De ciuitate Dei: *Sic,* inquit, *intelligenda sunt hæc diuina verba, tanquam dictum sit: Qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de genere eius, quia testamentum meum dissipauit, quando in Adam cum omnibus etiam ipse peccauit. Si enim dixisset, quia hoc testamentum meum dissipauit, nonnisi de ista circumcisione intelligi cogeret. Nunc verò quoniam non expressit, cuiusmodi testamentum paruulus dissipauerit, liberum est intelligere de illo testamento dictum, cuius dissipatio pertinere possit ad paruulum.* Simili modo exponit libr. contra Iulianum Pelagianum. Accedat secundo loco Rupertus, qui libr. De Trinitate, & operibus eius: *Masculus, ait, qui supradictum fœderis mei signum non susceperit, id est, non circumciderit carnem præputij sui, ille fidem seminis tui negauit. Porrò sine fide seminis tui, quod est Christus, saluari impossibile est. Delebitur igitur anima illa de populis suis; id est, Non connumerabitur inter populos, quorum te patrem constitui. Quare? Videlicet quia pactum meum irritum fecit, id est, quia in Adam præuaricatus est, cuius tunc erat in lumbis, & nunc exortus præuaricationem illius, quàm tuam fidem sequi: & imitationem peccati, quàm expectationem seminis tui, suscipere maluit. Vnde enim inter Deum, & homines inimicitia, nisi quia primus homo pactum Dei in paradiso præuaricatus est? Ergo qui non accipit eius testimonium; per quem solum illæ inimicitiæ soluuntur, qui, inquam, non signatus est ante aduentum eius signaculo ipsius, quale nunc positum est, meritò perit pro eadem culpa primæ præuaricationis.* His adijcio Innocentium III. Roman. Pontific. qui titul. de Baptismo, & eius effectu, cap. Maiores Ecclesiæ causas, alludens ad præcepta Circumcisionis, & Baptismi, & ostendens esse quàm simillima, ait: *Sicut sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: Anima, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo: ita nunc indistinctè vox intonat Euangelica: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei: ab hac generalitate nec sexum, nec ætatem excludens. Cautè tamen notandum est quanto plus Baptismus hodie conferat Christianis, quàm quondam Iudæis circumcisio contulisset, dictum est in fine prædicta autoritatis inducta de veteri lege: Peribit de populo suo: in Euangelica verò veritate subiunctum est: Non intrabit in regnum Dei: quoniam etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur; non tamen perueniebatur ad regnum cœlorum, quod vsque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum, sed per Sacramentum Baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cœlorum etiam peruenitur, cuius ianuam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reserauit. Absit enim, vt vniuersi paruuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, remedium procurauerit ad salutem.* Hæc ille.

Genes. 2. Infra 3.

Augu. lib. 14. de ciuit. Dei, c. 27. circa fi. tom. 5.

Idem lib. 5. in Iulia. c. 14 tomo 7.

Ruper. Tuiti. lib. 5. de Trin. c. 33 princip. Gal. 3.

Vndenam inter Deum, & homines ortæ sint inimicitiæ. Genes. 3.

Innoc. III.

Genes. 17.

Ioan. 3.

Circumcisio minus olim Iudæis profuit, quam nunc Christianis Baptismus.

2. Pet. 3. 1. Tim. 2.

Simili modo hūc locum accipiunt Hugo de S. Victore, & Episcopus Abulensis. Alioqui caussa assignata præuaricationis cadere non deberet, nisi in eum, qui dicitur perire. Nec obstat lectio Septuaginta, quæ sic habet: *Et incircumcisus masculus, qui nō circumcidetur carnem præputij sui in die octaua, exterminabitur; & delebitur anima illa de genere suo: quia pactum meum dissipauit.* Similiter habet Chaldæus interpres, dicens: *Et masculus habens præputium, qui non circumciderit carnem præputij sui, peribit homo ille de populo suo: quoniam pactum meum irritum fecit:* quam lectionem sequitur Ambrosius in epist. ad Constantinum: Non, inquam, obstant ista: quia si sic esset legendum, non inuolueret, nisi adultos incircumcisos, non autem pueros: cùm tamen secundum nostram lectionem Latinam à Concilio Tridentino comprobatam omnes inuoluat tam pueros, quàm adultos. Et meritò quidem, quia superiùs de pueris etiam octo dierum fecerat mentionem: nam parentes putare poterant, nihil mali pueris euenturum ex eo, quod filiorum negligerent circumcisionem: & ipsi etiam non perirent parentes, si de negligentia, qua infantes suos non circumcidi curarent, pœnitentiam agerent. Et roboratur hic sensus ex modo quo datur lex Baptismi à Christo: *Nisi quis renatus,* inquit, *fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* quæ quidem lex ampla est, & omnes tam pueros, quàm adultos inuoluit. Quartò: quia in Euangelio testatur Dominus: *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium enim est regnum cœlorum:* & de illis dicebat, *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem.* Paruuli ergo per circumcisionem iustificari erant, & non per vllum opus proprium, vel aliorum qui aderant, vel offerebant, vt circumciderentur: quia vnus alteri ex condigno primam gratiam

Hug. de S. Victo. loco dicto. Abulē. Episc.

Ambr. lib. 9. epist. 77 circa fin. tom. 3.

Synod. Trident. sess. 5. circa fi.

Ioan. 3.

IV. ratio.

Matth. 19.

Infra 21. Psal. 8.

V. Ratio. Rom 2.

promereri, vel impetrare non poterat. Quintò accedit Paulus, dicens: *Circumcisio quidem prodest, si legem obserues.* Et intellige Apostolum loqui de statu, quem habuit, dū lex vigeret: nam tempore gratiæ nō solùm non prodest, sed etiam nocet, iuxta illud: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* At aliqoid prodesse non dicitur in Scripturis, nisi id qood confert ad salutem, vt ibi: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, intellige ad æternæ vitæ meritum, sicut illud: *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* Imò tanto in honore habebatur circumcisio, vt quidam falsi fratres descendentes de Iudæa docerent: *Quia nisi circumcidamini secundū morem Moysi, non potestis saluari:* putantibus Gentilibus ad Christum conuersis nihil conferre ad salutem nisi premissa circumcisione. Neque dicere *Circumcisio quidem prodest, si legem obserues*, quicquam detrahit virtuti circumcisionis, quæ à peccato originali liberat: sed hoc dixit Apostolus, vt ostendat, eius fructum perire, si reliqua, quæ legis sunt, non adimpleantur. Prodesset tamen infanti in pueritia mortuo, à quo nondum exigeretur legis perfectio. Similiter possumus dicere: Baptismus quidem prodest, si Euangelium obserues: si autem illud non obserues, baptismus tuus tibi minimè prodesse poterit; cùm tamen illi gratiam conferat ex opere operato, & infantes mortuos ad regnum cœleste euolare faciat; quod tamen circumcisio non præstabat. Sextò: iterum Paulus loquitur: *Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas circumcisionis?* Et respondet: *Multum per omnem modum*, scilicet valet. Id enim in Scripturis valet, quod salutem promouet: & non valet, quod illam impedit. Nam ita Paulus ait: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neq; præputium.* Et perpende verbum: *In Christo Iesu*, scilicet existenti: nam existenti in Moyse multum valebat, vt Primasius Augustini discipulus interpretatur. Quod ergo prodesset, & valeret olim circumcisio, colligitur ex verbis Apostoli dicentis: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Hoc verò debitum ex eo consurgebat, quod in circumcisione daretur gratia ad vniuersam legem implendam. Nam vnde aliàs, quæso, tantum onus imponeret Deus circumciso, & quomodo impossibilia à circumciso exigeret, si gratiam Deus non impertiretur? Et vt res exemplo illustretur, baptizatus in Christo debitor est vniuersæ legis Euangelicæ præstandæ, quia in ea gratia, & Spiritus Dei confertur, vt præstari possit: at impleri lex, vel noua, vel vetus sine Dei gratia, ad mētem præcipientis, minimè valet. Septimò Dominus Ioan. 7. ad Iudæos dixit; *Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus. Et in Sabbato circumciditis hominem: Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato?* Vbi primum perpende, de sanitate languentis ad piscinam esse sermonem, quem non tantum corpore, sed etiam animo curauit; vt propterea dicatur totus homo sanus factus: quo opere Domini posito: *Propterea*, inquit, *Moyses dedit vobis circumcisionem:* hoc est propter sanctificationem, siue sanitatem à peccato originali. Alioqui illud, *propterea*, vel superfluum esset, vel inanis esset illatio. Et hoc modo argumentatur: Si circūcisionem accipit homo in Sabbato, ex qua vulnus homini infligitur, non est quòd mihi corpus, & animam languidi hominis sananti indignemini. Ex quo sensu constat, circumcisionē salutem tribuisse. Deinde subdit: *Non quia ex Moyse est, sed ex Patribus:* non tam indicans, illam anteriorē esse lege Mosaica, quàm illam non esse cōputandam inter ceremonias legis, quæ vim sanctificandi, aut iustificandi non habebāt, sed spectasse ad Patres, qui fide potius, quàm ceremonijs nitebantur. Vnde circumcisio Sacramentum est fidei, non legis. Quemadmodum etiam Apostolus ad Gal. 3. cùm hominem probare velit, per fidem iustificari, producit ex Propheta: *Quia iustus ex fide viuit.* Et subdit: *Lex autem non est ex fide; sed, Qui fecerit ea, viuet in illis.* Vt igitur legem colligit non esse ex fide, ac proinde non iustificare; ita nobis ex verbis Domini; *Non quia ex Moyse est, sed ex Patribus*, iudicatur circumcisionem vim iustificandi non habere ex eo, quòd mandata est à Moyse, sed ex eo, quod à Deo data est patribus credentibus, & præsertim Abrahæ, qui circumcisionem accepit, in signaculū iustitiæ fidei, vt Apostolus ait ad Romanos. Opponere igitur legem Moysi patribus, est ferè legem opponere Euangelio, in cuius fide ambularunt patres: & tamen si quis esset legis factor, ex fide iustificabatur apud Deum, vt dicitur ad Roman. 2. ita etiam circumcisio per fidem accepta. ¶ Ex quibus omnibus primam assertionem comprobatam reliquimus.

Gal 5.

Prodesse, vel non prodesse quid dicatur more Scripturæ.

1. Corint. 13.
Iacob. 2.
Act. 15.

VI. Ratio.
Rom 3.

Gala. 5 & infra 6.
Primasi in epist. ad Gal.

Gal 5.

Vnde circumcisus, vt ait Paulus, vniuersæ legis implendæ debitor esset.

VII. Ratio.
Ioan. 7.

Leuit. 12.

Cur totus homo sanus factus dicatur in Sabbato.

Gal 3.
Habac 2.
Leuit. 18.
Ezech. 20.
Rom 10.

Genes. 17.

Roman 4.

Secunda assertio sit: Probabiliorem mihi videri eorum sententiam, qui tenent, per circumcisionem olim solitam conferri gratiam ex opere operato, vt Euāgelica Sacramenta conferunt: quam plerique Doctores

Circumcisio conferebat gratiam ex opere operato.

Scotus. Duran. Alexan Halen. 4 p q. 17. memb. 7. Thom in 4. dist. 1. q 2. artic. 4. q. 2. to. 7.

Scholastici tuentur, vt Scotus & Durandus in quarto, Alexander Halēns. in quarta parte, & alij complures, & inter eos B. Thomas, qui in quarto ita habet: *Peccatum quod ex alio contrahitur, conueniens est, vt per alium tollatur: & ideò in quolibet statu post peccatum fuit aliquod remedium, per quod originale peccatum ex virtute passionis Christi tolleretur.* Et iterum, *quia non poterat puer natus, antequam haberet vsum liberi arbitrij, se ad gratiam praeparare, ne omninò sine religione relinqueretur, oportuit aliquod remedium dari, quod ex ipso opere operato peccatum aboleret, & tale remedium fuit circumcisio: & ideo ab omnibus conceditur, quod peccatum auferebat, sicut signabat ablationem, & in hoc cum Sacramentis nouae legis quodammodò conueniebat, quia efficiebat hoc quod figurabat.* Et infra ait, quod peccata actualia per eam secundariò tollerent in adulto.

In argumentorum solutione.

Non ignoro, quòd posteà hanc sententiam mutauerit sanctus Doctor, & gratiam Dei potius ex fide significata, quàm ex circumcisione eam significante conferre tradiderit: verum quam solidis rationibus id efficiat, docti cuiusque sit iudicium. Certè constat, multos ex Scholasticis Doctoribus viros doctos, & acutos, qui post eum scripserunt, eius doctrinam non fuisse secutos, sicut nec ipse seipsum secutus est.

I. ratio.

¶ Me autem, vt priorem sententiam amplectar, hae rationes cogunt, Prima: quia plerique ex veteribus Patrib. idem olim effici solitum circumcisione, quod nunc efficitur baptismo, testantur, vt August. Greg. & Innocent. III. supra producti: at non idem efficeret, si non adiungamus id fuisse factum ex pacto Dei, siue ex opere, quod vocant, operato: quoniā alioqui incertus esset eius effectus & tamē Sacramē a inter alios fructus suos, ad certos nos reddendos de ipsorum effectis constituta sunt.

August. Gregor. Innocent. III. dictis locis.

II. ratio. Augustin. tomo 7.

¶ Secunda ratio est: quia B. Augustin. lib. 4. de Baptismo paruulorum capit. 24. per se multum valere Sacramentum Circumcisionis tradidit: igitur non tam ex re significata, quàm etiam eam significāte conferebatur gratia.

III ratio.

¶ Tertia: quia omnes vno ore testantur, originale peccatum per illam semper absolutum fuisse, & haec erat traditio ipsorum Iudaeorum: qua in re, cum spectaret ad salutē, minimè fallebantur; quemadmodum nec in traditione de fundēdis precibus ad Deum pro mortuis. Si ergo in circumcisione conferebatur gratia, & non ex vi circumcisionis, siue ex opere operato; sup..est vt ex opere operante aliorum pro illis credētium expurgatio à peccato proueniret. Quemadmodum Matth. 9. Iesus videns fidem illorum, qui paralyticum adferebant ad se ipsum, dixit, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: vel opus est fingere tertium quid, quod nec esset opus operans, nec opus operatū, ex quo illa virtus descendat.

2. Mach. 12.

Matth. 9.

Si ex opere operante, vt alij volunt, quae inde incommoda. Primum.

Cum igitur primū denegetur, secundum statui non potest, quia multa absurda, & falsa illud consequerentur. Primò, quia ille status spiritualior multò fuisset, quàm praesens, vtpote vicinior statui innocentiae, in quo nulla fuissent Sacramenta. Vicinior etiam statui felicitatis aeternae, in quo nulla prorsus futura Sacramenta expectantur: quia iam ad offerentium puerū circumcisioni fidem Deus respiceret: quod absurdum est, quia posset interdum ab his, qui fide carēt, offerri. Deinde fides illo seculo praestaret, quod nostro non praestat.

Secundum.

Nam nemo, quantumuis fide maxima excellat, potest alteri gratiam baptismi impetrare, nisi actu suscipiat baptismum.

Tertium.

Tertiò, si fides aliorum, vel parētum vel eorū qui applicabant pueros circumcisioni, ex opere operante gratiam promereretur, iam vnus alteri, hoc est puero, de quo est sermo, primā gratiam de condigno mereretur vel impetraret; quod tamē propriū esse Christi solius, axioma est inter Theologos receptum. Et idem esset, si quis negaret meritum de condigno, & admitteret id fieri fide, & precibus aliorum impetrādo, aut quod idem est, de cōgruo merendo. Potest tamen aliquis alteri adulto promereri, vt se disponat ad gratiam suscipiendam, quam tamen puero promereri de congruo haud valet.

Quartum.

Quartò, si parentes id possent filijs praestare, tunc illud Sacramentum non differret ab alijs operibus vel moralibus, vel ceremonialibus, ac iudicialibus: quia etiam in illis in fide & gratia perfectis erat Sāctorum communio, & vnus alterum mutuò iuuabat, iuxta illud; *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.*

Psal. 18.

Quintum.

Quintò, si ex opere operante consurgeret pueri circumcisi salus, tunc effectus gratiae non esset vniformis, sed pro maiori, vel minori sanctitate parentum, vel Synagogę, maior, vel minor gratia daretur: imo nec circumcisio esset propriè vocanda Sacramentum. Cùm tamen perinde atque dixit Christus, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*: proponens primò fidem, deinde Sacramentū, demum fructum Sacramenti.

Marc. vlt.

Ita de Achior Ammonita, qui defecit à Gētilitate ad Iudaismum, Iudith 14. habetur: *Tunc Achior videns virtutē, quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnē praeputij sui, & appositus est ad populum Israel, & omnis successio generis eius vsque in hodiernum diem.* Vbi vides fidem, & Sacramentum vetus, & salutem, vt possis agnoscere fuisse

Iudith 14.

fuisse Sacramentum. Quod si Sacramentum nõ fuit, nec opus operatum, necessum est confiteri, accedentem ad circumcisionem cum attritione, remissionem peccatorum consequi non potuisse: quia facere ex attritis contritos solũ est opus Sacramenti: quod mihi absurdum videtur. Quod igitur Thomas in tertia parte tradit, circumcisionem dare gratiam, in quãtum signum erat passionis Christi futuræ, & quatenus in ea fides passionis eius potestate exercebatur: non tollit ipsi circumcisioni gratiam ex opere operato, sicut nec baptismo, qui signũ est passionis Christi exhibitæ; & in ea maiores fidem protestabantur pro maioribus, vt quemadmodum Adam peccante peccauerunt, ita alijs credentibus, & in Sacramẽto suscipiendo adiuuantibus, iustificentur.

Thom. 3. par. 62. art. q 6 ad 3. in fi. tom 12.

Rom 5. & seq

IV. ratio.

Quartò principaliter argumentor: quia opus circumcisionis in se durum erat, & vitę periculosum, vt interdum interire contingeret, & instar esset baptismi cuiusdam sanguinis, qui quidem non tantum ipsos pueros affligebat, sed etiam parentes, qui non poterant non cruciari: iustitiæ, & rationi consentaneum erat, vt gratiam suam in illa communicanda pacisceretur: & non tantũ rem pendere ex opere operantis.

V. ratio.

Vnde manifestum sit.

¶ Quintò: quoduis testamentum quamdiu durat, sua habet Sacramenta: vt in Veteri, & Nouo Testamento, quod illi succedit videmus. Cùm igitur mundus nunquam extiterit sine Christi fide, & sanguine, etiã in lege Naturæ, & Moysis; cuius rei indicium est primum, Scriptura, quæ tradit Agnũ occisum ab origine mundi, & Euangelium æternũ; &, Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in secula. Alterum indicium est, quod omnes sancti qui venturum Messiam crediderunt, ad Nouum spectant Testamentum, vt tradit Augustinus: erit ergo etiam nostro tempore aliquod sensibile, & externum Sacramentum fidei, per quod salus pueris posset applicari. Alioqui de remedio salutis non prospexisset pueris ille, qui vult omnes homines saluos fieri: & frustra fuisset olim fides, & Christi merita, quæ non potuissent puero applicari ad salutem. Et confirmatur hæc ratio, quia illis seculis fuit Sacerdotiũ Dei altissimi Melchisedec (antequam esset instituta circumcisio) quod tantopere commendat Apostolus: non ergo erat sine Sacramento: quia in omni lege ad administranda Sacramenta, & offerenda sacrificia Sacerdotium instituitur. Si ergo erat morbus peccati, fuit ergo eius aliquod medicamentum à Deo institutum: quia homo difficilius credit se Deo reconciliari, patiendo aliquas sibi adhiberi medicinas, quàm aliquid de proprijs suis bonis Deo offerendo: vt rectè docuit Gulielmus Parisiensis. Proinde longè est probabile ac verisimile, concurrisse tunc in vnum Sacramenta cum sacrificijs: quemadmodum & in Nouo Testamento Eucharistia eadem & Sacramentum est quatenus suscipitur, & quatenus offertur, sacrificium. Verumq; redditur dictum Magni Gregorij, quod olim sacrificia perinde adultis valebant, atq; in Nouo Testamento Baptismus: gratiam ergo ex opere operato conferebat. Hinc sæpè dicuntur illa Deo placere, vt sacrificium Abel, Noe, & Abraham: ad quę alludens Malachias dixit de nostris Sacerdotibus; *Et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem, sicut dies seculi, sicut anni antiqui.* Quibus in verbis videtur designare, sacrificia Patrum in le. Naturæ degentiũ (quibus comparat sacrificia Noui Testamenti) Deo placuisse.

Apocal. 13.

Hebr. 13.

Augustin.

1. Tim. 2.

Sacerdotium Melchisedec ante Circumcisionem fuit.

Genes. 14.

Heb. 7.

Sacerdotij finis cuiusque legis.

Gulielm. Parisien.

Gregor lib. 4. Moral. c. 2. circa dimid. par tot.

Genes. 4. infra 6. Infra 15. Malach. 3.

VI. ac postrema ratio.

Postremò, interrogabo quid est illud distinctum, per quod in circumcisione, & non ex vi circũcisionis daretur gratia? Respondent quidam, esse fidem protestatam in circumcisione. Sed hæc protestatio, vel est ipsius ministri circumcidentis actus, vel parentum, & aliorum qui offerunt, vel Synagogæ, vel est aliqua fides in abstracto. Primum dici non potest, quia iam operi operanti vel ministri, vel offerentium, vel Synagogæ, daretur salus circumcisi; & ita subtraheretur Deo, & tribueretur creaturæ: quod tamen ipsi opinantes apertè denegant. Si autem est in abstracto, vel fides, quæ olim fuit in Abraham, non video quomodo ad rem, quæ iam non est in rerum natura, sed olim fuit, respiciat Deus: & similiter salus circũcisi tribueretur Abrahæ. Præterea res abstractę, & quæ tantùm existunt per intellectum, nescio quomodo possint protestari, aut exerceri. Distinguere autem Sacramenta vetera à nouis, quod illa non contulerint gratiam, quia nõ erant instrumenta passionis Christi exhibitæ, sicut faciunt illa Noui Testamenti, mihi solidũ non videtur. Nam Deus, antè cuius oculos Christus, & eius merita præuisa semper fuerunt, & nihil illi, vel præteritum, vel futurum fuit, sed omnia præsentia, sicut pro instrumento salutis hominibus applicandæ, vsus est olim fide antiqua parentum, vt etiam modò vtitur, ita etiam idem, qui nunc adhibet Sacramenta Noui Testamenti, vt instrumenta adipiscendæ gratię, olim adhibuit circumcisionem, vt per eam salutis negotium in pueris antiquorum promoueret: sicut etiam in circumcisionis ritu imaginem Christi, in cuius virtute, & sanguine omne pecca-

Minus commoda, ac firma Sacramentorum antiquæ legis ab illis nouæ, ratione gratiæ conferendæ, vel non conferendæ distinctio.

tum erat

tum erat abolendum, aptissimè repræsentauit.

Rationes contra circumcisionem diluuntur.

Superest iam, vt rationes, quę in contrarium fiunt, dissoluamus. Et prima ducitur

I. argum. ex Paulo.
Gal. 5.

ex illo Apostoli dicto: *Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit.* Sed hoc intelligitur de circumcisione post Christi mortem, & Apostolorum prædicationem, quando non tantùm erat mortua, sed etiam mortifera: sed ab Abraham vsq; ad Christi aduentum dum vigebat lex, viguit & circumcisio, & vim suam exerebat. Et tunc nisi quis circumcisus fuisset, Christus illi non profuisset.

II. argum ex eodem.
Ibidem 6.

¶ Idem dicendum ad secundum testimonium Pauli: *Nam in Christo Iesu neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, &c.* Non enim dixit, Circumcisio olim nihil valuit, sed in Christo Iesu, hoc est existentibus in Christo Iesu, qui illam abrogauit, & loco eius substituit baptismum, inualida, & inutilis reddita est.

III. ex eodem.
Rom. 4.

¶ Ad tertium illud ex Apostolo: *Et signum accepit circumcisionis signaculũ iustitiæ fidei*; respondemus, nihil firmi colligi ex illis verbis ad probandum, quod non conferret gratiam, vel iustificaret, sed tantùm quod Abraham prius per fidem iustificatus fuit; vt ita per circumcisionem non

Genes. 15.

acceperit primam gratiam, quam acceperat per fidem, sed incrementũ iustitię. Nam

Apoc. 22.

vt qui iustus est, iustificatur adhuc, & qui sanctus sanctificatur adhuc; ita iusti per opera bona, quam habent, augent iustitiam.

Iacob. 2.
Genes. 22.

Et quemadmodum Iacobus Apostolus testatur Abrahamum iustificatum ex operibus, offerendo Isaac filium suum super altare; & tamen illa oblatio signum erat iustitiæ fidei, quæ erat in eo: ita etiã ex obedientia circumcidendo se, & suam familiam, iu-

Supra 17. & seqq.
Qualem Abrahæ Iacob Apostolus, qualem verò Paulus tribuat iustificationem.

stitiam auxit. Neq; tamen Iacobus contrarius extitit Paulo, aut B. Paul. Iacobo: nam vt Apostolus locutus est de secunda iustificatione, ita Paulus de prima. Et vt altero quoq; exemplo rem dilucidiorẽ reddam,

Act. 10.

Cornelius per aduẽtum Spiritus sancti iustificatus fuit, & susceptione baptismi, quĩ erat signũ renouationis Spiritus sancti, gratiam ampliorem accepit: ita de circumcisione, & Abraham cogitandum est: omne enim Dei præceptum ex obedientia à nobis præstitum iustificabat, siue esset circumcisio sui, & familiæ, siue voluntas immolandi

[illegible]

filium Isaac. ¶ Præter hæc addenda sunt argumenta alia, quæ adhuc obijci possent. Et in primis possunt opponi tot Doctores, qui circumcisioni vim iustificandi adimunt. Sed illis opponimus alios nõ solum ex veteribus, sed etiam ex Scholasticis, qui rem luculentius excusserunt, & de ea aliter docuerunt. Et tantùm ad testimonium Pauli de signaculo iustitiæ fidei, in quo videtur negari iustitia circũcisionis veteris, qui ob id ciuntur nobis pro contraria opinione, respexisse videntur. ¶ Quod verò ex Iustino *II. argum.*

& Epiphanio obiectum est, fœminas minimè fuisse salutem consecutas, eo quod tantùm masculis esset præcepta circũcisio. Re- *Genes. 17.*

spondemus, nõ rectè hinc colligi, neq; de- *Leuit. 12.*

fuisse remedium salutis, quod commune e- *Luc. 2.*

rat fœminis, & masculis ante institutam circumcisionem, qualecunque illud esset, & quale etiam remansit in familijs aliorum, qui tempore Abrahæ viuebant: nam soli *Genes. 17.*

Abrahæ, & masculis familiæ suæ peculiariter præcepta est circumcisio. ¶ Quod verò *III. argum.*

Tertull. & alij Patres superiùs producti testantur, Abelem, Noe, & alios Patres, iustos extitisse, nec tamen circumcisos fuisse: ad rem nostram nihil facit. Quia non potuit obligare circumcisio nisi à tempore, quo fuit instituta, & illos tantum, quos lege sua voluit obligare, non autẽ eos, qui iam præcesserant, & qui suæ iustitię, & salutis remedia à Deo perceperant. ¶ Et quod ait idem *IV. argum.*

Tertullianus, *Quare Deus Adamum incircumcisum condiderit, & cum paradiso præfecerit?* Respondemus, vt illum integrum, & perfectũ conderet, sicut & omnes alios; in quib. non est ob id præputium superfluum, quòd illud ex obedientia præcepit amputari: imò necessarium, vt cùm Deus præciperet circumcisionẽ Iudæis, haberent, quod prę-ciderent; & vt tã difficili præcepto se morigeros pręstãtes, aptos se redderẽt, & habiles ad suscipiendam gratiam, quam diuina munificentia in illa ceremonia illis conferre voluisset, præter illam, quam sua obedientia promerebantur. ¶ Quintum argumen- *V argum.*

tum obijcitur ex Cõcil. Florentino, quod *Concil. Florent. in bulla vnionis Armenorum.*

distinguit inter veteris & noui Testamenti Sacramenta, & illis tribuit gratiæ significationem, nostris verò gratiæ etiam collationem: & Augustin. qui in Psal. 73. *Sacramen-* *August. to. 8.*

ta, inquit, *Noui Testamenti dant salutem, Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Saluatorem.* Dicendum est, illud intelligendum esse de Sacramentis, quæ verè, & propriè erant Veteris legis, & Moysis: at circumcisio etsi in lege præcipiatur Lenit. 12. & Ioan. 7. *Leuit. 12.*

vocatur à Domino lex Moysi, & quatenus *Ioan. 7.*

ab illo præcepta fuit, non habuerit potestatem dimittendi peccata: tamen, vt Dominus dixit Ioan. 7. non quia ex Moyse est, sed ex Patribus, signum erat fidei, & Noui Testamenti potius pro statu illo, vt erat à Deo instituta, & ipsi Abrahę mandata: quemadmodum etiam eadem sunt legis, & Euãgelij opera in substantia. Et vt à lege præcepta sunt, non iustificabant: vt autem à iusto in

lege Euangelica proficiscuntur, gratiam conferunt. Vel hoc potius dicêdum, idcirco Sacraméta nouæ legis dici dare gratiam quam continent, quia sicut côtinent iam re exhibitam gratiam per Christum, ita illam conferunt: at circumcisio, sicut non continebat re præstitam gratiam, ita non dabat. At continebat gratiam promissam, & exhibêdam per Christum, & eam ipsam dabat; & hæc est differentia assignata à Conc. Floren. inter Sacraméta nouæ legis, & veteris. Et ad Angustiuum dicêdum, quod ille circumcisioni tribuit in nonnullis locis iustificationem; & eandem illi tribuit efficientiam, quam Baptismus operatur in nobis. Et licèt gratiam conferrent, prominebant tamen & figurabant illa Sacramenta aduêtum Messiæ, & suæ mortis, & sanguinis exhibitionem, & ipsi illa mysteria, quæ dispêsantur in Euangelio. ¶ Sexto argumentantur: Si ex lege esset iustitia, Christum frustrà mortuum esse. Respondemus. Circumcisionem ex lege non esse, sed ex fide Patribus data, vnde iustificabat. Nam vt legem tradit Paulus non iustificare. Quoniam, inquit, in lege nemo iustificatur apud Deum manifestum est, &c. lex autem non est ex fide: ergo per oppositum circumcisio, quæ Abrahæ fideli data est, & ex fide suscepta, iustificat. Loquitur autem Paulus de lege, vel de operibus legis secundum proprium, & naturalem valorem, quemadmodum postea sensit Pelagius; non secundum valorem à diuina ordinatione statutum, & vt ex Christi meritis virtutem habent: quia illa non opponuntur Christo, à quo suam vim sortiuntur. Inde Apostolus vocat legalia, infirma, & egena elementa, carnis iustitiss, testamentum non vacans culpa, ministrationem mortis, legem peccati, & mortis: nihil ad perfectum adducentem; eos qui sub ipsa erant, nôn differre à seruis; ex operibus legis iustificationem non consurgere: quæ de his, quæ propriè ad legem spectant, dicta sunt.

VI. argum.
Gal. 2.
Infra 3.
Gen. 17.
Quomodo Paulus neminem asserat ex operibus legis iustificari contra Pelagium.
Gal. 4.
Heb 9.
Supra 2.
2 Cor. 3.
Rom 2.
Ibidem.
Hebr. 7.
Gal. 4.
Rom. 3. & sæpè deinceps, & alibi.
VII argum.
B. Gregor.

Septimò argumentantur ex Gregorio Magno, qui habet: Ante legem, vel circumcisionem pueri sola fide parentem seruabantur. Intellige, solam, prout excludit sacrificium, quod adulti offerre consueuerant. Quatenus enim iuuabat pueros, non erat sacrificium, sed Sacramêtum, quia passiuè se habebant in eo suscipiendo: fide ergo sola protestata aliquo signo externo, & à Deo instituto. Quòd si vrgeas; Si tale aliquod Sacramentum extitisset purificans à labe originis, vel Scriptura eius meminisset, vel in traditione fuisset seruatum. Soluitur: quia Scriptura nô omnia quæ facta fuerant in lege Naturæ, enarrare intendebat, sed reducere genealogiam vsq; ad Abraham, in quo cœpit nouus cultus faciens ad rem populi Iudaici; & ob id de aliarum Gentium titibus & cultu mentionem non facit, nisi de vno tantum Melchisedec propter Christum præfigurandum. Non est etiam traditione seruatû, quia vel maiores populi Iudæorum id non habuerunt, vel Deus in circumcisionem mutauerat. Et de aliarû Gentium traditionibus patum aut nihil nouimus; etsi probabilior dici possit, quod ob scuratо lumine naturæ, vt in illis præsertim seruaretur diuinus cultus, reliquos relictos esse ingredi vias suas, & ita amisisse memoriam cultus, & Sacramentorum.

Genes. 14.
Hebr. 7.
Act. 14.

Octauo argumentantur ex ipsomet testamento: Quia enim pactum erat temporale, & terrena bona promittens, Sacerdotium illi annexum minimè iustificabat, sicut nec tota lex, sed politia quædam erat retinens populum vtcunq; in officio, donec veniret Christus: & tantû ostendebat morbum peccati, vt Iudęus sitiret & aduentum medici, & medicinam. Respôdendum est, hęc omnia vera extitisse, sed extra legem, & ante datam circumcisionem, quasi Sacramentum fidei, quo paruuli salui fieri possent, & sanctificari à labe originis.

VIII. argum.

Nonò inferunt: Si fuissent Sacramenta quæ olim seruarent, non opus fuisset lege, vel Sacramentis gratiæ in Nouo testamento. Dicendum est: Si per legem intelligunt circumcisionem, illa opus fuit ob typum Christi, & ob distinctionem populi Dei, & vt castitati amplectendæ gradum facerent, & vt maior daretur gratia per eam, quàm per præcedentia Sacramenta. sicut maior fides erat illam profitentium, quàm aliorum. Si intelligunt legem Moysis, opus fuit illa ad politiam, & ad cognitionem peccati. Et quia exigua gratia in circumcisione dabatur, vt plurimum omnes sequebantur concupiscentiæ fomitem. Si intelligunt legem Euangelicam, maximè illa mundus indigebat, vt minora mutarentur in maiora Sacramenta, & circumcisio mutaretur in faciliorem, & vniuersaliorem Baptismi ceremoniam, & maiorem gratiam conferentem: sicut etiam cognitio Christi creuit per temporum incrementa.

IX. argum.
Cur danda fuerit lex Moysis.
Roman 3.
Ad quid necessaria fuerit lex Euangelica.

Postremò argumentantur: Circumcisionem nô aperuisse regnum cœlorum. Sed nec baptismus antè Christi mortê aperuit: ita vt Ioannes Baptista ad tempus in limbo expectauerit, donec ad eum descenderet Messias. Illudque Baptismo erat accidentarium: nam per se regnum aperit. Ideo Christi baptizato cœli aperti sunt; &

X. argum.

Domi-

Dominus, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* quia valuæ cęlorum baptizato panduntur. Et hactenus de hac disputatione probabiliter sit edissertum.

DISPVTATIO IX.

De ratione difficultates & salebras Pauli superandi, & à technis Hæreticorum sensus Catholicos vindicandi.

AD Pauli doctrinam plenius percipiendam, & Hæreticorum versutias, & sophismata propulsanda, multa nobis dicta sunt alibi, & quæ ad rem ipsam, & quæ ad dictionem spectāt: nunc paucas regulas attingam, quibus viā ad lectionem Pauli studiosis muniamus. Et in primis illa regula præ oculis habenda est, quæ habetur C. de legib. l. Non dubium: & repetitur in Sexto inter regulas iuris: *Non dubium*, inquit, *contra legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.* Et ff. de legib. l. contra: *In fraudem legis facit, qui saluis verbis legis, sententiam eius circumuenit.* Hæc ibi. Quæ mirificè inseruiunt ad damnandos Hæreticorum sensus, quos Paulo imponūt. Cùm enim à iustificatione excludat opera, statim inferunt, opera quæcunque ad salutis negotium necessaria non esse; cùm tamē multis in locis Apostolus disertè explicet opera pernecessaria esse; & tantum excludat ea, quæ vel ex fide non proficiscuntur, vel ea quæ meriti, siue debiti rationem habent: nam talia iustificationem præcedere non possunt, cum illa sit gratuita, & à fide ortū habeat. Sed in illis quæ à iustificato proficiscuntur, agnoscit & incrementum iustitiæ, & meritum, secundum illud: *Non enim auditores legis iustificabuntur.* Deinde, quia dixit Apostolus: *Gratiâ Dei, vita æterna*, negant Hæretici vllam veri meriti rationem esse ad salutem æternam adipiscēdam; cùm tamen omnia scripta Pauli, & eius vita aliud testentur. Ipsius enim vox est: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex: non solum autem mihi, &c.* Dixit coronam iustitiæ, non misericordiæ: dixit reddendam, nō dandam. Dixit, Iustus, iudex, non, misericors Pater. Dixit, non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius; quò agnoscat quisque, non tantum in operibus Apostolorum, sed etiam in operibus iustorum quorumcunque veram meriti rationē inueniri. Tertiò, quia Apostolus omnia tribuit Christi sanguini, continuò colligunt, Sacramenta gratiam non conferre. Quasi verò Christus, & Sacramenta sibi inuicem opponantur, & non potius per Sacramenta, vt per organa sua sanguis operetur, atq; illis virtutem hominis sanctificandi, qui se illis subijciunt, tribuat. Vnde & Apostolus dixit: *Dedit nobis ministerium, siue verbum reconciliationis:* intelligens Pœnitentiæ Sacramentum, quo homines Deo reconciliātur, cuius verbum, id est formam absoluendi, pronunciant Sacerdotes: etsi verbum reconciliationis possit ad prædicationem referri: nam illa fide acceptis, & Baptismo, aut Pœnitentia voto cōceptis iustificamur, & gratiam cum Deo resarcimus. Præterea quia dixit Apostolus: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; mox argutantur, hominem libero arbitrio præditum non esse. Quasi verò aut velle, aut currere, non sint actus hominis gratia Dei præuenti, cum scriptum sit: *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate:* &, *Sic currite, vt comprehendatis:* Aut quasi vllum possit esse bonum opus iustorum, aut peccatum impiorum absque vsu liberi arbitrij; cùm in hoc ipso liberos nos esse maximè ostēdamus, quod contra Dei voluntatem, & pactū peccamus. Atq; hac ratione multas alias Pauli circumueniunt sententias.

Secunda etiam regula ab eisdem Iurisperitis petita est: Inciuile esse, nondum perspecta tota lege iudicare: nam ita fieret, vt iudex in multis sententijs pronuntiandis peccaret. In Pauli literis, atque adeò tota Scriptura, id diligenter curandum, ne decurtatis sententijs, aut trūcatis verbis illius, nobiscum agāt Hæretici; sed & quæ præcedunt, & quæ subsequuntur, diligenter sunt inspicienda, vt proprium sensum eruamus. Ecce Scriptura ait: *Non est Deus:* & *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* &, *Faciamus mala, vt veniant bona:* Quæ sententiæ falsæ sunt, & perniciosæ, & nequaquam ab Spiritu sancto, à quo est omnis veritas, profectæ: sed ex adiunctis colligendum est, in quorum persona dicantur. Nam prima sententia dicitur in persona insipientis: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus:* Secunda, in persona Iudæorum disputantium cum Christo, & conuitijs agentium: Tertia, vt insinuat Paulus, in persona quorundam, qui eius verba malè interpretantur: *Sicut*, inquit, *blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere:* & postea subdit: *Quorum damnatio iusta est.* Neque satis est ad rectè de loco aliquo pronuntiandum, omnes eius circumstātias attente in-

Margin notes (left): I. Canon. — *Num. 80.* — Hæreticos, cū verba Scripturæ teneant, eius tamen sensum peruertere, ac circumuenire. — *Rom. 2.* — In quem sensum dicatur ab Apostolo: Gratia Dei, vita æterna. — *Infra 6.* — *2. Tim. 4.*

Margin notes (right): Christi sanguinem, atque Sacramenta pro eodem apud Paulum accipi, gratiamque conferre. — *2. Cor 5.* — Dei misericordiam liberæ hominis voluntati, & cooperationi minimè repugnare. — *Rom. 9.* — *Philip. 2.* — *1. Cor. 9.* — II. Canon. Integra atque incorrupte Scripturæ testimonia sunt proferenda, atque de ijs pronuntiandum. — Hæretici quomodo citent Scripturas. — *Psal 13.* — *Ioan. 8.* — *Rom. 3.* — Veritas omnis ab Spiritu sancto est. — In sacris præterea testimonijs quid animaduertendū.

inspicere, sed etiam opus est videre, an Paulus alio in loco aliter pronunciet, vel Deus in alio libro Canonico, vel Ecclesia aliquid contra definierit, & senserit: Nam nisi his omnibus conformis sit sensus eius loci, de quo est controuersia, non erit solidus, neque germanus. Dixi autem: Si quid esset, quod repugnaret Ecclesiæ definitioni, vel interpretationi: quia quemadmodum Deus locutus est in Scripturis, & non debet sensus, qui porrigitur vni loco, pugnare cum alijs Scripturæ sententijs: ita etiam & per Ecclesiam loquitur Spiritus sanctus vel definientem, vel verbum Dei exponentem. Et ideò sensus solidus non erit, neque Catholicus, qui cum illo Ecclesię pugnauerit. Ad has autem circumstantias Hæretici non attēdentes, nouos & periculosos sensus Paulo affingunt, & vt Philosophus dixit, *Ad paucà respicientes, facilè enuntiant*; id est, nihil verum, aut solidum affirmant.

Aristotel.

III. Canon. Scripturæ ita interpretandæ sunt, vt eius verba potius valeant, quam pereant.

Tertia regula ab eisdem assumpta Iurisperitis, quorum est munus de nominibus dubijs, & incertis iudicium proferre: vnde duos titulos habent, alterum de verborum significatione, alterum de verborum obligationibus. Multa namque illi prudenter, & acutè de verbis in testamentis, vel stipulationibus positis tradunt, quæ suo modo locum habent in Sacris literis Interpretandis. Idcircò non dedignamur illorum testimonia producere, quò magis Hæretici vel ab hominibus ipsis reuincantur. Inter alia ergo. ff. De rebus dubijs. l. Quoties: *Actus*, inquit, *ita interpretandi sunt, vt potius valeant, quàm pereant*. Valent autem, quando sensus qui traduntur, rationi sint consentanei: pereunt, quando alieni sunt, & nihil ratione constans consonat ei rei, de qua agitur, ac disseritur. Hoc ipsum plerumque in Hæreticis est cauendum, apud quos multa verba Euangelij, aut Pauli pereunt, vt sensus alienos, & ab Spiritu sancto minimè profectos ipsi textui imponant; cùm deberent intellectum suum verbis Spiritus sancti accommodare, non suos, & violentos Scripturæ tribuere, vt solent.

Canonis explicatio.

IV. Canon. Quomodo apud Paulum nunc quidem gratiæ Dei, nunc verò libero fides, aut hominis arbitrio, opera bona tribuantur.

Rom 6.
Philip 2.
Ezech. 10.
Rom. 2.

Quarta regula: In literis Apostolicis si quando gratiæ Dei nostra tribuitur pœnitentia, aut iustitia, aut salus, aut denique vita æterna, iuxta illud: *Gratia Dei, vità æterna*: &, *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate*; Aut si quando per contrarium libero nostro arbitrio pœnitentia tribuitur, qua apud Ezechielem viuificare animam suam dicitur; Aut iustitia, qua iusti reddimur, & de qua: *Non auditores legis iusti sunt apud Deum; sed factores legis iustificabuntur*; Aut bona opera, quibus coronā æternam promeremur, vt cum ait: *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ; super modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in vobis*: vnde dicitur reposita corona iustitię: intelligendæ sunt hæ sententiæ iuxta Fidei regulam, ita vt neque soli gratiæ, neque soli libero arbitrio, sed vtrique simul omne bonum nostrum sit tribuendum, etsi principaliter ipsi Deo, qui non solum primas partes habet in negotio salutis, sed etiam quędam propria habet, quæ nobis non conueniunt: vt est prædestinare, vocare, Fidei, Spei, Charitatis, & Iustitiæ habitus infundere: nam ad hæc creatura non concurrit humana, sed passiuè se habet, dū prædestinatur, & vocatur, & dona cęlestia suscipit; in reliquis verò vnà simul & Deus, & creatura operantur. At malum omne nostrum nobis solis adscribendum est, neq; vllo modo Deo tribuendū: quanquam per schemata quædam, & Hebrææ linguę proprietatē Deus dicatur tradere in reprobum sensum, indurare, & excęcare: quia quæ sunt huiusmodi, cùm impedire vel prohibere posset, non prohibet, sed merito nostro, & iusto suo iudicio non impedit. Hæc autē doctrina Apostolica est: ait enim Paulus de se ipso, *Gratià Dei sum id quod sum: & Gratia eius in me vacua non fuit*: quibus verbis totum gratiæ videtur tribuere. Et subiungit: *Sed abundantius illis omnibus laboraui*: vbi libero arbitrio omnia adscribit. Et tamen vtrumque coniunxit, dicens: *Non ego autem* (scilicet tantum,) *sed gratia Dei mecum*. Hanc doctrinam omni acceptione dignam, & ad declinanda extrema Scyllæ, & Charybdis, hoc est Pelagij, & Manichæi mirificè accommodatā, & à sanctis Patribus traditam accepimus: duo tantum Patrum testimonia pro ea confirmanda producam. Alterum Gregorij Romani in Ezechielem: *Sciendum*, inquit, *est, quia mala nostra solummodo nostra sunt: bona autem nostra, & omnipotentis Dei sunt, & nostra: quia ipse aspirando nos præuenit vt velimus, qui adiuuando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ volumus. Præueniente ergo gratia, & bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum*. Hæc ille, cuncta ferè quæ diximus, complectens. Alter est Bernard. qui in tract. de gratia, & libero arbitrio catholicè admodum docens tradit: *Ipsa* (scilicet gratia) *liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum: roborat, vt perducat ad actum: seruat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præueniat, in cæteris comitetur. Ad hoc vtique præueniens, vt iam si*

2. Cor. 4.
2. Tim 4.

Quæ Dei sint propria, quæ hominum iustificat one.

Ose. 13.
Rom 1.
Infra 9.
1. Cor. 15.

Grego. homil. 9. in Ezech. initio tom. 2.

B. Bernard. circa finem libri.

bi de-

bi deinceps cooperetur. Ita tamen quòd à sola gratia cœptum est, pariter ab vtroq; perficitur: vt mixtim, non sigillatim; simul, non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa: sed vt totum in illo; sic totum ex illa. Hactenus ille sanctissimus Pater, non minus eleganter, quàm scitè. Si quando ergo Paulus, aut Augustinus pro asserenda Dei gratia contra Iudęos, & Pelagianos acriter decertantes, ad extremum, quasi non sit liberum arbitrium, propendere videntur; vel è conuerso, quando differentes cõtra Manichæos, aut Paganos, liberum statuunt arbitriũ, & vim eius, ita vt Dei gratiam denegare, aut deprimere existimentur: nemo tamen Catholicus ad iudicandum temere propẽsus esse debet, sed meminerit illud Philosophi in Ethicis sapiẽter dictum de ligna tortuosa dirigentibus. *Arist. lib. 10. Ethic.* Cùm enim arbores aut in dextram, vel in sinistram partem inclinantur, prudentes agricolę in contrariam partem deflectant, quò sic in medium adducta, recta efficiantur.

V. Canon. Bona opera requirit Deus à nobis cum fide, eaque per dilectionem operante.

Regula quinta: Si quando Deus à nobis exigit opera bona, non intelligit excludi fidẽ ab illis, sine qua bona non sunt. Sine fide enim impossibile est placere Deo: &, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, id est defectus. *Heb. 11.* Quando verò fidem à nobis exigit, aut illam in nobis commendat, non fidem aliquam mortuam, aut sterilem: ac de qua Iacobus, Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa; sed viuam, & efficacem, & per charitatem operantem, siue per charitatem operatam, hoc est passiue effectam, vt vis verbi Græci insinuat, postulat, atque laudibus celebrat. *Iacob. 2. Gal. 5.* Et illam tã quam bonorum operum feracem exaltat Iacobus in Catholica sua epistola dicens de Abraham, *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius; & ex operibus fides consummata est, &c.* *Iacob. 2.*

VI. Canon. Varijs modis Hæretici Diuinam Christi virtutem coarctissimam contrahere, & angustare conantur.

Regula sexta: Christi virtus efficax, & fœcunda per Catholica dogmata dilatatur, & amplificatur: per Hęreticos autem contrahitur. Asserimus namque Sanctos propter Christum inuocatione dignos, & imitatione: illi Sanctis solam volunt tribui imitationem, inuocationem, & eorum cultum vel in se ipsis, vel imaginibus, & reliquijs detrahentes. Affirmamus, Dei gratia, & benignitate non solum non imputari peccata, sed etiam deleri, & radicitus euelli: illi verò, non imputatione Dei concessa, quod gloriosius est, auferri à nobis peccata, & proijci in profundum maris, cõstanter asseuerant. Nos operibus bonis, vi ex Dei gratia profectis, damus, vt fructus, & signa sint iustitiæ, & vt æternæ vitæ sint merita: illi, priori concesso, secundum inficiantur, in quo tamen magis munificentia Dei imminuitur. Nos Eucharistiam & Sacramentum confitemur, & verum Christi corpus, & sanguinem continere tradimus: illi etsi rationem Sacramenti non denegent, veritatem tamen realis existentiæ corporis, & sanguinis Christi subtrahentes, in nudo pane, & vino mysterium à Christo præceptum, se peragere profitentur. *Matth. 26.* Nos etiam eandem hostiam, vt verum sacrificium, & eius sacrificij quod in cruce peractũ est, memoriam confitemur: illi tantum volunt esse memoriam sacrificij cruenti. Nos Sacramenta & pro ratione suscipientis, imò & supra eius dispositionem prodesse ex vi Sacramenti, seu ex opere operato profitemur: illi nonnisi pro ratione fidei, cum nullam agnoscant gratiam ex opere operante conferri. Nos Christi sanguinem exaltamus, pręedicantes illum viuentibus in Christo, & defunctis, qui in purgatorio carcere expiantur, vtilem esse: illi ad solos viuos restringunt. Nos certa fide asserimus, Christum in cœlis regnantem Ecclesiæ caput esse, & per illud Ecclesiam, quod attinet ad influxus spirituales in sua membra, viuificare, & in ea regnare; & Romanum Pontificem eius esse vicarium caput, & per illum externa omnia prædicationis, & administrationis Sacramentorum, & gubernationis Ecclesiæ ministeria perfici: quemadmodum Christus Petro primùm permisit, & postea suscitatus exhibuit supremam pascendi oues eius & agnos potestatem: *Matth. 16. 18. & 19. Ioan. 21.* Hæretici verò solo Christo contenti, omne ius Pontificiæ potestatis, & pascendi oues, aut non agnoscunt miseri, aut agnitum malitiosè respuunt. Nos enumerationem peccatorum, quæ ad aures fit Sacerdotis, & ad consilium, & ad absolutionem valere tradimus: plerique illorum tantum ad consilium. Nos satisfactorias pœnas à Sacerdote iniunctas prodesse nõ tantum ad exemplũ, & disciplinam aliorũ in Ecclesia, sed & ad pęnæ temporalis coràm Diuina iustitia debitæ solutionem docemus: illi tantùm, ad Ecclesiæ disciplinam. Nos iustificationis beneficium hominibus contingere, & via timoris, & via amoris apertè asserimus: illi ad amoris tantum viam restringunt.

Vides igitur quot modis diuinæ gratiæ largitatem coarctent Hæretici sub prætextu asserendæ gloriæ Christi? Sed quis tam cęcus est, qui non agnoscat gloriosius esse vniuersali caussæ, & quã Philosophi vocant homonymam siue æquiuocam, pluribus

vijs, & rationibus operari, quàm paucioribus? Habes, hoc lector, multos difficiles Scripturæ locos per hanc regulam reserari.

VII. Canon.

Agens secundarium agenti primario in operando cō iunctum nihil non modo detrahere sed etiam plurimum arrogare.

Septima regula: Quoties aliquod instrumentum coefficiēdi, & coadiuuandi virtutem habet ab aliquo principali agēte (aliàs per se ad præstandum effectum sufficienti & idoneo (liberè præsertim communicatam, eiusmodi instrumentum, siue adminiculum cooperari agenti principali non derogat, imò permultum illi arrogat. Nam cùm illo non indigeat, & Deus (qui principale est agens) illi virtutem quam habet, liberè communicet; & in omni secunda causa earum bonitas, & efficientia nihil sit aliud, quàm simplex primæ causæ perfectio: hinc factum est, vt quemadmodum humanitas Filio Dei vnita vt organum coniunctum nihil ei, à quo fuit assumpta, detraxit per hoc quòd saluat, redimit mundum, & iustificat: & vt etiam suo modo omnis creatura Deo cooperans illi non derogat, cùm ab eo vim totam agendi sortiatur: ita sanè quod homo per liberum arbitrium gratiæ Dei assensum præstet, vel cooperationem in salutis negotio, quod meritum æternæ vitæ per bona opera sibi comparet, aut quod Deo placato, & Patri pro peccatis satisfacere valeat, Dei bonitati, aut Christi sanguini non detrahitur. Et qui liberum arbitrium homini tollit, perinde sit in Deum creatorem contumeliosus, atque ille in Deum redemptorem iniurius, qui gratiam Christi necessariam, & ad salutem, & ad iustitiam inficiatur. Quanquam vt hęc maius Dei munus est, vt supernaturale, ita illud notius sit, & experientia ipsa homini compertius, etsi naturale.

Qui libero arbitrio hominem spoliant ac denudant, quàm grauiter in Deum peccant.

Obserua etiam, hac eadem ratione incruentum Eucharistiæ sacrificium, quod quotidie in Ecclesia Deo Patri offertur, cruentæ crucis hostiæ, à qua tantum vim expiandi accepit, nihil adimere. Adhæc Sacramenta ad sanctificandum hominem instituta, Domini sanguinem, aut mortem, à qua orta sunt, & quæ tanquam instrumēta separata illi subseruiunt, Christum minimè obscurant, sed exaltant potius: & Christo non opponuntur, cuius meritum, & virtutem pro Dei voluntate in alios exerunt. Fides quoque, vel bona opera quæ exigūtur, vel Sanctorum, qui in cœlo regnant, preces, & merita recōciliationi, & redemptioni Christi, qui mediator est, & à quo vim habent, non repugnant. Denique purgatorius locus animos è corporibus egressos purificans, & indulgentiæ, quæ ex Christi, & Sanctorum satisfactionibus, & laboribus colliguntur, ad temporales peccatorum nostrorum pœnas expiandas; purgationi peccatorum, quam Christus in cruce fecit, minimè aduersantur. Nam hæc omnia ab eius obedientia, & sanguine totam vim suā deriuāt, & ad ea nobis communicanda, tāquam apta quædam instrumenta, & accōmoda, ab ipso Christo instituta sunt. ¶ Ex huius regulæ vsu, nisi fallor, permultæ ambiguitates, & quæstiones, quæ scrupulos possent ingerere, & ab hæreticis sæpè inculcantur, manifestè expediuntur.

1. Tim. 2. & sæpius ad Heb.

VIII. Canon.

Ecclesiæ Sacramentorum numerus, ac finis.

Octaua regula: Septem sunt nouæ legis Sacramenta ab initio nascentis Ecclesiæ in hunc vsque diem vsu continuò cognita, & recepta, quibus nobis Deus gratiæ sanctificationem impertiri dignatur, etiam supra dispositionem, & merita nostra (quod est iuxta Scholasticos Doctores conferre gratiam ex vi Sacramenti, siue ex opere operato) quorum signa sensibilia, hoc est materia, & forma, partim Scriptura, partim etiā Apostolica traditione ad nos peruenerunt: nimirum Baptismus, qui ad renascentiam, & ingressum in Christum institutus est. Cōfirmatio, quæ & manus impositio in Actis Apostolicis vocatur, ad hominem in Fidei confessione corroborandum: Eucharistia, ad nutriēdos in gratia Dei spiritus nostros, & ad fidei, spei, & charitatis virtutes alendas: Pœnitentia, ad medicamentum cōtra peccata, quæ post Baptismum, & agnitum Christum perpetrantur: matrimonium, ad Christianam, & legitimam filiorum secundum carnem propagationem, & educationem, ac in fide eruditionem: Ordo Sacer, siue ordinatio, quæ etiam manus impositio plerunque apud Apostolum vocatur, ad filios Dei secundum Spiritum regenerandos, corroborandos, & à peccatis sanctificandos, sacraque doctrina, & sacrosanctis mysterijs imbuendos, & ad Ecclesiam rectè administrandam, & moderandam: Postrema Vnctio, ad salutarem de præsenti vita exitum, & ad victoriam in extremo mortis agone contra Satanam comparandam, & ad reliquias peccatorū, si quæ supersint, abolendas ¶ Hæc autem omnia etsi ex parte nostra dispositionem aliquam exigant, vt salutaria nobis existant, & ne margaritæ proijciantur in porcos: Baptismus tamen, & pœnitentia primam gratiam per se conferunt, etiam si illa percipiens non sit perfectè dispositus, quoniam ad labem originalem, & personalia delicta auferenda à Deo sunt instituta. Et hoc sibi vendicant, vt ex attritis, hoc est minus præparatis ad mysteriorum susceptionem, contritos, hoc est perfectè dispositos efficiant: reliqua verò Sacramenta cum gratiā conferant ea dignè

Ioan. 3. *Act. 8.*

2. Tim. 4. & infra 5.

Baptismi, & Pœnitentiæ Sacramenta quid proprii habeant.

Matth. 7.

suscipienti,

suscipienti, ex contingenti tamen peccata, etiam lethifera, si quæ nobis insint, & nos lateant, pro diuinæ bonitatis largitate remittunt. Hunc Sacramentorum numerum augere, vel imminuere, aut per illa negare Spiritum Dei, & gratiam nobis donari, vel alia ratione velle ea administrare, quàm Ecclesia Catholica Romana distribuere consueuit, vel sua autoritate committendo permisit, siue etiam dispensando concessit; nō est nisi hominis arrogantissimi, & plus sibi soli, quàm tutius Ecclesiæ iudicio tribuentis. Et intelligat quisquis contentione agit, extra Ecclesiam quidem posse Sacramenta esse, sed non prodesse, vt catholicè, & scite Augustinus pronuntiauit.

August. lib. 15. de Trinit. c. 18. tom. 5.

IX. Canon.

Nona regula: Infirma est, & putidus imbecilla illa illatio; quam quidam nostri seculi homines & decepti, & alios decipientes in ore habere solent, nempè, Christus nos iustificat, Christus nos saluat, Christus interpellat pro nobis: ergo solus, & sine alijs adiumentis, & subsidijs nos iustificat, & saluat; vel sine alijs aduocatis causam nostram agit apud Deum. Quandoquidem Dei Filius non agens aliquod naturale, nostram salutem operatur, sed pro sua sapientia iustificat, & saluat, vt illi placuit saluare. Voluit autem ab his, qui salutis suæ desiderio tenentur, & fidem, & Sacramentorum susceptionem, bonorum studium, diuinæ legis obedientiam, & in malo perferendo patientiam, ac in bono perseuerantiam, denique preces, ac merita Sanctorum (siue illi viatores sint, siue iam beati in cœlo regnēt) ad hoc opitulari. Vt ergo ridiculè quis syllogizaret: Medicus sanat, ergo solus sine pharmacis, sine venæ scissione, sine diætæ præscriptione: vel si sic ratiocinaretur, Architectus domum fabricatur, ergo sine calce, vel sine lapidibus, vel sine lignis, vel sine administris. Tales sunt Hæreticorum illationes frigidæ, & risu dignæ, quas conficiunt. Nam etsi Christus vt summus Mediator, & supremus reconciliator id per se efficiat, & alios in eo gradu reconciliationis, qui sibi soli competit, excludat: admittit tamen inferiori gradu, & sub se, & post se, & propter se alios aduocatos, & cooperatios administros. Hinc Apostolus, qui soli Christo nouerat saluandi mundi rationem cōpetere, non tamen erubescit de se ipso dicere; *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*: & alio loco: *Quandiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis*. Hinc preces & suffragia à Romanis, & Ephesijs mendicauit; nec propterea Christo mediatori & interpellatori iniurius extitit.

Hominis iustificationem, & salutem, non vt stulte colligunt Hæretici è Christo solo sed ab eius etiam cooperatione, atque alijs salutis idoneis subsidiis necessariò pendere.

1. Cor. 9.

Rom. 11.

Decima regula: Christus in Sacris literis non tantum considerandus est, vt Deus, sed vt homo, ex semine Abrahæ, & familia Dauid profectus: nec solùm vt caput Ecclesiæ, sed vt etiam corpori suo coniunctum, & in vicario suo capite repræsentatum; ac proinde mystici huius corporis induens qualitatem, & in factis, & in dictis eius induens personam: nec tantum vt sponsus seiunctus ab sponsa, sed vt vna caro, & vnus spiritus cum ea factus, in ea loquens, operans, & vim suam intimam ad fructus bonorum operum proferendos exercens. Item simul vt Euangelista, & legislator agnoscendus est. Euangelista quidem, vt est remissionis peccatorum, gratiæ, & Spiritus adoptionis, & vitæ æternæ promissor, & largitor: Legislator verò, vt qui tulerit legem Euangelicam, & eius exegerit obedientiam, sibi obsequentes remunerans, & contumaces, ac immorigeros debito æternæ gehennæ supplicio plectens. Est præterea in primo suo ad nos aduentu fidelis noster aduocatus, procurator, & fideiussor, quia sua gratia, & interpellatione agit causam nostram, & semper exauditur pro sua reuerentia. At in secundo aduentu meditandus, vt incorruptus, & iustus iudex, vnicuique pro merito suo reddens. Nec tantum vt SACERDOS cruentè in Crucis altari cum clamore valido, & lacrymis sacrificium offerens, sed simul etiam Sacerdos secundum ordinem Melchisedec, incruentè sine suo dolore, vel lacrymis per suos administros corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini sacrificans, ac litans. Ad hæc mediator est, & reconciliator humani generis; quatenus gemina sua natura, diuina scilicet, & humana, participat, & in quantum suo sanguine, ac morte nobis propitiatus est: qua quidem ratione vnus est tantum Mediator Dei, & hominum, vt dixit Apostolus. At vero vt mediator est precatione, & pro pœnis temporarijs exoluendis satisfactione, ac diuinorum donorum impetratione, & applicatione redemptionis in Crucem comparatæ, alios post se, & virtute sua cooperantes, aduocatos, & sequestros admittit, siue hic viuant, siue iam vita defuncti cum CHRISTO regnent, siue pro mortuis interpellent, siue sint Angeli, siue homines beati, vt Apostoli, Martyres, Confessores, & præsertim ante omnes & super omnes, sanctissima, ac Deipara Virgo, mundi singularis patrona, & aduocata.

X. Canon. Non vno modo, sed variis ac diuersis Christus in Scripturis à nobis considerari debet. *Rom. 1. & alibi sæpissime in Euangelio.*

Heb. 5.

Ibidem 7.

Ibid. 6. & Infra 7. Psal. 109.

1. Tim. 2.

Vndecima regula: Consilia, sunt opera, quæ sponte ab aliquo Deo offeruntur supra

XI. Canon. De consilijs Euangelicis

vtilis, ac vera, omniqne acceptione digna doctrina traditur.

pra communia præcepta : & hæc duplicis sunt generis. Altera quidem, quæ in præceptis à Deo traditis inueniuntur. In omni enim mandato Dei, siue sit Decalogi, siue ieiunij, siue orationis, siue eleemosynæ; aliquis gradus est, ad quem perficiendùm minimè Dei lege arctamur: atque eum ex superogatione, & voluntate nostra reddere possumus. Altera verò sunt opera, ad quæ reddenda non vllo Dei præcepto, sed quisque votorum promissis, ac vinculis se adstriuxit, vt erat in lege Nazaræatus, & Rechabitarum nuncupata vota, & multa alia, quæ quidam offerre soliti erant Deo ad se ipsos affligendum; de quibus est sermo Numer. 30. & in Euangelio paupertatis, & castitatis, & obedientiæ consilia à Christo omnibus proposita: & ad ea Domino promittendā, ac prestanda inuitat Spiritus sanctus, dicens per Prophetam: *Vouete & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius offertis munera.* Quo in loco, Vouete, non præcepti, sed consilij est: sequens verò, Reddite, præcepti est, & non consilij. Scriptum est enim: *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim Deo infidelis, & stulta promissio. Sed quodcumque voueris, redde.* Quemadmodum etiam ibi: *Alligatus es vxori? noli quærere solutionem,* præceptum est: porrò quod sequitur: *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem*; exhortatio est, & consilium. ¶ Porro agere cōtra consilia, siue, quod idem est, illa nolle amplecti, peccatum non est. Nam Paulus cùm dixisset: Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem: quibus verbis cœlibatum cōsulebat: subdit tamen: Si autem acceperis vxorem, non peccasti. Etsi nupserit virgo, non peccauit, illa scilicet, quæ virginitatem suam Deo non consecrauit. Nam si promiserit, & posteà nubat, habet damnationem; quia primam fidem irritam fecit. Etsi ergo peccatum non sit contra consilium agere: est tamen grauissimum delictum consilia cōtemnere, aut vota, quia esset Deum, qui per se in Euangelio, & per Paulum consuluit, contemnere. In quo grauissimè peccāt Hæretici, & propriè in Spiritum sanctum delinquunt, qui opera perfectionis, & superogationis negant, & risu, & cachinnis excipiunt, illaque Satanę tribuunt: & quod professores vitæ perfectioris, id est virginitatis, siue cœlibatus, paupertatis, siue mendicitatis, siue sanctissimæ vitæ monasticæ hypocritas vocant.

Hæc quotuplicia sint.

Num. 6. & seq.

Psal 75.

Eccl. 5.

1. Cor. 7.

Vnde constet, non recipientes consilia, minime peccare.

1. Tim. 5.

Eadem aspernantes cur peccent, & grauiter quidem.

Sed ego de consilijs Euangelicis, ac de votis monasticis, & reliquis, quæ eiusmodi sunt, ita statuo. Primò quidem Deus benedictus pro suā insigni bonitate homines ad vota emittenda excitat; deinde ad illa seruanda adiuuat. Quanquam strictius pręcepta sua, quàm nostra vota exigat: siquidem illa vim habent obligandi Deo, ista tantum ab hominis voluntate. Et homines ita sunt natura comparati, vt non æquè liberaliter sibi promissa, atq; iustè debita repetere soleant. Arctius etiam temporalia vota, quàm perpetua, ob nostram fragilitatem exigere consueuit. Adhæc strictiori iure finem, hoc est charitatem (quæ teste Apostolo finis est legis, & omnium præceptorum, & votorū, & legum) quàm ipsum votum, quod de his est, quæ ad finem sunt, vt sibi reddatur, postulat. Prætereà, ob liberam bonæ voluntatis oblationem, Deus vota sibi oblata libēter acceptat, benignè obseruantiam eorum interpretatur, mitius eorum transgressionē punire consueuit; ampliori etiam præmio vota obseruantes pro sua munificentia remunerat. Quod enim mitius violationem votorum interpretetur, explicauit Bernardus in lib. de Præcepto, & dispēsatione, his verbis: *Præceptu instituitur vita, contra peccatum: remedijs instituitur post peccatum innocētia. Solum censuerim fregisse votum, qui & præceptum contempserit, & remedium. Nam illum sanè dico securum; qui etsi interdum obedientiæ limitem præterit, consilium non respuit pœnitentiæ.* Hæc ille. Quod verò voti obseruatores largiter pro sua munificentiā remuneret, constat: nam ita pollicetur Eunuchis, hoc est volūtariè se castrantibus propter regnum cœlorum, in domo sua; & in muris suis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus. Et adspiranti ad perfectionem, & distribuenti bona sua in vsus pauperum, non iam regnū cœlorum, sed thesaurum in cœlo Christus peculiariter pollicetur. Hinc fit, vt monachus, siue religiosus regulam suā obseruās, in maiori periculo suæ salutis non versetur, quàm alius quicunque laicus, & voto solutus, qui liber pro suo arbitrio viuat; modò desit dolus, & lata culpa. Imò laici quanto liberiores, & solutiores existūt, cùm in medijs seculi fluctibus versentur, & innumeras ansas, & occasiones peccandi habeant, maioribus sanè tum animi, tum corporis periculis subijciuntur, & grauioribus Satanæ insultibus expositi sunt. Neque aptiori exēplo indicari potest distinctio vtriusque vitę, & secularis liberę, & religiosę, ac regularis votis adstrictæ: quam quod illi magna cùm tēpestate in medio mari nauigant, illi verò tanquam in portum recepti, quieti, & tranquilli agunt. Hæc aūt si quis attēte meditetur, ac ruminet, facilè ante eius oculos euanescent omnes Hæreticorū conatus, ac tela, quibus Monasticum statum, & Regularem obseruantiam demoliri conantur.

Deum præceptorum suorum maiorem, quā votorum nostrorum obseruantiam à nobis requirere.

1. Tim. 1.

Vota transgredientium pœnas esse Dei benignitate vt plurimum mitiores.

B. Bernard.

Esa. 56.

Matth. 19.

Ibidem 21.

Religiosorum vitam cum secularium vita hominum cōparatam qualem meritò diceris.

Duo-

XII. Canon. Quæ vera doctrina & legitima à nobis recipienda, quæ falsa, & illegitima reijcienda.

Duodecima & postrema regula ex Pauli doctrina petéda est: qua nos instruit de discernenda doctrina Catholica ab omni adulterina & spuria, siue Iudæorum, siue Hæreticorum. Ait enim illam esse veram, & omni acceptione dignam doctrinam, quæ antiquitate præcellit, & in vniuersum recepta est, vt quicquid alienum ab illa prædicarũ fuerit, suspectum esse intelligamus. Hãc regulam tradit Apostolus in episto. ad Gal. cum ait: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Sicut produximus, & nũc iterum dico; Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.* Et ad Roman. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* Et Ioannes: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.* Est enim veritas prior, & antiquior mendacio, sicut & habitus priuatione: & prius fuit seminatus ager bono semine, quam ab iniquo homine superseminaretur zizanijs. Et cum fecerit Deus hominem rectum, cõstat virtutem vitio, aut peccato antiquiorem esse. Errores idololatriæ, & fabulæ omnes posteriores sunt veritate. Hinc primus Ignatius epistol. ad Heronem Diaconum: *Omnis igitur qui dixerit præter illa, quæ tradita sunt, tametsi fide dignus sit, tametsi ieiunet, tametsi virginitatem seruet, tametsi signa faciat, tametsi prophetet, lupus tibi appareat in grege ouium corruptionem operans. Si quis crucem negauerit, & passionem erubuerit, sit tibi tanquam aduersarius, tametsi substantiam suam pauperibus distribuat, tametsi montes transferat, tametsi corpus suum combustioni tradat, sit tibi execrabilis, & abominabilis.* Hæc ille. Accedat secundus Origines, qui hæreticum definit his verbis: *Hæreticus habendus est omnis ille, qui Christo quidem se credere profitetur, aliud tamen veritate Christianæ credit, quam habeat Christianæ fidei definitio.* Ecclesiæ, inquit, definitio, & nõ sacrarum literarum traditio: quia Ecclesia nõ tantũ Scripturas, sed etiã traditiones nõ scriptas ab Apostolis accepit. Tertul. hoc potissimum telo hæreticos refellit, & hac in illos præscriptione vtendum esse tradit, quod noua dicant, & à Patrum sententijs aliena. Et inter cætera ita habet: *Sed ab excessu reuertar ad principalitatem veritatis, & posteritatem mendacitatis deputandam ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum primo constituit; auenarum autem sterilis fœni adulterium ab inimico diabolo posteà superducit. Propriè enim doctrinarum distinctionem figurat; quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est: Ita ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum, & verum, quod sit prius traditum, id autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissum.* Hæc ille. Accedat quartus Vincent. Lyrinensis: *Quia videlicet ipsam scripturam Sacram pro sui altitudine non vno eodemque sensu vniuersi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, vt pene quot homines, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Nouatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priscilianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Celestius, aliter postremo Nestorius: atque idcircò multum necesse est, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ, & Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigatur. In ipsa item Catholica Ecclesia magnoperè curandum est, vt id credamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc enim verè, proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quod omnia, verè, vniuersaliter comprehendit. Sed hoc demum ita fit, si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem vniuersitatem hoc modo: si hanc vnam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbẽ terrarũ confitetur Ecclesia, antiquitatem verò, ita si ab ijs sensibus nullatenus discedamus, quos sanctos maiores, ac patres nostros celebrasse, manifestum est. Consensionem verò item: si in ipsa vetustate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & magistrorum definitiones, sententiasq; consectamur.* Hæc ille, & eleganter, & doctè. Porrò quæcunque doctrina, quæ aliud quodcunque tradit, quod alienum sit à traditis, vel receptis in Ecclesia Dei, meritò tanquam suspecta, fugienda est: quia aliũ Christum prædicat, & aliud Euangelium concionatur, & alium spiritum sapit. Ita enim Apostolus. 2. Cor. 11. loquitur: nam describens hæreticum, ait: *Si is qui venit* (scilicet sua sponte, non missus) *alium Christum prædicat, quem non prædicauimus, aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis, aut aliud Euangelium, quod non recepistis, rectè pateremini, vel rectè sustineretis.* Quæ postrema verba non sunt laudantis talem sentẽtiam, sed vberius arguentis; quasi diceret Apostolus, verum Christum, & verum Euangelium, & verum Spiritum à se prædicatum: nec opus esse attendere ad omnes prædicatores, qui quoquomodò aliena docent, quia illi non nisi falsum Christum prædicant; non Euangelium, sed Cacangelium proponunt: nõ Spiritum sanctum, sed spiritum carnis prædicant. Hinc Apostolus Galatas obiurgat, quod translati ab eo essent, qui eos vocauerat in gratiam Christi, in aliud Euangelium;

Marginalia (left): Gal. 1. — Rom. vlt. — Ioan. 10. — Veritas autẽ mendaciũ est, & bono malũ posterius. — Matth. 13. — Ibidem. — Eccl. 7. — B. Ignat. epist. 13 prope init. — 1. Cor. 13. — Hæreticus quis ille, secũdũ Originem. — Orig. in epist. ad Tit. — Tertul. l. præscrip. hæretic. & alibi sæpè. — Dict. libr. de præscr. hæret. — Zizania quid mysticè. — Matth. 13.

Marginalia (right): Vincen. Lyrinen. li. in prophanas hæreseõ nouitates. — Hæreticorum in Scripturis interpretandis quot capita, tot sunt sententiæ. — In Catholica Ecclesia quid sit credẽdũ. — Ecclesiæ vniuersitatem, antiquitatẽ, consensionẽque quomodo sequemur. — Hæretica doctrina ex trib. dignoscitur. — 2. Cor. 5. — Qualẽ Christum hæretici prædicent, & quale Euangelium. — Gal. 3.

Nouitas doctrinæ quæ fugienda.

lium; cum tamen non esset aliud, nisi quod sunt quidam, qui volunt innectere, & peruertere Euangelium. Porrò illud perspiciendum diligenter, ne nouitas cõtradicat Patrum fidei, & sententiæ: nam talis est hæresis: & hæc nõ potest nisi vsque ad ipsos eius autores, & inuentores ascendere, aut in alium dãnatum hæreticum, qui illam prior asseruerit; & maiorem antiquitatem nõ habét. Certè nostri seculi hæretici de proprijs inuentis sese pluries iactarunt. Atq; hinc facillimum fuit, orientes nostri seculi hæreses, & falsas Pauli, & Euangelij, reliquarumque Scripturarũ interpretationes agnoscere, quas omnes nouitate, & vt sic dicam, iuuétute sua manifestè hæreticas prodiderũt. Vt nihil dicam, quod contra veteres Patres sanctissimos, doctissimos, & incomparabiles viros, & fulgentissima Ecclesiæ lumina,

Nouellorũ hæresũ impietas, & impudẽtia.

quod aliter atque ipsi eas interpretati sunt, multa indignè, impudenter, & petulanter scripserunt miseri, & totam Ecclesiam, quæ illos autores secuta est, damnauerunt, nec etiam supremo Fidei iudice, nec Christi vicario, & Petri successore, nec ad Concilium Oecumenicum tanquam ad incorruptissimum tribunal, publica data fide, sæpius vocati ausi sunt comparere, aut causam suam agere: quinimò ipsi seipsos & testes, & accusatores, & iudices omnium, diuersũ aliquid à se sentientium constituerunt, & commẽdarunt. Sed vt dixit Apostolus, *Non omnis qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Et causam Fidei potius bello & armis decetni voluerunt (in quib. illis omnia infeliciter cesserunt) quam apertis Scripturarum locis, aut firmis Patrum & Conciliorum testimonijs: & illorum capita suis ad conferendas manus non cum Catholicis tantum, sed etiam cum principibus suis, & Regibus, quibus omni iure, & naturali, & diuino suberant, classicũ cecinerunt. Denique quò falsam suam doctrinam corroborarent, innumeros libros, quas Centurias inscripserunt, infinitis penè mẽdaciorum plaustris, & detortis sacrarũ literarum expositionibus illos nobis obtruserunt, vt Ecclesia Catholica de tantis dolis & mẽdacijs publicum ageret triumphum, cum iam illis nõ sit integrum aut inficiari libros à seipsis editos, aut fingere se in alium sensum illa dixisse, atque à nobis accipiuntur. Nam hoc est illis singulare suffragium, quò possint cantare, & recantare quæcunq; volunt. Deus etiam mirabiliter Ecclesiæ suæ consuluit, atq; prospexit, dum eos in varias sectas diuisit, ac separauit, vt eõstatet toti orbi minimè inter se concordes esse, nec magis inter eos conuenire, quam inter turris Babylonicæ constructores olim conuenit; cum prius ipsi se per horrendum schisma ab Ecclesia Catholica præciderint, ac separauerint. De quibus: *Hi sunt, inquit, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Sed ad regulam nostram reuertamur, rogantes omnes, qui Catholicæ Ecclesiæ nomen, ac doctrinam profitentur, vt eam teneant, & amplectantur: nam eius præsidio non solum omnes præsentis seculi hæreses facilè intelligẽt, sed etiam errores vniuersos, qui in futurum pullulabũt in Ecclesiã, facili negotio agnoscent, & agnitas impugnare, & in ostentum ponere poterunt: veras etiam, & germanas Paulinę doctrinę interpretationes à nouellis hæreticorum interpretamentis distinguent, illasq; expositiones omnes in triumphum actas ingulare valebunt. His paucis regulis, bone lector, te præmuniendũ duxi ad lectionem tãti Apostoli: tu pro tua prudentia meliora cogitabis. Rectè siquidem scriptum est: *Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia.*

2. Cor. 10.

Eorũ in principes tã Ecclesiasticos, quã laicos cõtumacia, & superbia.

Centuriatorũ cẽturiæ Magdeburgensiũ quò tandem ceciderint infelices.

Genes. 11.

Vtilitas Canonis huius vnde condiscitur.

Prou. 9.

DISPVTATIO. X.

De ratione venandi verum, & genuinum sensum in epistolis Pauli.

OPTIMA illa regula est ad obscuriores Pauli locos intelligendos, & explicãdos, si loci similes, qui de eadem re ediſſerunt, inter se conferãtur. nam vnus solet alterum illustrare: vt verbi gratia ad Ephes. 6. habetur: *Galeam salutis assumite:* quæ sit illa salus, explicat 1. Thessa. 5. cum ait: *Et galeam spem salutis,* Item quod dixerat ad Ephes. 6. *Induti loricam iustitiæ,* explicat ad 1. Thess. 5. *Induti lorica fidei & charitatis.* Quid sit ira de cœlo, super omnem impietatem & iniustitiam, Rom. 1. explicauit 2. Thessal. 1. Quod etiam ad Gal. 4. dixit: *Spiritum Filij sui missum à Deo in corda nostra clamantem, Abba Pater,* explicauit ad Rom. 8. Et id quod Paulus dixit de figulo, & vasis iræ & misericordiæ, Rom. 9 explicauit 2. ad Timoth. 2. Et ita vbi est sermo de eisdem rebus, vterq; locus venit meritò consulẽdus, quia vnus alterum illuminabit. Vir quidam nostro seculo eruditione & dignitate præclarus, interrogatus, qua ratione Pauli loci aperiri & explicari possent, respondere solebat, hanc sibi videri proximam, & quasi compendiariam viam, si quis id obseruet, vt posteriorẽ cuiusque epistolæ partem, quæ de Christianis moribus est, legeret, intellectamque vita, factisque exprimeret: deinde ad priorem partem, in qua de dogmatibus differit, accedat,

Obscuriorũ locorũ Apostoli per alios eiusdem explicatio primus. Ephes. 6. 1. Thess. 5. II. locus. Ephes. 6. III. locus. Rom. 1. 2. Thess. 1. Gal. 4. Rom. 8. IV locus. V. locus. Rom. 9. 2 Thess. 2.

B Aug lib. de AgoneChrist. cap.13. tom 3. à medio.

accedat: quia non nisi ijs, qui puro, & mundo sunt corde, veritas illabitur. Quod Augustinus confirmat lib. de Agone Christiani: *Errat quisquis putat, veritatē se posse cognoscere, cùm adhuc nequiter viuat.* Hæc ille. Sed non solum est peculiare Paulo, sed etiam toti Scripturæ. Et si certa quadam ratione possumus agnoscere hoc Paulo congruere, quia eius parænenses illos locos edisserunt, qui similes & conformes sunt dogmatibus, de quibus superius disputabatur.

Quænam Pauli epistolæ sint eiusdem aliarum interpretes.

Idem etiam dicendum in genere de epistolis integris: nam epist. 2. ad Timoth. non potest facilè intelligi sine priori, & prioris est interpres epist. ad Ephes. cuius Timoth. erat Episcopus. Hæc autem ad Ephes. lumē adferre potest epist. ad Colos. de eodem argumento, aut quam simillimo conscriptæ, & harum quatuor epistolarum loco interpretationis habendæ sunt epist. Iudæ, & secunda Petri.

Vtilis Apostolicæ totius exactæ ætatis cognitio ad epistolarum eius intelligētiam.

Præter hanc collationem plurimum lucis inuehimus in Pauli epistolas, si historiæ antiquitatem, quæ per. 36. annos ab assumptione Pauli in Apostolum, vsque ad eius mortem protēditur, notam, & exploratam habuerimus. nam præter ea, quæ in illo tēpore acciderunt circa fidem, & bonos mores, cōscriptæ sunt epistolæ Pauli, & eos hæreticos iugulabant suis literis, qui illis dirb. florere, & regnare videbantur. Hanc autem historiam Patres nobis descripserunt, Irenæus, Euseb. Epiphan. Philastrius, & Augustinus. Inde enim accipere possumus quò dimicaret Paulus, & quales fuerint hæretici, qui ipsi obstare videbantur.

August. lib. de hæres. ad Quoduultdeum tom. 6. initio.

Hæreticorum duæ sectæ capitales Apostolis contemporaneæ, Pharisæa, atque Simonis Magi.

Duæ autem eo tempore principales erāt familiæ hæreticorum, altera fuit Pharisæorum, siue Nazaræorum, & Ebionitarum, qui reuocando Iudaismū, legis ceremonijs potissimum insistebant, vnde peculiariter Galatas deceperant, & Hebræos ad legem redire persuadebant: quod in vtraque & ad Galat. & Hebr. epistula est præ oculis habendum, & in epist. ad Colos. Rom. etiam de eadem re acriter disputatum fuit inter eos, qui tuebantur legem veterem, quasi ad salutem necessariam, & sine qua non contingeret remissio peccatorum, & iustificatio, & inter eos, qui cognito Christo, & potenti virtute Euangelij, qui per fidem & gratiam communicatur, nuntium mittebant ceremonijs, & toti legi Mosaicæ. Vnde & ille, qui Act. 15. descenderat de Iudæa, ac docuerat fratres: *Quia nisi circūcidamini secundū morē Moysi, non potestis saluari*, Cherintus hæreticus fuit ex Hebræis, vt testatur Epiphanius. Idem etiam Cherinthus fuit, qui Act. 21. seditionem excitauit in Paulum, qui clamauit dicens: *Viri Israelitæ, adiuuate: hic est homo, qui aduersus populum, & legem, & locum hunc, omnes vbique docens, insuper & Gentiles induxit in templum, & violauit sanctum locum istum.* Altera familia principalis erat Simonis Magi, qui ante Paulum baptizatus fuit, & primus post Christum hæresim induxit. In ea erant permulti; vt Menander, Basilides, Nicolaus, Gnostici, Carpocrates, atque alij.

De Cherinto quid scripserit Magnus Epiphanius.

Epiphan. in hæres. 28. contra Cherintū. Act. 21.

Simonis Magi sectatores quinam principales.

Act. 8.

Cum enim omnes hæreses ab studiosis ortæ sint, expoonendū est in genere loquendo, quòd ab orbe condito vsq; ad diluuiū nō fuerunt vlli hæretici, sed vel fide, & sancta vita, vel falsa fide, & prauis motib. prædiți erant. A diluuio autem vsque ad tritauum Abrahæ nominatum Phaleg, hæretici etiam nulli fuerunt: sub Phaleg tamen nata est Magia, posteà sub proauo Abrahæ ortum habuit Idololatria. Deinde successit Hellenismus, id est; paulò subtilior doctrina Græcorum, & tunc exortæ hæreses, cum tamen ab Adam vsq; ad Abraham quatuor sint vitæ hominum, per quos Dei traditio facilè propagari poterat, & non vt modò, qui in ostendēda traditione Christi ad nos ipsos, opus habemus per plurimorum hominum ætates discurrere. In Græcia nullus scriptor est antiquior Moyse, post illum verò venerunt poemata Orphei, Lini, Musæi, Homeri, & Hesiodi, de Promotheo, Saturno, Ioue, Minerua, Diana, & reliquis. Erit a Theologia Grȩcorum orta est tempore Iudicum: tempore autem Ezechiæ Regis nati sunt septem illi sapientes, siue σοφοὶ à Græcis dicti: primus fuit Tales, & reliqui sex. Post hos venit Pythagoras, qui autor fuit, vt humiliori verbo dicerentur Philosophi, id est, amatores sapiētiæ, quàm illo turgido, & superiori sapientium. Atque horum duæ extitere familię, altera Ionicorum, & Italicorum altera. Et ita Philosophia diuisa est in sectas multas. Ionici autē Philosophi sedē suam Ephesi habuerunt, vt Cicero, Laertius, Plutarchus, & Augustinus testantur.

Magia, Idololatria, & Hellenismi, atque hæresum latria.

Græcis Scriptoribus cunctis fuit antiquior Moyses

Quando florerent septē Græciæ Sapientes.

Duæ sectæ Philosophorum præcipuę.

M. Tull. de natura Deorum.

Plutarch. & Laert. de vit. Philosophorū. August. lib. 8 de ciui. Dei, tom. 5.

Hi autem suis dogmatibus doctrinam Christi corruperunt: sicut apud Israelitas prima doctrina pietatis adulterata est, cum essent in Chaldęa captiui: nā inde missi sunt ex Assyria, qui occuparent terrā Samariæ. 4. Reg. 17. & inde cœperunt serere errores suos. Hauriebāt autem prauam doctrinam non ex ratione humana, sed ex Scripturis malè intellectis. Sectæ Philosophorum doctrinam Christi rationibus humanis corrūpebāt, & argumētis dialecticis: vnde Samaritæ nomen non tam in Scripturis gentem, quàm sectam significat. Dositheus verò primus fuit in edendis Deuterosibus Iudæorum, id est, Commentarijs in libros Moysis

Prima apud Iudæos doctrina pietatis quando cœperit deprauari. Vnde, & quomodo hæretici illi nominati Euangelicā doctrinam peruerterent. Primus Mosaicæ legis interpres quis.

ante Christi aduentum, & ibi primum fuerunt nati Sadducæi, deinde Pharisæi, postea Nazaræi: quas omnes sectas Christus in hunc mundum veniens confutauit.

Magi Simonis dogmata peruersa.

Act. 8.

At Simon Magus post Christum primus introduxit fabulas Homericas, & aliorum Poetarum, dicens illas allegoricè de se prædictas: asseruit se esse δύναμιν Dei, seu virtutem, & ex se, vel alijs Poetis induxit Magiam, & Angelicas potestates, & principatus, cuius discipuli fuerunt Nicolaus Diaconus, de quo Act. 6. Meander item, & Basilides, qui post martyrium S. Ignatij extinctus fuit.

Supra 6.

Carpocratis, atque Cherinthi impia doctrina.

Infra 15.

Infra 21.

Hieron. to. 1.

Carpocrates autem, & Cerinthus, qui viuebant tempore quo Antiochiæ Paulus prædicauit, docebant, *Nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis saluari*, & hic Ierosolymis Paulo concitauit seditionem: & teste Hieronymo libr. de viris illustribus, mortuus est post Basilidem. Porrò Philippus Apostolus post mortem Christi anno vicesimo occisus est ab Ebionitis, qui non erant de familia Simonis Magi, sed de familia iudaizantium, qui baptismata varia seruabant, ac delectum ciborum, genealogias interminatas, & doctrinas dæmoniorum, & fabulas. Et si quis diligentius inspexerit, agnoscet in quas sectas, & in quos homines factionum autores Apostolus Paulus epistolas suas conscripserit.

Ex quibus essent Ebionitæ: eorum hæresis.

Homonyma ad Pauli intelligentiam sunt necessario distinguenda.

¶ Danda quoque opera videtur, vt in Pauli sensibus accipiendis voces homonymas, siue æquiuocas prius in sua significata distinguamus, vt ex multis illam significationem teneamus, quæ illo loco magis consonat, & reliquas quæ dissonant, reijciamus. Nam verbi gratia fructus hæreticorum est, non distinguere fidem à fide. Est enim fides sine charitate, quæ otiosa, & mortua est, teste beato Iacobo. Est illa, quæ per charitatem operatur, aut saltem in charitate terminatur. Nam hæc eius, qui actu iustificatur est, sicut illa, quæ per charitatem operatur, iustificati est, siue iusti, & in Christo existentis. At hæreticus, qui hæc non distinguit, neque more mundi animalis ruminat, & diuidit vngulam, implicatur in seipso, & alios implicat.

Iacob. 2.

Gal. 5.

Quale animal hæreticus.

Leuit. 11.

Deut. 14.

Deinde cùm nomen legis non solum ad Mosaicam, sed etiam ad Euangelicam extendatur, dicente Apostolo: *Ego per legem legi mortuus sum*, &, *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis*: & post Testamentum Vetus per Hieremiam promittit Nouum, & dicit, *Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas*; non nisi hæreticorum est errantium, & in errorem mittentium, illas duas leges inuoluere, & in vnam & eandem legem contrahere, & à se inuicem eas nequaquam distinguere, & impudenter profiteri, CHRISTVM nullam legem tradidisse.

Aliam esse legem Moysi, aliam Christi, seu Euangelij, contra Lutheranos.

Gal. 2.

Rom. 8.

Ierem. 31.

Heb. 8.

1. Tim 5.

Quod opera bona homines iustificent contra eosdē.

Rom 2.

Tertiò, cùm apertè Apostolus Paulus bonis operibus iustificationem tribuat, vbi ait, *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*, scilicet apud Deũ, vt ostendit aduersatiua particula, Sed. & Iacobus frater Domini: *Non auditor obliuiosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit*: quòd si beatus & iustus; iustificant ergo facta, siue opera. Idem rursus indicauit, cùm dixit: *Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?* Similiter & Rahab meretrix, nõne ex operibus iustificata est suscipiens nũtios, & alia via eijciens?

Iacob. 1.

Infra 2.

Gen 22.

Iosu 22.

& seq.

Duplex iustificatio in Scripturis.

Oportet ergo non vnum aliquod iustificationis genus, sed multiplex constituere, & aliam esse iustificationem primam, qua quis Christo inseritur, aliam posteriorem, quæ in bonorum operum meritis, & iustitiæ incremento consistit, vt adimpleatur illud: *Qui iustus est, iustificetur adhuc: & qui sanctus, sanctificetur adhuc*: ac proinde, qui hæc ad vnam & simplicem iustificationem refert, procul dubio errat.

Apoc. vlt.

Venalia etiam à lethalibus peccata distingui.

Prætereà, alia sunt peccata leuia, & minuta, sine quibus filij Dei, & iusti hanc vitam non transigunt, quæ nec iustificationi, nec eius incremento, neque perfectioni officiunt: neque repugnant Apostolis, nec Euangelistis, aut summis in Ecclesia Dei viris, pro quibus præcepit Christus vt orarent, Dimitte nobis debita nostra, &, In multis offendimus omnes. Alia verò sunt lethalia, & mortifera, quæ gratiæ Dei aduersantur, & cum illa consistere non possunt. Quare qui discrimen inter veniale & mortale peccatum non admittunt, planè cæcutiunt, & in meridie hallucinantur.

Matth. 6.

Iacob. 3.

Alia est præceptorum, alia consiliorum perfectio Christiana.

Matth. 5.

Adhæc duplex est perfectio, altera respondens communi præceptorum obseruationi, quæ ex charitate fit, de qua dixit Christus: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*; & Paulus: *Gaudete, & perfecti estote*, & Colossens. 1. *Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* Altera perfectio est, quæ consilia Euangelica paupertatis, castitatis, & obedientiæ complectitur, ad quam nemo constringitur, sicut ad priorem alteram, de qua dixit Christus, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me*, &, *Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* Qui

Infra 10.

Ibidem.

ergo

Heretici nodum in scirpo quærunt.

ergo inter has duas perfectionis species nō discernunt, sicut nec inter consilia, & inter præcepta, nodum in scirpo quærunt, & Euangelij partes potissimas confundunt.

Aliæ quoque traditiones Pharisæorum, & Seniorum, aliæ Apostolorum. Supra 15.

Amplius in Euangelio insectatur Christus non solum traditiones Pharisæorum, quæ per se malæ erant, & diuinæ legi repugnabant, sed etiam illas superstitiosas, & inutiles seniorū: vt erat illa de frequenti manuum lotione cum māducarent. Paulus etiam diuersis locis illas impugnat, & maximè ad Titum; *Non intendentes*, ait, *Iudaicis fabulis, & mandatis hominum se auersantium à veritate*. Contra verò Apostolus tradebat per singulas ciuitates traditiones Apostolorum in Ecclesijs obseruādas Act. 16. & 17. & rursus ad Thessal. cap. 2. *State, tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*. Quis ergo nisi sponte cæcutire, & agnitæ veritati repugnare volens, nō intelligat, alias esse traditiones legis veteris, siue Pharisæorum, & seniorum, à traditionibus, quas Ecclesia Catholica omnibus ab initio obseruandas tradidit: & has esse Euangelicas, aut saltem Canonicas & Ecclesiasticas, illas verò Iudaicas iam extinctas, & cum Mose, & eius lege sepultas.

Tit. 1.

Act. 5. Infra 16. 2. Thess. 2.

Primus locus homonymarum vocum in eadem clausula distinguendarum apud Paulum. 2. Cor. 5. Rom. 8. 1. Pet. 2. Esa. 53.

Quando etiam sub eadem clausula bis idem ponitur nomen, signum est homonymiæ; vt cùm ait 2. Corinth. 5. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: & ad Roman. octauo. *De peccato damnauit peccatum in carne*. In primo testimonio, fecit peccatum, est, se obtulisse hostiam pro peccato; & ideò nō pugnat cum Petro, qui dixit: *Qui peccatum nō fecit, &c.* In secundo testimonio, de peccato, id est, de hostia à se pro peccato oblata, abstulit peccatum nostrum.

Secundus locus. Rom. 4.

Item ad Roman. 4. de Abraham: *Qui in spem, contra spem credidit*. Græca habent: Ὃς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν, hoc est, vt alij vertunt: Qui propter spem sub spe credidit, vbi etiam æquiuocatio est vocis spei. Quod paucis verbis explicat apud Oecumenium Seuerianus: Sub spe, ait, in Deum, propter spem propriæ naturæ, sub potentia eius qui promiserat. Habetur etiam ad Roman. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*; & rursum: *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ propter legem erant, operabantur in membris nostris*: contrà verò habetur: *Erunt duo in carne vna*: *Permanere autem in carne, necessarium propter vos*: rursus, *Si viuere in carne hic mihi fructus est, &c.*, *Quod autem nunc viuo in carne; in fide viuo Filij Dei, &c.*, *Qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum*, est æquiuocum esse in carne. Et in primis locis accipitur in malam partem,

Seuerianus apud Oecumen. cap. 5. Tertius locus. Infra 8.

Gen. 2. Philip. 1.

Ibidem

Gal. 2.

id est, esse in carne corrupta, & à peccatis dominata; in posterioribus verò significat, esse in carne, nondum peruenisse ad terminum æternæ vitæ, & solùm apponitur esse in carne mortali, & passibili, vt via, & terminus, vt ibidem Romanis scribit Apostolus: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*. Esse ergo in carne, est carere Spiritu Dei hominem carne & spiritu constantem. Rom. 8.

Quartus locus ex Euangelio. 1. Reg. 20. Luc. 1.

Adhæc quemadmodum nomen ciuitatis Dei homonymum est, & significat Bethleem, & arcem Sion: de primo habetur. 1. Reg. 20. *Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethleem ciuitatem suam*, & Luc. 2. *Ascendit autem & Ioseph à Galilea de ciuitate Nazaret, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlem*, & rursus, *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid*. In secundo significatu pro arce Sion accipitur. 2. Reg. 5. *Cepit autem arcem Sion, hec est ciuitas Dauid*, & infrà: *Habitauit autem Dauid in arce Sion, & vocauit eam ciuitatem Dauid, & ædificauit per gyrum à Mello, & intrinsecus*. Quemadmodum etiam Christus Dominus apud Matthæum capite nono, dicitur transfretasse, & venisse in ciuitatem suam, quæ Luc. 4. & Marc. 2 dicitur Capharnaum, quia ciuitatem hāc peculiariter inhabitauerat: & tamen Nazareth dicitur eius patria, & ciuitas Matth. 13. & Marc. 6. & Luc. 4. Vnde & titulus erat, Propheta à Nazareth, & Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Est ergo patria Christi cōceptione Nazareth, natiuitate Bethleem, peculiari habitatione Capharnaum. Ita etiam Apostolus Paulus dicitur ciuis Romanus natus Actor. 22. & Actor. 21. Ego homo sum quidem Iudæus à Tarso, Ciliciæ non ignotæ ciuitatis municeps. Et in principio capitis sequentis: Ego sum vir Iudæus natus à Tarso, &c. Ita etiam quod Hierony. testatur eū esse de Ghischali Galilææ oppido, non pugnat cū eo, quod sit natus à Tarso Ciliciæ: quia oriundus fuit ex Ghischalis, ortus Tarso, natus autem ciuis Romanus; non ait in vrbe Roma, quia pugnaret sibiipsi, sed ciuis Romanus natus, quia parentes eius migrauerant propter bella dispersi de Ghischali Galilææ in Tarsum Ciliciæ, & antequam nasceretur, eius pater cū tota Tarso, donatus erat Ciuitate Romana, ac proinde in Tarso ortus est; sed cum hoc priuilegio & ornamento quòd esset ciuis Romanus. Et hæc sunt diligenter annotanda ad homonymias tollendas. ¶ Præterea apud Paulum vox est homonyma, at-

Ibidem.

2. Reg. 5.

Quintus locus, ex eodem.

Sextus locus ex Actis. Act. 22. Supra 21.

Hier. lib. de Script. Eccles. in vita Pauli, init. to. 1. sub initium.

Sextus locus item ex Paulo

que adeò contrarias res significans, Mori peccatis, & delictis: nam si illa in Auferendi casu pnnantur, sensus esset, Mori per peccata, & delicta.

Ephes 2.

Et ita Panlus Ephes. 2. scribit: *Et vos conuiuificauit, cùm essetis mortui delictis, & peccatis vestris.* Et infra: *Et cùm essemus mortui peccatis*, id est per peccata, vel in peccatis, vt sæpè aliàs snlet Paulus vsurpare, vt

Coloss. 2.
Ioan. 8.

Coloss. 2. *Et vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ.* Et Dnminus Ioan. 8. *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.*

Ezech. 18.

Et apud Ezech. 18. *In præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur.*

Ibidem

Rursus: *Cùm auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatẽ, morietur in eis: in iniustitia quam operatus est, morietur.* Mori autem peccato, vel peccatis in Dandi casu, oppositum signat: quia est non amplius viuere peccatis, nec illis vlterius incumbere, vt prius, nec amplius permittere vt in cor de suo viuant peccata.

Rom 6.

Ita enim ipse Apostolus explicauit Roman. 6. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?*

Ibid.

Infra: *Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato: viuentes autem Deo in Christo Iesu.*

1. Pet. 2.

In hunc sensum legimus 1. Petr. 2. *Vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.* Et ita mori peccato, est viuere iustitiæ. Ita etiam dicitur quis mortuus legi, & mundo, & crucifigi: ait enim ad

Gal. 2.
Infra 6.

Galatas: *Ego per Legem, Legi mortuus sum.* Et rursnm: *Per quem* (scilicet Christum) *mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ita dicere potuit, Mihi mundus mortuus est, & ego mundo. Et ita, mori in peccatis, contrarium est mori peccato. Tertiò, hæc locutio alind interdum signat: nam Roman.

Rom 6.

6. Apostolus scribens, ait: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo.* Certè Christus neque mortnus est in peccato, quod habuit nunquam, neque peccato vlli proprio mori potuit, vt post illud viueret Deo: sed mortuus peccato, signat idem quod, mortuus pro peccato, vel propter peccatum nostrum delendum. Sicut quod sequitur, *Viuit Deo*, signat, id est, viuit propter Deum, vel, eo quod sit Deus, vt ait

Oecumen. ca. 8 in epist. ad Romanos, ante medium.
Rom. 14.

Oecumenius. Ita ad Roman. 14. loquitur Paulus: *Nemo nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur.* Id est, Nemo est qui propter se viuere, aut mori debeat, sed propter Dominum, cuius sumus, & cui vita & morte est seruiendum, vt subiungit. ¶ Ne quis ergo res diuersas eisdem vocibus expressas confundat, & res ipsas vocibus; non autem voces, vt par est, rebus distinctis accommodet, consultissimnm est tum in omnibus Scripturis, tum præcipuè in Apostnlo Paulo canonem illum obseruare Dialecticorum, vt nomina, & verba hnmnnyma, siue æquiuoca, in suas prius distinguat significationes, vt intelligat qua de illarum in quolibet textu sit sermo. Et hęc nos impulerunt, vt in his nostris Prolegnmenis hnmonymas voces nonnullas, tam nominum, quàm verborum, diligenter distingueremus, & explicaremus: quod in pnoxima parte huius libri præstare conabimur.

DISPVTATIO XI.

Quid soleat significare Apostolus voce membrorum.

IN more habet Apostolus, vt nomine membrorum eas nperationes intelligat, quæ ab illis proficiscuntur.

Coloss. 3.
Gal. 5.

Hinc ait: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Et subiungit actiones quæ membris fiunt; videlicet, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus. Et alio loco: *Manifesta sunt opera carnis*, (id est, hominis carnem sectantis) *quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, & quæ sequuntur.

Deo cur partes tribuantur humanæ.

Quia enim homo corpore cõstat, quod ex varijs membris perficitur, & optimè nouit, ad quam quodque membrum functionem à natura institutum sit: hinc fit, vt Deus quò nobis suis proprietates innotescere faciat, se per varia membra metaphoricè repræsentauerit. Vnde & oculos, & aures, & nares, & os, & vultum, & linguam, & brachia, & manus, & digitns habere dicitur.

Psal 33.
Ibidem.
2. Reg. 22.
Esa i.
Psal 97.
Exod. 8.
Iob 9.
Luc. 11.

Hinc illæ voces: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: Vultus autem Domini super facientes mala: Ascendit fumus in naribus eius: Os Domini locutum est: Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius: Digitus Dei est hic: Manus Domini tetigit me: Si in digito Dei eijcio dæmonia*, id est, Spiritu Dei.

Lex membrorum quid.

Ad eundem modum voluit Deus per membra designare bonas, aut malas npetationes nostras quæ per illa fierent. Vncat enim Apostolus legem membrorum, concupiscentię fomitem in membris delitescentem, secundũ illnd:

Rom. 7.
Supra 6.
Ibidem: Regnet in nobis concupiscentia quando

Sed neq; exhibeatis mẽbra vestra, arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo: & paulò antè: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* Indicans concupiscentiam malam non regnare, nisi cũ obeditur eius motibus.

Rom. 7.

Et vt vocat legem membrorũ, & peccatum, ita etiam appellat Corpus mortis, id

Quid Corpus mortis Apostolo.
Iacob. 4.
Rom. 6.
Corpus peccati eidem quale sit.
Matth. 27.
Psal. 21.
Quatenus sit nobis destruendum hoc corpus peccati.
Psal. 48.
Illud Prophetæ: Iniquitas calcanei mei circumdabit me quid sibi velit.
Iob 14.
Infra 40.
Dæmonis fortitudo in lumbis eius apud Iob quæ mystice.
Ezech. 23.
Per carnes asinorum, & fluxus equorum quid significet Propheta.
Matth. 18.
Manus, pes, oculus, nos scandalizantes quæ nobis abscindenda. Qui rursus lumbi nostri debeant esse præcincti, & lucernæ ardentes in manibus nostris.
Luc. 12.
Philip. 3.
Huius loci Apostolici: Quorum finis, interitus, & gloria in confusione ipsorum, duo sensus, Ambrosij & Chrysostomi.

est, causam omnimodam inducendi mortem spiritualem. Similiter Iacobus Apostolus dixit: *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris quæ militant in membris vestris?* Militant verò cùm regnant, & in externas actiones proferuntur. Adde etiam Apostolum dicentem: *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra nõ seruiamus peccato.* Qua sententia primò tradit veterem hominem per baptismum in Christo crucifixum, id est, vniuersa peccata ex homine veteri crucifixo, sine debilitato prodeuntia, ita vt destruatur corpus peccati, id est, vniuersitas peccatorum per corpus, quod vniuersis membris cõstat, designata. Vt enim totum Iesu corpus crucifixũ fuit, ita vniuersa corporis peccati membra, quorum caput fuit illud originale.

Dicitur autem hoc corpus peccati destrui, nõ quidem simpliciter, vt à nobis ablatum sit; sed vt, etiamsi insit, ei in futurum non obediamus, ad quod membra ipsa sollicitabant. Simili loquendi ratione vtitur Spiritus sanctus in Prophetis, vt cùm ait: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, id est, Confidentia de proprijs viribus, cui tanquam calcaneo in ambulando nitimur, me sæpè occupabit. Alio loco: *Tu quidem gressus meos dinumerasti*: id est, omnes meas actiones, siue vias gressuum pedibus factas. Similitudine de dæmone sub similitudine elephantis in Iob scribitur: *Fortitudo eius in lumbis eius*: hoc est, in membris tam viri quàm fœminæ, ad generationem, & venerea spectantibus, totam fortitudinem suam collocat. Et cùm ipse ad literam eiusmodi membris destituatur; significat eos, qui eius instinctu huiuscemodi membris abuti in perniciem suam consueuerunt. Ita Ezechiel: *Insaniuit*, inquit, *libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt vt carnes asinorum: & sicut fluxus equorum fluxus eorum.* Vbi inuerecunda opera, & obscœna honestè designantur. Ita etiam Dominus interdum in Euangelio est locutus: *Si*, inquit, *manus tua, vel pes tuus, vel oculus tuus scandalizat te: abscinde eum, & proijce abs te.* Non enim iubet cultro membra præcindere, quæ Deus cõdidit; sed prauas actiones, & obscœnas cupiditates, earumq́; occasiones gladio verbi Dei resecare. Similiter cùm dixit: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*: significauit, nos ad Christi Domini secũdum aduentum præcinctione renum, id est, castitate, & pudicitia ornatos esse debere; & lucernas ardentes in manibus habere, id est, fidem charitate ardentem, bonorum operum studio gestare. Adhæc Paulus ad Philippenses de quibusdam crucis Christi inimicis ita scripsit: *Quorum finis, interitus: & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt*; alij vertunt; *In pudendis eorum.* Nam vt Ambrosius interpretatur ibidem, gloriabantur in pudendis circumcisis, & circumcisionem carnis, gloriam putabant. Chrysostomus tamen in eundem locum, sensum prædictum ab alijs traditum negligit, dicens: *De circumcisione quidam hoc intelligunt: ego verò non hoc dico. Sed hoc est quod dicit Apostolus: In quibus debebant pudefieri, in illis etiam gloriantur. Graue quidem est, & malum turpia patrare: patrantem verò pudefieri, mediocriter malum est. Quòd si verò quispiam malè agens glorietur, etiam excellens est stupiditas.* Hæc ille eleganter. Impurissimum omnium hominum Mahometum nõn depuduit gloriari, quòd in actu generationis datum sibi esset quadraginta viros æquare.

Ambr. tom. 3. Chrysost. ser. 13. in epist. ad Philipp. ante med. tom. 4.
Triplex malitiæ gradus ex Chrysost.
Insignis planè Mahometi stupiditas, & impudentia.
2. Corinth. 4.
2. Tim. 2.
Vas seu vasculum Paulo quid sit allegoricè.
Rom. 9.
1. Thess. 4.
1. Petr. 3.
Vxoribus iuxta Petri, & Pauli doctrinam, quis honor impertiendus sit, & quare.
1. Cor. 7.

Alio loco Apostolus vocat corpus nostrum, Vas fictile, vel vasculum, iuxta illud: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*: & hominem Dei gratia ornatum, vocat vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino, ad omne bonum paratum. Electos etiam ad æternam vitam, vasa misericordiæ, & vasa in honorem appellat: sicut improbos, & reprobos, vasa iræ, & vasa in contumeliam. Demùm vxorem cuiusque vas appellat: *Vt sciat*, inquit, *vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderij, &c.* & Petrus: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam coheredib. gratiæ vitæ.* Quibus in locis Apostoli honorem vocant, continentiam à congressu cum vxore. Et subdit Petrus rationem: *Vt non impediantur orationes vestræ.* Sicut etiam Paulus dixit: *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi*: id est, vt cum fructu orationi vacare possitis: & de his hactenus.

DISPVTATIO XII.

De vocibus Anima, & Spiritus in Scripturis, & præsertim apud Paulum.

Primus significatus Animæ.

NON erit inutile varia horum nominum significata annotare. Anima enim per synecdoches figuram totum hominem significat, iuxta illud: *Si peccauerit anima*: quod frequenter habetur in Leuit. cap. 4. & Rex Sodomæ dixit: *Da mihi ani-*

Genes 18. Rom 13.

mas, cætera tolle tibi, & Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Quemadmodum etiã caro per syuecdochen totum hominem denotat, iuxta illud: *Verbum caro factum est*, & rursus: *Videbit omnis caro salutare Dei*. Et per eandem figuram Spiritus dicitur totus homo, iuxta id; *Fructus autem spiritus est charitas*, id est, hominis spiritualis, & spiritu viuentis. Infra: *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres*. In quæ verba Hieronymus ait: *Nequaquam cum carne, nequaquam cum anima, siue quia spirituales facti, caro & anima esse desiistis: siue quòd in principali etiam ea quæ minora sunt comprehendantur. Anima enim, & caro subiecta sunt spiritui*. Hæc ille.

Ioan. 1. Luc 3. Esai. 40. Gal 5. Infra 6. Hieronym. in cap vlt. ad Galat in fine tom 9.

Secundus significatus. 1 Corinth 15. Genes 2. Psalm. 15. Act. 2. Matth 10. Ouid 15 Metamorp.

Deinde Anima accipitur pro anima ratione prædita, hinc dicitur primus homo factus in animam viuentem; & Dauid: *Non derelinques animam meam in inferno*; & Dominus: *Animam autem non possunt occidere*: quod tantum de rationali accipi debet, & Poëta quidam de illa dixit:

Morte carent animæ.

Tertius significatus. Genes. 1.

Capitur tertiò pro anima sentiente, & corporea, quæ sensibus ducitur, de qua: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram*. Bonus etiam pastor animam suam dat pro ouibus suis; &: *Qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus*: & Dominus ad Satan: *Ecce in manu tua est, veruntamẽ animam illius serua*, hoc est, vitam. Poëta etiam dixit:

Ioan 20. Luc 14. Iob 2. Virgilius 1. Aeneid. non longè à princ.

Tuaq; animam hanc effundere dextra?

Eccl 14. Ezech 18. 1 Pet. 1. 2 Petr. 2. Genes 19.

Significat etiam conscientiam, de quà intellige illud Ecclesiast. 14. *Iustifica animam tuam*; sicut & illud: *Ipse animam suam viuificauit*. Petrus etiam: *Obsecro*, inquit, *vos tanquam aduenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs quæ militant aduersus animam*. Idem de Lot testatur, ciues Sodomorum animam iustam iniquis operibus cruciasse.

Quartus significatus animæ. Cant. 3. Matth 22. Deu. 6.

Significat item voluntatem, vt ibi: *Inueni quem diligit anima mea*: quæ verba sunt Sponsæ. Illic etiam, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, id est, intellectu, & voluntate; sicut, *Ex tota mente tua*, id est, memoria. Hinc apud Latinos, quos summo amore prosequimur, vocamus Animæ dimidium nostræ, aut animæ nostræ partem.

Quintus significatus. Sap. 8. Sextus & vltimus. Iob 41.

Significat etiam Anima intellectum siue ingenium, iuxta illud Salomonis: *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*. ¶ Denique significat halitum, siue spiritum, quem spiramus, & expiramus, sicut ibi: *Halitus eius prunas ardere facit*, vbi vox Hebræa pro halitu habet nephesch, id est, anima. Et idem apud Latinos significat: nam Plautus dixit: *An fœtet anima vxori tuæ?* Cicero etiam act. 5. in Verrem: *Sed non modò* inquit, *animum integrum, sed ne animam quidem puram conseruare potuisse*. Vbi notat, Verrem halitum fœtidum habuisse. Et Comicus in Phormione: *Animam compressi, aurem admoui*. Præterea apud bonos autores anima accipitur pro vento. Vnde Varro lib. 1. De re rust. cap. 4. ex Ennio producit: *Anima, & terra, Aqua, & Sol*. Et Poëta Latinus in Silenum:

Plautus in Asin. Tullius. Terent. Varro.

Namque canebat vti magnum per inane coacta
Semina terrarum, animæq; marisq; fuissent:
Et liquidi simul ignis.

Virgilius.

Lucretius quoque libro sexto:

Lucretius.

Nec mirum, cum plena anima vesicula parua,
Sæpè ita dat pariter sonitum displosa repentè.

Et apud Horatium:

Horatius.

Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Non memini tamen in hoc significatu accipi in Scripturis. Et allusio fit ad vocẽ Græcam ἄνεμος, id est, ventus. Vides igitur quot significata vna voce concludantur.

Prima acceptio Spiritus in literis sacris. Magnus Athanas to. 4 Didymus to. 9 operum. D. Hierony. in fine.

Idem ostendimus in voce Spiritus: nam vt testantur præclari scriptores, Athanasius ad Serapionem de Spiritu sancto, & Didymus libro tertio de Spiritu sancto: In primis Spiritus est Deus, vt dicitur Ioan. 4. & Personas tres diuinas comprehendit. Dicitur & Spiritus sanctus, sed cum articulo τὸ πνεῦμα, nisi ad aliud cogat litera.

Secunda acceptio. Tertia. Psalm 103. Hebr. 1. Quarta. Act 23. Luc 24. Sup 9. Infra 10.

Tertiò Angeli, spiritus dicuntur, de quibus Propheta: *Qui facis Angelos tuos spiritus*. Quartò vocantur dæmones spiritus absolutè, etsi nõ ita frequenter: vnde Sadducæi dicebant nõ esse resurrectionem mortuorum, neque Angelum, neq; Spiritum. Dominus quoque: *Spiritus carnem, & ossa non habet*. Et Lucæ 9. *Spiritus apprehendit filium*: & rursus: *In hoc nolite gaudere, quia spiritus subijciuntur vobis*.

Quinta acceptio. Dan 3. ibid. Psalm. 77.

Quintò, Spiritus, est anima ratione prædita, vt ibi: *Benedicite spiritus, & animæ iustorum Domino*: non enim ibi loquuntur tres pueri illi de Angelis, de quibus prædixerant: *Benedicite Angeli Domini Domino*: & de spiritu humano ait Dauid: *Spiritus vadens, & non rediens*, intellige, per se scilicet in corpus: quia resurrectio opus Dei est, naturæ facultatem superans. In Ecclesiast. *Reuertatur*, inquit, *puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Ita in Prouerbijs ait Salomon: *Spirituum ponderator est Dominus*: & Apostolus: *Multò magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus*.

Ecclesi. vlt. Prouerb. 16. Hebr 12.

Et Poëta:

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.

Sextò,

Sexta acceptio. Ecclef. 3.

Sextò, Spiritus dicitur animantis anima, non tamen simpliriter, sed cum adiuncto. Vnde Ecclesiast. 3. habetur: *Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum?*

Septima. Daniel. 3. Ibid. Genes. 8.

Septimò significat ventum, iuxta illud: *Benedicite omnes imber, & ros Domino: benedicite spiritus Dei Domino, &cæt.* id est, omnes venti, vt quæ præcedunt, & quæ sequuntur, docent. Subdit enim: *Benedicite ignis & æstus Domino:* & Genes. 8. *Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Item: *Lustrans vniuersa per circuitum, pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur,* id est, aër, vel ventus, qui pro motu Solis moueri solet in hanc, vel illam partem, vt docet Rabb. Abraham.

Rab. Abraham

At verò quia in spiritu homo habet vires suas, & vigorem, qui præ admiratione alicuius rei inspiratæ, & nouæ perturbatur; dicitur non habere vltra spiritum, vt Regina Saba 3. Regum 10. & Iacob agnito quòd Ioseph filius suus viueret, reuixit spiritus eius: & 4. Reg. 13. in corpus mortui qui tetigerat Helisæum, reuersus est spiritus, & reuixit.

Hominis vires in quo consistant. 3 Reg. 10. Genes 45. 4. Reg. 13.

Octaua acceptio. Luc 9. Rom. 8.

Octauo accipitur Spiritus pro dono Spiritus sancti, quo ad actiones Christianas ducimur, iuxta illud: *Nescitis cuius Spiritus estis:* &, *Non enim accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum.* Et Esaiæ vndecimo, super Messiam requiescunt septem Spiritus sancti dona.

Nona. 1. Ioan 4.

Nonò, Spiritus dicuntur dogmata siue placita, quæ quis se habere ab Spiritu sancto iactat. De quo Ioannes in Catholica epistola habet: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* In quæ verba scripsit Didymus: *Necessarium est illud sancti Spiritus donum, quod spirituum discretio nuncupatur, vt disciplinam habeamus, per quam probetis spiritus, vt alij quidem credamus, alij resistamus.* Hæc ille. Vnde subdit: *Quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Item: *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est:* & Paulus: *Nam & spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt.* Ezechiel etiam: *Væ,* inquit, *Prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum:* id est, qui proprias sequuntur sui capitis cogitationes, & non diuinas, vt moris est Prophetarum.

Didym. Alexan apud sacram. Bibliothecam. 10. 0. Donum discretionis spirituum cur necessarium. Ibid. 1 Cor 14. Ezech. 13.

Decima vocis Spiritus significatio. 2. Corinth 3. Ioan. 6.

Decimò, Spiritus accipitur apud Paulum, vt opponitur carni, id est, carnali Iudaismo, & carnali intelligentiæ: & hoc modo spiritus sumitur pro spirituali legis intellectu. Vnde dixit: *Litera occidit: spiritus autem viuificat;* & Christus: *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam.* Iterum Apostolus: *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati, & mortis.*

Rom 8.

Vndecimus significatus. Matth 5. B. August li. 1. sermonis Domini in monte, cap 2. tom. 4 sub fin.

Vndecimò, capitur Spiritus pro ira, & superbia. Vnde illud accipit Augustinus: *Beati pauperes spiritu,* id est, humiles, qui spiritu superbiæ, & ambitionis carent. Et Salomon: *Totum spiritum suum profert stultus:* pro quo alij vertunt: *Omnem iram suam effundit stultus:* & alibi; *Ne sis velox ad irascendum:* vbi in Hebræo habetur: *Ne festina in spiritu tuo.* Exod. 15. *Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam: & in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ. Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare:* & Dauid: *Ab inspiratione spiritus iræ tuæ:* &; *In spiritu vehementi conteres naues Tarsis.* Item Esaias: *Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est.* Salomon ait: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris:* hoc est, Si ira dominantis desæuierit super te, ne commouearis, nec deseras locum per patientiam, & ne des locum diabolo, vt Apostolus admonet. Adde illud: *Impetum concitati spiritus ferre quis poterit?*

Exod. 15. & sequ. Psal 17. Psal. 47. Esa. 2. Eccles. 10. Quid illud Salomonis: Si spiritus potestatẽ habentis ascẽderit super te, locum tuum ne dimiseris. Ephes 4.

Duodecimus significatus. Esai 59. 1. Petr. 2. 1 Cor 14 & sequ. Quid illud Apostoli: Nam si orem lingua, spiritus meus orat.

Postremò, Spiritus os ipsum quo spiramus, designat, vt ibi: *Nec est in spiritu eius dolus,* vbi Septuaginta verterunt: *Nec est in ore eius dolus:* quemadmodum etiam habet Esaias cap. 53. & Petrus in priori, cap. secundo. Paulus etiam in illa sententia: *Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est:* vbi apertè spiritum vocat linguam, siue linguarum donum, mentem autem, intelligentiam. Vnde subdit: *Quid ergo est? orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente,* id est, & voce, & intelligentia. Et vox audita est in quodam Concilio, vbi de Ambrosiano Officio, an esset relinquendum, an retinendum, erat sermo: *Omnis spiritus laudet Dominum.* Et meritò vox dicitur spiritus, quia ex spiritu quem spiramus, & expiramus, generari solet. Hæc sufficiant.

Psal vlt.

DISPVTATIO XIII.

De nominibus peccati, & sanguinis, & illorum homonymia in Scripturis.

Natura, & artis peccatum quodnam sit, vt etiam actionis humanæ

Qvemadmodum peccare dicitur natura, cum monstra edit, & forma minimè consueta producit res: & ars peccare dicitur, cum recedit à recto, siue à regula, quam ipsa præscribit: ita etiam in actione humana peccatum inuenitur, quando Legi

Dei

Prima acceptio peccati. Ioan. 1.

Dei bene operandi non est conformis. Est igitur Peccatum, vox homonyma, & significat in primis peccatum Originale, iuxta illud: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: ita enim legitur in singulari Græcè, vt multi annotarunt: quod Dauid in plurali posuit, cùm dixit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis, &c.* propter multas deformitates quæ in illo peccato primæuo inueniuntur.

Secunda. Rom. 6. Ioan. 8.

Denotat deinde Personale, & proprium peccatum, siue propria voluntate peractum, de quo: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Quod in multas species distribuitur, & de quo ait Paulus: *Reuelatur enim ira Dei de cœlo, super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.*

Tertia. Infra 7. Supra 6. Ibid.

Tertiò denotat Fomitem, siue Concupiscentiam, quæ in membris nostris delitescit, de quo accipe dictum: *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*: & rursus: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* Et infrà: *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Dictus est autem fomes peccatum, quia ex peccato venit, & ad peccatum impellit, & deordinatio quædam inobedientiæ ad Legem Dei præstandam in eo inuenitur: de quo latiùs suo loco disputabimus.

Cur fomes peccatum appellatur.

Quarta. 2. Mach. 12. 1. Pet. 2. Zach. 14.

Quartò, Peccatum, est pœna irrogata pro peccato, de quo Iudas Macbab. *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Petrus quoque: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignū:* itē Propheta Zacharias: *Hoc erit, inquit, peccatum Aegypti, & hoc peccatū omnium Gentium, quæ non ascenderint ad celebrandum festiuitatem tabernaculorum*: id est: Hæc erit pœna & supplicium.

Quinta. Matth. 6. Sexta. 2. Corint. 5.

Quintò significat lenia & minuta peccata, sine quibus hæc vita etiam à iustis non traducitur, de quibus precamur Dominum: *Dimitte nobis debita nostra.* Sextò, denotatur hac voce sacrificium, siue hostia pro peccatis. Vnde Christus dicitur ab Apostolo, peccatum: *Eum, inquit, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: id est, peculiarem pro peccatis hostiam. Et Oseas de Sacerdotibus ait: *Peccata populi mei comedent*, id est, Sacrificia pro peccatis expiādis. Dauid etiam: *Holocaustum & pro peccato non postulasti.* Vbi ad verbum Hebraicè dicitur, Holocaustum, & peccatum non postulasti.

Osea 4. Psalm 39. Hebr. 10.

Septima acceptio peccati.

Septimò, nomine peccati veniūt transgressiones per ignorantiam, aut contemptum ceremoniarum legis, id est, irregularitates, quibus arcebantur ab ingressu templi, & ab esu sacrificiorum, ad quæ nonnisi mundi admittebantur, & ad similia: de quibus Leuit. 4. & 5. & frequenter dicitur: *Rogabitq; pro eo Sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei.* Sicut enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos significat ad emundationem carnis, ita erat remissio quædam carnalis eiusmodi delictorum, quæ tamen non erat vera, & pura cordis à peccatis iustificatio, quam solus Christus, & fides in eum tribuit, iuxta illud quod Apostolus ibidem subdit. *Et ideò noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Hęc Apostolus: in cuius verbis cernere potes duplicem remissionem peccatorum, alteram typicam, & vmbratilem legis coram hominibus per sanguinem, & mortem prędictorum animalium; alteram veram, & coram Deo, quæ Christi sanguine contingit.

Hebr. 9. Ibid. Duplex remissio peccatorū, figurata & figurata, id est, Mosaica, & Euangelica.

Quid propriè sanguis, & cruor.

Vox quoque sanguinis varia admodum ac diuersa in Scripturis significata complectitur, siue ille sit qui in venis diffunditur, & est propriè sanguis, siue extra venas effusus, qui propriè est cruor. In primis ergo sanguis est cognatio, siue consanguinitas. vt ibi: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet.* Et Paulus: *Continuò non acquieui carni, & sanguini*, id est, sanguine mihi iunctis. Et Poëta:

Eius primum significatum. Gal. 1.

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci Audierat.

Virgilius 1. Aeneid.

Et rursus:

Proijce tela manu, sanguis meus.

Idem lib. 6.

Deinde est sanguis menstruus, de quo: *Manebit in sanguine purificationis suæ*: & Salomon: *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine.*

Alter significatus. Leuit. 12. Sap. 7.

Tertiò, sanguis cædem hominis significat, iuxta illud: *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Item: *Vox sanguinis fratris tui (Abel) clamat ad me de terra.* Dauid etiam: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* De impio Manasse dicitur: *Insuper & sanguinem innoxium fudit multum nimis*: Et apud Ezechielem Ierusalem dicitur ciuitas sanguinis: & de Dauide dixit Semei: *Egredere, egredere vir sanguinū.* Sephora etiā de Mose: *Sponsus sanguinum tu mihi es.*

Tertius. Genes. 9. Sup. 4. Psalm 54. 4. Reg. 21. Ezech 22. 2. Reg. 7. Exod 4. & Infra 24.

Quartus significatus sanguinis. Marc 5. Ibid

Quartò, sanguis est morbus, qui Græcè hæmorrhois, Latinè fluxus sanguinis dicitur, de quo Marcus: *Et mulier quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim.* Et infrà: *Et confestim siccatus est fons sanguinis eius.*

Quintus.

Quintò, sanguis dicitur, quicquid colorem

Ioelis 2. Act. 2. Psalm 77. Deut. 32. Gene. 49.

rem habet sanguineum: *Sol*, inquit, *conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem* Dauid: *Et conuertit in sanguinem flumina eorum.* Moyses in Cantico: *Et sanguinem vuæ biberet meracissimum:* & Iacob de Iuda: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Ecclesiasticus qnoque: *Libauit de sanguine vuæ.* Liber Machabæorum meminit sanguinis mori, quo viso accēdebatur ad bellnm elephantum ira.

Ecclesiast. 50. 1. Mach. 6.

Sextus.

Sextò, sanguis, est vltio, quæ sumitur de aliquo peccante, inxta illud: *Sanguis ipsius super caput ipsius erit*, & infra: *Sanguis eius in ipso erit.* Infra etiam: *Sanguinem eius de manu speculatoris requiram.* Dominns etiam dixit: *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram.* Iudæi quoq; dixerunt: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*: id est: Vindicta de cæde hac sumatur à nobis, & à posteris nostris. Propheta: *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris*, hoc est, iu insto pœna irrogata peccatoribus. Nam Apocalypsis sexto, sub altari clamant iusti vindictam à Deo, & dicunt: *Vsquequo Domine (sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra?* sicut etiam sanguis Abel dicitur clamare.

Ezech. 33. Ibidem. Matth. 24. Infra 27. Psalm. 57. Quid lauare manus in sanguine peccatoris, iuxta Prophetam. Apocalip. 6. Gen. 4. Heb. 12.

Septimus.

Septimò, sanguis per metaphoram est omne peccatum, quia dignum morte facit eum qui illnd operatur. Idcircò dixit Dauid ad Amelechitam, qui iactanetat se morti Saulis cooperatum esse: *Sanguis tuus super caput tuum.* Esaias: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt*: id est, peccatis: & Oseas: *Visitabo sanguinem Iezrahel*, hoc est, peccatum eius: & rursus: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit*: id est, Peccata peccatis accnmulantur. Lncas Actorum quinto de Iudæis: *Vultis inducere super vos sanguinem hominis istius.* Sicut autem innocentia in sacris comparatur candori niuis, & lanæ; ita peccata assimilantur rubedini, & filo rubro, & coccineo, vt Esaiæ primo capite: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* Hinc etiam peccata sangnis ob colorem dicuntur, vt Psalmo quinto, & alibi. Hinc & Adam de terra sumptus hoc nomen accepit, præsagio quodam qnod futurus esset peccator. Huiusmodi autem appellationes à Prophetis desnmptæ, fortassis ex ceremonijs, & sanguine vitulæ rufæ vsurpatæ sunt.

2. Reg. 1. Esai. 1. Osea 4. Infra 5. Act. 5. Psalm. 50.

Quæ duo maximè peccata denotet sanguis.

Etsi verò vox sanguinis omne peccatum designet; maximè verò peccatum homicidij, & adulterij, quæ sunt summæ iniuriæ, quæ possunt inferri proximo, quorum vtrumque effusione sanguinis patratur: Idcircò Dauid in plurali dixit: *Libera me de sanguinibus*, id est, homicidio & adulterio. Tertia verò iniuria est defraudare proximum bonis suis, de quo ait Ecclesiasticus: *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* *Eccles. 34.*

Octauus significatus. Psalm. 93. Dan. 13.

Octauò, sanguis per synedochen est homo, secundum illnd: *Sanguinem innocentem condemnabunt*; & apnd Danielem: *Saluatus est sanguis innoxius in die illa*: id est, pudicissima Susanna. Iudas quoque proditor dixit: *Peccaui, tradēs sanguinem iustum*: & Pilatus: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius*: & illud Pauli eodem tendit: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem*, id est, in hominem, per synedochen. Ita vt homo integer dicatur per illam figuram caro absolnte, & sanguis absolutè, & anima absolutè, & spiritus item absolntè. Compositè verò dicitur dupliciter, vel caro, & sanguis vel spiritus, anima, & corpus, vt habes 1. Thess. 5.

Matth. 27. Ibidem. Ephes. vlt. 1. Thessal. 5.

Nonus atque vltimus.

Nonò, sanguis absolutè, & per Antonomasiam de immacularo, & innocente Christi sangnine intelligitur, qui fuit in pretium redemptionis, & in populum Sacramenti, & in lauacrum baptismi, de quo admirabundi Angeli dicebant: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Sic Propheta describens picturam triumphi Christi. Est autem sanguis Christi figuratus in sanguine iusti Abel, & Naboth, & Zachariæ, & omnium instorum: estque sangnis noui Testamenti, scilicet confirmator, & sancitor: delineatus in agni, & vitulæ rufæ: & arietis, & passeris, & hirci, & aliorum animalium sanguine, olim edi prohibitus, nunc verò adorandus, & vt pretium æternæ salutis nostræ amplectendus, & Patri offerendus, & in potum, & vegetationem animarum nostrarum concessus. Et quia, vt testis est Apostolus, omnia penè in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio huic vni sacrosancto sanguini Iesu Christi tanquā proræ, & puppi nostræ salutis, potissimum acceptam ferimus salubrē pœnitentiam ad expiationē peccatorum, bonorum operum merita, patientiam, perseuerantiā, Satanæ, mūdi, & carnis victoriam, & adminicula omnia spiritualia, atq; adeò ipsā vitā æter-

Esa 63 & seq. Sanguis Christi in quantum anguine animalium in lege præfiguratus. Gen. 4. 3. Reg. 21. Matth 23. 2. Par. 24. Matth. 26. Hebr. 9. Exod 12. & alias. Numer. 19. Exod. 29. Leuit. 14. Infra 16. Quanti nos sanguini Christi debeamus. Heb. 9.

Qualia,& quãta per eũ nobis bona prouenerint, atq; sint etiam prouentura.

æternam,& corporũ ad immortalem gloriam possidendam resurrectionem. Nam pro his omnibus donis nobis comparendis ille ex syncera Patris obedientia, & excellentissima aduersus nos charitate eũm profundere dignatus est, quò nos ad se rediligendos accenderet, & libenter pro eius fide,& gloria tuenda omnem nostrum sanguinem fundere non formidaremus.

Cur ille sanguis,pro nobis effusus.

DISPVTATIO XIV.

De vocibus Zeli, & Aemulationis.

Zelus conueniat quibus; quod sit; quot nominibus appelletur.

ZElus perinde Deo,atque homini, tam bono,quam malo in Scripturis competere solet. Est autem zelus,vehemens, & immodicus amor alicuius rei, qui Aemulatio Latinis dicitur,ab alijs Imitatio, ab alijs Ira iusta,vel Tristitia, vel Inuidentia ob alterius bona,quæ sibi adesse cuperet,& nõ adsunt. Aliquando autem dicit suspicionem ex amore procedentem, qua quis amans timet, ne dilectus in amore deficiat, aut alterum amatorem admittat.

Alter eius significatus.

Quid Zelotypia,seu æmulatio Ciceron. *M. Tullius Tuscul. 4.*

Hæc autem æmulatio, Zelotypia vocatur,quæ nihil est aliud, quam inordinatus viri in vxorem, vel vxoris in virum zelus. Hæc Ciceroni in Tusculanis ita definitur: *Aemulatio,est ægritudo, si eo quod concupierit,alius potiatur, ipse careat.* Vnde Zelotypiæ lex apud Moysen Numerorum quinto, per quam mulier peccati conscia periclitabatur.Sed hæc data est ad duritiam cordis Iudæorum.

Num.5. & seq.

Zelus Dei bonus qualis:ille declaratur dupliciter. *Gen.6.*

Datur autem Deo zelus per metaphorã, & significatur amor Dei tener, & solicita prouidentia, ne anima ad imaginem eius facta per peccatum pereat, vel ad deos falsos per idololatriam prolabatur. Hanc autem amoris vehementiam indicat & iureiurando: *Viuo ego,dicit Dominus Deus:nolo mortem impij,sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat:* tum asserendo quod à zelis comeditur,tum multis alijs modis. Quod si anima à Deo recesserit, concepit iustam indignationem contra eam Dominus;sed retractat tamen, ne pereat. Vnde cum dixisset apud Esaiam:*Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius*,ne quis admiretur de tantis incarnationis,& mortis Filij Dei beneficijs; amorem causam tantorum donorum producit,cum ait:*Zelus Domini exercituum faciet hoc* : id est, Spiritus sanctus,qui est nexus Patris, & Filij.Hinc Deus dicitur Fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiã & quartam generationem eorum qui oderunt me:& faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea:& Deuteronom.quarto: *Caue ne quando obliuiscaris pacti Domini Dei tui.* Et post pauca subdit: *Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est,Deus Imolator*,siue,vt Græca habent, Zelotes.

Ezech 33.& supr.18. *Psalm.68.*

Zelus Dei malus quinã sit.

Esai.9.

Zelus Domini exercituũ quid mysticè. *Exod. 20.*

Deut.4. & seq.

Heb.12.

Magnum autẽ Domini beneficium est, cùm Deus instar veri parentis pro nobis zelat quasi pro filijs & filiabus suis. Contrà verò magna Dei indignatio, & ira, cum zelum suum ab anima peccatrice aufert,& relinquit eam velut obstinatam, & inemendabilem,iuxta illud : *Dimisi eos ire secundum desideria cordis eorum : ibunt in adinuentionibus suis.* Et apud Ezechielem : *Et requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam,nec irascar amplius*:id est, Non contendam te per flagella ad viam reducere.Et in signum ablati zeli ait Oseas: *Non visitabo super filias vestras,cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cum adulterauerint,quoniam ipsi cum meretricibus conuersabantur, & cum effeminatis sacrificabant.* Denique Christus zelatus Dei honorem, quòd templum Dei fieret spelunca latronum,flagello eiecit bis de templo vendentes,& ementes,dicens,1. Corinth.2. *Zelus domus tuæ comedit me*: docens nos,illum propriè zelum Dei habere, qui nihil patienter sustinere potest contra honorem Dei,quem maximè diligit: & vsque adeò debemus diligere, quòd zelus eius non comedat,& vrat,dum, si quid cõtrarium fieri videmus contra Deum, etiam nostris minimè parcamus,& corrigere studeamus. Et ad indicandam amoris vehementiam,zelum suum vocat ignem. *In igne*, inquit, *zeli mei deuorabitur omnis terra.* Alibi vocat pallium: *Opertus est*,inquit,*quasi pallio zeli* . Dicitur assumere armaturam, iuxta illud : *Accipiet armaturam zelus illius.* Deniq;aures dicitur habere zeli ad audiendum omnia,quæ secretò Sponsa loquitur, secundum id: *Auris zeli*,id est,zelosa, *audit omnia*, vt intelligamus nos hoc igne esse vrendos,hoc pallio vestiendos, & nobis assumendam armaturam ad pugnandũ contra hostes Dei, & aures zelo plenas nobis adhibendas,quo Dei honorem,& amorem tueamur.Et hactenus de zelo Dei.

Zelus Dei bonus quam salutaris sit,malus verò quã perniciosus existat.

Psal 80.

Ezech.16.

Osea 4.

Zelũ suũ Christus vbi maximè declarauerit.

Matthæi. *Psal 68.* Eundem nos quoque quomodo declarabimus.

Zelus Dei cur igni,& pallio, & armaturæ comparetur. *Sophon 1.* *Esai 59.*

Sap.5. *Supra 1.*

Iam de zelo hominum dicendum. Est ergo deinde zelus bonus, quo iusti induũtur pro Dei honore spreto, aut pro neglecta animarum salute.Et in hoc est amor boni,& odium mali, quo affectus est Moses descendens de monte, & occidit triginta tria millia vitulum adorantium,& Phinees Zambri Israelitam fornicantem cum Medianitide pugione confodit, & Dauid dixit:.

Exod. 32.

Num. 25.

Psal 118.

Ibidem. xit: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Et rursus: *Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei:* iterum: *Vidi præuaricantes, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt*: hæc enim omnia singularis zeli sunt verba. *Ibid.* De hoc zelo dixit Helias: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum*; *3 Reg.19.* & Moyses: *Exod. 32.* *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*: & Apostolus: *Rom 9.* *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*: nam hæc desideria, & vota diuini cuiusdam zeli sunt testimonia. Idem rursus Apostolus: *2.Corint. 14.* *Aemulor enim vos Dei æmulatione*, id est, sancta & diuina. Et declarans zelum sanctum, subdit: *Despondi vos enim vni viro, virginem castam exhibere Christo*: & alio in loco: *1 Cor.12.* *Aemulamini charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Iterum ait: *Infra 14.* *Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia; magis autem vt prophetetis.* Et ad Gal.4. *Gal.4.* *Bonum æmulamini in bono semper; & non tantum cum præsens sum apud vos.* Denique in libro Canticor. ait Sponsus: *Cant 8.* *Dura sicut infernus, æmulatio*: quia Ecclesia ob zelum Dei persequitur hæreticos, siue etiam peccatores obstinatos, anathematizando eos vsque ad inferos, ne bonis noceant.

Dura quare sicut infernus æmulatio.

Tertiò, zelus capitur in malam partem, & inest odium boni, & amor mali, quo mali frequenter tanguntur: & est amor inordinatus, vel ira, tristitia, inuidia, de quo: *Aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Ita Paulus abundantiùs æmulator extitit paternarum suarum traditionum. Est etiam zelus, & æmulatio ad malos imitandos, quem vehementer Deus cauit: nã Propheta: *Noli*, inquit, *æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.* Vbi primum verbum Hebræum significat Contẽdere, secundum verò propriè zelare. Græcè tamen ita legimus: Μὴ παραζήλου ἐν τοῖς πονηρευομένοις μηδὲ ζήλου τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν: vbi in primo membro seruata est Hebrea phrasis, qua Beth seruile regitur à primo verbo: *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias*, id est: *Noli æmulari vt mala facias, vel malus fias.* Estque sensus: Ne ad indignationem, siue ad iracundiam, vel contentionẽ prouoceris, vel irriteris, dum malos vides florere, & prosperari. Est enim παραζηλῶν ad zelũ excito, siue irrito, quod tam in bono quam in malo ponitur: & eo verbo Paulus bis in epistola ad Roma. vtitur: nam cap.10. ex Moyse producit: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem*: vbi in malum videtur vsurpari. Capite tamen vndecimo in bonum accipit, cum ait: *Quamdiu ego quidem sum Gentium Apostolus, ministeriũ meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis.* In vtroque enim testimonio est verbum παραζηλῶ.

Zelus hominum malos, duplex.
Rom.10.
Gal.1.
Psal 30.
Quid significet: Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.
Ibid.
Explicatur illud Ouidicũ: Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, &c
Rom 10.
Deut.32.
Rom 11.
Rom.11.

Et quia zelus significat fauorem iræ, & indignationis, inuidiam, & ardentem affectum ad rem aliquam siue amandam, siue imitandam, & assimilandam, rectè omnibus accommodari posset: *Noli æmulari in malignantibus*; id est, Noli simulationis tuæ studium apponere ad malignantes, noli indignatione moueri, vel contra ipsos impios florentes, vel contra Deum res humanas ita dispensantem, noli illis inuidere felicitatem, aut eos imitari: & Psa.72. *Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* In Prouerbijs dicitur: *Ne æmuleris hominem iniustum, nec imiteris vias eius.* Ibidem: *Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Domini esto tota die*: & sub metaphora lignorum Ezechiel.31. ligna voluptatis dicuntur æmulata cedrum, id est, Angeli, qui consenserũt Lucifero, & cum ipso ceciderunt. Hinc Paulus ad Gal.5. inter opera carnis, siue hominis carnalis computat zelum, siue æmulationem: sicut in priori ad Corinth. *Cum sint*, inquit, *inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Libro autem Sapientiæ cap. 1. dicitur: *Nolite zelare mortem*: cum autem zelare, idem sit quod promptè, & putidè sectari; idcircò illi dicuntur mortem zelare, qui promptè, & putidè ea complectuntur, & consectantur, quæ præsentaneam mortem secum adferunt. Et quia æmulatio inter pares, aut parum se excedentes solet existere; hinc dixit Paulus: *An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? Quis enim est, qui cum illo vllo modo contendere valeat?* Moses quoque dixit ad Iosue monentem vt prohiberet Eldad, & Medad prophetantes: *Quid æmularis pro me? Quis tribuat vt omnis populus prophetet, etc.* Tanguntur enim interdum viri spirituales pro magistris suis hac carnali æmulatione. Ita discipuli Ioannis Baptistæ zelantes pro magistro suo in Christum zelo carnali de baptismo cum Iudæis decertabant: & Luc.9. Ioannes dixit: *Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.* Et ait ad illum Iesus: *Nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.* Et hactenus dictum sit de zelo Dei erga nos, & de zelo tam bono, quam malo hominum.

Id rursus: Noli æmulari in malignantibus, &c. aptè etiã conueniat quibus.
Psalm.27.
Prouerb 3.
Infra. 23.
Ezech 31.
Quid quod ligna voluptatis dicũtur æmulata cedrũ, apud Ezech.
Gal 5.
1.Cor 3.
Inter quos fere existat æmulatio.
Infra 10.
Num. 11. & sequ.
Vnde colligi possit hanc æmulationi perfectos etiã viros quandoq; subiacere.
Ioan.3.
Infra 4.
Luc.9.

DISPVTATIO. XV.

De modo quo Apostolus producit testimonia ex sacris literis.

Apostoli, & Euangelistæ veteres Scripturæ semper fidelissimè protulerunt memoria.
Li. 1. enarrationum Euangel. Prolo. 8. can. 15 & lib. 12 & vlt. in c. 7. Actorũ.

HOc loco breuiter repetam, quæ alibi fusiùs disputaui. Tria enim constanter retinenda sunt, & ab eis non facilè recedendum. Primum est, Apostolos, aut Euangelistas in producendis Scripturis ex veteri Testamento ad ea confirmanda quæ sunt Christi, nullibi memoria prolapsos fuisse: quod qui admittunt, magnam aperiunt fenestram ad euertenda solidissima sacrarum literarum fundamenta, vt latè alibi comprobatum reliqui.

Eodem lib. & Prolog. Can 26.

Idem Scripturarũ locis nũquã abusi sũt. *Hieronym. Ioan. 16.* Id vnde manifestum fiat. *Lucæ vltim.*

Deinde & illud constituendum, nusquã Apostolos, aut Euangelistas abusos fuisse testimonijs Scripturarum, vt quidam volebãt, vt testis est Hieronymus; ita vt quod de alia rescriptum esset, traherent ad victoriam, vt Christi mysteria constabilirent: hoc enim esset Apostolos sacrarum literarum intelligentia spoliare, & Spiritu sancto, qui eos docebat in omnem veritatem. Nihil ergo, quantumcunque durum, aut violentum nobis videatur, ab illis est productum, quod Spiritui sancto, & veritati consonum non fuerit, siue in literali sensu, siue in mystico agant. Constat enim ex Euangelio Lucæ, Christum aperuisse Apostolis sensum, vt intelligerent Scripturas.

Idem rursus quandoque sensu tantum, quandoque etiam verbis sacra testimonia retulere.
Cantic. 27. Hiero tom. 6. Rarissi iuxta Hebræam veritatem, fere semper iuxta 70. viros citãt. Li. 1. enarrationũ Euang.

Tertium addendum iam dictis duabus veritatibus, ne quisquam allegatis testimonijs ex Scripturis offendatur, Apostolos interdum non verba, sed sensum protulisse; aliquando verò sensum cum ipsis verbis. Quod confirmatur autoritate Beati Hieronymi in cap. 5. Amos. *Et in omnibus sacris Scripturis obseruandum est, Apostolos, & Apostolicos viros in ponendis testimonijs de veteri Testamento, non verba considerare, sed sensum, nec eadem calcare sermonum vestigia dummodo à sententijs non recedant.* Deinde illud vt notum relinquo, Apostolos interdum Propheticos libros ex Hebræis fontibus citasse, frequẽtissimè verò ex editione Septuaginta interpretum: vt alibi est à nobis plenissimè demonstratum, & innumeris exemplis illustratum. Tertiò, solent interdum Apostoli prima, & vltima verba alicuius testimonij Prophetici producere, quæ ad rem suam faciunt, omissis intermedijs verbis proposito suo nõ deseruientibus. Quod etiam nonnullis locis cõfirmaui, quę non repeto, ne actum agere videar: & è contrario solent intermedia verba proferre, omissis principio, & fine, nimi-

Extrema fine medijs verbis, intermedia rursus extremis omissis sententiæ alicuius proferunt quandoque studio breuitatis

rum ob eandem rationem, quia illa ad rem suam spectarent, omissa antem non tam ad scopum suum facerent. Quartò, consueuerunt interdum Apostoli ex varijs sententijs Prophetarum, vel ex diuersis locis Psalmorum vnum & idem conflare testimonium: qua in re mirificè quidam hallucinati sunt, ignorationis notam Apostolis tribuentes, quasi illi putassent, omnia illa quæ producunt, haberi in vno loco, & non potius ex varijs, & diuersis locis Prophetarum vnum, & idem conficerent testimonium. Quintò, consuetum est Apostolis, quæ de Messia dicũtur, in seipsos transferre: & id quidem efficaciter, ac solidè ab eis factum probatur ex eo, quòd quæ prædicta sunt de Christo, non excludunt ministros, siue organa coniunctissima, ac proxima, qualia erant Apostoli; & ideò meritò illis tribuuntur quæ Christi sunt, quia in illis, & per illos operabatur. Postremò intelligat acutus Lector, non semper Apostolos vsos fuisse literæ sensu, sed interdum etiam mystico, & spirituali, vt ex Actibus Apostolorum, & epistolis Apostolicis constare potest. Et non semper sapientes adhibent demonstrationes, sed etiam rationes probabiles, & topicas producunt, quæ populo plausibiliores esse solent, & facilius ab eo accipiuntur. Hæc si quis longiùs disputata videre voluerit, legat certas regulas in alio libro assignatas.

Multa in vnũ sæpè redigũt, & cogunt testimonia Scripturarum.

Christi propria etiam sibi ipsis passim accommodãt, & adscribunt: nec sine iniuria.

Ab spirituali intellectu ac mystico idem minimè abhorrent, exẽplo sapientũ.

DISPVTATIO XVI.

De eo quòd Paulus in vna & eadem epistola nunc fideles laudat, nunc vituperat.

QVOD Apostolus in vna & eadem epistola eos, ad quos scribit, nunc acriter reprehendat, nunc verò insigni præconio eos exornet, & commendet, nemo aut mirari, aut Apostolum sibi dissentire existimare debet, cum in vna, & eadem ciuitate & prouincia & boni habitent & mali, & pij, & impij: & ita plerumque vsu veniat, vt quidam habenis, alij calcaribus indigeant, & vnus & idem homo quædam laude, & commendatione digna operetur, quædam verò vituperatione, & redargutione non indigna perficiat. Hinc Apostolus ad Corinthios, cum eos in quibusdam laudasset, in alijs vituperasset, dixit: *Laudo vos in hoc? non laudo.* ita enim Spiritus Sanctus in Apocalypsi eosdem Episcopos, quos Angelos vocat, & extollit in benefactis, & detrahit illis, in quibus se parum

Hoc nimirũ absurdum, aut nouum & insolens meritò videri.

1. Cor. 2.

Apoc. 2. ſe parum honorificè gerebant. Hinc Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribit: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam; & quia non potes* Ibid. *ſuſtinere malos.* Et ſubdit: *Sed habeo aduerſum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquiſti.* Superbi hominis ingenium. Etenim ita natura comparatum eſt, vt homo ſuperbus ægrè ferat ſe corripi, niſi aliquid laudis, & propriæ commendationis admiſceatur, quò acerbitatem mitiùs ferat reprehenſionis. Et ille prudens eſt corrector alterius, qui tanquam alter Samaritanus oleum, & vinum infundit in plagas vulnerati, nimirum lenientia, & pungentia pharmaca, iuxta illud: *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me*; & Apoſtolus, *Si præoccupatus*, inquit, *fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Et quidem primò loco infundendum eſt oleum mitigans, id eſt, verbum lene, & eius qui corripitur, commendans virtutes; deinde vinum mordax reprehenſionis: quomodo Deum ſemper feciſſe, & viros ſuo Spiritu præditos, ſubiuncta exempla indicabunt. Hac ſalutari ſcribendi ratione emicat tota doctrina Apoſtolica, aſpera blandis, & dulcia amaris interſerens. Hinc Romanos de fide in Chriſtum laudat, quę per vniuerſum orbem annuntiabatur: de chariſmate, & pace nō ſeruata inter ipſos credentes, Iudæos, & Gentiles Romæ agentes, ac tumultuantes redarguit. Corinthios in cœlum vſque effert, quòd eſſent diuites facti in Chriſto, in omni verbo, & in omni ſcientia, &c. ita vt nihil illis deeſſet in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & tamen eos acriter reprehendit, de multis, & præſertim de ambitioſo ſtudio doni linguarum neglecta charitate; de factionibus miniſtrorū Chriſti, de inceſtuoſo Corinthio, quem tolerabant; de contentionibus fratrum, & litibus coram Ethnico magiſtratu; de modo celebrandi cœnam Dominicam; de fœminis, quæ non velato capite preces fundebant in templo; de fide articuli reſurrectionis, quem quidam inter eos negabant, & pleriſque alijs. Et ad Galatas: *Currebatis bene: quis vos impediuit veritati non obedire? Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa.* Et cùm ad Hebr. 3. acerbiùs illud dixiſſet: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, &c. & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam,* mitigans ſermonem, ſubiunxit: *Confidimus autem de vobis, dilectiſſimi, meliora, & viciniora ſaluti; tametſi ita loquimur.* Idem facilè eſſet oſtendere, ſi opus eſſet, in alijs epiſtolis. Huius regulæ autores ſunt Hieronymus, & Auguſtinus. Ille quidem in cap. 63. Eſaiæ ſub finem: *Epiſtola,* inquit, *quam ſcribit Paulus ad Corinthios, cùm ad vnius ſcribatur populum ciuitatis, pro varietate habitantium, id eſt, ſanctorum, & peccatorum, nunc laudat eos; nunc corripit, nunc docet, nunc reprehendit: prouocat ad continentiam, nuptias non recuſat, retrahit ab idololatria, inſtruit reſurrectionem, digamiæ porrigit manum, ne locum tribuat fornicationi.* Alter verò Auguſtinus epiſtola ad Paulinum: *Scripturæ* (ait) *mos eſt ita loqui de parte, tanquam de toto: ſicut Corinthios in primis epiſtolæ ſuæ partibus ita laudat, tanquàm omnes tales ſint, cùm eſſent laudabiles quidam eorum: & poſteà in nonnullis epiſtolæ ipſius locis ita reprehendit, tanquàm omnes culpabiles eſſent, propter quoſdam, qui tales erant. Iſtam diuinarum Scripturarum conſuetudinem per omne corpus literarum eius creberrimò ſparſam, quiſquis diligenter aduertit, multa diſſoluit, quæ inter ſe videntur eſſe contraria.* Hæc illi Patres prudenter annotarunt. Et hæc ad propoſitam diſputationem ſatis ſint.

Luc. 10. — Idoneus aliorum corrector quis. — Pſal. 140. — Gal. 6. — Oleum, & vinum in parabola Samaritani, quid myſticè. — Roman 1. — Infra 14. — 1. Cor. 1. — Infra 13. — Supra 1. & Infra 3. — Infra 5. — Infra 6. — Infra 11. — Ibid. — Infra 15. — Gal. 3. — Supra 3. — Hieron li. 17. in Eſaiam, circa fin. to. 5. — Aug. epiſt. 59. in ſolut. 5. qu. in medio, to. 11.

DISPVTATIO XVII.

De eo quòd Paulus cum aliquid magnificentius de ſe dixerit, continuò ſe deprimit, & interdum in gratiarum actione ſermonem concludit.

SI quando Apoſtolus Paulus neceſſitate coactus aliquid ſublimius de ſe ſcripſerit, ſpectans ad regulam Spiritus ſancti per Salomonem traditam: Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua: protinus ſermonis faſtidium excutiens, & in ſemetipſum deſcendens addere ſolet, Et ſi nihil ſum. Etenim cùm magnifica quædam de ſe dixiſſet ad Corint. continuò ſubiunxit: *Factus ſum inſipiens: vos me coëgiſtis. Ego autem à vobis debui commendari: nihil enim minus feci ab ijs, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli; tametſi nihil ſunt.* Et iterum: *Nam etſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me exiſtimet ſuprà id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me.* Inſtruens nos, qua ratione de nobis ſentire, & loqui debeamus, ſi quando excelſa aliqua, & magnifica dona de manu Dei acceperimus. Nec enim illa donauit Deus, vt in nobis ipſis inflemur, aut vt alios contemnamus, aut vt ſuperbè de donis efferamur. Hæc eadem annotauit Chryſoſtomus in epiſtolam ad Corinth. poſteriorem. Habet etiam in more, vt cùm beneficiū aliquod ſingulare memoret ſe à Deo accepiſſe, ſiue proprium & peculiare ſit, ſiue generale, & in omne genus humanum effuſum, mox in gratiarum actio-

Prouerb. 27. — 2. Cor. 12. — Ibid. — Ibid. — Qualem ſuo Paulus exemplo nos doceat humilitatem. — Chryſoſt. homilia. 3. in poſt ad Corin. ſub init. to. 4. — Idem Apoſtolus comme-

moratis in se diuinis beneficijs gratiarū actionem con sueuit adiungere. actione sermonem finiat,& concludat. Vt *Rom 7.* ad Roman.7.*Quis*,inquit,*me liberabit de corpore mortis huius ? Gratia Dei* (siue, vt Græca habent, *Gratias ago Deo meo*) *per Iesum Christum Dominum nostrum*.Et cap.11. *Infra 11.* *Quoniam ex ipso,& per ipsum,& in ipso sunt omnia. Ipsi honor & gloria,in secula seculorum, Amen.* Et cap.vlt. in gratiarum actione terminat epistolam ad Romanos,& epistolam similiter ad Hebræos,dicens; *Hebr.13.* *Deus autem pacis , qui eduxit de mortuis pastorem ouium magnum,in sanguine testamenti æterni , Dominum nostrum Iesum Christum,&c.cui est gloria in secula seculorum ,Amen.* Et cum in cap.3.ad Ephes. *Ephes 3.* multa disputasset de vocatione Gentium,dixit:*Ipsi*,inquit, *gloria in Ecclesia,& in Christo Iesu in omnes generationes seculi seculorum , Amen.* Et 1. Timoth. *1.Timoth.1.* 1.*Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere,quorum primus ego sum ; sed misericordiam consecutus sum,vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum , qui credituri sunt illi in vitam æternam.*Et mox subdit: *Regi autem seculorum immortali inuisibili Deo honor & gloria,&c.* Hoc autem suo exemplo pro magnis, & æternis Dei beneficijs docuit nos gratias agere, quibus digni reddamur ea abundantiùs recipere , & quo pleniùs instruamur , ne Herodis Agrippæ iudicium , *Act.12.* qui percussus ab Angelo , eo quòd non dedisset honorem Deo,& consumptus à vermibus expirauit, experiamur: qui tamen non seipsum commendauit,sed tãtùm oblatas à populo laudes,in Deum,vt debebat,non retulit. Meminit huius regulę Chrysostomus serm.19. *Chrysost.to.4* in epist.ad Rom.

DISPVTATIO XVIII.

An Paulus coniugatus extiterit.

Prima opinio. QVoniam in controuersia positum est, & ad multorum locorum Apostoli intelligentiam spectat , num Paulus fuerit coniugij vinculo alligatus,an non;aperiam breuibus sententiam meam. Quidam enim autoritate Patrum potiùs ducti,quàm Scriptura, eum maritum fuisse confitentur.Ignatius enim antiquissimus autor,& qui id *B.Ignat.epist 9.ante dimid.* certiùs agnoscere potuit , cùm fuerit Pauli æqualis, in epistola ad Philadelphien. Petrum,& Paulum,& reliquos Apostolos nuptijs fuisse sociatos , & posteritatis subrogandæ gratia , non libidinis exaturandæ, coniuges habuisse tradit.Quanquam hunc locum euadunt quidam , producentes codicem Græcum Matthiæ Regis Hungariæ, cuius exemplar est vnum in Vaticana Bibliotheca , in quo nomen Pauli non habetur: & idem testatur Alfonsus à Castro in *Alfonsus à Castro lib 14. contra hæres.* libro contra hæreses,in verbo, *Virginitas*: nam producit alterum codicem Beati Ignatij extare in Oxoniensi ciuitate in Anglia, vbi est Gymnasium eius insulæ celeberrimum apud Collegium B.Magdalenę,Pauli suppresso nomine : vt inde videri possit ab hæreticis additum nomen Pauli. Deinde producitur Clemens Alexandrinus,an- *Clem. Alex.* tiquus ipse,libr.3.& 7. Stromatum : cuius sententiam citat Eusebius Cæsariensis lib. *Euseb. tom.1.* 3.capite 30.Historiæ Ecclesiasticę,qui Paulo tribuit vxorem. Additur tertius Nice- *Nicephor. Callist.* phorus libr.2.cap.44. qui scribens in eos, qui nuptias reprobabant, *An isti tandem*,inquit,*Apostolos quoque reijcient ? Petrus siquidem ; & Philippus liberis creandis operam dederunt.Philippus porrò filias etiam suas viris in matrimonium locauit. Paulus quoque non veretur* *Philip.4.* *in epistola comparem suam salutatione compellare : quam quidem ille propterea secum non circumduxit,vt facilius ei , expeditiusque esset verbi ministerium.* Hæc ille,ex duobus testimonijs Pauli,ad Philippen. 4. & 1.Corinth.9. *1.Corint 9.* vnum conflans. Idem tamen posteà subiungit: *Multis autem , eisque magnis apud nos viris,non videtur Paulus coniugem habuisse : idque ex verbis eius , quibus virginitatem & cælibatum commendat, colligunt,cum dicit : Peruellem equidem omnes esse , vt ego sum. Illud verò, Salue mihi & tu compar , non mulieri, sed viro cuipiam,ita fortasse nominato , dictum putant.* Quartus occurrit testis Origenes, qui in 1. *Idem Niceph.* libr. super epistolam ad Romanos edisserens illud,*Seruus Iesu Christi*,ait: *Paulus (sicut quidam tradunt) cum vxore vocatus est : de qua* *1.Cor. 7.* *dicit ad Philippenses scribens : Rogo te etiam,germana compar,adiuua illas,quæ cum ipsa sunt. Ex* *Philip.4.* *censensu igitur liber effectus seruum se somniat* *Orig in ca. 1. ad Rom. iuxta princ.* *Christi. Si verò, (vt alijs videtur) sine vxore ,nihilominus qui liber vocatus est , seruus est Christi:* *Tom 2. paulò antè medium* Quintus est Leo IX. contra epistolam Ni- *Leo IX.* cæti Abbatis, & habetur apud Gratianum *Iuo Carnot. li.1. id refert.* distinct.31.*Omninò confitemur, non licere Episcopo, Presbytero, Diacono, propriam vxorem causa religionis abijcere à cura sua ; sed vt ei victum & vestitutum largiatur : sed non vt cum illa carnaliter ex more iaceat : sicut & sanctos Apostolos legimus egisse , Beato Paulo Apostolo di-* *1.Cor.[illegible]* *cente : Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi , sicut & frater Domini, & Cephas ? Vide,insipiens, quia non dixit , Nunquid non habemus potestatem sororem* *Apostoli sorores mulieres cur circunducerent.* *mulierem amplectendi , sed circumducendi, scilicet vt mercede prædicationis sustentaretur ab eis ; nec tamen deinceps vlterius foret carnale inter eos coniugium.* Hæc ille , non obscurè indicans,

dicans, Apostolos secum solitos ducere vxores, non ad opus coniugij; sed ad ministerium, & vt eorum prædicatione alerentur.

Altera opinio.

Quidam verò alij eum cœlibem fuisse censent, propter eius verba. 1. Corinth. 7. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis, si sic permanserint, sicut ego. Quòd si non se continent, nubant.*

1. Cor. 7.

Et paulò superius dixerat: *Volo autem omnes vos homines esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo,* & cætera. Non enim proponeret seipsum alijs imitandum, nisi in re, in qua ipse imitaretur Christum, secundùm illud: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Infra 11.

At Christus coniugatus, aut viduus non fuit, sed cœlebs, & continens.

Tertull.

Vnde Tertullianus lib. de exhortatione ad castitatem: *Cùm nos,* inquit, *ad exemplum suum* (scilicet Paulus) *hortatur, vtique ostendens quid nos velit esse, id est, continentes pariter declarat, quid nos esse nolit. Id quod non vult, non sponte, nec veritate permittit. Si enim vellet, non permisisset, imò imperasset.* Et infrà: *Licebat & Apostolis nubere, & vxores circumducere. Licebat & de Euangelijs viuere. Sed qui his vsus non est in occasionem, ad exemplum nos suum prouocat, docens in eo esse probationem, in quo licentia experimentum.*

Idem.
Supra 9.
Ibid.

In eo est probatio, in quo licentiæ experimentum, ait Tertullianus.

Hæc ille. Vbi obserua, licuisse Apostolis nubere. Idem lib. de Monogamia: *Petrum solum inuenio maritum per socrum. Cæteros cùm maritos non inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes. Nec enim si penes Græcos communi vocabulo censentur mulieres, & vxores pro consuetudinis facultate (cæterum est proprium vocabulum vxorum) ideò Paulum sic interpretabimur, quasi demonstret, vxores Apostolos habuisse.*

Idem.
Matth. 8.

Mulieres & vxores cur Græcis communi censeantur vocabulo, eodem autore.

Et concludit, mulieres quæ circumducebantur ab Apostolis, eodem instituto, quo & Dominum comitantes ministrabant, secutas fuisse. Hactenus ille.

1 Cor. 9.
Luc. 8.
Hilar. Ambr.

Hilarius in Psalmum 127. Paulum virginem rectè vocat. Ambros. in exhortatione ad virgines: *Volo,* inquit, *vos imitatrices esse tanti Apostoli, vt vitam eius sequamini, qui coniugij vinculum refugit, vt vinctus esset Christi Iesu. Non potuisset ad tantam Apostolatus sui peruenire gratiam, si fuisset alligatus coniugij contubernio.*

to 1. paulò à medio
Idem tom 5. circa med.

Idem ad Pauli locum 1. Corinth. 7. *Non diceret, Bonum est innuptis vt sint sicut ego, nisi esset integer corpore. Nec diceret, Omnes homines volebam esse sicut meipsum. Si enim habuerit vxorem, & hoc dixit, virgines esse noluit: sed absit. Sic enim à pueritia spiritui seruiuit, vt huius rei studium non haberet: quippe cum iuuenculus anticipatus sit à gratia Dei.*

1. Corint. 7.

Idem ibid.

Idem scribit, omnes Apostolos, exceptis Ioanne, & Paulo, vxores habuisse; nimirum in capite 11. posterioris ad Corinthios, in principio. Cùm tamen Epiphanius in Valesios dicat: *Quinam hi fuerint* (eunuchi videlicet, qui seipsos castrarunt propter regnum) *quàm generosi Apostoli, ac monasticam vitam degentes, & deinceps virgines. Ioannes quidem, & Iacobus filij Zebedæi, qui manserunt in virginitate, neque tamen proprijs manibus membra resecuerunt, neque nuptias contraxerunt, sed proprio corde decertarunt, & mirabiliter gloriam coronæ huius certaminis abstulerunt.*

Epiphan. hæres. 58. à medio.
Matth 19. Ioannes, & Iacobus filij Zebedæi perpetuam virginitatem coluere.

Et subdit, Paulum inconiugatum quidem permansisse, & continentem, non tamen ab hominibus exectum, vt Valesij.

Idem in hære. 30 ante med.

At Ebionei, eodem teste, Paulum calumniabantur, Græcum Græco parente progenitum fuisse: sed Ierosolymis filiæ Sacerdotis in vxorem accipiendæ cupiditate, proselytum, circumcisumque fuisse, cumque puellam non assequeretur, ira concitatum, contra Sabbatum, legem circumcisionemque fuisse. Quem tamen adeò virginitatis amatorem, & sectatorem, Epiphanius fuisse describit, vt contra Antidicomarianitas tradat, Theclam, cùm in sanctum Paulum incidisset, à nuptijs exolutam; cùm sponsum haberet verbis primarium, generosum, diuitem pariter, ac formosum, & vita illustrem.

Idem in hære. 78 aliquantò à medio.
Sanctissima Christi martyr Thecla, Pauli persuasu virginitatis statū assumpsit.

Theodoret.

Theodoretus in capit. 4. ad Philippen. Impudenter quidam hoc loco suspicati sunt de vxore sua dicere, immemores epistolæ ad Corinthios, cùm illud de non nuptis & viduis scribit: *Bonum est, si sic maneant, vt ego*: nunquam enim habuisse vxorem verius est, adolescens enim vocatus est. Adhæc Hieronymus ad Eustochium de custodia virginitatis: *De virginibus,* inquit *Apostolus, præceptum Domini non habeo. Cur? quia ipse, vt esset virgo, non fuit imperij, sed propria voluntatis. Neque enim audiendi sunt, qui eum vxorem habuisse confingunt; cùm de continentia disserens, & suadens perpetuam castitatem, intulerit: Volo autem omnes esse sicut meipsum.* Et infrà: *Dico autem innuptis, & viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut ego.*

Hier epist. ad paulò ante dimed tom. 1.
1. Corinth. 7.
Ibid.

Idem libro aduersus Iouinianum, ei repugnans, asserit, cæteros Apostolos, præter Petrum, cœlibes vixisse. Et proponenti Iouiniano, Petrum socrum habuisse ex Euangelio, respondet, illum inter eos, qui legi seruierint, debuisse numerari: neque enim Euangelium ante crucem Christi est, quod passione, & sanguine ipsius dedicatur. Iuxta quam regulam Petrus, & cæteri Apostoli, vt ei ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem vxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant, qui assumpti posteà in Apostolatum, relinquunt officium coniugale. Nam cùm Petrus ex persona Apostolorum dicit ad Dominum: *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti*

Idem li. 1. aduers Iouin. aliquantò à dimed tom. 11. in princip.
Luc 4.

Matth. 19.

Ibid.

cuti sumus te: respondit ei Dominus: *Amen dico vobis, quoniam nemo est, qui dimiserit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multò plura in sæculo isto, & in sæculo futuro vitam æternam.* Sed vt hæc veterum Patrum dissensio terminetur, statuerem in primis, in Scripturis, aperta non inueniri testimonia, quibus solidè alterutra pars confirmetur, etiamsi vtraque pars pro se aliquid adferat.

Vtraque opinio triplici ratione componitur, & conciliatur.
Prima opinio.

Nam quod pro posteriori sententia adfertur ex 1. Corinth. 7. non est vsque adeò firmum, vt Paulum omninò cœlibem, & inconiugatum euincat: quia cùm scribat, *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego:* non magis probat Paulum inconiugatum, quàm viduum, & continentem, vt nonnulli sentiunt, nisi constaret, quòd est sermo de viduis fœminis. Habent enim Græca τὰς χήρας. Cæterùm verbum præcedens τοῖς ἀγάμοις, id est, coniugatis, ad viros & fœminas extendi potest, cum sit masculinum, & fœmininum.

1 Cor. 7.

Philip. 4.

Deinde locus ad Philip. 4. vbi habetur: *Etiam rogo te, germana compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio:* nihil euincit, etiamsi quis arguari possit, quòd hæc germana, sit mulier. Tum quia de alijs mulieribus dixerat: *Euodiam rogo, & Syntichen deprecor, &c.* & subiunxit statim iuxta Græcam literam, *Etiam rogo te* Σύζυγε γνήσιε *germana compar:* nam prima vox coniugem apertè significat in vtroque genere: & vox masculina pro fœminina accipi consueuit, vt Chrysostomus, & Oecumenius, & alij periti linguæ Græcæ docent. Adeò, vt interpres Sophoclis testetur in Electra; *Quæcunque in os terminantur masculina, pro fœmininis quæ in α terminantur, ponuntur, & Attica sunt: vt,* χρύσεος ἀντὶ τοῦ χρυσοῦ κλυτὸς pro κλυτή, θυραῖος pro θυραία. Quod verò nomē γνήσιος, masculini, & non communis generis esse contendunt, non est iuxta Græcæ linguæ peritiam, neque congruum Chrysostomi sententiæ. Alij verò sunt ex Græcis interpretes, qui hūc sensum reprehendunt: & intelligunt, voce γνήσιος socium Pauli, nempè Epaphroditum, vel alium designari, quasi diceret, Ingenue collega; vel qui esset coniux alterius ex dictis matronis, & Ambrosius putat esse hominem, vt eius ostendunt Commentaria. Atque hæc tradunt Theodoritus, Theophylactus, & Oecumenius hoc loco: non esse verisimile Apostolum habuisse vxorē Philippis, patria peregrina, nisi vel Tarsis, quæ patria erat Pauli, vel Ierosolymis, vbi erat educatus. Tertius verò locus ex 1. Corinth. ca. 9. productus anceps est, & nihil certi pro vtraque parte videtur

Chrysost. sermo. 19 in epist. ad Philipp.

Ambros. in c. 4 ad Philipp. tom. 1 à med. Theodor. ibi. par. 2. Theoph. ibid. Oecume. ibid. Act. 22. Clem. Alexd. locis superioribus.

adstruere: quia poterant vxores Apostolorum circumduci, vt asserunt Clemens Stromateus, & Leo IX. Probabile etiam est non fuisse vxores, sed fideles, & in spiritu germanas mulieres, quæ comitabantur Apostolos: non secus atq; illæ, quæ olim Domino ministrabant de facultatibus suis. Atq; ita præter Græcos Latini quoque Patres, vt August. lib. De opere monachorum, & Anselmus, & Thomas, & Lyranus, & Caietan. interpretantur.

Leo IX. Luc. 8. August. lib. De ope. Monach. ca. 4. & 5 to. 3. Anselm. in hunc locum. B. Thom. Lyran. ibid. Caiet. ibid.

Producitur & ab alijs locus Roman. ca. 16. *Commendo vobis Phœben sororem nostram:* dicentes Phœben vxorem fuisse Pauli: quod si verum esset, simul Paulus vxores duas habuisset, vnam Philippis, alteram Cenchreensem, quæ Romam nauigando peregrinabantur; aut esset binominis Phœbe, & Germana dicta; quæ omnia voluntariè dicuntur, & nulla ratione firmantur: & verbum Germana, non est Græcum, sed Latinum nomen, respondens voci γνήσιος.

Deinde assererem, si beatus Paulus ante conuersionem vxorem non habuit, nunquam posteà habuisse. Nam habens demandatam euangelizandi per vniuersum orbem prouinciam, fuisset omninò insipiens, & Christi doctrinæ facto contradixisset vxorem ducendo. Et idem de alio quocunque Apostolo inconiugato dicendum: nemo quippè post Apostolatum vxorem duxit: Nam qui ex illis vxores habuerunt, si qui tamen habuerunt præter Petrum, vt indicat Ignatius, illos eas reliquisse, ad functionem Apostolicam præstandam, longè est probabile: vt rectè ex Euangelio collegit Hieronymus aduersus Iouinianum; ex loco nimirum Matth. 19.

II. Ratio.

B. Ignat. epist. 9 paullò remotius à princ. D. Hieron. loco paullò ante producto.

III. Ratio.

Tertiò, pro conciliandis veterum Patrum sententijs, adderem, quòd fortassis vxorem duxerit adolescentulus, vt moris erat apud Hebræos tempestiuius filijs vxores dare, nondum tamen in domum suam traduxerat, nec illam aliquando nouerat, vt quidam ex recentioribus apertè testantur, vt Faber Stapulensis, & Ambrosius Catharinus: & videtur ex Tertulliano, & Methodio, & Chrysostomo colligi posse secundùm quorundam sententiam. Nec hoc illi aliquo modo derogaret, cùm consuetum esset, vt dixi, Hebræis vxores acceptas nō tam citò domum deducere, vt ex Matthæo 1. & Deuteronom. 22. constare potest. Neque hoc vllo modo obstaret, aut eius cœlibatui, quemadmodum nec B. Deiparæ Virginitati quicquam derogauit, quòd fuerit Iosepho desponsa, & coniugio illi copulata. Ita etiam de B. Ioanne Euangelista à nuptijs per Christum fuisse vocatum

Desponsationes Virginum Iudæarum.

Faber Stapul. Ambros. Catharin.

Ille vnde colligi potest.

Matth. 1. Deut. 22.

Luc 1. Ioan. 2.

legi-

legimus; & tamen castitatem, & Virginitatem coluisse. Præterea hoc nullo modo fauere potest Hęreticis, quasi ex Pauli exemplo colligamus, Sacerdotes, & Episcopos coniugatos esse posse, & debere; cum contra, si vxoratus fuit, & vxorem incognitam reliquit propter Euangelium, fortius, & solidius deducamus, Sacerdotes à coniugio ineundo abstinere debere, si is qui matrimonio copulatus fuit, legitimo coniugij v su seipsum propter Christum, & Euangelium sponte priuauit. Nam & certum est Apostolorum Principem Petrum coniugatum extitisse; & tamen, postquam ad Euangelium vocatus est, vxori renuntiasse, quò posset magis expeditus Apostolico muneri satisfacere: ex quo non solum nihil derogatur cœlibatui Sacerdotibus Ecclesiæ lege indicto, imo permultum ei arrogatur. Si enim functio Sacerdotalis, aut Apostolica cogit maritos ad relinquendum vsum vxorum, & ad colendam vitam cœlibem: quantò magis Ecclesia poterit legem statuere, qua in futurum ministri Ecclesiæ ad Sacrosancta mysteria altaris deputati à coniugio ineundo abstineant? Et si tale quidquisquam attentaret, non solùm esset illicitum, sed etiam redderetur irritum & inane. Quare, vt finem dicendi faciam, hac ratione magis stabilitur cœlibatus, & castitas Sacerdotum, quam si omninò cœlibem Paulum extitisse asseramus.

Marc.10.

Matth. 6.

In eosmet argumentum illud aptissime retorquetur.

Si tamen quis certis, ac firmis rationibus euinceret, Paulum nunquam coniugium iniisse, sed liberum semper à tali vinculo, & purum fuisse, non magnopere cum eo contenderem, aut illi repugnarem. Nam vt illa ratione Paulus purus & castus, & expeditus ad munus Euangelicum redditur; ita etiam per hanc nostram sententiam & cœlebs, & continens statuitur. atque alia ratione, quæ mihi magis solida videtur, & fortior ad stabiliendum Sacerdotum cœlibatum defenditur. Ac de his hactenus.

DISPVTATIO XIX.

In qua differitur, quot, & quales extiterint Patres, qui in beati Pauli Epistolas enarrationes ediderunt; & quid de illorum singulis sentiendum sit.

Quæ causæ huius disputationis extiterint.

RERVM, & sententiarum grauitas, ac maiestas, de quibus in suis epistolis agit Apostolus, stylus durus, & scaber, qui ex schematis pendere solet, vt ex Metonymia, Parenthesi, Eclipsi, & Hyperbato, & similibus tropis: frequentia item quæstionum, & solutionum, quæ per nouas alias quæstiones fiunt, dictionum peregrinarum admixtio, & Hebraicorum idiotismorum in lingua Græca, in qua scribit: in causa fuerunt, vt, præter alios Scripturarum libros, Paulinæ Epistolæ multos ferè omni seculo habuerint interpretes, & enarratores, qui vel iustorum voluminum conscriptione illas elucidarunt, vel paraphrasibus additis explicarunt, vel deniq; breuioribus Scholijs illustrarunt.

At verò, quoniam in his Patrum scriptis quædam Hæreticorum erroribus fauere in speciem videbantur; aut quia nõnulla non satis Catholica dogmata in illis inserta inueniuntur; quædam verò eius generis sunt, vt eorum autores sensum Apostoli non plenè assecuti esse videantur, quædam autem illis attributa, quæ ipsorum non esse probantur, quibus adscribuntur: existimaui ab instituto meo non fore alienum, de his prudẽtem lectorem admonere, & quale meum sit de quibusdam illorum iudicium, aperire; & quid ex quolibet sit seligendum, & accipiendum. Qua in re imitari videbor Hieronymum, qui de Latinis Patribus Tertulliano, Cypriano; Victorino, Lactantio, Arnobio, & sancto Hilario, de eo, in quo quisque eminet, ac de stylo, ac charactere scribendi iudicium suum profert in epistola ad Paulinum De institutione Monachi. Scripserunt namque in Paulum tam ex Græcis, quàm ex Latinis permulti. Ex Græcis primus est Origenes, deinde Didymus. Chrysostomus, Theodoritus, Photius, Theophylactus, Oecumenius, & autores Scholiorum Græcorum, & Theodolus quidam Syrus, & alij nonnulli, qui peculiares libros inscriptos nomine in Paulum Catenę, ediderunt. Producit etiam Hieronymus in epistola ad Minerium & Alexandrum, ex Gręcis alios, vt, Apollinarem Laodicenum, Alexandrum veterem Hæreticum, Eusebium Emisenum, Theodorum Heracleotam, Diodorum Tarsensem, Acacium Cæsariensem, quarto loco post Eusebium Episcopum nonnullos in Paulum commentariolos elucubrasse, & peculiariter de Theodoro Heracleota testatur scripsisse in Matthæum, & in Ioannem, & in Apostolum, & in Psalterium commentarios. Eusebium verò Emisenum in epistolam ad Galatas libros decem exarasse tradit in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: & subiungit de Diodoro Tarsensi: *Extant eius, inquit, in Apostolum Commentarij: horum autem Scriptorum Opera cum hodie non extent, certum de illis ferre iudicium non possumus.*

Eius argumentum.

B. Hieron. epist. 13. tom. 3. prope initium.

Græci Patres Pauli interpretes & enarratores qui.

Hieron. epist. 152. tom. 3.

Hiero. tom 1. circa finem.

que adeò contrarias res significans, Mori peccatis, & delictis: nam si illa in Auferendi casu ponantur, sensus esset, Mori per peccata, & delicta. Et ita Paulus Ephes. 2. scribit: *Et vos conuiuificauit, cùm essetis mortui delictis, & peccatis vestris.* Et infra: *Et cùm essemus mortui peccatis*, id est per peccata, vel in peccatis, vt sæpè aliàs solet Paulus vsurpare, vt Coloss. 2. *Et vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ.* Et Dominus Ioan. 8. *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Et apud Ezech. 18. *In præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur.* Rursus: *Cùm auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatē, morietur in eis: in iniustitia quam operatus est, morietur.* Mori autem peccato, vel peccatis in Dandi casu, oppositum signat: quia est non amplius viuere peccatis, nec illis vlterius incumbere, vt prius, nec amplius permittere vt in corde suo viuant peccata. Ita enim ipse Apostolus explicauit Roman. 6. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Infra: *Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato: viuentes autem Deo in Christo Iesu.* In hunc sensum legimus 1. Petr. 2. *Vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.* Et ita mori peccato, est viuere iustitiæ. Ita etiam dicitur quis mortuus legi, & mundo, & crucifigi: ait enim ad Galatas: *Ego per Legem, Legi mortuus sum.* Et rursum: *Per quem* (scilicet Christum) *mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ita dicere potuit, Mihi mundus mortuus est, & ego mundo. Et ita, mori in peccatis, contrarium est mori peccato. Tertiò, hæc locutio alind interdum signat: nam Roman. 6. Apostolus scribens, ait: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo.* Certè Christus neque mortuus est in peccato, quod habuit nunquam, neque peccato vlli proprio mori potuit, vt post illud viueret Deo: sed mortuus peccato, signat idem quod, mortuus pro peccato, vel propter peccatum nostrum delendum. Sicut quod sequitur, *Viuit Deo*, signat, id est, viuit propter Deum, vel, eo quod sit Deus, vt ait Oecumenius. Ita ad Roman. 14. loquitur Paulus: *Nemo nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur.* Id est, Nemo est qui propter se viuere, ant mori debeat, sed propter Dominum, cuius sumus, & cui vita & morte est seruiendum, vt subiungit. ¶ Ne quis ergo res diuersas eisdem vocibus expressas confundat, & res ipsas vocibus; non antem voces, vt par est, rebus distinctis accommodet, consultissimum est tum in omnibus Scripturis, tum præcipuè in Apostolo Paulo canonem illum obseruare Dialecticorum, vt nomina, & verba homonyma, siue æquiuoca, in suas prius distinguat significationes, vt intelligat qua de illarum in quolibet textu sit sermo. Et hęc nos impulerunt, vt in his nostris Prolegomenis homonymas voces nonnullas, tam nominum, quàm verborum, diligenter distingueremus, & explicaremus: quod in proxima parte huius libri præstare conabimur.

Ephes. 2. Coloss. 2. Ioan. 8. Ezech. 18. Ibidem. Rom. 6. Ibid. 1. Pet. 2. Gal. 2. Infra 6. Rom. 6. Oecumen. circa in epist. ad Romanos, ante medium. Rom. 14.

DISPVTATIO XI.

Quid soleat significare Apostolus voce membrorum.

IN more habet Apostolus, vt nomine membrorum eas operationes intelligat, quæ ab illis proficiscuntur. Hinc ait: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Et subiungit actiones quæ membris fiunt; videlicet, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus. Et alio loco: *Manifesta sunt opera carnis*, (id est, hominis carnem sectantis) *quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, & quæ sequuntur. Quia enim homo corpore cōstat, quod ex varijs membris perficitur, & optimè nouit, ad quam quodque membrum functionem à natura institutum sit: hinc fit, vt Deus quò nobis suis proprietates innotescere faciat, se per varia membra metaphoricè repræsentauerit. Vnde & oculos, & aures, & nares, & os, & vultum, & linguam, & brachia, & manus, & digitos habere dicitur. Hinc illæ voces: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: Vultus autem Domini super facientes mala: Ascendit fumus in naribus eius: Os Domini locutum est: Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius: Digitus Dei est hic: Manus Domini tetigit me: Si in digito Dei eijcio dæmonia*, id est, Spiritu Dei. Ad eundem modum voluit Deus per membra designare bonas, aut malas operationes nostras quæ per illa fierent. Vocat enim Apostolus legem membrorum, concupiscentię fomitem in membris delitescentem, secundū illud: *Sed neq; exhibeatis mēbra vestra, arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo:* & paulò antè: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* Indicans concupiscentiam malam non regnare, nisi cū obeditur eius motibus. Et vt vocat legem membrorū, & peccatum, ita etiam appellat Corpus mortis, id

Coloss. 3. Gal. 5. Deo cur partes tribuantur humanæ. Psal. 33. Ibidem. 2. Reg. 22. Esa. 1. Psal. 97. Exod. 8. Iob 9. Luc. 11. Lex membrorum quid. Rom. 7. Supra 6. Ibidem. Regnet in nobis concupiscentia quando. Rom. 7.

est, cau-

Quid Corpus mortis Apostolo.
Iacob. 4.
Rom. 6.
Corpus peccati eidem quale sit.

est, causam omnimodam inducendi mortem spiritualem. Similiter Iacobus Apostolus dixit: *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris quæ militant in membris vestris?* Militant verò cùm regnant, & in externas actiones proferuntur. Adde etiam Apostolum dicentem: *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra nõ seruiamus peccato.* Qua sententia primò tradit veterem hominem per baptismum in Christo crucifixum, id est, vniuersa peccata ex homine veteri crucifixo, sine debilitato prodeuntia, ita vt destruatur corpus peccati, id est, vniuersitas peccatorum per corpus, quod vniuersis membris cõstat, designata. Vt enim totum Iesu corpus crucifixũ fuit, ita vniuersa corporis peccati membra, quorum caput fuit illud originale.

Matth. 27.
Psal. 21.
Quatenus sit nobis destruẽdum hoc corpus peccati.
Psal. 48.
Illud Prophetæ: Iniquitas calcanei mei circumdabit nec quid sibi velit.
Iob 14.

Dicitur autem hoc corpus peccati destrui, nõ quidem simpliciter, vt à nobis ablatum sit; sed vt, etiamsi insit, ei in futurum non obediamus, ad quod membra ipsa sollicitabant. Simili loquendi ratione vtitur Spiritus sanctus in Prophetis, vt cùm ait: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, id est, Confidentia de proprijs viribus, cui tanquam calcaneo in ambulando nitimur, me sæpè occupabit. Alio loco: *Tu quidem gressus meos dinumerasti*: id est, omnes meas actiones, siue vias gressuum pedibus factas. Similitudine de dæmone sub similitudine elephantis in Iob scribitur: *Fortitudo eius in lumbis eius*: hoc est, in membris tam viri quàm fœminæ, ad generationem, & venerea spectantibus, totam fortitudinem suam collocat. Et cùm ipse ad literam eiusmodi membris destituatur; significat eos, qui eius instinctu huiuscemodi membris abuti in perniciem suam consueuerunt. Ita Ezechiel: *Insaniunt*, inquit, *libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt vt carnes asinorum: & sicut fluxus equorum fluxus eorum.* Vbi inverecunda opera, & obscœna honestè designantur. Ita etiam Dominus interdum in Euangelio est locutus: *Si*, inquit, *manus tua, vel pes tuus, vel oculus tuus scandalizat te: abscinde eum, & proijce abs te.* Non enim iubet cultro membra præscindere, quæ Deus cõdidit; sed prauas actiones, & obscœnas cupiditates, earumq; occasiones gladio verbi Dei resecare. Similiter cùm dixit: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*: significauit, nos ad Christi Domini secundum aduentum præcinctione tenuum, id est, castitate, & pudicitia ornatos esse debere; & lucernas ardentes in manibus habere, id est, fidem charitate ardentem, bonorum operum studio gestare. Adhæc

Infra 40.
Dæmonis fortitudo in lumbis eius apud Iob quæ mysticè.
Ezech. 23.
Per carnes asinorum, & fluxus equorum quid significet Propheta.
Matth. 18.
Manus, pes, oculus, nos scandalizantes quę nobis abscindenda. Qui rursus lumbi nostri debeãt esse præcincti, & lucernæ ardentes in manibus nostris.
Luc. 12.
Philip. 3.
Huius loci Apostolici: Quorum finis, interitus, & gloria in confusione ipsorum, duo sensus, Am-

brosij & Chrysostomi.

Paulus ad Philippenses de quibusdam crucis Christi inimicis ita scripsit: *Quorum finis, interitus: & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt*; alij vertetunt; *In pudendis eorum.* Nam vt Ambrosius interpretatur ibidem, gloriabantur in pudendis circumcisis, & circumcisionem carnis, gloriam putabant. Chrysostomus tamen in eundem locum, sensum prædictum ab alijs traditum negligit, dicens: *De circumcisione quidam hoc intelligunt: ego verò non hoc dico. Sed hoc est quod dicit Apostolus: In quibus debebant pudefieri, in illis etiam gloriantur. Graue quidem est, & malum turpia patrare: patrantem verò pudefieri, mediocriter malum est. Quòd si verò quisquam malè agens gloriatur, etiam excellens est stupiditas.* Hæc ille eleganter. Impurissimum omnium hominum Mahometum nõn depuduit gloriari, quòd in actu generationis datum sibi esset quadraginta viros æquare.

Ambr tom 3.
Chrysost ser. 13. in epist. ad Philipp. ante med. tom 4.
Triplex malitiæ gradus ex Chrysost.
Insignis planè Mahometi stupiditas, & impudentia.

Alio loco Apostolus vocat corpus nostrum, Vas fictile, vel vasculum, iuxta illud: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*: & hominem Dei gratia ornatum, vocat vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino, ad omne bonum paratum. Electos etiam ad æternam vitam, vasa misericordiæ, & vasa in honorem appellat: sicut improbos, & reprobos, vasa iræ, & vasa in contumeliam. Demùm vxorem cuiusque vas appellat: *Vt sciat*, inquit, *vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderij, &c.* & Petrus: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam coheredib. gratiæ vitæ.* Quibus in locis Apostoli honorem vocant, continentiam à congressu cum vxore. Et subdit Petrus rationem: *Vt non impediantur orationes vestræ.* Sicut etiam Paulus dixit: *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi*: id est, vt cum fructu orationi vacare possitis: & de his hactenus.

2. Corinth. 4.
2. Tim 2.
Vas seu vasculũ Paulo quid sit allegoricè.
Rom. 9.
1. Thess. 4.
1. Petr. 3.
Vxoribus iuxta Petri, & Pauli doctrinam, quis honor impertiendus sit, & quare.
1. Cor. 7.

DISPVTATIO XII.

De vocibus Anima, & Spiritus in Scripturis, & præsertim apud Paulum.

Primus significatus Animæ.

NON erit inutile varia horum nominum significata annotare. Anima enim per synecdoches figuram totum hominem significat, iuxta illud: *Si peccauerit anima*: quod frequenter habetur in Leuit. cap. 4. & Rex Sodomæ dixit: *Da mihi ani-*

Geneſ 18. Rom 13.

mas,cætera tolle tibi, & Apoſtolus : *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Quemadmodum etiã caro per ſynecdochen totum hominem denotat, iuxta illud: *Verbum caro factum eſt,* & rurſus : *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Et per eandem figuram Spiritus dicitur totus homo, iuxta id; *Fructus autem ſpiritus eſt charitas,* id eſt, hominis ſpiritualis, & ſpiritu viuentis. Infra : *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro , fratres.* In quæ verba Hieronymus ait : *Nequaquam cum carne , nequaquam cum anima, ſiue quia ſpirituales facti, caro & anima eſſe deſiſtis : ſiue quòd in principali etiam ea quæ minora ſunt comprehendantur. Anima enim, & caro ſubiecta ſunt ſpiritui.* Hæc ille.

Ioan.1. Luc 3. Eſai. 40. Gal 5. Infra 6. Hieronym. in cap vlt. ad Galat in fine, tom 9.

Secundus ſignificatus. 1.Corinth.15. Geneſ 2. Pſalm.15. Act.2. Matth 10. Ouid 15 Metamorp.

Deinde Anima accipitur pro anima ratione prædita, hinc dicitur primus homo factus in animam viuentem; & Dauid : *Non derelinques animam meam in inferno* ; & Dominus : *Animam autem non poſſunt occidere:* quod tantum de rationali accipi debet, & Poëta quidam de illa dixit:

Morte carent animæ.

Tertius ſignificatus Geneſ.1. Ioan 10. Luc 14. Iob 2.

Capitur tertiò pro anima ſentiente, & corporea, quæ ſenſibus ducitur, de qua: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram.* Bonus etiam paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis; &: *Qui non odit animam ſuam , non poteſt meus eſſe diſcipulus* : & Dominus ad Satan : *Ecce in manu tua eſt, veruntamẽ animam illius ſerua,* hoc eſt, vitam. Poëta etiam dixit:

Virgilius 1.Aeneid. non longè à princ.

Tuaq; animam hanc effundere dextra?

Eccl 14. Ezech 10. 1 Pet.1. 2 Petr.2. Geneſ 19.

Significat etiam conſcientiam ; de quà intellige illud Eccleſiaſt.14. *Iuſtifica animam tuam;* ſicut & illud : *Ipſe animam ſuam viuificauit.* Petrus etiam : *Obſecro,* inquit, *vos tanquam aduenas, & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſiderijs quæ militant aduerſus animam.* Idem de Lot teſtatur, ciues Sodomorum animam iuſtam iniquis operibus cruciaſſe.

Quartus ſignificatus animæ. Cant.3. Matth 22. Deu.6.

Significat item voluntatem, vt ibi : *Inueni quem diligit anima mea* : quæ verba ſunt Sponſæ. Illic etiam, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & ex tota anima tua,* id eſt, intellectu, & voluntate; ſicut, *Ex tota mente tua,* id eſt, memoria. Hinc apud Latinos, quos ſummo amore proſequimur, vocamus Animæ dimidium noſtræ, aut animæ noſtræ partem.

Quintus ſignificatus. Sap.8. Sextus & vltimus. Iob 41.

Significat etiam Anima intellectum ſiue ingenium, iuxta illud Salomonis : *Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam.* ¶ Denique ſignificat halitum, ſiue ſpiritum, quem ſpiramus, & expiramus, ſicut ibi : *Halitus eius prunas ardere facit* , vbi vox Hebræa pro halitu habet nepheſch, id eſt, anima. Et idem apud Latinos ſignificat: nam Plautus dixit: *An fœtet anima vxori tuæ?* Cicero etiam act.5. in Verrem : *Sed non modò* inquit, *animum integrum , ſed ne animam quidem puram conſeruare potuiſſe.* Vbi notat, Verrem halitum fœtidum habuiſſe. Et Comicus in Phormione : *Animam compreſſi, autem admoui.* Prætereà apud bonos autores anima accipitur pro vento. Vnde Varro lib.1. De re ruſt.cap.4. ex Ennio producit : *Anima, & terra, Aqua, & Sol.* Et Poëta Latinus in Silenum:

Plautus in Aſin. Tullius. Terent. Varro. Virgilius.

Namque canebat vti magnum per inane coacta
Semina terrarum, animæq; mariſq; fuiſſent:
Et liquidi ſimul ignis.

Lucretius.

Lucretius quoque libro ſexto:

Nec mirum, cum plena anima veſicula parua,
Sæpè ita dat pariter ſonitum diſploſa repentè.

Horatius.

Et apud Horatium:

Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Non memini tamen in hoc ſignificatu accipi in Scripturis. Et alluſio fit ad vocẽ Græcam ἄνεμος, id eſt, ventus. Vides igitur quot ſignificata vna voce concludantur.

Prima acceptio Spiritus in literis ſacris 3 Magnus Athanaſ to.4. Didymus to. 9 operum. D. Hierony. in fine.

Idem oſtendimus in voce Spiritus: nam vt teſtantur præclari ſcriptores, Athanaſius ad Serapionem de Spiritu ſancto, & Didymus libro tertio de Spiritu ſancto : In primis Spiritus eſt Deus , vt dicitur Ioan.4. & Perſonas tres diuinas comprehendit. Dicitur & Spiritus ſanctus, ſed cum articulo τὸ πνεῦμα, niſi ad aliud cogat litera.

Secunda acceptio. Tertia. Pſalm 103. Hebr.1. Quarta. Act 23. Luc 24. Sup 9. Infra 10.

Tertiò Angeli, ſpiritus dicuntur, de quibus Propheta : *Qui facis Angelos tuos ſpiritus.* Quartò vocantur dæmones ſpiritus abſolutè, etſi nõ ita frequenter: vnde Sadducæi dicebant nõ eſſe reſurrectionem mortuorum, neque Angelum, neq; Spiritum. Dominus quoque: *Spiritus carnem, & oſſa non habet.* Et Lucæ 9. *Spiritus apprehendit filium* : & rurſus: *In hoc nolite gaudere , quia ſpiritus ſubijciuntur vobis.*

Quinta acceptio. Dan 3. ibid. Pſalm.77.

Quintò, Spiritus, eſt anima ratione prædita, vt ibi : *Benedicite ſpiritus. & animæ iuſtorum Domino* : non enim ibi loquuntur tres pueri illi de Angelis , de quibus prædixerant : *Benedicite Angeli Domini Domino* : & de ſpiritu humano ait Dauid : *Spiritus vadens, & non rediens,* intellige, per ſe ſcilicet in corpus: quia reſurrectio opus Dei eſt , naturæ facultatem ſuperans. In Eccleſiaſt. *Reuertatur,* inquit, *puluis in terram ſuam vnde erat , & ſpiritus redeat ad Deum , qui dedit illum.* Ita in Prouerbijs ait Salomon : *Spirituum ponderator eſt Dominus:* & Apoſtolus: *Multò magis obtemperabimus Patri ſpirituum , & viuemus.*

Eccleſ.vlt. Prouerb.16. Hebr 12.

Et Poëta:

Dum memor ipſe mei , dum ſpiritus hos reget artus.

Sextò,

Sexta acceptio. Eccleſ.3.

Sextò, Spiritus dicitur animantis anima, non tamen ſimpliciter, ſed cum adiunćto. Vnde Eccleſiaſt.3. habetur: *Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?*

Septima. Daniel.3. Ibid. Geneſ. 8.

Septimò ſignificat ventum, iuxta illud: *Benedicite omnes imber, & ros Domino: benedicite ſpiritus Dei Domino, &cæt.* id eſt, omnes venti, vt quæ præcedunt, & quæ ſequuntur, docent. Subdit enim: *Benedicite ignis & æſtus Domino*: & Geneſ.8. *Adduxit ſpiritum ſuper terram, & imminuta ſunt aquæ.* Item: *Luſtrans vniuerſa per circuitum, pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur,* id eſt, aër, vel ventus, qui pro motu Solis moueri ſolet in hanc, vel illam partem, vt docet Rabb. Abraham.

Rab. Abrahā

Hominis vires in qua conſiſtant. 3 Reg.10. Geneſ 45. 4. Reg.13.

At verò quia in ſpiritu homo habet vires ſuas, & vigorem, qui præ admiratione alicuius rei inſpiratæ, & nouæ perturbatur; dicitur non habere vltra ſpiritum, vt Regina Saba 3. Regum 10. & Iacob agnito quòd Ioſeph filius ſuus viueret, reuixit ſpiritus eius: & 4. Reg.13. in corpus mortui quo tetigerat Heliſæum, reuerſus eſt ſpiritus, & reuixit.

Octaua acceptio. Luc 9. Rom. 8.

Octauo accipitur Spiritus pro dono Spiritus ſancti, quo ad actiones Chriſtianas ducimur; iuxta illud: *Neſcitis cuius Spiritus eſtis*: &, *Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore; ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum.* Et Eſaiæ vndecimo, ſuper Meſſiam requieſcunt ſeptem Spiritus ſancti dona.

Nona. 1. Ioan 4.

Nonò, Spiritus dicuntur dogmata ſiue placita, quæ quis ſe habere ab Spiritu ſancto iactat. De quo Ioannes in Catholica epiſtola habet: *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* In quæ verba ſcripſit Didymus: *Neceſſarium eſt illud ſancti Spiritus donum, quod ſpirituum diſcretio nuncupatur, vt diſciplinam habeamus, per quam probetis ſpiritus, vt alij quidem credamus, alij reſiſtamus.* Hæc ille. Vnde ſubdit: *Quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* Item: *Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Et omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt*: & Paulus: *Nam & ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt.* Ezechiel etiam: *Væ*, inquit, *Prophetis inſipientibus qui ſequuntur ſpiritum ſuum*: id eſt, qui proprias ſequuntur ſui capitis cogitationes, & non diuinas, vt moris eſt Prophetarum.

Didym. Alexan apud ſacram. Bibliothecam. to 6. Donum diſcretionis ſpirituum cur neceſſarium. Ibid. 1 Cor.14. Ezech 13.

Decima vocis Spiritus ſignificatio. 2. Corinth 3. Ioan. 6.

Decimò, Spiritus accipitur apud Paulum, vt opponitur carni, id eſt, carnali Iudaiſmo, & carnali intelligentiæ: & hoc modo ſpiritus ſumitur pro ſpirituali legis intellectu. Vnde dixit: *Litera occidit: ſpiritus autem viuificat*: & Chriſtus: *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam.* Iterum Apoſtolus: *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberauit me à lege peccati, & mortis.*

Rom. 8.

Vndecimus ſignificatus. Matth 5. B August li. 1. ſermonis Domini in monte, cap. 2. tom. 4 ſub fin.

Vndecimò, capitur Spiritus pro ira, & ſuperbia. Vnde illud accipit Auguſtinus: *Beati pauperes ſpiritu*, id eſt, humiles, qui ſpiritu ſuperbiæ, & ambitionis carent. Et Salomon: *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus*: pro quo alij vertunt: *Omnem iram ſuam effundit ſtultus*: & alibi; *Ne ſis velox ad iraſcendum*: vbi in Hebræo habetur: *Ne feſtina in ſpiritu tuo.* Exod.15. *Miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam: & in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ. Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare*: & Dauid: *Ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ*: &; *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* Item Eſaias: *Quieſcite ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt.* Salomon ait: *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris*: hoc eſt, Si ira dominantis deſæuierit ſuper te, ne commouearis, nec deſeras locum per patientiam, & ne des locum diabolo, vt Apoſtolus admonet. Adde illud: *Impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?*

Exod. 15. & ſequ. Pſal 17. Pſal. 47. Eſa. 2. Eccleſ. 10. Quid illud Salomonis: Si ſpiritus poteſtatē habentis aſcēderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris. Ephes 4.

Duodecimus ſignificatus. Eſai 53. 1. Petr. 2. 1 Cor 14 & ſequ. Quid illud Apoſtoli: Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat.

Poſtremò, Spiritus os ipſum quo ſpiramus, deſignat, vt ibi: *Nec eſt in ſpiritu eius dolus*, vbi Septuaginta verterunt: *Nec eſt in ore eius dolus*: quemadmodum etiam habet Eſaias cap.53. & Petrus in priori, cap. ſecundo. Paulus etiam in illa ſententia: *Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt*: vbi apertè ſpiritum vocat linguam, ſiue linguarum donum, mentem autem, intelligentiam. Vnde ſubdit: *Quid ergo eſt? orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente*, id eſt, & voce, & intelligentia. Et vox audita eſt in quodam Concilio, vbi de Ambroſiano Officio, an eſſet relinquendum, an retinendum, erat ſermo: *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Et meritò vox dicitur ſpiritus, quia ex ſpiritu quem ſpiramus, & expiramus, generari ſolet. Hæc ſufficiant.

Pſal. vlt.

DISPVTATIO XIII.

De nominibus peccati, & ſanguinis, & illorum homonymia in Scripturis.

Naturæ, & artis peccatum quodnam ſit, vt etiam actionis humanæ.

QVemadmodum peccare dicitur natura, cum monſtra edit, & forma minimè conſueta producit res: & ars peccare dicitur, cum recedit à recto, ſiue à regula, quam ipſa præſcribit: ita etiam in actione humana peccatum inuenitur, quando Legi

Dei bene operandi non est conformis. Est igitur Peccatum, vox homonyma, & significat in primis peccatum Originale, iuxta illud: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: ita enim legitur in singulari Græcè, vt multi annotarunt: quod Dauid in plurali posuit, cùm dixit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis, &c.* propter multas deformitates quæ in illo peccato primæuo inueniuntur.

Prima acceptio peccati. Ioan. 1.

Denotat deinde Personale, & proprium peccatum, siue propria voluntate peractum, de quo: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Quod in multas species distribuitur, & de quo ait Paulus: *Reuelatur enim ira Dei de cælo, super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.*

Secunda. Rom. 1. Ioan 8.

Tertiò denotat Fomitem, siue Concupiscentiam, quæ in membris nostris delitescit, de quo accipe dictum: *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*: & rursus: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* Et infrà: *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Dictus est autem fomes peccatum, quia ex peccato venit, & ad peccatum impellit, & deordinatio quædam inobedientiæ ad Legem Dei præstandam in eo inuenitur: de quo latiùs suo loco disputabimus.

Tertia. Infra 7. Supra 6. Ibid. Cur fomes peccatum appelletur.

Quartò, Peccatum, est pœna irrogata pro peccato, de quo Iudas Macbab. *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Petrus quoque: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignũ*: itẽ Propheta Zacharias: *Hoc erit*, inquit, *peccatum Aegypti, & hoc peccatũ omnium Gentium, quæ non ascenderint ad celebrandum festiuitatem tabernaculorum*: id est: Hæc erit pœna & supplicium.

Quarta. 2. Mach. 12. 1. Pet. 2. Zach. 14.

Quintò significat leuia & minuta peccata, sine quibus hæc vita etiam à iustis non traducitur, de quibus precamur Dominum: *Dimitte nobis debita nostra.* Sextò, denotatur hac voce sacrificium, siue hostia pro peccatis. Vnde Christus dicitur ab Apostolo, peccatum: *Eum*, inquit, *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: id est, peculiarem pro peccatis hostiam. Et Oseas de Sacerdotibus ait: *Peccata populi mei comedent*, id est, Sacrificia pro peccatis expiãdis. Dauid etiam: *Holocaustum & pro peccato non postulasti.* Vbi ad verbum Hebraicè dicitur; Holocaustum, & peccatum non postulasti.

Quinta. Matth. 6. Sexta. 2. Corint. 5. Osea 4. Psalm 39. Hebr. 10.

Septimò, nomine peccati veniũt transgressiones per ignorantiam, aut contemptum ceremoniarum legis, id est, irregularitates, quibus arcebantur ab ingressu templi, & ab esu sacrificiorum, ad quæ nonnisi mundi admittebantur, & ad similia: de quibus Leuit. 4. & 5. & frequenter dicitur: *Rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei.* Sicut enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos significat ad emundationem carnis, ita erat remissio quædam carnalis eiusmodi delictorum, quæ tamen non erat vera, & pura cordis à peccatis iustificatio, quam solus Christus, & fides in eum tribuit, iuxta illud quod Apostolus ibidem subdit. *Et ideò noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Hęc Apostolus: in cuius verbis cernere potes duplicem remissionem peccatorum, alteram typicam, & vmbratilem legis coram hominibus per sanguinem, & mortem prędictorum animalium; alteram veram, & coram Deo, quæ Christi sanguine contingit.

Septima acceptio peccati. Hebr. 9. Ibid. Duplex remissio peccatorũ, figurans & figurata, id est, Mosaica, & Euangelica.

Vox quoque sanguinis varia admodum ac diuersa in Scripturis significata complectitur, siue ille sit qui in venis diffunditur, & est propriè sanguis, siue extra venas effusus, qui propriè est cruor. In primis ergo sanguis est cognatio, siue consanguinitas. vt ibi: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet.* Et Paulus: *Continuò non acquieui carni, & sanguini*, id est, sanguine mihi iunctis. Et Poëta:

Quid propriè sanguis, & cruor. Eius primus significatus. Gal. 1.

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat.

Virgilius 1. Aeneid.

Et rursus:

Proijce tela manu, sanguis meus.

Idem lib 6.

Deinde est sanguis menstruus, de quo: *Manebit in sanguine purificationis suæ*: & Salomon: *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine.*

Alter significatus. Leuit. 12. Sap 7.

Tertiò, sanguis cædem hominis significat, iuxta illud: *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Item: *Vox sanguinis fratris tui (Abel) clamat ad me de terra.* Dauid etiam: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* De impio Manasse dicitur: *Insuper & sanguinem innoxium fudit multum nimis*: Et apud Ezechielem Ierusalem dicitur ciuitas sanguinis: & de Dauide dixit Semei: *Egredere, egredere vir sanguinũ.* Sephora etiã de Mose: *Sponsus sanguinum tu mihi es.*

Tertius. Genes. 9. Sup. 4. Psalm 54. 4. Reg. 21. Ezech 22. 2 Reg. 7. Exod 4 & Infra 24.

Quartò, sanguis est morbus, qui Græcè hæmorrhois, Latinè fluxus sanguinis dicitur, de quo Marcus: *Et mulier quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim.* Et infrà: *Et confestim siccatus est fons sanguinis eius.*

Quartus significatus sanguinis. Marc 5. Ibid.

Quintò, sanguis dicitur, quicquid colo-

Quintus.

rem

Ioelis 2. Act. 2. Psalm 77. Deut 32. Gene 49. Ecclesiast 50. 2. Mach. 6.

rem habet sanguinenm: *Sol*, inquit, *conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem* Dauid: *Et conuertit in sanguinem flumina eorum.* Moyses in Cantico: *Et sanguinem vita biberet meracissimum:* & Iacob de Iuda: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Ecclesiasticus quoque: *Libauit de sanguine vuæ.* Liber Machabæorum meminit sanguinis mori, quo viso accēdebatur ad bellum elephantum ira.

Sextus. Ezech. 33. Ibidem. Matth. 24. Infra 27. Psalm. 57. Quid lauare manus in sanguine peccatoris, iuxta Prophetam. Apocalip. 6. Gen. 4. Heb. 12

Sextò, sanguis, est vltio, quæ sumitur de aliquo peccante, iuxta illud: *Sanguis ipsius super caput ipsius erit*, & infra: *Sanguis eius in ipso erit.* Infra etiam: *Sanguinem eius de manu speculatoris requiram.* Dominus etiam dixit: *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram.* Iudæi quoq; dixerunt: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*: id est: Vindicta de cæde hac sumatur à nobis, & à posteris nostris. Propheta: *Latabitur iustus, cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris*, hoc est, in iusto pœna irrogata peccatoribus. Nam Apocalypsis sexto, sub altari clamant iusti vindictam à Deo, & dicunt: *Vsquequo Domine (sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra?* sicut etiam sanguis Abel dicitur clamare.

Septimus. 2. Reg. 1. Esai. 1. Osea 4. Infra 5. Act. 5. Psalm. 50.

Septimò, sanguis per metaphoram est omne peccatum, quia dignum morte facit eum qui illud operatur. Idcircò dixit Dauid ad Amelechitam, qui iactauerat se morti Saulis cooperatum esse: *Sanguis tuus super caput tuum.* Esaias: *Manus vestræ sanguine plena sunt*: id est, peccatis: & Oseas: *Visitabo sanguinem Iezrabel*, hoc est, peccatum eius: & rursus: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit*: id est, Peccata peccatis accumulantur. Lucas Actorum quinto de Iudæis: *Vultis inducere super vos sanguinem hominis istius.* Sicut autem innocentia in sacris comparatur candori niuis, & lanæ; ita peccata assimilantur rubedini, & filo rubro, & coccineo, vt Esaiæ primo capite: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* Hinc etiam peccata sanguis ob colorem dicuntur, vt Psalmo quinto, & alibi. Hinc & Adam de terra sumptus hoc nomen accepit, præsagio quodam quod futurus esset peccator. Huiusmodi autem appellationes à Prophetis desumptæ, fortassis ex ceremonijs, & sanguine vitulæ rufæ vsurpatæ sunt.

Quæ duo maximè peccata denotet sanguis.

Etsi verò vox sanguinis omne peccatum designet; maximè verò peccatum homicidij, & adulterij. quæ sunt summæ iniuriæ, quæ possunt inferri proximo, quorum vtrumque effusione sanguinis patratur: Idcircò Dauid in plurali dixit: *Libera me de sanguinibus*, id est, homicidio & adulterio. Tertia verò iniuria est defraudare proximum bonis suis, de quo ait Ecclesiasticus: *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.*

Eccles. 34.

Octauus significatus. Psalm. 93. Dan. 13. Matth. 27. Ibidem Ephes. vlt. 1. Thessal. 5.

Octauò, sanguis per synedochen est homo, secundum illud: *Sanguinem innocentem condemnabunt*; & apud Danielem: *Saluatus est sanguis innoxius in die illa*: id est, pudicissima Susanna. Iudas quoque proditor dixit: *Peccaui, tradēs sanguinem iustum*: & Pilatus: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius*: & illud Pauli eodem tendit: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem*, id est, in hominem; per synedochen. Ita vt homo integer dicatur per illam figuram caro absolutè, & sanguis absolutè, & anima absolutè, & spiritus item absolutè. Compositè verò dicitur dupliciter, vel caro, & sanguis vel spiritus, anima, & corpus, vt habes 1. Thess. 5.

Nonus atque postremus. Esa 63 & seq. Sanguis Christi in quorum sanguine passionali in lege configuratus. Gen. 4. 3. Reg 21. Matth 23. 2. Par. 24. Matth. 26. Hebr. 9. Exod 12. & alibi. Numer. 19 Exod. 29. Leuit. 14. Infra 16. Quantū nos sanguini Christi debeamus. Heb. 9.

Nonò, sanguis absolutè, & per Antonomasiam de immaculato, & innocente Christi sanguine intelligitur, qui fuit in pretium redemptionis, & in populum Sacramenti, & in lauacrum baptismi, de quo admirabundi Angeli dicebant: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Sic Propheta describens picturam triumphi Christi. Est autem sanguis Christi figuratus in sanguine iusti Abel, & Naboth, & Zachariæ, & omnium iustorum: estque sanguis noui Testamenti, scilicet confirmator, & sancitor: delineatus in agni, & vitulæ rufæ: & arietis, & passeris, & hirci, & aliorum animalium sanguine, olim edi prohibitus, nunc verò adorandus, & vt pretium æternæ salutis nostræ amplectendus, & Patri offerendus, & in potum, & vegetationem animarum nostrarum concessus. Et quia, vt testis est Apostolus, omnia penè in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio huic vni sacrosancto sanguini Iesu Christi tanquā proræ, & puppi nostræ salutis, potissimum acceptam ferimus salubrē pœnitentiam ad expiationē peccatorum, bonorum operum merita, patientiam, perseuerantiā, Satanæ, mūdi, & carnis victoriam, & adminicula omnia spiritualia, atq; adeò ipsā vitā

æter-

Ibidem. xit: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Et rursus: *Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.* iterum: *Vidi prauaricantes, & tabe-*
Ibid. *scebam: quia eloquia tua non custodierunt*: hæc enim omnia singularis zeli sunt verba. De
3 Reg. 19. hoc zelo dixit Helias: *Zelo zelatus sum pro*
Exod. 32. *Domino Deo exercituum*; & Moyses: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de*
Rom. 9. *libro tuo quem scripsisti.* & Apostolus: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*: nam hæc desideria, & vota diuini cuiusdam zeli sunt testimonia. Idem rursus Apostolus: *Aemulor enim vos Dei æmulatione*, id est,
2. Corint. 11. sancta & diuina. Et declarans zelum sanctum, subdit: *Despondi vos enim vni viro, virginem castam exhibere Christo*: & alio in loco:
1 Cor. 12. *Aemulamini charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Iterum ait: *Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia; magis autem vt prophetetis.* Et ad Gal. 4. *Bonum æmulamini in bono semper; & non tantum cum præsens sum apud vos.* Denique in libro Canticor. ait Sponsus: *Dura sicut infernus, æmulatio*: quia Ecclesia ob zelum Dei persequitur hæreticos, sine etiam peccatores obstinatos, anathematizando eos vsque ad inferos, ne bonis noceant.

Infra 14.

Gal. 4.

Cant. 8.

Dura quare sit sicut infernus æmulatio.

Zelus hominum malus, duplex.

Tertiò, zelus capitur in malam partem, & inest odium boni, & amor mali, quo mali frequenter tanguntur: & est amor inordinatus, vel ira, tristitia, inuidia, de quo: *Aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Ita Paulus abundantiùs æmulator extitit paternarum suarum traditionum. Est etiam zelus, & æmulatio ad malos imitandos, quem vehementer Deus cauit. os Propheta: *Noli*, inquit, *æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.* Vbi primum verbum Hebræum significat Contendére, secundum verò propriè zelare. Græcè tamen ita legimus: Μὴ παραζήλου ἐν τοῖς πονηρευομένοις μηδὲ ζήλου τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν: vbi in primo membro seruata est Hebræa phrasis, qua Beth seruile regitur à primo verbo: *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias*, id est: *Noli æmulari vt mala faciat, vel malus fias.* Estque sensus: Ne ad indignationem, siue ad iracundiam, vel contentionẽ prouoceris, vel irriteris, dum malos vides florere, & prosperari. Est enim παραζηλόω ad zelũ excito, siue irrito, quod tam in bono quam in malo ponitur: & eo verbo Paulus bis in epistola ad Roma. vtitur: nam cap. 10. ex Moyse producit: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem*: vbi io malum videtur vsurpari. Capite tamen vndecimo in bonum accipit, cum ait: *Quandiu ego quidem sum Gentium Apostolus, ministeriũ meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis.* In vtroque enim testimonio est verbum παραζηλῶ.

Rom. 10.
Gal. 1.

Psal. 36.
Quid significet: Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.

Ibid.

Explicatur illud Dauidicũ: Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, &c.
Rom. 10.
Deut. 32.
Rom. 11.

Rom. 11.

Et quia zelus significat fauorem iræ, & indignationis, inuidiam, & ardentem affectum ad rem aliquam siue amandam, siue imitandam, & assimilandam, rectè omnibus accommodari posset: *Noli æmulari in malignantibus*; id est, Noli simulationis tuæ studium apponere ad malignantes, noli indignatione moueri, vel contra ipsos impios florentes, vel contra Deum res humanas ita dispensantem, noli illis inuidere felicitatem, aut eos imitari: & Psa. 72. *Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* In Prouerbijs dicitur: *Ne æmuleris hominem iniustum, nec imiteris vias eius.* Ibidem: *Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Domini esto tota die*: & sub metaphora lignorum Ezechiel. 31. ligna voluptatis dicuntur æmulata cedrum, id est, Angeli, qui consenserũt Lucifero, & cum ipso ciciderunt. Hinc Paulus ad Gal. 5. inter opera carnis, siue hominis carnalis computat zelum, siue æmulationem: sicut in priori ad Corinth. *Cum sint*, inquit, *inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Libro autem Sapientiæ cap. 1. dicitur: *Nolite zelare mortem*: eum autem zelare, idem sit quod promptè, & putide sectari; idcircò illi dicuntur mortem zelare, qui promptè, & putidè ea complectuntur, & consectantur, quæ præsentaneam mortem secum afferunt. Et quia æmulatio inter pares, aut parum se excedentes solet existere; hinc dixit Paulus: *An æmulamur Dominum? Nunquid fortiores illo sumus? Quis enim est, qui cum illo vllo modo contendere valeat?* Moses quoque dixit ad Iosue monentem vt prohiberet Eldad, & Medad prophetantes: *Quid æmularis pro me? Quis tribuat vt omnis populus prophetet, etc.* Tanguntur enim interdum viri spirituales pro magistris suis hac carnali æmulatione. Ita discipuli Ioannis Baptistæ zelantes pro magistro suo in Christum zelo carnali de baptismo cum Iudæis decertabant: & Luc. 9. Ioannes dixit: *Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.* Et ait ad illum Iesus: *Nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.* Et hactenus dictum sit de zelo Dei erga nos, & de zelo tam bono, quam malo hominum.

Id rursus: Noli æmulari in malignantibus, &c. aptè etiã conueniat quibus.
Psalm. 37.
Prouerb. 9.

Infra. 23
Ezech. 31.
Quid quod ligna voluptatis dicũtur æmulata cedrũ, apud Ezech.
Gal. 5.
1. Cor. 3.

Inter quos soleat existat æmulatio.

Infra 10.

Num. 11. & sequ.
Vnde colligi possit hunc æmulationis perfectos etiã viros quandoq; subiacere.
Ioan. 3.
Infra 4.

Luc. 9.

DISPVTATIO. XV.

De modo quo Apostolus producit testimonia ex sacris literis.

Apostoli, & Euangelistæ veteres Scripturas semper fidelissimè protulerunt memoria.
Li 1. enarrationum Euãgel. Prole. 8. can. 15 & lib. 12 & vlt. in c. 7. Actorũ.

HOc loco breuiter repetam, quæ alibi fusiùs disputaui. Tria enim constanter retinenda sunt, & ab eis non facilè recedendum. Primum est, Apostolos, aut Euangelistas in producendis Scripturis ex veteri Testamento ad ea confirmanda quæ sunt Christi, nullibi memoria prolapsos fuisse: quod qui admittunt, magnam aperiunt fenestram ad euertenda solidissima sacrarum literarum fundamenta, vt latè alibi comprobatum reliqui.

Eodem lib. & Prolog. Can. 26.
Idem Scripturarũ locis nũquã abusi sũt.
Hieronym.
Ioan. 16.
Id vnde manifestum fiat.
Luca vltim.

Deinde & illud constituendum, nusquã Apostolos, aut Euangelistas abusos fuisse testimonijs Scripturarum, vt quidam volebãt, vt testis est Hieronymus; ita vt quod de alia rescriptum esset, traherent ad victoriam, vt Christi mysteria constabilirent: hoc enim esset Apostolos sacrarum literarum intelligentia spoliare, & Spiritu sancto, qui eos ducebat in omnem veritatem. Nihil ergo, quantumcunque durum, aut violentum nobis videatur, ab illis est productum, quod Spiritui sancto, & veritati consonum non fuerit, siue in literali sensu, siue in mystico agant. Constat enim ex Euangelio Lucæ, Christum aperuisse Apostolis sensum, vt intelligerent Scripturas.

Idem rursus quandoque sensu tantum, quandoque etiam verbis sacra testimonia retulere.
Cantic. 27.
Hiero. tom. 6.
Rariùs iuxta Hebræam veritatem, fere semper iuxta 70. viros citãt.
Li. 1. enarrationũ Euang.

Tertium addendum iam dictis duabus veritatibus, ne quisquam allegatis testimonijs ex Scripturis offendatur, Apostolos interdum non verba, sed sensum protulisse; aliquando verò sensum protulisse; aliquando verò sensum cum ipsis verbis. Quod confirmatur autoritate Beati Hieronymi in cap. 5. Amos. *Et in omnibus sacris Scripturis obseruandum est, Apostolos, & Apostolicos viros in ponendis testimonijs de veteri Testamento, non verba considerare, sed sensum, nec eadem calcare sermonum vestigia, dummodo à sententijs non recedant.* Deinde illud vt notum relinquo, Apostolos interdum Propheticos libros ex Hebræis fontibus citasse, frequẽtissimè verò ex editione Septuaginta interpretum: vt alibi est à nobis plenissimè demonstratum, & innumeris exemplis illustratum. Tertiò, solent interdum Apostoli prima, & vltima verba alicuius testimonij Prophetici producere, quæ ad rem suam faciunt, omissis intermedijs verbis proposito suo nõ deseruientibus. Quod etiam nonnullis locis cõfirmaui, quę non repeto, ne actum agere videar: & è contrario solent intermedia verba proferre, omissis principio, & fine, nimirum ob eandem rationem, quia illa ad rem suam spectarent, omissa autem non tam ad scopum suum facerent. Quartò, consueuerunt interdum Apostoli ex varijs sententijs Prophetarum, vel ex diuersis locis Psalmorum vnum & idem conflare testimonium: qua in re mirificè quidam hallucinati sunt, ignorationis notam Apostolis tribuentes, quasi illi putassent, omnia illa quæ producunt, haberi in vno loco, & non potius ex varijs, & diuersis locis Prophetarum vnum, & idem conficerent testimonium. Quintò, consuetum est Apostolis, quæ de Messia dicũtur, in seipsos transferre: & id quidem efficaciter, ac solidè ab eius factum probatur ex eo, quòd quæ prædicta sunt de Christo, non excludunt ministros, siue organa coniunctissima, ac proxima, qualia erant Apostoli; & ideò meritò illis tribuuntur quæ Christi sunt, quia in illis, & per illos operabatur. Postremò intelligat acutus Lector, non semper Apostolos vsos fuisse literæ sẽsu, sed interdum etiam mystico, & spirituali, vt ex Actibus Apostolorum, & epistolis Apostolicis constare potest. Et non semper sapientes adhibent demonstrationes, sed etiam rationes probabiles, & topicas producunt, quæ populo plausibiliores esse solent, & facilius ab eo accipiuntur. Hæc si quis longiùs disputata videre voluerit, legat certas regulas in alio libro assignatas.

Extrema sine medijs verbis, intermedia rursus extremis omissis sententiæ alicuius proferunt quandoque studio breuitatis.
Multa in vnũ sæpè redigũt, & cogunt testimonia Scripturarum.
Christi propria etiam sibi ipsis passim accommodãt, & adscribunt: nec sane iniuria.
Ab spiritali intellectu ac mystico ijdem minimè abhorrent, exẽplo sapientiũ.

DISPVTATIO XVI.

De eo quòd Paulus in vna & eadem epistola nunc fideles laudat, nunc vituperat.

Hoc minimè absurdum, aut nouum & insolens meritò videri.

QVOD Apostolus in vna & eadem epistola eos, ad quos scribit, nunc acriter reprehendat, nunc verò insigni præconio eos exornet, & commendet, nemo aut mirari, aut Apostolum sibi dissentire existimare debet, cum in vna, & eadem ciuitate & prouincia & boni habitent & mali, & pij, & impij: & ita plerumque vsu veniat, vt quidam habenis, alij calcaribus indigeant, & vnus & idem homo quædam lande, & commendatione digna operetur, quædam verò vituperatione, & redargutione non indigna perficiat. Hinc Apostolus ad Corinthios, cum eos in quibusdam laudasset, in alijs vituperasset, dixit: *Laudo vos in hoc? non laudo.* ita enim Spiritus Sanctus in Apocalypsi eosdem Episcopos, quos Angelos vocat, & extollit in benefactis, & detrahit illis, in quibus se parum

1. Cor. 2.

Apoc. 2.

se parum honorificè gerebant. Hinc Angelo Ephesi Ecclesiæ scribit: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam; & quia non potes sustinere malos.* Et subdit: *Sed habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti.*

Ibid.
Superbi hominis ingenium.

Etenim ita natura comparatum est, vt homo superbus ægrè ferat se corripi, nisi aliquid laudis, & propriæ commendationis admisceatur, quò acerbitatem mitiùs ferat reprehensionis. Et ille prudens est corrector alterius, qui tanquam alter Samaritanus oleum, & vinum infundit in plagas vulnerati, nimirum lenientia, & pungentia pharmaca, iuxta illud: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me*; & Apostolus, *Si præoccupatus*, inquit, *fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.*

Luc. 10.
Idoneus aliorum corrector quis.
Psal. 140.
Gal. 6.

Et quidem primo loco infundendum est oleum mitigans, id est, verbum lene, & eius qui corripitur, commendans virtutes; deinde vinum mordax reprehensionis: quomodo Deum semper fecisse, & viros suo Spiritu præditos, subiuncta exempla indicabunt.

Oleum, & vinum in parabola Samaritani, quid mysticè.

Hac salutari scribendi ratione emicat tota doctrina Apostolica, aspera blandis, & dulcia amaris interserens. Hinc Romanos de fide in Christum laudat, quę per vniuersum orbem annuntiabatur: de charismate, & pace nō seruata inter ipsos credentes, Iudæos, & Gentiles Romæ agentes, ac tumultuantes redarguit.

Roman 1.
Infra 14.
1. Cor. 1.

Corinthios in cœlum vsque effert, quòd essent diuites facti in Christo, in omni verbo, & in omni scientia, &c. ita vt nihil illis deesset in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi, & tamen eos acriter reprehendit, de multis, & præsertim de ambitioso studio doni linguarum neglecta charitate; de factionibus ministrorū Christi, de incestuoso Corinthio, quem tolerabant; de contentionibus fratrum, & litibus coram Ethnico magistratu; de modo celebrandi cœnam Dominicam; de fœminis, quæ non velato capite preces fundebant in templo; de fide articuli resurrectionis, quem quidam inter eos negabant, & plerisque alijs.

Infra 13.
Supra 1. &
Infra 3.
Infra 5.
Infra 6.
Infra 11.
Ibid.
Infra 15.
Gal 5.

Et ad Galatas: *Currebatis benè: quis vos impediuit veritati non obedire? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.* Et cùm ad Hebr. 3. acerbiùs illud dixisset: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pænitentiam,* mitigans sermonem, subiunxit: *Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora, & viciniora saluti; tametsi ità loquimur.*

Supra [illegible]

Idem facilè esset ostendere, si opus esset, in alijs epistolis. Huius regulæ autores sunt Hieronymus, & Augustinus. Ille quidem in cap. 63. Esaiæ sub finem: *Epistola*, inquit, *quam scribit Paulus ad Corinthios, cùm ad vnius scribatur populum ciuitatis, pro varietate habitantium, id est, sanctorum, & peccatorum, nunc laudat eos; nunc corripit, nunc docet, nunc reprehendit: prouocat ad continentiam, nuptias non recusat, retrahit ab idololatria, instruit resurrectionem, digamiæ porrigit manum, ne locum tribuat fornicationi.*

Hieron li. 17. in Esaiam, circa fin. to. 5.

Alter verò Augustinus epistola ad Paulinum: *Scripturæ* (ait) *mos est ita loqui de parte, tanquam de toto: sicut Corinthios in primis epistola sua partibus ita laudat, tanquàm omnes tales sint, cùm essent laudabiles quidam eorum: & postea in nonnullis epistolæ ipsius locis ita reprehendit, tanquàm omnes culpabiles essent, propter quosdam, qui tales erant. Istam diuinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum eius creberrimò sparsam, quisquis diligenter aduertit, multa dissoluit, quæ inter se videntur esse contraria.* Hæc illi Patres prudenter annotarunt. Et hæc ad propositam disputationem satis sint.

Aug. epist 59. in solut 5. qu. à medio, to. 11.

DISPVTATIO XVII.

De eo quòd Paulus cum aliquid magnificentius de se dixerit, continuò se deprimit, & interdum in gratiarum actione sermonem concludit.

SI quando Apostolus Paulus necessitate coactus aliquid sublimius de se scripserit, spectans ad regulam Spiritus sancti per Salomonem traditam: Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua: protinus sermonis fastidium excutiens, & in semetipsum descendens addere solet, Et si nihil sum.

Prouerb. 27.

Etenim cùm magnifica quædam de se dixisset ad Corint. continuò subiunxit: *Factus sum insipiens: vos me coëgistis. Ego autem à vobis debui commendari: nihil enim minus feci ab ijs, qui sunt supra modum Apostoli; tametsi nihil sunt.* Et iterum: *Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me existimet suprà id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me.*

2. Cor. 12.
Ibid.
Ibid.
Qualem suo Paulus exemplo nos doceat humilitatem.

Instruens nos, qua ratione de nobis sentire, & loqui debeamus, si quando excelsa aliqua, & magnifica dona de manu Dei accepetimus. Nec enim illa donauit Deus, vt in nobis ipsis inflemur, aut vt alios contemnamus, aut vt superbè de donis effetamur. Hæc eadem annotauit Chrysostomus in epistolam ad Corinth. posteriorem. Habet etiam in more; vt cùm beneficiū aliquod singulare memoret se à Deo accepisse, siue proprium & peculiare sit, siue generale, & in omne genus humanum effusum, mox in gratiarum actio-

Chrysost. homilia. 9 in post ad Corin. sub init. to. 4.
Idem Apostolus comme-

moratis in se diuinis beneficijs gratiarū actionem consueuit adiungere.

actione sermonem finiat,& concludat. Vt ad Roman.7. *Quis*,inquit,*me liberauit de corpore mortis huius ? Gratia Dei* (siue, vt Græca habent, *Gratias ago Deo meo*) *per Iesum Christum Dominum nostrum*.

Rom 7.

Infra 11.

Et cap.11. *Quoniam ex ipso,& per ipsum,& in ipso sunt omnia. Ipsi honor & gloria,in secula seculorum, Amen*. Et cap.vlt. in gratiarum actione terminat epistolam ad Romanos,& epistolam similiter ad Hebræos,dicens; *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem ouium magnum,in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum,&c.cui est gloria in secula seculorum, Amen.*

Hebr.13.

Ephes 3.

Et cum in cap.3.ad Ephes. multa disputasset de vocatione Gentium,dixit:*Ipsi*,inquit, *gloria in Ecclesia,& in Christo Iesu in omnes generationes seculi seculorum, Amen*. Et 1.Timoth. 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere,quorum primus ego sum; sed misericordiam consecutus sum,vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam*.

1.Timoth.1.

Et mox subdit: *Regi autem seculorum immortali inuisibili Deo honor & gloria,&c.* Hoc autem suo exemplo pro magnis, & æternis Dei beneficijs docuit nos gratias agere, quibus digni reddamur ea abundantiùs recipere, & quo pleniùs instruamur, ne Herodis Agrippæ iudicium, qui percussus ab Angelo, eo quòd non dedisset honorem Deo,& consumptus à vermibus expirauit, experiamur: qui tamen non seipsum commendauit,sed tātùm oblatas à populo laudes,in Deum,vt debebat,non retulit. Meminit huius regulę Chrysostomus serm.19. in epist.ad Rom.

Act.12.

Chrysost.to.4

DISPVTATIO XVIII.

An Paulus coniugatus extiterit.

Prima opinio.

QVoniam in controuersia positum est, & ad multorum locorum Apostoli intelligentiam spectat, num Paulus fuerit coniugij vinculo alligatus,an non;aperiam breuibus sententiam meam. Quidam enim autoritate Patrum potiùs ducti,quàm Scriptura, eum maritum fuisse confitentur. Ignatius enim antiquissimus autor,& qui id certiùs agnoscere potuit, cùm fuerit Pauli æqualis, in epistola ad Philadelphien. Petrum,& Paulum,& reliquos Apostolos nuptijs fuisse sociatos, & posteritatis subrogandæ gratia, non libidinis exaturandæ, coniuges habuisse tradit.

B.Ignat.epist 9.ante dimid.

Quanquam hunc locum euadunt quidam, producentes codicem Græcum Matthiæ Regis Hungariæ, cuius exemplar est vnum in Vaticana Bibliotheca, in quo nomen Pauli non habetur: & idem testatur Alfonsus à Castro in libro contra hæreses,in verbo, *Virginitas*: nam producit alterum codicem Beati Ignatij extare in Oxoniensi ciuitate in Anglia, vbi est Gymnasium eius insulæ celeberrimum apud Collegium B.Magdalenę,Pauli suppresso nomine : vt inde videri possit ab hæreticis additum nomen Pauli.

Alfonsus à Castro lib.14. contra hæres.

Deinde producitur Clemens Alexandrinus,antiquus ipse,libr.3.& 7.Stromatum : cuius sententiam citat Eusebius Cæsariensis lib. 3.capite 30.Historiæ Ecclesiasticę;qui Paulo tribuit vxorem.

Clem. Alex.

Euseb. tom.1.

Additur tertius Nicephorus libr.2.cap.44. qui scribens in eos, qui nuptias reprobabant, *An isti tandem*,inquit,*Apostolos quoque reijcient ? Petrus siquidem ; & Philippus liberis creandis operam dederunt.Philippus porrò filias etiam suas viris in matrimonium locauit. Paulus quoque non veretur in epistola comparem suam salutatione compellare : quam quidem ille propterea secum non circumduxit,vt facilius ei, expeditiusque esset verbi ministerium.* Hæc ille,ex duobus testimonijs Pauli,ad Philippen. 4. & 1.Corinth.9. vnum conflans.

Nicephor. Callist.

Philip.4.

1.Corint.9.

Idem tamen posteà subiungit: *Multis autem, eisque magnis apud nos viris,non videtur Paulus coniugem habuisse : idque ex verbis eius, quibus virginitatem & cælibatum commendat, colligunt,cum dicit : Peruellem equidem omnes esse, vt ego sum. Illud verò, Salue mihi & tu compar, non mulieri, sed viro cuipiam,ita fortasse nominato, dictum putant.*

Idem Niceph.

Quartus occurrit testis Origenes, qui in 1. libr. super epistolam ad Romanos edissetens illud,*Seruus Iesu Christi*,ait: *Paulus (sicut quidam tradunt) cum vxore vocatus est : de qua dicit ad Philippenses scribens : Rogo te etiam,germana compar,adiuua illas,quæ cum ipsa sunt. Ex consensu igitur liber effectus seruum se sominat Christi. Si verò, (vt alijs videtur) sine vxore, nihilominus qui liber vocatus est, seruus est Christi*:

1.Cor. 7.

Philip.4.

Orig in ca. 1. ad Rom. sexta prime.

Tom 2.paulò antè medium

Quintus est Leo IX. contra epistolam Nicæri Abbatis, & habetur apud Gratianum distinct.31. *Omninò confitemur, non licere Episcopo, Presbytero, Diacono, propriam vxorem causa religionis abijcere à cura sua; sed vt ei victum & vestitutum largiatur : sed non vt cum illa carnaliter ex more iaceat : sicut & sanctos Apostolos legimus egisse, Beato Paulo Apostolo dicente : Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & frater Domini, & Cephas ? Vide,insipiens, quia non dixit, Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi, scilicet vt mercede prædicationis sustentaretur ab eis ; nec tamen deinceps vlterius foret carnale inter eos coniugium.* Hæc ille, non obscurè indicans,

Leo IX.

Iuo Carnot. li.1. id refert.

1.Cor.

Apostoli sorores mulieres cur circumducerent.

dicans, Apostolos secum solitos ducere vxores, non ad opus coniugij; sed ad ministerium, & vt eorum prædicatione alerentur.

Altera opinio.

Quidam verò alij eum cœlibem fuisse censent, propter eius verba. 1. Corinth. 7. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis, si sic permanserint, sicut ego. Quòd si non se continent, nubant.* Et paulò superius dixerat: *Volo autem omnes vos homines esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo*, & cætera.

1. Cor. 7.

Non enim proponeret seipsum alijs imitandum, nisi in re, in qua ipse imitaretur Christum, secundùm illud: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Infra 11.

At Christus coniugatus, aut viduus non fuit, sed cœlebs, & continens.

Tertull.

Vnde Tertullianus lib. de exhortatione ad castitatem: *Cùm nos*, inquit, *ad exemplum suum* (scilicet Paulus) *hortatur, vtique ostendens quid nos velit esse, id est, continentes pariter declarat, quid nos esse nolit. Id quod non vult, non sponte, nec veritate permittit. Si enim vellet, non permisisset; imò imperasset.* Et infrà: *Licebat & Apostolis nubere, & vxores circumducere. Licebat & de Euangelijs viuere. Sed qui his vsus non est in occasionem, ad exemplum nos suum prouocat, docens in eo esse probationem, in quo licentia experimentum.*

Idem.
Supra 9.
Ibid.

In eo est probatio, in quo licentiæ experimentum, ait Tertullianus.

Hæc ille. Vbi obserua, licuisse Apostolis nubere. Idem lib. de Monogamia: *Petrum solum inuenio maritum per socrum. Cæteros cùm maritos non inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes. Nec enim si penes Græcos communi vocabulo censentur mulieres, & vxores pro consuetudinis facultate (cæterum est proprium vocabulum vxorum) ideò Paulum sic interpretabimur, quasi demonstret, vxores Apostolos habuisse.*

Idem.
Matth. 8.

Mulieres & vxores cur Græcis communi censeantur vocabulo, eodem autore.

Et concludit, mulieres quæ circumducebantur ab Apostolis, eodem instituto, quo & Dominum comitantes ministrabant, secutas fuisse. Hactenus ille.

1 Cor. 9.
Luc. 8.

Hilarius in Psalmum 127. Paulum virginem rectè vocat. Ambros. in exhortatione ad virgines: *Volo*, inquit, *vos imitatrices esse tanti Apostoli, vt vitam eius sequamini; qui coniugij vinculum refugit, vt vinctus esset Christi Iesu. Non potuisset ad tantam Apostolatus sui peruenire gratiam, si fuisset alligatus coniugij contubernio.*

Hilar. Ambr. to 1. paulò à medio
Idem tom 3. circa med.

Idem ad Pauli locum 1. Corinth. 7. *Non diceret, Bonum est innuptis vt sint sicut ego, nisi esset integer corpore. Nec diceret, Omnes homines volebam esse sicut meipsum. Si enim habuerit vxorem, & hoc dixit, virgines esse noluit: sed absit. Sic enim à pueritia spiritui seruiuit, vt huius rei studium non haberet: quippe cum iuuenculus anticipatus sit à gratia Dei.*

1. Corint. 7.

Idem scribit, omnes Apostolos, exceptis Ioanne, & Paulo, vxores habuisse; nimirum in capite 11. posterioris ad Corinthios, in principio.

Idem ibid.

Cùm tamen Epiphanius in Valesios dicat: *Quinam hi fuerint* (eunuchi videlicet, qui seipsos castrarunt propter regnum) *quàm generosi Apostoli, ac monasticam vitam degentes, & deinceps virgines. Ioannes quidem, & Iacobus filij Zebedæi, qui manserunt in virginitate, neque tamen proprijs manibus membra resecuerunt, neque nuptias contraxerunt, sed proprio corde decertarunt, & mirabiliter gloriam coronæ huius certaminis abstulerunt.*

Epiphan. hæres. 58. à medio.
Matth 19.
Ioannes, & Iacobus filij Zebedæi perpetuam virginitatem coluere.

Et subdit, Paulum inconiugatum quidem permansisse, & continentem, non tamen ab hominibus exectum, vt Valesij.

Idem in hæres. 30. ante med.

At Ebionei, eodem teste, Paulum calumniabantur, Græcum Græco parente progenitum fuisse: sed Ierosolymis filiæ Sacerdotis in vxorem accipiendæ cupiditate, proselytum, circumcisumque fuisse, cumque puellam non assequeretur, ira concitatum, contra Sabbatum, legem circumcisionemque fuisse. Quem tamen adeò virginitatis amatorem, & sectatorem, Epiphanius fuisse describit, vt contra Antidicomarianitas tradat, Theclam, cùm in sanctum Paulum incidisset, à nuptijs exolutam; cùm sponsum haberet verbis primarium, generosum, diuitem pariter, ac formosum, & vita illustrem.

Idem in hæres. 78 aliquantò à medio.
Sanctissima Christi martyr Thecla, Pauli persuasu virginitatis statum assumpsit.

Theodoretus in capit. 4. ad Philippen. Impudenter quidam hoc loco suspicati sunt de vxore sua dicere, immemores epistolæ ad Corinthios, cùm illud de non nuptis & viduis scribit: *Bonum est, si sic maneant, vt ego*: nunquam enim habuisse vxorem verius est, adolescens enim vocatus est.

Theodoret.

Adhæc Hieronymus ad Eustochium de custodia virginitatis: *De virginibus, inquit Apostolus, præceptum Domini non habeo. Cur? quia ipse, vt esset virgo, non fuit imperij, sed propriæ voluntatis. Neque enim audiendi sunt, qui eum vxorem habuisse confingunt; cùm de continentia disserens, & suadens perpetuam castitatem, intulerit: Volo autem omnes esse sicut meipsum.* Et infrà: *Dico autem innuptis, & viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut ego.*

Hier epist. 22 paulò ante dimed tom. 1.
1. Corinth. 7.
Ibid.

Idem libro aduersus Iouinianum, ei repugnans, asserit, cæteros Apostolos, præter Petrum, cœlibes vixisse. Et proponenti Iouiniano, Petrum socrum habuisse ex Euangelio, respondet, illum inter eos, qui legi seruierint, debuisse numerari: neque enim Euangelium ante crucem Christi est, quod passione, & sanguine ipsius dedicatur. Iuxta quam regulam Petrus, & cæteri Apostoli, vt ei ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem vxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant, qui assumpti posteà in Apostolatum, relinquunt officium coniugale. Nam cùm Petrus ex persona Apostolorum dicit ad Dominum: *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti*

Idem li. 1. aduers. Iouin. aliquantò à di med tom. 11. in princip.
Luc 4.
Matth. 19.

Ibid.

cuti sumus te: respondit ei Dominus: *Amen dico vobis, quoniam nemo est, qui dimiserit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multò plura in seculo isto, & in seculo futuro vitam æternam.* Sed vt hæc veterum Patrum dissensio terminetur, statuerem in primis, in Scripturis, aperta non inueniri testimonia, quibus solidè alterutra pars confirmetur, etiamsi vtraque pars pro se aliquid adferat.

Vtraque opinio triplici ratione componitur, & conciliatur.

Prima opinio.

Nam quod pro posteriori sententia adfertur ex 1. Corinth. 7. non est vsque adeò firmum, vt Paulum omninò cœlibem, & inconiugatum euincat: quia cùm scribat, *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego*: non magis probat Paulum inconiugatum, quàm viduum, & continentem, vt nonnulli sentiunt, nisi constaret, quòd est sermo de viduis fœminis. Habent enim Græca τοῖς χήραις. Cæterùm verbum præcedens τοῖς ἀγάμοις, id est, coniugatis, ad viros & fœminas extendi potest, cum sit masculinum, & fœmininum.

1. Cor. 7.

Deinde locus ad Philip. 4. vbi habetur: *Etiam rogo te, germana compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio*: nihil euincit, etiamsi quis argutari possit, quòd hæc germana, sit mulier. Tum quia de alijs mulieribus dixerat: *Euodiam rogo, & Syntichen deprecor, &c.* & subiunxit statim iuxta Græcam literam, *Etiam rogo te* Σύζυγε γνήσιε *germana compar*: nam prima vox coniugem apertè significat in vtroque genere: & vox masculina pro fœminina accipi consueuit, vt Chrysostomus, & Oecumenius, & alij periti linguæ Græcæ docent. Adeò, vt interpres Sophoclis testetur in Electra; *Quæcunque in os terminantur masculina, pro fœmininis quæ in α terminantur, ponuntur, & Attica sunt: vt,* χρύσεος ἀντὶ τοῦ χρυσῆ, κλυτὸς pro κλυτὴ, ἱερεῖος pro ἱερεῖα. Quod verò nomẽ γνήσιος, masculini, & non communis generis esse contendunt, non est iuxta Græcæ linguæ peritiam, neque congruum Chrysostomi sententiæ. Alij verò sunt ex Græcis interpretes, qui hũc sensum reprehendunt: & intelligunt, voce γνήσιος socium Pauli, nempè Epaphroditum, vel alium designari, quasi diceret, Ingenue collega; vel qui esset coniux alterius ex dictis matronis, & Ambrosius putat esse hominem, vt eius ostendunt Commentaria. Atque hæc tradunt Theodoritus, Theophylactus, & Oecumenius hoc loco: non esse verisimile Apostolum habuisse vxorẽ Philippis, patria peregrina, nisi vel Tarsis, quæ patria erat Pauli, vel Ierosolymis, vbi erat educatus. Tertius verò locus ex 1. Corinth. ca. 9. productus anceps est, & nihil certi pro vtraque parte videtur adstruere: quia poterant vxores Apostolorum circumduci, vt asserunt Clemens Stromateus, & Leo IX. Probabile etiam est non fuisse vxores, sed fideles, & in spiritu germanas mulieres, quæ comitabantur Apostolos: non secus atq; illæ, quæ olim Domino ministrabant de facultatibus suis. Atq; ita præter Græcos Latini quoque Patres, vt August. lib. De opere monachorum, & Anselmus, & Thomas, & Lyranus, & Caietan. interpretantur.

Philip. 4

Chrysost. sermo. 13 in epist. ad Philipp.

Ambros in c. 4 ad Philipp. tom. 5 à med.
Theodor. ibi. par. 2.
Theoph. ibid.
Oecume. ibid.
Act. 12.
Clem. Alexã. locis superioribus.

Leo IX.
Luc. 8.
August. lib. De ope. Monach. ca. 4. & 5. to. 5.
Anselm. in hunc locum.
B. Thom.
Lyran ibid.
Caiet. ibid.

Producitur & ab alijs locus Roman. ca. 16. *Commendo vobis Phœben sororem nostram*: dicentes Phœben vxorem fuisse Pauli: quod si verum esset, simul Paulus vxores duas habuisset, vnam Philippis, alteram Cenchreensem, quæ Romam nauigando peregrinabantur; aut esset binominis Phœbe, & Germana dicta; quæ omnia voluntariè dicuntur, & nulla ratione firmantur: & verbum Germana, non est Græcum, sed Latinum nomen, respondens voci γνήσιος.

Deinde assererem, si beatus Paulus ante conuersionem vxorem non habuit, nunquam posteà habuisse. Nam habens demandatam euangelizandi per vniuersum orbem prouinciam, fuisset omninò insipiens, & Christi doctrinæ facto contradixisset vxorem ducendo. Et idem de alio quocunque Apostolo inconiugato dicendum: nemo quippè post Apostolatum vxorem duxit: Nam qui ex illis vxores habuerunt, si qui tamen habuerunt præter Petrum, vt indicat Ignatius, illos eas reliquisse, ad functionem Apostolicam præstandam, longè est probabile: vt rectè ex Euangelio colligit Hieronymus aduersus Iouinianum; ex loco nimirum Matth. 19.

II. Ratio.

B. Ignat. epist. 9 paullò remotius à princ.
D. Hieron loco paullò ante producto.

Tertiò, pro conciliandis veterum Patrum sententijs, adderem, quòd fortassis vxorem duxerit adolescentulus, vt moris erat apud Hebræos tempestiuius filijs vxores dare, nondum tamen in domum suam traduxerat, nec illam aliquando nouerat, vt quidam ex recentioribus apertè testantur, vt Faber Stapulensis, & Ambrosius Catharinus: & videtur ex Tertulliano, & Methodio, & Chrysostomo colligi posse secundùm quorundam sententiam. Nec hoc illi aliquo modo derogaret, cùm consuetum esset, vt dixi, Hebræis vxores acceptas nõ tam citò domum deducere, vt ex Matthæo 1. & Deuteronom. 22. constare potest. Neque hoc vllo modo obstaret, aut eius cœlibatui, quemadmodum nec B. Deiparæ Virginitati quicquam derogauit, quòd fuerit Iosepho desponsa, & coniugio illi copulata. Ita etiam de B. Ioanne Euangelista à nuptijs per Christum fuisse vocatum legi-

III. Ratio.

Desponsatio morum Virginum Iudæorum.

Faber Stapul.
Ambros. Catharin.

Ille vnde colligi potest.

Matth. 1.
Deut. 22.

Luc. 1.
Ioan. 2.

legimus; & tamen castitatem, & Virginitatem coluisse. Præterea hoc nullo modo fauere potest Hæreticis, quasi ex Pauli exemplo colligamus, Sacerdotes, & Episcopos coniugatos esse posse, & debere; cum contra, si vxoratus fuit, & vxorem incognitam reliquit propter Euangelium, fortius, & solidius deducamus, Sacerdotes à coniugio ineundo abstinere debere, si is qui matrimonio copulatus fuit, legitimo coniugij vsu seipsum propter Christum, & Euangelium sponte priuauit. Nam & certum est Apostolorum Principem Petrum coniugatum extitisse; & tamen, postquam ad Euangelium vocatus est, vxori renuntiasse, quò posset magis expeditus Apostolico muneri satisfacere: ex quo non solum nihil detogatur cœlibatui Sacerdotibus Ecclesiæ lege indicto, imo permultum ei arrogatur. Si enim functio Sacerdotalis, aut Apostolica cogit maritos ad relinquendum vsum vxorum, & ad colendam vitam cœlibem: quãto magis Ecclesia poterit legem statuere, qua in futurum ministri Ecclesiæ ad Sacrosancta mysteria altaris deputati à coniugio ineundo abstineant? Et si tale quidquisquam attentaret, non solùm esset illicitum, sed etiam redderetur irritum & inane. Quare, vt finem dicendi faciam, hac ratione magis stabilitur cœlibatus, & castitas Sacerdotum, quam si omninò cœlibem Paulum extitisse asseramus.

Marc. 10.

Matth. 8.

In eosmet argumentum illud aptissime retorquetur.

Si tamen quis certis, ac firmis rationibus euinceret, Paulum nunquam coniugium iniisse, sed liberum semper à tali vinculo, & onere fuisse, non magnopere cum eo contenderem, aut illi repugnarem. Nam vt illa ratione Paulus purus & castus, & expeditus ad munus Euangelicum redditur; ita etiam per hanc nostram sententiam & cœlebs, & continens statuitur, atque alia ratione, quæ mihi magis solida videtur, & fortior ad stabiliendum Sacerdotum cœlibatum defenditur. Ac de his hactenus.

DISPVTATIO XIX.

In qua differitur, quot, & quales extiterint Patres, qui in beati Pauli Epistolas enarrationes ediderunt; & quid de illorum singulis sentiendum sit.

Quæ caussæ huius disputationis extiterint.

RERVM, & sententiarum grauitas, ac maiestas, de quibus in suis epistolis agit Apostolus, stylus durus, & scaber, qui ex schematis pendere solet, vt ex Metonymia, Parenthesi, Eclipsi, & Hyperbato, & similibus tropis: frequentia item quæstionum, & solutionum, quæ per nouas alias quæstiones fiunt, dictionum peregrinarum admixtio, & Hebraicorum idiotismorum in lingua Græca, in qua scribit: in caussa fuerunt, vt, præter alios Scripturarum libros, Paulinæ Epistolæ multos ferè omni seculo habuerint interpretes, & enarratores, qui vel iustorum voluminum conscriptione illas elucidarunt, vel paraphrasibus additis explicarunt, vel denique breuioribus Scholijs illustrarunt.

At verò, quoniam in his Patrum scriptis quædam Hæreticorum erroribus fauere in speciem videbantur; aut quia nonnulla non satis Catholica dogmata in illis inserta inueniuntur; quædam verò eius generis sunt, vt eorum autores sensum Apostoli non plenè assecuti esse videantur, quædam autem illis attributa, quæ ipsorum non esse probantur, quibus adscribuntur: existimaui ab instituto meo non fore alienum, de his prudentem lectorem admonere, & quale meum sit de quibusdam illorum iudicium, aperire; & quid ex quolibet sit seligendum, & accipiendum. Qua in re imitari videbor Hieronymum, qui de Latinis Patribus Tertulliano, Cypriano, Victorino, Lactantio, Arnobio, & sancto Hilario, de eo, in quo quisque emineat, ac de stylo, ac charactere scribendi iudicium suum profert in epistola ad Paulinum De institutione Monachi. Scripserunt namque in Paulum tam ex Græcis, quàm ex Latinis permulti. Ex Græcis primus est Origenes, deinde Didymus, Chrysostomus, Theodoritus, Photius, Theophylactus, Oecumenius, & autores Scholiorum Græcorum, & Theodolus quidam Syrus, & alij nonnulli, qui peculiares libros inscriptos nomine in Paulum Catenę, ediderunt. Producit etiam Hieronymus in epistola ad Minerium & Alexandrum, ex Gręcis alios, vt, Apollinarem Laodicenum, Alexandrum veterem Hæreticum, Eusebium Emisenum, Theodotum Heracleotam, Diodorum Tarsensem, Acacium Cæsariensem, quarto loco post Eusebium Episcopum nonnullos in Paulum commentariolos elucubrasse, & peculiariter de Theodoro Heracleota testatur scripsisse in Matthæum, & in Ioannem, & in Apostolum, & in Psalterium commentarios. Eusebium verò Emisenum in epistolam ad Galatas libros decem exarasse tradit in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: & subiungit de Diodoro Tarsensi: *Extant eius, inquit, in Apostolum Commentarij: horum autem Scriptorum Opera cum hodie non extent, certum de illis ferre iudicium non possumus.*

Eius argumentum.

B. Hieron. epist. 13. tom. 3. prope initium.

Græci Patres Pauli interpretes & enarratores qui.

Hieron. epist. 152. to. 3.

Hiero. tom. 1. circa finem.

Asterius item Arrianæ philosophus factionis scripsit in epistolam ad Roman. eodem Hieronymo teste in eodem Scriptorum Ecclesiasticorum libro.

Latini Patres qui scripserint in Paulum.

Iam si ad Ecclesiam Latinam oculos deflectamus, plures sanè extiterunt, qui hæc scripta Apostolica vel integrè, vel ex parte quædam illorum illustrarunt. Atque inter illos primum locum habet Marius Victorinus, deinde Ambrosius Mediolanen. Hieronymus, Sedulius, Glossa vtraque, & Ordinaria, & Interlinearis cum Lirano, Augustinus, Primasius, Haymo, Anselmus, Petrus Lombardus, B. Brunus, Hugo de S. Victore, Nicolaus Gorra, B. Thomas Aquinas, & plerique alij his similes, quos pro expressis hic haberi volo.

Hæretici nostra tempestate qui Paulum suis scholijs obscurauerint.

At verò ætate nostra Hæretici multa ediderunt in Paulum, nō vt lucem eius scriptis, sed vt tenebras offunderent. Et quoniam isti ferè sunt sine numero, eorum tantum capita nominabo: Lutherum nempè, Caluinum, Melancthonem, Bucerum, Bezam, & Augustinum Marloratum, qui in Paulum ex illis fontibus, vel potius lacunis hausit commentarios, & non secus atque Glossa Ordinaria (quæ ex veterum, & Catholicorum Patrum monimentis compilata est) ita iste Marloratus ex scriptis tantummodo præcipuorum huius sæculi Hæreticorum consarcinauit Pauli interpretationem, quam non est veritus Expositionem Catholicam, & Ecclesiasticam inscribere, cùm nihil habeat consonum cum Catholica Ecclesia, aut quod orthodoxam fidem redoleat, aut quod Pauli sensum spiret. Sūt igitur hæc eorum scripta erroribus referta, hęretica, impia, & blasphema, & deniq; suis autoribus digna: multa detorquent ad victoriam, dicacitate etiam plerumque, & scommatis agunt, vt rem suā promoueant, & multa nobis affingunt, quæ in Ecclesia Catholica publica, & certa fide non tenentur. Nec enim quodcunque verbum ex vnoquoquam ex nostris vel ex Scholasticis Doctoribus traditum, vel peculiari opinione ab aliquo assertum, id confestim toti Ecclesiæ est adscribendum. Contumeliosi etiam plerunque in veteres Patres existunt, eorum sensus eleuant, & flocci pendunt, proptios verò, etiam detortos, & inconcinnos, ne dicam blasphemos, admirantur, & suspiciunt: assumunt sibi scientiam Sanctorum, linguarum, & historiarum cognitionem, illam verò nobis eripiunt.

Scholia illa expositiones Catholicæ & Ecclesiasticæ vt vocant, quàm digna nomine.

Ingenium Hæreticorum.

Quid de huiusmodi tandē illorum scholijs sentiendū.

Quare vt iudicium meum primo loco de prædictis hæreticis proferam, horū hominum explanationes ab Ecclesiæ Catholicę filijs minimè sunt attingendæ, ne suis erroribus quoquomodo eos inuoluant, aut dubios, & nutantes in Fidei constantia reddant. Nam quicquid boni habent eorum scripta, nonnisi à Patribus nostris, & Ecclesia acceperunt. Non negabo tamen, eos aliquid in linguis, & in eloquentiæ studio valere. Sed quoniam vtraque cognitione abutūtur ad gloriam aucupandā, & ad Scripturas in quem velint sensum detorquendas, & ad scrupulos contra Ecclesiæ fidem, & contra veteres Patres, & bene de tota Christiana posteritate promeritos inijciendos, & in suam hæreseos nassam instabiles & indoctos pertrahendos, rectè admodum, & salutariter per Christi Vicarios prospectum fuit, vt huiusmodi perniciosam autorum lectionem suis interdicerent. Contra istos Paulinos Theologos non pauci ex nostris in Paulum scripserunt, vt ea, quæ vel Apostolum asserere Hæretici mētiuntur, & Patribus nostris affingunt, confutarent: & tales extiterunt Gagneius Doctor Sorbonicus, F. Adamus Sasbour, Scotus, Ambrosius Catharinus, Iacobus Faber, F. Titelmanus, & Cardinales quatuor, Caietanus, Sadoletus, Grimannus, & Seripandus; item magister noster Nicolaus de Grandis, Claudius Spencæus Gallus, Claudius Guillandus, Hoffmesterus Augustinianus, Dominicus à Soto, Iacobus Nachbantius Episcopus Clugien. & Ioannes à Louanio: qui vel in omnes epistolas, vel in peculiares quasdam scripserunt, & alij nonnulli, quorum zelus & labor laudandus est, quia pro Ecclesia contra Hæreticos se opposuerunt. Quanquam in his ipsis autoribus næui, & maculæ interdum non desint maiores.

Vt linguis abutantur impij. 2. Petr. 3.

In illos qui scripserint viri Catholici, atq; orthodoxi.

Quare cogot in lectore acre iudicium exigere, ne omnibus eorum dictis assensionem facilè præstet, aut omnia tāquam Catholica traijciat, sed prius instar animalis mundi ruminet, omnia præmeditetur: illud Apostolicum mandatum obseruando. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Nobis autem difficile non foret de omnibus his autoribus censuram ferre. Quanquam autem varia sint hominum ingenia; & quisq; suum habeat stomachū quo delectetur; & Plato iubeat in singularibus quiescendum; & magnus Hippocrates censeat iudicium esse difficile; adhæc Christiana modestia à virgula censoria interdum dictet esse abstinendum: Nonnihil tamen nobis dicendū est, vt quisq; agnoscat fructum, quem præcipuè ex quolibet autore haurire valeat. Rectè Plinius Iunior scripsit, Nullum esse librum adeò malum, qui bonum aliquod non contineat; & contra nullum ita per omnia bonum, qui interdum in aliquo

Leuit. 11. & Deut. 14. & seq. 1. Thess. 5.

Plin. in epist.

non peccet. Dicam tamen, ne timiditatis, aut ſilentij arguar: & noſtrũ quodcunq; arbitrium alijs probandum, aut improbandum libenter permitto.

Eraſmus, Momus ille Chriſtianus, de quib. Fidei articulis dubitauerit infelix.

In primis Eraſmus Roterodamus mundi cenſor occurrit: cuius & annotationes in totum Nouum Teſtamentum, & in idem Paraphraſes magnum ſanè Eccleſię Dei negotium faceſſerunt. Nam Chriſti diuinitatem in Scripturis vix agnoſcit; eam Apoſtolos non prædicaſſe, neque à Matre ſua vix cognitam vſque ad diem Pentecoſtes: Deſcenſum Chriſti ad inferos in dubium vocat: Proceſſionem Spiritus ſancti à Patre & Filio, vt piam B. Auguſtini contemplationem recipit, non vt Fidei articulum: Locos, qui articulum de beati Petri, & ſucceſſorum eius Primatu confirmat, eleuat: quęcunque etiam peccatum originale, vel cõfeſſionem Sacramentalem, & Euangelicam conſtituunt, eneruare nititur, & nihil contra hæreticos nos poſſe euincere docet. Denique Eraſmus propter lubricam fidem, ambiguum eſt, ſitne inter Hæreticos, an inter Catholicos connumerandus: neq; Eccleſia Dei inter Hæreticos, & Catholicos, medios ſiue indifferentes homines, hoc eſt neutri parti addictos prorſus agnoſcit, quæ cum Sponſo ſuo, & capite Ieſu Chriſto dicere poteſt: *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, ſpargit*: quod crimẽ (vt ſic dicam) neutralitatis, vt inexpiabile, obiecit ei dum adhuc viueret, Iacobus Latomus Doctor Lonanienſis: à multis viris doctis, & Catholicis præcurſor Lutheri habitus eſt: ita vt hic poſuiſſe oua, Lutherus excluſiſſe perhibeatur.

Eraſmus nec Catholicus, nec Hæreticus.

Matth. 12.

De Eraſmo plerique viri Catholici quid ſenſerint.

Caietanus quo loco habendus.

Caietanus Cardinalis nõ tam in Patrum veterum lectione, atque in palæſtra Scholaſticorum Doctorum exercitatus, multa liberius ſcriptis ſuis adiunxit, de quibus à nonnullis etiã ſcripto notatus fuit: & vnum tantum Eraſmum in lectione Græca Noui Teſtamenti ſequitur, à quo nõ tantùm Catholici, ſed etiam Hæretici, vt Beza, & Caſtellio, receſſerunt. Et quia Hieronymum regulam eſſe Canonicorum librorum putauit; multos ſacros libros ab albo Scripturarum reiecit; quoſdam etiam, & epiſtolam ad Hebræos, Iacobi, & poſteriorem Petri, & ſecundam, & tertiam Ioannis in dubium reuocauit. Multa tamen ſubtiliter, & acutè, interpretatur breuitate ſermonis Laconica: nunquam, aut certè rariſſimè veteres Patres producere ſolet, vbi tamen opus maximè fuiſſe videbatur.

In quibus ille, quos male ſecutus autores.

Iacobus Faber

Iacobus Faber Stapulen. nimius fuit in editione Vulgata reprobanda, ſecutus Laurentiũ Vallam, & Eraſmum: & noua quædam non ſatis certa, & probata in Eccleſia inuexit. Vnde in Indice per Patres Concilij Tridentini edito prohibentur eius opera, donec per aliquam Catholicam ac Theologicam vniuerſitatem expurgentur.

Ioan. Gagneius.

Ioannes Gagneius, vir Catholicus, breuibus ſcholijs nonnullos locos epiſtolarum Pauli ex Grçcis autoribus illuſtrauit: nemo tamen ex tam paucis locis perfectam ſibi Pauli intelligentiam polliceatur. Nam vt ille dixit: *Breuis eſſe laboro, Obſcurus fio.* In producendis etiam teſtimonijs Græcorum, præſertim verò Chryſoſtomi, ſolet breuitati conſulens, Patrum ſententias detruncare, & meliori eorum parte nos fruſtrari.

F. Adamus Sasbuth.

F. Adamus Sasbuth Scotus, pleraſq; Pauli epiſtolas optimis, & concinnis ſenſibus elucidauit, & quæ ad dictionem ſpectāt, & voces tam Græcas, quàm Hebræas, in his non pœnitendam operam poſuit: vt meo quidem iudicio cæteris, qui hodie idem præſtare conati ſunt, palmam præripere videatur.

Claud. Guillandus.

Claudius Guillandus Paulum totum ſuis explanationibus complectitur, & in eius elucidandis ſenſibus laborat: repugnantia verò, quæ prima facie in eo inueniuntur, conciliare pro ſua nititur virili.

Ambroſ. Catharin.

Ambroſius Catharinus optimos in vniuerſas Pauli epiſtolas edidit Commentarios: præclarè ſanè permulta interpretatur: ac ſubtiliter ſenſus quos Hæretici Paulo affingunt, impugnare videtur, & interdum etiam in eos qui à Catholicis tribuuntur, acutè, pro more ſuo diſputare ſolet.

Claudius Spenceus.

Claudius Spenceus Gallus in vtramque ad Timotheum, & Titum epiſtolam, magnos & luculentos congeſſit Commentarios, vbi in nonnullis locis longiſſimas attexit cum noſtri ſeculi Hæreticis congreſſiones: in quibus maius interpretationis, & diſtinctionis lumen deſiderare valeas.

Cardin. Grimannus.

Cardin. Grimannus epiſtolas Pauli ad Romanos, & ad Galatas tantum illuſtrauit: ſed dum ille humanæ naturæ vires extollit, & tuetur, nonnihil ad Pelagium inclinare fuit à quibuſdam indicatus.

Card. Sadoletus.

Sadoletus & ipſe Cardinalis magna linguæ puritate & ſplendore primã Pauli epiſtolam explanauit, in quo oſtendit, Pauli, & Chriſti dogmata Latini ſermonis cultu, & elegantia ſplendeſcere poſſe.

Haffmeſterus monachus.

Haffmeſterus Auguſtinianus epiſtolas ad Corinthios, & illam ad Philippenſes perſpicuè, & dilucidè explicate videtur; & grauiter in Hæreticos aliter interpretantes ſolet inſurgere.

Cardin. Seripandus.

Seripandus Cardinalis graui,& puro sermone contextum epistolæ Pauli ad Galatas primùm elocidat,atqoe hunc scopum præfigit sibi seruandum potissimum, & in dubijs, qoæ ex litera occurrunt, explicandis,operam diligeotem pooere videtur. Intelligo antem illum scripsisse & in alias epistolas, sed nondum in lucem prodierunt.

Nicol. de Grandis.

Nicolaus de Grandis Minorita primam Apostoli & postremam epistolam, hoc est ad Romanos,& ad Hebręos,moltis sensib. locupletat,& sæpè ardentes eum Hæreticis habet coogressiones.

Iacobus Naclantus.

Iacobus Naclaotus Episcopus Clugensis ad Romanos epistolam,& ad Galatas,& Ephesios ieinna, & parum dilucida oratione ita explicat,vt quæ sentit,durè, aut vix eloqui posse videatur.

Ioann. à Louanio.

Ioanoes à Louanio priorem ad Timotheum epistolam, & primam B.Petri lucido sermone enarrat, & quæstiooes quæ ex eis oriuntur,egregiè resoluere conatur.

Franc. Titelmannus.

Franciscus Titelmanus vir pius,& de Ecclesia bene meritus, Paraphrases in B.Paulum, & epistolas Catholicas coocinoauit; quæ sensum Apostoli reddereot lucidiorem,ac planiorem, oe vel schematum, & troporum frequentia sensum verum oobis eriperet,vel obscurum redderet, sicut fecit in librum Psalmorum, & in Iobis disputatiooes: textum autem vulgatæ lectioois contra Nouatores perdoctè proprio libro tuetur.

Dominicus à Soto.

Dominicus à Soto epistolam ad Romanos edisserit, & qoæstiooes scholasticas oonnullas proponit, quas resoluere nititur.

F. Paduanus. quos imitatus interpretes Apostoli.

F. Paduanus à Barletta tantum in Paoli epistolas, Didymo & Philotheo colloquêtibus disputationes in genere instituit (sicut & ante eum fecerat Hugo de S.Victore, & autor libri Ἀντικειμένων apud Micropresbyteron,& Encherius Lugdunensis in lib. De quæstionib. Noui,& Veteris Testamenti ad Salonium) veruntameo nec in omnibus, quæ dubitari meritò videbantur, proponendis, nec in eis dissoluendis qoæ proponit, aut in styli charactere satis feliciter tanto operi respondisse videtur.

Origenis in Paulum opera censentur. Hieronym.

Cassiodor. Ruffin.

Redeo ad antiquos ex Græcis. Inter quos primus Origenes viginti libris Græco sermone conscriptis (aut, vt Hierooymus ait, quindecim) epistolam ad Romanos declarauit: vt testis est Cassiodorus lib. De diuinis lectionib. cap. 9. quanquam Ruffinus eodem autore, in decem contraxisse traditur: quem etiam secutus est Hierooymus, qui illos nobis Latinos reddidit, atque eodem nomero abbreuiauit, vt constat ex epistola ad F.Heraclium; quæ loco procemij, illis præfigitur, & ex perotatione, in qua se Hierooymus interpretem illorum librorùm, oon tantùm verbis, sed etiam stylo satis prodit.

Scripsit præterea Origines in priòrem ad Corinthios epistolam commeotarios, quorùm meminit Hierooymus in epistola ad Pammachium quæ incipit: *Christiani pudoris*. Adhæc in epistol. ad Galat. triplex genus expositionis elocubrauit, hoc est continuæ, & integræ enarratioois libros quinqoe in totam epistolam: & ex decem libris Stromatum, decimum volumen commatico sermone, id est inciso, super huius epistolæ explicatione exarauit. Item Ἐκλογῶν, seu Excerptorum librum vnum, & tractatus ad populum oon paucos, qoorum meminit Hierooymus io epistola ad Augustinum, & in procemio epistolæ ad Ephes. tomos tres edidit, quos Hierooymus in Præfatiooe commentariorum, & io Apologia prima contra Ruffinum se fatetur esse secutum. In epistolam autem ad Colossenses commentariorum libros tres scripsit, quorum tertium citat Pamphilos martyr in Apologia. Io priorem verò ad Thessalonicenses plures edidit, ex quibus Hierooymus in epist. ad Minerium, & Alexaodrum citat dicens: *Origenes in tertio volumine Ἐξηγητικῶν epistolæ Pauli ad Thessalonicen. primæ post multa, quæ vario, prudentique sermone disseruit, hæc intulit: de quibus nulli dubium est & Acatium pleraque libasse.* Elaborauit etiam in epistolam ad Titum librum vnum, cuius fragmentum citatur à Pamphilo martyre io Apologia: denique in epistolam ad Hebræos multa conscripsit, ex quibus idem Pamphilus martyr in eadem Apologia hausit multa volumina.

Hieron. epist. 52. tom. 2.

Idem epist 89. sub initium tom eodem.
Idem tom. 9.
Idem tom. 2.

Hieron. epist. 152. tom. 8.

Verùm hic autor malè audit apud seculi nostri Hæreticos, & præsertim apud Theodorum Bezam, qui eum impurum, blasphemum, & io detorquendis Scripturis audacem vocare non veretur: vnde eum frequêter vellicat, propter synecdocheo, quam in iustificatione fidei ponere videtur. Complectitur enim nomine fidei omnes virtutes. At Hieronymus quid de illo senserit, attendamus: nam in epistola ad Minerium, & Alexandrum in fine: *Ego, inquit, & in adolescentia, & in extrema ætate profiteor, & Origenem, & Eusebium Cæsariens. viros esse doctissimos, sed errasse in dogmatum veritate: quod è contrario de Theodoro, Acacio, Apollinario possumus dicere: & tamen omnes in explanationibus Scripturarum, sudoris sui, nobis memoriam reliquerunt.* Et infrà: *Meum propositum est antiquos*

Hæretici Origenem auersentur qua ratione potissimum.

Origen. in cap 4. epist. ad Rom.

Hieronymi propositũ in Scripturis Pauli praesertim, enarrandis.
Idem epi. 65.

quos legere probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere. Et in epistola ad Pāmachium, & Oceanum extimulantes, vt se ab hominum suspicionibus & calumnijs purgaret, & ab Origenistarum erroribus alienum ostenderet: rescribit, Origenis doctrinam se, nõ dogmata laudasse. *Laudaui*, inquit, *interpretem, non dogmatisten; ingenium, non fidem; philosophum, non Apostolum. Quod si volunt super Origene meum scire iudicium; legant in Ecclesiasten commentarios: replicent in epistolam ad Ephesios tria volumina: & intelligent me semper eius dogmatibus contraisse. Quæ enim stultitia est, sic alicuius laudare doctrinam, vt sequaris & blasphemiam? Et B. Cyprianus Tertulliano magistro vtitur, vt eius scripta probant, cumq; eruditi, & ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo, Maximillamque non sequitur. Fortissimos libros contra Porphyrium scribit Apollinarius. Ecclesiasticam pulchrè Eusebius historiam texuit: alter eorum dimidiatam Christi introduxit œconomiam, alter impietatis Arij apertissimus propugnator est. Væ, inquit Esaias, qui dicunt bonum malum, & malum bonum; & qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec bonis aduersariorum, si honestum quid habuerint, detrahendum est; nec amicorum laudanda sunt vitia: & vnumquodque rerum, non personarum pondere, iudicandum est. Apollinarium Laodicenum audiui Antiochiæ frequenter, & colui: & cum me in sanctis Scripturis erudiret, nunquam illum contentiosum super sensu* (dimidiatam videlicet œconomiam introducẽtis, hoc est, mentem Christo auferentis) *dogma suscepi. Quod autem opponunt, congregasse me libros illius super cunctos homines: vtinam omnium tractatorum haberem volumina; vt tarditatem ingenij lectionis diligentia compensarem. Congregaui libros* (scilicet Originis) *fateor: & ideo errores non sequor, quia scio vniuersa quæ scripsit. Credite experto: quasi Christianus Christianis loquor. Venenata sunt illius dogmata, aliena à Scripturis sanctis, vim Scripturis facientia*, & quæ sequuntur. Mitto quòd in alijs locis contra Ruffinum apertè tuetur, errores, quibus scatent libri Origenis, non fuisse sibi impositos ab hæreticis, quòd impossibile videatur, omnia volumina Origenis per totum orbem dispersa potuisse vitiari: & negat Pamphilum martyrem aliquid scripsisse pro Origene. Sed sex volumina Eusebium Cæsariensem edidisse, quorum primum falsò adscriptum sit Pamphilo; & aliter Didymus errores, qui sunt in libro Periarchon, tuetur, interpretando potius eius dicta, & ad bonum sensum trahendo, quam dicendo fuisse ab Hæreticis deprauata.

Tom 6.
Tom 9.

Doctrina alicuius quatenus laudanda.

Esai. 5.

Qualis Origenis dogmata teste Hieronymo.

Hieron. to. 2.

Cum autem dicimus cum Hieronymo, Origenem in dogmatibus non recipiendum: non in omnibus intelligimus; sed in quibusdam, de quibus ad Auitum Hieronymus conscripsit epistolam: & Didymus vocat eum post Apostolos Ecclesiarum magistrum. Vnde & Athanasius Origenem in Concilio Niceno pro Catholica fide produxit. Magni quoque in Ecclesia viri non tot Tomos, & Homelias eius in Latinum conuertissent, aut imitati fuissent, vt & libros eius integros pro suis traderent: vt Ambrosius, Hilarius, Victorinus: neque Augustinus epistola ad Hieronymum tam instanter & suo, & Africanæ Ecclesiæ nomine peteret, vt opera Origenis Latinè loquentia redderet: nec Basilius Magnus, nec Gregorius Nazianz. ex eius scriptis, & sententijs librum Philocalias concinnassent, quem nuper Genebrardus Theologus Parisiensis in Romanam linguam conuertit.

Origenes quomodo in dogmatibus Fidei non sequendus.
Hieron epist. 59. tom. 2.

August. apud Hierony epi. 88. tom. 2.

Est ergo Origenes, vt vbi bene, nemo melius; & vbi malè, nemo peius scripsisse videatur. Et hactenus de Origene, cuius damnationem cõtinet V. Synodus vniuersalis can. XI. *Si quis*, inquit, *non anathematizat Arrium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychen & Originem, cum impijs eorum scriptis, & omnes alios Hæreticos qui condemnati sunt, & anathematizati à sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia, vel prædictis sanctis quatuor Concilijs, sed & eos qui similiter cum prædictis Hæreticis sapuerunt, aut sapere noscuntur, vsque in finem permanserunt in propria impietate, anathema sit.* Hæc illa.

De Origene dictum Hier.

Sequitur Didymus Alexandrinus, qui à pueritia oculis captus fuit, quem suum Videntem, & Prophetam vocare solet Hieronymus: atque eo præceptore in Scripturis se vsum esse gloriatur. De quo idem ferendũ est iudicium quod de Origene, quia vt plurimum eius dogmata sectatur, sicut & Apollinaris Laodiceni: eius doctrinã propugnat, vt testatur ipsemet Hieronymus ad Pammachium, & Oceanum: quanquam hodie præter libros de Spiritu sancto à Hieronymo translatos, paucula tamen eius extent fragmenta in epistolas Canonicas. In Apologia tamen aduersus Ruffinum scribit Hieronymus: *In Dydimo memoriam prædicamus, & super Trinitate Fidei puritatem: sed in cæteris quæ Origeni malè credidit, nos ab eo retrahimus.* Et in Procemio epist. ad Ephesios in fine, idem Hieronymus ait: *Illud quoque in Præfatione commoneo, vt sciatis Origenem tria volumina in hanc epistolam conscripsisse: quem & nos ex parte secuti sumus. Apollinarem etiam, & Didymum quosdam Commentariolos edidisse, è quibus, licet pauca decerpsimus; & non-*

De Didymo Hieron quid senserit, & alij. Libr. De scri. pt. Eccl. to. 2: Idẽ epist. 65. tom. 2.

Idem Apologia qua incipit: Lectis literis tuis, etc. procul à med. tom. eod.

Idem tom. 9.

nulla

nulla, quæ nobis videbantur, adiecimus, siue subtraximus; vt studiosus statim in principio lector agnoscat, hoc opus vel alienum esse, vel nostrũ. Hæc ille.

Chryso qualis Pauli interpres Apostoli.

Tertius erat Chrysostomus, qui eloquẽtissimè, & dilucidè omnes beati Pauli epistolas explicauit, quarum epistolarum studio singulariter deditus, & affectus fuit, ita vt cum mensæ accumberet, illas sibi perlegi semper faceret: huius Patris doctrinam & exemplum secuti esse videntur Theodoritus, Theophylactus, Photius, & Oecumenius: qui paucioribus sententijs, & breuiori sermone easdem epistolas expositas nobis tradiderunt. Inter hos autem singulariter eminere videtur Photius, atque alijs doctrina præcellere, vt eius indicant explicationes per Oecumenium allatæ: quanquã ille hæreticus extiterit, & Ecclesiam Romanam accusare nõ sit veritus, quod profiteatur Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedere. Id autem fecit, eo quòd sententia Legatorum Romani Pontificis Ecclesia Constantinopolitana spoliatus fuerit: quæ hæresis etsi in Concilio Florentino sopita fuerit, Græci tamen paullò pòst ad vomitum redierunt, & in pristino errore remanserunt.

Eius sectatores.

De Photio censura.

Theophylacti de Spiritu sancto error.

Cauendum autem est in Theophylacto, qui Episcopus Bulgariensis creatus fuit à Photio Constantinopolitano patriarcha, cuius partes sectatus est Theophylactus, quòd in Euangelio explicando, & interdum in epistolis Pauli eiusmodi articulum de Processione Spiritus sancti ab vtroque, vt falsum, & erroneum insequitur. ¶ Quòd verò quidam typographi Theophilacti commentarios in Paulum Magno Athanasio tribuerint: id omninò respuendum est: quia Athanasius nihil tale scripsisse à Patribus asseritur: & fortassis id librarij vitio tribuendum est, qui vt magis venalis fieret liber, tã decoro titulo eum exornauit. Et hæc pauca habeo, quæ de Græcis dicam.

Eius in Paulũ cõmentarios quos vocãt, Athanasij non esse.

De Mario Victorino iudiciũ Hiero. Latinorum Pauli interpretum censura.

Hiero. tom. 9.

Accedo iam ad Latinos, inter quos primò loco numeratus est Marius Victorinus, qui senior ad Fidem conuersus, multa scripsit contra Hæreticos, & Paulum explicauit. Sed quid de eo sentiendum sit, explicauit Hieronymus in Procem. lib 1. in epistol. ad Galat. *Aggrediar*, inquit, *opus intentatum ante me lingua nostræ Scriptoribus, & à Græcis quoque ipsis vix paucis, vt rei poscebat dignitas, vsurpatum. Non quia ignorem Caium Marium Victorinum, qui Romæ pueros Rhetoricam docuit, edidisse commmentarios in Apostolum: sed quòd occupatus ille eruditione secularium literarũ, Scripturas omninò sanctas ignorauerit, & nemo possit, quamuis eloquens, de eo bene disputare quod nesciat.* Hæc ille. Verũ Victorinus etsi Scripturas non nouerit, & sermone perobscuro, & impedito laboraret, Christum tamen ipsum, pro quo sanguinem suum fudit, optimè cognouit, & inclyto martyrio illustrauit.

Quam ille Christi gloriã illustrauerit.

Ne tamen quisquam homonymia laboret, attendat prudens lector, distinctum esse hunc Victorinum ab altero Victorino martyre, qui fuit Episcopus Pytabonienfis, de quo Hierony. in libr. Ecclesiasticorum scriptorum testatur, quod multa scripserit in Vetus Testamentum, id est, in Genesim, Exodum, Leuiticum, Esaiam, Ezechielem, Habacuc, Ecclesiasten, Cantica Canticorũ, & in Apocalypsim Ioannis, aduersum omnes hæreses, & multa alia, ad extremũ martyrio coronatus est. Etsi ergo vterque martyr extiterit, & subobscurus, & difficilis in scribendo: nam de priori scripsit Hierony. ad Paulinum, De institutione monachi, sub finẽ; *Inclyto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest.* Et in libr. Scriptor. Eccles. (quem ipsemet Hieronymus alibi librum illustrium virorum vocat, nimirum in procemio Commentar. in Ionam Prophetam.) *Scripsit aduersus Arrium libros more dialectico valde obscuros, qui ab eruditis modò intelliguntur; & commentarios in Apostolum.* De altero verò testatur, eo quòd non æquè Latinè, vt Græcè nouerat, opera eius grandia sensibus, viliora videntur cõpositione verborum: His tamen non obstantibus, diuersi sunt: nam primus Afer fuit, alter verò Pytabonienfis Episcopus, vt diximus. Deinde prior, Episcopus non fuit, sicut posterior. Tertiò Episcopus ille tẽpore excelluit ferè per duo secula posteriorem, si Ioanni Tritthemio, & Hieronymo credimus. Huius antiquioris Victorini commentariolus extat hodie in Apocalypsin succinctus, ac breuis, quem Hieronymus in epistola eiusdem libri præfatoria restituisse, & expurgasse se scribit. Cuius Victorini sensus & expositiones Primasius Augustini discipulus, & alij Græci sectati sunt.

Duo Victorini Marij memorantur.

Idem tom. 1.

Idem epi. 13. tom. eodem. sub initium.

Idem. tom. 6.

Non vnum Mariũ Victorinũ, sed duos fuisse variosque diuersos.

Consequitur vt de Augustino dicamus: qui pro suis agnoscit libris in volumine Retractat. inchoatam vtramque ad Romanos, & ad Galatas expositionem: librum quoq; integrum de verbis Apostoli in elucidãdis Pauli sententijs, minimè pœnitẽdum composuit: in epistolam B. Iacobi dictauit librũ discipulorum diligentia collectum, cuius mentionem facit ipsemet August lib. 2. Retract. c. 32. quanquam hic liber, vt puto, nõ extet. Collectanea verò Bedæ presbyteri ex libris August. ad Paulum enarrandum in

Augustinus quid scripserit in Paulum, & quomodo.

August. to 2.

Idem tom. 4. sub fi.

vnum

vnum corpus compilata, laudanda, & commendanda sunt: quanquam ordo, & verborum consequentia apud Paulum non semper ita possit per eiusmodi collectanea apprehendi.

Hieronymi in Paulum opera.

Tom. 9.

Redeo ad Hieronymum, qui epistolas quatuor, nimirum ad Galatas, Ephesios, Titum, & Philemonem, doctos admodum, & mira eruditione refertos commentarios edidit: in quibus nonnihil offendit lectores, etiam sui temporis, quod multos Hæreticorum errores interseruerit in illis Commentarijs, nec illos confutauerit, vt par erat. Sed condonari poterat illi hæc negligẽtia, quia illos alibi plene se refutasse, ac reprobasse tradit. Et pleraque sunt tam absurda dogmata, quæ ipsa narratione satis esse reiecta ac reprobata existimasset. Cautius tamen meo quidem iudicio, & consultius fecisset, si aut errores illos suppressisset, aut si ipsos expressos confestim confutasset.

De quo interdum vitio fuerit notatus.

De Commentarijs eiusdem in tredecim Pauli epistolas quid scribat Cassiodorus.

Circumferuntur præterea nomine Hieronymi parua Commentariola in omnia Pauli scripta, quæ in nono tomo operum Hieronymi habẽtur, & in præfatione Heliodoro inscribuntur: de quibus videtur Cassiodorus loqui lib. De diuinis lectionibus, cap. 8. *Quendam*, inquit, *Anonymum codicem subnotatum Diuina reperi prouisione collatæ, qui tredecim epistolas sancti Pauli non ignobili annotatione tractauit: hic diligenter excussus securu vobis ac securum genus Commentorum, Domino largiente præstabit.* Hæc ille. Vbi ex eo quod ait, tredecim epistolas Pauli, intelligo hæc esse, quæ D. Hieronymo falso tribuuntur, quę ad Hebræos epistolam non attingunt.

Illud opus, B. Hieronymi non esse.

Verum omnium Doctorum virorum iudicio nequaquam sunt Hieronymi, sed vel Pelagij ipsius, vt vult Ioannes à Louanio, vel Pelagiani alicuius: nec eorum Hieronymus vllam vsquam fecit mentionem, aut pro suis agnouit, nec eius stylum, aut eloquentiam, aut linguarum peritiam, qua in cæteris Commentarijs vti consueuit, redolent, neque eius spiritum, aut fidem spirant, cùm ille dogma Pelagianum in suis tribus Dialogis aduersus Pelagianos fortissimè confutauerit.

Hieron. to. 2.

Posteriores Pauli interpretes quam boni.

De reliquis omnibus, qui Latinè scripserunt præter Ambrosium, hoc est Sedulio, Glossa vtraque, Primasio, Haymone, Anselmo, Petro Lombardo, & reliquis, nihil aliud occurrit annotare; nisi, illos Catholicè scripsisse, & ex antiquioribus Patribus collegisse quæ super Paulum ediderunt. Vnde & Sedulius Collectanea, sua illa Scholia in Paulum inscripsit. Primasius verò, atque Haymo tam sibi similia, & consona scribũt, vt ab vno, eodẽq; autore dictata videãtur.

De D. Thomæ Commentarijs in Paulum sententia. Tom. 16.

B. verò Thomas, cuius acre fuit iudiciũ, & doctrina singularis, Commentaria edidit non pœnitenda in Apostolum: quanquam nonnullos illa partiendi, & subpartiendi, diuidendi & subdiuidendi tam subtilis ratio offendere soleat. Sed hic næuus, si næuus dicendus est, alijs multis bonis, & commodis pensatur.

D. Ambrosij nomine inscriptos in Paulum commentarios, illius non esse, ostenditur multis argumentis.

Redeo ad Ambrosium, de quo secundo loco erat dicendum post Victorinum; cuius Commentarij in Apostolum hodie extant, sed multis olim de hæresi Pelagiana suspecti fuerunt ob id, quod in cap. 5. ad Romanos illa verba edisserens: *In quo omnes peccauerunt*, Pelagianum dogma amplectitur. De quibus meo iudicio videtur intelligendum illud Cassiodori libro, & capite productis, initio: *Octauus*, inquit, *codex canonicas Epistolas continet Apostolorum. Sed in Epistolis tredecim sancti Pauli Annotationes conscriptas in ipso initio meæ lectionis inueni, quæ in cunctorum manibus ita celebres habebantur, vt eas à sancto Gelasio Papa vrbis Romæ doctissimi viri studio dicerent fuisse conscriptas. Quod solent facere, qui res vitiosas cupiunt gloriosi nominis authoritate defendere: sed nobis ex præcedentibus lectionibus diligenti retractatione patuerunt, subtilissimas quidem esse, ac breuissimas dictiones, sed Pelagiani erroris venena illic esse seminata. Et vt procul à nobis fieret error hæreticus, primam epistolam ad Romanos qua potui curiositate purgaui, reliquas in chartaceo codice conscriptas vobis emendandas reliqui.* Quæ verba de epistolis Ambrosio inscriptis intelligenda esse, probat id quod diximus de Ambrosio, qui ad Rom. 5. Pelagianum dogma sectatur.

Cassiodor.

Rom. 5.

An Cassiodorus Ambrosium crediderit autorem illorum librorum.

Nec obstat quod infra ait: *Dicitur etiam & B. Ambrosium subnotatum codicem Epistolarũ omnium sancti Pauli reliquisse, suauissima expositione completum, quem tamen adhuc inuenire non potui, sed diligenti cura perquiro.* Verùm hæc, prudens lector, non arguunt, autorem, quẽ superius anonymum vocauit, eundem esse, de quo hic loquitur: sed tantum id consequitur, quod ipse putauerit esse diuersum.

II. Argum.

Deinde alterum argumentum conficitur contra hos Ambrosij Commentarios. Nam 1. Corinth. 7. differit cum Apostolo de matrimonij dissolutione propter fornicationem vxoris, aperteque tradit, maritũ ius habere post dimissam vxorem fornicariam ad noua vota transeundi, non tamen tale esse ius vxoris ad dimittendum maritũ adulterum. Hęc tamen omnia ipse Ambrosius in alijs verè suis libris, vt in Lucæ ca. 16. & in libro 1. De Patriarcha Abraham, ca. 4. doctissimè confutauit, & hoc minimè licere, nisi per humanas leges, grauiter ostẽdit, paremque omninò esse in Euangelio liber-

Ambr. to. 5. Ibid. tom. 4.

tatem vxoris ad virum adulterum relinquendum, & viri ad vxorem adulteram dimittendam, palam, & perspicuè profitetur. Verba Ambrosij non produco, ne multas chartas impleam: satis est prudenti lectori indicasse libros, & capita.

Sequentium autorum de Pelagiano dogmate in Cômentario V. capitis ad Rom Ambrosiano, sententia.

Quamobrem Petrus Lombardus in lib. Sentent. & in Paulum ipsum scribens, & Gratianus, & B. Thomas, & pleriq; alij qui eos sectantur, vt tantum Doctorem, ab hac hæretica sententia liberarent, constanter asseruerunt, dicta Ambrosij verè Ambrosij non esse, sed à falsarijs, & hæreticis in eius Commentarios ad calumniam ei conflandam inserta: nec esse recipienda tanquam Ambrosiij, sed explodenda tanquam suppositititia, prorsusque hæretica, & aliena, nô solum à veritate, & doctrina Catholica, sed etiam ab eius sensu, & mente, quam in alijs libris suis germanis planè indicauit.

Magist. Sentent. Gratian. D.Thom.

Hæc opinio non probatur.

Alij verò viri perdocti exactius, & penitius hæc considerantes, fatentur quidē hæc non Ambrosij viri orthodoxi, & de Fide orthodoxa optimè meriti: quod tamen fuerint Ambrosij Commentarijs inserta, minimè probant, & nulli vnquam in Ecclesia Dei hæretici extiterunt, qui hunc perniciosissimum errorem amplecterentur: quia si aliqui extitissent, non defuissent permulti Scriptores, qui quasi omni seculo floruerunt, qui eiusmodi Hæreticorum mentionem fecissent, & scripto aliquo eorum nomina cum libris posteritati commēdassent, quod tamen hactenus præstitit nullus.

Altera solutio præstantior.

Quare aliam rationem excogitarunt; qua B. Ambrosium ab hac macula vindicarent. Asserunt enim, eiusmodi Commentarios in omnes Pauli epistolas Ambrosio non esse adscribendos, nec eius esse proprium fętum, sed spurium, & nothum, illique falso inscriptum. In quam sententiam plerosque Catholicos viros acri iudicio, & doctrina præstantes pedibus iuisse animaduerti: atq; hanc sententiam plurimis, & magnis rationibus, illisq; efficacibus euincere conātur. Nam in primis Ioannes Trithem. in lib. De Scriptorib. Ecclesiast. vbi de Ambrosij Operibus sermonem habet, nullam huius libri mentionem facit. Augustinus verò, qui omnia eius producere, & magni pēdere solet, illaq; explorauit, & exuxit, nusquā horū librorū meminit: quod vel maximè debebat facere in illis duobus libris, quos ad Pollentium misit de adulterinis coniugijs, vbi de hoc ipso argumēto tractat, nimirum de non dimittenda vxore adultera, in quibus verbum nullum ex Ambrosio producit.

Ioan. Trithem.

August. to. 7.

Adde etiam Hieronymum, qui in Procemio epistolæ ad Galatas: *Aggrediar*, inquit, *opus intactum ante me lingua nostra Scriptoribus.* Vbi negare videtur, Ambrosium, vel alium Latinum autorem vllos in Paulum edidisse Commentarios, præter Marium Victorinum. Imò etiam in Apologia pro libris aduersus Iouinianum asserit se idem docuisse, quod Ambrosius docuit in articulo de virginitate nuptijs præferenda: vbi producit testimonium ex libro Ambrosij De viduis, & ex libris eiusdem De virginibus. Quod si ille quicquam in Apostolum scripsisset, multò magis ex illis Commentarijs testimonia protulisset.

Hiero. to. 9.

Idem tom. 2.

Ambr. to. 1.

Accedit Cassiodorus Senator libro citato De lectionibus diuinis, cap. 8. tradens se non potuisse Romæ inuenire Ambrosij volumina in Paulum: at hoc qui fieri poterat, cum Mediolanum nō longè distaret à Roma, & eius scripta passim omnium manibus tererentur, nisi quia nulla talia extabant? Quod si quis obijciat, nōnullos veros Ambrosii libros intercidisse, vt Commentarios in librum Tobiæ, & Commentar. in Esaiā Prophetam; ita mirum non esse, si veri illi Ambrosii Commētarii in Paulum interciderint. Respondeo, me hoc nō negare, quia ipsemet Ambrosius in suis alijs scriptis horum librorum mentionem fecit, sicut & Augustinus, & alij sui seculi scriptores docent: at de Commentarijs in Paulum, neq; ipsemet, neque alij eius temporis scriptores vllam mentionem fecerunt.

Cassiodor.

Deinde non minimum est argumētum, horum Commentariorum stylum, & dicēdi characterem diuersum esse ab illo B. Ambrosij, de quo Cassiodorus libro dicto capite vigesimo ita scribit: *Sanctus quoque Ambrosius lactei sermonis emanator, cum grauitate acutus, peruiolenta persuasione dulcißimus; cui fuit æqualis doctrina cum vita, quando ei non paruis miraculis gratia diuinitatis arrisit.* Hæc ille: quæ quantum conueniant cum illis Commentarijs, quę circumferuntur in Paulum, prudenti lectori iudicandum relinquo.

Ambrosianū dicendi genus Cassiodoro quale.

Tertio, ad hoc accedit, quòd eiusmodi Commētarios in Paulum per libros, & capita non diuidit, vt Commentaria in Lucā in decem libros partitus est: & hic mos eo tempore Scriptoribus Ecclesiasticis cōsuetus erat. Vnde Hieroymus libros Origenis in epistolam ad Romanos in decem similiter libros distinxit. Idem quoque Hieronymus in suis in epistolas ad Galatas, & Ephesios Commentarijs ternos in vnamquamque epistolam libros conscripsit, & singulos in epistolam ad Titum, & Philemonē: In Prophetam verò Esaiam 18. libros per capita exarauit: in his tamen Commentarijs nihil tale possis inuenire.

III. Argum.

Orig. to. 2.

Hieron. to. 9.

Idem to. 5.

Quartò,

IV. Argum. *Idem Hiero. tom. 2.*

Quartò, nō leue eſt argumentum, quòd Hieronymus teſtatur in Apologia ad Pammachium, & ad Marcellinū aduerſus Ruffinum, Ambroſij penè omnes libros Origenis ſermonibus plenos eſſe, ſicut & Hilarij, & Victorini: in his tamen Commentarijs Ambroſio inſcriptis nihil poſſis inuenire ex Origenis libris decerptum: quòd liquido probat, non eſſe Ambroſij veros Commentarios.

V. Argum.

Quintò, illud non prætermittam, quòd Ambroſius cum eſſet Græcæ linguæ doctiſſimus, & multa ex Origene, & Baſilio, & alijs Græcis mutuaretur; habent tamen hæc Commentaria: Dicunt quidam Græcè ita haberi; aut, Fertur Græcam literam aliter habere: quod manifeſtum eſt ſignum, Ambroſium non eſſe, qui in illis libris loquitur, cum linguæ illius ignarus non eſſet.

VI. Argum.

Sextò, in his Commentarijs, ſicut nec in ijs, qui falſò adſcribuntur Hieronymo, nihil continebatur in epiſtolam Pauli ad Hebræos, ſed tantum in tredecim epiſtolas, quæ extabāt, explanationes, ſicut etiam teſtatus eſt Caſſiodorus. Eſſet igitur argumē tum, eiuſmodi epiſtolam pro Canonica Ambroſium non habuiſſe. At paullò poſt inter opera Ambroſij prodijt in illam epiſtolam quidam Commentarius, qui tamen nihil aliud eſt, quàm compendium quoddā eorum, quæ Chryſoſtomus ſcripſit triginta tribus Homelijs in epiſtolam ad Hebræos: & illud quidem Compēdium non ſatis integrum, ſed deprauatum. Quis ergo eſt, qui tanto viro, qualis fuit Ambroſius, hæc tribuere audeat?

Chryſo. to. 4.

VII. Argum. *Ambroſ to. 2. initio.* Opera quædam falsò Ambroſio attributa. *Coſterius nōnus autor.*

Septimo loco, certum eſt nonnullos alios libros attribui B. Ambroſio, qui tamen eius non ſunt. Nam libros duos De vocatione Gentium, de quibus ambiguam Eraſmus protulerat ſententiam, Coſterius tamē vit diligentiſſimus, & induſtrius ex veteribus exemplaribus obſeruauit non eſſe Ambroſij, ſed Proſperi Aquitani: Quod etiam non ſolùm probat exēplar, quod eſt in Vaticana Bibliotheca, vbi Proſpero aſſerūtur, ſed etiam quòd ſtylo Proſperi, & argumento, quod ille tractare ſolet, mirificam habeat conſonantiam. Libros etiam De Fide contra Arrianos Coſterius probat verè Ambroſij non eſſe, etiamſi inter eius opera recepti ſint: ſed quædam teſtimonia ex eo libro proferuntur, non tanquam Ambroſij, ſed tanquam Gregorij Nazianzeni, cuius fortaſſis Ambroſius extitit Latinus interpres. Quemadmodum quod apud Theodoritum in Polymorpho ex Ambroſij libro de Fide citatur, non ex libro de Fide contra Arrianos; ſed ex libris ſex, quos

Ambr to. 2. Coſterius recens ſcriptor Catholicus.

Theodorit. dialog 3 circa finem. to. 2.

ſcripſit ad Gratianum de Fide, deprompta ſunt. Adhæc Ambroſius in librum Cantici Canticorum ex propoſito nihil ſcripſit: ſed cùm eo libro maximè delectaretur, & vbicunque ei explicandi occaſio ſe offerret, illum ſolitus eſſet producere, & explicare: hinc factum eſt, vt Democares Theologus Sorbonicus, vir ſanè perdoctus, in capita ſua, Cantica illa digeſſerit ex verbis, & ſententijs Ambroſij, & in vnum veluti corpus compactum ediderit: quod etiam ante eum tentauerat dictus Coſterus: ſed alterius diligentia præuentus eſt. Poſtremò noui quidam Commentarij in Apocalypſin noſtra ętate prodierunt, opera & diligentia Cutberti Tonſtallij Epiſcopi Dulmenſis, qui Ambroſio Epiſcopo inſcripti erant. Sed eiuſmodi libri charactere dicendi, & ſtylo longè differunt ab Ambroſiano, & autor ipſe in explanatione capitis 17. citat Gregorium, duobus ſeculis Ambroſio Mediolanenſi poſteriorem: ibidemq́ue apertè fatetur, ſe ſcripſiſſe poſt Romanum Imperium à Longobardis occupatum Inſperiæ quoq; ſunt toto opere ſententiæ Gregorij.

D. Ambroſij in Cantica Canticor. liber in lucem nuper editus eius opera, & diligentia.

Eiuſdem Commentarios in Apocalypſin vere Ambroſij non eſſe.

Quare alij rectius ſentiunt, qui illos Cōmentarios tribuendos eſſe tradunt Ambroſio cuidā Anſberto, monacho S. Benedicti, qui floruit ſub Arnoldo Imperatore ante annos 600. Si igitur tot alieni fœtus Ambroſio ſuppoſiti ſunt, mirari nō debemus, ſi hūn Paulū Cōmētarij, illi fuerint adſcripti, vt eius nomine, & autoritate protegerētur. Nā & Caſſiodorus, vt diximus ſuperius, teſtatur, quòd eiuſmodi volumina quidā Pelagio vrbis Romanę Epiſcopo tribuebant.

Eius operis quis fuerit autor.

Caſſiodor lib. de diuin. lect c. 8. init.

VIII. Argum.

Octauò multa in his Commentarijs continentur, quæ nō poſſint iure illi tribui. Nā in illud, quod Paulus in tertium cœlum raptus ſit, ſcribens, tradit, quod in tertio cęlo ſita eſt Luna; quod magnam arguit inſcitiā aſtronomiæ, cùm omnium conſenſu ſtra ſit in primo orbe. Deinde in illud, *Penulam, quā reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*: docent hæc Commentaria, penulam eſſe veſtem Senatoriam, cum tamē homini Romæ nato, & patritio eam rem ignorare non licuerit, cum Romanis penula ſit veſtis imbribus arcēdis accommoda. Et ita Ambroſio tribueretur inſcitia non tantum Aſtronomiæ, ſed etiam linguæ Romanæ. Aſſerit etiam nomen Pauli Græcum eſſe, & quietū ſignificare, cum anteà eſſet Saulus, id eſt, inquietus, & perturbatus. Cum tamen alienū ſit à ratione, vt docet Hieronymus, dictionis alicuius etymologiam petere ab lingua aliena, & peregrina, & nō potius ab lingua patria, & materna, quam profitetur vnuſquiſq;: ſed hoc leue eſt. In illud etiā. 1. Cor. 5.

2. Cor. 12.

2. Tim. vlt.

Penula quid propriè.

Pauli nomen quale ſit, & quid ſignificet. *Hieron. epiſt. ad Euag. 126. ſub finem, & alibi, tom 3.* Etymon alicuius vocis vnde dermandum.

1. Cor 5.

Pascha nostra immolatus est Christus, ita scribit: *Pascha*, inquit, *immolatio est, non transitus, sicut quibusdam videtur: Prius enim Pascha, post hac transitus, quia ante exemplum est Saluatoris, & sic signum salutis.* Idem tamen Ambros. lib. de Cain & Abel, cap 8. oppositum docet: *Pascha enim Domini*, inquit, *transitus est à passionibus ad exercitia virtutis.* Et in Hexameron lib. 1. ca. 4. *Pascha celebratur*, ait, *hoc est animarum transitus à vitijs ad virtutem.* Vbi rectius explicat vim vocis Paschæ, & sibi in illis Commentarijs aliter docenti planè contradicit.

Ambr. to. 4. Pascha quid Ambrosio. Idem ibidem initio.

¶Postremò validum, & efficax est argumētū, quod multos locos aliter interpretatur in his Cōmentariis sibi falsò inscriptis, quā faciat in suis germanis scriptis, & propriis libris. Nam etsi interdum contingat, vt vnus & idem autor aliter atq; aliter interpretetur eadē Scripturæ verba, pro ratione argumēti quod tractat; non tamen nisi rarò, & profitēs, se aliter exponere, quàm olim fecerit, vt non semel Hieronymus de se testatur: Nunquam etiam consueuerunt Patres vnū & eundem locum vno aut altero modo sibi inuicem contrario & repugnante expugnare: & tamen vidimus superius aliter exponi locum. 1. Cor. 7. in Commentario epistolarum, & in Lucam c. 16. & lib. de Cain & Abel, c. 8. cum vna sit expositio Catholica, altera verò hæretica. Similiter idem vidimus de interpretatione vocis Pascha, vbi sibi contradicit, sicut & in superiori quæstione. Adhæc illud ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset*; & aliud ad Tim. 1. *Regi seculorum immortali, & inuisibili, soli Deo, &c.* diuerso, & contrario modo explicatur in his Commētariis, atque in epistola 48 Ambrosij, & lib. 2. de Fide, cap. 1. 3. & 4 & in lib. 3. cap. 2. Illud item; 1. Cor. 6. & 10. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, alia ratione explicat hic autor in Commentario, atq; lib. 2. de offic. ca. 13. Id etiam ad Philipp. 3. *Nos sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo*, aliter in Paulum exponit: vt spiritus idem sit, quod spiritualiter, sine interna mente; ita vt spiritus opponatur carni, de qua subiungit: *Et gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes:* aliter verò lib. 2. de Spiritu sancto, ca. 6. vbi contendit legendum esse, *Seruimus spiritu Deo*, in Datiuo. Et 1. Timot. 3. *Fidelis sermo.* in Commentario legit, humanus, quasi in Græco inuenerit, χεινὸς, non πιστός. Idē libro de Dignitate Sacerdotali, ca. 4. legit, Fidelis, vt nos habemus. Facile esset per multos alios locos similes disputationem nostram producere, in quibus aut sibi contradicit, aut diuersus est à seipso.

Nouum argumentum, & vltimum.

Philip. 2.
1. Tim. 1.
Ambro. lib. 7. tom. 3.
Idem tom. 2.
1. Cor 6 & Infra 10.
Idem tom. 1.
Philip. 3.
Idem tom. 2.
1. Tim 3.
Idem Ambr. tom 4.

Sed iam quærere poterit prudens lector: Cuius ergo autoris fœtus est hoc opus Cōmentariorum in Paulum Ambrosio inscriptum: Respondebo, Si rationem ducem sequamur, illum, qui apud Augustinum autor est quæstionum Noui & Veteris Testamenti, eundem illum esse autorem Commentariorum: tum quia stylo simillimi esse videntur, vt quisque facilè poterit iudicare. Deinde quia videntur vno & eodem tēpore hæc scripta prodijsse. Ait enim quæst. 84. tempore suo elapsos fuisse trecentos annos ab excidio Ierusalem, hoc est 373. à Natiuitate Christi, vt colligitur ex Chronico B. Hieronymi: autor vero Commentariorum super epistolam primam ad Tim. cap. 3. testatur, tempore suo Damasum Ecclesiæ Romanæ esse rectorem: qui Damasus assumptus est ad Papatum anno 369. vt habetur in eodem Chronico. Tertio, vna & eadem doctrina videtur tradi in illis libris de quæstionibus Noui & Veteris Testamenti, & in istis Commentarijs eadem ferè phrasi, & eisdem ferè verbis, vt potest agnoscere, qui 18. quæstionem contulerit cum Commentario illo ad Rom. 9. super illud; *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* & quæstionem. 21. cum Commentario. 1. Cor. 11. *Vir imago, & gloria Dei: mulier autem imago viri.* Quarto, si quæst. 23. conferas cū illo loco ad Rom. 7. *Condelector legi secundum interiorem hominem:* Confer etiam quæst. 74. cum Comment. in illud 2. Cor. 5. *Eum qui nō nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Item confer 76. quæst. cum Commentario in illud 1. Cor. 5. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*; tum quæstionem 99. in illud 1. Corint. 10. *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana:* quæstionem item 111. cum Comment. illo Rom. 11. *Sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei:* quæstionem item. 108. cum Comment. in illud ad Philip. 3 *Hebræus ex Hebræis:* & quæst. 109. & 125. cum Comment. in illud Rom. 8. *Spiritus postulat pro sanctis:* quæst. præterea 112. cum Comment. in illud Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem. &c.* quæstio. item 113. cum Comment. dicti illius Ephes. 3. *Vt innotescat principatibus, potestatibus, in cœlestibus, per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei*, & eādem quæst. in fine si conferas cum Commentario in illud 2. Thessalonic. 2. *Ita vt in templo Dei sedeat ostendens se, tanquam sit Deus.* Rursus quæst. 113. cum Commentar. in id Rom. 1. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Deinde si conferas quæstionem 115. cum Commentar. illo, *Eramus enim & nos natura filij iræ.*

Ambrosiani illius operis in Paulum quis fuerit autor.

Prima, & secunda coniectura.
B. Damasus quando ad Pontificatum assumptus.
Tertia coniectura.
Rom 9.
1 Cor. 11.
Quarta coniectura à collatione d[...] atque c[...]su.
Rom. 7.
2. Cor. 5.
1. Cor. 5.
Infra 10.
Rom. 11.
Philip. 3.
Rom 8.
Supra 7.
Ephes 3.
2. Thess. 2.
Rom. 1.
Ephes 2.

Quod autem hæc opera non sint Ambr. liquidum est, qui stylus est, vt diximus, longè diuersus; & quia vterque liber profitetur

se linguam

Alia quædam argumenta, & coniecturæ ad probandum quæſt. Noui, & Veteris Teſtamenti, & enarrat, in Paulum, opera, Ambroſij non eſſe.

ſe linguam Græcam non attigiſſe; cum tamen Ambroſius optimè Græcam linguam calluerit; vt indicant multa, quæ accepit ab Origene, & Baſilio, & alijs. Tertiò, quia hæc opera ſæpè contradicunt veris, & germanis D. Ambroſij operibus, vt ſupra probatum eſt, & modò rurſus vno, aut altero exemplo corroborabo. Nam quęſt. 96. docet hic autor, Paſcha non ſignificare tranſitum, ſed immolationem: cuius contrarium docuit Ambroſius lib. 1. de Cain & Abel, ca. 8. Adhæc conſtanter defendit idem autor, Melchiſedec fuiſſe Spiritum ſanctum, cum tamen Ambroſius lib. 4. de Fide, cap. 5. tradat, fuiſſe hominem ſanctum. ¶ Quod autem hæc opera quæſtionum Noui & Veteri Teſtamenti minimè ſint Auguſtini, vt titulus quæſtionum præfert, apertè deducitur ex multis erroribus, qui in his quæſt. inueniũtur, doctrinæ S. Auguſtini contradicere: quos errores Louanienſes Theologi in ſua Cenſura ſuper opera Auguſtini anno. 1576. indicarunt. Nam quæſt. 2. docet, Deum, vt diaboli præſumptionem non poteſtate, ſed ratione deſtrueret, mundum feciſſe. Et q. 9. vt oſtendat, quà ratione aliqua in Scripturis dicantur immunda, non profert Auguſt. rationem familiarem de ſignificatione, ſed aliam ridiculam, vt immunda dicantur cõparatione mundiorũ. Quęſt. 21. docet, mulierem non eſſe ad imaginem Dei conditã. Quæſt. 73. nihil cũ D. Aug. de origine animę patitur difficultatis, ſed inhoneſtum eſſe dicit, animam eſſe ex animâ. Quęſtio. 27. Diſputat contra opinionem Aug. & ridiculis rationibus confirmat, Sauli non apparuiſſe Samuelem, ſed Diabolum, & Samuelis ſpectrum. Angelos etiam, & dæmones non eſſe incorporeos; quod Aug. non fuit certũ, quia aliter loquitur. Quęſt. 41. dicit contra Aug. illud de Spiritu qui ferebatur ſuper aquas, inaniter exponi de Spiritu ſancto. Quęſt. 43. valde ſtomachatur in Iephte, quẽ dicit ſtultè nouiſſe, ſtultè perſoluiſſe, nec in eo agnoſcit vllum iuſtitiæ teſtimonium; cũ tamen habeat ampliſſimũ à Paulo Heb. 11. Quæſt. 56. dicit, improbabile quibuſdam videri, Ioſeph fuiſſe filium Heli, & Iacob, vnius ſecundum naturam, alterius ſecundũ legem, cum Aug. hoc in quibuſdã locis ſequatur. Quæſt. 73. docet, Mariam in morte Domini cũ cæteris dubitaſſe. Quęſt. 106. inter alia abſurda definit ætatem mũdi ſex millibus annis: quod eſt ab Auguſtino alienum, & apocryphũ. Quæſt. 109. Canonem Miſſę reprehendit, & Melchiſedec aſſerit eſſe Spiritum ſanctum, de quo vide Aug. de hæreſ. c. 32. eumq; eſſe non ſummũ Sacerdotem, ſed ſecundum inferiorẽ Chri-

Gen. 41.

Ambr. to. 2.

Autorem illarum quoque quæſt. Aug. nõ fuiſſe, oſtenditur, ab dogmatum repugnantia.

Aug. lib. contra Fauſtum, tom. 6.

Idem to. 7.

1. Reg. 28.

Auguſt.

Gen. 1.

Iudic. 11.

Heb. 11.

Luc. 3.

Aug. lib. contra Fauſtum, cap. 1.

Auguſt. to. 6. ſub init.

ſto. Et Hieronymus ad Euagrium docet, autorem cuiuſdam operis, in quo aſſeritur, Melchiſedec eſſe Spiritum ſanctum, imperitum fuiſſe & ſermone & ſcientia, nec eſſe audiendum. Quæſt. 116. *Paſcha*, ait, *dilectiſſimi fratres, à paſſione appellatum eſt.* Ex quibus elicimus, hoc opus quæſtionum Auguſtin. minimè fuiſſe tribuendum.

Tempore etiam, quo ſcripſit hic autor, anno videlicet 373. cum floreret Damaſus Papa, nõdum erat Auguſtinus Chriſtianus, imò tantum adoleſcens ſexdecim annorũ. Cùm enim mortuus ſit anno 433. poſt exactos annos 76. vt notat Proſper in Chronico ſuo, & ipſemet Auguſt. tradat; à miſſione Spiritus ſancti vſque ad ſuum tempus fluxiſſe anos ferè 433. à natiuitate Domini, opus eſſet Auguſtinum compleuiſſe 60. annos inter illas quæſt. & libros de Ciuit. Dei: quod eſſe non poteſt, quia ille cœpit ſcribere ſacra poſt annum 33. & id muneris ſectatus eſt vſque ad mortem, per annos 46. ¶ Cuius ergo erũt fœtus, iſti in Paulum Cõmentarii? Tradunt Louanienſes in illa cenſura, autorem horum Commentariorum fuiſſe Hilarium. Et probari poſſet ex ſententia Auguſt. qui lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 4. producit S. Hilarium in illa verba ad Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt*, in qua ſententia producit eadem verba, quæ habentur in Commentariis falſò inſcriptis Ambroſio. Sed ille Hilarius nõ potuit eſſe S. Hil. Epiſc. Pictauië. nã hic Hilar. mortuus eſt anno 372. vt annotatum reliquit Hieronymus in Chronico: & etiam quia in multis contradicit hic autor quæſtionum, vero ſancto Hilario Pictauienſi. Cõfer quæſtionem 56. cum Commentario Hilarii Canone 1. in Matthæum, quia aliter exponit Genealogiam Matthæi: & quæſtionem 62. vbi aliter interpretatur, *Rachel plorans filios ſuos*; & quæſtionem 80. cum Commentario Hilarii Canone 1. qui aliter componit numerum generationum. Denique Hilarius in Græcis doctiſſimus erat, hic autem alter Hilarius imperitiſſimus.

Probabile igitur eſt, autorem horum Commentariorum fuiſſe Hilarium Diaconum, cuius facit mentionem Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, & in Catalogo Scriptorum Eccleſ. in verbo, Lucifer, vbi eum vt Hæreticum inſequitur: & aſſerit aduerſum ſe de hæreticis rebaptizandis libellũ edidiſſe. Et in epiſt. ad Euagrium vocat autorem imperitum ſermone & ſciẽtia, eo quod dixerit Melchiſedec eſſe Spiritum ſanctum. Et fortaſſe huic Hilario attribui poſſet opus de Patris & Filij vnitate; quod tamen adſcribitur vero & magno Hilario.

Hieron. epiſt. 126. in fi. to. 3.

Secundum argumentum à tempore.

Auguſtinus quandiu vixerit, & ſcripſerit.

Proſper.

Auguſt. lib. de Ciuit. Dei, c. 54.

Idem tom. 5.

Illarum quæſtionum autorem non fuiſſe magnum Hilarium, vt quidam opinatur.

Auguſt. to. 7.

Rom. 5.

Hilarius Pictauien. quando mortuus.

Ierem 31.

Matth. 2.

Cui Hilariò tribuendum ſit illud opus.

Hiero. to. 2.

Idem tom. 1.

Idem epiſt. 126. in fin. tom 3.

Alterum opus falsò adscriptum Hilario Pictauiensi.

Et quia hic autor Quæst. 125. tradit se scripsisse libellum contra Arrianos: quod opus constat dignum non fuisse sancto & magno Hilario. Et licet nomen Hilarii habeat, stylum tamen valde similem habet autori harum quæstionum de Nouo & Veteri Testamento.

Eum, cum tamen hæreticus extiterit, vt sanctum Augustinus vocauerit.

Nec mirum esse debet, si Augustinus illum sanctum vocauerit, quia illo tempore latè patebat nomen sancti, & ministris Ecclesiæ tribui solitum erat. Vel fortè Augustinus deceptus est similitudine nominum: quemadmodum etiam citauit sanctum Sixtum Papam & Martyrem, cùm tamen allegaret opus Sixti Philosophi, & Gentilis. In hunc Hilarium scripsit decretum vnum Syricius Papa Damasi successor.

August. lib. retract. c. 62. tom. 1.

Ambrosii in Paulum, cum tamen eius non sint, Cómentarios nominádi, & producendi causę.

Et hactenus valde probabiliter nobis edissertum, ac disputatum sit de illo autore Commentariorum in Paulum. Quamobrem nemo mirari debet, si in explanatione B. Pauli, nec in aliis nostris libris testimonia petamus ex his Commentariis, quasi Ambrosii veri essent fœtus: cùm tamen iam tot rationibus, & testimoniis ad aliter sentiendum simus adducti.

Suas ille autor Pauli interpretationes quorúm ex sensibus hauserit.

His iam tam latè disputatis adijcimus, ne quis nos plagium fecisse calumniari valeat, & quasi corniculam aliarum auium indutam plumis, pro nostris aliena venditasse existimet: intelligat nos ex amplissimo, & doctissimo Patrum veterum penu, & recentiorum, quæ hic tradimus, accepisse, & libenter cuicunque bono autori, nominatim etiam, sua tribuisse, & accepta tulisse, nó ignorátes, rectè à quodam dictum esse: Ingenui pudoris est profiteri per quos profeceris: & melius esse, mutuum reddere, quã in furto deprehendi velle. Et vt dixit Basilius ad Gregorium: Quod ab alio iurè didiceris, nequaquam clam habendum, vt faciunt improbæ mulieres, quæ ex alijs quæsitos liberos viris suis alendos subijciunt, ementientes parentes. Æquitati quoque, ac rationi consonum putanimus, vt si, cùm sensus aliorum minus solidos nominato an tore reprobamus; ita etiam cum germanos, & aptos sensus ex aliis producimus, eos nó sine nominis sui commédatione relinquamus, ne magis ad maledicentiam, quàm ad laudationem comparati esse videamur.

Plinius in procemio.

Basil. epist. 1. ad Greg. to. 2.

Idem autor in producendis aliorum autorum in Paulú sententijs, quid obseruauerit.



LIBRI PRIMI COMMENTARIORVM IN EPISTOL. BEATI PAVLI.

Secunda Pars.

PRAEFATIO.



VM in Apostolica doctrina verba nonnulla obscuritatem habeant, & homonymiam, quæ morari solent Lectoris intelligentiam, non inutile fore existimaui, si ex his quæ talia sunt, nonnulla illustrauero, quò Apostoli disputationes faciliùs percipere valeamus. Rectè enim à Philosophis instructi sumus, vt antequàm disputationem ineamus, de ambiguitate vocum, & pluribus earum significationibus differamus, ne, dum aliter & aliter voces accipimus, in æquiuoco, vt dici solet, laboremus. Quod cùm hactenus de quibusdam vocabulis, ac nominibus præstiterimus, idem etiam de verbis nonnullis difficilioribus præstare conabimur. Simili propemodùm ratione B. Dionysius Pauli discipulus librum de diuinis nominibus inscripsit, quò vocum diuinarum proprietates, & significatus exprimeret. Quam nostram diligentiam, vt boni consulas, prudens Lector, maiorem in modum rogamus, Vale.

Caussa differendi de Paulinis verbis exponitur.

Dionysij liber, de diuinis nominibus cur sic inscriptus.

DISPVTATIO I.

De verbo præsciendi, siue præcognoscendi, siue de præscientia, & præcognitione.

Præscire, siue præcognoscere, quid.



RÆSCIRE, siue præcognoscere, nihil aliud est, quam antè scire, vel ante cognoscere, siue præuidere: estque actus intellectus, & Græcè vtrique verbo vnum solum respondet, nempè Προγινώσκειν, & præscientia, siue præcognitio dicitur Πρόγνωσις.

Præscientia, siue præcognitio Dei duplex, idealis, & visionis.

Est autem duplex in Deo præscientia: altera idealis, quam vocant, qua res cognoscit, & præcognoscit vt credibiles, & est caussa ipsarum; altera verò vocatur scientia visionis, qua res iam creatas, & in esse positas præcognoscit, ac præuidet, vt sunt in seipsis. Ac de vtraque hac sapientia loquitur Sapiens Eccli. 23. dicens: *Domino Deo antequàm crearentur, omnia sunt agnita* (scilicet idea) *sic & post perfectum respicit omnia.* Cùm autem illud, *Ante*, non possit tempus designare, nec sit temporis differentia, quia ante creationem non erat tempus, quod simul creatum est cum opere primę diei, quando condita luce dictum est à Moyse: *Factum est vespere & mane dies vnus:* idcircò illud: *Ante*, respectum habet ad ęternitatem, quę fuit antequàm vlla creatura esset, & ante vllum tempus. Vt sit illius sententiæ intellectus: Deus in sua æternitate, quæ præcessit omnem creaturam, non tempore, sed gradu, omnia præcognouit. Vt enim tempus ab æuo præceditur, ita æuum ab æternitate, in qua quia omnem durationem æui, vel temporis præcessit, cuncta antequàm crearentur, cognouit. Etsi enim in Deo omnia sint æterna, ordinem tamen inter se habent, vt natura, vel ordine præcedere videantur quædam, subsequi alia. Nam prior dicitur prima persona, quàm secunda, quia hæc ab illa procedit, & origine prior: sicut secunda prior est tertia: quia priùs Pater generat Filium, quàm Spiritum producat, quem simul cum Filio spirat. Prior item intellectus voluntate, & immutabilitas æternitate prior est, quia concipitur, vt ab illa progrediens. Ita scientia visionis perinde æterna est, atque idealis, etsi prior cócipiatur idealis, quàm illa visionis. Ad hanc ergo scientiam idealem spectat, quod Augustinus ex Septuaginta interpretibus apud Esaiam legit: *Qui fecit quæ futura sunt*, id est, in præscientia & idea: & ex illa scientia ideali confirmat Sapiens scientiam posteriorem: Ponit enim peccatorem adulterum dicentem, ac

Eccli. 23.

Illud: Domino Deo antequàm crearentur, omnia sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia, ad hãc duplicem cognitionem nô esse necessariò referendum.

Gen. 1.

Aeternitas æui, æuum caussa temporis existit.

B. Augustin.

tem, ac sibi applaudentem: Quis me videt? Tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quē vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intellexit, quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei huiusmodi hominis timor, & cætera.

Eccles. 23.

Quid scientia simplicis intelligentiæ.

Præter duplex genus scientiæ, siue præscientiæ, habet præterea Deus scientiam simplicis intelligentiæ, quam appellant, quæ nihil aliud est, quam scientia eorum, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec futura sunt, sed eorum tantùm, quæ effici poterant, siue quę possibilia erant vt essent, nec tamen fecit. Hæc autem scientia simplicis intelligētiæ ad primam illam idealem reducitur, qua non tantùm vidit creabilia cuncta quę condidit, sed etiam possibilia omnia quæ cōdere potuisset, si voluisset, nō autem cōdidit. Quando ergo beatus Thomas docet futurum cōtingens, vt contingens est, nulli subiacere cognitioni, aut Angeli, aut etiam Dei ipsius; intelligendus est loqui de scientia illa visionis, qua ab æterno res omnes vt in seipsis sunt, præuidit: nam tali cognitione Deus non attingit futurum contingens, nec in causis, quas non habet, quia contingens est nec in seipsis, quia nullo tēpore sunt sibi futura, sed sibi præsentia. Quod si aliquando Scripturæ dicant, eum pręnosse, quę nec certas causas habent, nec in seipsis sunt futura, vbi ibi: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*: & cùm dixit Dauid: *Si tradent me viri Ceila, & viros qui sunt mecum, in manus Saul? & dixit ei Dominus, Tradent*: ac rursus Matth. 9. *Si in Tyro, & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent*: Et cùm ad Apostolos dixit; *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Videtur ergo Deus futurum contingens sub ratione futuri vidisse in libero arbitrio.

Quam neget Deum, nedum Angelum, habere sciētiam futurorum euenturum, S. Doctor.

B. Thom. de verit. q. 2. art. 12. in conclus. tomo 8.

Sap. 4.
Genes. 5.
Futurus euentus quos Deus nouerit secundum Scripturas.

1. Reg. 23.
Matth. 11.
Infra 26.

Dicēdum est, hæc & quæ sunt huiusmodi, in illa scientia visionis non vidisse, quia visibile non est in seipso, quod nec in se, nec in causa est, nec fuit, nec futurum est, sed alia scientia, nimirum ideali, non qua res vidit, vt conderet, sed vt possibilis à se condi, in quibus habebant certas causas, vt aliquo tempore existerent. Nec enim tātùm Deus vidit ea, quæ nunc sunt omnia, sed etiam omnia, quæ aliter euenire potuissent, & quæ ex illis consequerentur. Nouit enim, quid peccante Adam facturus esset, vt fecit: vidit etiam, quid nō illo peccante futurum erat: vidit quid non agentibus pœnitētiam Tyrijs, & Sidonijs, & Sodomitis euenit: quid etiam illis conuersis ad pœnitentiam euenturum erat: quid idem euenit Henoch rapto: quid item euenisset, si raptus non fuisset: vidit denique quid esset euenturum, si Christus non rogaret Patrē pro duodecim legionibus Angelorū, & quid rursus euenturum fuisset, si rogasset, & obtinuisset dictum Angelorum numerum. Sed primum horum omnium vidit sciētia visionis, quia reuera aut fuit, aut futurum est, & æternæ visionis oculus ad omnia illa se, extendit, nō vt sibi præterita, vel futura, quia omnia vnico intuitu vt præsentia cernit. Sed tamē quædam vidit vt nobis iam præterita, quædam vt nobis præsentia, quædam verò vt nobis futura.

Eiusmodi cognitio qualis illa.

Genes. 3.

Genes. 19.

Quæ verò asserit se videre vt futura, quę tamē reipsa nunquam extiterunt in rerum natura, vt in prædictis exemplis manifestūm est relictum, non videt scientia visionis, sed tantum scientia simplicis intelligētiæ, quæ pars est visionis idealis.

Scientia simplicis intelligentiæ dicta ad idealem reducitur.

Hæc latiùs persecutus sum, quia video quosdam implicari, nec facilè modum assequi, quomodo Deus viderit futura contingentia, quæ nūquam futura sunt: & proptereà putant doctrinā B. Thomæ falsam, quòd dixerit, futura contingentia, vt futura sunt, à nulla cognitione vel hominis, vel angeli, vel Dei ipsius attingi: quia est sermo de scientia visionis, non de scientia ideali.

Qui hæc Dei scientia fuerit distinguenda.

Iam peculiariter de hac scientia visionis nonnulla in disputationem veniunt; quæ Scholastici Doctores disceptant. Illud tantum asserimus, Deum præscium esse omnium futurorum, quascunq; illa causa habeant, siue necessarias, siue contingentes, siue liberas, nec potest quicquam Deus ignorare, propter suum certissimum & æternum oculum, quem nihil vel occultissimum, & abditissimum fugere potest: & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius; omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius; & de Abraham Genes. 18. Dominus dixit: *Scio quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam*: & cap. 15. dixerat: *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua; & subijciet eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Nec opus est in re clara pluribus testimonijs. Constat, Iacob Spiritu diuino præditum longè pòst euentura filij suis prædixisse, & Mosen in Cantico de populo Iudæorum multa prænuntiasse, atque adeò omnes Prophetas de Christo, & eius mysterijs vaticinatos fuisse (sicut etiam Sibyllæ fecerunt) & semper

Diuinæ præscientię rerum omnium ratione & Scripturis euincitur.

Hebr. 4.

Genes. 18.

Sap. 15.

Quibus etiam diuinitùs concessa eadem cognitio futurorum.
Infra 49. & sequent.

Ijdem quales habiti.

pro dijs, aut pro diuinis hominibus habitos, quicunque futura, maximè contingentia prophetarunt. Vnde Eſaias: *Annunciate*, inquit, *quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dij eſtis vos.* Vnde vt Plato docet in Memnone, non ſine cauſa dicuntur diuini, & diuinare fatidici, & Poëta noſter dixit:

Eſa. 41.

Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futura.

Virgil. 10. Aenei. aliquantò poſt medium

Hanc Dei præſcientiam temerè ſuſtulit Marcus Tullius teſte Auguſtino, libro quinto de Ciuitate Dei, capite nono, putans illam cum libero arbitrio pugnare: quod tamen falſum eſt, vt ibi Auguſtinus probat. Verba Ciceronis ſunt hæc libro ſecundo de Diuinatione, vbi diſputans cum Quinto Fratre, ait: *Nibil eſt tam contrarium rationi, & conſtantiæ, quàm fortuna; vt mihi ne in Deum quidem cadere videatur, vt ſciat quid caſu, & fortuitò futurum ſit: ſi enim ſcit, certè illud eueniet: ſin certè eueniet, nulla fortuna eſt. Eſt autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla eſt præſenſio.* Hæc ille.

B. Auguſtin. tom. 5.

M. Tull. non procul à libri princ.

Qua ratione Cicero Deum probet ignorare futura.

Sed non capiebat Cicero, Deum ſuauiter agere cum creaturis, vt eas proprios motus agere ſinat, & eius viſionem liberum arbitrium non cogere: ſed, vt quædam voluit neceſſariò euenire, quædam liberè, quædam contingenter; ita videt neceſſaria neceſſariò euenire, contingentia contingenter, libera liberè.

Confutatur.

Præterea non longè diſtant ab errore Ciceronis, qui per Dei præſcientiam putant induci fatalem quandam neceſſitatem atque omnem libertatem; & contingentiam tolli. Sed illud facile eſt paucis refellere. Primò, quia ſi præſcientia imponeret neceſſitatem rebus præuiſis, cum Deus prænouerit omnia opera ſua, cogeretur ad ita operandum, nec minus, quàm ſibi ipſi præriperet libertatem.

Prima ratio in eos, qui diuinam præſcientiam aiunt arbitrij libertatem adimere.

Deinde, quia non minùs nouit actiones noſtras futuras bonas, quam malas: eſſet igitur non minus cauſſa peccatorum, quàm eſt bonorum operum: quod falſum eſt.

Secunda.

Tertiò, voluntas humana per hoc dicitur libera, quia poteſt hoc efficere, & poteſt non efficere: poteſt etiam & contrarium eius operari. Si igitur per præſcientiam Dei neceſſitas imponeretur, priuaretur non minus libertate contradictionis, quàm libertate contrarietatis humana voluntas, cùm tamen contrarium huius rei nos ipſi in nobis ipſis quotidie experiamur.

Tertia.

Quartò, falleretur præſcientia, quia illius eſt, per hanc præſcientiam videre res vt ſunt in ſeipſis, & vt ſunt neceſſariæ, vel contingentes, vel liberæ. Præuidet igitur euenire contingenter contingentia, & liberè libera: ergo ſi aliter euenirent, infallibilis prouidentia, neceſſariò falleretur.

Quarta.

Quintò, quia Deus præuidet etiam poſſibilia multa, quæ non fecit, quæ non facit, quæ non faciet; quæ tamen ſi prouideret, neceſſariò euenirent. Vt illud: *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum? & : Tradent me viri Ceilæ?* & de Tyrijs, & Sidonijs, quòd pœnitentiam egiſſent, vel maneret vſque in hanc diem. Ezechias etiam, cui dixit: Morieris, & non viues, non vixiſſet amplius, & Niniue ciuitas intra quadraginta dies fuiſſet ſubuerſa.

Quinta.

Matth. 26.

1. Reg. 23.

Matth. 11.

Luc. 10.

Eſai. 38.

Iona 3.

Sextò, prouidentia, & voluntas Dei, ſiue etiam ipſa prædeſtinatio nullam neceſſitatem imponit prædeſtinatis, ſed liberos eos relinquit; ergo multò minùs præſcientia, quæ eſt actus intellectus. Nam, vt mea viſio de Sociate docente in Cathedra, & Platone ſtante, & audiente, & Ariſtotele ambulante, aut Socrati docendi, aut Platoni ſtandi, aut Ariſtoteli deambulandi non imponit neceſſitatem: ita nec Deus vllis rebus etiam contingentibus, aut liberis neceſſitatem imponit, quia omnes illas, vt præſentes ſuo oculo videt, & perinde vt ſemota præſcientia Dei nullus turbaretur, ſed res omnes in ſua natura permanerent, id eſt, neceſſariæ in neceſſitate, contingentes in contingentia, liberæ in libertate: ita illa poſita, vbi neceſſariò ponenda eſt, nulla ſequitur fatalis neceſſitas: quia prouidentiæ non eſt rerum violare naturam, vt magnus dixit Dionyſius.

VI. Ratio.

Eadem veritas, quo fiat exemplo perſpicua.

Quid propriũ diuinæ prouidentiæ, teſte Dionyſio.

D. Diony lib. de diui nomi. cap 4 par. 4. circa finem.

His adiungendi eſſent Patres veteres, qui omnes magno conſenſu hoc ipſum tradunt, quos inter Auguſtinus libro tertio, de libero arbitr. capite quarto, circa finem: *Sicut tu quædam quæ feciſti, meminiſti, nec tamen, quæ meminiſti, omnia feciſti: ita Deus omnia, quorum ipſe autor eſt, præſcit, nec tamen omnium, quæ præſcit, ipſe autor eſt. Quorum autem non eſt malus autor, iuſtus eſt vltor,* Damaſcenus libro ſecundo de Fide orthodoxa capite trigeſimo, in principio: *Operæ pretium eſt agnoſcere, omnia præſcire Deum, non autem omnia prædiffinire, atque prædeſtinare. Præſcit enim & ea, quæ in nobis, non prædiffinit autem hæc. Nam non vult prauitatem fieri, neque cogit, neque vim adfert virtuti: quare præſcientia*

Septima ratio ab autoritate.

Augu. tom. 1.

Eius exemplũ

Diuinæ præſcientia.

B. Damaſc.

inspionu diuina opus,est prædiffinitio.Hæc illi Patres.

Prophetarum, siue Scripturarum vaticinia necessitatem rebus prædictis nullam adferre.

Eadem antem prorsus, quæ de diuina præscientia tradidimus, intelligenda sunt, de Prophetica varicinarione, siue de Scriptura sacra, qnæ talia vaticinia continet: nam vt illa nullam vim imponit rebus præscitis, ita nec Propbetæ, nec Scripturæ in his quæ de bonis & malis prædicunt, vllam aliam adferunt necessitatem, præter illam quam Logici vocant Præsuppositionis, vel secundum quid. Visio enim mea Petri sedentis, non cogit eum sedere; etsi necessarium sit, quandiu video Petrum sedentem, illum sedere. Vidit ergo Deus futurum contingens nonnisi vt præsens, & vt in seipso est, pro tempore, in quo erit: & prædicit illud, quod sibi præsens est, aliquando nobis futurum, atque ita verbum, Erit, Logicum, & physicum, perinde habet, ac si quis rectè dicat, Erit, è conuerso verò theologicum, Tite.

Quam tantũ adferant: Rei diuino oculo præsentis, nostro verò futuræ symbolum.

Præsciendi, siue præcognoscendi alter significatus Scholasticis contra quam Scripturis receptus, & vsurpatus.

Deinde verbnm hoc Præsciendi, siue Præcognoscendi, aliam, & longè diuersam in Scripturis babet significationem, quàm in scholis habere soleat. Vocat enim Præscitos, eos qui prędestinati non sunt, & perinde est illis dicere Præscitos, atque Reprobatos: quę tamen cum vsu, & consuetudine Scripturarum non conueninnt; quæ frequenter verba Præsciendi, & Præcognoscendi, siue etiam simpliciter sciendi, & cognoscendi, accipiunt pro eo, quod est probare, siue amare, siue etiam prædiligere, & ita potiùs est actus voluntatis, quàm intellectus. Et hunc sensum attingunt Origenes, Hieronymus, & Augustinus, & plerique alij; qui vim huius verbi ad sedandas controuersias, quæ ex Pauli verbis oriuntur, diligenter perscrutati sunt. Legimus enim ad Roman. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit*: & 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit*. Priorem locum præclarè Origenes interpretatur, intelligendo: Quos prædilexit, illos & prædestinauit. Vera enim causa prędestinationis prędilectio est, non vt est prænotio futurorum. Posteriorem locum Augustinus libr. de Bono perseuerantiæ, capit. 18. post Origenem super illa verba simili ratione absoluit. Aliquando Prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus: *Non ergo repulit Deus plebem suam quam præsciuit*. Habemus præterea 1. Petr. 1. *Electis secundùm præscientiam Dei Patris*, id est, secundum prædilectionem. Et infra in eodem Capite vocat Christum præcognitum antè mundi constitutionem, id est, prædilectum.

Hieron. to 9.

Rom. 8.
Infra 11.

Origen. in c. 8 ad Roma. sub fin. tom. 2.
D Aug. tom. 7. circa finem.

1. Petr. 1.

Quando, & vbi Præscire & Præcognoscere idē sit quod prædiligere.

Hic autem significatus plurimas dissoluit difficultates, atque eas magni momenti: & propterea confirmatur ex eo, quòd hoc verbum Cognoscendi, siue præcognoscendi adiunctum personis, & non rebus futuris, semper fauorem peculiarem Dei, vel hominis probationem & præ alijs dilectionem significat. Quod his exemplis comprobatur: *Noui te ex nomine*, inquit Deus ad Moysen: quod est dicere, Te diligo, & charus mihi haberis: & ad Ieremiam: *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te*, id est, Te dilexi, & ex dilectione sanctificaui te, & Propbetam constitui. Ita accipe illud Apostoli: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus, qui sunt eius*: & Ioannis 1. cùm ait: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit*: perinde est ac si dixisset, Factis, obedientia, atque dilectione non nouit: quod repetens, explicauit, dicens: *In propria venit, & sui eum non receperunt*: idem enim est non recipere, & non cognoscere. Et Amos cap. 3. Tantummodo vos cognoui ex omnibus nationibus terræ: id est, præ alijs dilexi: alioqui Deus omnes alias nationes nouit, & earum gerit prouidentiam; imò etiam omnes reprobos ad minimum vsque nouit, cum in omni loco oculi Domini contemplentur bonos, & malos: & Dilectus capite tertio, initio: *Propter hoc mundus non nouit vos, quia non nouit eum*: id est: Quemadmodum Deum non diligunt, ita nec vos. Et capite quarto. *Qui nouit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos.*

Exod. 33.
Ierem. 1.
2. Timoth. 2.
Ioan. 1.
Amos 3.
Prouerb. 13.
1 Ioan. 4.

In hunc modum accipiendum venit illud: *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis*; id est, Ex amore erga Patrem meum, aggredior ad ponendam animam meam pro ouibus meis, vt ille vult. Item ad Galatas 4. *Nunc autem cum cognoueritis Deum, imo & cogniti sitis à Deo*, id est, dilecti: nec enim tunc incœpit eos cognoscere, qni ab æterno omnia nouit. Idem confirmo autoritate Didymi in verba illa primæ epistolæ Ioannis Catbolicæ: *Qui dicit, se nosse Deum, & mandata eius non custodit; mendax est. Sciendi*, inquit, *siue cognoscendi sermo, in Scriptura diuina præcipuè, non semper notitiam manifestat; nisi experimentum alicuius habere rei: quod ex multis locis comprobat: vt, Nunquàm vos agnoui operarij iniquitatis.* Et illud: *Tunc autem cognoscentes Deum, magis autem cogniti à Deo.* Et illud: *Nouit Dominus qui eius sunt.* Ac subdit: *Vtraque enim hæc significan-*

Ioan 10.
Ibidem.
Gal. 4.
B. Didym Alexand tom 6 Bibliotheca sanctorum Patrum.
1. Ioan. 2.
Luc 13.
Gal. 4.
2. Tim. 2.

nificentia ex præſentibus indicatur. Ait enim, *In hoc ſcimus, hoc eſt,notitiam habemus.* Et ſequitur : *Quoniam cognouimus eum* : id eſt, vniti & adhærentes ei, & eius mandata ſeruantes. Nam qui non ſeruat ea, palàm eſt, quod à ſcientia Dei videtur extraneus. Sic enim Sacerdotes filij Heli neſcierunt Dominum, nequaquam mandata eius ſeruantes, licèt haberent ſimplicem eius comprehenſionem, cùm Sacerdotes eſſent.

1.Reg.2.

Secundò idem confirmo ex oppoſito verbo Sciendi. Dicuntur enim Neſciri, aut Neſciti, quos Deus dilectionis amore non proſequitur. Vnde de operarijs iniquitatis ait Dominus ; *Neſcio vos vnde ſitis, diſcedite à me.* Et ad virgines ſtultas dicentes, *Domine, Domine aperi nobis* : reſpondebit : *Neſcio vos.* Et Eſaias inquit: *Tu enim pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos.* Quaſi dicat, Abraham, & Iacob videntur curam noſtri neglexiſſe ; neque amplius nos diligere. Exodi.1. etiam habetur: *Surrexit in terra Rex nouus ſuper Aegyptum qui ignorabat Ioſeph* : id eſt, familiam eius non diligebat, & continuò ſubdit, quomodo hic Rex nouus perſecutus eſt Hebræos. Accedit quod Cant.1. habetur. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, &c.* id eſt, ſi te odio ſancto habeas, & ad modum ignorantis teipſam geras, non dedignaberis teipſam humiliare, & veſtigia virtutum, quas inferiores ſectantur, imitari. Nec ignorauit hanc doctrinam Beatus Auguſtinus, Pſalm. 100. explicans illud: *Declinantem à me malignum non cognoſcebam* : *Quid eſt,* inquit, *Non cognoſcebam? non approbabam, non laudabam, non mihi placebat. Cognoſcere enim inuenimus in Scripturis aliquando dici pro eo, quod eſt placere nobis. Quid enim latet Deum, fratres? nunquid nouit iuſtos, & non nouit iniuſtos? Quid cogitas, quod ille neſciat? Non dico. Quid facis, ſed, Quid cogitas, quod ille neſciat? Non dico, Quid cogitas, ſed, Quid cogitaturus es, quod ille ante non viderit? Omnia ergo nouit Deus : & tamen in fine, id eſt, in iudicio poſt miſericordiam de quibuſdam dicit: In illa die multi venturi ſunt, & dicent : Domine, Domine, in nomine tuo dæmonia eiecimus, in nomine tuo manducauimus, & bibimus : & dicam illis, Diſcedite à me operarij iniquitatis, non noui vos.* Hæc ille. Vulgaris etiam phraſis eſt, ad eum quem non diligimus, etiamſi maximè ille notus nobis exiſtat, dicere : Te non agnoſco. Et ad hoc alludens Dilectus, ait : *Propter hoc mundus non nouit vos ; quia non nouit eum.* Et infrà : *Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum.* Et ita reprobi, & non dilecti à Deo, magis dicuntur, in Scripturis ignorari, vel neſciri, quàm præſciri : quare abuſus eſt verbi, quando tales præſciri dicuntur : quemadmodum Auguſtinus tradit quoſdam in ignem æternum prædeſtinatos ire cum diabolo; cùm tamẽ prædeſtinatio non ſit niſi bonorum.

Neſcire, pro Non diligere, ac reprobare, vſu Scripturæ.
Luc.13.
Matth.25.
Eſai 63
Ab hoc ſenſu familiaris ſermo non abhorret.
Aug.tom.8.
Matth 7.
1.Ioan.3.
Ibid.
Aug lib. 2. de Ciuitate Dei, c.24 tom.5.

Et confirmantur hæc omnia : quia ſolet interdum Scriptura verbum apprehenſiuæ facultatis ponere pro actu potentiæ appetentis. Nam ecce verbum Reſpiciendi propriè eſt, Retro ſe aſpicere. Vnde Angel. dixit ad Lot : *Noli reſpicere poſt tergum.* Et poſteà dicitur: *Reſpiciensq; vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.*

Quid Latinis Reſpicere.
Geneſ 19.
Ibid.

Propriè eſt etiam, Reſpicere, iterum atque iterum aſpicere. Quoniam verò ita natura comparatum eſt, vt quæ nobis placent, frequenti earum aſpectu delectemur ; hinc per metaphoram Reſpicere, eſt, fauere, opem ferre, propitiari, ac diligere. Vnde Terentius in Andria:

Eiſdem Reſpicere quid propriè, quid etiam impropriè & metaphoricè.
Teren. act.4.

Carine & me, & te imprudens (niſi quid dij reſpiciunt) perdidi:

id eſt, Me perdidi, niſi dij faueant.

Et Poëta:

Si qua pios reſpectant numina:

Virgil.1. Aeneid.

Id eſt, pijs opitulantur. Ad eum modum in Scripturis, frequens eſt hæc ſignificatio. Nam legimus : *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius,* id eſt, Complacuit ſibi in Abele, & grata habuit eius ſacrificia. Ita enim interpretatur Eccleſia in Canone Miſſæ, cùm ait : Supra quæ propitio, & ſereno vultu reſpicere digneris, ſicut accepta habere dignatus es munera pueri tui Abel. Eſt ergo reſpicere ſacrificium, acceptum & gratum habere illud. Ita accipimus illud : Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris : quia videlicet non fauet peccato, nec illud approbat, ſed ſummè odit, & deteſtatur. Item : *Reſpice in me, & miſerere mei.* Ruſus : *Reſpice de cælo, vide, & viſita vineam iſtam* : quod eſt, Oculis miſericordiæ vineam Synagogæ intuere : quam viſita, & perfice donis gratiæ tuæ. Iterum : *Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum* : & ruſus : *Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua ; & dirige filios eorum, &c.*

Reſpicere vbi Scripturarum ſit idem quod diligere, & approbare.
Geneſ 4.
Habac.1.
Cur Deus reſpicere ad iniquitatem non poſſit.
Pſal.85.
Pſalm.79.
Pſalm.101.
Pſal. 89.

In Nouo quoque teſtamento eadem locutionis forma ſeruatur. Nam de ſe humillima Virgo dixit : *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*: id eſt, Probatam, & gratam habuit ille qui humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit : id eſt, ſuperba hominum corda non diligit, vt alibi ait : *Longè à peccatoribus ſalus.* Ita etiam dicitur: *Conuerſus Dominus, reſpexit Petrum*, vt oculis miſericordiæ eum

Loci Euangelici in eodem ſignificatu Reſpicendi verbum vſurpantes.
Luc 1.
Pſal.137.
Pſal.118.

erige-

Psalm.33.

Quibus etiam Scripturę locis Respectus significet approbationem.

Sap 3.
Ibid.
Infra 4.

erigeret, & ad pœnitentiam prouocaret: quia oculi Domini super iustos.¶ Similiter ἐπίβλεψις, id est respectus, pro actu fauoris & amoris ponitur. Vnde Sapient.3.dicitur de muliere sterili,& incoinquinata: *Habebit fructum in respectione animarum sanctarum* : & iterum: *Tanquam aurum in fornace probauit illos,&c. & in tempore erit respectus illorum* : id est, Beneficentia Dei amplè remunerans. Et c.4. *Quoniam gratia Dei,& misericordia in sanctos eius,& respectus in electos illius.* Et vt ijdem sunt sancti,& electi; ita idem est respectus, siue gratia,& misericordia.

Quatuor Corollaria.

Ex quibus disputatis collige primùm, quòd præscientia vt prænotio est futurorũ meritorum,non est causa prędestinationis, vt Pelagiani volebant;at vt est prædilectio, est vera causa prædestinationis, non minùs quàm prædestinatio vocationis,& vocatio iustificationis, & iustificatio magnificationis.

Antiquorum quorundam, præscientiam, id est, prædestinationem electorũ, esse contemplationem futurorum asserentium, dictum expendit Didymus.

Secundum collige, quòd præscientia idealis prior est scientia visionis, etiamsi sit actus volũtatis. Tertium,illos qui ab Scholasticis dicuntur Præsciti, in Scripturis vocari Nescitos,& ignoratos à Deo. Quartum collige veteres quosdam ex Patribus accepisse, pręscientiam, qua aliqui prędestinantur ad vitam,non esse aliud, quàm contemplationem futurorum : quæ non est iam præscientia,sed scientia, dum ea, quæ prius contemplata sunt, veniunt ad effectum : vt annotat Didymus Alexan. in illa verba Petri: Electis secundùm præscientiam : sed ille secutus est communem verbi Pręsciendi notitiam, nec agnouit esse actum voluntatis. Et de his hactenus.

B. Didymus tom 6 Bibliotheca sanctorum Patrum.

DISPVTATIO II.

De verbis Prædestinandi, & Eligendi, siue de Prædestinatione, & Electione.

Lib 3.in Paulum.

Prędestinatio, & prædestinare quid nomine: de qua prędestinatione Scripturæ loquantur.

DE verbo Prædestinandi multa dicenda sunt suis locis : hic in genere tantùm asserimus, Prædestinationem Græcè dici προόρισμα, & prædestinare, προορίζειν, quod est prædefinire, siue prædisponere, siue prædeterminare aliquid in rem aliquã, siue in finem quempiam. Et cùm ad multa aliqua destinari possint, vt ad Prophetiam, vel ad Apostolatum, siue ad Principatus, siue ad militiam, siue ad artes mechanicas: hic tamen de sola prædestinatione est sermo ad vltimum finem æternæ gloriæ.

Destinatio, & Prædestinatio quid te.

Est igitur destinatio, deliberatio ordinans aliquam rem supra quàm potest, ad aliquod opus: Prædestinatio verò, est propositum Dei, & beneplacitum erga quosdam, quos determinauit erigere in salutem æternam certò, & per certa adminicula assequendam. Et cùm Christus Dominus definitus sit, siue prædestinatus Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum; ita homines prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui; & Ephes.1. habetur : *Qui prædestinauit nos in adoptionẽ filiorum.* in qua adoptione, & conformitate ad imaginem Filij sui, quantum fas est homini, consistit beatitudo nostra. Et quia beatitudo æternæ vitæ nonnisi vt pręmium,& vt corona proponitur, quæ nonnisi legitimè certantibus debetur; idcircò omnes qui prædestinantur ad coronam, prædestinantur etiam ad certamen; quemadmodum qui destinantur ad brauium, destinantur etiam ad cursum. Ideò in prædestinatione, quæ respicit ad vitam æternam, cuncta media adminicula comprehenduntur, sine quibus ad illam perueniri nequit, iuxta illud : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum; vt edatis,& bibatis super mensam meam in regno meo*; & iterum : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici,& sedi cum Patre meo in throno eius.*

Rom.1.
Infra 8.
Ephes 1.

Prędestinatio-nis finis & instrumenta.

1. Tim.2.
1. Cor.9.
Luc.22.
Apoc 3.

De huius prædestinationis fine ait ad Philippen.3.& 1.Corinth.4. *Puto quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tanquam morti destinatos : quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis,& hominib.* quod videtur esse persimile atq; illud quod Poëta quidam Ethnicus dixit :

Philip.3.
1.Cor. 4.

Et me destinat aræ.

Vergil 2. Aeneid. non procul à principio.

Vides igitur non tantum finem destinatum electus, sed etiam illa, quę ad illum cõducunt.

Quod verò Prædestinare nihil aliud sit, vt diximus, quàm destinare, siue deliberate, his testimonijs comprobatur. Nam Apostolus loquens de eleemosyna largienda subiunxit ; *Vnusquisque prout destinauit in corde suo*: & secundus liber Machabæorum, capit.6. *Destinauit*, inquit, *Eleazarus non admittere illicita propter vitæ amorem.* Et vt aliquid ab externis proferam, Suetonius de C.Cæsare scribit : *De tuendo ampliandoq; imperio plura ac maiora indies destinabat.* Sed hoc apertè ipse Paulus ad Ephes.1. significauit, dicens : *Prædestinati secundum propositum eius qui operatur omnia, secundum consilium voluntatis suæ.*

Vnde constet, ita destinare nõ esse quod destinare, siue decernere.

2.Corinth. 8.
2.Mach 6.

Sue c 84. in Ephes 1.

Præ particula in (Prædestino) impropriè ordinem temporis significare: vt quidam interpretantur.

Quid verò propriè significet præpositio illa, Præ, in dubium venit; sed iuxta cõmunem sententiam, refertur ad temporis prioritatem : nam destinantur, qui sunt

actu

Prima ratio ab autoritat. 1. Cor. 2.

actu, prędestinátur verò, qui nondum sunt, sed futuri sunt. Sed hoc quibusdam solidū non videtur: quia 1. Corinth. 2. legimus: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram.* Si prædestinare, indicaret temporis antegressionem, superfluè Apostolos adderet, Ante secula, cum nihil in eo redundet. Præterea Petrus Apostolorum princeps vocat Christum pręcognitum ante mundi constitutionem. Similiter superflueret: *Ante mundi cōstitutionem*, quod illud, Præ, satis insinuaret voci cogniti præpositum. Adhæc si acutè rem inspiciamus, non dicitur, Præ, respectu temporis, eo quod Deus sit in æternitate, quæ tempore non mensuratur, nos autem sub tempore existamus: Hoc, inquam, dici non potest, quia similiter dicendum esset, Præcreatio, Præelectio, Præuocatio, & Præiustificatio, cùm omnes isti actus quatenus ad Deum spectāt, in æternitate fiant, etiamsi quatenus nos attingunt, vt vocatio, iustificatio, magnificatio, in tempore fiant. Quare in his verbis rectius referri posset particula Præ, ad vocationem, & cæteros effectus, qui consequūtur prædestinationem. Nam vocatio non præcedit prædestinationem, sed illam sequitur: sicut vocationem consequitur iustificatio, & illam glorificatio. Vnde Paul. de præterito dixit, Prædestinauit, vocauit, iustificauit, & magnificauit; vt intelligas non ratione temporis dici prædestinationē, sed ratione ordinis, quem illi actus inter se habent etiam in mēte diuina. In illa siquidem dilectio præcedit prædestinationem, sequitur prædestinatio quæ præcedit vocationē. Et ita de alijs.

Secunda. 2. Petr. 1. Tertia. Quod ordinē naturæ potius denotet illa præpositio, probatur. Rom. 8.

Sobest deinde & alius significatus huic verbo, vt à quibusdam vsurpatur: vt Præ, non dicat temporis, aut naturę ordinem illorum actuum inter se, sed dignitatis ordinem. Vt enim præscindicuntur, qui præ alijs diliguntur, ita Prædestinati, qui præ alijs maiori gratiæ virtute ad æternæ vitæ adeptionem destinantur: quemadmodum Præpositi, & Prælati dicuntur, qui alijs præponuntur, vel præfetuntur: & Antistites dicuntur quasi Antestantes, & Prętores, quasi Præitores, vt ait M. Varro, & Præsides, qui ante alios sedent. Ne quid tamen dissimulare videamur, Prædestinare apud Patres, & maximè apud Augustinum, in malum accipitur, non culpæ, cuius non est Deus autor, sed pœnæ. Vt enim Præsciti, Reprobi intelliguntur apud Scholasticos, ita quidā prędestinari dicuntur ad æternam mortem siue interitum. Ita enim loquitur Augustin. lib. 4. de Origine animæ ad Renatum, c. 11. sub finem, & lib. 2. Ciuit. Dei, c. 10. & rursus lib. 21. cap. 24. & in Enchiridio c. 100. & lib. 2. de Peccato merit. & remiss. cap. 17. & lib. de perfect. iustitiæ capit. 13. propè finem: & Fulgent. lib. de prædest. ad Monymum. Et ita verisimile est alios Patres accepisse. Grę ci etiam ex bonis operibus præuisis putabant alios prædestinari ad vitam, & ex malis operibus præuisis alios prædestinari ad mortem.

Præ etiam significat ordinē dignitatis. M. Varro.

Alterum huic proximum verbum est, Eligere, vnde Electi, & Electio: sicut à verbo Prædestinandi Prædestinati, & Prædestinatio. Est autem Eligere, vnum seligere à multis, vel segregare, quasi melius inter alia bona, aut eligere maius malum, vt eijciatur, & expellatur, iuxta illud; *Auferte malum ex vobis ipsis*; & Esaiæ 5 *Lapides elegit ex illa*, id est, E lapidauit vinea expellendo omnia impedimenta cultus vineę ad fructificādum. Sed hęc secunda significatio in malum rara est, & semper eliguntur meliora. Secunda electio tam Dei est, quam hominis. Elegit enim Maria optimam partem, quæ non auferetur ab ea; & Moyses magis elegit affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iocunditatem; & Dauid: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*: & *Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus*: rursus: *Fiat manus tua vt saluet me, quoniā mandata tua elegi*. Item Esaias: *Elegerunt, quæ ego volui*; id est, Quia nō tantum pręcepta, sed etiam consilia amplectuntur. Elegerunt præterea fideles Act. 1. duos, quos proposuerunt Apostoli, quorū vnum substituerunt in locum Iudæ Apostoli: & Act. 6. elegerunt septem promouēdos ad gradum Diaconatus: & Act. 15. *Tunc*, inquit, *placuit Apostolis, & Senioribus, cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba.*

Quid sit eligere. Alter significatus, sed insolens. 1. Cor. 5. Esai. 5. Nō solū Deū, sed homines eligere, nimirum meliora. Luc 10. Heb 11. Psal. 83. Psal 118. Ibidem. Esai. 56. Act. 1. Infra 6. Infra. 15.

Iam verò vt contrahamus sermonem ad Dei electionem, & prædestinationem, perpendendum est, varias ad diuersos gradus, & munera, & status fieri electiones, pro diuinæ sapientiæ consilio. Alij enim in Reges eliguntur, alij in magistratus, alij in Episcopos, vel Sacerdotes, alij in pastores & doctores, alij ad exercitia agricultura, alij ad artem militarem, & alij ad alias functiones necessarias. Sed super has omnes est diuina electio hominum, ad vitam æternam: & in omni statu, & gradu, & conditione aliquos elegit ad eam. Ita Ioann. cap. 15. ait Dominus: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum adferatis.* Et rursus: *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* quia tamen non erat simpliciter ad vitam æternam electus, nisi sub

Variæ hominum diuinæ electiones. Electio, id est, prædestinatio, omnium præstantissima. Ioan. 15. Supra 6.

Infra 13.

sub conditione, si instrumenta salutis amplecteretur, & in bono perseueraret. Vnde Ioan. 13. dixit: *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim.* Et quia omnes ex se pares sunt in natura corrupta, omnes ex se elegit Dominus ad gloriam, quam omnibus præparauit: sed quosdam ex his per certa, & necessaria media & adminicula, alios verò per communem præceptorum Dei obseruantiam, si ipsam amplecti voluerint: de quibus Petrus videtur locutus, cum dixit: *Fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis:* nam aliorum electorum certa est & firma electio, è Dei bonitate & charitate pendens: Et illos quidem electos solos vocari quidam volunt, de quibus testatur Apostolus: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorũ, &c.* Et iterum: *Quis accusabit aduersus electos Dei?* & Dominus de signis & portentis Pseudoprophetarum loquens Matt. 24. *Surgent enim*, inquit, *pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Et apud Ioannem de ouibus suis, id est, electis, verba faciens, ait: *Oues meæ vocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et subdit: *Nemo potest rapere de manu Patris mei.* Cum tamen de communibus ouibus dicat. *Lupus rapit, & dispergit oues.* ad Roman. etiam 11. habemus egregium testimonium: *Quid ergo? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est: cæteri verò excæcati sunt.* Et in hoc negotio, qui præ alijs eligitur ad vitam æternam, non excludit alios ab eadem vita æterna, sed ab insigni fauore, & gratia, ad quam illi dicti electi prouehuntur. Quod abũdè probatur ex parabola vineę, ad quam non tantum electi, sed etiam vocati accipiunt denarium vitę æternæ.

Hæc duplex est. Necessaria, atque libera siue absoluta, & conditionata.

1. Petr. 1.

Ephes. 1.

Rom 8.

Matth. 24.

Ioan. 10.

Ibidem.

Ibid.

Rom. 11.

Matth. 20.

Refellitur ista consequẽtia: Qui electi nõ sunt ad vitã æternam, reprobati sunt.

Non igitur valet iuxta hanc electorum acceptionem, Isti sunt electi ad vitam æternam, ergo cæteri omnes ab ea reprobati. Sed electi dicuntur, qui peculiari Dei fauore ad illam promouentur. Hoc idem alia ratione comprobatur. Nam Deuter. 4. legimus: *Dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos.* Et cap. 7. *Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram.* Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iũctus est Dominus, & elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores. Sed quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramentum, quod iurauit patribus vestris. Vbi vides populum dici selectum, & peculiarem præ alijs; non propterea tamen communi prouidentia alias gentes destituebat, aut eorum salutem per se, aut per Angelos promouere negligebat: sed quia illum lege, & Prophetis, & signis, atque portentis honorificauit, aduentusque sui in carnem præsentia illustrauit.

Deut. 4.

Infra 7.

Quatenus Deus elegerit populum Iudæorum.

Act. 14.

Deinde perpende, in eo testimonio electionis causam non extitisse, vlla eorum merita, aut quod essẽt plures aut fortiores; sed tantum dilectionem suam, quæ caussa fuit vera electionis eorum. Quod perinde est atque illud ad Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit*: hoc est: quos prædilexit, illos & elegit. Tertiò hoc idem confirmatur testimonio D. Augustini libr. 7. de Ciuitate Dei, ca. 1. qui producens testimonium Varronis ex 16. libro, & vlt. suæ Theologiæ, vbi sermo est de Dijs selectis atque præcipuis, quos eo volumine complectitur, & reprehendens quod Tertullian. inferebat, alios à duodecim illis dijs selectis, & præcipuis fuisse reprobatos, impugnat his verbis: *Quæ in re non dico, quod facetius ait Tertullianus fortasse quam verius: Si dij eliguntur vt bulbi, vtique cæteri reprobi iudicantur. Non hoc dico, video enim etiam ex electis seligi aliquos ad aliquid maius, atque præstantius: sicut in militia cum tirones electi fuerint, ex his quoque eliguntur ad opus aliquod maius armorum. Et cũ eliguntur in Ecclesia, qui fiant præpositi, non vtique cæteri reprobantur, cum omnes boni fideles electi meritò nuncupentur. Eliguntur in ædificio lapides angulares, non reprobatis cæteris, qui structuræ partibus alijs deputantur. Eliguntur vuæ ad vescendum, nec reprobamus alias quas relinquimus ad bibendũ.* Hactenus Augu. egregiè. Atque huic meditationi consonat, quod superius diximus de verbo prędestinandi: nã vt prædestinati dicuntur, qui præ alijs eliguntur in finem vitę æternæ, ita qui eligitur ad aliquid, alijs præponitur ad illud munus, etiamsi alij in inferiori gradu relinquantur. Ita Dauid à Deo electus fuit in Regem populi sui, cum ait: *Elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium: de post fœtantes accepit eum.* Moyses quoque, Electus vocatur, scilicet in ducem, & Imperatorem populi Israelitici, de quo dicitur in Psal. *Si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Ita Christus Dominus ab Sponsa vocatur Cãdidus, & rubicũdus, electus ex millibus: ab Esaia dicitur Sagitta electa, & Lucas ait: *Si hic est Christus, Dei electus*; & Sponsa ab Sponso vocatur electa vt Sol, & potest addi electus ex millibus vt Sponsus, & electa genitrici

Quæ ratio fuerit specialis in electione illius populi.

Rom. 8.

Eligere, non esse idẽ quod Reprobare, teste August.

Aug tom. 5.

Tertulliani dictum facetius fortasse quam verius.

Quænam eligantur, neq; tamẽ cætera reprobentur.

Quid sit Prædestinati, quid electi.

1 Reg. 16.

2. Reg. 7.

Psalm. 77.

Exod. 32.

Psal. 105.

Cant. 5.

Esa. 49.

Luc. 23.

Cant. 6.

Ibidem.

tricis suæ, & de Paulo testatus est Dñ. ad Ananiam: *Vas electionis est mihi iste*. Et sæpè legimus electos milites, & bellatores. Præterea illud circa hoc verbum annotandum. interdum electionem accipi pro omnibus fidelibus qui baptismo tincti sunt. Ait enim Paulus: *Scientes fratres dilecti à Deo, electionem vestram*: & iterum: *Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres, dilecti à Deo, quod elegerit nos Deus primitias in salutē, in sanctificatione Spiritus, & in fide veritatis*. Ad Coloss. item 3. *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitate, &c*. Necenim his tribus testimonijs vniuersos Thessalonicenses, aut Colossenses debemus accipere electos fuisse summa illa electione, quia id Paulus non nouerat; neque si maximè nouisset, debebat eis explicare, etsi reuera nonnulli essent inter eos summè & verè electi: sed intelligere debemus, vniuersos illos electos fuisse ad fidē & mūditiam baptismi, & Christi professionem. Et idem dicendum de Petro Apostolorum principe, qui scribit ad electos aduenas dispersionis Pōti, Galatiæ, &c. *Secūdum præscientiam Dei Patris*; & infra: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*. Sed vt olim synagoga cum vniuersis Iudęis dicebatur electa à Deo, iuxta illud: *Ego plantaui te vineam electam*: & Dauid: *Populus quem elegit Dominus in hæreditatem sibi*: ita etiam Ecclesia Dei, & qui in ea sunt, electi in genere dicuntur, sub cōditione scilicet, si media, & subsidia salutis amplectantur. Non sunt autem intelligenda illa testimonia de insigni illa, & suprema electione. De his hæc dixisse sufficiat.

Act. 9.

Vbi electio tanti significet baptismos.

1. Thess. 1.

2. Thess. 2.

Coloss. 3.

Prædictis in locis electos non posse accipi prædestinatos.

1 Petr. 1.

Infra 2.

Ierem. 2.

Psal. 32.

Baptizati quatenus electi.

DISPVTATIO III.

De modis diligendi, & odio habendi, quibus Deus nos diligere, aut odisse dicitur in Scripturis.

Statuendum in primis, Deum omnes homines diligere, ac velle, vt salui fiant, & vt ad agnitionem veritatis veniant. Cum autē omnis homo suaptè natura peccator sit, & vt ait Paulus, natura filius iræ, ac proinde Dei capitalis inimicus, difficile videtur cogitatione comprehendere, qua ratione hominem gehēnæ filiū diligat Deus. Verùm si meditemur immensam Dei bonitatem, ac charitatem, quæ nostram malitiam vincit, nosque in charitate perpetua dilexit: non quidem peccata, & vitia nostra, quæ ipse non fecit, & quæ odio se habere testatur, sed naturam nostram quam ipse condidit; ratio detegitur, qua tantus amator nos possit diligere: non quidem quia boni sumus, sed vt boni efficiamur, qui prius mali eramus. Nam vt prudens architectus impolitum, & rudem lapidem diligit, non vt impolitum, & rudem, sed vt politum, elegantem, atque aptum ædificio sua opera, & arte reddendum: & agricola sterilem ac spinosum agrum non diligit; & si quæ ratio amoris sit illius, amat eum, vt colat, & purgatum spinis & vepribus, optimis seminibus satum, fœcundum, & feracem reddat; ita sanè Deus nos peccatores, & immundos non diligit vt tales simus, sed vt mundatos & expolitos gratia sua, feraces bonorum operum reddat, atque adeò vt per consummatam gratiam beatos efficiat. Qua ratione vult nos quoque proximos, & peccatores diligere, non vt peccatores sunt, sed vt à peccato eos, si possumus, eruamus, & illis non secus bona velimus, & prospiciamus, quam nobis ipsis propter Deum volumus, & ita imitatores Dei reddamur. Hæc doctrina est magni Augustini, qui Tractatu octauo in epistolam Canonicam Ioannis scribit: *Faber optimus videt lignum non dolatum; de sylua præcisum adamauit, nescio quid inde vult facere: non enim ad hoc amauit, vt semper sic maneat. In arte vidit quod futurum est, non in amore quod est, & amauit, quod inde facturus est, non illud quod est: sic nos & Deus amauit peccatores. Nam dicimus, quia Deus amauit peccatores: ait enim: Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Nunquid ad hoc amauit peccatores, vt peccatores remanerent? Quasi lignum de sylua vidit nos faber, & cogitauit ædificium, quod inde facturus est, non syluam, quod erat: sic & tu respicis inimicum tuum aduersantem, sæuientem, mordentem verbis, exasperantem contumelijs, insectantem odijs: attendis ibi quia homo est, vides ista omnia quæ aduersa sunt, ab homine facta, & vides in illo, quod à Deo factus est. Quod autem homo factus est, à Deo factus est: quod autem te odit, ipse fecit: quod inuidet, ipse fecit: & quid dicis in animo tuo; Domine propitius illi esto, dimitte illi peccata, incute illi terrorem, muta illum: non ames in illo, quod est, sed quod vis vt sit*. Hæc ille diuinus Pater, pro more suo satis eleganter, & piè.

Secundo affirmandum est, quòd vt Deus nos diligit vt nobis benefaciat, interiores omnes, & exteriores defectus supplendo, & nobis exterius etiam benefaciendo: Ita enim scriptum est: *In charitate perpetua dilexi te*: & explicans quomodo dilexerit, subiungit: *Ideo attraxi te miserans*. Et Ioannis tertio: *Sic Deus dilexit mundum*: sed quo amore, nunquid sterili, aut inefficaci?

ei zelus animarum.

Tim. 2.

hes. 2.

ccatores vt iganeur eo.

rem. 31.

Qualis amor ille diuinus.

Proximorum amor, & inimicorum talis à nobis requiritur.

B. Aug. to. 9.

Idem amor qualis Augustino.

Matth. 9.

Quo verbo se Christus ostēderit diligere peccatores.

Quod bonum in inimico prætemur à Domino.

Cur diligat nos Deus, & quomodo.

Ierem. 31.

Ioan. 3.

Diuini erga mundũ amoris efficacia, vbi maximè declarata.

Subdit: *Vt Filium suum vnigenitum daret*: nimirum, hominem passibilem, & hostiam pro peccato, quò expiarentur peccata nostra. Item Malach. 1. *Dilexi vos, dicit Dominus: & dixistis; In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus? & dilexi Iacob; Esau autem odio habui, & posui Seir montes eius in solitudinem, & hereditatem eius in dracones deserti*. Dilexit ergo plus Iacob, quam Esau: quia illi, & semini suo promisit legem, & Prophetas, & meliorem terram, & ex ipsius carne descendit Christus. Ad eum modum peculiariter Christus nos dilexit, opes misericordiæ suæ nobis manifestando, & etiam largiter communicando. Idcircò plurima legimus testimonia, in quibus amorem Dei præcedentem opera nostra expressum cernimus. Ait enim Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsam tradidit pro ea*. Ecce opere externo declaratam charitatem. Et Apocalypsis primo capite: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Preterea Paulus ad Galatas secundo: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Item Ioann. decimotertio: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo* (scilicet docendo, protegendo à peccato, & seruando ab aduersario) *in finem dilexit eos*, id est, opera summi amoris ostendit, cum lauit pedes discipulorum, cibauit illos suo corpore, & sanguine, & mortem pro eis pertulit. Et cum Iudæi vidissent Christum pro Lazaro mortuo lacrymas fundentem, dixerunt: *Ecce quomodo amabat eum*. Talem etiam voluit esse nostram dilectionem erga Deum, vt operibus externis cerni possit, secundum illud: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*, id est, opera, & beneficia, quibus colitur, & alitur amor, proferte. Monet quoque dilectus; *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*. Et rursus Dominus apud Ioannem: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Et ad Petrum dixit: *Diligis me plus his? Pasce agnos meos*: id est: Si charitatem mei super alios habes, illam dilucidam, & perspicuam reddes, si agnos & oues paneris meas, si docueris, & prouidentiam illarum habueris, & pro illis, vt bonus pastor animam posueris. Et Ioannis decimoquarto capite: *Si diligitis me, mandata mea seruate*. Item Ioannes in priori Catholica: *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus*: & iterum: *Si quis dixerit, Quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt; Deum quem non videt, quomodo potest diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*. Et Apostolus: *Qui diligit proximum, Legem impleuit*. Et declarans amorem, subdit: *Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, nõ concupisces*, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur*. Adde mandatum Christi: *Diligite inimicos vestros*: explicansque quomodo sunt diligendi, subdit: *Benefacite his qui oderunt vos*: id est, Benefacite si potestis, & ille indigeat: si nõ potestis, aut ille non indigeat, saltem orate pro illis.

Malach. 1. Gene. 25. Rom. 9. Ocus cur magis dilexerit Iacob, quam Esau. Præuenientẽ Dei dilectio nem nostram vnde Scripturarũ possimus agnoscere. Ephes. 5. Apocal. 1. Gal. 2. Ioan. 13. Expenditur dictum Ioannis de Domino Iesu: Cum dilexisset suos qui erant in mũdo, in finẽ dilexit eos. Ibidem. Matth. 26. Ioan. 11. Amor noster Dei amorem debet imitari quomodo. Infra 13. 1. Ioan. 3. Ioan. 15. Infra 12. Quid illud: Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce agnos meos. Ioan. 10. Infra 14. 1. Ioan. 5. Supra 4. De amor nostri proximi tantum amore declaratur.

Ioan. 13. Infra 15. Roman. 13. & sequ. Exod. 20. Leuit. 19. Matth. 22. Supra 5.

Similiter quod frequenter dicitur in Euangelio Ioannis: *Discipulus quẽ diligebat Iesus*; nihil aliud significat, quam: Discipulus, cui peculiaria beneuolentiæ, & amoris signa ostendebat. Ex quibus omnibus confirmatũ relinquo, dilectionem Dei ad nos, vel nostri ad Deum, in bonis operibus, siue internis, siue externis consistere, ac præcipuè declarari.

Quid sibi velit ... Ioannis illa sententia: Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus.

Tertiò notandum est, ad eum modum, quo supra diximus à quibusdam vsurpari prædestinationem, & prælectionem ad summos gradus Ecclesiæ & militantis, & triumphantis, & similiter ad inferiores, ita dilectionem & prædilectionem. Nam non minus dilexit nos ante mundi constitutionem, quam elegit; non tamen ex illa summa dilectione rectè infertas, reliquos omnes odio haberi. Quod in primis comprobat dilectio Christi erga Ioannem, quem præ alijs diligebat: nec enim bene arguas: Ergo alios Apostolos non diligebat, aut, quod peius est, odio habebat. Nam Petrus plus cæteris diligebat Christum, qui tamen dixit: *Ego diligentes me, diligo*. Similiter idem euincitur ex Deuterono. capite septimo, vbi legimus, Deum populum Iudæum dilexisse præ cunctis alijs populis; nec tamen reliquos populos communi prouidentia, aut communi suo amore destituisse, cum scriptum sit: *Deus omnes homines vult saluos fieri*: & Sapiens: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti*. Et præcedit: *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominũ propter pœnitentiam*. Nihil ergo ex se odit, nisi quod vitio, & peccato contaminatum est. Idem Apostolus Ephes. secũd. cum ait: *Propter nimiam*, siue vt Græca habent, Propter multam, *charitatem*, id est *eximiam, & singularem qua Iudæos est prosecutus præ cæteris nationibus*. Tertiò Apostolus ait: *Quos præsciuit, & prædestinauit*: id est, vt supra explicuimus, Quos singulari amore prædilexit, illos, & quæ

Infirmatur hæc non nulis argumentis. Quos Deus non diligit, odio habet. Ephes. 1. Primũ argumentum, ab exemplis. Ioan. 21. Prouerb. 8. Deut. 7. Secundũ argumentum. 1. Timo. 2. Sapient. 11. Quid tantum oderit Deus. Roma. 7. Tertium arg.

præ alijs destinauit ad gloriam:& quod Petrus dixit: *Electos secundum præscientiam*: nam illis locis præscientia, non est futurorum bonorum præuisio, quod esset Pelagianum; sed actus præcipuus voluntatis, qui in amore præsertim consistit, & qui vera est causa prædestinationis. Adhæc sicut prudentis patrisfamilias est, alio amore, & quidem peculiari, ac maximo, prosequi vxorem,& liberos; alio, sed minori, amicos; alio etiam inferiori seruos, & familiam, & omnibus bene vult, illosque beneficijs prosequitur: ita etiam Dei est electos omnes prædiligere, cæteros omnes inferiori dilectionis gradu prosequi. Hinc Sponsus in Canticis ait: *Comedite amici,& bibite,& inebriamini charissimi.* Omnium est bibere qui amici sunt, sed tantum charissimorum inebriari. Ita ergo Deus quosdam diligere dicitur peculiari quodam amore, vt non propterea confestim sequatur, à Deo alios odio haberi. Nam etsi odio habeat peccatores, vt peccatores sunt, (quia odio sunt Deo impius, & impietas eius) non tamen naturam eorum, aut rationem, qua eos potest eligere, & à peccato mandare, odit, aut despicit.

1. Pet. 1.
IV. Argum.
Cant. 5.
Sap. 14. Quatenus o-dærit Deus peccatores.

Quod si quis obijciat illud Malachiæ: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*: Respondemus, hoc explicandum esse suo loco. Interim in præsentia dicendum, metaphoricè sumi illud, Odio haberi, pro eo, quod est, Minus diligi. Solent enim Scripturæ se nostris existimationibus accommodare. Conqueruntur enim plerique ex liberis in parentes suos, & odio haberi se dicunt, cum videnr alios suos fratres in aliquo munere, & fauore sibi anteponi. Et ita ad literam minus dilectus Esau fuit, quia nec Terram promissam habuit, vt Iacob, nec Legem, & Prophetas, nec ex eo descendit Christus, vt ex Iacob. Non enim quia Esau fuit ab illis prærogatiuis exclusus, propterea fuit reprobatus Esau ad necem, sed habuit & ipse familiam, & gentem suam; & bonis terræ non caruit, licet populus Israel longè fuerit honoratior, & ditior, qui alioqui (id est tempore Dauidis) dominatus est Idumæis, sed postea iugum excusserunt.

Malach. 1. *Rom 9.* *Lib 8.*
Quomodo accipiendum illud. Iacob dilexi, Esau autem odio habui.
Minoris Esau quam Iacob dilectionis argumenta.
2. Reg. 8.

Atque in hunc modum Lucæ decimoquarto Dominus dixit: *Qui venit ad me,& non odit patrem suum,& matrem,& vxorem,& filios & fratres,& sorores, adhuc autem & animam suam; non potest meus esse discipulus.* Quo in loco propriè non præcipit Dominus odio haberi patrem, & matrem, quos peculiari præcepto honorari, ac diligi mandauit; sed per odij vocem metaphoricè sumptam significauit minorem dilectionem parentibus exhibendam, maiorem autē Christo. Sicut & alio loco dixit: *qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Et per Oseam ait: *Vocabo non plebem meam, plebem meam:& non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Vbi non dilectam vocat, & Non misericordiam consecutam, quæ minori dilectione, & minoribus misericordiæ officijs, & beneficijs potiebatur.

Luc. 14. Quonam habeamur odio habere parentes.
Exod. 20.
Matt. 15.
Matth. 10.
Ose. 2.& Roman. 25.
1. Petr. 2.

Sed dicet aliquis, odium Esau oppositum esse dilectioni Iacob,& propriè vtrunque capi debere: & vt de perfecto amore est sermo, ita etiā de perfecto odio, de quo: *Perfecto odio oderam illos: inimici facti sunt mihi.* Sed facilè est huic obiectioni satisfacere. Nam in Logica,& apud Aristotelem magis opponitur bonum non bono, quàm malo, quia bonum,& malum sunt contraria; bonum,& non bonum contradictoria: at perfectior est oppositio in contradictione, quàm in contrarietate. Neque semper opus est, vt duo membra orationis sibi inuicem opponantur, si vnum propriè sumitur, necessariò & alterum sumi debere, quia id esset, velle Spiritum sanctum docere, qua ratione ei sit loquendum. Non valet ergo, quod vocasset Deus illum inferiorem fauorem Esau, odium: quasi verò in Scripturis odium non dicatur comparatione maioris amoris ad alium, quem magis diligis. Nam præter exemplum productum ex Luc. 14. habes etiam Matthæi 6. *Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, aut alterum diliget.* Vbi vnus dominus dicitur odio habendus pro altero, id est, minus amplectendus, aut alteri nunquam præferendus. Et vulgò in pari causa cum vnum pro alio diligimus, minus dilectus ait: *Tu me odio habes.* Et ita dictum est: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*: quia minus diligit eius salutem, & illi præfert peccatum. Rursus: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Dicitur odio habere animam suam impropriè, quia nemo vnquam carnem suam odio habuit, aut odio habere potest, sed quia eius appetitiones, ac desideria Dei amori postponit, vt debet.

Ad id respondetur. Iacob dilectio, & odium Esau propriè videntur opponi.
Psal. 138.
Aristotel. lib. 1. Peri herm.
Quæ vera sit, perfectaque oppositio Aristoteli.
Odium, minorem dilectionem Scriptura frequenter appellant.
Matt. 6.
Idem in familiari sermone quoque locū habet dicendi genus.
Psal. 10.
Ioan. 12.
Ephes. 5.

Quod verò subdidit, odium in Esau fuisse perfectum, quemadmodum & amor in Iacob perfectus fuit: omninò falsum est. Nam cùm de Iacob & Esau, antequam in lucem ederentur, est sermo,& antequam aliquid boni egissent, aut mali, dicitur Iacob dilectus,& Esau odio habitus. Quod si de perfecto odio intelligitur, falsum omninò assereret, cum pueri absq; Sacramento decedentes, ex hac vita non dici possent odio

Nequaquam vt in Iacob perfecta dilectio fuit, sic in Esau odium fuisse perfectum.
Si odium Esau esset perfectū, quid consequeretur.

haberi, quia pœna eorum non est æterni ignis gehenna, cùm tantum sit diuinæ visionis carentia, vt Innocentius III. dixit, & B. Thomas cum bona parte Scholasticorum tuetur. Quod igitur Deus aliquem populum eligat, vel diligat præ alijs, non rectè inferas, alios populos, vel alias personas reprobatas esse, aut non dilectas à Deo, sed tantum in eo amoris gradu nō esse amatas, vel ad eadem bona.

Innoc. III. tit. de Baptismo, & eius effect. c. Maiores, D. Thom. 2. sen. q. 33. qu. 1. art. 1. tom. 6.

Postremò perindè, quosdam implicari, nec facilè se explicare posse, quomodò videlicet vnum & eundem hominem possit Deus & odio habere, & diligere, sine sui mutatione. Sed id obscurum non est, si quis intelligat, Deum in sua æternitate omnis temporis differentias, & momenta ambiente diligere, & odio habere. Iustos enim diligit pro eo tempore quo sunt iusti, iniquos odit pro eo temporis momento, quo peccatores sunt. Odit ergo peccatorem, dum peccator est: & eūdem, si resurgat, pro illo tempore diligit, sine vlla sui mutatione, aut noua voluntate, quæ sit in eo: sed mutatio omnis in nobis est. Præterea non omnes iniquos, vel non prædestinatos, qui sunt in hoc seculo, Deus odit pro hoc tempore dum in via sunt, vt sit perfectum odium, quod dicitur vsque in finem: quia adhuc plurimi viatores sunt capaces pœnitentiæ, & gratiæ. Et similiter non omnes iustos in hoc seculo diligit Deus perfecta dilectione, quæ est vsque in finem: nam hæc dilectio prædestinatorum est, de qua Ioannes dixit: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* In illis ergo, qui non sunt prędestinati, sicut pro tempore quo sunt iniusti, non odio habentur, saltem perfecto, ita pro tempore quo iusti fuerint, certa dilectione vsque in finem non diliguntur, sed expectatur exitus illorum, si permanserint in Fide, & dilectione perseuerantes, & ita in illis ratio dilectionis perficitur, etsi permanserit in iustitia, vt ita odio perfecto habeantur. Et de his hactenus.

Quemadmodum iusti hominis eiusdē & iniusti amor & odium in Deum sine vlla sui possit mutatione consistere.

Quare nunc multos Deus peccatores nō perpetuo odio & non omnes iustos perpetuo amore prosequatur.

Ioan. 13.

Quando perfecto Deus odio peccatores oderit, & perfecta dilectione diligat iustos.

DISPVTATIO IV.

De verbis Miserendi, aut Irascendi, quibus Deus dicitur aut misereri, aut irasci nobis, & simul de misericordia eius, & ira aduersus nos.

EXPEDIT coniunctim de his duobus verbis cogitare, & tractare, non autem separatim, quia meditatio misericordię Dei siue eius iustitia, quæ iræ respondet, remissos facit, & otiosos: contra verò cogitatio vindictę sine misericordia, timidos, & pusillanimes. Mixtim ergo de vtroque dicendum: *Misericordiam & iudicium*, Dauid aiebat, *cantabo tibi Domine.*

Cur verba Miserendi nimirum & irascendi non seorsim explicentur.

Psal. 100.

In primis ergo, quemadmodum affectus amoris, & odij, gaudij & tristitiæ, spei, & timoris, Deo in Scripturis tribuuntur, non quidem, vt passiones sunt, sed vt simplices actus, citra vllum tamen cordis motum, aut perturbationem, quemadmodum in nobis contingere solet: (nam & præueniunt interdum, quandoque verò etiam impediunt rationis vsum, & exercitium, quod indignum est in Deo omnis materiæ, & corporis experte, vel cogitare) ita etiam misericordia, & ira, siue verba miserendi, & irascendi, per metaphoram, & impropriè Deo dantur, non quantum ad affectum, sed quantum ad effectum. Misereri autem solet, quando bonum animum ad nos conuertit: & facere, siue opem suam impendere deliberat: irasci verò consueuit, quando iustam expetit vindictam, & iustum supplicium inferre decreuit.

Dei misericordia, & ira, ac cæteri animi motus & perturbationes, qua tantum ratione conueniant.

Deus quando misereatur, quando irascatur nobis.

Vtraque verò, tam ira, quàm misericordia, duplex in Deo ponitur, vt autor est Rupertus Tuitien. lib. 9. de victor. verbi Dei, capite. 20. & 22. Est ergo misericordia Dei magna & parua: similiter & ira parua, & magna. Parua quidem misericordia Dei est, siue misericordia de terra, quando bona temporaria ad sanitatem, libertatem, & felicitatem humanam tuendam concedit, & per quam ab incommodis temporalibus liberamur, de qua Dominus, *Qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*: & Apostolus Lycaonijs: *Benefaciens, de cœlo dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum.* Atque hęc bona propriè erant præmium legis veteris obseruatæ, de qua Apostolus: *Iustitiam, quæ ex lege est: qui fecerit homo, viuet in eo*: & Esaias: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Et Oseas capite primo. *Non addam vltra misereri domui Israel, scilicet misericordia parua, liberando eum à captiuitate temporali Babylonia, quæ ira parua erat.* Item Zacharias: *Domine exercituum, vsquequo non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es?* Precabatur Angelus reuocationem captiuitatis Babylonicæ, quæ ira parua erat. Contrà verò misericordia magna erat, qua clementissimus Deus nobis per incarnationem, & mortem donauit, vt per eū assequamur

Ruper. Tuit.

Dei misericordia parua quænam sit.

Matth. 5.

Act. 14.

Præmia legem veterem obseruantibus, quæ Deus largiretur.

Rom. 10.
Leuit. 18.
Gal. 3.
Esa. 1.

Ose. 1.

Zachar. 1.

Magna Dei misericordia quænam.

Spiritum

Ioan. 3.
Rom. 8.

Spiritum ſanctum, & gratiæ ſuæ beneficia, vt adoptaret in filios, & gloriam vitæ æternæ impertiretur, qua à ſumma miſeria culpæ, & pœnæ æternæ peccato debitæ, & perpetuo gehennę ſupplicio liberaremur. Hęc autem miſericordia verè magna eſt, quæ à magnis, & ſummis miſerijs liberat, de qua dixit Dauid: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Et quia peccatum multa mala ſecum inuoluit, ſubdit: *Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Et iterum; *Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, & eripuit animam meam de manu catulorum leonum.* Et iterum: *Magnificata eſt vſq; ad cœlos miſericordia tua.* Eſt enim magna miſericordia Dei, de cœlo, quia in eo maximè elucet felicitas cęleſtis, & detegitur infinita miſeria, à qua liberamur. Et dicitur apud Eſaiam miſericordia ſempiterna, quia effectum æternitatis parit. Et hæc propria eſt Noui Teſtamēti miſericordia, in qua regnum cœlorum prædicatur, & pœnitētia remiſſionem peccatorum comparans, & operum bonorum iuſtitia, quibus æternæ vitæ corona debetur.

Cur magna meritò nuncupetur.
Pſalm. 50.
Pſalm. 56.
Ibidem.
Eadem cur dicta miſericordia Dei de cœlo; cur ſempiterna, quorum propria.
Eſai. 54.

Ira Dei parua quæ ſit.

Simili ratione philoſophandum eſt de ira Dei, cuius ira parua non eſt aliud, quàm vindicta ad tempus puniens, & priuans nos bonis temporalibus. De hac ait Eſaias cap. 64. *Ne iraſcaris Domine,* id eſt, ſi punire vis, miſericorditer puni; ſicut alibi dixit: *Non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur.* Rurſus Zachar. 1. ait Dominus: *Ego iratus ſum parum:* & 2. Machab. 5. *Modicum Deus fuerat iratus:* & alio loco: *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam nō diſpergam ab eo, neque nocebo ei in veritate mea.*

Eſai. 64.
Pſalm 102.
Zachar. 1.
2. Mach 5.
Eſai 0S.
2. Reg. 7.

Ira Dei magna qualis.
Roman. 1.
Pſal. 80.
Matth. 15.
Eſai vlt.
Marc. 6.
Eadem ira Dei de cœlo cur dicta.
Rom 2.
Infra 9.
Qualis iterum illa.
Pſal. 67.

At ira magna, ſiue, vt Apoſtolus ait, Ira de cœlo, illa eſt, qua Christus vt agnus iratus in peccato deſerit hominem, & ſinit eum abire in deſideria cordis ſui, quo peccata peccatis accumulet, & ſempiterna gehennæ ſupplicia acquirat, de qua: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius;* &, *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Ac dicitur in illis locis Ira de cœlo, quia deſcendente Ieſu de cœlo cum Angelis ſuis in iudicium, illam in die iræ explicabit in vaſa iræ aptata à ſeipſis in interitum. Adhæc ira huiuſmodi proxima eſt, & ſimilis illi Dei iræ, qua ſicut cera, quæ fleuit à facie ignis, eiecti ſunt Angeli de cœlo. Ira etiam ad ſerio puniendum, & nō loco, vel ad tempus, oſtendit ſe verè eſſe potentem, & cœleſtem; quemadmodum etiam dum miſericordiam ſuam largiſſimè fundit in vaſa miſericordiæ. Oſtendit etiam Apoſtolus efficaciam huius iræ, dum ait, Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Quare ſaluberrimum erit conſilium pœnitentiam agere, & incidere in manus Dei in cruce pro nobis morientis, & veniam nobis à Patre ſuo impetrantis.

Rom 9.
Hebr. 10.
In quas manus Dei ſalutariter poſſimus, ac debeamus incidere.

Communiter tamen colligatæ ſunt ſibi inuicem ira magna, & miſericordia parua; & rurſus miſericordia magna cum ira parua; quia boni etiam leuiter caſtigantur. *Ego,* inquit, *quos amo, arguo, & caſtigo:* & Apoſtolus: *Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes; ergo adulteri, & non filij eſtis.* Si quæ etiam iuſti leuiora peccata admittunt, ſtatim hic, aut in Purgatorio miſericorditer caſtigantur: *Verebar,* inquit Iob, *omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti:* quia etiam de leuibus electorum peccatis pœnas ſatisfactionis exigit Deus.

Miſericordiā magnam cum ira parua Deus cum quibus exerceat.
Apoc. 3.
Hebr. 12.
Iob 9.
Deus quare non parcat iuſto delinquenti.

Et ſicut miſericordia magna cum ira parua colligantur in bonis, & iuſtis; ita ira magna cum miſericordia parua in impijs, & reprobatis, iuxta illud: *Fili, recordare quia accepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Quandoque verò aliqui vtramque miſericordiam hic accipiunt, imò probationes quaſdam, & conſolationes æternæ vitæ, quæ in cauſa ſunt, vt tolerabiliores fiant pœnæ, & ira parua dulceſcat, ſecundum illud de Apoſtolis dictum: *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Quemadmodum etiam alij, qui in ira magni Dei verſantur, guſtus quoſdam, & terrores percipiunt æternæ gehennæ, quæ amaram reddunt miſericordiam paruam, ſecundum illud; *Duplici contritione contere eos;* vt & in hac vita, & futura iuſtis ſupplicijs plectantur.

Iram Dei magnam cum miſericordia parua quinam experiantur.
Luc. 16.
Miſericordiā Dei tum magnam, tum paruam cur interdum aliqui, & alij cōtra iram Dei & magnā percipiant.
Act. 5.
Ierem. 17.

DISPVTATIO V.

De verbo adiuuandi, vel auxiliandi, & de adiutorio, vel auxilio.

Adiuuat, vel auxiliatur, tū Deus, tum homo.
Pſal. 26.

VERBVM adiuuandi, quod Græcis dicitur Συνεργεῖν, vel Βοηθεῖν, & cuius oppoſitum eſt decreſcere, ſiue impedire, derelinquere, & deſpicere: (vnde illud; *Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neq; deſpicias me Deus ſalutaris meus*) commune eſt tam Deo, quàm hominibus. Iuuat enim fœmina virum in generandis filijs: hinc

Genes. 2.

dicitur Adiutorium simile sibi. Contrà vir iuuat fœminam fragilem, dum illã seruat, alit, & ab aduersarijs tuetur. Egressi item adolescentię ætatem, iuuenes dicuntur, quia adiumento sunt senioribus, & ætate grandæuis. Dicuntur etiam iumenta, animalia, quibus adiuuamur ad colẽdam terram, vel onera portanda, vel ad iter peragendũ. Coacti sunt etiam homines in cœtus, oppida, & ciuitates, quia vnus, aut pauci sufficere sibi non poterant, quod multi coniuncti, aut fœdere sociati præstare valent. Vnde auxiliares copiæ, vel socij qui mutuum sibi ipsis auxilium præstant. Denique: *Frater qui adiuuatur, quasi ciuitas firma:* & Martha ad Dominum de Maria: *Dic ergo illi, vt me adiuuet.*

Vnde iuuenes, ac iumenta denominentur.

Humanorum cœtuum cogendorum causa.

Prouerb. 18.

Luc 10.

Humani auxilij, opisque necessitas.

§ Est ergo homo ita natura imbecillis, & impotens, vt sine parentum, vel amicorum auxilio viuere nequeat, nec educari, nec ad bonas artes addiscendas, vel exercendas institui: ita vt homo naturali instinctu edoctus agnoscat se idem auxilium alijs se debilioribus, & impotentioribus impendere debere, maximè parẽtibus, & amicis, à quibus beneficia accepit, vt ita valeat ἀντιπελαργεῖν, id est, vicem mutuam illi reddere. Nec tantum viuentes adiuuare potest oratione, sacrificio, doctrina, exemplo; sed etiã mortuis suffragari valet precibus, Missæ sacrificio, ieiunio, & eleemosyna, & indulgentiæ pro defuncto perceptione. Et sicut viui mortuis suffragia impẽdunt; ita etiam maximè in cœlesti gloria viuentes opitulari illis possunt, qui expiantur in purgatorio carcere, & nobis qui dum viuimus, adhuc vinculis corporis huius alligati detinemur vndique. Ergo & dum viuimus, & dum mortui sumus, adiuuari ab alijs possumus, & alijs egentibus vicissim suffragia, & auxilia mittere valemus: tantum beatis, quia nullo egent, suffragari nõ possumus; benè tamen illi nobis opitulantur: at damnati, etsi maximè indigeant, nec adiuuari à nobis, nec nos adiuuare valent, nisi Deo efficiente, & per accidens.

Viuentes, maxime Christiani, viuentes, ac mortuos quomodo iuuent.

Qui iuuari vicissim, & iuuare nos, qui rursus iuuare nos, non iuuari: qui tertio nec iuuari valent penitus, nec iuuare.

Verùm ad hoc auxilium præstandum maximè promptus est Deus: tùm quia nullius ope, aut adiutorio indiget: tum quia ipse est creator omnium, cuius proprium est pro bonitate sua defectus supplere in creaturis suis. Vnde etsi in Scripturis adiutor noster, & auxiliator frequenter vocatur. Sed ad quid, & quomodo nobis prę̃stet auxilium, diligenter perspiciendum est. Nam Deus in primis hominẽ in naturalibus adiuuare solet quatenus cum eo agit, & cooperatur ad omnia opera naturæ, sensus, & rationis, vt prima causa naturalis: quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus; & ipse dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia, vt ait Apostolus: ita vt illo cessante à cooperatione, nihil in naturalibus, vel artificialibus præstare possimus. Eo verò posito, quod homines esse velit, iure debet præstare talem opem, tanquàm naturæ debitam, etsi hominibus propter peccata indebitam. Vnde & Iupiter est à Gentibus agnitus, quasi adiutor: & vox ipsa Iouis à iuuando dicta est. Vnde quidam dixit:

Duabus de causis nos adiuuat benignissimus Deus.

Vt causa naturalis nos ille quomodo iuuet.

Act. 6.

Iouis etymologia.

Qui iuuat, & pater est, vera est via, recta salutis.

Et Cicero libro secundo de natura Deorũ: *Sed ipse Iupiter, id est, Iuuans pater, quem conuersis casibus appellamus à iuuando Iouem: à Poetis Pater diuumque hominumq; dicitur; à maioribus autem nostris Optimus maximus. Et quidem antè optimus, id est, beneficentissimus, quàm maximus: quia maius est, certèque gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere.* Hæc Cicero.

Iouis olim à Romanis Optimi Maximi appellati reddit rationem Cicero.

Quàre admiratus sum vehemẽter, quòd Lactantius libro primo, capite vndecimo neget, Deo competere adiuuare hominẽ, his verbis: *Quid quòd huius nominis proprietas non diuinam exprimit, sed humanam: Iouem enim, Iunonemque à iuuando esse dictos, Cicero interpretatur: & Iupiter quasi iuuans pater dicitur, quod nomen in Deum minimè congruit: quia iuuare, hominis est, opus aliquid conferentis in eum, qui sit alienus, & exigui beneficij. Nemo sic Deum precatur, vt se adiuuet, sed vt seruet, vt vitam salutemque tribuat: quod multo plus, ac maius est, quam iuuare. Et quoniam de patre loquimur, nullus pater dicitur filios iuuare, cùm eos generat, ac educat.* Sed quicquid sit de Lactantij sententia, certè præualere debent Scripturæ, quæ frequẽter docent, auxilium esse à Deo petendum, & quæ docent orare: *Deus in adiutorium meum intende, &c.* & quæ certo præcipuè tempore docent: *Inuocaui Dominum Patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis, & in tempore superborum* (id est, quando dæmones præualent) *sine adiutorio.*

Deum propriè hominem adiuuare, qua neget ratione Lactantius.

Oppositum Scripturæ docent.

Eccli. 51.

Deinde iuuat Deus vt causa supernaturalis ad omnia bona opera salutis, siue fidei, siue spei, siue charitatis, siue bonorum operum, quę necessaria sunt ad vitam æternam comparandam. Et peculiariter de oratione ait Apostolus: *Similiter & Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Deus itẽ quomodo vt supernaturalis causa nos adiuuet.

Rom 8.

Adiuuat verò Deus multis & miris modis. Nam vel impertitur gratiam præueniẽtem, qua nos ad bonum excitat; vel infundit gratiæ iustificationis habitum ad pec-

Diuini huius auxilij rationes explicantur magis.

cata

cata remittenda, per se quidem Sacramento Baptismi, & pœnitentiæ; in reliquis verò per accidens, dum gratia, quæ ad alios effectus distribuitur, tollit peccatum, si quod inueniat in homine; vel dum speciali suo auxilio ad omnes, & singulas actiones, quæ supra rationem, & naturam sunt, nobiscum concurrit; siue dum nobis per charismata, id est, gratias gratis datas, aut per Angelos, siue per homines supra naturæ facultatem opitulatur.

Christus adiutor noster, & auxiliator, quam dignus hoc nomine. Matth. 1. Luc. 2.

Denique Christus adiutor noster, & auxiliator meritò dicitur, quia mundo collapsò opem tulit; & ob id Iesus nomine vocatus est: & factis etiam incarnationis, mortis, resurrectionis, Ascensionis, ac missionis Spiritus sancti, & Sacramentorum ministerio continui sui auxilij documenta nobis præstat. Vnde olim qui communem hominum sortem adiuuabat, 'Αλεξίκακος dicebatur: vt Hercules, Bacchus, Ceres, Aesculapius: quantò magis id verè soli Christo competit nomen, qui & mala omnia à nobis auertit, & bona cuncta, & inexcogitabilia adduxit? Et ita in Scripturis vbi Iehoua, siue Dominus nobis adesse dicitur, vel esse nobiscum, id est, Emanuel, Verbo Dei, id est, secundæ personæ, à Chaldæo interprete tribui solet: vt Psalm. 126. vbi nos habemus: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanũ laborauerunt qui ædificant eam*, Chaldæus Paraphrastes habet: *Si verbum Domini non ædificauerit domum, frustra laboras in ea architectus.* Et in fine Psalmi: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram*, Chaldæus vertit: *Adiutorium nostrum in nomine Verbi Domini*. Nostrum ait, quia communis erat oratio Ecclesiæ pro filijs suis. In nomine, inquit Domini, non in virtute nostra, vel vllius creaturæ, de qua: *Maledictus homo qui confidit in homine*; &c. *Nolite confidere in principibus, & neq; in filijs hominum, in quibus non est salus.*

Esa. 7. Matth. 1. Psalm. 126.

Illud expenditur: Adiutorium nostrum in nomine Domini.

Ierem. 17.

Psalm. 145.

Quid nomen Domini Chaldæo paraphrastæ: eiusdem efficacia. Act. 4. Rom. 10. Ioelis 1. Act. 2.

Est autem nomen Domini, teste Chaldæo interprete, Verbum Domini, vt diximus, per quod decreuit Deus nobis opem ferre. Si autem consulamus aut Petrum aut Paulum Apostolos: non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri: quod est dicere, In cuius virtute salutem consequi valeamus, vt expressit Petrus; & Paulus ad Roman. 10. loquens de Christo, ait: *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*. Nam in illo nomine baptizamur, signamur, exaudimur, signa edimus, si opus sit, benè operamur, & sanctè patimur. Dum autem hæc verba dicimus: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, &c.* manu signum Crucis edimus:

Eius versiculi prolatio: Adiutorium nostrum in nomine Domini, &c. quare cum signo Crucis coniungitur.

quia ex Christi Cruce omne bonum, & omne auxilium nobis deriuamus.

Quid verbum sequens; Qui fecit cœlum, & terram significet.

Subdit: *Qui fecit cœlum & terram*, Id est: Non quærimus auxilium à debili vlla, & imbecilli creatura, vel à Dei, & nostro hoste capitali, sed à viuo, & vero Deo, cuius opus fuit de nihilo cœlum & terram condere. Non imploramus opem Dei alicuius ex lapide, luto, ligno, argento, vel auro facti, sed eius, qui verbo condidit vniuersa, & cui etiamnum obediunt omnia, propter hominem seruandum. *Omnia, inquit, quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari, & omnibus abyssis.* Eius namque fauore Christianus cœlo, & terræ imperat, vt olim ostendit in Iosue. Denique hic etiam est, qui cõdidit cœlum nostrum, & terram nostram, id est, animam, & corpus: quamobrẽ ipse prospicit in omnibus, & nouit quãdo, & quomodò hæc eius opera sint adiuuanda. Miscuit etiam cœlum animæ terræ corporis, in signum, quod aliquando ipse Deũ per incarnationem terre, id est, homini vniret; & gratiam Dei tanquam cœlum, cum libero arbitrio tanquam cum terra coniungeret, & adiuuaret.

Psalm. 134.

Iosu 10.

Cœli, & terræ spiritualis intelligentia.

Deum etiam nos quomodo iuuemus.

Iam dicendum, qua ratione nos eius adiutores esse possimus. Adiuuamus enim Deum, quãdo in eius personam agimus, vt Apostoli, Episcopi, & alij Christiani ministri, qui eius opera interna, quæ in corde operatur, exterius, hoc est, verbo, Sacramento, correctione, precatione, & aliis internis officijs coadiuuamus, siue ad conuertendos homines ad fidem, siue ad iam conuersos sanctificandos, & seruandos. Hoc autem, quòd nos opitulari possimus fratribus nostris in salute eorum spirituali promouenda, nõ ex vlla necessitate, vel indigentia Dei oritur, sed ex ampla eius benignitate, & sapientia, quæ confert vt alijs opem ferre possimus, & quantum ad corpus, & quantum ad animam, quod est sibi gloriosius. Hinc illud: *Dei enim sumus adiutores.* Vt enim Deus est adiutor noster, quando nobis incumbit præcipuè operari, & in nostros aduersarios insurgere, & bellare, sed ob virium debilitatem Deus inuocatus ad nos venit, vt succurrat, & adiuuet: ita quando ad Deum spectat operari, & ad fidem trahere incredulos, & eos sanctificare, operam nostrã exigit, vt tãquam adiutores & socij illi præsto simus. Sunt enim quædam ministeria, quæ honorificentius per nos ipsos, quam per Christũ ipsum exhibentur, vt sunt munus prædicationis & Sacramentorum administratio: quædam verò ab ipso Deo solo exhiberi possunt, vt remissio peccati, gratiæ infusio, & Spiritus adoptio, & similia alia interim,

Hæc ratio auxilij ex fonte tantum descẽdit diuinæ largitatis.

1 Cor. 3. Opem nobis ferat Dominus quando.

quæ

B. Greg. to. 1.

quæ ipse viuens adhuc & regnans exhibere solet. Et in hunc sensum nos sumus adiutores Dei. Et ita Gregorius lib. 17. Moral. cap. 10. ait: *Nam cum ei, quem ipse per internam gratiam infundit, nos exhortationis voce concurrimus, hoc quod ille per Spiritū sanctum agit intrinsecus, nos exterius ministerio vocis adiuuamus: & tunc solum nostra exhortatio ad perfectionem ducitur; cum in corde Deus fuerit qui adiuuetur. Vnde & aliàs dixit: Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. Plantare quippè, & rigare, adiuuare est.* Hæc ille.

Auxilium nostrum, Gregorio teste, quãdo fit efficax.

1. Cor. 3.

Alienæ salutis adiutor, ac minister quid agere debeat.

Idem.

Debet autem is, qui aliorum salutem adiuuat, submisso animo hoc ipsum à Deo postulare, nec superbè se efferre: quia vt testatur Gregorius ibidem, Adiuuare imbecillē, charitatis est: adiuuare potentem velle, elationis. Neque contra hanc opitulationem est verbum Esaiæ 63. *Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit qui adiuuaret:* &, *Saluauit mihi brachium meū, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi:* quia hoc intelligendū est de opere redemptionis, in quo nullius ope, aut auxilio opus habuit, quia vt subdit: *Torcular calcaui solus*, vt ibidē ait Esaias; *& de Gentibus non est vir mecum*: & vsq; adeò derelictus fuit, vt Angelo corroborante eguerit, & expostulauit cum Patre, *Vt quid dereliquisti me?* cuius derelictionis merito consecutus est, vt omnes nos ad se accurrentes adiuuare posset. Etsi ergo in opere redemptionis nihil opis Christo attulerimus; in illa tamen applicanda omnes Sacerdotes, & ministri verbi Dei aliquid efficere possunt. Apostolos etiam legimus suos habuisse coadiutores, quia illi post Christi in cœlum assumptionem, eius locum tenentes, opus salutis per eum partē in alios dispensabant, & ad mūdum vniuersum ad Christi fidem cōuocandum missi erant. Vnde & suos adiutores habebāt, de quibus Paulus ad Rom. 1. *Salutate Priscam & Aquilam adiutores meos in Christo Iesu.* Et subiungit: *Salutat vos Timotheus adiutor meus; & Lucius, & Iason:* & de Tito 2. Corinth. 8. ait: *Qui est socius meus, & in vobis adiutor*: ad Coloss. vlt. *Qui sunt ex circumcisione, hi soli sunt adiutores mei in regno Dei.*

Esai. 63.

Ibid. 3.

Luc. 22. Matth. 27.

Apostolis cur dati fuerint adiutores.

Rom. vlt.

Ibidem 21.

2. Cor. 8.

Colos. 4.

Paulus suos discipulos cur vocauerit adiutores.

Adiutores quippè suos discipulos vocauit, quia ordine minores erant, sed laboris participes, obedientia, humilitate Apostolo subiecti erant: sed dum cum eo æterni regni gloriam prædicarent, cum eo pariter veritatem defenderent, infidelibus obsisterent, illatas persecutiones fortiter sustinerent, quasi in bello Dei milites Regis erant. Apostolus quoque 1. Corinth. 12. inter alia Spiritus sācti charismata, opitulationes ponit, id est adiutores, quos Apostolis, vel Episcopis in parte curæ pastoralis sufficiebant. Denique in sacris literis frequenter admonemur de Dei auxilio, & ad illud postulandum excitamur, cum instant hostes, & premunt: vt cum dicimus; *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Confundantur, & reuereantur qui quærunt animam meam: Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ. Auerte mala inimicis meis: &, Adiuua nos Deus salutaris noster: Mittat tibi auxilium de sancto; & de Sion tueatur te: Dominus mihi adiutor, nō timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor: ego despiciam inimicos meos:* Et subiungit: *Bonum est confidere in Domino, quam sperare in Principibus, quia Dominus conditor est, pater est, frater est, Saluator est, omnipotens est. Tu autem Domine ne elongaueris auxiliū tuum à me: ad defensionem meam conspice: Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum, & terram: Domus Israel sperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est. Qui timent Dominum, sperauerunt in Domino: adiutor eorum & protector eorum est.* Item: *Similiter & Spiritus adiuuat infirmitatem nostram*; &, *Nisi quia Dominus adiuuit me; Paulo minus habitasset in inferno anima mea.* ¶ Quæ quidem, & similia cum audimus, aut legimus, de multis salutaribus rebus instruimur. Et in primis liberum arbitrium hominis non esse omninò extinctum, quod Manichæi ad vtrumlibet esse negabant, sed voluntatem ferri necessariò ad bonum, sensum verò ad malum. Contra quos Græci Patres, & Latini multi scripserunt, ostendētes peccatum esse à nostra voluntate. Bardesanes verò, teste Augustino lib. de Hæresib. liberum arbitrium propter Fatum negauit; sicut Abilardus, VVicleff, & Lutherus illud negarunt ob Præscientiā, ac Iouinianus potentiam peccandi inficiabatur post Baptismum: in quem duo Ecclesiæ lumina scripserunt, Hieronymus, & Augustinus. Fuerūt etiam alij, qui liberum arbitrium per peccatum omninò amissum dicerent: In quos Augustinus scripsit librū de Gratia, & libero arbitrio, aduersus Valentinum, & eius Monachos. Quemadmodum Pelagius asserebat, posse nos per liberum arbitrium mereri gratiam, & gloriam, impleri Dei præcepta, tentationes omnes vincere, & in bono perseuerare. Nam hi omnes varijs caussis, & modis libero arbitrio detrahebant.

1. Cor. 12.

Psal. 69.

Psalm 53.

Psal. 78.

Psalm. 19.

Psal. 117.

Psal. 118.

Psal. 21.

Psalm 120.

Psalm. 113.

Ibidem. 11.

Rom. 8.

Psalm. 93.

B. August. ca 25. tom. 6.

Hie. tom. 11. August.

Idem tom. 7.

Alterum de libero hominis arbitrio documentū.

Secundo admonemur, liberum arbitriū non esse sanum, & firmum, sed infirmum, ad malumque propensum: propter quod Dei ope, & continuo auxilio indigemus; cum Pelagiani sanum, firmumque ad omne

B. Aug. to.7.

opus bonum asseruerint: contra quem errorem scripsit Augustinus librum De natura & gratia ad Timasium.

III. docum. De eiusdē arbitrij libertate.

Tertiò deducimus, quod gratia Dei ad operandum non cogit, nec sola illa operatur sine nobis. Contra hoc enim sic opinantes Augustinus scripsit librum De correptione, & gratia.

Idem tomo eodem.

IV. docum. de modo quo Deus per gratiā suā cū libero cooperatur arbitrio, & contra.

B. Bernard. Exemplum.

Quartò elicimus, Deum adiuuare nostrā infirmitatem ad omnes, & singulos bonos actus, non vt liberum arbitrium partem, & gratia partem operetur, sed vt ad omnes, & singulas actiones extendatur tam liberum arbitrium, quam ipsa gratia: vt Bernardus docet in lib. De gratia, & libero arbitrio, sed illud vt caussa secunda, hæc primarius autor: quemadmodum huius libri literæ sunt quidem omnes à penna, sed vt instrumento, & à manu scribentis vt præcipuo autore.

V. docum. De effectu Diuinæ gratiæ, contra Pelagium.

Ioan. 15.

Quintò instruimur, auxilium Dei nobis non dari, quò facilius ea quæ præcipiuntur, præstemus, vt dicebat Pelagius, sed vt omninò possimus præcepta exhibere: quia *Sine me*, dixit Dominus, *nihil potestis facere*: non dixit teste Augustino, sine me parum potestis facere, sed nihil; & *Sufficientia nostra ex Deo est*.

2. Cori 3.

VI. De antiquæ legis cum noua discrimine.

Sexto erudimur his verbis, legem ab Euangelio longè differre: nam illa non iuuabat hominem, sed docebat tātum exterius, nihilque ad perfectum adducebat: at Euangelium præter doctrinam, suppeditat Spiritū, & gratiam ad perficiēdam legem. Vnde de Christo dicitur: *In eo enim in quo passus est ipse, & tentatus; potens est, & eis qui tentantur, auxiliari*. Sacramenta quoque vim sanctificandi conferunt, & Deus ipse adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, vt superare valeamus. Vnde tempus Testamenti Noui, Tempus placitū dicitur, & acceptabile, & dies salutis, siue auxilij. Ita enim ait Esaias: *In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi*: & subiungit Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile; Ecce nunc dies salutis*. Quare quisque Christianus, Lazarus dici potest, id est Adiutus à Deo, siue Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Ille autem dicitur habitare in adiutorio Dei, qui totam spem suam in eo collocat, aut omnibus suis & alienis viribus renuntiat, & solum illis Dei nititur: siue quia vterque Lazarus à Deo adiutorium accepit: nam frater Marthæ & Mariæ à morte corporis liberatus fuit, Lazarus verò mendicus à præsentis vitæ laboribus, & incommodis.

Hebr. 2.

Supra 2.

Psalm. 9.

2 Cor. 6.

Esai. 49.

Lazarus quid sonet: hoc nomē quā omnibus competat Christianis.

Psalm. 90.

Ioan. 11.

Luc. 16.

Auxilij ad precandū diuini necessitas.

Postremò illud præcipuè considerandū, cū ad preces accedimus, magnopere nobis esse necessarium Diuinum auxilium. Vndè Ecclesia præmittit: *Deus in adiutoriū meum intende: Domine ad adiuuandum me festina*. Id est: Tu qui Deus Θεὸς, siue à videndo, siue à currendo diceris, intende, & respice in auxiliū meum, & ad iuuandum me festina, & curre, id est: Esto spectator meæ miseriæ, & cursor ad illam propulsandam; vt sic verè sis Deus, iuxta nominis tui etymologiam. Tu etiam qui Dominus es animæ, & corporis, respice vtriusq; defectus, & ope tua me adiuua, vt dum precor, possim te habere ante oculos, & ea qua decet reuerētia, animi submissione, & attentione te inuocare, & exorabilem te mihi reddere. Nam his verbis profitemur, minus idoneos nos esse precatores; quia ex nobis in eo studio precandi magnopere inuident, & aduersantur. De huius versiculi virtute, & efficacia multa præclara philosophatur Ioann. Cassianus collatione 10. capite 10. ad quē locum auidum lectorem mittimus. ¶ Finitis verò precibus solet Ecclesia preces suas terminare, dicendo: *Diuinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen*. Petimus enim opem Diuinam, qua adiutorium postulatum à Deo opere sentiamus, & in lege Dei perficienda incessanter experiamur.

Psal. 69.

Ioan. Cassia.

His verbis Ecclesia: Diuinū auxiliū maneat semper nobiscū Amen, duo postulat a Deo.

DISPVTATIO VI.

De Verbo Saluandi, & Salute.

VErbo Adiuuandi proximum & coniunctum est verbum Saluandi. Vnde illud; *Adiuua me, & saluus ero*: & rursus: *Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris*. Item: *Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ*: & Ecclesia precatur: *Vt hic, & in æternum te adiuuante salui, & liberi esse mereamur, Saluator mūdi*. Et hoc magna ratione fieri videtur: quoniam nonnisi qui à Deo peculiariter adiuuantur, salutem adipisci possunt.

Psalm. 18.

Psal. 69.

Psalm. 53.

Est ergo saluare, idem quod Græcis Σώζειν, & Hebræis ישע Verbum Latinum Saluandi, etsi eo Cicero libro 2. De natura Deorum vtatur: & Quintilianus libro 12. capite 10. tamen apud veteres peritiorum iudicio non inuenitur, & putant illos duos locos productos, corruptos esse, & legēdū, Seruant, vel seruantur: non saluant, vel saluantur. Sed quicquid sit de vsu, & significatione huius verbi apud antiquos linguæ Latinæ professores, cōstat tamen Sacris literis, & veteres Patres Ecclesiasticos, nō minus rerum scientia, quam eloquentia, & verborū

Verbū Saluādi parū Latinis receptū scriptoribus.

M. Tullius.

Quin.

vsu

vsu excultos, ab hoc Verbo minimè abhorruisse. Et docet Augustinus libro 13. de Trinitate capit. 10. *Iesus Hebraicè, Græcè Σωτὴρ, nostra autem locutione Saluator, quod verbum Latina lingua antea non habebat, sed habere poterat, sicut potuit, quando voluit.* Hæc ille.

B. Aug to. 3.

Quando primum fuerit hoc verbum in vsu, quid significet.

Etsi ergo olim non esset nominis Saluatoris vsus, cœpit tamen esse, ex quo res ipsa cœpit apparere, hoc est ipse Christus mundi Saluator, & Seruator. Estque propriè saluare, rem amissam, aut pro perdita habitam recuperare. Verbum autem Seruandi potius insinuat actionem, qua res in periculo imminenti exposita, ne pereat, custoditur. verbum quoque Græcum Σώζειν, deriuari dicitur ἀπὸ τοῦ σῶς, σῆ, σῶν: vt dicere Σώζω σε, idē sit quod, Te tibi reddo, atq; restituo. Vnde Cicero Actorum 4. in Verrem, ita scribit: *Itaque eum non solum patronum istius insulæ, sed etiam Sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, vt Latino vno verbo exprimi non possit. Is est nimirum Soter, qui salutem dedit.* Hæc ille. Discedunt igitur à sententia Ciceronis, qui putārt nomen Σωτῆρος vocem Seruatoris, aut Liberatoris, aut Sospitatoris, plenè reddi.

M. Tull.

Origo nominis IESV.

Respondit etiam optimè verbo Hebræo ישע quod rebus perditis, & pro omninò amissis habitis accommodatur: vnde Dominus Iesus vocatur ab illius verbi radice: quod expressit Angelus apud Euangelistā, cum dixit: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et dicitur Saluator, seu Salus, seu Salutare apud prophetas.

Matth. 1.

Deo, & maximè Christo conuenit nomen Saluatoris rationibus quinque.

Matth. 8.

Iudic. 3.

Saluat autem Deus, siue CHRISTVS ab incommodis, & malis temporalibus, vt infirmitate, seruitute, morte. Vnde Apostoli dicebant: *Domine, salua nos, perimus.* Quare in lege Deus Saluatores mittebat, vt constat ex libro Iudicum, qui à captiuitate, qua premebatur, populum liberabant: quemadmodum etiam Ioseph, qui à fame, quæ vexabat vniuersum orbem, Saluator mundi à Pharaone est appellatus. Et illi quidem typici Saluatores erant, eius imaginem delineantes, de quo Samaritani dixerunt: *Ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est verè Saluator mundi.* Apud Græcos Ἀλεξίκακοι vocabātur, qui mala, & monstra propulsabant in hominum beneficium, vt Hercules, & Aesculapius, qui morbos omnes depellebant: apud Romanos verò dicebantur Patres patriæ, qui Rempublicam ab imminenti periculo liberabant, atque in dignitatem, & libertatem suam asserebant.

Gen. 41.

Ioan. 4.

II. ratio, cur Christus Saluator.

Secundo Christus Saluator est à summo malo, id est à peccato, ac dæmonis potestate. Vnde cum omnes homines peccatores essent, dicitur, Saluator omnium hominum, maximè fidelium.

1 Tim 4.

III. ratio.

Tertiò, Saluator est etiam per præseruantem gratiam à futuris peccatis, etiam mortiferis, & gehennæ supplicio dignis, in quæ homo erat propensus incurrere. Vnde & beatam Virginem etiam ab originali, singulari beneficio piè credimus præseruatā, cuius Spiritus exultauit in Deo salutari suo.

Luc. 1.

IV. ratio.

Quartò, saluat etiam à perpetua corruptione extinctum, & incineratum corpus: cuius beneficij præstandi specimen dedit, dum multos mortuos ad vitam reuocauit. Vnde & Apostolus dixit: *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

Matth 9.
Luc. 7.
Ioan. 11.
Philip. 3.

V. ratio.

Quintò saluat, dum æternę vitę salutem dispensat per dotes illas insignes, visionis, possessionis, fruitionis, de qua salute ait Ioannes in Apocalypsi: *Nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrū nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* De hac salute interrogatus fuit, *Domine si pauci sunt qui saluantur?*

Apocali. 12.

Luc. 13.

Quatenus per Christū, asserat Apostolus, nos esse saluatos.

Duoque in hoc Verbo peculiariter sunt obseruanda contra nostri temporis hæreticos: alterum est, quòd cum sæpè Apostolus dicit nos saluos factos per Christum, id catholicè accipiendum esse, nempè de illa salute, quæ per gratiam, & Sacramenta dispensatur. Ait enim Petrus Actuum cap. 15. *Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi:* & Paulus ad Ephesios 2. *Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati:* &, *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur: ipsius enim sumus factura.* Et, *Reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt:* &, *Spe salui facti sumus:* & ad Titum: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrū regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum; vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem, vitæ æternæ.* Cum enim similes propositiones audierimus, non statim intelligendum est, iam salutem nobis esse partam, & nihil amplius esse nobis aut in tentationes certandum, aut in stadio Diuinæ legis currendum, aut in bono operando laborandum, sed cum Apostolo dicendum: *Non iam acceperim, aut iam perfectus sim; sequor autem, si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Fratres, ego me*

Ephes. 2.
Rom. 11.
Tit. 3.

Hæreticorum nostri seculi refellitur intellectus.

Philip. 3. & seq.

me non arbitror comprehendiſſe. Vnū autem (quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora,extendens meipſum) Ad deſtinatum perſequor,ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.

Quo ſenſu à B. Petro hæc verba proferantur: *Si iuſtus vix ſaluatur, impius, & peccator vbi parebunt?* 1. Pet. 4.

Quod verò Petrus dixit: *Si iuſtus vix ſaluatur,impius & peccator vbi parebunt?* non ſic accipiendum eſt, quaſi nullus iuſtus ad ſalutē perueniat; ſed quia omnis iuſtus nonniſi cum laboribus, & difficultatibus, quas dæmon,caro, & mundus ſuſcitat propter Chtiſtum,ad ſalutem peruenire ſolet. Vt enim Chriſtus, & Apoſtoli, & Martyres ad vitam ſempiternam nōniſi magnis difficultatibus ſuperatis peruenerunt: ita nec nos peruenire poſſumus. Vt contingat nobis illud Pauli: *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.*

1. Cor. 3.

Saluare non tantùm Chriſtū, ſed etiam Angelos, & alios, Chriſti tamen munere, atque conceſſu.

Alterum eſt: quòd etſi hoc munus hominis ſaluandi, à Deo, cui primario competit, Chriſto ſit attributum; Chriſtus tamen largiter diffundens donum, in alios, vt Apoſtolos, & Angelos, illud deriuauit: quod non tantùm Chriſto nihil derogat; ſed etiam eius dignitati ſummopere arrogat; cùm quicquid ad promouendam aliorum ſalutem operentur, id totum acceperint à Chriſto, cuius vice & miniſterio funguntur. Vnde Apoſtolus de Angelis; *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis?* & 1. ad Corint. 8. dicit ordinarum fratrem ab Eccleſijs comitem peregrinationis ſuæ in gratiam, quæ miniſtratur ab illis ad Domini gloriam & deſtinatam voluntatē. Et cap. 3. 2. ad Corinth. *Qui idoneos nos fecit miniſtros Noui Teſtamenti,non literæ, ſed ſpiritu:* & cap. 6. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros.* Et Dionyſius cap. 9. Cœleſtis hierarchiæ tradit, homines permultos ſalutem conſecutos Angelorum miniſterio. Et Bernardus ſerm. 1. in feſtiuitate S. Michaëlis, commendans curam ſalutis noſtræ quā habent Angeli, vehementer nos diligentes, ex tribus cauſſis ait prouenire, propter Deum, quem diligunt, cuius amore animas ſaluare cupiunt; propter eos in quibus ſuam vident imaginem, propter ſe, vt eorum chori reſtaurentur ex hominibus pro Angelis qui ceciderunt.

Hebr. 1.

B. Dionyſ. Areopag.

...poſtolis et...m, atq; alijs Chriſti miniſtris vnde con... et munus ſal...uandi compe...ere.
Rom. 11.
...Cor. 9.

Iam verò, vt idem oſtendamus in Apoſtolis, & miniſtris Euangelicis, audi quid vnus eorum de ſe dicat: *Miniſterium meum honorificabo: ſi quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis:* Et ad Corinth. *Omnibus*, inquit, *omnia factus ſum; vt omnes facerem ſaluos.* Et 2. ad Corint. 5. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis: pro Chriſto ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* Et Timotheo hunc pulchrum titulum concedit; *Attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Et Apoſtolus frater Domini in vniuerſum ait: *Fratres mei, ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum: ſcire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Et Apoſtolus Iudas in ſua Canonica: *Et hos quidem arguite iudicatos, illos verò ſaluate, de igne rapientes.*

1. Timoth. 4.

Iacob. vlt.

Iuda 22.

Ieſu munificentia Saluatoris.

Vides igitur quàm amplus, & fœcundus ſit Ieſus Saluator? nō enim tantùm per ſe ipſum hoc munus exercet, ſed & per Apoſtolos, & per alios miniſtros, imò per nos ipſos noſtræ ſaluti cooperatur. *Et te ipſum*, inquit, *ſaluum facies, & eos qui te audiunt:* & Petrus: *Saluamini à generatione iſtâ praua.* Dominus quoque: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum:* & Paulus, *Notum*, inquit, *vobis facio, fratres, Euangelium quod prædicaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſaluamini.* Quiſque igitur ſeipſum ſaluum facit, ſine vllo errore Pelagij, qui ſuæ ſaluti cooperatur, vt teſtantur Apoſtoli. Quare inſignes hypocritæ ſunt Hæretici, qui à titulis diuæ Virginis, hoc eſt à vocibus Saluatricis, Mediatricis, & Aduocatæ abhorrent, & Sanctos, qui æterna gloria perfruuntur, inficiantur eſſe mediatores, aduocatos, aut interpellatores, cùm conſtet hæc præconia longè poſt Chriſtum, & propter Chriſtum illis abſque vllo ſcrupulo poſſe conuenire, dum noſtræ ſaluti cooperantur. Cùm ſanè magna Chriſti gloria ſit habere miniſtros, qui virtute ipſius illis communicatâ ſuos fratres in ſalutem adducant: nec enim turpe eſt, imò valde glorioſum imperatori habere milites, qui vrbes diruant, hoſtes fugent, & miſeros de eorū manibus eripiant: propter quod & Imperator gloriam conſequitur, & ipſi milites iuſtè ab ipſo remunerantur.

Act. 2.
Matth. 18.
1. Cor. 15.

De his hæc ſufficiant.

DISPVTATIO VII.

De verbis Gratificandi, & Donandi, & de voce Gratiæ, & Doni, quæ frequentissima est apud Apostolum.

Ambiguum Gratiæ nomen distinguendi necessitas.

GRATIA quæ Græcè χάρις & χαριτόω & Hebræis חן varia complectitur significata, quæ propter Sophistas hæreticos diligenter sunt distinguenda, ne in vocibus ipsis fucum facientes, errores pestiferos ferant, & nobis illndant. Erat autē hoc nomen rarum in Veteri Testamento, quia lex gratiam non conferebat; & si quæ erat, parua erat præ illa, quam viri Noui Testamenti habent; & in effectus visibiles non se porrigebat, vt facit illa Noui; & denique si quæ erat in Patribus olim, illam à Nouo Testamento, & Christo eius autore sibi detiuabant, & vendicabant. Vnde Ioannes: *Lex per Moysen data est gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, id est, suo merito comparata, & omnibus omnium seculorum hominibus exhibita. Hinc lex gratiæ vocatur, & Sacramenta habet quę gratiā conferunt. Dicitur etiam in Nouo Testamento Euangelium gratiæ Dei, & Spiritus gratiæ, & Deus omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternā suam gloriam in Christo: quia videlicet ipse summam, & infinitam gratiam vnionis accepit sine vllis meritis, & creatam gratiā accepit, vt caput quod diffundere habebat in omnia sua membra, & quantum creari poterat gratia, & quantum capax extitit Christi humanitas.

Ioan. 1.

Gratiæ Noui Testamenti maiestas, atq; amplitudo: eius illustria apud Paulum cognomenta.

Primus gratiæ significatus ex Aristotele, trimembris. Tom. 2.

Gratiæ igitur in primis vera significatio ab Aristotele petenda est, qui 2. lib. Rhetoric. ad Theodecten cap. 7. initio: *Gratia est*, inquit, *per quam dicuntur rogati gratis aliquid facere: non pro re aliqua, nec vt sibi quicquam qui faciunt, subueniant, sed vt cui faciunt.* Hæc ille. Vbi gratiam designat esse amorem, vel fauorem indebitum, deinde donum ex tali fauore procedens; vltimò agnitionem gratis accepti beneficij, siue fiat animo solo, quod est Habere hrariam; siue etiam verbo, quod est Agere gratias; siue etiam facto, quod est Referre, vel Rependere gratiam. Et hæc tria ita se habent, vt à primo pendeat secundum, & à secundo tertium. Nam ex amore procedit donum, & ex dono gratiæ agnitio, actio, vel redditio. Est tamen nonnulla differentia inter Denm, & hominem, quod attinet ad primum modū gratiæ. Nam dilectio hominis non efficit rei bonitatem, sed ponit ipsam vel in parte, vel in toto: nō enim homo diligendo bonū in fratre illud facit. Diuina autem voluntas ex dilectione, qua vult creaturæ bonum, deriuat, aliquod donum in eam. Et quia multiplex est donum, alterum commune, & naturale, quod omnib. creaturis Deus dilargitur, de quo: Diligis Domine, omnia quæ sunt, & nihil odisti eorū quæ fecisti: alterum verò, quod supra conditionem naturæ creaturam ad participationem Diuini boni eleuat: Hinc Deus dicitur aliquem simpliciter diligere, quia hac ratione vult creaturæ bonum æternum, quod est ipse. Et in hoc potissimū sensu accipitur Dei gratia, quæ primo actinè, siue metonymicè gratuitam Dei voluntatem denotat, de qua accipi possunt illa: *Iustificati gratis per gratiam ipsius*: & alio loco: *Vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secūdum spem, vitæ æternæ*: & ad Heb. 2. de Christo dicit Paulus: *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*: & quoties Paulus, quod sæpissimè facit, salutat dicendo, Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis. Et 1. Corint. 1. *Gratias ago Deo semper pro vobis in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Iesu*: & cap. 15. *Gratia autem*, inquit, *Dei sum id quod sum, & abundantius omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum.* Ita etiam dicitur Gratia prædestinationis, qua Deus gratuito, & nō ex meritis aliquos prædestinauit, de qua etiam ad Eph. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum, &c. in laudem gloriæ gratiæ suæ*, id est, ad commendandam gloriosam suam gratiam. Ac subdit: *In qua gratificauit nos in dilecto Filio suo.*

Amor Dei in quo ab hominis amore distinguitur.

Sap. 11.

Gratia Dei propria acceptio.

Rom. 3.

Tit. 3.

Ephes. 1.

Verbum χαριτόω, in coniugatione hiphil confinxit Apostolus à se solo vsitatum, ait Beza: sed falsum est, quia vsurpat eam quoque vocem, Lucas. Dixit enim: Aue gratia plena, κεχαριτωμένη. Augustinus verò testatur ob id additum: *In quo glorificauit*; ne in tanto beneficio placito gloriaremur voluntatis nostrę. Et sicut in hoc sensu actiua Dei voluntas (per Metonymiam, quia effectus ponitur pro caussa) appellatur gratia; ita passiuè donum Dei infinitum est Spiritus sanctus, qui datus est nobis, siue Christus ipse, de quo dicitur: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Passiuè quoq; creata gratia est, quicquid superadditum est ad perfectionem naturæ, vel supernaturale ad alterius vtilitatem, vel ad habentem Deo gratum reddēdum, vel ad gratias pro accepto beneficio rependendas.

Id est: Gratificauit nos in dilecto Filio suo, Theodori Bezæ hæretici hominis hallucinatio.

Luc 1.

Quare Paulus Deum nos gratificasse dixerit in dilecto Filio suo, secundum Augustinum.

B. Augustin.

Roman. 5.

Esai. 9.

Quòd igitur gratia amorem, siue beneuolentiam, & fauorem significet, ex his locis probatur: *Noe inuenit gratiam coram Domino*; &, *Dabo gratiam populo huic* (scilicet Israelitico) *coram Aegyptijs*: *Inuenit Ioseph gratiam coram domino suo*: ait Dominus Moysi.

Genes. 6.

Exod. 3.

Genes. 39.

Inuenisti

Exod. 33. Luc. 1. Infra 17. Act. 2. Infra 24.

Inuenisti gratiam coram me: Angelus Virgini: *Inuenisti*, inquit, *gratiam apud Deum*: & Christus, *Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quae ei* (scilicet Dominus) *imperauerat*? De primitiuis Christianis scribit Lucas, quòd haberent gratiā ad omnem plebem. Idem de Felice Pręside Syriæ ait: *Volens autem gratiam praestare Iudaeis, &c.* In his enim locis omnibus gratia accipitur pro fauore alteri impenso: hinc Liuius lib. 4. ab vrbe cond. vocat immeritam gratiam quæ non debetur ei cui refertur: & Cicero de Roscio, *Gratia & hospitijs florens nobilissimorum hominum*, id est, eminens, & splendescens fauore nobilium.

Liuius. Cicero pro Roscio Amerino.

II. Gratiae significatus.

Deinde Gratia vice aduerbij plerunquè accipitur, & significat idem quod causa. *Huius rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretae*, quod Græcè dicitur: τούτου χάριν. Et ad Galat. 3. Lex propter transgressiones posita est: vbi Græcè habetur: τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη. Et alibi: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem*: &, *Volo nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia.* Demum Petrus, *Non turpis lucri gratia*, & similia permulta.

Tit. 1. Gal. 3. Ephes. 3. 1. Tim. 5. 1. Petr. 5.

III. Significatus.

Tertiò Gratia, est iocunditas, siue venustas oris, & vultus, commendans hominem, siue eius verbum. Vnde admirabantur Iudæi in verbis gratię, quę procedebant de ore Christi, & Propheta de eodem: *Diffusa est gratia in labijs tuis*; & Ioannes: *Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare*, id est, maius gaudium. Paulus etiam, *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: Sed si quis bonus ad aedificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Sapiens quoque, *Lingua eucharis, seu gratiosa in bono homine abundat.*

Luc. 4. Psalm. 44. Ioan. 3. Ephes. 4. Ecclesiast. 6.

IIII. Significatus.

Quartum significatum Gratię est, vt denotet donum gratis datum, quod genericum est omni gratiæ. Et distinguitur tum χάρισμα, ἀπὸ τῆς χάριτος, quia χάρις, est gratia gratum faciens, χάρισμα verò donum, siue munus gratis impensum: quod attentè est considerandum, ne aberrare contingat. Vnde ad Roman. 1. dicitur: *Desidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis*: & cap. 5. *Non sicut delictum, ita & donum*, vbi χάρισμα legitur. Et ad Roman. 6. *Charisma Dei, siue gratia Dei, vita aeterna.* χάρισμα enim à verbo χαρίζομαι descendit, quando significat donare: & ad Roman. 11. *Sine poenitentia sunt dona* (Græcè χαρίσματα) *& vocatio Dei.* Capite etiam 12. *Habentes donationes, secundum gratiam quae data est nobis, differentes.* Vbi Græcè habetur. Ἔχοντες δὲ χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν διάφορα. Item 1. Corinth. 1. *Ita vt nihil vobis desit in vlla gratia*, Græcè charismate. Et cap. 7. eiusdem epistolæ: *Vnusquisque proprium charisma, siue donum habet ex Deo.* Et cap. 12. dicitur: χαρίσματα ἰαμάτων pro gratia sanitatum. Rursus: *Diuisiones charismatum, siue gratiarum sunt.* Ad Timotheum ait: *Noli negligere donum, siue gratiam quae in te est.* Beatus Petrus, *Vnusquisque sicut accepit gratiam, siue donum, in alterutrum illam administrantes.* Item Apostolus: *Vt ex multarum personis facierum, eius quae in nobis est donationis, per multos gratiae agantur pro nobis.* Idem rursus, *Admoneo te vt resuscites gratiam, siue donum Dei, vel charisma, quod est in te.* Et sicut χάρισμα est donum, ita verbum χαρίζεσθαι, est donare, siue condonare. Vnde Luc. 7. *Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque.* Et Actor. 3. *Virum petistis homicidam donari vobis*: id est: Eū qui dignus erat morte, donari vobis ad vitam petistis: & Act. 27. *Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum*; id est, In gratiam tui seruauit illos Deus à tempestate, & morte. Ad hæc 2. Corinth. 2. *Qui autem aliquid donastis*; *& ego.* cap. 12. *Donate mihi hanc iniuriam.* Roman. 8. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit*? Coloss. cap. 3. *Supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus alterum habet querelam. Sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.* Et capite præcedenti, *Donans vobis omnia delicta.* Ephes. capit. 5. *Estote autem inuicem benigni, & misericordes donantes inuicem sicut & Deus in Christo donauit vobis*, hoc est, condonantes mutuò & ignoscentes, ita enim Chrysostomus, & Hieronymus verbum Græcum interpretantur. Et hactenus dictum sit de charismate, & verbo χαρίζεσθαι.

Rom. 1. Infra 5. Infra 6. Infra 11. Infra 12. 1. Cor. 1. Infra 7. Infra 12. 1. Timoth. 4. 1. Pet. 4. 2. Corinth. 1. 2. Tim. 1. Luc. 7. Act. 3. Infra 27. 2. Corint. 2. Infra 12. Rom. 8. Colos. 3.

VI. Significatus Gratiae.

Iam sexta sequitur significatio, χάρις enim gratia dicitur, quæ iustum, & charum hominem coram Deo facit, quæ qualitas, siue habitus diuinus est, & effectus gratuitæ, & diuinæ voluntatis eius, de quo ait: *Plenum gratiae & veritatis*; *& Iesus proficiebat* (Cicero dixisset, florebat) *sapientia, & aetate, & gratia*: ad Roman. 1. *Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum.* Romanorum 12. *Dico enim per gratiam quae data est mihi.* 1. Corinthiorum cap. 1. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quae data est vobis*, Græcè, ἐν χάριτι, de gratia: & rursus: *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis*: ad Ephesios 4. *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*: χάρις κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς. Beatus Petrus dixit: *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari: quemadmodum & illi.* Paulus quoque: *Et qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et rursus: *Ideò ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio.*

Ioan. 1. Luc. 2. Rom. 1. Infra 12. 1. Corinth. 1. 2. Cor. 9. Ephes. 4. Act. 15. Rom. 4. Ibidem 16.

Infra 6.

Iterum; *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Gratia ergo opponitur legi, & merito, ſine debito, & operibus, de quibus:

Tit.3.

Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.

VII. Gratiæ ſignificatus.
Luc 6.
2 Corint.2.
Infra 8.

Septima ſignificatio eſt, vt Gratia, ſit Gratiarum actio, & dicitur ſimiliter Græcè, χάρις, de qua Lucas: *Quæ gratia eſt vobis?* & Paulus: *Deo autem gratias, qui ſemper nos triumphat in Chriſto Ieſu:* &, *Gratias autem Deo, qui dedit eandem ſolicitudinem pro vobis in corde Titi.* Iterum; *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum:* ad Coloſſenſes ait: *In pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia* (id eſt actione) *cantantes in cordibus veſtris Deo:* &, *Gratias ago Deo meo*, quod frequens eſt in Apoſtolo. ¶ Hanc gratiam Auguſtinus libro octuageſimo tertio, quæſtio.31. tomo 4. circa med. ex ſententia Ciceronis ita definiuit: *Gratia eſt, in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur.*

1.Cor.15.
Coloſ 3.
2.Cor. 14.

Quid Gratia Ciceroni.

VIII. ſignificatus.

Octauò, præter hanc gratiam habitualem, indigemus noua, & continua gratia, qua adeptum iuſtitiæ donum ſeruemus, & ad ſingulos bonos actus neceſſaria eſt, vt bene operemur. Eſtque hæc gratia amplius non habitus; ſed ſpeciale auxilium motionis Diuinæ ad peccata futura vincenda, & ad tentationes dæmonis ſuperandas, item ad legem Dei præſtandam, ad orandum, ad perſeuerandum, & bene patiendum. Hinc apud Scholaſticos diſtinctio gratiæ operantis à cooperante, & præuenientis à ſubſequenti, & comitante.

Gratiam vt diuidant ac diſtinguant Sacræ ſcholæ Theologi.

IX. ſignificatio.
Pſalm.83.

Poſtremò gratia accipi poteſt pro præmio, id eſt pro gloria, quæ eſt conſummata, de qua poteſt illud intelligi: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, id eſt gloriam, quæ nihil eſt aliud, quàm ſumma, & plena gratia. Et Ioannes, *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, id eſt, gratiam Noui Teſtamenti, à Chriſto, pro Veteris Teſtamenti gratia, à Moyſe: & gratiam vitæ æternæ pro gratia bonorum operum.

Ioan.1.

Gratia Lutheranis infuſum nõ eſt donum Dei ſed fauor eius tantum quidam extrinſecus.

Iam verò paucis explodenda ſunt quæ Hæretici circa hanc vocem innouarunt. Et in primis frequens eſt acceptio gratiæ apud Hæreticos pro fauore externo, ſiue acceptatione Dei; contendentes, nullum donum, aut gratiam in nobis exiſtentem Deum operari. Id enim tradunt Centuriatores libro primo, capite primo, *Gratia eſt*, inquiunt, *acceptatio gratuita propter meritũ Chriſti, eiuſque integra, ac plena imputatio.* Hunc errorem primus Lutherus ſcribens contra Louanienſes aſſeruit, & ſecuti ſunt Pomeranus ad Romanos, capite primo, Bucerus ibidem, Loſſius quoque, atque Lambertus in Euangelium Annuntiationis.

Clement. de ſumma Trinit. & Fide Catholic.

Sed in hanc ſententiã tria militant Concilia. Primum eſt Concilium Viennenſe, in quo definitur, vt probabilior ſententia, Gratiã, & Fidem, & Spem infundi per Baptiſmum in infantes: ſicut etiam Innocentius III. De Baptiſmo, & eius effectu, capite Maiores, idem docere videtur. Synodus quoque Tridentina ſeſſione ſexta, canone vndecimo: *Si quis*, inquit, *dixerit gratiam qua iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei, anathema ſit.* Idem quoque tradit Concilium Florentinum, in doctrina Armenis tradita, capite de Sacramentis.

Innocent. III.
Concil. Trid.
Concil. Florent.

Præter quæ teſtimonia eſt verbum Dei, quod tradit, gratiam Dei dari, infundi, ſiue diffundi charitatem per Spiritum ſanctum in nobis. Petrus etiam vocat maxima, & pretioſa promiſſa nobis donata, quibus efficimur conſortes Diuinæ naturæ, de quibus: *Nunc manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc:* at manere non eſt actus, ſed habitus. Prætereà: *Gratia*, inquit, *Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Rurſus: *Adiuuantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis:* nam qui habitus otioſos detinent, in vacuum gratiam Dei recipiunt. Vnde Auguſtinus definiuit virtutem: *Virtus, eſt animi habitus naturæ modo, atque rationi conſentaneus.* Dat igitur gratia eſſe ſpirituale, vt forma diuina. Deinde Dilectus dixit: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & ſimus:* at habitus & eſſe, & nomen tribuere ſolet. Ad hęc Dilectus gratiam Dei vocat ſemen, quod manet in nobis: & Apoſtolus credentes tradit ſignatos eſſe Spiritu promiſſionis ſancto, *Qui eſt pignus*, inquit, *hæreditatis noſtræ.* Eſt igitur aliquid permanens gratia Dei, ſicut pignus vel arra. Prætereà inexplicabile eſſe videtur, quomodo ablato habitu gratiæ, vel virtutum, Deus ſit potius in iuſto, quàm in peccatore. Vnde orabat Salomon; *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam; & mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ; vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te.* Promittit etiam: *Ad eam veniemus, & manſionem apud eum faciemus:* & Apoſtolus, Habitare ait Chriſtum per fidem in cordibus noſtris: quomodo autem habitaret, & in nobis permaneret, niſi fidei, & gratiæ dona permanentia in nobis ſtabiliret? Motus item, & actiones minimè ſunt in pueris qui baptizantur,

Roman 5.
2.Petr.1.
1.Corint 13.
Infra 15.
2.Cor.6.
II. locus.
1. Ioan.3.
Ibidem 9.
III. locus.
Ephеſ 1.
IV. locus.
Sap 9.
V. locus.
Ioan 14.
Epheſ.3.
Ratione idem euincitur.

zantur,cùm vſu rationis careant:erunt igitur dona Dei,&habitus diuini,ſine quibus baptizatus infans à non baptizato non differret.

Nequaquam gratiam Dei ipſam eſſe naturam, contra Pelagianos. B. Aug to. 2.

Secundus fucus eorum eſt declinandus, qui cum Pelagio ſentientes,gratiam Dei naturam eſſe interpretabantur: quia hoc eſt deſtruere Dei gratiam, & erigere, & inflare naturam. Hinc Auguſtinus in epiſtola quinque Epiſcoporum nomine ad Innocentium ſcripta,quæ num. eſt centeſima nonageſima quinta inter illas Augu. Etſi quadam,inquit,non improbanda ratione dicitur gratia Dei qua creati ſumus,vt nonnihil eſſemus,nec ita eſſemus aliquid,vt cadauer quod non viuit,& arbor quæ non ſentit, & pecus quod nõ intelligit,ſed homines, qui & eſſemus,& viueremus, & ſentiremus, & intelligeremus, & de hoc tanto beneficio Creatori noſtro gratias agere debeamus: vnde meritò & iſta gratia dici poteſt, quia non præcedentibus aliquorum operum meritis, ſed gratuita Dei bonitate donata eſt: alia eſt tamen qua prædeſtinati vocamur, iuſtificamur, glorificamur, vt dicere valeamus: *Si Deus pro nobis,quis contra nos*,&c. & de hac gratia quæſtio vertebatur cum Pelagio.

Rom. 8.

Tertius fucus cauendus, ne nomine Gratiæ ſolam intelligamus remiſſionem peccatorum. Nam Auguſtinus lib.1. Retracta.cap.25.ita loquitur: *Vbi quod dixi, Gratiam eſſe in remiſſione peccatorum, pacem verò in reconciliatione Dei. Vbicunque hoc dixi,non ſic accipiendum eſt, ac ſi pax ipſa & reconciliatio non pertineat ad gratiam generalem; ſed quod ſpecialiter nomine gratiæ remiſſionem ſignificauerit peccatorum. Sicut legem & ſpecialiter dicimus ſecundum quod dictum eſt: Lex,& Prophetæ. & generaliter,vt in ea ſint & Prophetæ.* Et rurſus de lib. De gratia & libero arbitrio ad Valentinum,capite 14. in principio: *Neque ſcientia Diuinæ legis,neque natura,neque ſola remiſſio peccatorum, eſt illa gratia quæ per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum datur.* Hæc ille meritò dixit: quia præter remiſſionem peccatorum continet renouationem, adoptionem, & vim legi Diuinę faciendi ſatis,& ius ad gloriam,multi hæretici gratiam accipiunt pro ſola peccatorum remiſſione.

B. Aug. to. 1. Idem in expoſitio epiſtola ad Roma. inchoata, to. 4. ſub finem. Luc 16. Matth. 11. Idem tomo 7. finem verſus.

Quartus cauendus & ille error, ne vllo quolibet peccato veniali putemus gratiam Dei amitti, more Hæreticorum, qui omnia peccata paria faciunt: Nec rurſus in aliud vergendum extremum,vt per quodlibet mortiferum peccatum putemus fidem amitti; cum quolibet lethali peccato gratiam amitti conſtanter aſſeramus,ſola verò hæreſi, aut infidelitate etiam præter gratiã fides amittatur.

Venialia gratiam Dei peccata non adimunt: mortifera præter hæreſim,aut infidelitatem, fidem minimè tollunt, contra Lutheranos.

Quintus fucus hæreticorum declinandus: Ne diſpoſitiones, & præparationes ad gratiam comparandam nobis præripiant. Nam frequenter Dei Verbo excitamur ad occurrendum Domino, & ad nos ipſos illi præparatos,& obſequentes exhibendos:& ita ſi iacturam fecimus gratiæ, debemus pœnitentia, & fide, & bonorum operum ſtudio ad reſarciendam gratiam præparari. Si verò in gratia Dei permanemus, totus conatus noſter eò debet contendere, vt in dies nos reddamus per perſeuerantiam boni operis, & tolerantiam laborum præſentis vitæ magis habiles, & præparatos ad accipiendam vitæ mercedem, & coronam.

Quod præparationes ad gratiam vel amiſſam recuperandam,vel adeptam conſeruandam, & amplificãdam vtiles ſint atque adeo neceſſariæ, aduerſus eoſdem. Rom. 2.

Sextus error damnatus, eſt,Sacramenta Noui Teſtamenti nullam gratiam præſtare ex opere operato, ſeu ex vi Sacramenti; cùm oppoſitum docuerit Auguſtinus, & Concilij Florentini Patres, & Concilium Tridentinum aliter tradentes damnauerit.

Sacramenta Noua legis nullam gratiam conferre ex opere operato, Lutheranum eſt dogma.

Septimus, & poſtremus error eſt noſtri ſeculi Hæreticorum, qui volunt, omnes iuſtificatos teneri,& arctari ad credendum ſe eſſe in gratia Dei, & tali gratia eos iuſtificari,& ſola fide id apprehẽdi; quod peruerſum & inſanum eſt dogma, & alibi à nobis confutatum.

Sicut & illud: Quemlibet iuſtum, ſe iuſtum eſſe, ad credendum adſtringi.

DISPVTATIO VIII.

De Verbo Vocandi & Vocatione, & Vocatis; quod frequens eſt in Sacris literis,præſertim apud Paulum.

QVONIAM Paulus frequentiſſimè vti conſueuit verbo Vocandi, & in ſalutatione epiſtolę ad Romanos bis eos vocatos nominauit, cum dixit: *Vocati Ieſu Chriſti*: & infrà: *Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis*, & ſe vocatum Apoſtolum propoſuit, & in alijs locis vocationis facit mentionem: vt, Siue pœnitentia ſunt dona,& vocatio Dei: & Deum vocantem appellat, cùm ait, *Non ex operibus,ſed ex vocante*, meritò in diſputationem vocamus, vt has Paulinas locutiones non infrequentes & diſcutiamus magis, & melius interpretemur. Hoc enim verbum in primis interdum Deo ſoli tribuitur, datur & aliquando ſolis hominibus, datur denique Deo ſimul & hominibus. Cùm igitur ſoli Deo tribuitur hoc verbum, plurima ſignificat.

De his vocibus quæ nam occaſio diſſerendi. Rom 1. Ibidem 7. Ibidem 1. Infra 11. Supra 9. Verbum Vocandi in Scripturis quibus ſoleat accommodari.

Dei vocatio duplex est.

ficat. Est enim duplex vocatio generalis: est etiam duplex peculiaris quorundam vocatio. Primo namque vocat Deus omnes creaturas ad esse naturale per Verbum: *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt*, vocans scilicet ad esse ea quæ non erant: quæ facta sunt, dicendo, Fiat hoc, vel, Fiat illud. Ita Apostolus dixit: *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*: id est, Perinde illi vocanti obediunt, quæ non sunt, vt esse incipiant, atque illa quæ sunt, & sensu auditus, & intellectus præstant, vt vocanti obsequantur. Cumque vniuersa creatura tota in obsequendo Diuinæ potentiæ subsistat: hinc dictum est, *Vocauit Dominus famem, & venit super terram*; id est, suo imperio venit fames. Et alio loco; *Dixit* (id est præcepit, siue vocauit) *& venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus.* Vniuersa siquidem eius nutui parent. Vnde in libro Baruch Stellæ vocatæ dixerunt, *Adsumus*. Quam quidem vocationem nulla merita præcedunt, cùm creaturæ nullæ existerunt, quæ id postularent, aut precibus obtinere contenderent. At in hac generali vocatione, etsi omnes homines ad nobilius esse, hoc est rationale, & intellectuale, quàm sit omnium aliarum creaturarum, quæ corpore constant, vocentur: particulares tamen hominum vocationes diuersæ sunt. Nam alij ad regna administranda, vel respublicas gerendas; alij ad sapientiam, & disciplinas tradendas, vt Philosophi; alij ad agriculturæ, vel pasturæ, vel militiæ exercitia, vel denique ad peculiares artes profitendas, siue ingenuas, siue illiberales vocantur. Adeò, vt admiratione dignum videri possit, quòd in vna republica omnes scientiæ, disciplinæ, artes, & ministeria ad vitam rectè sustinendam necessaria inueniantur: & quisque mirabili Dei prouidentia per instinctum naturæ, propensionem & inclinationem, ad suum viuendi genus, & opificium suauiter inducatur, iuxta illud; *Impleui Beseleel Spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere; Ad excogitandum quicquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum.*

Prima. Ioan.1. Genes.1. & seqq. Rom. 4. 4.Reg.8. Psal 104. Exod 10. Baruch.3. Quàm multiplex sit humanæ per Deum vocationis differentia. Exod.31.

Altera Dei generalis vocatio.

Alia est vocatio generalis ad esse diuinum participandum: quod inchoatur hic per gratiam, & perficitur in alio seculo per gloriam: quæ quidem aliud non est, quàm gratia consummata. Hanc quoque vocationem nulla vocati merita præcedere possunt, sed tantùm Dei beneplacitum, & fauor: vsque adeò, vt verbum vocantis Dei, excludat omne meritum. Vnde aliud; *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia maior seruiet minori.* Itaque Apostolus scribit Romanis: *In quibus estis & vos vocati Iesu Christi.* Id est, ex gratuita, & misericordi Dei vocatione habetis, vt sitis membra Christi, fratres, amici filij, sponsæ, & vt nominemini Christiani, id est, participes vnctionis, hoc est donorum, & Spiritus Christi. Est autem hoc verbum Vocandi in translatitia significatione positum, inde metaphora sumpta, quòd cùm aliquid existere incipit, tunc nomen accipit, & cùm induit qualitatem, aut dignitatem: tunc enim nouum sumit cognomentum: vt Scipio Africanus, vel Asiaticus, & Metellus Creticus. Dici etiam potest, translationem à Principibus sumptam, qui ad se vocant eos, quorum opera vti volunt, & quibus sufficit aliquid mandasse: vnde & nouam crediti ministerij appellationem accipiunt. Et subiungit Apostolus: *Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis Sanctis.* Hoc est: ex dilectione diuina, & beneuola vocatione vocati estis ad Euangelicam sanctitatem. Etsi verò Deus ad talem, & tantam dignitatem merita vocatorum non spectet: respicit tamen ad Iesu Christi Domini nostri merita, in cuius gratiam, & gloriam fideles vocantur: nam vt gratis vocarentur à Deo, & ipse sua obedientia, & morte promeruit. Non ergo habent Christiani quicquam, quod in se glorientur, vel alijs sese præferant, cùm quicquid habeant, vocatione Dei, & gratia habeant, non vllis suis meritis. Et hoc voluit nos agnoscere, dum dixit de Romanis, *Vocati Iesu Christi*, & suo exemplo docet, dum ait, *Vocatus Apostolus.* Quòd verò omnes ad filiorum cognomentum vocentur, Scripturæ demonstrant, quæ hanc vniuersalem Dei vocationem indicare videntur: vt quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; quod vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quòd neminem vult perire, sed omnes ad pœnitentiam redire. Adde rationes non vulgares: Quia Christus mortuus est pro omnibus hominibus: alioqui saluator mundi non esset, aut saluator omnium hominum, maximè fidelium: & quòd alioqui peccatum Adæ, quod omnes lædit, potentius esset ad perdendum, quam Christi meritum ad seruandum: quod Apostolos emiserit in mundum vniuersum ad prædicandum Euangelium omni creaturæ: quod Ecclesiæ Sacramenta, & verbum Dei, omnibus pateant, & nulli salutis via præcludatur: quod iureiurando se adstrinxerit Dominus dicendo; *Viuo ego: nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius*

Rom.9. Genes.25. Quid sit esse Christianum. Omnes homines ad filiorũ Dei appellationem diuinitus euocari, probatur duppliciter. Ioan 1. 1.Timoth.2. Luc.2. 1.Tim.4. Marc.vlt. Ezech 33.

Supra 8. Ambro.lib.2. de vocat. Gent.ca.1.sub fin.tom.2.ante med.

Duplex hominum vocatio ad salutem.

impius à via sua, & viuat. Et Ambrosius, seu Prosper probat, neminem à probatione Dei, & gratia exclusum, sed varijs, & innumerabilibus vijs, tùm secretis, tum apertis, à Deo excitari homines, & ad salutem procurandam vocati. Et quanquam hi maiori, & potiori voce accersantur, alij verò minori, & remissiori: nulla tamen vocatio est quæ pro bonitate Dei non sit sufficiens, & idonea ad salutem comparandam, si homo velit auscultare. Est enim vocare, intellectum in veritate agnoscenda illustrare, & debilem voluntatem erigere, atque adeò trahere ad bonum. Vnde & apud Ioan. ca. 6. vocatio dicitur doctrinæ tractus: *Omnis*, inquit, *qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me:* &, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Sed permulti sunt, qui huius doctrinæ discipulos præstiare seipsos recusant, qui rebelles sunt lumini, & resistunt Spiritui sancto; qui diligunt magis tenebras, quàm lucem. Vocati etiam sunt multi, & à Deo edocti, & tracti: perseuerare tamen in vocatione sua proprio vitio recusant. Ideò non omnes vocati iustificantur: nec omnes iustificati salui fiunt. Quod vtrunque Dominus egregiè in parabola Matth. 22. docuit. Omnes fuerunt vocati, siue κλητοὶ, siue bona Dei voluntate asciti, & pauci ex vocatis electi: nam excusarunt se, nolētes venire ad nuptias: de quibus: *Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Et Dominus in carne: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti?* Hi verò meritò dicuntur dura ceruice, & incircumcisi cordibus, & auribus, de quibus per Prophetam dicitur, *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Et Dominus non ignorans multos non habere aures audiendi, solitus erat dicere, *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quòd si vocati venire non possent, & assentiri vocanti, frustra, & mendaciter ad cœlestem gloriam, & non nisi ad maiorem condemnationem inuitarentur, ac vocarētur: quod vehementer absurdum est, ac bonitati, ac fidelitati Dei repugnans. Quidam verò alij acquiescentes voci Dei, & se ad illam per oblatam gratiam præparantes, prolapsi sunt, vt ille, qui ingressus est conuiuium sine veste nuptiali charitatis. Vt idcircò adhortetur Paulus; *Sic currite, vt comprehendatis.* Et de seipso verba faciēs; *Ad destinatum persequor, ad brauium cœlestis vocationis in Christo Iesu:* de quo cursu alibi dixit; *Cursum consummaui.* Et Petrus in genere clamat: *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Fuit enim à nobis certa, cum seruamus dilecti vocem: Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Fuit etiam in certa nostro otio, & negligentia. Cùm igitur omnes vocentur à Deo, nec omnes audiant, vt iustificentur, nec omnes iustificati operentur, nec omnes operantes perseuerent, vt salui fiant: hinc multi pereunt. Quemadmodum nec ex Ægypto omnes vocati à Deo per Moysem, egredi voluerunt: nec omnes egressi in terram promissam peruenerunt. At verò cùm omnes, qui à Deo per gratiam suam sunt vocati, corpori Christi mystico inserantur: hinc efficitur, vt cœtus omnis vocatorum, Ecclesia appelletur, id est, euocatus à Deo populus. De quibus Petrus ait; *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*; vt virtutes, id est, actiones honestas, siue officia virtutum; (habent enim Græca ἀρετὰς) annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Vocat autem statum Noui Testamenti, admirabile lumen; quod meritò suspensos, & admirabundos omnes tenere deberet: tanta est Dei vocantis bonitas, & charitas, tanta donorum copia, quæ effunditur in homines pessimos, & ingratissimos, & omni supplicio dignissimos. Est autem illa locutio Petri quàm simillima illi, qua vsus est Cicero pro Rege Deiotaro, dicens, Rex enim Deiotarus vestram familiam deiectam, & obscuram è tenebris in lucem vocauit. Sed qui oculis fidei agnouerit tenebras horrendorum peccatorum, ex quibus nos Dei gratia eruti sumus: facilè etiam percipiet excessum luminis admirabilis, de quo loquitur Apostolorum Princeps, ad lucem illam, quam Rex Deiotarus in familiam suam obscuram contulit. ¶ Sunt autem vocationes peculiares in hac secunda classe, variæ quidem illæ, & diuersæ: sed in ea primum locum tenet Christus, qui non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed vocatus est à Deo tanquam Aaron. Ita enim in Scripturis Propheticis, à quibus & acceperunt, & loqui didicerunt Apostoli, Christus vocatus est à Deo ad eam dignitatem, vt Messias, & Filius Dei vocaretur per summè gratuitam hominis Christi assumptionem, & vnionem ad verbi Dei hypostasin, de qua Apostolus dixit; *Non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo:* quemadmodum diabolus, & Adam olim rapere voluerunt. Hinc apud Esaiam. capite quadragesimo nono. *Dominus*, inquit, *ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*, id est, nominis Iesu. Et dum Beata Virgo eum in vtero ge-

Left margin notes: Deum vocare aliquem, quid. — Ioan. 6. — Ibidem. — Deo vocanti qui minimè respondeant. — 2. Tim. 3. — Ioan. 3. — Cur non omnes vocati, & iustificati fiant salutis æternæ participes. — Matth. 20. — Infra 22. — Prouer. 1. — Matth. 23. — Quales isti sint, & dicantur. — Act 7. — Psal. 94. — Heb. 3. — Matth. 13. — Nisi Deus vocatorum omnium salutem vellet, quid inde. — Heb. 6. — Matth. 22. — 1. Cor. 9. — Philip. 3. — 2. Tim. 4. — 2. Pet. 1.

Right margin notes: Certam quando & incertam vocationem nostram faciamus. — Apoc. 3. — Num. 26. — 1. Cor. 10. — Fidelium congregatio Ecclesia cur dicatur. — 1. Pet. 2. — Exod. 9. — Christi virtutes annuntiare quid. — Statum Euangelij Petrus admirabile lumē cur vocauerit. — Cicer. orat. 43 à med. to. orat 3. — Gradus vocatorum quinque. — Heb. 5. — Philip. 2. — Esa 14. — Gen. 3. — Esa. 49.

Matt. 1.
Esa. 45.
Esa. cap. 51. de Cyro sententiam valentiam [?] propriè Christo ostenditur conuenire dupliciter.
Ibid.

staret, Angelus dixit ad Ioseph: *Vocabis nomen eius Iesum*. Et cap. 45. sub persona Cyri Christum alloquitur Pater; *Dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, vt scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israel*. Et infra: *Vocaui te nomine tuo*. Quod autem de Messia sint verba in eo capite, indicant subiuncta, quæ Euangelium concionantur: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem*.

Athanas. lib. de Trinit. sub fin tom. 4.
Lactan. c. 14. prope initiũ.
Psal. 20.

Comprobant idem Patres, Athanasius lib. de Trinit. & Lactantius lib. 4. diui. institut. Habuit enim Christus omnia quę habuit ex mera gratia diuinæ vocationis, vt ita præuentus in benedictionibus dulcedinis, ipse in genus humanum gratis effunderet thesauros gratiæ suæ, & sapientiæ in gloriam Patris vocantis, & suam, atque adeò in salutis nostræ beneficium.

Omnium plenitudo donorum à Deo est Christo collata.
Secundus gradus.
Luc. 1.
B. Virgo est minor Filio Dei.
Vna tantum est Dei Mater, non plures.

¶ Secundo loco vocata est B. Virgo Angeli testimonio, vt eueheretur ad dignitatem Matris Messiæ: ideò singulari gratia præuenta, & præuocata, vt ab omni peccati labe præseruata se tantæ Matris Dei dignitati idoneam pręstaret: Nec in hoc propterea dici potest æquatam Matrem filio Dei: sicut nec is, qui nobilitatem assecutus principis gratia, & munificentia, æqualis esse poterit ei, qui suo marte, & suapte natura est nobilis. Nec hęc tanta gratia alteri erat communicãda: quia ipsa sola est mater, & vna tantum est in mũdo Luna, non plures.

Tertius gradus.
Ioan. 1.
Ibid.
Esa. 40.
Ioan. 1.

¶ Tertium locum vocationis habuit Ioannes Baptista, quē Deus vocatione sua sancta ad Paranymphi, & Præcursoris dignitatem assumpsit. *Fuit*, inquit, *homo missus à Deo*: id est, vocatus ad testandum de Messia; & vt ipse dixit, Vox clamantis in deserto, hoc est, organum Messiæ, vt per illud alios ad se vocaret, & omnes crederent per illum: vt testatur in suo Euangelio Ioannes.

Quartus gradus.
Luc. 6.
Prouer. 9.
Act. 9.

¶ Quarto loco sunt Apostoli, quos constat primò fuisse vocatos à Christo vt essent discipuli: posteà etiam adsciti sunt vt essent Apostoli, id est missi ad alios vocandos, iuxta illud, *Vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit*; & impletum est illud: *Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis*. Simili ratione Paulus primò vocatus est, vt esset discipulus, qui posteà peculiariter ad Apostolatum euectus.

Infra 13.
Quintus gradus.
Esa. 22.
Veteris Sacerdotij in nouũ transferendi prædictio.

Alij sunt vocati, Prophetæ, Euangelistę, pastores, & Doctores, Sacerdotes, religiosi, monachi. Vnde Esai. 22. *Et erit in die illa: vocabo seruum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius*. Et videtur prophetare, teste Hier. de veteri Sacerdotio in nouum tranferendo. Et iterum c. 59. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: ministri Dei nostri*, id est, vocatione Dei peruenietis ad Sacerdotalem, & Euangelicã functionem.

Infra 61.
1. Cor. 7.
Ephes. 4.

Omnesque adhortatur Apostolus, vt in qua quisque vocatione vocatus est, in ea permaneat; & iterum, *Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis*.

Quinam sint illi vocati.
1. Cor. 1.
Rom. 9.
Ose. 2.
Ibid.
1. Pet. 2.

Et vocati dicuntur illi, qui donum vocationis à Deo acceperunt, & illud eius beneficio retinent, & tuentur, iuxta illud: *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis, Iudæis atque Gentibus, Christum virtutem, & sapientiam*. Et Paulus ex Osea Propheta: *Quos & vocauit, non solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus*, sicut in Oseæ dicit; *Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam, &c. Et erit, in loco vbi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocantur filij Dei viui*: id est, Illi, qui olim non erant plebs mea, aut filij mei, aut misericordiam consecuti, & dilecti. Vocat autem eo loco eos, qui excellenter sunt vocati.

Duplex seruandorum ordo.
Rom. 8.
Ibid.
Deum Patrē cum Filio suo omnia nobis donasse, quid.

Nam vt quidam tradunt, duplex est vocatio ista ad Dei gratiam: altera omnibus communis, per quam omnes ad cœleste regnum, & subsidia communia illius adipiscendi euocãtur, quibus vti si velint, possunt peruenire. Altera vocatio est nobilior, & præstantior, quia ita quidam forti voce inuitantur, vt vocati illam omnino sequantur. De his ait Apostolus; *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ijs, qui secundum propositum vocati sunt sancti*. Et ostendens, talem vocationem non posse deficere, subiũgit: *Nam quos præsciuit, & prædestinauit, &c. Quos autem prædestinauit, hos & vos vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit*. Hæc ille de vocatione excellenti, quam sequitur iustificatio, & magnificatio. Ac subdit: *Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Id est, omnia excogitabilia dona, & promouentia salutem. Deinde in persona horum insigniter vocatorum adiungit: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? & cæt. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita*, & reliqua.

2. Tim. 1.
Infra 2.
Insignes quorundam electorum vocationes.

De hac rursus vocationē loquitur in posteriori ad Timoth. *Qui nos liberauit*, inquit, *& vocauit vocatione sua sancta*, id est, *firma, & certa, & sanctitate Christi comparata*. Et infra: *Ex quibus est Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorundam fidem. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt eius*. Talis videri potest vocatio Apostolorum, qui vno, aut altero verbo tan-

tùm

Matth. 4. Act. 9.

tùm euocati, vim diuinæ vocis scientes, cótinuò relictis retibus & patre, secuti sunt Iesum: & Paulus luce circumfulgurante territus, & Iesu voce allectus, *Saule*, inquit, *Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare*, statim succumbens, & vocanti se dedens: *Domine*, ait, *quid me vis facere?* Similes sunt multorum sanctorum aliæ vocationes non sine signis, quibus integrum vix fuit repugnare ob gratiæ Dei magnitudinem, & degustatam vocantis suauitatem. Nouit enim autor humanæ naturæ, quomodo tágendi sint homines, vt ex nolentibus, vel, quod minus est, ex non volentibus volentes fiant. Et in parabola vineæ, & operariorum elicitur conclusio: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Illi enim omnes ad colendam vineam sunt euocati, tam electi, quam vocati: per vocatos intelligo eos, qui communi vocatione ad regnũ inuitantur, etsi non obstet interdum ab illa vocatione excidere, vt accidit vocatis ad nuptias filij Regis: per electos verò eos, qui maioris, & sanctioris vocationis gradu potiti sunt. Et certè sicut vni dantur quinque talenta, alij duo, alij verò vnum, nec æqualiter omnibus datur: & sunt iusti, qui maiori præfulgent Dei gratia, quam alij: & inter eos, qui iam in cęlo glorificati sunt, alij minores, alij maiores existunt: ita mirum esse non debet, si in vocatione ad vitam æternam varij gradus existant. Vt quidam sint communiter vocati: quidam ampliori gratia præuocati: & quidam electi, quidam verò prælecti. Adhæc quemadmodum Deus in hunc vsque diem ipse per seipsum interius ad gratiam, & vitam æternam vocat, & intus ad diuersos Ecclesiæ gradus, & ministeria idoneos, & habiles facit: ita exterius per Pastores & Pontifices ad gradus Ecclesiasticos, sine quibus Ecclesia nequit consistere, alios & Sacerdotes, & Pastores, & verbi Dei ministros vocare solet: ita vt Papa, aut Episcopo aliquem vocante, censeatur Deus ipse vocare, vt legitimè per ostium intret.

Vnde diuinæ illius vocationis efficacia.

Matth. 20. In Parabola Matth. 20. & alia Matth 22. quinam sint vocati qui electi.

Infra 22. Infra 25.

[Op]tima ratio [p]ro duplici [g]radu vocato[ru]m stabilen[d]o, atque fir[m]ando. [A]ltera.

[1.] Cor. 12. [E]phes. 4. [Ioa]n. 10.

Quo loco interrogandi sunt hæretici, quo vocante ad cathedram docendi, & Sacramenta administrandi, vel gubernandi Ecclesiam peruenerunt? Constat enim, Apostolos à Christo esse missos, & vocatione eius suo munere functos, & in genere dictum: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Non enim respondere possunt se missos à Romano Pontifice, cuius proprium munus semper fuit alios vocare in partem solicitudinis, cum quotannis solenniter, & nominatim in Bulla cęnæ Domini excommunicationis mucrone feriantur.

[Hæ]reticos nec [à D]eo, nec ab [eiu]s ministris, [sed] tantum à [se]ipsis, vel ab [ho]minibus [laic]os, tripli[ci] ostendi[tur] argu[men]tum.

[Rom.] 10.

Deinde dicere non possunt, se intus à Deo magna voce excitatos vocari ad docendum: quia deberent aut signo aliquo, vt Moses; aut Scripturæ aliquo loco, vt fecit Ioannes Baptista, id comprobare. Præterquam quod non est Deus autor dissensionum, sed pacis; nec in Deo inuenitur, Est & Non, vt modo aliquid dicat, & rursus contradicat, vel cantet, & recantet. Deinde hoc esset subterfugium, & velamen omniũ hæreticorum, quia facilè possent fingere, se à Deo vocatos, & iuramento id affirmare: quod si satis esset, iam omnes hęreses extinctæ reuiuiscerent: & quæ futuris seculis oriri possent, veræ essent & Catholicæ sententiæ.

Secundum argumentum.

Exod 3. Ioan. 1.

1. Cor. 14. 1. Cor 2.

Quid propriũ hæreticorum, Deo contrarium valde.

Tertio loco, si dicant se à laicis magistratibus missos, interrogabo, Quis est, qui hanc secularibus magistratibus contulit autoritatem? Dicent: Deus. Rursus instabo, vnde id constare possit, aut ex quo loco Scripturæ, aut ex qua Patrum veterum traditione, aut ex cuius œcumenicæ Synodi decreto, aut definitione id valeant comprobare? Cùm ergo ex sacris literis, vel Ecclesiæ Catholicę traditione constet, nullam potestatem Ecclesiasticam laicis competere, imò certum sit, eos peculiariter excludi, cum enarrent punitos Reges, qui attentarunt, officia sibi vsurpare Sacerdotalia, & cùm Paulus dicat, non ab hominibus, neque per hominem se Apostolum esse: superest, vt soli hæretici hanc ipsam magistratibus dederint potestatem, & ita tandem hæretici non nisi à seipsis missi sint, qui eã, adulantes, & mentientes, magistratibus secularibus tradiderunt, quò cùm vellent, ab illis reciperent. Et in illos hæc sint satis.

III. Argum.

2. Paral. 26.

Gal. 1.

Nemo igitur sit, qui non agnoscat omnia quęcunque habet, siue sint naturalia, siue gratuita dona, à Deo se habere, vt in gloriam donantis, & in commodum fratrum vtatur. Nemo deinde alteri vocationẽ per vim obtrudat (quia Dei est vocare, etsi possit vitæ alicuius statum proponere, & commoditates eius explicare) vt faciunt plerũque parentes, qui filias sæpè inuitas, ac repugnantes in monasteria detrudunt, vel alias contra voluntatem ipsarum ad matrimonium adigunt ob generis splendorem, & amplam dotem, vel alios ad Sacerdotiũ suscipiendum arctant, non alia ratione, nisi vt lautius, & splẽdidius viuant. Deinde verbũ vocandi hominibus competit, quatenus significat inuocare: vt in his locis, *Eliã vocat iste*; *Voca, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere: ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum*, Et iterum, *Saltem amodo*

Vnde omnia dona descendant, cur donentur.

Etsi melioris vitæ status proponi, aut suaderi, non tamen imperari cuiquam debet. Qui secus faciant.

Quibus locis vocare, inuocare significet. Matt. 27. Iob 5.

voca

Gen 4. Infra 5. Infra 6. Coloss. 4. Matth. 13. Supra 1. Luc. 1. Infra 23.

Cur absolutè iustitia, cur iustitia Dei, & Christi iustitia necnon & iustitia fidei in Scripturis hæc iustitia nominetur.

fuit Henoch, Noe, Propheræ, Abraham, & ipse Christus, qui iustus simpliciter nominabatur, de quo; Multi Prophetæ, & iusti cupierunt videre quæ videtis. Habes etiam in Nouo Testamento Ioseph virum Mariæ iustum, & Zachariam, & Elisabetam iustos ante Dominum, & alterum Iosephum ab Arimathia, qui vir bonus & iustus à Luca dicitur, & perplures alios. ¶ Porrò hæc iustitia, quæ coram Deo iustos facit, & iustitia simpliciter dicitur, & iustitia Dei, qua nos Deus induit, & iustitia Christi, quoniam illam nobis suo sanguine promeruit; & iustitia fidei, quia per fidem inchoatur, & per eam remissionem peccatorum, adoptionem filiorum Dei, renouationum spiritus hominis, & pollicitationem Spiritus, & vim diuina mandata obseruandi, & ius ad vitam æternam apprehendimus. Hæc enim omnia in dono iustitiæ continentur, si quis velit exactè eam explicare, & comprehendere.

Qualis Christi & Angelorũ, Protoplastorumque iustitia, qualis verò Virginis Matris; tum qualis demũ sit nostra iustitia.

Est igitur iustificari in primo hoc sensu, iustum fieri, siue ex iusto, quomodo Christus, & Angeli, & primi parentes iusti extiterunt; siue ex iniusto, vt omnes nos, qui concipimur, & nascimur in peccato originali, & ex Adam veteri transferimur in regnum Filij dilectionis Dei. B. Virgo medio quodam modo iustificata est: non enim ex non iusta, vt Christus, & alij dicti, iustificata est: neque ex iniusta, vt omnes nos, quia actu peccatum non habuit, ex quo contracto subleuaretur ad iustitiam, sed ex debito peccatum contrahendi erecta fuit in iustitiam, quod medium est inter illa duo dicta: atque hæc est iustificatio, de qua Apostolus edisserit tam in epist. ad Rom. quàm in illa ad Galatas.

Secunda iustificatio, nimirũ Mosaica, quænam illa.

Cur illa minime coram Deo iustificaret.

Præter hanc diuinam, & absolutam iustitiam fuit alia, quæ etiã aliqua ratione diuina dici potest, Mosaica nimirum iustitia, quam exigebat in lege Moyses. Hæc autem vmbratilis, & typica erat, quia ad veram remissionem peccatorum, & ad dictum iustitiæ donum hominem non adducebat, quia ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram Deo. Nam vt Paulus docet, Legis veteris obseruatio non erat ex fide Christi, quæ æterna bona respicit, sed ex viribus naturæ: nam qui Legem seruabat, vt præmia proposita in Lege sibi compararet, aut vt pœnas temporales, quas interminatus est Deus, effugeret, iustus simpliciter non erat, sed illa iustitia præstita ab homine, tantum beneficia temporalia assequebatur, & ab irregularitaribus, quibus impediebatur ingredi templum, aut de sacrificijs edere, absoluebatur; & vitam temporalem, felicem, & diuturnã, qui per Legem iustus erat, obtinebat; secundum illud Leuitici à Paulo vsurpatum: *Iustitiam quæ ex Lege est, qui fecerit homo, viuet in ea*; & alibi: *Quæ*, inquit, *parabola est temporis instantis; iuxta quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem. Solummodò in cibis & in potibus, & in varijs baptismatibus, & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis*: vbi iustitias Legis vocat carnales. Et cap 4. & 5. dicitur de peccantibus, vt tale, vel tale sacrificium adducant ad Sacerdotem, qui rogabit pro eo, & pro peccato eius, & dimittetur ei: intelligenda est remissio peccati quantum ad irregularitates contractas, quibus impediebatur assequi præmia temporalia, aut ingredi templum, aut edere de sacrificijs.

Rom. 10. Gal. 3. Leuit. 18.

Heb. 9.

Remissionem peccati lex illa qualem conferre: tantummodo.

Præstabat tamen illa Lex hanc commoditatem, vt verum medicum morbi sanatorem Christum indicaret, & veram iustitiam, quæ per fidem est Messiæ, designaret, & quæ instar esset pædagogi ad Christum ducens.

Quid Euangelicæ Legi, iustitiæque contulerit.

Gal. 3.

Habemus igitur duo iustificationis genera, alterum typicum, alterum verum, & proprium. Sicut enim propriè dicitur fieri, quod nondum erat: (quod enim iam est, quid necesse est fieri?) ita propriè tale quid fieri dicitur, quod nondum erat tale. Vnde Augustinus in Psalmum 31. *Si iustificatur*, ait, *impius, ex impio fit iustus*. Atque hæc iustificatio dono eius gratuito, & liberalitate donatur. Quare Augustinus lib. 1. quæstionum ad Simplicianum: *Nemo*, inquit, *credit, qui non vocatur, Misericors autem Deus vocat, nullo hoc vel fidei merito largiens, quia merita fidei sequuntur vocationem potius quàm præcedant*. Idem quoque ad Valentinum: *Omne*, inquit, *datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum. Nec quisquam dicat meritis orationum suarum, vel merito fidei suæ sibi traditam Dei gratiam, & putetur verum esse quod illi heretici dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari: quod omninò falsissimum est*. Quia nimirum fides docet tantum reputari ad iustitiam ex gratuito Dei dono.

Propriè quid fiat

B. August. in præfat. finem versus, tom. 8.

Idem quæst. 2. paullò remotius à princip. tom. 4. circa medium.

Idem epist. 45. circa dimid. tom. 2.

Iacob. 1. Rom. 4.

Præterea, quoniam id quod conseruatur, & augetur, dicitur aliquo modo tale fieri, vt qui opibus augetur, dicitur ditescere: qui doctrina perficitur, dicitur indies magis sapere; hoc est augmentum doctrinæ, & sapientiæ comparare: ad eum modum iustificari amplius dicuntur, qui indies iustitia maiori cumulantur; secundum illud: *Qui iustus est, iustificetur adhuc*; & : *Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est*: item: *Perficientes sanctificationem in timore*

Tertium iustificandi genus sacris literis non ignotum.

Apoc. vlt. 1. Ioan. 3. 2. Cor. 8.

Dei.

Dei. Est enim prior iustitia inchoatio quædam & generatio iustitiæ Christianæ, quæ augmento perficitur, vt plantæ, & animalia, & homines, qui sumpto alimento per seipsos augentur. Ita dicitur quod Abrahã ex operibus sit iustificatus apud Iacobum: & hæc de tertio iustificationis genere.

Iacob. 2.

III Iustificatio, Pœnitentiæ Sacramenti propria.

Ad quartum statuendum, perpẽde, hominem ex pugna interiori fomitis, vel ex suggestione dæmonis, vel ex mundi illecebris captum, & superatum, per mortiferum delictum succumbere: deinde iterum per fidem, & pœnitentiam, & per ministerium reconciliationis erigi, & restitui in gratiam, & amicitiam Dei. Istos etiam dicimus iustificari, & iustitiam recuperare: quemadmodum qui à morbo in quem inciderunt, resurgunt, sanari, vel sanitatem amissam recuperare asserimus. In hac autem iustificatione durius Dei pactum innenitur, non solum propter contritionem, & dolorem de peccato, & erubescentiam enumerationis peccatorum coram Sacerdote, sed etiam propter satisfactionis laborem, & absolutionem Sacerdotum, quam nisi de notis peccatis, & cum vera contritione prolatis, iure dare nõ possunt, nec nisi impositis pœnis satisfactorijs. De hac iustificatione Christus tribunal instituit, cùm dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et Actorum 8. Simoni iam baptizato a Petro dicitur: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tuà, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*: & Actor. 19. *Multi credentium & iam baptizatorum, ad Paulum, &c. veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos*: qui etiam libros magicas artes, & curiosas continentes exusserunt: & 2. Corinth. 12. luget Paulus multos ex ijs qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt.

Cui similis.

Ardua hæc iustificandi ratio, & laboriosa dupliciter.

Ioan. 20.

Act. 8.

Infra 19.

2. Cor. 12.

Prætereà, quia id quod est, & non apparet, videtur quodammodo non esse, & idcircò cùm manifestatur, dicitur quodammodo fieri: quod illis exemplis illustratur: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra;* &, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hinc quintus consurgit iustificationis modus, quoties videlicet à iudice pronuntiatur aliquis iustus, & ab obiectis criminibus absoluitur: atque hoc modo Iustificare est verbum forense: & iustificationi tali opponitur damnatio, & hoc continget in die iudicij: nam prolata Christi sententia, non poterit non esse vera, & omnibus cognita, atque comperta pro tali, etiam ab impijs qui dicent: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Et Dominus: *Venite Benedicti Patris mei, &c.* Et iterum: *Euge serue bone, & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te cõstituam; intra in gaudium Domini tui.* De hoc etiam genere iustificationis loquitur Apostolus ad Rom. secundo: *Non enim*, inquit, *auditores Legis iusti sunt apud Deum; sed factores Legis iustificabuntur;* id est, iusti habebuntur, siue declarabuntur apud Deum; vt ratio etiam aduersatiuæ illius, Sed, exigere videtur, & cõfirmatur ex subiunctis: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, &c. In die cùm iudicabit Deus occulta hominum, secundum Euangelium meum.* Rursus cap. 5. eiusdem Epistolæ: *Sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ.* Et iterum cap. 8. *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat? Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est?* ¶ Vbi nota, in vtroque testimonio, iustificationi opponi condemnationem, quæ contingere solet reo in iudicio, si non iustificatur. Denique de hac iustificationis ratione Paulus loquitur 1. Corint. 4. *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum*: hoc est, Nondum iustus pronuntiatus sum, & declaratus apud vos. Et subdit: *Qui autem iudicat me, Dominus est.* Cui sententiæ omnes stare debemus, vt habeamus omnes illos pro iustis, quos ille in tribunali suo iustificauerit; & pro reprobis, & impiis, quos ille damnauerit. Et rursus de die illa postrema subiungit: *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit omnia abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique (scilicet pio, & iusto) à Deo*: & in his locis sermo est de iustificatione vt est absolutio ab obiectis criminibus in foro diuino.

Iustificationis quarta species, Scripturis notissima.

Matth. vlt.

Psal. 2.

Sap. 5.

Matth. 25.

Ibidem.

Quam multis locis Apostolus de illa iustificatione faciat mentionem.

Rom. 2.

Ibidem

Infra 5.

Infra 8.

1. Cor. 4. & seq.

Si autem loquamur de sententia ab homine, qui iudicis munere, & magistratu fungitur, quia homo cordis interiora non penetrat, vel si nouerit iustitiam, potest corruptus passione illam deserere: propterea statuendum est, quòd potest homo absque culpa & errore illum iustum habere, & coram alijs pronuntiare, qui reuera iustus nõ est; cùm omnes coniecturæ & probationes eò tendere videantur, vt absoluatur, & pro iusto habeatur. De quolibet enim est rectè sentiendum, donec contrarium probetur. Rursus potest homo prudens, & volens ab-

Forensis iustificatio vel etiã hominis iniusti quã legitima.

Qua illegitima, abominabilis, & impie

errare,

errare & aliquo munere, vel pretio, vel malo affectu corruptus, quem iustum deprehenderit, cōdemnare, & quem sontem & iniustum inuenerit, iustum declarare etiam sententia: idcircò hæc humana iustificatio inualida est, incerta, & abominatio apud Deum. Hinc Paulus & sui, & aliorum de se iudicium vt fallibile contemnit, & soli Deo vt infallibilis veritatis iudici, iudicium suum tribuit. Hinc Scriptura, eos, qui seipsos, aut alios sontes falsò iustificant, aut bonos condemnant, frequenter reprehendit. Nam Salomon Prouerb. 17. *Qui iustificat*, inquit, *impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Et Esaias: *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo*: & Dominus: *Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus; Deus autem nouit corda vestra*: & Paulus: *Non qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.* Iesus Sirach Eccli. 42. inter alia, de quibus quis confunditur, ponit: *Et de iudicio iustificare impium.* ¶ In contrarium verò adhortatur, vt bonos, pios, & insontes in iudicio iustificemus. Ait enim Dauid: *Iudicate egeno, & pupillo. Humilem, & pauperem iustificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*: & alio loco: *Iustifica pusillum & magnum similiter.* Peius enim est damnare vel vnum iustum scienter, quam decem sontes absoluere.

Eiusmodi iustificationem Scripturæ quàm acriter insectentur.
Prou. 19.
Esai 5.
Luc. 16.
2. Cor. 10.
Eccli. 42.
Psal. 81.
Eccli. 5.

Deus præterea iustificatur ab hominibus, cùm iustus, & sanctus agnoscitur, & pronuntiatur. Hinc illud: *Vt iustificeris in sermonibus tuis: & vincas, cùm iudicaris.* Lucas ait: *Omnis populus audiens, & publicani, iustificauerunt Deum.* Et infrà: *Iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis*: id est, Iusta declarata. Paulus etiam ad Timotheum: *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu*, id est, fidelis, & verax inuētus est Christus in promissis, siue iustificatus à peccato, & à calumnijs Iudæorum, quas illi imponebant: & hoc in Spiritu, quia agnitus est iustus, & sanctus Filius Dei; & per Spiritum suscitatus à morte, quam non pro se, sed pro peccatis nostris abluendis pertulit. Dicuntur etiam iudicia Dei vera, iustificata in semetipsis, hoc est præcepta, per quæ sumus in iudicio à Deo iudicandi, plena sunt rationis, & æquitatis; & ad nos illa obseruantes iustificandos proposita. Vel ex hoc etiam, quòd Deus tantæ sapientiæ illa dedit, & tantum præmium per illa assequendum promisit, & gratiam qua illa possemus præstare, suppeditauit.

Quintæ iustificationis formula.
Psalm 50.
Rom 3.
Luc. 7.
Ibid.
1. Timoth. 3.
Quare Christus apud Paulum iustificatus dicitur in Spiritu.
Rom 8.
Psal 18.
Iudicia Dei cur vera, & iustificata in semetipsis dicantur à Propheta.

Iam sextam aggrediemur iustificationis rationem. Nam cùm contingit, vt in pugna fomitis homo succumbat, & in leuia, & venialia, siue minuta peccata incidat: hinc quotidie egemus remissione peccatorum, quando & per orationem Dominicam, & per dilectionis, aut contritionis actus, aut per confessionem peccati coram Deo assequimur, iuxta illud: *Dimitte nobis debita nostra*; & : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Hanc iustificationem vix nominassem, quia non sunt illa peccata mortifera, nec gratiam per eam amittimus, nec eam recuperamus, nisi Patrum sententiæ ad eam ponendam cogerent. Ait enim Hieronymus libro primo aduersus Iouinianum, neminem dum viuit, plenè iustificari, propter leuia, & venialia peccata. Et Augustinus sermone 16. de verbis Apostoli: *Et erit quisquam nostrum qui audeat dicere, Iustus sum? Puto enim esse, Iustus sum, quod est, Peccator non sum. Si audes hoc dicere, occurrit tibi Ioannes: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Quid ergo? Nihil habemus de iustitia, an habemus? Sed non totum habemus. Hoc ergo quaramus. Si enim aliquid habemus, & aliquid non habemus, crescat quod habemus, & implebitur quod non habemus. Ecce enim baptizati sunt homines, omnia illis peccata dimissa sunt, iustificati sunt à peccatis, negare non possumus: restat tamen lucta cum carne, restat lucta cum mundo, restat lucta cum diabolo. Qui autem luctatur, aliquando ferit, aliquando percutitur, aliquando vincit, aliquando perimitur, quomodo de stadio exeat, attendatur*; Idem libr. 19. de Ciuit. Dei, cap. 27. in principio: *Ipsa quoque nostra quamuis vera sit propter veri boni finem; ad quem refertur: tamen tanta est in hac vita, vt potiùs peccatorum remißione constet, quàm perfectione virtutum. Testis est oratio totius ciuitatis Dei, quæ peregrinatur in terris. Per omnia quippe membra sua clamat ad Deum: Dimitte nobis debita nostra.* Rursus libr. 2. in Iulianum Pelagianum: *Iustificatio*, inquit, *in hac vita, nobis secundùm tria ista confertur. Prius lauacro regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata. Deinde congreßione cum vitijs, à quorum reatu absoluti sumus. Tertiò, dum nostra exauditur oratio, qua dicimus, Dimitte nobis debita nostra: quoniam quamlibet fortiter contra vitia dimicemus, homines sumus.* Hæc ille. Non desunt etiam Patres, qui Pauli verba superiùs dicta: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum*, asserunt dixisse Apostolum propter venialia, in quæ nescientes incurrimus: vt Basilius, Theophylact. Ambros. & August. quanquā Bern. id interpretetur, dictū esse propter fomitē, qui perpetuò, quantū ex se est, à iustitia nos āuocat.

Sextus iustificandi modus
Matth. 6
1. Ioan. 1.
Hieron. tom. 2. in princ.
Aug tom. 10.
Hanc vocem: Ego iustus sum, grauiter reprehendit August.
1. Ioan. 1.
Idem tom. 5.
Quam tenuit huius vitæ iustitiam Augu.
Matth. 6.
Idem inter med. & fin. lib. tom. 7.
Ad tria nobis illa confertur, secundum eūdem.
Id Apostoli: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, bifariam Patres interpretantur.
Basil in reg. breuio. interrog. tom. 2.
Theoph. in locum Pauli.

Ambr. ibid. tom. 5. Augustin. Bernard.

Septimum iustificandi genus.

Septima ratio iustificationis est, cùm homo peruenlet ad integram, & perfectam iustitiam, siue ad gratiam consummatam, quæ vita æterna est, caretque omni peccato, etiam veniali, & fomitis vitio, & corpore corruptibili. Vnde ait Apostolus de Ecclesia gloriosa: *Non habens maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed est sancta, & immaculata.* (*Ephes. 5.*) Sed hæc expectatur in præmium in cœlo, & potest magis cognosci, & desiderari, quàm haberi. Quæ quidem iustificatio potest sub meritum bonorum operũ cadere. De qua Augustinus libr. de Spiritu, & litera, cap. 36. ante medium ita loquitur; (*Idem tom. 3. circa finem. Deut. 6. Matth. 22.*) *Ideò nobis hoc etiam nunc præceptum est* (scilicet, Diligendi Deum ex toto corde, & ex tota anima, &c.) *vt admoneremur quid fide exposcere, quò spem præmittere, & obliuiscendo quæ retrò sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus.* (*Philip. 3.*) *Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea quæ perficienda est iustitia, multum in hac vita ille profecit, qui, quàm longè sit à perfectione iustitiæ, proficiendo cognouit.* Hæc magnus Augustinus.

Multum qui proficiat, teste August. in ea quæ est perficienda iustitia.

Octaua iustificationis ratio.

Postremus modus iustificationis desumitur ex comparatione, siue collatione. Aliquid enim dicitur altero iustius, quod minùs declinat à iustitia. Et ita si hominem Deo conferamus, tantus est excessus, vt iniustus potiùs, quàm iustus dici possit. Hinc Eccli. 18. dicitur: *Deus solus iustificabitur, & manet inuictus Rex in æternum*: (*Eccli. 18.*) quia solus natura sua ab iniustitia longissimè abest, & cũ iustitia infinita est coniunctus: & Iob. cap. 9. (*Iob 9.*) *Verè scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Infrà: (*Ibid.*) *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ: tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea.* Et cap. 25. (*Infra 25.*) *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce Luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Hæc ille. Vt enim aduentu Solis offuscantur stellæ, & non splendet Luna, ita iustitia humana nulla videtur, si conferatur cum diuina. Ita etiam inter peccatores, qui grauiùs peccant, alios minùs peccantes iustificant. Ita Ezechiel. 16. (*Ezech. 16.*) *Samaria*, inquit, *dimidium peccatorum tuorum non peccauit; sed vicisti eas sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es. Ergo & tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratiùs agens ab eis: iustificatæ sunt enim à te*, & reliqua. Ad eum modum Thamar, quæ concubitum furata fuerat à socero, ad eum misit baculum, & armillam, dicens: (*Genes. 38.*) *De viro cuius hæc sunt, concepi, cognosce cuius sint. Qui agnitis muneribus, ait: Iustior me est*, id est, Minùs peccans. Et Habac. 1. (*Habac. 1.*) *Quare taces deuorante impio iustiorem se?* hoc est, minus peccantem. De Publicano ait Dominus apud Lucam: (*Luc 18.*) *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo*, id est, præ illo Pharisæo, qui omnes præ se damnabat, & qui dicebat: *Non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus.* In eundem sensum dicitur, (*Ibid.*) Reginam Austri, & Niniuitas damnaturos Iudæos, quasi maiores quàm ipsi peccatores.

Iudæi ab Austri Regina, & Niniuitis in iudi. to quomodo damnādi. *Matth. 12.*

Posset & per cõtrarium fieri comparatio inter iustos, vt qui iustitia vincit alios, dicatur magis iustus quàm alter, & præ illo nominari non iustus: quemadmodum dicimus vnum altero beatiorem in gloria. Sed hic modus loquendi non est perinde vsitatus, atq; superior. Hæc mihi dicta sint de varijs iustificandi rationibus, vt lector cautior sit in Scripturis intelligendis. Reliqua verò quæ ad rem ipsam iustificationis spectant, hîc non attigi, ne actum agerem: quia & in epistola ad Romanos, & in Prolegomenis epist. ad Gal. fusissimè disputaui.

Iustorum inter iustos iustitiæ comparatio, sed infrequens tamen illa.

Vbi longus ab autore fiat sermo de iustificatione.

Sanctificari quid: hæc sanctificatio soli tantùm Christo cõueniens.

Verbum autem Sanctificandi vicinũ est & voce, & significatione verbo iustificandi: & vt varium est iustificari, ita & sanctificari. Est enim in primis sanctificari, fieri ex non sancto sanctum, quomodò de seipso dixit Dominus: (*Ioan. 10.*) *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.* Ea etiam ratione Angeli, & primi parentes, qui conditi sunt in gratia, vt multi graues Patres tenent, certè ex non sanctis sanctificati sunt.

II. sanctificatio propria Virginis matris.

Secundò sanctificari, est non ex peccato, sed ex debito illud cõtrahendi sanctum fieri: quomodo beata Deipara sanctificata fuit etiam ab originali, de qua quidã illud accipiunt: (*Psal. 45.*) *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*: etiamsi alij de Christi Humanitate interpretentur.

III. sanctificatio peccatoribus respondens.

Tertiò sanctificatur peccator ab immũditia, & sordibus peccatorum per Baptismum, & pœnitentiæ Sacramentum: & tunc iustificati, & sanctificati dicuntur: nisi quòd ratio sanctificationis est à macula peccati iustificatio, ab errore & deuiatione iustitię. Vnde illud: (*1. Cor 6.*) *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.*

IV. sanctificatio

Quartò sanctificari, id est, augere sanctitatem partam, iuxta illud: (*Apocal. vlt.*) *Qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc*: & Paulus: (*2 Corint. 7.*) *Perficientes sanctificationem vestram in timore Dei*; item: (*Leuit. 19. Infra 20.*) *Sancti estote, quia ego sanctus sum.*

V. sanctificatio.

Quintò, sanctificari, est, haberi, declarari, & pronuntiari sanctum: quomodo Propheta ait: *Sanctificabo nomen*

meum

meum magnum, quod pollutistis in Gentibus, &c; *Sanctificetur nomen tuum*, id est, sanctum agnoscatur ab omnibus, & habeatur.

Sextò dici possuot sanctificari, qui ad beatitudinem perueniunt, & ad perpetuã, & perfectam sanctificationem, de qnibus Apostolus: *Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* ¶ Et totidem modis etiam vocamus sanctos, & sanctificatos; sed præcipuè Beati hoc sibi oomen vendicant. Vode & impij dicuot: *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Io veteri autem Testamẽto hoc verbum alia quædam significat. Et de his hactenus.

DISPVTATIO X.

De verbo Credendi, quo frequenter vtitur Apostolus, & Euangelista, & voce fidei.

QVoniam verbum Credẽdi multa singularia habet, tam apud Apostolicas, quàm apud Euangelicas literas; operæpretium esse putaui, aliquid diligentiùs de eo disserere, & quę commnniter de illo verbo recepta sunt, apertiùs discutere.

In primis igitor assero, locutionem illam Credendi in Deo, vel in Deum, phrasim esse propriam Hebræorum, noo autem Romanorum, aut Græcorum, qui simpliciter Credere alicui, sine vlla præpositiooe vsurpare solent, vt etiam alio loco memini me dixisse.

Deinde constituendum, idem esse prorsus, Credere io Deum, & Credere in Deo: quemadmodum est, Credere in nomine eius, & Credere io nomeo eius: & Credere in nomine Iesu Christi, & in oomeo Iesu Christi: quia hæ locutiones perpetuò Græcæ vni respondent, nimirùm: Πιστεύειν εἰς θεὸν, vel εἰς ὄνομα αὐτοῦ: sed à nostro ioterpretè variata est, & per Accusaodi, & Auferendi casum expressa, quorum vtrumqne Latina præpositio In, regere solet. Quòd autem idem sit, Credere in Deum, vel in nomine eius; & Credere in Christum, & in nomine Christi; & Credere in Iesum Christum, & in nomen Iesu Christi, inde patere manifestè potest, quia oomeo pro reipsa oominata, & repræsentata accipitur, siue pro gloria, fama, & magnificentia oominati. Quare primo præcepto de non habendis dijs alienis, adiungitur secundum de nomine eius sanctificaodo. Et à Ieremia dicitur; *Tu autem in nobis es, Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos*: & Dauid: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.* Quibus ex locis erudimur, perinde esse sanctificaodum, innocandum, & laudibns celebrandum Dei nomen, atque ipsum Deum.

Quòd autem hæc loquendi formula Græcis, & Latinis ignota, Hebraicæ linguæ sit familiaris, ex eo ostẽditur, quòd hoc verbnm construi solet cum præpositiooe seruili Beth, quæ Latinis significat, Io, iuxta illud: *Credidit Abraham in Deo, & reputatum est illi in iustitiam*: & in Exodo: *Crediderunt in Deo, & in Moyse seruo eius.* Sic enim in vtroque loco habet lectio Hebræa. Ita etiam in secundo libr. Paralipomenon legimus: *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis*: & Dauid: *Quia non crediderunt in Deo, nec sperauerunt in salutari eius*: & iterum: *Non crediderunt in mirabilibus eius.* Rursus: *Non crediderunt in verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis suis*, vbi etiam Hebræus codex ita legit. Hanc autem constructionis formulam amplexus est perpetuò Chaldæus interpres, & Genes. 15. & in alijs locis: & Dominus in Euangelio illam secutus est, dum dixit: *Creditis in Deum, & in me credite.* ¶ Causa verò cur eiusmodi verbum cum Beth seruili construatur, esse videtur, quia verbum aman in hiphil, significat, Credidit, coofisus est: & niphal, firmum, fidelem, & stabilem esse denotat. Cùm igitur verbum boc, Coostabilire, & permanere sigoificet: vnde & amen, aduerbium confirmantis est, & emeth, & emunah, fidem, & veritatem designet: meritò fides, siue actus credendi, nihil est aliud, quàm niti & hærere dicẽti, aut promittenti, & in dicto testificantis, aut loquentis stare, & permanere. Hinc Apostolus fidem defioiuit, substantiam rerum sperandarum, vel vt Græcè dicitur ὑπόστασις, boc est, basin & subsistentiam eorum quæ creduotur: & hinc Paulus Timotheo scripsit: *Tu verò permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi.* Qui enim per fidem discit à Deo, permanet in Deo ceu certo fundamento. Quod & Esaias indicauit: *Si non credideritis*, inquit, *non permanebitis, vel non eritis stabiles*: & 2. Paralip. 20. *Credite in Deo*, (Hebraicè Iehouah) *& stabiliemini: credite in Prophetis eius, & proficietis*: Hos enim locos porrigit nobis hæc Hebræi verbi, Credendi scilicet, etymologia; vt intelligamus, quòd cùm aliquid scieotia comparamus, oobis ipsis, & lumini nostro nitimur: cùm autem credimus Deo, non nobis, sed dicenti, aut promitteoti Deo nitimur, quod est magnum credeotium solatium.

Porrò alia est ratio credendi Moysi, alia credendi Deo, & Domino Iesu, qui dixit: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi*:

Cur tantùm Hebræi hanc locutionem agnouerint.
Genes. 15.
Exod. 14.
2. Paral. 20.
Psalm. 77.
Ibid.
Psalm. 105.
Ioan. 14.
Verbum Credendi, Hebręis vnde descendat.
Credere, quid sit.
Hebr. 11.
Quid fidem esse, substantiam rerum sperandarum.
2. Tim. 3.
Esa. 7.
2. Paral. 20.
Credere Deo vel Domino Iesu, & credere Moysi, vel

Prophetis quomodo distinguantur. *Ioan.5.*

Moysi namque & Prophetis credimus, vt ministris Dei verba eius ad nos deferentibus, & tanquam vera de Deo, & Christo prædicantibus: at credere in Deum, & in Dominum Iesum, quia eiusdem sunt rationis, non differunt, quia Iesus est Dominus, & verus Deus, & vnus cum Patre, & Spiritu sancto: nihil ergo mysterij delitescit in illa varia loquendi ratione.

Discrimen illud Theologicum inter Credere Deum, Credere Deum, & Credere Deo vbi fallat. *Aug. trac. 29 in Ioan paulo à medio, tom 9.* *Iacob.2.*

Quòd igitur Theologi tradunt ex Augustini doctrina, aliud esse, Credere in Deum, aliud Credere Deum, & aliud Credere Deo: vt primum sit fidei per fidem, & dilectionem operantis, & proprium Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti: secundum, fidei simpliciter Deum esse credētis, quod etiam dæmones credunt, iuxta illud: *Tu credis quoniam vnus est Deus. Bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt*: tertium verò sit fidei dogmatibus, siue articulis diuinitus reuelatis assentientis, etiamsi quis charitate sit destitutus: non est omnino certum, & solidū.

Primus locus. *Ioan.2.*

Et ratio est in promptu: nam etiam peccatores credere in Deum recensentur, quoniam Græcè Ioan.2. multos credidisse in nomen Christi, videntes signa eius quæ faciebat: quod perinde est ac si dixisset, credidisse in Christum: & tamen subdit Euangelista, quòd Iesus non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nosset omnes: quod satis indicat charitatis gratia destitutos fuisse.

Secundus locus. *Infra 12.*

¶Sed apertiùs adhuc ostenditur Ioan.12. *Ex Principibus*, inquit, *multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eycerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.*

Tertius locus. *Rom 4.*

¶ Adhęc Paulus ad Roma.4. de prima iustificatione loquens, ait: *Credenti in eum qui iustificat impium, reputari fidem eius ad iustitiam.* Vbi quia sermo est non de eo qui nondum iustus erat, sed de eo, qui primo actu credendi adipiscebatur iustitiam, constat loqui eum de fide, quæ ex charitate non proficiscebatur, sed terminabatur in illa apprehendenda; necenim iustus est quisquam sine charitate.

Idem ratione probatur.

Amplius omnes fideles, siue iusti, siue peccatores, per Ecclesiæ præceptum instituuntur dicere Symbolum, quod habet: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum Filium eius, & in Spiritum sanctum*: & tamen non est verisimile, omnes qui id dicunt, & decantant, charitatem habere. Credere igitur in Deum, non est tantùm iustorum, & Deum amantium, sed etiam peccatorum.

Credere in Deum, & Credere Deo, quod minimè distinguantur. *Ioan.6.*

Deinde statuendum, non differre, Credere in Deum, & Credere Deo: quoniam hæc in sacris literis pro eodem vsurpantur. Ecce Ioan.6. dixit Christus: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Iudæi verò responderunt ei: Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi?* Pro vna ergo & eadem re acceperunt, Credere in eum, & Credere ei. Apostolus quoque ad Roman.4. *Ei*, inquit, *qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiā*: & tamen ponderabat verba Moysis dicentis: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Idem est ergo, Credere in Deum, & Credere Deo. Sed apertissimè id colligitur ex cap. Ioan.8. *Hæc illo*, inquit, *loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei, Iudæos.* Vbi eosdem, quos dixerat credidisse in Iesum, posteà Iesus explicauit credidisse sibi.

Rom.4. *Genes.15.* *Ioan.8.*

Non ergo videtur solidum, quod Augustinus in Psalm.77. scripsit: *Credere in Deum plus est, quàm credere Deo. Nam & homini cuilibet plerunque credendum est, quamuis in eum non sit credendum.* Hæc ille. Quod propterea annotamus, non vt vllam doctissimo, & sanctissimo viro notam inuramus; sed vt commonefaciamus lectorem, ne eiusmodi regulis adstrictus, putet Scripturam deficere, quæ aliter loquitur.

August. to.8. *8. sent. dist. 23. Aliud.*

Quid sit credere in Iesum, quid verò per Iesum.

Illud etiam perpendendum, aliud esse Credere per Iesum, aliud verò credere in Iesum. Hoc enim est perinde, ac dicere, in Deum, iuxta illud: *Creditis in Deum, & in me credite.* Et in Symbolo solū docemur Credere in Deum Patrem, & in Filium eius vnigenitum, & in Spiritum sanctum: non autem credimus in sanctā Ecclesiam, sed sanctam esse credimus, & testamur. At illud, Credere per Iesum, est, per ministeriū prædicationis à Iesu exhibitæ, qui minister fuit Circūcisionis, adducere homines ad fidem in se, & in Patrem, & in Spiritum. Ita enim dicimur nos credere in Spiritum sanctum, qui locutus est per Prophetas; & credere per Apostolos, qui euangelizauerunt nobis, vt in primo prioris epistolæ cap. tradit Petrus. Et deinde de Christo subiungit: *Præcogniti quidem ante mundi constitutionem: manifestati autem nouissimis temporibus propter vos; qui per ipsum fideles estis in Deo.* Per ipsum, inquit, tanquam per ministrum, siue per merita eius. Et Act.3. dixit idem Petrus de claudo à natiuitate sanato: *Et fides quæ per eum* (scilicet Christum) *est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.*

Ioan.14. *Rom.15.* *2. Petr.1.* *1. Pet.1.* *Ibid.* *Act. 3.*

Circa illam locutionem: Credere per Iesum, obseruantur duo.

Hæc autem loquendi formula non est adeò frequens in Sacris literis: & quando inueniatur, ad eum sensum, quem prædiximus, est accipienda. Quemadmodum Petrus cap.10. Actorum vtramque formulam & credendi in Iesum, & per nomen eius vsurpauit, id est, per virtutem signorum, &

Act.10.

meritum

meritum sanguinis sui. Hæc enim sunt eius verba: Huic omnes Prophetæ testimoniū perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Obserua, per eūdem mediatorem Iesum, & per fidem in eum, remissionem peccatorum nos apprehendere: & Dominus Ioan.17. *Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*: vbi vides, credi in Iesum, per Apostolos tamen: quemadmodum & Ioan.1. legimus: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum*, non ait in illum Ioannem, scilicet, sed per illum.

Postremò verbum Credendi cum Dandi casu apud Latinos frequenter significat Committere, siue Fidere: & Creditor est, qui pecuniam alicui mutuò commisit, vt habes 4. Reg.4. Confirmatur Euangelica autoritate: *Iesus autem non credebat semetipsum eis*, scilicet qui in nomen eius crediderant. Et in libro Sapientiæ inuenitur hæc phrasis: *Exiguo*, inquit, *ligno credunt homines animas suas*. Vbi sermo est de nauigantibus. A qua quidem locutione boni autores non abhorrent. Ait enim li.3. ad Atticum Cicero: *Ego si tuam fidem accusarem, non me potissimum tuis tectis crederem*. Et Poeta Latinus de Dædalo.

Præpetibus pennis ausus se credere cœlo.

Vnde & fidem pro fiducia accipi interdū, quidam tradunt. Sed de voce Fidei & Fiduciç erit nobis latius alibi philosophandum: & de verbo Credendi satis sit dictum.

De verbo reputandi fidem ad iustitiam, quo vtitur interdum Apostolus, hoc loco erat nobis disserendum, sed quoniam de hoc verbo satis fuit disputatum in explicatione epistolæ ad Romanos, & in Præludijs in epistolam ad Galatas; ad eos locos studiosum lectorem mittendum censuimus.

Vbi Credere, in Scripturis sit idē quod Fidere, siue committere. *4. Reg.4.* *Ioan.2.* *Sapien.14.* *Cice. epist.15. propè finem.* *Vergil 6. Aeneid. init.* *In epist ad Gal. in Prolegom. disput.* *Lib 2. in epi. ad Rom c.4.*

DISPVTATIO III.

De Verbis Sperandi & Confidendi, siue de Spe & Fiducia.

VOx Spei non ignotæ est significationis. Est enim affectus vnus ex quinque, qui in parte animæ irascentis reponitur: estque motus animæ tendentis in bonum futurum arduum, quod tamen assequi possimus: cuius oppositum, est Timor, & Desperatio. Quanquam Sperare interdū Latinè idem sit, quod timere, iuxta illud: *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.*

Et iterum:

At sperate Deos memores fandi, atque nefandi.

Quid sit Spes in communi. *Virg 4. Aenei aliquanto post med.* *Idem 1. Aeneid. inter*

Vt etiam annotauit Augustinus in Enchiridio cap.6. & 8. ¶ Nunc autem de hoc verbo loquimur, vt est actus virtutis Theologicæ, quæ habet pro obiecto Deum, de qua Apostolus: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc*: & cuius fundamentum, siue basis est fides, de qua: *Fides est sperandarum substantia rerum*, & quæ definitur à Magistro, & Thoma: *Spes, est certa expectatio futuræ beatitudinis, ex gratia, & meritis procedens*. Quæ non minus necessaria est ad salutem, quam ipsa fides, vt illa æterna bona assequi valeamus, non quidem nostris viribus, sed Deo principaliter nixi. Nam infinitæ virtutis est proprium, ad infinitum, & æternum bonū perducere: nec minus aliquid sperandum est nobis à Deo, quam sit ipse Deus, cuius visionem, vt bonum arduum futurum, & gratia Dei comparabile apprehendimus.

¶ Etsi verò spes maximè spectet ad finem vltimum, id est, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: secundariò tamen respicit ad illa subsidia, & instrumenta, quæ ad beatitudinem assequendam conducūt, vt sunt: remissio peccatorum, gratiæ infusio, legis Diuinæ obseruantia, precandi studium, perseuerantia in bono, omnium tentationum victoria, siue à carne, siue à mundo, siue à Satana proueniant, denique meritorum cumulus, quibus debetur vita æterna. Nam etsi virtutem Deus in nobis sine nobis operetur, vt habet Augustin. concione 26 in Psal.118. ipsum tamē præmium speratum sine meritis non contingit. Accepto autem præmio, cessat spei motus. Nam quod videt quis, quid sperat? Spes enim quæ videtur, non est spes. Vnde beati spem non habent vllam vel continuationis suæ beatitudinis, quia non est ibi ratio futuri: & spes non sit diuersa per præteritum, aut præsens, aut futurum: neque alijs nondum beatis beatitudinem sperant per spei virtutem, sed potius ex amore charitatis illam expetunt. Et cum sit eius obiectum principale animæ gloria, qua Deum possident, in ea quoque habetur ius ad gloriam corporis: quæ etsi in se sit bonum futurū, & arduum per comparationem ad hominem; non tamen habet rationem ardui per comparationem ad gloriam animæ, cui corporis gloria iure debetur.

Hæc spes, & habitus est, quia manet nunc cum fide, & charitate, quod est formæ immanentis: & actus est, quia probatio parit spem, id est actum spei. Spes autem non cōfundit; &, *Spe salui facti sumus*. Et vt est quædam fides mortua, quædam verò viua, ita etiam & spes, de qua Petrus ait: *Regenerauit nos in spem viuam*: indicans etiam esse spem mor-

mod circiter, & finem. *B. Aug. tom. 3 sub initiū.* *1. Cor 13.* *Heb.11.* *Magist. Sent. in 3. dist.26.* *B. Thom. 2 2 q.17. artic. 1. ad 2 & alibi. Tom. 11. part. 2.* *Spei obiectū, seu finis.* *Rom 8.* *Eius instrumenta, atque subsidia.* *Aug. tom.10.* *Roma. 8.* *Spes pro habitu, actu, & obiecto spe-rato frequenter accipitur.* *Rom.5.* *1. Petr. 1.*

mortuam: nam licet vnum contrariorum, & alterum esse est necesse, quia contraria sunt simul natura, & spem semper antecedit fides, siue viua efficiens viuam spem, siue mortua patiens spem mortuam, id est, eam quæ confundit, sicut spes viua est, quæ non confundit. ¶ Sumitur tertiò pro obiecto quod speratur, iuxta illud: *Expectantes beatam spem*, id est gloriam speratam: & Act. 28. *Propter spem enim Israel catena hac circundatus sum*, id est propter Messiam, quem totus expectat Israel. Ad Hebr. quoque 6. *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis*, id est, vt Glossa habet, incedere faciẽtem ad beatitudinem cœlestem; quæ est adumbrata in Sancto sanctorum, quod erat intra velum: & Tob. 2. *Vbi est spes tua pro qua eleemosynas faciebas?* Id est, præmiũ spei tuæ.

Rom. 5.
Tit. 2.
Act. vlt.
Hebr. 6.
Gloss. Interli.
Exod. 26.
Infra 36.
Hebr. 9.
Spes etiã pro sperãti materia accipi consueuit.
1. Thess. 2.

Quartò significat argumentum, siue materiam, & rationem sperandi, iuxta illud; *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis, in aduentu eius. Vos enim estis gloria nostra, & gaudium*, id est materia spei, & ratio bene sperandi: & 1. Tim. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi secundum imperium Dei Saluatoris nostri, & Iesu Christi spei nostræ*. Item ad Coloss. *Mysterium quod absconditum fuit à seculis, & generationibus, nũc autem manifestatum est sanctis eius: Quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ*, id est, robur nostrũ, & ratio bene sperãdi: vnde etiam apud B. Ignatium Christus vocatur communis spes ad Philadelph. Et propheta Dauid dixerat: *Exaudi nos Domine spes omnium finium terræ, & in mari longè*. Christus enim præ Patre, & Spiritu sancto Deus noster est per incarnationem: est & Saluator noster ob sanguinem, quem pro nostra salutẽ fudit. Est denique spei nostræ prora, & puppis: ita poeta dixit: *Magnæ spes altera Romæ*. Ita dictum est à Dauide: *Et nunc quæ est expectatio mea?* (vel vt Hebræa habent, quæ est spes mea?) *nonne Dominus? & substantia mea apud te est*: id est, subsistentia spei meæ à te est, & in te solo nititur. Ita etiam Ecclesia canit de B. Virgine: *Vita, dulcedo, & spes nostra, salue*; id est cõciliatrix vitæ, quæ per gratiam est, & ratio spei nostræ in Deo collocandæ, & dulcedinis, siue consolationis, quam quotidie Deus in pios, & electos suos impartitur: hanc enim consolationem cogitatio de Virgine Deipara, & mediatrice nostra, & genitrice secundum Spiritum mirificè augere solet.

Coloss. 1.
Psal. 38.
Quid illud de Virgine sacratissima: Dulcedo, & spes nostra, Salue, ab Ecclesia decantatum.

Est autem in Deo multiplex ratio bene sperandi. Nam Deus bonus est natura, & beneficentia, multisq; donis nõ postulatis nos deuinxit, etiam cum non essemus, & cum nostro vitio peccatores essemus, thesauros suæ misericordiæ promisit, & iureiurando se adstrinxit ad dandum: & cum bene essemus, euexit ad grandiora, & cumulatiora dona. Et frequenter laudatur de fidelitate: *Fidelis*, inquit, *Dominus in omnibus verbis suis*: & *Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita*. Demũ Angelos in ministros salutis nostræ promouendæ largitus est; sanctos in aduocatos; Ecclesiam, in domum nos protegentem, & in nauem ad cœlestem gloriæ portũ nos vehẽtem; Christum in redemptorem, doctorem, & propitiatorem; Spiritum S. in paracletum, & consolatorem; demũ Sacramenta in opem nostræ sanctificationis, suffragia communia Ecclesiæ in certissima salutis adipiscendæ præsidia: vt mirum sit in tanto gratiarum Diuinarum cumulo, ac vasto misericordiarum Oceano aliquem perire, nisi quis diligat maledictionẽ, & sponte sua perire velit, & manibus, & verbis mortem accersat. Alioqui tales, vt ait Apostol. *Gloriantur in Deo Patre, cui reconciliati sumus, & in tribulationibus amarissimis, & in spe gloriæ filiorum Dei*, ac soli verè dicere possunt: *Etiã si occiderit me, in ipso sperabo*.

Psal. 144.
Psal. 88.
Hebr. 1.
Cur penè impossibilis sui malum interitus.
Psalm. 108.
Rom. 5.
Iob. 13.

Iã dicendum de verbo Fidendi, ac de Fiducia, Fidentia, siue Confidentia: his enim omnib. vocibus nominatur à bonis autoribus Hæc aũt in Scripturis aut est Diuina, & est idem quod spes, vt idẽ sit sperare, & confidere, iuxta illud; *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in Principib. In Domino confido: Qui confidunt in Domino*: aut addit aliquid supra spem, & sic fiducia, est spes roborata, aut neruus fiduciæ, aut cõditio, & modus virtutis, non noua virtus, quia est spes roborata ex aliqua firma opinione: aut deniq; est virtus humana, & pars est fortitudinis, ac magnanimitatis. Quam Cicer. l. 2. ita definiuit: *Fidentia est, per quam magnis & honestis reb. multum ipse animus in se fiducia certa cum spe collocauit*. Et ita fiducia, qua quis de Deo fidit, ponitur pro spe Theologica, vel pro neruo spei. Fiducia verò, quã homo habet in seipso, & viribus suis, teste B. Thom. non pugnat cum illa, qua fidimus Deo; sed post Deum, & sub Deo fiducia collocatur. Vituperãtur verò in Scripturis qui sine Deo cõfidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarũ suarum gloriantur, & illi qui confidũt in seipsis tanquam iusti, & aspernãtur cæteros, vt Pharisæus ille parabolic. apud Lucã. Secus illi, qui post Deũ in seipsis confidũt, quia ad hoc cõfidentia moralis est virtus; & ideò ponitur circa pericula mortis instãtia.

Fiducia Latinis quibus alijs expressa nominibus.
Psalm. 117.
Psalm. 10.
Altera.
Postrema.
M. Tull.
B. Thom. 2. 2 q. 12. artic. 1. tom. 11. par. 2.
Psal. 48.
Luc. 18.

Quia

Vnde Humana oriatur, vnde Diuina fiducia: eiusdē effectus.

Quia ergo Fiducia ab humano animo, vel à creatura prodit, & bonum aliquod arduũ, vt plurimũ humanum sperat per intermediam humanam caussam, & quam etiam secta potest efficere, & frustrari, fiducia humana dici debet: diuinam autẽ solus Deus in nobis, & nobiscũ operatur ad diuina, & spiritualia bona per caussam supernaturalẽ cõsequenda; de qua dicitur quòd cor Susãnæ erat fidnciam habẽs in Domino: & ista non potest fraudari, & Matth. 14. Dominus discipulis dixit in mari perjclitantibus: *Habete fiduciam: ego sum, nolite timere*. Græcè dicitur θαρσεῖτε, id est, audaciã, & fiduciam cõcipite: apparuerat. n. vt phantasma terrens, & ambulãs super mare. Et cum assequimur miraculum, gratia est gratis data; & interdũ in alijs magnis donis suscipiendis. Hæc autem Græcè dicitur πεποίθησις, vt Philipp. 3. & Ephes. 3. 2. Corin. 1. & 3. *Fiduciam habemus ad Deum*: rursus. *Confidentia multa in vos*, id est, erga vos. c. 8. eiusdem epist. Frequenter autem appellari solet alio nomine παρρησία. Sumitur autem hoc nomen pro libertate loquendi, & audacia, quæ cõtraria est assentationi, quasi πᾶσα ῥῆσις: inde μετὰ παρρησίας, vel παρρησίᾳ λαλεῖν, quod est aduerbiale, & significat, loqui ingenuè, liberè, & cum fiducia, ad Ephes. 3. *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius*. Græca habẽt. Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν παρρησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει. Ex quo constat, ex fide oriri fiduciam, & vel propriæ, vel alienæ salutis libertatem diuinum verbum proponendi denotare: id enim eo loco vocat παρρησίαν. Vnde & Apostoli Act. 4. precabantur: *Da, Domine, seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum*: & impetrato dono, subdit Lucas: *Et loquebantur verbum Dei cum fiducia*. Sicut etiam Paulus Ephe. 6. *Vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia*. Item Coloss. 2. traduxit cõfidenter, ἐν παρρησίᾳ. De eodem Actor. vlt. Lucas testatur quod prædicabat regnũ Dei, & docebat quæ sũt de Dño Iesu Christo cũ omni fiducia, sine prohibitione: ad prędicanda enim tam ardua bona, & tã magnifica opus erat magno Dei fauore, & ope, cum caro, mundus, & dæmon illi repugnarent. Idem ad Philemonem: *Multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet: propter charitatem magis obsecro*. Et act. 4. Iudæi videntes Petri constantiam, & Ioannis: ita eo loco vertit παρρησίαν interpres. Dominus etiam: *Ego palam locutus sum mundo*: παρρησίᾳ ἐγὼ ἐλάλησα. Et Ioan. 7. *Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse*, vel liber esse; & cõtrà Ioan. 11. *Iesus ergo iam non in palam ambulabat*: ἐν παρρησίᾳ. Vnde verbum παρρησιάζομαι quod est liberè agere, vel ingenuè dicere. Et præter hanc significationem παρρησία, siue fiducia, accipi solet pro motu spei in Deo corroboratæ. Vt ad Hebræ. 4. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius*: & 1. Ioan. 2. *Vt cum apparuerit, habeamus fiduciam*. & ca. sequ. *Fiduciam habemus ad Deum*: ad Heb. 3. *Si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem, firmam retineamus*. &, c. 10. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum*.

Dan. 13.
Matth. 14.
Hæc fiducia quando sit donum gratuitum
Philip. 3.
Ephes. 1.
2 Corin. 1.
Infra 8.
Ephes. 3.
Fiduciam ex fide oriri, non contra, ostendit Apostolus: & quid significet.
Act. 4.
Ephes vlt.
Colos. 2.
Act. 28.
Philemon. 8.
Act. 4.
Ioan. 18.
Supra 7.
Infra 11.
Vbi etiam fiducia spẽ firmam in Deo significet.
Hebr 4.
1. Ioan. 2.
Infra 3.
Hebr. 3.
Infra 10.

Iam verò tractandum, an Fiducia distinguatur à Fide; deinde quomodo spes secernatur à Fiducia. Credere autem etsi distinctum sit à verbo Fidendi, interdum tamen credere, fidere est, secundum illud: *Ipse autẽ Iesus non credebat semetipsum eis*: & *Confide filia, fides tua te saluam fecit*. In disputationibus tamẽ Pauli distincta sunt verba, & distinctos cõceptus repræsentant: quare & fides distincta est à fiducia, non tantum in vocibus, sed etiã in re ipsa, quia diuersi sunt actus. Nam fides facit fideles, siue credentes, fiducia cõfidentes. Differunt etiam obiectis: nã Fidei obiectum est omnis veritas à Deo reuelata, Fiduciæ verò, nõ est quæuis veritas rei præteritæ, vel futuræ, sed tantum diuinæ bonitatis misericordia, & munificentia. Distinguuntur etiam subiectis: nam fides intellectum ornat, Fiducia verò voluntatem, quæ ex timida stabilis redditur. Differunt etiam contrarijs: nã Fidei opponitur incredulitas; Fiduciæ verò diffidẽtia. Deniq; Fides dicta est ab eo quòd fiat quod dicitur, vnde & primã breuiat: Fiducia verò dicta est à verbo Fidendi, vnde & primam producit iuxta illud: *Tãta ne vos generis tenuit fiducia vestri?* Etsi alij Fiduciam dictam putẽt à Fide, quia ad fiduciã spectat, quod aliquis spem cõcipiat ex hoc quod credit verbis alterius auxiliũ promittẽtis, & quia fides quandoq; dicitur opinio vehemens; ideò non solũ est ex hoc quod est à balio dictũ, vel promissũ, sed ex eo quod videt in se, vel in alio aliquid porrigẽs spẽ: vt quod sit amicus, consanguineus, potẽs, diues, fiduciã cõcipit ab eo adiuuari.

Credere, & Fidere interdũ non differũt.
Ioan. 2.
Matth. 9.
Fides, & Fiducia quot modis inter se distinguãtur.
Cicer. libr 1. offic. initio.
Virg Aenei. sub initium.
Thom. 2. 2. q. 129. art 6. tomo 11. par 2.

Cũ ergo nõ tantum vocibus, sed tot modis ita distinguantur, durum est, & violentum, in vnũ solum significatum illas cõtrahere: prę sertim cũ nõ semel Apostolus nominatim illas secernat, etiam in eadẽ clausula. Quare etsi iustificatio siue diuinę misericordiæ fiducia cuiquam nõ contingat; nõ tamẽ est illa fides, cui iustificatio in Scripturis adscribitur, sed est firma, ac certa assẽsio, siue persuasio eorũ, quę ad credẽdum proponuntur: quæ dũ iustificat, adducit secum alios bonos motus, vt propositum obediẽtiæ diuinæ legis, votũ Sacramenti, timorem & fiduciam, siue spem diuinæ bonitatis.

Fidem, & Fiduciam immerito confundi.
Cuinam fidei propriè iustificatio tribuatur.

Prouerb. 13.
D. Thom. in ca. 3. ad Heb. lect. tom. 16.
Eſai. 12.
Prouerb. 28.

Deinde conſideranda diſtinctio Fiduciæ ab Spe. Et ſpes quidem poteſt cum timore exſtere; quia ſpes quæ differtur, affligit animam, & non aſſequitur; at nō cum fiducia, quæ eſt firma ſpes, vt habet S. Doctor: & omnem pellit timorē: & habet alacritatem, & certitudinem, vnde illud, *Fiducialiter agā, & non timebo*: &. *Iuſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit.* Spes etiā futurorum eſt bonorum; fiducia etiam interdū præſentium. Et denique ſpes magis reſpicit obiectū, id eſt bonum habēdum, fiducia magis ad ſubſidium ſpectat, per quod id habebit. Hebr. 13. ait Apoſtol. *Cōfidimus quia bonam conſcientiam habemus.* Et ſpes, vt eſt virtus Theologica, facit in Deo confidere, iuxta illud; *Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine*: & alibi.

Hebr. vlt.
Pſal. 117.

Fiducia in homine magis quam in Deo, quam damnabilis illa.
Prouer. 28.
Ierem. 17.
Luc. 18.
Iob 31.
Machabæorū ducū bello vinida virtus, & inuicta quando conciderit.
1. Macha 8. & infra 12.

Damnatur tamen in Scripturis fiducia in ſeipſo: vt ibi: *Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt*: &, *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum*: & Dominus dixit parabolam ad quoſdam qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros. Apud Iob; *Obrizo dixi, Fiducia mea.* Tales fuerunt Pelagiani omnes, qui naturæ vires exaltabant. Tales & Principes Machabæorum Iudas, Ionathas, & Simō; qui cum prius eſſent inuicti, ex quo tamen fœdera & ſocietatem contraxerunt, vel renouarunt cū Romanis, vel cum Spartiatis, ſtatim imperio ſpoliati, & interfecti ſunt, quia à Deo ſpem ſuam aliquo modo commutauerant in homines. Non eſt etiam cuiquam confidendum in virtute ſua, atq; in multitudine diuitiarum gloriādum. Bene Dominus dixit: *Quam difficile eſt confidentes in pecunijs, in regnum Dei introire?* Difficile poſuit pro, Impoſſibile, ait Theophilact. vt exemplum acus oſtendit. Et vt nos ipſos confidentia in proprijs virib. ſpoliare debemus, ita etiam ſpe omni in alijs collocata tanquam in præcipuo, & ſummo bono. Vnde dictum eſt: *Nolite confidere in Principibus, neque in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* Imò & Rex Aſa perijt, quia in arte Medicorum magis confiſus eſt, quā in Deo. Non quod poſt Deum non liceat & in amicis, & cōſanguineis, aut ſeruis, aut in fratribus ſperare; id enim homini naturale eſt, & Chriſtus dixit de Iuda: *Etenim homo pacis mea, in quo ſperaui* (id eſt, ſperare debui) *qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem*: & ægroto non eſt prohibitum cōfidere in medico docto, & ſapiēte; ſed quia ſpes, quę ſoli Deo debetur, nō eſt transferenda vel in ſe ipſum, vel in vllam creaturam, vel etiam in medicum, vt fecit Aſa.

Marc. 10.
Theophylact.
Pſalm. 145.
2. Par. 16.
Spes quatenus in hominib. collocanda tantummodo.

Non eſt tamen malum, vt hæretici garriunt, poſt ſpem noſtram in Deo primum collocatam, cōfidere in D. Virginis, & Sanctorum præſidio, vel Angelorū cuſtodia, & miniſterio, vel in bonorum viuentium precibus, aut in Sacramentorū ſuſceptione, aut in bonorū operum perfectione. Nam hoc non eſt aliud quàm confidere in Dei donis, aut in præſidijs, & inſtrumentis bonorum operū, quæ præparauit nobis, vt in illis ambulemus. Quare qui ſecus ſentire vidērut, toto aberrāt cœlo, & ab Scripturarum ſenſu recedunt, quæ docent: *Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem*: & Tobias: *Fiducia magna erit coram ſummo Deo, eleemoſyna omnibus facientib. eam*: Item Dilectus, &, *Nunc filioli manete in eo; vt cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.* Iterum; *Chariſſimi ſi cor noſtrum non reprehēderit nos; fiduciam habemus ad Deum. Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus.* Eſt enim bonorum operum proprium, confidentiā de Domino augere; ſicut operum malorū, deſperationem gignere. Nam vt homo in vita humana tuenda, diuino in primis indiget auxiliu, deinde cōſanguineis, & amicis: quos charos habet, confidere ſolet, aut in fortitudine viriū, aut diuitijs, aut alijs bonis fortunæ, quibus abūdat, nec hoc vt vitium quiſquam reprehenderit, ſi ſub Deo fiat, & niſi quatenus hæc fiducia de creaturis nos à Dei confidētia remoueret: ita in ſalute ſpirituali comparanda, aut in ea promouenda vnicū, & primarium fiduciæ noſtræ robur, & vt ita dicam, prora & puppis vitæ æternæ debet eſſe nobis Chriſtus Dei Filius; qui tamen nobis non interdixit, ne aut Prophetarum, aut Apoſtolorum, aut in primis beatiſſimæ Virginis, & ſanctorum Angelorum ſuffragijs, & patrocinijs confideremus: & hactenus de his verbis nobis dictum ſit.

Poſſe nos, atque debere noſtræ ſalutis ſecundariam ſpem in Sanctorum patrocinijs collocare, contra Lutheranos.
Epheſ. 2.
Heb. 10.
Tob. 4.
1. Ioan. 2.
Spes in Deo vnde ſui augmentum accipiat, vt etiam deſperatio de Deo.

DISPVTATIO XII.

De verbo Diligendi & Amandi Deum, ſiue de dilectione, amore, & charitate noſtra erga Deum.

CIRCA vocem Amoris, & Dilectionis præmittendum, quod etſi amor primaria ſit paſſio, ſiue affectus animæ concupiſcentis, Dilectio verò, ſit libera, & ſtudioſa actio amoris; in Scripturis tamē hæc verba promiſcuè, & indifferenter ponuntur, & inter ſe componuntur, tam in bono, quam in malo. Quod Auguſt. lib. 14. de ciuit. Dei. ca. 7. annotatum reliquit, idq; ex bina Chriſti interrogatione facta ad Petrum confirmat:

Amor, & Dilectio, quid propriè differant.
B. Augu. to 5.
Ioan. 21.

mat: *Diligis*, inquit, *me plus his?* & respondit Petrus: *Domine, tu scis quia amo te.* Vbi idem ostendit esse dilectionem, & amorem. Et subiungit: *Hoc propterea commemorandum putaui; quia nonnulli arbitrantur aliud esse dilectionem, siue charitatem, aliud amorem. Dicunt enim, dilectionem accipiendam esse in bono, amorem in malo. Sic autem nec ipsos authores secularium literarum locutos esse, certissimum est. Sed viderint Philosophi, vtrum, vel qua ratione ista discernant. Amorem tamen eos in bonis rebus, & erga ipsum Deum magni pendere, libri eorum satis loquuntur. Sed Scripturas religionis nostræ, quarum autoritatem cæteris quibusque literis anteponimus, non aliud dicere amorem, aliud dilectionem, vel charitatem, insinuandum fuit: nam & amorem in bono dici, iam ostendimus. Sed ne quis existimet, amorem quidem, & in bono, & in malo, dilectionẽ autem nonnisi in bono esse dicendam; illud attendat quod in Psalmo scriptum est: Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam: & illud Apostoli Ioannis: Si quis dilexerit mundum, non est dilectio Patris in eo.* Hæc ille. Tribuitur etiam in Scripturis non tantum hominibus, sed etiam ratione carentibus animalibus, iuxta illud: *Omne animal diligit simile sibi.* Videtur autem Augustin. Originem petere, qui in prologo in Canticum Cantic. scripsit: *Videtur mihi diuina Scriptura, volens cauere ne lapsus aliquis legentibus sub amoris nomine nasceretur, pro infirmioribus quibusque, eum qui apud Sapientes seculi Cupido, seu Amor dicitur honestiori vocabulo charitatem, vel dilectionẽ nominasse.* Hæc ille.

Non solum dilectionem, sed etiam amorem in bono, Ethnici scriptores vsurpât.

Scripturæ quid ... tribuat Augustinus.

Psalm. 10. 1. Ioan. 2. Ecclesia. 13.

Orig. to. 2.

Ante Augustin. Dionys. Areop. hoc ipsum annotauit, dicens: *Neque verò nos quisquam putet contra Scripturæ sanctæ autoritatem, amoris* (ἔρωτος) *nomen celebrare. Est enim alienum vt opinor, & absurdum non vim instituti attendere, sed verba. Neque hoc proprium est eorum, qui diuina intelligere cupiunt, sed eorum, qui sonos nudos probant, eosque aure tenus non penetrantes, extrinsecus continent: nec scire volunt quidnam hoc verbum declaret, ac quonam modo etiam alijs verbis, quæ idem efficiant, & declarent, explanandum sit.* Et infra producit ex Scripturis: *Ama eam, & seruabit te: circunda tibi eam, & extollet te: honora eam, vt te amplectatur.* Et alio loco: *Amator* (ἐραστὴς) *factus sum pulchritudinis eius.* Ac subdit: *Atqui visum est quibusdam ex nostris, qui de diuinis rebus disseruerũt, amoris, quã charitatis, nomen etiam esse diuinius.* Scribit autem D. Ignatius: *Meus amor* (ἔρως) *cruci affixus est.*

Dionys. Areopag. cap. 4. De diuinis nomi.

Quod Amoris nomen etiam in bono sumat Scriptura ostendit Dionysius.

Prouer. 4.

Sap. 8.

B. Ignat.

In Cantico Canticorum, vbi est sermo de amore vero, & perfecto, qui est charitas, nunquam meminit Salomon ἔρωτος, bene autẽ dilectionis, siue charitatis, Septuaginta verò dicunt semper ἀγάπην. Et ponderat Dionys. Areop. verbum Dauidis, qui deplorans Ionathæ charissimi sibi mortem, dixit iuxta 70. interpretes 2. Reg. 1. *Cecidit dilectio tua super me, sicut dilectio mulierum*, Vbi non ἔρωτος, sed ἀγάπης fecit mentionem, vt honestum amorem vxoris, & viri notaret. Et Theodor. idem verbum Dauidis expendẽs: *Hæc verba*, inquit, *sumpsit ex amore arctissimo viri, & vxoris, qui tantus est, vt lex coniugalis dicat: Propter hanc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & quod Helcana significauit, cum vxorem consolatus mœrentem, eo quod esset sterilis: Quid, inquit, mœsta, es? nonne ego bonus sum tibi supra decem filios? Vt coniugalis coniunctio vnum efficit coniuges, sic eorum qui verè inter se amant, animos in vnum copulat charitas.*

Quo de amore mentio non fiat in Cantico Canticorũ, & de quo tantum fiat.

2. Reg. 1.

Theodor.

Gen. 2. Matt. 19.

1. Reg. 1.

Expende ergo, quod in illo Cantico Cãticorum, mentio fit de honestissimo amore charitatis, septies fit mentio de ipsa charitate sub nomine ἀγάπης: ter vocat Salomon Sponsam, Dilectã, siue Græcè ἀγάπην in abstracto, hoc est, dilectionem suam, cũ ait: ne suscitetis dilectam, donec ipsa velit, hoc est, in 1. & 3. & 8. c. at 25. vicibus vocat Sponsa Sponsum, Dilectum meũ, quæ vox in Hebræo est דודי לי Dodi-li, quæ vox à verbo dod proficiscitur. Vnde & Salomon dictus est Ielida, id est, Dilectus, 2. Reg. 12. quanquam vocabulum Dodi-li, qui est, Amor meus, vel Amator meus, ab aliquibus vertatur nepos, quia dod est amita, patris soror, quæ nepotes, vt altera mater, amore prosequitur, lactat, & nutrit. Dod etiam significat patruum, id est, patris fratrem: significat & patruelem, qui propriè est filius patrui, & ab amore nomẽ sumit. Quod autem significet patruelem, iudicant veteres Patres, præsertim Ambrosius, qui semper pro dilecto, vertit, patruelem meum, & in eo significatu accipitur 1 Reg. 14. Esa. 5. Ierem. 34. à voce ἀγάπη deducitur nomẽ ἀγαπητὸς, qui titulus esse solet primogeniti, & cum eo bis dicitur de Christo: *Tu es filius meus dilectus*, semper est ἀγαπητὸς, & Christiani omnes vocantur ἀγαπητοὶ, id est, charissimi.

Sponsæ in Sponsam, & contra, qualis amor.

Dodi li quid Hebraicè.

2 Reg 12.

Alter significatus.

1 Reg 14. Esa 5.

Ierem. 34. 15. & 17.

Porrò Latini scriptores aliam differentiam in istis vocabulis, Diligendi, & Amandi obseruarunt. Est enim diligere, remissius; amare, ardentius: vt Cicero ostendit, cùm ait: *Dolabellam antea diligebam, nunc amo*; & ad Brutum: *Clodius tribunus plebis valde me diligit, seu, vt ἐμφαντικώτερον dicam, valde me amat.* ¶ Charitas tamen in Scriptura semper in bono ponitur, siue sit sermo de Deo, secundum illud; *Deus charitas est*, &, *In charitate perpetua dilexi te*; siue de nobis: vt cum ait: *Charitas ex Deo est: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*: siue eleemosynam denotet, quæ signum est charitatis: Considere-

Amare etiam, & Diligere, Latinis quid differat.

1. Ioan. 4. Ierem. 31. Rom. 5.

mus:

mus, inquit Apostolus, inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum. Et iterum; *Abundat charitas vniuscuiusque vestrum in inuicem*: siue sit signum dilectionis: *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus*. Quod Sapiens his verbis expressit: *Dilectio, custodia legum illius est*: item Dilectus: *Hæc est charitas, vt ambulemus secundum mandata eius*: Siue denique sit virtus Theologica, de qua Apostolus, *Manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas*: & iterum, *Fides quæ per charitatem operatur*: *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. In hoc autem loco non est sermo de amore, vt passio est, & affectus naturalis: neque de dilectione, vt est actio studiosa, humana, siue moralis, sed vt est virtus Theologica diuinitus infusa.

Heb. 10. 2. Thess. 1. 1 Ioan. 5. Sap. 6. 2. Cor. 13. Gal. 5. 1. Tim. 1.

Caritas sinè adspiratione vnde dertuetur: quid significet.

Caritas sine aspiratione scripta, est vox Latina, & à verbo Carendi deducta, & quãtitate longa, iuxta illud; *Cara deum soboles, Omnis in Ascanio cari stat cura parentis*: quòd si scriberetur per aspirationem, & descenderet à voce χάρις, breuis esset. Significat autem affectum, quo aliquem quasi dilectũ, & gratum prosequimur: & præcipuè in lingua Latina seruire solet ad significandam dilectionem, & amorem eorum, qui sanguine, aut necessitudine aliqua sibi inuicẽ sunt coniuncti, Vnde legimus charitatem in parentes, in patriam, in filios, & cognatos: quæ significatio aptissima est ad repręsentandam illam Diuinam charitatem, qua filij Dei Deum, vt patrẽ diligimus, & Christum vt primogenitum nostrum fratrem, Ecclesiam vt matrem, & cæteros omnes qui Christum colunt, siue peregrinentur in terris, siue iam beati triumphent in cœlis. Et semper huic voci Latinæ charitatis respondet Græcè ἡ ἀγάπη, ne quisquam putet, charitatem vocem esse Gręcam.

Charitas vel Dei, vel charitas Christi in Scripturis increatam non semper, sed etiam creatam significat. 1. Tim. 1. Coloss. 3. Ephes. 4. 1. Pet. 4. Prouer. 10. 1. Ioan. 4.

Secundo annotandum, quod vbi charitas absolutè, vel charitas Dei, vel Christi ponitur, non semper pro illa charitate accipitur, qua Deus nos diligit, & quæ à Deo reipsa non distinguitur, sed etiam pro nostrâ erga Deum charitate: nisi aliquid addatur, quod ad contrariũ cogat. Absolutè enim, cum dicitur: *Finis præcepti est charitas*: *Super omnia autem hæc, charitatem habete*: *Supportantes inuicem in charitate*: *Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi*. Itẽ, *Charitas operit multitudinem peccatorum*: *In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniã ipse prior dilexit nos*: significat: Hinc est sumenda charitatis nostræ regula erga Deum, ex illa nimirũ, qua Deus prior nos dilexit: item: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*: *In charitate radicati, & fundati*: vbi charitas absolutè ponitur pro dono creato charitatis, quo nos diligimus Deum, Sicut etiam cum Galatis dicitur: *Fructus autem Spiritus est charitas*, vt ostendunt sequentia, & August. in Ioan. interpretatur.

1. Cor 2. Gal. 5. August. tract. 87. in Ioan.

Vbi etiam charitas Dei, vel charitas Christi, nostram erga Deum denotet charitatem. Rom. 5. 1. Ioan. 5. Rom. 8.

Idem dicendum, cum dicitur charitas Dei, vel charitas Christi, & peculiariter probatur ex illo loco: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Charitas enim Dei increata nõ diffunditur, neque distinguitur ab Spiritu sancto qui eam donat; at creata & diffunditur, & distinguitur ab Spiritu sancto. Ad hæc Dilectus: *Hæc est Charitas Dei, vt mandata eius custodiamus*; item Paulus: *Quis nos separabit à charitate Christi?* id est, Quis separabit nos à diligendo Christo? non ait: Quis separabit Christum à diligendis nobis? Vt enim iustitia Dei in Paulinis disputationibus non est qua Deus iustus est: neq; salus Dei vel fides Dei, est illa, qua Deus salus fit, aut qua credit, sed qua nos iusti, fideles, & salui efficimur: ita charitas Dei, vel charitas Christi, de qua dicitur: *Charitas Christi vrget nos*: *Gratia Dei sum id quod sum*; apertè donum charitatis creatæ, & nobis impensæ designat. Et Dilectus, *Qui viderit*, inquit, *fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* Paulus item: *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi*.

2. Cor. 5. 1. Cor. 15. 1. Ioan 3. Ephes. 3.

Idem tom. 3. sub init.

Confirmantur hæc omnia: quia August. libr. 3. De doctrin. Christ. cap. 10. ita scribit: *Charitatem voco, motum animi ad fruendũ Deo propter ipsum; & se, atq; proximo propter Deum*. Et libr. De morib. Ecclesiæ de dilectione Dei loquens: *Sin virtus; ait, illa dicta est, qua ipsius animi nostri rectissima affectio est: si in alio est, fauet vt coniungamur Deo; si in nobis est, ipsa coniungit*. Magister Sententiar. lib. prim. distinct. 17. deceptus est sententia quadã Augustini lib. 8. de Trinit. *Qui proximum diligit, consequens est, vt ipsam præcipuè dilectionem diligat*: Et lib. 15. cap. 17. *Ita dictum est: Deus charitas est, sicut dictum est: Deus Spiritus est*. Hæc ille. Non tamẽ Magister putauit, actus charitatis nostrę, qui accidentia sunt, ipsam esse Spiritus sancti substantiam, sed id tantum, quod Spiritus sanctus non excitet nos ad amorem Dei per habitus immanentes; sed per seipsum, vt dicunt Theologi, de speciali auxilio, quod est Dei motus nos ad bonũ excitans.

Idem tom. 1. propè finem. Cap. 7. in fine, tom. 3. Quæ caussa fuerit Magistro Sentent. negandi infusum habitum charitatis. 1. Ioan 4.

In contrarium verè est, quando aliquid præcedit; vel sequitur arctans ad accipiendum pro dono increato Dei. Vt illa: *In charitate perpetua dilexi te: ideò attraxi te miserans*

Vbi è contrario charitas Dei, &c pro increata, qua nos diligit

Deus, sic accipienda. Ierem. 31. Rom. 5. 1. Ioan. 4.

rans: Commendat charitatem suam. Deus: & nos cognouimus, & credimus charitati, quam habet Deus in nobis: & Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Deus:* & Ioan. 15. *Manete in dilectione mea,* id est; *in charitate qua ego vos prosequor:* & subdit: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione:* ita vocat ex opposito charitatem patris, eam qua pater filium complectitur: & paulò pòst enumerat inter præcepta sua præceptum diligendi proximum: rursum Apostolus: *Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus.* Idem posteriorem ad Corinth. epistolam claudit his verbis: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, Amen.* Vbi charitas Dei pro amore Patris quo nos prosequitur, accipi debet; sicut gratia Christi, quæ ab illo est in nobis; & communicatio sancti Spiritus, quia per illum communicamus nobis inuicem, & cum Christo, & cum Deo. ¶ Non tamen inde elicere poteris, idem non esse gratiam, & charitatem: quia non simpliciter dixit, charitas, sed charitas Dei Patris, quæ quidem à gratia per Christum comparata, & exhibita distincta est.

Rom. 15. 2. Cor. 13.

Charitas siue dilectio in Scripturis quoque pro ostensione huius virtutis sumitur frequentissime. Ioan. 13.

Tertio illud etiam hic commemorandum, dilectionem, siue charitatem nõ tantum significare actum internum bonæ voluntatis, quam signa, & actiones externas: quod cũ de dilectione Dei ad nos esset sermo, explicatum reliquimus. *Maiorem hanc,* inquit Dominus, *dilectionem nemo habet, quã vt animam suã ponat quis pro amicis suis:* id est; Maius argumentum, & externam ostensionem nemo edere potest, quàm si quis mortem appetat pro amicis: *In hoc cognoscent vos, quòd discipuli mei estis, si dilectionem vel charitates habueritis ad inuicem,* hoc est, opera & fructus charitatis. Ita intelligendum est illud: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Id est, multa signa dilectionis edidit. Sic etiam illud accipiendum; *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus:* quasi dicat: In hoc se prodit amor Dei delitescens in corde, si ad opera, & mãdata legis externè perficienda se porrigat. Propterea etiam dixit: *Filioli mei non diligamus verbo, neq; lingua* (vt ille qui dicebat: Ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dans autem eis quę necessaria sunt corpori) *sed opere & veritate.* Vt ergo fides sine operibus mortua est: Ita Charitas Dei aut vera, aut viua non est, nisi opera dilectionis quæ potest, in beneficiũ proximi edat.

Luc. 7. 1. Ioan. 5. Supra 3. Iacob. 2. Ibid.

Quartò docemur, gratiam, qua Deo grati efficimur, & charitatem, qua Deum, & Proximum diligimus, & iustitiam, qua coram Deo iusti sumus, aut vnam & eandem virtutem esse; idque ex sententia Augustini euictum reliquimus in tractatione de iustificatione; aut hęc ita sibi inuicem hærent & connectuntur, vt vnum ab altero separari non valeat. Certè etsi apud Latinos voces sint diuersæ, Dilectio, & Gratia, & Ἀγάπη, & χάρις apud Græcos, & possit quis nobis esse gratus, qui tamen nos minimè diligat, & è contrario aliquis nos diligere, & gratos habere valeat, qui nobis gratus, & charus non est: tamen inter nos & Deum semper gratia Dei, & charitas nostra coniunguntur. *Qui diligit,* inquit, *me, diligetur à Patre meo:* &, *ego diligentes me, diligo.*

Gratia, Charitas, atque Iustitia, nisi sint vnum & idem quasi inseparabiles. Augu. lib. de natu. & grat. c. 70. & alibi. tom. 7. Disput. 3. Prolego. in epist. ad Galatas. Ioan. 14. Prouer. 8.

Postremo, præcepta Dilectionis duo sunt, Dei, & Proximi: nam Proximi dilectio illam sui ipsius complectitur, cum scriptum sit; *Diliges proximum tuum sicut te ipsum:* & rursus: *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Tamen vnumquodque horum alterum comprehendit. Nam diligere Deum non valet, qui non diligit proximum suum. Vnde Dilectus: *Si quis,* inquit, *dixerit, Quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Item: *Omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo.* Iterum: *qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Id est: Quomodo diligit Deum, qui proximo egenti propter Deum non succurrit? Rursus autem, vt dilectio Proximi Deo sit probata, debet esse propter Deum: quare rectè Apostolus dixit: *Qui diligit Proximum, legem impleuit.* Quæ verba explicans beatus Thomas in epistolam ad Rom. *Dicendum est,* inquit, *quod illa dilectio proximi ad charitatem pertinet, & legem implet, qua proximus diligitur propter Deum, & ita in dilectione proximi includitur dilectio Dei, sicut caussa includitur in effectu.* Adde Augustin. libro de Trinitat. 8. cap. 7. in principio: *Cum duo præcepta sint, in quibus tota lex pendet, & prophetæ,* Dilectio Dei, & dilectio Proximi, non immeritò plerunque Scriptura pro vtroque ponit. Siue tantùm Dei, sicuti est illud, *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et iterum: *Quisquis autem diligit Deum, hic cognitus est ab illo:* & illud: *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et alia multa: quia & qui diligit Deum, consequens

Dilectio Dei, & dilectio proximi necessario simul sunt. Matth. 22. Deut. 6. Leuit. 19. 1. Ioan. 4. Infra 5. Supra 3. Finis dilectionis proximi, Deus. Rom. 13. B. Thom. lectio 2. in c. 13. ad Rom. ante med. tom. 16. in princ. B. Aug. to. 3. Rom. 8. 1. Cor. 8. Rom. 5.

est, vt faciat quod præcipit Deus: & in tantum diligit, in quantum facit, consequens ergo est, vt & proximum diligat, quia hoc præcepit Deus. Siue tantum proximi dilectionem Scriptura commemorat, sicut est illud; Inuicem onera vestra portate; & sic adimplebitis legem Christi. Et illud; *Omnis enim lex in vno sermone impletur, in eo quod scriptum est: Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Et in Euangelio; *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis; hæc est enim lex, & Prophetæ.* Hæc ille. Et similia docet B. Gregorius homil. 28. in Euangelia.

Gal. 6. Supra 5. Matth. 22. Supra 7. B. Greg. to. 2.

Sensum verò illius primi præcepti Diligendi Deum ex toto corde, anima, & mente, & ex omnibus viribus, asserendum est ita esse accipiendum, nihil vt contineat impossibile quod nos obliget: Nec enim credibile est, Deum sapientem, & omnis bonitatis, & iustitiæ fontem, quicquam impossibile præcepisse, qui per se dixit; *Iugum meum suaue est; & onus meum leue:* & per Dilectum discipulum: *Mandata eius grauia non sunt:* Sed vt nihil supra, nihil contra, nihil æquè ac Deum, nihil denique propter alium, vel potius propter nos diligamus, quàm propter ipsum Deum, & sub Deo. Etiamsi Augustinus lib. de Spiritu, & litera, ca. 35. indicet id nobis fuisse præceptum, quod in vita æterna, cùm videbimus Deum facie ad faciem, implendum sit, & sic agnoscamus, quo nobis pertingendũ sit per gratiam consummatam: sed ea ea ratione nunc nos minimè obligat.

Illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, anima, & viribus tuis, quem sensum habeat. *Matth. 20. Deut. 6. Matth. 11. 1. Ioan. 5. B. Aug. to. 3. 1. Cor. 13.*

DISPVTATIO XIII.

De Verbo Operandi; & de Operibus, & Operarijs, & Cooperarijs.

OPERARI, in genere nihil est aliud quàm in opere aliquo faciendo laborare: opus autem est, illud quod operando relinquitur effectum. Vt in scribendo, liber; in fabricando, domus; in pingendo, pictura, siue imago. Opera verò, est ipsa actio, & labor, siue ipsa operatio; quæ cum in gratiam alterius fit, mercede sua compensatur. Operarius autem est, qui operas suas locat, & laborem operando perfert: vt illi operarij vineæ, qui digni inuenti sunt denario.

Quid sit Operari, quid Opus. Operarius quis. *Matth. 20. & seq.*

Tribuitur autem hoc verbum & Deo, & homini. Deo quidem, quia vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, & qui omnibus causis secundis, & plusquam ipsæ secundæ caussæ semper operatur, tam naturalia, quàm supernaturalia. Vnde illud; *Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate;* &, *Sine me nihil potestis facere:* item Apostolus: *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.* Eius verò opera magis propriè dicuntur, quæ solus ipse citra omnem caussam secundam operatur. Talia opera sunt mundi creatio: *Quoniam videbo*, inquit, *cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, & stellas quæ tu fundasti.* Tale opus est & conseruatio, de qua: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor:* Idem redemptio hominis, de qua; *Deus autem Rex noster ante secula, operatus est salutem in medio terræ.* Huius generis etiam sunt omnia signa supra naturam à Deo immediatè facta, de quibus; *Opera quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea; ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me:* &, *Si mihi*, inquit, *non vultis credere, operibus credite.* Sunt etiam quædam propria Dei opera, vt remissio peccati, gratiæ infusio, iustificatio impij, adoptio in Dei filios, & beatificatio iustorũ, & resurrectio corporum: etiamsi in iustificatione homo aliquid operetur, saltem assentiẽdo, & Deo cooperando.

Vnde constet Deum operari. *Prouer. 16. Philip. 2. Ioan. 15. Rom. 15.* Opera Dei propria quænam illa ad naturam spectantia. *Psalm. 8. Ioan. 5. Psalm. 73. Ioan. 5. Infra 10.*

Inter omnia autem opera Dei, homo nobilissima creatura opus eius dicitur: tum propter animam, quam ipse immediatè per se condidit, & in corpus infudit: tùm etiam quia finis cæterarum creaturarum est homo, & cui omnia quæ sub sensum cadunt, seruiunt, de quo ait Iob: *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Et beatus Paulus: *Noli propter escam destruere opus Dei*; id est, hominem: rursus: *Nonne opus meum vos estis in Domino?* Iterum ait Iob: *Opus enim manuum eius sunt vniuersi.* ¶ Expedit autem homini, vt se agnoscat opus manuum Dei, vt & ipse plastem, & factorem suum agnoscat, & se, & omnia sua in Deum, vt debet, referat; ne contingat illi, vt deos, qui sunt opera manuum suarum, colat. Vnde Oseas in persona impiorum dixit: *Dij nostri opera manuum nostrarum;* & Psaltes: *Omnes dij Gentium dæmonia.*

Cur homo opus Dei præstantissimum & sit, & dicatur. *Iob 14. Rom. 14. 1 Cor. 9. Iob 34. Osea vlt. Psalm. 95.*

Vt autem hoc verbum homini competit, in bonum, & in malum, & indifferens accipi potest. In bonum quidem, vt; *Qui operantur in me, non peccabunt:* & Capharnaitæ: *Quid faciemus, vt operemur opera Dei?* Vel in malum, secundum illud; *Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt:* Salomon: *Erant qui operantur malum:* Item, *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* ¶ Hæc autem opera mala, in Scripturis, suis titulis insigniuntur. Dicũtur enim opera tenebrarum, opera mortua, & opera carnis, opera infructuosa apud

Operari hominẽ tum bene, tum malè, contingit. *Ecclesia. 24. Ioan 6. Psalm 118. Prouer. 14. Psalm. 9.* Opera mala quot alijs nominibus exprimantur.

Ioan. 3. 1. Cor. vlt. Philip. 2. Rom. 10. Hebr. 6. Infra 9. Galat. 5. Ephes. 5. Ioan. 8. Supra 9. 1. Ioan. 3.

Paulum, opera Satanæ in Euangelio: Vos, ait Dominus Iudæis, facitis opera patris vestri. Dicuntur etiam opera mala, & maligna, & iniusta, sicut & bona opera egregijs titulis decorátur. Vocantur enim opera Dei, opera fidei, opera charitatis, opera iusta, & iustitiæ, sancta, recta, electa, placita, beata: *Hic in facto*, inquit, *suo beatus erit*; & *Beati pauperes spiritu*. Dicuntur etiam plena, & perfecta, & lucis, & Abrahæ, & spiritus, & similibus alijs vocibus.

Opera hominum quæ media sint, & indifferentia. Genes. 2. Exod. 20.

Tertiò operatur quis opera, quæ nec bona sunt, nec mala per se, sed media, & indifferentia: vt sunt opera artificum, & colentium terram: & Dominus Deus tulit hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. Exod. 20. præcipitur: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, &c.* Laboramus operantes manibus nostris: si quis non vult operari, nec manducet. Hæc enim opera si bono animo fiant, bona sunt: si ad malum finem referantur, mala sunt.

1. Cor. 4. 2. Thess. 3.

Operari, quid apud Paulum, & alios. 1. Cor. 9.

Quartò, operari, idem est quod Sacrificare. Vnde Apostolus: *Qui in sacrario operantur; quæ de sacrario sunt, edunt*: significatio nó est ignota profanis autoribus. Dixit enim Poëta:

Virgilius 1. Georg. inter med. & finē. Iuuen. Sat. 12. à med.

Latis operatus in herbis:

Iuuenalis etiam Satyr. duodecima à medio, dixit:

Et matutinis operatur festa lucernis.

Vbi operari, simpliciter est sacrificare.

Verbo item Operandi quam sæpè pro Merendi verbo Paulus vtatur. Gal. 5.

Sed præter hæc omnia significata, in Pauli doctrina verbum Operari idem est quod Mereri, & sibi debitam mercedem facere; opera verò, siue operationes, merita sunt. Ait enim Apostolus: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per charitatem operatur*. Est enim charitas principium omnis boni meriti. Christus etiam: *Operamini*, inquit, *non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*: id est, qui pro præmio operum accipiat vitam æternam. Item Apostolus: *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ; supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Operatur autem via meriti. Et alibi: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*: nam meritis nostris adipiscimur vt ipse operetur in nobis, & per nos salutem. Ad Galatas: *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*, Id est: Contendamus bene mereri de omnibus, vt ita magnum meritum nostrum apud Deú reponamus. Et de iustitiæ augmento dicitur: Qui quinque talenta acceperat, operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. In

Ioan. 6. 2. Cor. 4. Philip. 2. Gal. vlt. Matth. 25.

Supra 20. Ibidem

parabola operariorum Pater familias procuratori suo dixit: *Voca operarios, & redde illis mercedem*, id est, denarium æternæ vitæ ex pacto propositum. Et vim operandi explicā, Apostolus ad Romanos capite quarto dixit: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiā.* Vbi indicat differentiam operis, & fidei. Nam opera debitam sibi faciūt mercedem: fides verò nihil promeretur, sed ex misericordia, & liberalitate Dei imputatur ad iustitiam. Vnde & ad Romanos vndecimo capite inquit: *Si gratia; iam non ex operibus* (id est meritis) *alioquin gratia iam non est gratia. Et si ex operibus; iam non est gratia: alioquin opus iam non est opus.*

Rom. 4.

Quid Opus, quid vero Fides Apostolo.

Infra 11.

Opus igitur vocat, quod promeretur mercedem: gratiam verò, quæ merito caret, & nihil sibi ex iustitia debitum reddit. Sicut & idem Apostolus alio loco ait: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.*

Tit. 3.

Cum igitur excludit Apostolus opera à prima iustificatione; nihil aliud excludit quàm merita: nihil enim eorum quæ præcedunt iustitiam, vel etiam ipsa fides, vel opera quæcunque, siue Legis, siue naturæ, & liberi arbitrij, quicquam promerentur: admittit tamen fidem, quæ inter opera non computatur. Vt ita gratia, & fides opponātur operibus. Quēadmodum alio loco, cùm ait: *Non ex operibus, sed ex vocante*: quia opponit vocationi quæ est ex proposito Dei vel bene placito: & 2. Timoth. 1. opponit proposito, & gratiæ Dei opera nostra. Ait enim: *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam.* Et licet fides, & credulitas actio quædam sit; non tamen est Opus meritorium. Etsi verò in hoc sensu opera ad primam iustitiam non admittat Apostolus; amplectitur tamen opera fidei, & charitatis, vt merita respicit, ad augmentum iustitiæ, & assequendam vitam æternam. Id enim apertissimè significatur, cum frequenter ait: *Reddet vnicuique secundum opera sua*; & : *Vnusquisque propriam mercedē accipiet secundum suum laborem.* Et cùm asserit nos creatos in Christo ad opera bona, quæ præparauit nobis Deus, vt in illis ambulemus: & rursus: *Vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Et ita admittit Iacobus Abrahamum iustificatum ex operibus, quando obtulit filium suum Isaac super altare: & Rahab meretrix iustificata est ex opere charitatis, quo exploratores seruauit. Illud etiam hoc loco ve-

Ex fide, & nō ex operibus hominem iustificari, quid sit apud Paulum. Rom. 9. 2. Tim. 1.

Apud eundē opera quatenus iustificēt.

Rom 2. & alibi passim. 1. Cor. 3. Hanc ex operibus iustificationem valde commendat, & exigit. Ephes. 2. Tit. 2. Iacob. 2. Gen. 22. Ios. 2.

Vbi ponsi-mum Opus, operis merce-dem significet.

nit annotandum, Opus interdum sumi in Scripturis pro operis mercede. Ita enim Leuit. 19. præcipitur: *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque manè*, id est, merces operario debita. Et Genes. 29. dixit Laban ad Iacob: *Hanc quoque dabo tibi pro opere quo seruiturus es mihi septem annis alijs*; id est, pro mercede seruitij impendendi alijs septem annis. Eundem sensum habet illud Iacobi: *Patientia autem opus perfectum habeat*, id est, mercedem perfectam. Sicut & apud Esaiam: *Et erit opus iustitiæ pax*, id est, iustitiæ merces erit pax. Nam ita Apostolus ait: *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Interdum verò explicatè ponitur, operi reddi mercedem: *Est*, inquit Propheta, *merces operi tuo*.

Leuit. 19. Gen. 29. Iacob. 1. Esa. 32. Rom. 5. Ierem. 31.

Opus operans, & opus operatū quid intelligant Scholastici.

Quæ verò Theologi disputant de gratia quæ respondet operi operato, vel operi operantis, non est difficile apprehendere. Vocant enim opus operans, meritum adæquatum operi, & labori impensum: opus autem operatum, est illa merces, quæ supra meritum operis ex liberalitate Dei donata est, quæ septem Sacramentis noui Testamenti est affixa. Et Eucharistia dupliciter illam impertit, non tantùm vt Sacramentum est, & esu consumitur, sed etiam vt rationem habet sacrificij, & Patri æterno pro viuis & defunctis offertur. Sed de hoc alibi dictum est.

Gratiam Eucharistia dupliciter confert. Lib. 9. Eluci-dat. Euange-licarum.

Homo operari, cooperari verò cur dicitur Deus.

Illud etiam diligenter venit annotandū, quòd quia homini proprium est credere, & operari propter facultatem liberi arbitrij, non autem Deo, & tamen petit à Deo adiuuari in obseruantia Diuinæ Legis, vnde ait: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*: hinc homo propriè operatur, Deus verò cooperatur. Explicitè hoc tradidit Paulus, cùm dixit: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Et Salomon Deum precabatur: *Mitte illam* (scilicet sapientiam) *de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret.* Paulus etiam: *Diligentibus Deum omnia cooperantur, vel cooperatur in bonum.* Et Iacobus: *Vides quoniam fides* (vt donum Dei est) *cooperabatur operibus illius*, (Abrahæ scilicet Patriarchæ filium Isaac immolantis) *& ex operibus fides consummata est?* Et hoc non tantum in bonis operibus edendis, sed etiam, quod maius est, in prædicatione, & signis patrandis. Hinc Marcus dixit: *Illi profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante.* Quanquam & nos cooperatores Dei dicamur, quatenus Deus ipse prædicator est principalis qui laborat intus, signa edit, & effectus Sacramentorum præstat, impendimus. Vnde Ioannes dixit: *Nos ergo debemus suscipere eiusmodi; vt cooperatores simus veritatis.* Dum enim nos eleemosynas impendimus prædicatoribus quibus alantur, videmur in illorum laboribus cooperari, & premij partem habere. Ita Apostolus vult Corinthios esse subditos omni cooperanti, & laboranti. Et Philippensibus scribens, Epaphroditum commendat vt fratrem, & cooperatorem, & commilitonem suum, eorum autem Apostolum, & ministrum necessitatis ipsius. Quanquàm etiam alia ratione Apostolus alibi scribat: Dei sumus adiutores; siue vt Græcè legitur, cooperarij. Nam in conuersione animarum, & in earū iustificatione, ac fide præstanda, & Sacramentis dispensandis Deus principalis est operans, homines verò non nisi cooperarij, adiutores, & ministri. Quæ magnopere refert bene intelligere, ne perturbemur, cùm audimus modò Deum dici cooperatorem nostrum, modò verò nos dici eius cooperarios, siue adiutores, siue coadiutores. In operibus quæ propriè ad Deum operari spectat, ipse est operator, nos cooperatores, adiutores, & ministri: in operibus quæ propriè ad nos pertinent, vt credere, sperare, obedire, latria colere Deum: similiter homo est operarius, Deus auxiliator, cooperator; & ille qui principalis est in opere, aut cura, similiter habet alios cooperatores, vt Pauli erat Epaphroditus. Et hæc sint satis, quia multa de Operibus, alijs in locis edisserui.

Psalm. 69. 1. Cor. 15. Sapient. 9. Rom. 8. Iacob. 2. Ephes. 5.

Cooperatur homini Deus dupliciter. Marci vlt. Homines ipsi cooperentur quatenus etiam Deo.

Quare Paulus Apostolos, & ministros alios, Dei vocet adiutores, non contra. 1. Cor. 3.

Hoc nosse quantum iuuet.

DISPVTATIO XIV.

De verbo Perseuerandi, & dono perseuerantiæ.

Verbum Perseuerandi, quod Græcis est προσμένειν, & διαμένειν, in Scripturis sacris in bonam, & malam partem accipi consueuit: & est, Cum animi constantia, quasi quadā seueritate cœptum opus cōtinuare, vel perficere. Similiter & perseuerantia, quæ καρτερία, & ὑπομονή, siue ἐπιμονή, Græcis vocata est, & in bono, & in malo ponitur: vnde perseuerare in peccato, diabolicum esse à patribus asseritur. Nos tamen hoc loco de ea, vt virtus quędam est loquemur: quæ quidem Philosophis ignota omnino non fuit. Nam Cicero libr. 2. de Inuentione eam enumerat inter partes fortitudinis, & definit sic: *In ratione bene instituta stabilis, & perpetua permansio.* Andronicus verò, vt illum producit Beatus Thomas, asserit, *Perseuerantiam esse habitum eorū, quibus immanendū est.* Nā etsi immobiliter persistere, vnam

Perseuerare & perseuerantia, vtrumque & in laude, & vitio ponitur, quid sit.

De qua perseuerantia hic instituitur sermo.

Hæc quid sit Ciceroni, quid Andronico.

B. Thom. in Secunda secundæ quæst. 137. art. 1. tom. 11. p. 2.

quamque

quamque virtutem consequatur, si cōferatur habitus ad subiectum, quia est qualitas difficilè mobilis, vt docet Aristoteles secūdo Ethic. quod omni virtuti conuenire dignoscitur: tamen si attendatur propria finis intentio, ita diu persistere in bono, peculiaris est virtus perseuerantiæ, quæ hoc intendit, vt finem peculiarem.

Proprium vniuscuiusque virtutis ex Philosopho.
Philosop. to. 2.

Differt autem Perseuerantia à Constantia, & Patientia: quia perseuerantia facit in bono persistere contra difficultatem quæ prouenit ex ipsa actus diuturnitate; Constantia verò idem præstat officium, contra difficultatem quę pronenit ex alijs externis impedimentis, quæ propter tristitiam quā inferunt, à bono opere auocare solent. Et quia Patientia versatur circa tristitias perferendas; conuenit quidem Constantia in materia cum patientia, sed in fine non conuenit perseuerantia. Et ita magis consentiunt inter se constantia, & perseuerantia, quia ad vtramque pertinet firmiter persistere in bono aliquo, quàm constantia cum patientia. Quæ quidem ex doctrina Beati Thomæ loco supra citato produximus.

Perseuerantia, constantia, & patientia quomodo distinguantur.

Aliter Constantia cum Patientia conuenit aliter cū Perseuerantia.

D. Thom. ibidem.

Iam verò vt de ea loquamur vt est virtus Christiana, & donum à Deo infusum: de ea dicendum quid sit, & quotuplex; & quibus verbis in Scripturis explicetur; & an cadat sub meritum, & denique cur non omnibus hoc donum impertiat vt salui fiant: præsertim cùm sine perseuerantiæ dono non contingat adipisci vitam æternam, & cum eo nullus perire possit.

De perseuerantia quæ tractāda præsenti Disputatione.

Matth. 24.

Circa primum, ita definitur ab Augustino, qui integrum librum de bono perseuerantiæ edidit: *Asserimus ergo, donum Dei esse perseuerantiam, qua vsque in finem perseueratur in Christo: finem autem dico, quo vita ita finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Si enim priusquam moriatur, cadat, non perseuerasse vtique dicitur, & verissimè dicitur. Quomodo ergo perseuerantiam, qui non perseuerauerit, accepisse, vel habuisse dicendus est? Nam si habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat, atque incontinens fiat, si iustitiam, similiter si patientiam, si ipsam fidem, rectè dicitur habuisse, & non habere. Continens enim fuit, vel iustus fuit, vel patiens, vel fidelis fuit, quamdiu fuit. Cùm verò esse desistit, non est quod fuit: qui verò non perseuerauerit, quomodo perseuerans fuit, cùm perseuerando quisque ostendat perseuerantem, quod iste non fecit?* Hæc magnus Augustinus, docens, non posse eum dici habere perseuerātiam, qui per totam ferè vitam perseuerauit in bono, & posteà à bono excidit, sed illum tantum, qui in finem vsque vitæ perseuerauerit, iuxta illud: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam gloriæ.* Rursus Dominus: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit;* & Salomon: *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem:* quod Gregorius interpretatur vsque ad finem vitæ, quando ingressi regnum cœleste, diem perpetuum sine vlla nocte iusti agent.

Quid perseuerantia Augustino.
B. August. to. 7 fin. vers.

Tametsi cæteras virtutes, non habeat tamen perseuerantiam.

Apoc 2.
Matt. 24.
Prouer 4.
Illud Salomonis: Iustorum semita, &c.
procedit & crescit vsque ad perfectam diem, quando verum Gregorio.
B. Gregor. lib. 7. Regist epist. 124. to 2.

Quod verò sit donum Dei, ex eo accipitur, quòd ait Paulus Philippensibus: *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini:* id est, non tantum vt credatis in illum, sed etiam vt mortem pro eius fide sponte subeatis. Et rursus: *Deus est qui operatur in nobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Non est autem perfectio cursus, aut legitimum certamen sine perseuerantia: *Timorem*, inquit, *meum dabo in corde eorum, vt non recedant à me*, id est, vt perseuerantes mihi adhęreant. Hinc Apostoli Petrus & Paulus pollicentur confirmationem in finem vsque, & perseuerantiam fidelibus. Denique inferius probaturi sumus, perseuerantiam sub meritum non cadere, ac proinde donum Dei esse.

Perseuerantiā esse donum Dei Scripturis ostenditur.
Philip. 1.
Infra 2.
Q[illegible] certet legitime.
Ierem 32.
1. Petr 5.
2. Cor. 1.

Deinde constituendum est, duplex esse donum perseuerantię, vt testatur Augustinus libro de correptione, & gratia, capite vndecimo circa medium: cuius doctrinam sequitur Beatus Thomas in Prima Secūdæ. Ait enim Augustinus: *Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus, sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum* (aliqui legunt, Nihil) *est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono: quod adiutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus; sed deseruit & desertus est. Tale quippe erat adiutorium quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret vt vellet.* Et infra cap. duodecimo sub initium: *Primo itaque homini, qui in eo bōno quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adiutorium perseuerantiæ datur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solum vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verum etiam vt per hoc donum nonnisi perseuerantes sint. Non solum enim dixit: Sine me nihil*

Duplex gradus perseuerantiæ secundum August.
August. to. 7.
B. Tho. q. 114.
9. tom. 11. p. 1.
Quousin alterum ex illis Adam locutus sit.
Eccl. 15.
Quare ceciderit miser.
Idem.
Eccles 7.
Sancti & prædestinati quare donum perseuerandi habeant.
Ioan 15.
Ibid.

Dei,ad omne opus bonum instructus.Si ad omne opus,ergo & ad perseuerantiam,quę excellentissimum est opus.

1.Tim 3.

Quartum verbum

¶ Quartò,hoc idem donum exprimitur verbo Consummandi,de quo Dominus Ioan.17. *Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam*: & in cruce: *Consummatum est*, Et Apostolus: *Bonum certamen certaui,cursum consummaui* Idem alibi dixit; *Dummodò consummem cursum meum, & ministerium verbi quod accepi*. Christus quoque pro nobis orabat: *Ego in eis,& tu in me;vt sint consummati in vnum*. Heb.12.vocatur antor fidei,& consummator Iesus;id est, donator fidei,& perseuerantiæ in ea. Rursus Apostolus: *Hoc & oramus,vestram consummationem*, id est, vestram in Christo perseuerantiam.

Ioan. 17. Infra 19. 2.Tim. 4 Act 20. Ioan. 17. Heb. 12. 2.Cor vlt.

Interdum tamen apud Apostolum, Consummare, est, sacrificium offerre. Vnde habemus ad Hebræos 2. *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, &c. per passionem consummari.* Et cap.5. *Et consummatus,factus est omnibus obtemperantibus sibi,causa salutis æternæ.* Cap.9. *Sacrificiorum officia consummantes.* Cap.10. *Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Cap.7.in fine: *Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem iurisiurandi qui post legem est, Filium in æternum perfectum. vel consummatum*, quia vox Græca est, τετελειωμένον, quo verbo in omnibus his locis vtitur.

Vbi consummare apud Paulum, sit offerre sacrificium

Heb. 2. Infra 5. Infra 9. Infra 10.

Quintum verbum denotãs perseuerantiã.

¶ Quintò sæpè explicatur Standi verbo. Dixit enim Dominus de diabolo: *Ille in veritate non stetit*, id est,non perseuerauit: &: *Qui existimat stare*,id est, permanere in via Domini, *videat ne cadat*, per peccatum scilicet.Iterum: *Tu fide stas: noli altum sapere,sed time. Quia si non in timore Domini* (ait Ecclesiasticus) *tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua*: Psaltes: *Firmamentum est Dominus timentibus eum*. Ideò rectè monet Ecclesiasticus: *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia; & in timore.* Qui enim à seipsis timent, solent à Domino adiuuari, vt in iustitia persistent. Hinc Apostolus Corinthios adhortatur: *Vigilate,state in fide,viriliter agite,& confortamini.* Et pro Colossensibus Paulus rogabat: *Vt stetis*,inquit, *Perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.*

Ioan.8. 1.Cor. 10, Rom.11. Eccl. 26. Psalm 24. Eccles. 2.

Standi in iustitia Dei auxiliũ quibus merito debeatur.

1.Cor. vlt. Coloss. vlt.

Sextum verbũ & vltimum.

¶ Postremò designatur verbo Confirmationis,iuxta illud: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*: dignus enim est confirmatione,qui agnoscit bonũ opus suum à Deo esse. Et alibi: *Spiritu principali confirma me.* Rursus: *Confirmasti me in conspectu tuo in æternum.* Iterum, *Confirmat autem iustos Dominus.* Ait etiam Apostolus, *Ipse Dominus noster Iesu Christus, &c. confirmet corda vestra in opere & sermone suo bono.* Et infra: *Fidelis autem Dominus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo.*

Psalm 62.

Dignus confirmatione quis.

Psalm 50. Psalm. 40. Psalm 36. 2.Thess. 2. Infra 3.

Iam quarto dicendum; perseuerantiæ donum pro statu vitæ præsentis non cadere sub meritum: quod ex eo liquidum redditur,quod Augustinus vocat illud, donum: & B.Thomas inde probat, quia perseuerãtia dependet solùm ex motione diuinæ gratiæ: illud autem cadit sub meritum, quod habet rationem termini; vt vita ęterna, & gratiæ augmentum. Quod verò habet rationem principij, vt motio diuinæ gratiæ, non possumus promereri,cùm merè sit gratuitum illud donum. Quemadmodũ neque prima gratia sub meritũ cadere potest: alioquin gratia iam non esset gratia.

Donum perseuerantiæ nullis posse meritis comparari.

I. Ratio Augustini. August iam allegatus. B. Thom.1.2. q 114 ar 9. Secunda ã. Thoma.

Rom 11.

Adhæc perseuerantia non est habitus,quia habitus est,quo quis vtitur,cum voluerit; & ideò non est necessarium,vt habeamus habitum virtutis perseuerantiæ,id est, animi firmi in bonitate perseuerandi,immobiliter eo vtatur vsque ad mortem: quia per quemcunq; habitum etiam abundantis gratiæ, remanet liberum arbitrium ex se flexibile ad malum.

Tertia ratio, & cur perseuerantia non sit habitus.

Præterea, etsi sub meritum non cadat, cadit tamen sub impetrationem. Oratio enim multa quę non meremur impetrat nõ tantum sibi,sed etiam alijs, vt etiam Thomas docet. Bona siquidem temporalia non meremur,obtinemus tamen. Hinc Ecclesia precatur Deum: *Et gratiam nobis,qua in te perseueremus,infunde*. Et alibi: *Vt redemptionis suæ fructus in nobis iugiter perseueret*: &, *Diuinum auxilium maneat semper nobiscum*. Vt ita hac vita in nobis suppleatur, quod ratione meriti non aderat.

Quarta ratio, & quomodo perseuerantia valeat obtineri.

B Thomas. ibidem in respons ad 1.

Adhæc indubium est,per multos vitæ annos perseuerantes postmodum à gratia Dei excidisse: si ergo merita tot annorum non potuerunt impedire à gratia Dei casum, non ergo perseuerantiam promereri potuerunt.

Quinta, & vltima ratio ab exemplo.

Neque obstant huic veritati quædam, quæ prima facie porrigere videntur oppositum. Nam 1.Cor.1.habetur: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quod in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & omni scientia* (*sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis*) *ita vt nihil vobis desit in vlla gratia* (siue vt Græca habent,in vllo dono) *expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmauit vos vsque in finem sine crimine, in die aduentus Domini nostri Iesu Christi.* Si ergo nihil est in gratia, ergo istis non deerat donum perseuerantiæ. Et si confirmat in finem vsque sine crimine, vera erat, & perfecta perseuerantia. Sed in his verbis tantum dicit quæ acceperant Corinthij, & quæ posteà accepturi erant in futurum,siue meritis,siue pre-

Argumenta in contrarium proponuntur, ac diluuntur.

1.Cor 1.

I. Argum. ex Paulo.

Corinthijs nihil defuisse in vlla gratia, seu dono, vt dixerit Paulus.

ue precibus essent illa percepturi. Et nulla ibi mentio de merito.

Secundum argumentum ex B. Petro. 2. Pet. 1.

Petrus etiam cum ait: Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis; hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi. Videtur ergo operibus deberi donum perseuerantiæ. Sed hoc loco sermo est de illis, qui communi vocatione, & electione sunt à Deo vocati, quorum vocatio certa, & firma redditur ex operibus bonis, & quibus etiam impetratur ex gratia donum perseuerantiæ, vt ita pateat introitus in regnum Christi.

Quibus suadetur vt per bona opera certam suam vocationem, electionem faciant.

III. Argum. eodem. 1. Petr. 5.

Similiter etiam quod scribit in fine prioris epistolæ: Deus omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternã suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, cõfirmabit, solidabitque: at id quod operantibus, & propter Christum patiẽtibus promittitur, in præmium meriti datur. Respõdeo, promitti vitam æternam propter Christum patientibus in præmium: at quod in finem vsque sit confirmaturus, & perfecturus, pollicitatio mera est perseuerantiæ, & additamentum ad bona opera, quod precibus obtinetur.

Propter Christum patienti bus gloria æterna, non tamen perseuerantia in bono promittitur.

IV. Argum. ex Paulo. 2. Thess. 3.

Denique quod in secunda ad Thessalo. 3. habemus: *Fidelis Dominus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo.* Si ergo Deus iustus est, & fidei tribuit confirmationem, & tutelam à malo; videtur cadere sub meritum, vt ita sit gradus eorum, qui merentur perseuerantiam. Respondeo, non magis esse Deum fidelem in præstando præmio promisso, quod ex pacto promerenti, pepigit in se daturum, quàm sit in exaudiendis precibus iustorum, quos tamen ad se recurrentes ab omni malo seruat sola sua misericordia, & liberalitate, vt ita ad cœlum non solùm pateat aditus per viam iustitiæ, & meriti, sed etiam per viam misericordiæ, & liberalitatis. Quod ille magno suo consilio fecit; vt non solum dum iusti sumus, in ipsis fidentes simus, sed etiam vt magis in benignitate, & bonitate eius confidamus. Ideò voluit quędam cadere sub meritum, & quędam non cadere; vt misericordiam & iudicium cantemus Domino.

Illud Apostoli: Fidelis Dominus est, qui cõfirmauit vos, & custodiet à malo, vt sit accipiendum. Salutem nostram Dominus cur partim ex iustitia, partim ex sua voluerit misericordia pendere. Psalm. 100.

Quod verò ait Augustinus: *Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici*, id est perseuerare: sic accipiendum est, quod gratia meretur perfici, quatenus id sub meritum cadere potest, id est, sub impetrationem, quæ meritum est congrui. Vel perfici non est semper durare, sed etiam dicitur perfectum, quod integrum est, & plenum, etsi amitti possit.

Dictum Augustini: Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, dupliciter explicatur. B. August. epist. 106 paulo remotius à princip. to. 2.

Postremo propositum fuit, cur non omnibus à Deo donetur perseuerantiæ donũ. Nam adhoc aliquando respondit Augustinus: *Hic si à me quæratur cur eis Deus perseuerantiam non dederit, quibus eam qua Christianè viuerẽt, dilectionem dedit, me ignorare respondeo.* Sed mirum est, tantum virum, quantus fuit Augustinus in Ecclesia Dei, hoc ipsum ignorare potuisse: putabat enim, neminem non prædestinatum saluari potuisse. Verum idem postea in eodem libro aliter respondet: *Iustior*, inquit, *videtur excusatio dicentium, Non accepimus audientiam, quam dicentium, Non accepimus perseuerantiam: quoniam potest dici homini, In eo quod audieras, & tenueras, in eo perseuerares si velles.* Hæc ille, iustè obturans ora insipientium, & eorum negligentiæ tribuens perditionem: nã perditio tua, Israel, ait per Prophetam Dominus, tantummodò in me auxilium tuum.

Quare non omnes diuinũ perseuerantiæ beneficium sortiantur. Idem lib. de correpti. & gratia, cap. 8. tom. 7. prope finem. Cur hoc, vt ipse ait, ignorauerit Augustinus. Cap. 6. sub initium. Aliter à lo... Augustinus solutio, ac humanius. Osee 13.

Respondeo tamen aliter ad propositum dubium: Non omnibus datur perseuerantia, ita vt sint perseueraturi, vt excidere non valeant, quia non est debitum, cum omnibus detur sufficienter cum gratia posse perseuerare. Imò nec esset pulchrum, si omnibus æqualis cõmunicaretur gratia. Quisque tollat quod suum est, & vadat. An oculus tuus nequam est, quia ille in alios bonus est? Quod enim non perueniant ad summos gradus gratiæ, vel ad maiores Ecclesiarum cathedras, non est absurdum: imò absurdum esset si omnes pares essent in tanto corpore, quod est Ecclesia. Rectè enim à quodam externo dictum est: Ni*hil æqualitate inæqualius*. Et Apostolus: *In magna*, inquit, *domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia*: Et Dominus *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, vt habes in parabola: & alij accipiunt quinque talenta, alij duo, alij vnum. Quemadmodũ in qualibet republica non omnes sunt æquales, locupletes, atque robusti, aut æque nobiles in ciuitate. Quisque ergo timeat, & seruet se in sua sorte, cũ possit, & audiat, *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*: & dum hoc audit, certò sciat se posse tenere, cui iubetur, vt teneat, nisi Spiritus sanctus illudat. Nam gratia & charitas arrha est, & pignus æternæ vitę: dabit ergo arrham & pignus, & non dabit quod sub arrha promittitur? Præcipit perseuerare, præcipit ad anteriora nos conuertere, præcipit, vt retro non aspiciamus: possumus ergo perseuerare. Et si ex viribus nostris non possumus, oremus, vt donet quod præcipit, secundum illud Augustini: *Da quod iubes, & iube*

Tertia solutio idonea etiam, atque probabilis. Matt. 26. Parem omnibus perseuerantiam per diuinam prouidentiam datam minimè debuisse. Coloss. 1. Plin Nouem... 2 Tim. 2. Matth. 20 & Infra 11. Infra 13. Ad perseuerantiam exhortatio. Apoc. 3. Nisi omnes, si vellent perseuerare possent, quid inde. 2. Cor. 1. Ephes. 1. Philip. 3. Aug. lib. 10. conf. c. 37. tom. 1. in princip.

quod

Quid in Deo vero, nimirum Christianorũ, falsissimum; in falsum autem Gentium nempè verissimum.

quod vis : Falsum est ergo in Deo nostro, quod de dijs Gentium dixit vates quidam: *O faciles dare cuncta Deos, eademq́ tueri Difficiles.*

Lucan. libr. 1. procul à med.

Illi namque quia nihil dabant, nihil etiam conseruare poterant. Et vt à Deo percipimus, & non ex virium nostrarum facultate, ita eadem tueri, & conseruare per auxilium Dei debemus. *Non* (enim) *minor est virtus, quàm quarere, parta tueri.* Est autem abditissimum hoc perseuerantiæ donum, & ignotum etiam habenti, vt timore sancto corroboretur, & studium bonorum operum accendatur. Quare Augustinus quodam loco asserit, sanctos non esse certos de sua perseuerantia.

Ouid 2. de Arte.

Donum perseuerantiæ cur lateat etiam habentes.

Aug libr. 10. de Ciuit. Dei c. 12 tom 5.

Perseuerantiæ aliquot similitudines Scripturarum.

Est igitur, vt finem faciam, perseuerantia nihil aliud, quàm holocaustum; capitis cum cauda oblatio; iuge, & indeficiens sacrificium, incipiens ædificare, & valens cõsummare; arator ponens manum ad aratrum, & non respiciens retrò: tenens quod habet, vt nemo accipiat coronam suam. Denique Bernardus epistola ad Ianuenses; *Et nunc*, ait, *quid restat, charissimi, nisi vt admoneamini de perseuerantia, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorsus absque perseuerantia, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseuerauerit, vsque in finem, saluus erit.* Lege epistolam Basilij ad Chilonem discipulum, vbi eum ad perseuerantiam exhortatur. Et de his hactenus.

Numer. 28. Luc 14. Supra 9. Apoc 3.

Perseuerantiæ encomium ex Bernardo.

B. Bernard. in epist 129. ante dimid.

Matth 24.

B. Basil. to. 2.

DISPVTATIO XV.

De verbo Confirmandi, siue de Confirmatione Dei.

VERBVM Confirmandi, quod Græcis est Βεβαιῶσαι, & Στηρίζειν, & Θεμελιῶσαι, aliter apud Grammaticos accipitur, aliter apud Doctores Scholasticos, aliter apud sacros Canones, & aliter apud sanctos, & canonicos Scriptores. Est enim apud Latinos, & classicos autores confirmare in genere, alterum per seipsum firmum reddere, siue ope, siue oratione, siue exemplo in aliqua re. Hinc dicimus confirmare corpus, vel membrum, scilicet languidum, siue infirmum. Confirmant etiam seipsos, qui ex morbo conualuerunt. Vnde Cicero ad Tironem: *Cura igitur te, & cùm commodè & per valetudinem, & per anni tempus nauigare poteris, ad nos amantissimos tui veni.* Confirmant etiam se, qui animum sumunt excusso timore, ad aliquid magnum perpetrandum. Ita Cicero actione 7. in Verrem, & fortis, ac prudens Iuditha capite decimotertio orauit, cùm esset caput truncatura Holofernis: *Confirma me, Domine Deus*, inquit, *in hac hora*, id est, excute metum: cui simile est illud Prophetæ: *Confirmatum est cor eius, non commouebitur, donec despiciat inimicos suos.* Hinc apud Ciceronem ætas dicitur confirmata per metaphoram, quæ iam maturuit: & ingenia confirmata, id est exercitata, & firma in apprehensione veritatis. Hinc etiam dicuntur mandata Dei confirmata in seculum seculi, id est, nunquam mutanda, cùm priora legis mutata fuerint. ¶ Apud Oratores verò, est causam autoritatibus, & rationibus tueri; cuius contrarium est confutare, & infirmare. Vnde orationis partes sunt confirmatio, & confutatio. Confirmatur autem caussa testibus, instrumentis, & iuramento: de quo Apostolus: *Omnis controuersiæ finis ad confirmationem est iuramentum.* Cicero libro primo de inuentione: *Confirmatio est, per quam argumentando nostra causa fidem, & autoritatem, & firmamentum adiungit oratio.*

Quid confirmare Latinis

Eisdem varia confirmantur, & quænam.

Cic. lib 17. epist. 139.

Idem. Iudith 13.

Psalm. 111.

M. Tull.

Mandata Dei cur confirmata in seculum seculi.

Psalm 110.

Quid Oratoribus confirmare.

Hebr. 6.

Tull.

At verò apud Theologos nomine Confirmationis intelligimus Sacramentũ, quod in Scripturis sacris impositionis manuum voce significatur, & à Patribus, & Concilio Tridentino nominatur Confirmatio. Hoc verò Sacramentum, quantum attinet ad gratiam quam dispensat, & ad administrum per quem confertur, nobilius est Baptismi Sacramento, quia est eius perfectio, & consummatio, & gratia nobis per illum suppeditatur, vt illa corroborati, intrepidè ad fidem coram hominibus, profitendam, & prædicandam accedamus. Quare in die solenni Pentecostes, cùm descendit Spiritus sanctus in Apostolos, hoc Sacramentum fuit dispensatum. Loquuntur etiam Theologi de confirmatione Angelorum per gloriam, siue beatificam visionem; & de illa hominum, quæ à Paulo dicitur, consummatio: *Vt non sine nobis*, inquit, *consummarentur.*

Theologi confirmationem pro Confirmationis accipiũt Sacramento.

Trid Synod. sess 7. de Confirm Can. 1. & seq & alibi passim.

Præstat Baptismo dupliciter.

Act. 2.

Quando primum hoc traditum diuinitus Sacramentum.

Angelorum etiam equalis, & hominum confirmatio.

Hebr. 11.

Alius est vsus huius verbi apud sacrorum Canonum conditores. Confirmat enim Papa, qui in plenitudine sua tanto priuilegio fulcitur, aut alius Prælatus, qui eo iure ex parte potitur, ab alijs nominatum, vel præsentatum, qui id iuris habent, in Episcopum, vel Canonicum, vel alium gradum

Confirmatio Canonica exponitur quid sit.

Ecclesiasticum, aut illum reijciunt, & reprobant. Estq. Titulus in Decretalibus: *De confirmatione vtili & inutili.*

Confirmationem Christi doctrinæ qualem etiam nobis tradat Apostolus. *Hebr 2.*

Denique apud sacros autores est sermo de confirmatione tum doctrinæ Christi, tū de nostra in Fide confirmatione, & gratia. De prima loquitur Apostolus ad Hebr. 2. dicens: *Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum; ab eis qui audierunt, in nos confirmata est: contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus.* Quod idem est cum illo Marc. vltim. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique. Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Et Philippensibus scribit Apostolus; *Eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Euangelij socios gaudij mei omnes vos esse.* Deinde loquitur verbum Dei de confirmatione nostra in fide, & gratia Dei, & hoc quidem dupliciter. Primò in communi, quo omnes baptizati cōfirmatione potiuntur, quæ fit per ipsam fidem, quæ hypostasis est rerum sperandarum; vnde Abraham confortatus est fide: & per Sacramenta, & per orationes, & per doctrinam, qua omnes corroborantur, & confirmantur in Christo, & eius Euangelio, sed præcipuè per Sacramentum Confirmationis; quod augmentum præbet gratię ad fidem exercendam, & coram hostibus eius profitendam. Hinc Iacobus Catholicæ suæ cap. 5. *Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quoniam aduentus Domini appropinquauit.* Vbi videtur adhortari ad perseuerantiam amplectendam, & ad patienter aduersa sustinēda, & à magnitudine præmij, & à breuitate temporis, & ab exemplo Prophetarum, & sanctorum virorum. Per Esaiam quoq; prædicitur: *Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia amodo, & vsque in sempiternum.* Est autem solium Dauid, Ecclesia, quæ corroborata est, & confirmata per Christum, & per Spiritum sanctum stabilita. Vnde Ecclesia columna dicitur, & firmamentum veritatis.

Marc. vlt. *Philip. 1.*

Confirmatio quoq; in fide, & gratia Dei Scriptura non ignota, duplex, generalis, & specialis. *Heb. 11.* *Rom. 4.*

Confirmationis Sacramenti proprius effectus.

Iacob. vlt. *Esai. 9.*

Solium Dauid quid mysticè.

1. Timoth. 3.

Est & alia excellentior confirmatio, quia peculiariter quidam ab omni, saltem lethali, peccato præseruantur; de quibus: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum, hoc: Cognouit Dominus, qui sunt eius.* Ita dicitur B. Virgo confirmata gratia, quia mater erat diuinæ sapientiæ, in quam nihil inquinatum incurrit: & Apostoli, & Martyres, quoniam fundam. & basis erant totius Ecclesiastici ædificij, & de quibus per os Dauid dixit Spiritus sanctus: *Ego confirmaui columnas eius,* vt Gloss. tradit ordinaria: & ad Galat. 2. ait Apostolus, *Iacob. & Cephas, & Ioan. qui videbantur columnæ esse,* propter fortitudinem, quam ex Spiritu sancto acceperant, vt in futurum non caderent à Fide, & à gratia Dei, & alios, vt domum nixam confirmarent.

Posterior confirmatio Virginis, Apostolorum, sanctorumq; Martyrum propria. *2. Tim 2.* Illi cur tam excellenti gratia confirmati. *Psalm 74.* *Glossa.* *Gal. 2.*

Apostoli Iacobus, Cephas & Ioannes cur dicantur columnæ.

Est autem confirmatio communis tam Deo, quàm hominibus, hoc est Prophetis, & Apostolis. Vnde Petro dictum fuit: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Nam peccatores doctrina, & exemplo pastoris, & ministerio Sacramentorum, & precibus, & sacrificio redduntur confirmatiores in Euangelio, & in vita bona inchoata. Hinc de Apostolo Actorum 15. scribitur: *Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias.*

Prophetæ, & Apostoli reliquos quomodo confirmarunt. *Luc. 22.* *Act. 15.*

Deus autem confirmat, augendo fidem, & gratiam, vt firmiùs assentiatur rebus fidei, & firmior reddatur in sanctitate, & bonorum operum studio. Vox confirmati fuit illa: *omnia possum in eo, qui me confortat,* id est, corroborat, siue confirmat. Vnde dicitur: *Confirmat autem iustos Dominus,* &, *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Quæ confirmatio, quomodò possit contingere, ita vt homini in gratia confirmato liberum non adimatur arbitrium, id iam subtiliter est disserendum.

Deus vti confirmet. *Philip. vlt.* *Psal 16.* *Psal 97.*

Naturalis & intrinseca in bono confirmatio est solius Dei propria, & incommunicabilis alteri.

Vt enim magnus Thomas docet, nulla creatura esse potest, quæ naturaliter habeat liberum arbitrium in bono confirmatum: nam hoc solius diuinæ naturæ proprium est, liberum arbitrium natura impeccabile, & confirmatum in bono habere: quia Deus purus est actus, & illi inest ratio vniuersalis, & perfecti boni, vt ita non possit vllo modo deficere. Creaturæ autem ex nihilo conditæ hoc inesse est impossibile, quin possit deficere à regula sibi proposita; vt tradunt Damascenus, & Gregorius Nyssenus. Adhæc ex eo etiam, quod creatura respicit particulare bonum, in quo nitatur ratio mali, vt ait Dionysius. Tradit etiam S. Doctor, posse liberum arbitrium confirmari per donum gratiæ perfectæ; quæ est ipsa gloria, absorbens omnem peccabilitatem, vt sic loquar. Cùm enim homo beatus efficitur, simul cum beatitudine induit impeccabilitatem, vt à bono adepto excidere possit nunquam. Proximè etiam asserit, posse in statu viæ confirmari liberum arbitrium in bono, quod dupliciter contingere potest. Primò simpliciter, ita vt habeat sufficiens firmitatis principium, propter quod omnino deficere non possit, quod solùm ad beatos spectat, vt in proximo membro diximus. Alio modo dicuntur confirmati, per aliquod donū gratię, quo ita confirmantur in

B. Thom. qu. 24. de verita. 10, art. 7. 10. 8. 1. Ratio.

Altera. *Damasc lib. 2. de Ortho. fide c. 24 Gregor. Nyssen lib. 8. de libe. arbit. c. vlt.*

Beati vnde confirmentur in bono. *Dionys c. 4. de diuin. nomin. sub finem.*

Duobus modis liberum arbitrium hominis viatoris confirmari potest in bono. *D. Tho art. 8. quæstionis 25.* Primus.

Alter.

bono,

bono, vt non facilè possint à bono deflectere: non ita tamen retrahuntur à malo, vt omninò possint non peccare, nisi diuina prouidentia seruante. Cuius rei ratio redditur. Non enim potest quis omnino reddi impeccabilis, nisi omnis origo peccati auferatur. Origo autem peccandi pendet, vel ex rationis errore, quæ in particulari decipitur circa finem boni, & circa vtilia, quæ in vniuersum natura humana appetit: vel ex hoc, quod iudicium rationis intercipitur propter aliquam inferiorum virium perturbationem. Etsi autem viatori concedi possit, vt ratio nullatenus erret circa finem boni, & circa vtilia peculiaria per dona sapientiæ, & consilij: tamen non posse intercipi iudicium rationis, statum viæ excedit, maximè propter duo. Primùm, quia rationem semper esse in actu rectæ cōtemplationis in statu viæ, ita vt omnium operum ratio sit Deus, impossibile est. Deinde, quia in statu viæ inferiores vires non sunt ita rationi subditæ, vt actus rationis nullatenus propter eas impediatur, nisi in Christo Domino, qui simul fuit viator, & comprehensor, & in B. Virgine, quæ ita fuit confirmata in bono, vt fomitis concupiscentia, & omni etiam peccato veniali caruerit. Tamen per gratiam in statu viæ ita potest homo bono adstringi, vt nonnisi valde difficulter peccare valeat, propterea quòd ex virtutibus infusis vires inferiores reprimuntur, & voluntas in Deum fortiùs perpendet. Et ratio perficitur in contemplatione diuinæ veritatis: cuius continuatio ex feruore amoris proueniens, hominem retrahit à peccato. Verùm id quod deficit ad rationem confirmationis, completur per custodiam diuinæ prouidentiæ in illis, qui confirmati dicuntur: vt scilicet quoties peccandi occurrit materia, eorum mens diuinitus excitetur ad resistendum, non tamen per vllum habitum, vt diximus. Et hæc parua de hoc verbo sufficiant.

Peccati origo duplici ex fonte oritur.

Fieri non posse, vt quispiam dum viuit nunquam erret, circa iudicium rationis, dupliciter.

Propriū Christi, deinde etiam Virginis matris confirmationis in bono prærogatiuum.

Quæ res hominem confirment in bono.

Defectū Confirmationis in confirmandis in gratia vnde suppleat Deus.

DISPVTATIO XVI.

De verbo Adoptandi, & Adoptione apud Paulum.

QVandoquidem frequens est in Nouo Testamento, & præsertim in Apostolica doctrina verbum Adoptandi, & donum, siue Spiritus Adoptionis: & nunc quidem Iudæis attribuatur, nunc adimatur; & fidelibus Christi nonnūquam adscribatur, interdū verò tollatur, & vt illud expedtent, præcipiatur, non erit inutile de hoc aliquid edisserere, & locos varios germanis interpretationibus elucidare. Præmittendum igitur est in primis, adoptionem propriè esse extraneæ personæ in filium, vel nepotem, legitimam assumptionem, in solatium adoptantis, & eius præsertim qui filios non habet, factam, vel definitur esse legitimus actus, per quem qui filius non est, pro filio habetur. Quæ quidem adoptio rectè υἱοθεσία, hoc est factio filiorum vocatur, ad differentiam generationis naturalis, quam adoptio imitatur. Et adoptio idem est, quod adoptatio per syncopen; vt ideò adoptio dici possit magna optatio. Quam elegāter Ouidius transtulit ad arborum insitionem, cum dixit:

Cur fuerit de his vocibus disserendum.

Propriè quid sit adoptio.

Ouid. lib. 1. de reme. amoris.

Venerit insitio, fac ramum, vt ramus adoptet.

Fuit igitur olim mos, vt viri interdum & fœminæ ætate grandiores alios sibi in filios adoptarent, qui ex semine suo, aut ex vtero nati non essent: vt Sara ex Agar genitum Ismaelem sibi adoptauit; Lia verò ex ancilla sua Zelpha adoptauit sibi Gad, & Aser; adhæc filia Pharaonis Moysen puerum propter eius elegantiam, in filium adoptauit; & Iacob ipse Patriarcha nepotes duos ex Ioseph filio susceptos, nempe Manassen, & Ephraim, etiam ad integras portiones, cum alijs filijs sibi arrogauit; & Mardochæus neptem ex fratre Esther sibi adoptauit.

Adoptionis Scripturarum exempla.

Genes. 30.

Exod. 2.

Genes. 48.

Esther 2.

Est autem duplex genus adoptionis: alterum perfectum, quod dicitur arrogatio; ad quam constituendam nonnulla requiruntur. Primum, vt qui adoptatur, sui iuris existat, hoc est, vel destitutus parentibus, vel saltem emancipatus. Deinde opus est, vt adoptatus transeat cum bonis suis in ius & potestatem arrogantis, ita vt possit illum distrahere pro causa vrgente, perinde atq; si esset legitimus filius. Tertiò, adoptiuus sic habet legitimam partem in bonis arrogantis, vt succedat etiā ab intestato. Postremò adoptio talis autoritate Principis fieri debet, vt valeat. Ex illis quatuor consurgebat arrogatio.

Duplex adoptio.

Prima: eius conditiones quatuor.

Adoptio verò communis, etiam parte aliqua illarum conditionū deficiente contingebat. Præter illa tamen Cicero in oratione pro domo sua exigebat ad ius adoptionis, vt is qui adoptat, neq; procreare liberos possit, & cum potuerit, sit expertus. Illud etiam exigebat, vt adoptantes, vt minimum, decē & octo annis maiores essent eo, qui adoptatur.

Altera.

Ad adoptionē duo etiam requirebat Cicero.

Iam vt de his aliquantulum, Christianè tamen, philosophemur, statuendum est, Filium Dei naturalem nō nisi vnū esse posse,

Vnus est tantum Filius Dei naturalis, filij Dei adoptiui plures.

Ioan. 1.

de quo dicitur: *Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* At adoptione, quæ est artificialis quædam fictio filiorum ad imitationē naturæ facta, plurimi esse possunt, ac proindè etiam quamplurimi in Scripturis sacris nominantur, vt ad Hebræos scribit Apostolus:

Hebr.12.
Rom 8.

Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiā, & Ecclesiam primitiuorum, (siue vt Græca litera significantiùs docet, primogenitorum; vbi primogenitos vocat fideles, qui acceperunt primitias Spiritus,) *qui conscripti sunt in cœlis:* sicut olim dicebantur apud Romanos Patres conscripti.

Adoptio Romanis quæ licita, quæ vè illicita.

Et quanquàm leges Romanæ repugnarent, ne patritius plebeium adoptaret, & concederent, patritium à plebeio adoptari: quod rationi insitionis magis est consonum: nam generosæ, & nobilis arboris surculus in syluestrem inseritur, & non è contrario:

Hæc adoptio filiorum Dei soli nititur voluntati diuinæ, ac munificentiæ.
Duplex est, legalis, & Euangelica.

Deus tamen ad has hominum regulas non aspiciens, & sua bonitate in homines exundans, voluit quamplurimos filios adoptionis habere: qui vno naturali infinitè beatus, & contentus erat. Sed istam adoptionis gratiā variè pro admirabili suæ sapientiæ ratione dispensauit. Nam vt lex typus erat, & vmbra Euangelij, ita vmbratilis quædam fuit in ea Dei adoptio,

Heb.10.
Exod.4.
Deut.32.

qua Iudæi præ Gentibus Filij Dei dicebantur, & Dominus de eis dicebat: *Filius meus primogenitus Israel;* & rursus: *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possidet te, & facit, & creauit te?*

Qualis fuerit in lege Iudæorum adoptio.

Sed hæc adoptio vera non erat, quia neque veram peccatorum remissionem tribuebat, nec ad amicitiam, & filiorum Dei dignitatem admittebat, nec ad cœlestem hæreditatem introducebat, sed signum, & typus erat adoptionis Euangelicæ, quæ suo tempore introducenda erat. Et sanè mediū quid erat inter eos, qui ius aliquod ad tantam Dei gloriam non habebant: quales erāt Gentiles ex vna parte, qui erant hospites, & aduenæ:

Ephes.2.

Nondum, ait Apostolus, ciues sanctorum, & domestici Dei; ex alia parte inter Christianos, de quibus apertè Apostolus tradit:

Rom 8.
Gal.4.

Non enim accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater,

Quomodo Iudæis à Paulo modo negetur, modo concedatur adoptio.
Roman 9.

Quo in loco etsi negare videatur illis adoptionem: intellige perfectam illam Euangelicam. Nam cap.9. ad Rom. testatur, Iudæos per legem suam qualemcunque, ac typicam accepisse adoptionem, dicens: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequiū, & promissa. Quarum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Et hac ratione, quod de Iudæis scribit, illos habuisse adoptionem, & non habuisse, conciliandū est. Quoniam autem hæc Spiritus adoptio Euangelica in filios, stat cum corpore adhuc mortali, & corruptioni, & interitui obnoxia, ita vt non conueniat tale vestimentum carnis filio Dei: redemptio quoque corporis à tanta seruitute, & miseria, adoptionis vocabulo ab eodem Apostolo exprimitur, cum ait:

Rom. 8.

Non solum autem (scilicet creatura ingemiscit, hoc est, homo renatus) *sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri.* Cum enim homines, qui adoptantur in Christo, corpore, & animo constet, declarauit, illos non expectare ampliùs filiorum adoptionem quam iam receperunt, & animo possident, sed quam iam expectant futuram in gloria, reformato corpore humilitatis suæ, & configurato corpori claritatis Christi:

Philip. 3.

quandoquidem hæc est illa adoptio, ad quam prædestinati sumus possidendam, de qua Apost. inquit:

Ephes 1.

Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ.

Heb.1.
Hæc diuina filiorum adoptio cuius tantùm munere fuerit conferenda.

Cum enim Filius Dei naturalis plenum ius habeat filiationis, quia per naturam est Dei filius, ac proinde hæres vniuersorum, non debebat hæc tanta dignitas, & ius ad hæreditatem alteri communicari, quàm per ipsum filium. Ideò quod ad Ephesios dixit: Prædestinauit nos in adoptionem filiorum, latiùs ad Romanos explicauit, cùm dixit;

Rom. 8.

Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit primogenitus in multis fratribus.

Qualis, ac quanta adoptio eiusmodi sit.

Idem enim est adoptio filiorum, & conformitas iustorum ad imaginem filij Dei, ita vt ipse sit primogenitus, & nos fratres: quæ nobilissima, & pretiosissima dignitas est, de qua Dilectus;

1.Ioan.3.

Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Et infrà:

Ibid.

Charissimi nunc filij Dei sumus; & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, id est, viri perfecti & ingressi in hæreditatem, quæ corpori, & animæ filiorum Dei debetur. Huius perfectæ adoptionis meminit Ecclesia sancta in oratione mysterij Transfigurationis, *Et adoptionem filiorum perfectam voce delapsa in nube lucida mirabiliter præsignasti.* Alteram verò imperfectam præsignauit in Baptismo, in quo & vox de cœlis dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Sed in Baptismo corpus gestabat mortale, & patibile, at in Transfiguratione corpus gloria plenum ostendit Dominus, etsi ad tempus. Porrò

in hoc

Cur priùs animo, quàm corpore adoptemur in filios.

in hoc facto, quo priùs animo, posteriùs corpore adoptamur in filios, caput nostrum Iesum Christum imitari videmur: nam hic, etsi dum viueret, & nobiscum versaretur, verus Filius Dei esset, & naturalis: quia tamen vestimentum carnis suæ patibilis & corruptioni, & morti obnoxiæ gestabat, quæ tanto Dei filio non conueniebat, & vix agnitus est Filius Dei: vbi tamen à mortuis surrexit, indutus trabea gloriæ, & immortalitatis, tunc verè Filius Dei est agnitus, & vt Propheta dixit: *Dominus regnauit, decorem indutus est, &c.* & dictus est accepisse diuinitatem Apocalyp. 5. Ita prorsus de nobis cogitandum, de quibus Dilectus dixit: *Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus* (id est, nondum cogniti sumus pro filijs Dei) *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Dixit: *Similes ei erimus*, id est, Iam non tantùm spiritu, sed etiam corpore ei configurati, vt perfecti adoptionis filij ab omnibus cognoscemur. Vnde, vel impij inducuntur dicere de sanctis: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.

Psalm. 92. *Apoc. 5.* *1. Ioan. 3.* *Quid illud: Similes ei fuimus, &c.* *Sapient. 5.*

Eidem adoptioni diuinæ propositæ cōditiones vtì conueniant.

¶ Hæc igitur υἱοθεσία id est, adoptio, quæ apud Paulum non quamuis in filios assumptionem, sed eam, quæ fit à Deo per gratiam, & gloriam, per Antonomasiam significat, complectitur, quæ superius attigimus. Siquidem illam in solatium suum fecit Deus, non quòd Filio careret, sed quòd multos adoptionis filios desideraret pro sua benignitate, in quos effunderet infinitos misericordię thesauros. Et autoritatę sua, quasi rescripto Euangelico nobis contingit, & ad nos tantùm spectat, qui nonnisi iuris sui facti, & à carnalibus parentibus, quasi emancipati illis valedicunt, & exeunt cum Abraham de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui. Et quia sponte illud amplecti debemus; pro pueris, qui nec intelligere, nec fari possunt, spondent patrini. Adhæc ingredimur in ius Dei Patris, & Filij naturalis adoptantis, vt amplius nostri non simus, sed vt ille de nobis, atq; adeo de cunctis quæ ad nos spectant, liberè disponere possit: quemadmodum etiam nos ius accipimus in omnibus bonis spiritualibus, & cœlestibus succedendi, tanquam hæredes legitimi; vt hac ratione ille sit nostra hæreditas. Ita enim loqui consueuerunt Scripturæ.

Prima conditio. *Secunda.* *Tertia.* *Gen. 12.* *Quarta.* *1. Cor. 6.*

Adoptiui filij Dei in quo à naturali eius Filio distinguantur.

Postremò de his, quæ diximus, vt penitus inspicias, hanc Euangelicam adoptionem, & Scripturas, quæ de ea loquuntur. Gignitur igitur natura Dei filius, fiunt arte adoptiui, qui propriè non nascuntur, iuxta illud, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et addit, eos etiam ex Deo nasci: *Qui non*, inquit, *ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*: non quidem ex DEO, quemadmodum naturalis Filius, sed ex Dei gratia, & munere. Et nobis gratuito munere concedit nomen filiorum, non propriè, sed metaphoricè, id est, adoptiuorum: ita etiam nomen honorificum, vt geniti, & nati vocemur, sed impropriè, & gradu inferiori: vt & dicamur gratia effecti, & noua creatura, quò distinguamur ab vnigenito, & naturali filio verè & propriè genito; & nato, non autem facto. Prius ergo dicit fieri, deinde nasci: quia ita nascuntur, vt fiant; ita fiunt, vt nascantur. Alio tamen loco priùs nasci dicuntur, quàm fieri. *Annuntiabitur*, inquit Dauid, *Domino generatio ventura; & annuntiabunt cœli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.* Vbi idem populus, & nasci, & fieri à Deo dicitur: cùm tamen de verbo æterno dicamus, Genitum, non factum. Similiter Iacobus dixit: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Vbi obserua, voluntariè dici nos genitos, creatos, & initium aliquod creaturæ; vt intelligamus, nos voluntate, & arte Dei ad hanc dignitatem filiorum Dei vocatos. Pater enim generat Filium suum essentia sua, non, vt voluntas, sed vt natura est: at homines in filios adoptat ex eadem essentia, (qua reipsa à voluntate non distinguitur,) sed non, vt natura, sed, vt voluntas est. Hinc Filius DEI adoptiuus minimè dicitur, vt etiam Patres veteres admonuerunt. Nam Ambrosius scribit: *Omnia leguntur Euangelia, & nusquam scriptum est, quod Christus adoptione est filius, & non verus filius.* Et hæc de adoptione Spiritus dicta sufficiant.

Ioan. 1. *Ibidem.* *Ijdem quatenus ex Deo nasci dicantur.* *Gal. vlt.* *Cur ijdem fiāt priusquā nascantur, ieste Ioanne.* *Psalm. 21.* *Iacob. 1.* *Voluntariā cur vocet Apostolus generationē filiorum Dei.* *Vt gignat Pater suum.* *Ambr. lib. 2. de Fid. Orthodox. ad Imperatricem, qui modo non extat.*

DISPVTATIO XVII.

De verbo inserendi, siue Insitione.

MVLTIS in locis Apostolus Insitionis meminit: nam & ad Romanos 6. & Iacob. 1. eius aperta fit mentio; rectè verò, & occultè. & 1. Corinth. 3. & Ioann. 15. cuius significatio, & mysterium in illa inclusum, quò melius, & maiori cum gustu à nobis percipiatur, præmittenda sunt quædam in genere, & mutuò accipienda ab iis, qui de agricultura tractantes, peculiariter de insitione conscripserunt. Non est autem

Rom. 6. *Iacob. 1.* *1. Cor. 3.*

longè

Adoptandi, & inserendi inter se verba valde similima.

longè diuersa significatio insitionis, & adoptionis, sed quàm proxima: nam rectè dixit Poeta quidam:

Ouid. lib. 1. de remed. amor.

Venerit insitio, fac ramum, vt ramus adoptet.

Vt nos post adoptandi verbum, rectè de inserendi voce, quæ significatione illi est proxima, disputationem hanc suscipiamus.

Triplex genus operum in vniuerso.

Obserua igitur primo loco, quædam opera esse merè naturalia, id est, quæ à sola natura sine vlla adhibita arte oriuntur: alia verò in totum sunt artificialia, quia ab arte sola pendent: quædam rursus mixta, in quibus partem sibi vendicat natura, & partem ars: & in hoc genere positum est insitionis artificium.

Ad quodnã illorum spectet insitio.

Nam arte quadam, & modo multiplici commixtæ arbores, ac plantæ in se inuicem, fructus longè diuersos à radice arboris, quæ eos sustentant, vel ex parte, vel in totum proferunt: quod plerumq; admirationem parere solet: illis præsertim, qui artis inserendi sunt ignari. Fructus autem huius artis innumeri sunt.

Variæ inserendi virtutes.

Nam hac ratione sylvestres, & steriles arbores, mites, & fructiferæ, & montosæ, domesticæ fiunt: & in vniuersum omnis arboris insitæ fructus & copiosiores sunt, & generosiores, quàm nô insitæ: salubrioris quoq; temperaturæ, & melioris odoris, atq; saporis: quod experientia agricolæ deprehenderunt.

Insitionis ingenium, & scopus.

Contendit enim ipsa insitio non solum naturam æquare, sed etiam eius defectus, vt infœcunditatem, aut paucitatem, aut acerbitatem fructuum corrigere: nec hoc solum, sed etiam, vt quæ bonos fructus producunt, si accedat insitio, fiant meliores: & hoc tantò magis, quantò pluries inseruntur, etiam in eadem arbore implantati, ex qua præcisi sunt surculi. Nam præcisi rami pyri in eandem pyrum, & vitis in eandem vitem, plures & meliores fructus producunt, vt Plinius peculiariter tradit, de surculis castaneæ in eandem castaneam insitis.

Plin. lib. 17. cap. 17.

Arbor quæ ferè in alterã inseratur, teste Plinio.

Hoc tamen obseruatum est, vt plurimum, vt surculi domesticæ, & satiuæ arboris in agrestem, & verè sterilem inserantur, & non è contrario. Quia enim agrestis arbor plurimo abundat succo, nec illud valet concoquere; fit, vt si rami domesticæ, & generosæ arboris inserantur, in fructibus ferendis illum dispenset, & concoquat.

Alia insitionis vtilitas.

Fiunt etiam per hanc artem fructus præcoces, qui priùs erant serotini, & cótra serotini ex præcocibus; modò sit mediocris temporis distantia; non autem vbi multum esset præpopera, vel nimis tarda. Fitq; per insitionem, vt nouos, & varios fructus, meliores, vt plurimum consequamur, & magis tempestiuos, aut minus tardos. Nec immeritò; quia natura coniuncta cum arte, debet naturæ soli præstare. Et insitio cum loco terræ plantam habeat, quæ succum meliorem habet, & magis digestum, quàm sit ille, qui in alijs plantis in ipsa terra immediatè plantatis inuenitur: hinc fit, vt meritò præcellant fructus insiti surculi alijs, quos ferunt alij rami non insiti.

Eadem insitio fructus quàm varios proferat.

De varietate verò fructuum audi Plinium: *Tot modis*, inquit, *insitam arborem vidimus iuxta Tiburtes tilam, omni genere pomorum onustam: alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, punicis, malorumq; generibus. Sed huic fuit breuis vita.* Hæc ille de pomo quadam.

Idem c. 16. eiusdem libri.

¶ Modus autem inserendi multiplex est, & valdè varius, de quo multa tradunt scriptores, & experientia indies noua, & admiranda ostendit; de quo Virgil. in Georgicis dixit:

Multis modis perficitur.

Virgil. lib. 2. Georgic.

Nec modus inserere, atque oculos imponere, simplex.
Nam qua se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas: angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, vdoq; docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur, & altè
Finditur in solidum cuneis via, deinde feraces
Plantæ immittuntur, nec longum tempus, & ingens
Exijt ad cælum ramis felicibus arbor:
Miraturq; nouas frondes, & non sua poma.

Hæc ille, diuersas enarrans insitionis species, de quibus inferius ex Clemente Alexandrino nonnihil producemus: quæ bubulo stercore, & luto benè subacto, & alijs opportunis subsidijs colligantur inuicem, & contra frigus & Solem muniuntur.

Insitiones quæ malæ, ac inutiles.

Illud etiam cauetur, vt ne ramus maior in minorem truncum inseratur, ne deficiente fundamento deficiat; aut plantæ longæuæ ramus in planta breuis vitæ, aut agrestis in domestica, aut fructus arboris cum osse inferatur arbori, quæ fructus fert sine osse. Debent enim quam maximè vicinæ esse, & eiusdem generis arbores, quæ miscentur. Nec enim oleam in pomum, aut pomum in oleam rectè inseras.

Opportunũ inserendi tẽpus, & locus.

Certo quoque anni tempore, hoc est, in verè, & Austro flante, cùm arbores sudant, & in gemmas prorumpunt, insitiones bonæ fiunt. Surculi verò, qui insertioni seruiunt, ex arbore saltem triennij debent præscindi ex ramusculis nouis, & à parte Orientali collecti, & ad eandem arboris partem, quæ Orientem respicit, inseri. Illud etiam singulare habent fructus, qui ex insitis surculis oriuntur, vt non ferant semina sua, sed semen agrestis, cui implectantur, non autem satiuæ, vel generosæ. Nam si semen illud feratur, reddit fructum agrestis, vt est à quibusdam annotatum. Hæc, & multò plura tradunt, qui de his scripserunt.

Porrò

Humanę insitiones, seu metaphoricę quatuor.

Porrò ars inserendi, quæ propriè ad plantas & arbores spectat, per metaphoram ad alia maiora, vel naturalia, vel moralia designanda ab hominibus vsurpari solet: in Scripturis verò à Prophetis, vel Apostolis, ad opera diuina, & supra naturam posita significanda refertur.

Prima insitio.

Poetæ igitur, & Oratores, & alij historici, ad quædam hominis ratione præditi officia, virtutesq; indicandas vsurpant. Est enim quædam in primis ingeniorum insitio, cum aut Hispanus in Italia, aut Italus in Hispania educatur, atq; in ea longo tempore agit, vel in studio literarum versatur: nam illorum quisq; mores ingenium & naturam eius terræ, in quam diuertit, paulatim imbibit, velut ramus insitus succum à terra, cui implantatus est.

Secunda.

Est etiam studium, quo magna diligentia aliorum virtutes æmulantur, & eorum heroica facinora imitari contendimus, & in eorum naturam quoad possumus; nos ipsos transfundimus. Et hęc est veluti insitio in mores alienos: vnde cogimur nostros affectus exuere, & alienos induere. Ad quod allusisse videtur ille, qui dixit:

Horat. libr. 1. epist. 1. paulo ante medium.

Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Senec. li. 1. epi. 11. sub finem. Aurea quædā documenta Senecæ.

Dixit hanc ipsam rem aspiciens Seneca ad Lucilium: *Aliquis vir bonus nobis eligēdus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc mihi Lucili Epicurus præcipit, custodem nobis, & pædagogum reddit, nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat.* Idem ad eundem: *Plus*, inquit, *tibi & viua vox, & conuictus, quàm oratio proderit. In rē præsentē venias oportet. Primùm, quia homines ampliùs oculis, quàm auribus credunt. Deinde, quia longum iter est per præcepta, breue, & efficax per exempla.*

Idem epist. 6. eiusdem libri in fine.

Tertia.

Adhæc qui adoptatur ab altero In filium, veluti in alienam familiam, & nomen inseritur, & fructus adoptantis voluntati commodos fert: à qua insitionis specie non longè distant, qui ciuitate Romana donabantur. Nam eius priuilegijs, & prærogatiuis gaudebant. & Sallust. agens in Ciceronem, vocauit eum Insitum vrbi ciuem, eo quod aliunde Romam aduenisset. Est & in quibusdam magnis Italiæ ciuitatibus obseruatum, vt familiæ minus nobiles in aliarum familiarū magis illustrium nomen, & participationem inserantur, & progressu temporis pro verè nobilibus, & illustribus habeantur.

Quarta.

Deniq; si rectè contemplemur. hominis generatio est, veluti quędam artificialis insitio. Nam vir ipse partem suæ substantię decisam in vterum vxoris inserit, cuius humore coalescens, suo tēpore edit hominis fructum illi quàm simillimum, à quo decisum est, ita vt referat eius figuram, & liheamenta, & mores. Nec enim homo à solo viro, aut à sola fœmina gignitur, sed ab vtroque. Quamquam interdum contingat, vt in istio hæc ob aliquem alterius defectum, vel pereat, vel degeneret in feram, vel informem & inanimam carnem, quam molam vocant. Et ita in hunc sensum per metaphoram homines loquũtur.

Diuina, seu Theologica insitio quadruplex. Prima, ac præstantissima.

Deus verò, & autores sacri his multò maiora mysteria sub hac metaphora nobis tradiderunt. Sciendum est igitur, primam, ac nobilissimam insitionem, quam cœlestis agricola fecit, fuisse humanitatis atomæ, & singularis Christi in diuino Verbo subsistētiam, per quam humanitas habuit Verbi existentiam, & diuinitatis succum, vt simul ederet, & diuinos & humanos fructus, & illos quidem Deo gratissimos, ac nobis suauissimos ob vnionem cum Verbo, & naturam humanam à Verbo exaltatam. Erantque pretiosæ, & infiniti meriti omnes humanitatis actiones, eo quod à Verbo diuino prodirent. Tantaq; fuit huius insitionis fortitudo vt ne separato quidem animo à corpore soluta fuerit, quia tam corpori, quàm animæ insolubili vinculo diuinum illud verbum coniunctum erat.

Iacob. 1. Huius loci Apostolici, In mansuetudine suscipite insitum verbum, &c. quadruplex intelligentia.

De hac insitionis specie videtur locutus Iacobus Apostolus, cùm dixit: *propter quod abycientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.*

Prima. Secunda Oecumenij minus idonea.

Verùm hunc locum Oecumenius ad insitam, & innatam rationem, quæ discernit inter melius, ac deterius, & quam sequi debemus, referendum censet; quæ interpretatio mihi violenta videtur. Quia naturalis, & insita ratio non videtur esse illud verbum, quod potest saluare animas nostras. Nec enim per naturalem rationem sine fide salus cuiquam potest contingere.

Hebr. 11.

Insitum simpliciter quid dicatur.

Et insitum, nisi addas illi aliquid, vt ingenitum, vel innatum, vel naturale, vel à natura, vel quid simile, non significat illud esse à natura, sed aliunde ascitum, & cui opponitur vel naturale, vel patrium. Vnde Plinius: *Quid multa*, inquit, *mutdeo Græcis, quòd illorum lingua scribere maluisti? Nec enim coniectura egeo, quòd sermone patrio exprimere possis, cum hoc insititio & inducto tam præclara opera perfeceris.* Hæc ille.

Plin. epist. 60.

Tertia.

Et ad hoc spectat, quod diximus de insito ciue, qui aliundè veniens donatus est ciuitate. Quare hic sensus nequit consistere. Dicet aliquis, intelligi posse de Verbo æterno: nam hoc est verè, & propriè verbum, & quod cum mansuetudine cordis suscipiendum est, & quod potest saluare animas nostras, iuxta nomen suum, quod est Iesus. Quod si obij-

Verbum Dei æternũ qua ratione dici possit insitũ humanitati Christi.

cias, Verbum non esse insitum in humana natura. sed potius naturam humanã insitam in Verbo; Responderi posset, per communicationem idiomatum, quæ sunt humanæ naturæ, diuinæ tribuj. Nam vt Deo tribuimus natiuitatem, mortem, resurrectionem, siue vocamus incarnatum, natum, mortuum, & suscitatum Verbum, ita etiam insitio, quæ propria est humanæ naturæ, Deo tribui potest. Quanquam arbores insitæ iuxta communem vulgi locutionem, dici possint, non tantum illæ, quæ in alijs inseruntur, sed etiam illæ, quæ insitos surculos sustinent. Quòd si in hoc pulchro sensu non quiescas, possumus per insitum verbum intelligere prædicationis Euangelicæ sermonem, qui opera & studio Apostolorum, & prædicatorum (qui insitores sunt) in cordibus nostris tanquam plantis quibusdam agrestibus, cum lenitate, & modestia præparatis suscipitur, & quasi implantatur, & per fidem inseritur. Vnde in alio loco Apostolus dixit de verbi Dei ministris; *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*, hoc est, verbum, quod interdùm, quasi semen seritur, de quo dixit Dominus; *Exijt qui seminat seminare semen suum*: interdum verò, quasi planta fructifera, & generata inseritur. Et de istis ministris plantantibus subdit in eodem loco Iacobus: *Estote autem factores verbi, & non auditores tantum; fallentes vosmetipsos.* Possumus autem ad hanc metaphoram illustrandam de insitione humanæ naturæ locos aliquot ex veteri Scriptura producere: vt cum Esai. 11. virgæ radicis Iesse mentionẽ facit, siue plantulæ de trunco Iesse: & alij vertunt, surculus de trunco: vbi manifesta est allusio ad surculum, qui inseritur. Et cum plerumq; in Esaia, & alijs Prophetis Christus vocatur germen, vt c. 4. *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis.* Et apud Zachariam: *Ecce ego adducam seruum meum Oriẽtem.* vbi Hebræa habent zemech, hoc est germen, vt Hieronym. vertit. Et Ezechiel; *Suscitabo eis germen nominatum.* Que omnia testimonia eo spectare videntur, vt humanitatem tanquàm surculum, aut virgulam, siue plantulam diuinitati insitã meditemur. Post hanc primariam insitionem est & altera, qua Deus cœlestem hominis spiritum infirmo corpori, vt vili, & infimæ creaturæ inseuit, vt generosos, & nobiles fructus proferret. Vnde & hominem rectum, & inexterminabilem, & multis donis ornatum fecit, quò vberiùs fructificaret. Sed inuidus dæmon suis dolis, & machinis insitionem hanc dormiente ratione corrupit, quemadmodum & in agro bono semine seminato, dormientibus hominibus inimicus homo superseminauit zizania, ita vt nullos bonos fructus proferat, & non sit qui faciat bonũ, non sit vsque ad vnum: & contra, omnem naturam insitionis, spiritus insitus carni non suos, sed fructus carnis faciat. Nam fomes concupiscentiæ innatus rationem inflectit ad ea tantum præstanda, quæ sensui & carni placent. Ita vt dicat Spiritus sanctus: *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, Verùm miseratus Deus hominis sortem, nouam, & meliorem excogitabat cõplantationem. Cùm enim non posset arbor mala bonos fructus facere; voluit omnes electos suos Christo inseri. Quod etsi contra rationem artis factum esse videatur, quia nunquam agrestis, aut sterilis arbor in bonam, aut satiuam inseritur: id tamen assecuti sumus per illam insitionem, vt arbor mala bona efficiatur, & oleaster reddatur bona olea per hoc ipsum, quod participat de succo & pinguedine Spiritus Christi. Aliud etiam contra rationem ipsius insitionis adipiscimur, vt insiti Christo non iam nostros fructus, vt debitum erat, sed plantæ cui inserimur, id est, Christi, feramus. Ipse enim est qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate. Quod Paulus explicauit, quando dixit: *Nam si & tu ex naturali excisus es oleastro, & contra* (siue præter) *naturam insertus es in bonam oliuam.* Idem etiam insinuauit Esaias c. 5. vbi habemus: *Vinea facta est dilecto meo in cornu filie olei. Et sepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit vineam electam*: pro quo vltimo verbo Hebrei dicunt Sorech, id est, plantis vitis optimæ inseuit: pro qua voce Septuaginta interpretes Ierem. 2. vbi eadem vox repetitur, quæ etiam Latinè ibi electa dicitur, verterunt πολυφόρον, id est abundantem, & fructiferam, quod proprium est vitis insitæ plantis. Nam quod ait, Plantaui, non simpliciter intelligendum est de prima naturali in terra plantatione, quæ fructus naturales non tam bonos reddit, quàm si arte inserendi complantentur: quia in genere significat verbum נטע natha in Hebræo, & in illo eodem verbo significatur plantatio, & insitionis ratio repræsentatur Roman. 11. in Syro codice: quia omnis complantatio est etiam plantatio. Et quando Apostoli dicuntur plantare, planè in Christum inserunt. Et ita Ierem. 2. legimus: *Ego plantaui te vineã electam, omne semen verum: quomodo ergo conuersa es in amaritudinem vitis aliena?* Paulus quoq; ad Roman. 6. dixit: *si complantati* (seu insititij) *facti sumus similitudini mortis eius;*

simul

Marginal notes (left): Quarta non incongrua quidem illa. — Eius administri. — 1. Cor. 3. — Matth. 13. — Iacob. 1. — Priorem (scilicet humanitatis in Verbo diuino) insitionem quibus verbis Prophetæ exprimere videntur. — Esa. 11. — Supra 4. — Zachar. 3. — Ezech. 34. — Altera insitio. — Eccles. 7. — Sap. 2. — Hæc quomodo corrupta ac deprauata.

Marginal notes (right): Matth. 13. — Rom. 3. — Psal. 13. — Gen. 8. — Tertia insitio. — Huius multiplex beneficium, & vtilitas exponitur. — Philip. 2. — Rom. 11. — Esa. 5. — Ierem. 2. — Natah Hebræis quid sonet. — Rom. 6.

simul & resurrectionis erimus. Et Dominus, Ioannis decimoquinto.

Ioan.15.

Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Et quia hæc spiritualis insitio, sine gratia Dei, & sine nobis non fit: ideo vtriq; tribuitur: nam ad Coloss. 1. dicitur: *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ:* id est, Præcidit ex Adam, & inseuit in CHRISTVM.

Coloss.1.
Quid illud: Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnū Filij dilectionis suæ.

Quia verò etiam ad nos spectat, & sine nobis hoc opus tam præclarum non fit, propterea adhortatur CHRISTVS: *Manete in me; & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me manseritis,* id est, nisi mihi insiti fueritis, & in insitione permaneatis.

Ioan.15.

Facilis, ac suauis vnde reddita fuerit nostra in Christum insitio.

Hæc autem, quò suauior esset insitio, voluit homo esse, vt nos homines arbori eiusdem speciei suauius insereremur. Et vt insitus surculus, in planta cui inseritur, non autem in semetipso existit, & ab ea succum trahit: ita nos existentiam in Christo habemus, & de spiritu eius participamus. Et vt in planta breuis vitæ non erat surculus longæuæ arboris plantandus; certam spem facit nobis hæc in CHRISTO insitio, immortalis, & æternæ vitæ. Et quemadmodum in arbore, aut vite non ponitur surculus nisi præcisus à sua naturali planta, & erasus cortice, & præparatus, atque alijs opportunis adhibitis fomentis, & vinculis, quibus alligetur; & postquam insitus est, purgatur ab agricola, vt fructum plus adferat:

Ibidem.

ita nec homo quisquam, adultus præsertim, Christo inseritur: nisi ab arbore veteris Adam præcisus, & ab amore huius mundi resecatus, erasis etiam vitijs, & malis habitibus, & peccatis: insiti etiam quandoque purgamur ab illo cœlesti agricola, quò fructum vberiorem adferamus.

Ibidem.

Qui nos, & qua ratione Christo inserant.

Huius magni agricolæ administri, sunt Apostoli, qui plantant, siue Christo nos inserunt per verbum, & Sacramenta. Nec enim qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.

1.Cor.3.

Plantat enim, qui planam, & primam doctrinam administrat; rigat, qui baptismum adhibet, vt explicat Ambrosius; dat verò Deus incrementum per Spiritum sanctum in Confirmationis Sacramento.

Ambros. in 3.

Sequitur; *Qui autem plantat, & qui rigat vnum sunt,* id est, vterque est minister Christi in eo, quod operatur, & vnus non habet, in quo præcellat alterū, aut in quo in eum inflatus glorietur.

Insiti in Christum, qualem tantùmodo fructus ferāt.

Ad hæc, vt semen surculi insiti in agresti planta si seminetur, non refert fructum satiuæ arboris, sed agrestis, vt experientia tradit: ita Christianus, qui insitus est Christo, cùm generat, nō nisi fructum suum, id est, filios cum originali peccato gignit: quia insitio ad animæ essentiam, & facultates, siue potentias efficitur: at generatio, operatio est carnis nondum insitæ Christo, & ad perfectum necdum regenitæ: ita fit, vt circumcisus incircumcisum, & baptizatus non baptizatum gignere soleat. Fit etiam, vt insiti Christo non pro oratione ætatis, sed pro ratione gratiæ Dei præcoces fructus faciāt.

Quā varios ac multiplices.

Nam pueri & puellæ & virginitatem coluerunt, & pro illa illibata Christo tuenda martyrium sustinuerunt: qui fructus planè suprà temporis rationem videntur. Et contrà fructus tardos producunt, qui in extrema ætate magnas, & heroicas virtutes Christi gratia exeruerunt.

Matth.13.

Insiti etiam varium fructum reddunt. Nām B. Deipara & fructum centesimum virginitatis, & sexagesimū viduitatis, & tricesimum coniugij, denique & Matris Dei, & plusquam Martyris tulit. Multi etiam, Doctoris, virginis, & Martyris fructus ediderunt; alij vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, & mixtæ vitæ varia protulerūt exempla; denique alij à pueritia per adolescentiam, & iuuentutem, & per omnes ætates vsq; ad extremam senectam, vitæ inculpatæ, & omni virtute refertæ documenta præbuerūt. Ita vt ipsi Dei serui admiratione magna rapiantur supra seipsos, & gratias ex intimo cordis sinu profectas agant Deo, quòd in spinoso corpore, & Babylonico igne positi tantam præstantium fructuū abundantiam ope diuina proferre valuerint. Hæc autem eò sunt certiora, & veriora, si verum est illud dogma, virtutes omnes esse sibi inuicem connexas.

Quarta insitio, si non eadem, certè priori simillima.

Roman.11. & sequent.

Præter has inserendi rationes, Apostolus mentionem facit ad Roman. 11. oleastri insiti in bonam oleam; id est, Gentilitatis insitæ in progeniem, & stirpem Patriarcharum, Abraham, Isaac, & Iacob; quorum pinguedo fuit fides Christi, spes, & charitas. Verùm hæc à priori non distinguitur insitione, qua quisq; in Christum inseritur. Nam vt illi Christo insiti fuerunt, ita qui eorum fidem æmulantur, non nisi per ipsos in Christum inseruntur.

Quomodo Gētes insitæ Patriarchis fuerint.

Nam vt in ædificio lapides superiores inferioribus superponuntur, & omnes tam superiores, quàm inferiores vni fundamento nituntur: ita Gentes per fidem Patriarcharū credentes hoc ipsum, quod illi fide apprehenderunt, inserūtur, quasi per illos intermedios. Et vt qui donabantur ciuitate Romana, non nisi per eos ciues, qui tunc viuebant, inserebantur in vrbem, vt eius gauderent priuilegijs: ita etiam modò quicunq;, siue ex Iudæis, siue ex Gentibus, Christo apponūtur,

non

1.Cor.3. Ephes.2. Ioann.15. 2.Corin.2. & alibi.

nonnisi per Apostolos tanquam mediatores, & insitores ad se applicarunt, & per seipsos in Christum ipsum, qui verum est fundamentum, & vera vitis, tanquam lapides, & palmites superædificantur, atq; implantantur. Non secus atq; illi qui Paulum imitantur, non tam Paulum, quàm Christum, cuius ipse est imitator, sicut idemmet indicauit, consectantur. Ita enim dicit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et ita qui inseritur Paulo, inseritur & ipsi Christo, cui ille insitus est. De hac insitione varia egregiè loquitur Irenæus lib.5. c.10.

B. Irenæus.

Quemadmodum enim oliua neglecta tempore quodam, in deserto relicta, & syluestria fructificans, secundùm se oleaster fit, vel rursus oleaster diligentiam percipiēs, & inserta in pristinam natura incurrit fructificationem: sic & homines in negligentia constituti, & concupiscentias carnis tanquam syluestria fructificantes, secundùm suam causam infructuosi iustitia constituuntur: in eo autem quod dormiunt homines, inseminat inimicus materiam zizaniæ, & propter hoc Dominus discipulis suis vigilare præcepit. Et rursus, qui infructuosi sunt iustitia, & velut sentibus obuoluti homines si diligentiam percipiant, & velut insertionem accipientes verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, eam quæ secundùm imaginem, & similitudinem factus est Dei. Sed quemadmodum oleaster insertus substantiam quidem ligni non amittit, qualitatem autem fructus immutat, & aliud percipit vocabulum, iam non oleaster, sed fructifica oliua existens, & dicitur: sic & homo per fidem insertus, & assumens Spiritum Dei, substantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem fructus immutat, & aliud accipit vocabulum, significans illam quæ in melius est transmutationem, iam non caro, & sanguis, sed homo spiritualis existens, & dicitur.

Clemens Alex. li.6. Stromat. inter dimidium circiter & finem.

Clemens Alexandrinus libro Stromatum, dicens: *Iam verò oleaster inseritur in pinguedine olea. Quin etiam nascitur eadem specie, qua olea satiua. Nam id, quod est insitum, pro terra vtitur arbore, in qua inseritur. Omnes autem plantæ simul iussu diuino germinarunt. Quocirca etiamsi sit oleaster agrestis, eos tamen coronat, qui in olympicis vincunt certaminibus: & vlmus vitem in altum extollens, eam docet esse fertilem. Videmus autem plus nutrimenti attrahere agrestes arbores, propterea quod non possint concoquere. Quæ sunt ergo agrestia, minùs concoquunt, quàm satiua: & causa cur ea sint agrestia, est priuatio facultatis concoctricis. Plus ergo nutrimenti accipit inserta olea, propterea quod sit plantata in agresti. Assueuit autem veluti concoquere nutrimentum, dum assimilatur pinguedini satiuæ. Sic etiam Philosophus, qui agresti oleæ assimilatur, cum multa habeat non concocta, propterea quod & libenter inquirat, & facilè assequatur, & pinguedinē appetat veritatis; si per fidem diuinam acceperit virtutem, in bonam, & mitem insertus cognitionem, tanquam oleaster insitus in sermonem verè pulchrum, & misericordem, & quod traditur, nutrimentum concoquit, & fit bona & satiua olea. Insitio enim eas, quæ erant inutiles, facit generosas: & quæ erant steriles, cogit esse fertiles, arte agricultura, & scientia quæ est ex cognitione. Aiunt autem insitionem fieri quatuor modis: vno quidem, quo inter lignum, & corticem oportet eum adaptare, qui inserit: quo quidem modo Catechismum suscipiunt, qui sunt ex Gentibus idiotæ, qui verbum accipiunt in superficie. Altero autem, quando ligno fisso, in ipsum plantam generosam immiserint: quod quidem accidit in ys, qui bene sunt philosophati. Eis enim dissectis dogmatibus, ingeneratur agnitio veritatis. Sic autem Iudæis quoque aperta veteri Scriptura, noua, & generosa planta olea inseritur. Tertia autem insitio agrestes tangit, & hæreticos, qui vi trahuntur ad veritatem. Nam cum vtrumque surculum falce acuta deraserint, donec medullam quidem nudauerint, sed non vlcerauerint, eas inter se vinciunt.*

Genes.1. Agrestis oleastri vsus apud Ethnicos qualis teste Clemente.

Philosophus ceu oleaster quomodo inseratur in bonam oliuam.

Quadruplex insitio apud eundem, & quibus accōmodatur. Prima. Secunda. Tertia.

Quarta.

Quartus autem modus insitionis est qui dicitur inoculatio. A generoso enim trunco circumciditur oculus, ei quoque cortice vna in orbem circumscripto, vnius palmi magnitudine. Deinde eraditur truncus oculo æquali circumscriptione, & sic immittitur circumligatus, & luto circumlitus, integro seruato, & illæso oculo, & minimè inquinato. Hoc est genus doctrinæ, quæ oritur ex cognitione, quæ res potest perspicere. Hoc quidem certè genus est maximè vtile in arboribus satiuis. Et infrà: *Potest autem quæ ab Apostolo dicitur insitio, in bonam oleam fieri, nempè in ipsum Christum, agrestis, & infidelis natura, quæ implantatur in Christum, hoc est, eorum, qui credunt in Christum. Melius est autem vnius cuiusq; fidem in ipsa inseri anima. Sanctus enim Spiritus per eam quodammodo distributus transplantatur, prout vnicuiusq; est circūscriptio, incircumscriptè.* Hactenus ille sapientissimus Pater. Proselyti igitur in veteri Testamento inserebantur bonæ oleæ Patriarcharum, sicut in Nouo Gentes implantantur in Christo per fidem Apostolorum. Præcisi sunt Iudæi per incredulitatem: & reinserentur cùm ad Christum redierint. Et hæc sint satis.

Apostoli de qua loquitur in bonam oliuam insitio, qui bona, & qui melior fieri possit.

Exod.12. & sæpè aliàs. Roman.11. & infrà.

Iudæi quomodo excisi à Christo, eidemq; quomodo reinserentur.

DISPVTATIO XVIII.

De verbo Currendi, siue de Cursu.

VERBVM Currendi, & Cursus nomen, non sunt obscuræ significationis, & per metaphoram multis eleganter tribuuntur, non tantùm in sacris literis, sed etiam apud Ethnicos scriptores. Omnibus enim, quæ motu veloci agitantur, siue sint

Quæ currant impropriè.

inani-

inanima, siue animata, apud illos cursus tribuitur. Nam & fluuij in mare, & naues in mari, & aues in aere, & astra in cœlo currere dicuntur. Quemadmodum etiam ætas, & mors, & fata, & oratio, & versus currere eleganter dicuntur. Et de nocte ait Scriptura: *Et nox in suo cursu medium iter haberet*, & Poeta dixit:

Eccles. 6.

Sapien. 18.

Virgil.

Torquet medios nox humida cursus.

Verbi Currendi, seu cursus duplex in Scripturis significatio. Prima.

2. Thess. 3.

Et currentem incitare, est quempiam ad id, ad quod suapte natura est procliuis, adhortari. In Scripturis porrò progressus verbi Dei per cursum designatur, secundum illud: *Orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos:* id est, nulla obstacula, vel impedimenta remorentur; nam pleriq; illi resistebant, & contradicebant. Et Dauid: *Qui emittit eloquium suum terræ* (id est, Verbum suum per Incarnationẽ ad nos misit) *velociter currit sermo eius.* Id est, Tanta est vis Euangelicæ prædicationis, vt breui tempore totum mundum impleuerit: tribuendo verbo Dei, quasi cuidam cursori per Prosopopœiam velocissimum per totum orbem cursum. Vnde missi Apostoli in vniuersum mundum prædicare Euangelium omni creaturæ; ad quod opus erat expedito cursu. pedes vocantur, quòd illis tãquam pedibus quibusdam ad corda hominum veheretur, secundùm illud: *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* quod Paulus accepit ex ca. Esaiæ, & Nahum 1. vbi in singulari dicitur: *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem.* Septuaginta tamen in plurali dixerunt, πόδες εὐαγγελιζόμενοι, id est, Euangelizantes: & Paulus illos producẽs, posuit in plurali in gignendi casu πόδες εὐαγγελιζομένων, id est, pedes Euangelizantium: quia Christus est, qui principaliter in suis Apostolis, & per suos ministros euangelizabat, & illi profecti in vniuersum orbem, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, pariter cum eo euangelizabant. Vocantur autem Christus, & Apostoli. pedes, non tantùm quòd viles, & contempti haberentur, vel quòd, vt pedes, & fundamentum, gestarent totum Ecclesiæ corpus, ac dicere possent, oculus fui cæco, & pes claudo; sed ex eo etiam, quòd Christus per assumptam Humanitatem legationem Patris obiuit, & Apostoli missi à Christo legatione pro illo functi sunt, & Diuinam voluntatem nobis annuntiarunt; & præsertim cùm Christum detulerut ad nos eo modo quo pedes deferunt corpus. Hinc de Paulo dicitur: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, &c.* Et Apostolos, equos, & Euangelistas quadrigam, Iesum, id est, salutem portantes vocauit Propheta, cùm dixit: *Ascendes super equos tuos, & quadriga tua saluatio.* Quos pedes lauit Christus, vt essent mundi, & recti, & calceati in præparationem Euangelij pacis. Et fortassis pedibus, sine equis & iumentis legatione sunt functi. Et Christo ipsi tribuit Propheta cursum, cùm ait: *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Ioa. etiam Baptista, teste Apostolo, impleuit cursum suum, id est, ministerium, & munus sibi impositum: sicut etiam Paulus idem sibi tribuens, dixit: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui:* tribus pulchris metaphoris describens se muneri suo à Christo imposito satisfecisse: & alibi: *Nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo consummem cursum meum:* & explicando subdit: *Et ministerium verbi quod accepi.* Quidam etiam ex Homero lib. 10. Iliad. contendunt, nuntios, & legatos dici pedes: nam de legatis ab Agamemnone ad Achillem missis habetur:

Psal. 147. illud: Qui emittit eloquium suum terræ, &c. quid significet.

Marc. vlt. Apostoli cur pedes dicantur.

Rom. 10.

Esaia 52.

Nahum 1.

Marc. vlt.

Christus & Apostoli cursum cur pedes vocētur.

Iob. 29.

2. Cor. 5.

Actor. 9.

Habac. 3.

Ioan. 13.

Ephes. 6.

Psal. 18.

Act. 13.

2. Tim. 4.

Act. 24.

Homerus.

Ἄνδρας δὲ λίσσεσθαι ἐπιπροέηκεν ἀρίστους,
Κρινάμενος κατὰ λαὸν Ἀχαιϊκόν, οἵ τε σοὶ αὐτῷ
Φίλτατοι Ἀργείων· τῶν μὴ σύ γε μῦθον ἐλέγξῃς,
Μηδὲ πόδας.

Hæc ille, vocans πόδας, quos paulò antè κήρυκας, id est, præcones, siue nuntios, hoc est, Odium, & Eurybatẽ missos cum Phœnice, Aiace, & Vlysse ad placandam irã Achillis, qui recusabat amplius præliari ob acceptam iniuriã ab Agamẽnone. Et perpende, κήρυκας dici in bello eos, qui in pace dicũtur πρέσβεις, id est, legati. Aiunt autem, Eustratium, doctissimu Homeri interpretem, eam interpretationem, vt pedes dicantur nuntij, cõprobasse. Porrò Euseb. Cæsarien. lib. 6. demõ. Euangelicæ testatur, 70. viros, Aquilã, Symmachum, & Theodotionem in illo testimonio Esaiæ: *Quàm pulchri pedes euangelizantis pacem*, vsos fuisse non verbo annuntiandi, sed Euangelizandi, pro munere prędicationis Euangelicæ, quo faciliùs ad Messiam hæc referantur. Et quidam cõqueruntur, quod Hieronymus ex Hebræo verterit, Annuntiantis. Sed hoc leuiculum fuit, etiamsi non negauerim, verbum Euangelizandi propiùs ad nostra accedere, & impudentium Iudæorum ora obturare: quemadmodum etiã verbum Hebręum, quo vsus est in prædicto testimonio Esaias המ בשר Hammebasser, hoc est, Euangelista, idem est quod Italicè dicitur Abasciatore, & Hispanicè Embaxador. Et talis magni boni est nuntius. Et huius verbi radix carnem significat apud Hebræos: id enim est בשר basar: quia fęlix nuntius Noui Testamenti ille est, qui illud annuntiat: Verbum caro factum est.

Eustratius.

Euseb. Cæsar. c. 24. tom. 1.

Quare 70. verbu Euangelizãdi, quã annuntiandi pacem, pot' vsurpauerint.

Hammebasser. Hebraice quid, & Basar.

Ioan. 1.

Vulgata vox illa, ambasciatore, vnde deducta.

Noui Testamenti felix nuntius quis ille sit.
Gal. 2.

Ostendit etiam Apostolus, huius Currendi verbi significatio includi Apostolicum ministerium, cum dixit: *Ascendi autem secundum reuelationem; & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, &c. ne fortè in vacuum currerem* aut cucurrissē, id est, sine fructu. Vt etiam alibi ait: *Non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui:* labores Euangelicos appellans cursum. Quod non propter se Apostolus, qui certus erat supra omnem certitudinem, eorum quæ prædicabat, dixit, sed propter alios, qui illum audiebant. Minori enim fide prędicationem eius suscepissent, si visus fuisset ab alijs discrepare, aut cum illis non conuenire, penes quos tamen residebat autoritas probādi doctrinam. Et Prophetæ qui non missi prophetabant, dicuntur currere, hoc est, suas visiones obtrudere, seque ipsos ingerere, & ministerium Propheticum sibi vsurpare: *Non mittebam,* inquit, *Prophetas, & ipsi currebant.* Adde etiam, hac metaphora exprimi vitæ spatium, seu vitæ tenorem. Hinc Cic. pro Sestio scripsit. *Vita breuis cursus, gloria sempiternus.* Et Dido apud Poetam:

Philip 2.
Cur dictum à Paulo: Ne fortè in vacuum currerē, aut cucurrissem.

Ierem 23.
Quid cursus falsorum Prophetarū. Altera significatio.

M. Tull. Virgil. Aenei. sub finem.

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi.

Cicer. pro Rabirio.

Et alio loco Cicero: *Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit.* Iuxta quam metaphoram etiam Dauid cecinit: *Viam mandatorum tuorū cucurri, cum dilatasti cor meum.* Sponsa etiam allecta, & tracta pretioso Christi odore, ait: *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vita siquidem sancta, & secundùm Euangelicam Dei legem transacta, prædicatio quædam aliorum est. Et quoniam hæc vita non sine laboribus, & tētationibus ducitur; opus est quasi in stadio quodā decertando currere, vt propositum præmium consequamur, & alios anteuertere; & dare operam ne retrocedamus, ne de nobis illud dicatur: *Currebatis bene: quis vos impediuit veritati non obedire?* Hæc autē metaphora frequēter sparsa est & apud Paulum, & apud Ethnicos, quorum vnus dixit:

Psal. 118.
Cant. 1.
1. Corin. 9. & sequent.
Gal. 5

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq́; puer, sudauit, & alsit.

Horat. in arte sub finem.

Apostolus quoque: *Nescitis quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis.* Et subdit inferius: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum.* Et ad Hebræos sub eadem metaphora: *Deponentes omne pondus, & circūstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Et quia debet esse coniuncta gratia Dei cum nostro cursu, dixit: *Non volentis, neq; currētis; sed miserentis est Dei.* Rursus de vita vitiosa dicitur in Psalmo: *Si videbas furem, currebas cum eo;* &: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Apud Salomonem: *Pedes illorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem.* De pijs verò, per virtutis curriculum ambulantib. scribit Esaias: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem* (scilicet cum imbecillitate) *assument pennas sicut aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* Cursum comitatur labor, volatum defectus. Et videtur Esaias loqui de martyribus, qui in stadiū ingressi confessionis Christi, mutauerunt humanas in diuinas vires: assumpserunt alas aquilarū, quibus in cœlum statim sine defectu euolarent, & currentes non sentirēt laborem, nec propterea retrocederent à fide, sed in ea corroborarentur magis. Et hunc locum videtur æmulatus Plato in Phædro, docens, animos virtutum comitatu ornatos, Deiq́; amore flagrantes, alas assumere, quibus cœlum petant. Esaias etiam similes illos efficit Angelis, quibus Scriptura sacra alas concedit. Et hæc sint satis de hoc verbo.

Hebr. 12.
Expenditur illud Apostoli: Non volētis, neq; currentis, sed miserentis est Dei.
Rom 9.

Qualis cursus malorum secundū Scripturas.
Psalm. 49.
Prouerb 1.
Qualis bonorum.
Esaia 40.
Illud Esa. vaticiniū. Qui sperāt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, &c. apte martyribus accōmodatur.
Plato.
Esai. 6. & infra, & alibi passim.

DISPVTATIO XIX.

De verbo ædificandi, & de nomine Lapidis angularis.

VErbum ædificandi præter notam significationem qua ædes ad habitādum construimus, commune est tam Deo quàm hominibus: & tam bonis quam malis, & multa significata eo verbo complectitur Scriptura. Eius oppositum est destruere, iuxta illud: *Vnus ædificans, & vnus destruens: quid prodest illis nisi labor?* Ita Eccl. 3. habetur, *Tempus destruendi, & tempus ædificādi.* Et Poeta Venusinus: *Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.* Solet autem vnus & idem verbo ædificare, & moribus destruere. Aedificare domos, in Scripturis est, Dare posteros, & diuitias. Vnde & filij nomine בנים veniūt apud Hebræos, à verbo banah, quod est ædificare: & costam quam tulit Deus de viro, ædificauit Deus in mulierem, vt tā Eua, quàm filij eius, sint Adæ ædificatio. Sed illa Euę supra naturam fuit, vt illa filiorum naturalis. Vnde Augustin. libr. 22. de Ciuitate Dei, c. 17, verbum illud ponderans: *Et ædificauit Dominus Deus costam in mulierem: non igitur legitur, Formauit, aut finxit, sed ædificauit eā in mulierem. Vnde & Apostolus dicit ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia.* Hæc ille diuinus Pater. Hinc in Exodo dicitur ædificasse Deus domos obstetricib. quæ pias se exhibuerant infantibus filiorum Israel, Aedificasse autem illis domos est, posteros, & familiam tribuisse, nec enim obstetrices prius sine domibus erant. Hinc Deut. 25. discal-

Verbum ędificādi in Scripturis quàm latè pateat.
Eccli. 3.
Ecclesi. 3.
Hora. 1 epist. 1. in finem.
Aedificare domos quid Hebræis: eisdem vnde filij nomen accipiant.
Gen. 2.
Augustin. tomo 5.
Exod. 1.

ceatur

ceatur à muliere, qui non ædificat domum fratris sui, expuendo in faciem eius.

Duplicem domum sibi Christus ædificauit, Humanitatis, & Ecclesiæ sanctæ.

Deinde ædificantur tam boni, quàm mali. Christus enim ædificauit sibi domum per incarnationem, quam inhabitaret, sicut scriptum est: Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Rursus ædificauit & sibi, & nobis domum Ecclesiæ, de qua dixit Petro: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Fuitque hæc domus figurata in templo Salomonis ædificato spatio annorum septem, id est septem ætatibus ad iudicium vsque. Ierusalem enim ædificatur vt ciuitas: cuius pars nunc militat in terris, pars verò triumphat in cœlis: nam qui legitimè certat, coronam accipit. In hac ergo domo tuti ac quieti, & muniti sumus: & intuitu CHRISTI tam nos, quàm Apostoli, ædificium Dei sumus, de quo: *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Et alio loco: *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* Et vt Christus non tantum est constructor huius Ecclesiæ, sed etiam fundamentum, siue lapis angularis eius: ita Apostoli dicuntur architecti, & fundamenta. Horum vnus dixit: *Vt sapiens architectus fundamentum posui.* Et alibi: *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.* Ita etiam quisque nostrum, qui alijs aut doctrina, aut vitæ exemplo prælucet, vt ad fidem, vel ad virtutem, vel ad diuinæ legis obseruantiam trahat, metaphoricè dicitur ædificare: & dum ad hæc ipsa trahitur ab alijs, vt in pietatis ac religionis studio promoueatur, ædificari: & omnis qui audita à Christo opere complet, vocatur à Christo similis viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram: cuius ædificium, non obstantibus tentationibus, & persecutionibus, constabit. Atque hæc significatio ita propria est Sacrarum literarum, vt eius apud profanos autores nullus, quòd sciam, sit vsus, frequentissimus verò apud Paulum: hinc 1. Corinth. 14. *Omnia ad ædificationem fiant.* 2. Corinth. 12. *Omnia autem charissimi propter ædificationem vestram:* & 2. Corinth. 13. *Potestas data est nobis in ædificationem, non in destructionem:* (& 1. Corinth. 8. *Scientia inflat, & charitas ædificat.*) Hic verò locus Pauli sumptus videtur ex ca. 1. Ierem. *Ecce constitui te hodie super Gentes & super regna, vt euellas & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.*

Sap. 9. Matth. 16. 3. Reg. 6. Psalm. 121. 2. Tim. 2.

Ecclesiæ ædificium qui sint.

1. Cor. 3. Ephes. 2. 1. Cor. 3. Ephes. 2

Aedificet improprié quis alterum, ac vicissim ab illo ædificetur.

Matth. 7.

Aedificandi alios prouinciam assumenti quid iuxta Apostolum faciendum. 1. Cor. 10.

Qui ergo vult ædificare alios, intelligat quid Paulus dixerit: *Omnia mihi licent, sed nõ omnia ædificant:* quia non satis est propriæ conscientiæ consulere, nisi etiam fratrum conscientiæ rationem habeas. Potestas quoque Ecclesiæ pastoribus collata, nullis alijs metis circumscribitur, quàm vt sit ad ædificationem. Qui verò secus faciunt, siue sint superiores, siue inferiores, destruere dicuntur: *Noli*, inquit, *propter escam destruere opus Dei*, id est fratrem tuum.

2. Cor. 10. Rom. 14.

Bene destruat quis, qui malè. Gen. 6.

Bene autem destruit, qui peccata, aut opera vitiosa per pœnitentiam destruit. Ita enim Deus deleturus hominem, dixit: *Pœnitet me fecisse hominem.* Malè autem destruit, qui ea, quæ per pœnitentiam semel destruxerat, iterum ædificat, dum ad priores anathematizatos, & abiuratos redit, aut ad vitia, & ad peccata tanquam ad vomitum reuertitur. Nec satis est aut fundamentum posuisse, aut fabricam erigere cœpisse, nisi perficiatur, ne de nobis dicatur, Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.

Luc. 14.

Superædificent super Christi fundamentum qui aurum, argẽtum, & lapides pretiosos qui ligna, fœnum, & stipulam. 1. Cor. 3.

Superædificant autem super fundamentum, hoc est Christum, aut fidem Christi, qui addunt aurum, argentum, aut lapides pretiosos, id est, qui virtutes, & bonorum operum officia, quæ aut sub præceptum, aut sub consilium cadunt, exercent: Lignum verò, & fœnum, & stipulam, qui vitia leuiora, & venialia, quæ stare possunt cum fundamento fidei, operantur: non autem qui hæreses, aut mortifera admiscent: quia hæc cum CHRISTI gratia, aut cum fide stare non possunt. Adhæc vt Noe fabricauit arcam, & seruauit animantia, & prospexit illis de cibo; ita CHRISTVS humano generi de Ecclesia prospexit, in qua vt in arca seruarentur homines; & cibum vitæ in alimoniam haberent. Et vt Deus cum posset per se sine arca Noe mundũ seruare, noluit tamen, sed vt ipse suæ salutico operaretur, fabricando arcam: Ita nec nos voluit nisi cooperantes nostræ saluti per Sacramenta, & bona opera in salutem adducere: quemadmodũ etiam poterat dare Terram promissam sine bello, & labore Israëlitarum, & non voluit: ita nec dare gloriam sine merito nostro.

Gen. 6.

Cur Christus ædificator sepium à Propheta nominetur. Esa. 58. Matth. 7. Ioan. 7.

Adhæc Christus dicitur ædificator sepium apud Esaiam: qui munit Ecclesiam vt vineam per se, aut per suos Sanctos, & Angelos, qui suis precibus imminentem iram Dei à populo eius arcent. Contra verò stultus ædificans super arenam, est dæmon, qui sibi ipsi nititur, & gloriam propriam quærit. ¶ Aedificant domum in vanum, & frustra vigilant qui custodiunt ciuitatem, tàm Iudæi & Philosophi, quàm hæretici, qui sine Deo, aut eius auspicijs, & viribus aliquid stabile ædificare aut ædificatum conseruare moliuntur.

Adificent domum in vanum: & frustra vigilent qui custodiunt ciuitatẽ, qui mysticè.

Eccl. 21.

¶ Aedificant domum impendijs alienis, Ecclesiast. 21. Hæretici, qui per testimonia Scri-

pturarum detortè allata, aut prauè explicata suos errores fabricantur. ¶ Aedificant seu fabricant sibi lupanar in capite omnis viæ, Ezech. 16. qui Scripturas ad fouendos errores, & ad turpissima peccata perfricta fronte perpetranda adducunt.

Ezech. 16.

Aedificare Sion in sanguinibus, tribus generibus hominũ contingit.

Aedificant Sion in sanguinibus, qui aut rapinis pauperum, aut cædibus insontium ditiores fiunt, & locupletiores: aut Hæretici, qui regulam Scripturarũ prauis expositionibus inficiunt, vt caro, & sanguis postulant: aut prælati, qui seruos suos, aut consanguineos in altos gradus Ecclesiæ indignè prouehunt. Vnde & aliorum scandalum, deliciosa vita, & ignorantia oriri solent.

Aedificant turrim Babel Hæretici; qui in seipsos diuisi, & se mutuo minimè intelligentes, pro suis quisque erroribus obstinatis animis stare solent. ¶ Aedificant sepulcra Prophetarum, dixit Dominus Matth. 23. Iudęi, & monumenta iustorum exornãt, qui sensum literæ in prophetis magni faciunt, reiecto sensu interiore Spiritus sancti.

Gen. 11. Matth. 23.

Reuertentes de Babel qui reædificent Ierusalem: Qui verò muros Iericho. *Iosu. 6.*

Reædificant Ierusalem, reuertentes de Babel, qui ad vitam bonam, & sanctam colendam à praua, & infami vita reuertuntur, & Ecclesiam Dei restaurant. Et per contrarium reædificant Iericho, qui contra Domini voluntatem errorem semel à seipsis dãnatum suscitant, aut qui ad vitam sordidam, & à se prius abiuratam redeunt.

De lapide, siue petra angulari.

De lapide angulari quàm frequens mẽtio Scripturarum.
Iob 38. Psalm 117. Matth. 21. Mar. 12. Luc. 20. Esa. 28. Ephes. 2.

FRequens est vsus in Scripturis huius vocis: ait enim Iob: *Super quo bases illius* (terræ scilicet) *solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius?* Dauid; *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*: quod citatur à tribus Euangelistis, Matthæo, Marco, & Luca. Tertio Esaias c. 28. *Ecce, ego ponam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento, fundatum.* Ad hæc Paulus Ephes. 2. *Estis ciues Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo.* In quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino. Petrus quoque in priori epistola, cap. 2. *Ad quem accedentes, lapidem viuum, ab hominibus quidẽ reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum: Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini in domos spirituales, in sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Propter quod continet Scriptura: *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, probatum, electum pretiosum, & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem (lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli) & lapis offensionis, & petra scandali his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.* Et Ecclesia cantat in hymno quodam:

1. Pet. 2.

Esa. 28.

Angularis fundamentum
Lapis Christus missus est,
Qui compage parietum
In vtroque nectitur.

In dedicatione Basilicæ Sanctorum.

Quò igitur hos Scripturarum locos cõmodius explicemus, præmittendum est in primis, metaphoram lapidis in Scripturis Deo exprimendo applicari, aut Christo, qui lapis est abscissus de monte sine manibus. Vt: *Dominus petra mea, & robur meum.* Et Genes. 49. *inde pastor egressus est, lapis Israel.* Imò etiã Romani iurabant per lapidem Iouem, vnde illud Poetæ:

Deum, & Christum interdum Scriptura per lapidem exprimere consueuit.
Dan. 2. 2. Reg. 22. Gen. 49.

Capitoli immobile saxum.

Virgil.

Fœdera olim quoque lapide firmabantur: nam Fecialis ignem læua manu, dextera silicem retinens, Iouem precabatur, vt qui falleret fœdus, ita mactaretur, vt ipse agnũ mactabat.

Deinde expendendum, nomẽ illud Gręcum Ἀκρογωνιαῖον, compositum esse ex angulo, & summitate, quasi dicas, summangularis, vel superangularis: & huius nominis etymologia non est accepta ex verbo vllo Hebræo. Nam Iob 38. tantum habetur Eben pinath, id est, lapis angularis, & nihil dicitur de summitate, & Septuaginta habent, Λίθος γωνιαῖον. Esa. quoque 28. tantum legitur, Lapidem angularem: vbi tamen Septuaginta verterunt ἀκρογωνιαῖον, id est summum lapidem angularem: atque hoc secuti Petrus, & Paulus, & ipsi eadem voce Græca vsi sunt, vt primum accipias Apostolos vocem Gręcam, non Hebræam secutos fuisse.

Iob 38.

Esa. 28.
Vnde cõstet, Apostolos Petrum & Paulum angularem lapidem summum iuxta Septuaginta tantum interpretes nominasse:

Cumque hæc vox minimè apud vllos autores profanos inueniatur; cogimur fateri, illam fuisse à Septuaginta assumptam, ad exprimendam vim vocis Hebrææ, & ad verba Dauidis expendenda, *Hic*, scilicet, *factus est in caput anguli.*

Accipe etiam ex Hieronymo in illud Esa. 19. *Deceperunt Aegyptum angulum populorum eius: Idioma*, inquit, *Scripturarum est, vt angulum pro regno ponant, eo quòd populos contineat, & quasi in tota domo fortissimum sit. Vnde & Christus duorum populorum parietes continens, lapis dicitur angularis.* Hæc Hieronymus. Cùm igitur anguli fiant ex lapidibus maioribus, & solidioribus; hinc Principes, siue Duces populorum, anguli vocantur: quemadmodum nos Heluetios vulgari voce Cãtones vocamus.

Hieronym. tom. 5. sub initium.
Scripturæ cur angulum de more ponant, teste Hieronymo. *Ephes. 2.*

Sed vt hæc melius adhuc penetremus, dubium

Quid lapis angularis sig-

nificet secundum aliquos.

dubium est ad quam rem fiat allusio in hac voce. Sunt enim quidam, qui referunt ad id, quod in Scripturis est frequens: vt anguli, populi dicantur, Duces ac Principes, vt Iudic. 20. & 1. Reg. 14. *Applicate huc omnes angulos populi.* Atque ita Chaldæus interpres id Dauidis explicans: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli,* habet: *Puerum despexerunt ædificatores qui inter filios Isai meruit constitui Rex, & dominator.* Item in illud Esai. 28. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum*, idem Chaldæus paraphrastes habet: *Ecce ego constituam in Sion Regem, Regem fortem, potentem, & terribilem.* Sed quia hoc testimonium apertè de Mesia est pronunciatum, vt indicant Septuaginta, & Apostoli Petrus, & Paulus, & ipse Chaldæus interpres, dum de futuro ait, Constituam: oportet hoc inquam, & prius testimonium non de Dauid filio Isai, sed de Dauid Mesia, qui in Prophetis Dauidis nomine venire solet, interpretari, vt totus Psalmus in sensu literali ostendit: & quia, si esset sermo de Dauid, illa historia esset, non prophetia. Non ergo de se Dauid loquitur, quasi reprobatus fuerit à Saule, & filio eius, & posteà fact' sit in caput anguli. Et præferenda est Christi interpretatio, & Euangelistarum, & Petri, & Pauli, interpretationi Chaldaicæ.

Iudic. 20.
1. Reg. 14.
Esa. 28.
Sed angulari lapide propheticos locos de Dauide Mesia tantum esse accipiendos, non de Dauide filio Isai.

Alter sensus.

Secundò ergo alij dicunt, fieri allusionem ad lapidem positum in templo Salomonis, qui à principio fuerit vt inutilis reprobatus, posteà verò accomodatus fuerit, vt esset in capite anguli templi, id est in præcipuo, & honestissimo loco, vt Lyranus, & Abulensis Episc. interpretantur. Sed hoc impugnatur à Paulo Burgensi Hebræo, qui hunc sensum non probat: & adsert pro se Rabbinum quendam Abrahamum, eum sensum improbantem: & applicat populo Iudæorum, dum fuit in captiuitate, & à Gētibus reprobatus: Regressus autem posteà factus est in caput anguli. Certe Rabbi Salomon de CHRISTI interpretatur. Deinde impugnatur: quia Dauid lapidem illum nec vidit, nec nouit, cùm templum post eius vitam fuerit constructum: nisi quis velit dicere, ipsum propheticè nouisse, & historiam illius lapidis, & mysterium quod de Christo portēdat. Tertiò, In libris Regum, ac Paralipomenon talis aliqua historia nō narratur: & certè supprimenda nō erat, si alia minora narrantur, vt illud, *Quod malleus, & securis, & omne ferramentum nō sunt audita in domo cum ædificaretur.* Quartò, si tale aliquid contigisset, eius narratio non fuisset aliud quàm historia, non autem prophetia, & tamen tam Dauid. quàm Esaias in prophetia futurorum meminerunt huius lapidis. Vnde Esaias, c. 28: de futuro ait: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum.*

Lyran.
Episc. Abul.
Refellitur multipliciter.
I. argum. ab autoritate.
II. argum.
Tertium.
3. Reg. 6.
Quartum & vltimum.
Esa. 28.

Igitur quod de præterito dicitur apud Dauidem: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli:* hoc factum est more Prophetarum, qui per tempus præteritum exprimunt futurum, id est, Quem reprobabunt, & Qui fiet in caput anguli. ¶ Nec obstat, quòd lapis quidam angularis fertur esse Ierosolymis inter alias ruinas. Nam si omnes illæ Ierosolymitanæ fabricæ lapide angulari vtebantur, vt est verisimile, profectò non magis fieret allusio ad illum templi, quàm ad quemuis alium.

Id: lapidem quem reprobauerunt ædificātes, &c. quod sit dictū more Prophetico.

Tertiò igitur alij sunt, qui docent referendum hunc lapidem ad infimam partem fundamenti pro sustinenda tota fabrica erigenda: & ita illud ἄκρον, id est summum, & supremum, interpretatur Beza, infimum, & profundum omnium, vt sit omnis veluti ædificij caput.

III. sensus, Theodori Bezæ.

Sed huic sententiæ repugnat ratio capitis, & summitatis. Cùm enim ratio summi & capitis accipi soleat ab eo quod supremū est, & supra nos existit, impropriè poneretur caput pro pedibus, & supremum pro infimo. Deinde lapis, qui in fundamento ponitur, non est vnus, sed multiplex, & quasi infinitus: at in capite vnus tantum est lapis. Tertiò, ratio anguli delitescentis sub terra repugnat: quia nesciretur an esset angulus, an planum ædificium. Ad hæc, non posset esse talis lapis petra scandali, aut lapis offensionis: nec enim nos in lapides, qui sub terra delitescunt, impingimus: neque talis lapis super nos cadere potest; quod verba Domini præ se ferunt: *Qui ceciderit*, inquit, *super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.*

I. ratio confutationis illius.
Secunda.
Tertia.
Quarta.
Matth. 21.

Accipienda sunt ergo propriè verba summi lapidis angularis, vel lapidis, qui ponitur in capite anguli. Et allusio fit ad summum lapidem angularem, qui in suprema parte extabat ædificij, & duos parietes hinc inde concurrentes, qui faciunt angulum, constituebat. In quocumque enim arcu id cernere est: nam eriguntur hinc inde parietes, & faciunt angulum vel obtusum, vel semicircularem, iuxta formam arcus. Et ille lapis, qui connectebat vtrumque murum, qui cęteris elegantior esse solet, & à nostris Architectis vocatur Clauis arcus, verè est lapis angularis: nam colligit, & solidat vtrumq; parietem, & sustinet totam fabricam, tam inferiorem, quæ illi supponitur, quàm superiorem quę superponitur: & illi tribuitur vis sustinendi omnem fabricam. Imò quod

IV. sensus lōge cæteris probabilior.

maius

maius est, in certa quadā fabricæ structura, vbi duo anguli lapidum se contingunt, vnus lapis angularis illi superpositus firmat quatuor muros, & robur est totius fabricæ illorum, & eius quæ superponitur. Et probatur hæc metaphora primò ex verbis Esaiæ, qui cap. 28. vocat hunc lapidem probatum, angularem, pretiosum, &, vt Petrus ait electum: at tales lapides pretiosi non supponuntur fundamento quod latet in terra, sed apponuntur vel ad mensam vel ad caminum, vel ad columnas, vel ad similia, quæ & spectabilia sunt, & sub oculos frequenter incurrunt. Deinde confirmatur ex verbis Christi dicentis: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* vbi Petrum petram vocauit, alludens ad vocabulum eius Syriacum id est, ad Cepham. Est enim Cephas, collis præaltus, & scopulosus, qui omnibus se præbet spectandum: & ita Christus in alto positus, & ad dexteram Patris sedens, colligat vtrumque parietem, & Gentilium, & Iudæorum ad seipsum, & in seipso illum sustinet. Vt enim fabrica naturalis fundamenta habet sub terra delitescentia; ita è contrario spiritualis ędificatio tota descēdit à Deo, siue à Christo, & ab illis, qui proximi fuerūt Christo, id est prophetis, & Apostolis: nam illis reuera competit ratio fundamenti, qui virtutem habent alios sustinendi, & fabricā spiritualem in cœlum erigendi.

I. argum. pro hoc sententia. *Esa. 28. 1. Petr. 2.*

II. argum. *Matth. 16.*

Cur Petrum Christus petram vocauerit. Christus lapis quare dicitur angularis. *Ephes. 2.*

Nec obstat dictum Iobis: *Quis demisit lapidem angularem eius?* nam illa demissio insinuat fundamentum lapidis angularis in imo iacere. Respondeo, ante illa verba præcedere: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, &c.* Quis posuit mensuras eius, si nosti? Et paullò post sequitur: *Aut quis demisit lapidem angularem eius?* siue vt Græca habēt, ἐπ' αὐτῆς, id est, super eam. Non ergo initium fundandi sumitur à lapide angulari, sed prius supponuntur fundamenta, & bases solidantur, vt insinuat Iob, ac posteà superponitur lapis angularis, qui connectit, & firmat omnia: & priùs funibus de terra lapis ille angularis erigitur, vt funib' eleuatus descendat, & succedat in locum supremum sibi paratum. Et quia hæc constructio vi, aut temporis iniuria corrumpi potest, potest etiam lapis angularis cadere, & cadendo aliquem conterere, Contingit etiam interdū, vt in lapidem iam lapsum, & in terra iacentem aliquis impingat, & ita confringatur, vt Christus dixit.

Lapis angularis si in summo ædificii ponitur, apud Iob cur dicitur ille demitti? *Iob. 38. Ibidem.*

Quæ metaphoricè veniunt intelligenda, vbi de Christo, aut de eius summis ministris, qui eius locum tenent, & vicem lapidis angularis, siue fundamenti sustinent, sermo habetur. Lapis enim Christus cadit super infideles, & cōterit eum, siue super eū qui peccat ex habitu, & malitia. Impingit verò in Christū lapidem, qui fidem quā accepit, operibus bonis non ornat; aut is, qui peccat ex ignorantia, vel imbecillitate naturæ, qui minus punitur, quia frangi minus est quàm conteri.

Christus lapis super quos cadat & conterat, in illum qui cadant, & confringantur.

DISPVTATIO XX.

De verbo Hæreditandi, & de vocibus Hæredis, & Hæreditatis.

HAERES est, qui defuncto succedit in ius vniuersum, quod habebat ipse qui testatur: Hæreditas verò primariò est successio in vniuersum ius defuncti, secundariò verò possessiones, & facultates dicuntur hæreditas: Hæreditare autem, est hæreditatem adire, vel acquirere, siue acceptare, & possidere, & se pro hærede gerere, cum ante acceptam hæreditatis possessionem sit tantùm institutus hæres. Et hæres dicitur ab hærendo, quòd qui hæres est, hæreat, hoc est proximus sit ei, cuius est hæres. Etsi quidam dictum putent hæredem, eo quod dominus fiat, & herus bonorum, quæ ad eum perueniunt. Apud veteres enim hæres, dominus dicebatur, vt autor est Festus, & ad id videtur alludere Paulus, cum ait ad Gal. 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium.* Hæreditas autem quæ Hebraicè vocatur נחלה, Græcè verò κληρονομία, translatitiè dicitur funis, vel funiculus, iuxta illud: *Funes ceciderunt mihi in præclaris:* & Moyses: *Funiculum hæreditatis vestræ:* eo quod funibus agros, ac possessiones metirentur. Hinc Dauid; *Diuisit eis terram in funiculo distributionis.* ¶ Dicitur etiam sors, vel pars, vt ad Colossen. 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum, in lumine:* & ad Petrum Dominus: *Non habebis partem mecum;* & Dauid, *Dominus pars hæreditatis meæ:* & de Dauide dicebant filij Belial: *Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai?* Et ratio huius nomenclaturæ erat, quia hæreditas in tot partes distribuebatur, quot erāt hæredes, & super illis mittebantur sortes. Inde Hebræa voce Goral גורל vocatur sors, & hæreditas, quia sorte contingit. ¶ Peculiariter tamen ab Hebræis nominatur hęreditas, quicquid alicui gratis cedit in possessionem: & nominatim ipsi filij dicuntur hæreditas, quæ à Deo parente illorū datur, iuxta illud, *Ecce hæreditas Domini, filij: merces, fructus ventris.* Hinc Abraham ab Apostolo dicitur hæres mundi constitutus, in quo videlicet & ipse pater Abraham cū toto mundo ad-

Quid hæres, Hæreditas, Hæreditare.

Hæres denominatur dupliciter.

Festus autor. Galat. 4.

Hæreditas funis, vel funiculi nomine cur veniat apud Hebræos. *Psalm. 15. Psalm. 77. Iosu. 13.*

Coloss. 1.

Ioan. 13.

Psalm. 15. 2. Par. 10.

Peculiaris quædam alia Hebræorum acceptio hæreditatis.

Psalm 126.

Rom. 4.

Rom. 4. *Infra 8.*

do adoptatus in filium benedicitur. Sic dicimur Dei hæredes correlatiuè, quia Dei ſumus hæreditas cum ipſo Chriſto. Cum alioqui Græcis, & Latinis alicuius eſſe hæredem, declaret in alicuius bona per mortem ſuccedere.

Hæredes neceſſarii qui dicantur. *Rom. 8.* *Galat. 4.* *M. Tullius.*

Sunt etiam hæredes quidam neceſſarij, & ij ſunt, qui de corpore teſtatoris ſuccedunt, atque ab inteſtato ſuccedunt in hæreditatem: quales ſunt illi, & eorum poſteri, etiamſi verbis non ſint expreſſi: de quibus Apoſtolus; *Si filij; & hæredes*: & alio loco, *Si filius; &* (id eſt ergo) *hæres per Deũ*: & vt priores ſunt hæredes, quia de corpore eius deſcendunt, ita poſteriores de corpore & Spiritu Chriſti participant: vnde & Spiritus dicitur adoptionis, vel in corpus eius myſticum per Baptiſmum, quod eſt Sacramentum regenerationis, cooptantur. Et vt quis dicitur auiti nominis hæres, & hæres gloriæ: ſicut Cicero lib. 1. Officio. Optima autem hæreditas à Patribus traditur liberis, omnique patrimonio præſtantior, gloria virtutis, rerumque geſtarum. Ita per contrarium dicitur hæres criminis alicuius, qui paternum eius crimen imitatur, vt Demophoon dicitur Theſei criminis hæres: & nos poſſumus vocari Adæ peccati hæredes. Et ita etiam dedecoris, & ſupplicij alterius hæredes. Sic Eccleſiaſtici 20. de fure, & viro mendaci dicitur: *Perditionem ambo hæreditabunt*, id eſt infernum. cap. 10. *Cum morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes*: id eſt, habebit hæredes corporis quidẽ vermes, animæ verò ſerpentes dæmones; facultatum verò, & bonorum beſtias, & homines belluino more viuentes.

Optima hæreditas quæ tradatur liberis teſte Cicerone, quæ mala.

Eccl. 20. *Supra 10.*

Hæredes nõ neceſſarii qui nam ſint. *D. Boët. libr. 2 cõment. 11. in princip.*

Alij verò ſunt hæredes non neceſſarij, quibus ex beneplacito, & voluntate teſtantis obuenire ſolet hæreditas: & in vtriſque non eſt tantum primus, ſed etiam ſecundus hæres: de quo ſæpe Cicero loquitur. Et Boetius in Topica Ciceronis ait: *Secundus hæres dicitur, qui hæredi inſtituto ſubſtituitur.* Sic ille.

Quomodo olim Romani diuiderent hæreditatẽ.

Erat autem more Romano tota hæreditas per aſſem repræſentata, quæ duodecim vncijs conſtabat: & qui hæredes erant ex aſſe, integram hæreditatem adibant: quidã verò inſtituebantur ex parte, vt ex dodrante, vel ex beſſe, vel ex triente, &c. At verò Deus populo Iſraelitico terram Chanaam primum pollicitus eſt in hæreditatem: deinde etiam in poſſeſſionem eius illos introduxit. Et primò præceſſit promiſſio, vt eos ſibi conciliaret, ac deuinciret. Deinde, vt terræ illius deſiderio trangerentur, & tanquam propriam hæreditatem adirent, gladio poſſeſſores eius expellentes, & illam ſuę ditioni applicantes, & pro illa ſemel adepta, atque tuenda decertantes. Quoniam enim homines ſeculi illius rudes erant, & ſpiritualia non capiebãt; Idcircò illis primum apertè promiſit terrena; & carnalia bona, & ſub illis tacitè ſpiritualia bona. Contra verò in Euangelio apertè tantùm ſpiritualia, & regnum cœlorum pollicetur, temporalia verò tanquam additamenta, & ſine quibus corpora conſtare non poſſunt: in ſeculo verò futuro vtraque, & ſpiritualia, & corporalia æterna bona promittit. Vnde apparens Dominus Abrahæ, dixit; *Semini tuo dabo terram hanc.* Et Leuit. 20. *Poſſidete terram eorum, quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem lacte & melle.* Dauid quoque; *Memor fuit in ſeculum teſtamenti ſui.* Et infra: *Dicens, Tibi dabo terram Chanaam, funiculum hæreditatis veſtræ.* Ita quiſque filiorum Iſrael habebat poſſeſſionem ſuam in Terra, quam per ſortes diſtribuit Ioſue, ne de vna tribu in aliam hæreditates tranſirent. ¶ Sub illa autem terra, tanquam ſub vmbra, & typo, delineatus eſt in primis Chriſtus, ſiue Eccleſia eius; ſiue cœleſtis gloria, de qua regius Pſaltes, *Portio mea in terra viuentium*: & Dominus in Euangelio: *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.* De qua etiam Pſalmiſta: *Iuſti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi, ſuper eam.* Et iterum: *Manſueti autem hæreditabunt terram.* Et iterum: *Benedicentes ei hæreditabunt terram.* Idẽ ergo ſunt Iuſti, & Manſueti, & Benedicentes Deo. Et quia tantum hos ait, qui iuſtitiam, & manſuetudinem colunt, hæreditaturos terram; meritò ſub terræ nomine cœleſtem gloriam in æternum duraturam illis pollicetur. Et his verbis Propheticis tacitè Spiritus ſanctus inſtruebat Abrahę filios; vt ab hac Terra Chanaan erigerent oculos ad illam cœleſtem, quæ in ea repræſentabatur: quemadmodum Stephanus de Abraham teſtatur, quod non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis. De eodem Apoſtolus; *Fide*, inquit, *demoratus eſt in Terra repromiſſionis tanquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac, & Iacob cohæredibus repromiſſionis eiuſdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem; cuius artifex, & conditor, Deus.* Promiſſa igitur terra, Abraham expectabat cœlum, quo minus aliquid non expectabat Abrahæ fides: nos verò promiſſo cœlo, terram affectamus, ac quærimus.

Legalium; Euangelicarum & cœleſtiũ promiſſionum differentia.

Matth. 6. *Gẽn. 15.* *Leuit. 20.* *Pſalm. 104.* *Ibidem.*

Tria præfigurauit illa Terra.

Pſalm. 141. *Matth. 5.* *Pſalm. 36.* *Pſalm. 36.* *Ibidem*

Iuſti, & manſueti, vt ait Dauid, quam terram hæreditabunt.

Act. 7. *Hebr. 11.*

Vera, eaque certa ac firma ipſis promiſſa Chriſtianorum hæreditas qualis. *Matth. 25.*

Sicut igitur bona filijs Iſrael promiſſa ſub nomine hæreditatis abundè præſtita ſunt; ita etiam nobis in Euangelio æterna, & cœleſtia bona tanquam filijs præſtanda promiſit. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, hæreditate poſſidete* (ita enim habent Græca) *paratum*

Psalm. 2.
Psalm. 81.
1 Cor. 15.

reditasse, iuxta illud; *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*: item, *Tu hæreditabis in omnibus Gentibus*: quia Christus ex omnibus nationibus aliquos saluare voluit. Et in hoc lucro vt neminem habet adiutorem ita nec cohæredem. Secus est de hæreditate beatitudinis cœlestis, in qua dicimur cohęredes Christi, eo quod cum eo Deo fruemur, videntes illum facie ad faciem: & tameo hanc beatitodinem nostram Christo referimus acceptam, eo qood ipse sit velut hæres nostræ gloriæ, qui oobis illam promeruit, & illi in oobis donabitur, iuxta illud: *Accepisti dona in hominibus*. Atq; hoc modo ipse est etiam hæres vniuersorum: quia quæcuoque nos vel habemus, vel habituri sumus vt hæredes Dei, per ipsum est nobis acquisitum, & propter ipsum donatum. Sicut ergo hæreditas regni Christi disposita fuit, dummodo obedientiam Crucis acceptaret, & humani generis redemptionem perficeret: ita etiam nobis dispositum est regoum sub conditione, si legem seruemus, & crucem nostram baiulemus, & si in finē vsqoe perseuerauerimus.

Psalm. 67.
Quo etiam ratione sit Christus vniuersorum hæres.
Luc. 22.
Philip. 2.
Matth 19.
Luc. 14.
Matth. 24.

Falsom est ergo, quod hæretici blandiētes affirmant, omnibus credentibus cœlestem gloriam esse iam partam: nam ingrati filij, iuxta leges, hæreditate spoliaotur. Vnde dicentes, *Hic est hæres, venite occidamus eū*, ob hoc ipsum crimen ipsi hæreditatē amiserunt, & Christus hæreditatem obtinuit. Vnde illud; *Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores*. Vnde & hæreditas Iudæorū, vt dicitur Thren. 5. versa est ad alienos: quia testimonia Scripturarum, & Iudęorum priuilegia ad Gentes transierunt.

Supra. 8.
Quid illud Ieremiæ. Hæreditas nostra versa est ad alienos.
Thren. 5.

Quia verò Deus est omne bonom nostrum, in quo præcipuè sita est hæreditas; ideò Ipse in Scripturis vocatur hæreditas nostra, secondum illud Deuterooomij: *Dominus ipse est hæreditas eorum*: &, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem mihi*. Nomine enim calicis solet in Scripturis venire hæreditas. Vnde Psaltes; *Calix meus inebrians quàm præclarus est*? Et iterum: *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum*. Vnde & in bonā & in malam partem retributio significatur nomine calicis. Alio etiā loco dicitur: *Quid enim mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram*? deinde subiuogit: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*.

Deut. 18.
Psalm. 15.
Psalm 22.
Psalm 10.
Calix pro hæreditate more Scripturæ.
Psalm 72.

E contrario verò hæreditas Dei dicitur populus, cui disposita est hæreditas, secuodom id: *Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius*: &, *Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam*: *In hæreditate Domini morabor*, id est, gente Hebræa, quæ est Dei hæreditas. Iterum: *Hæreditatem suam spreuit*. Ieremias quoque: *Dimisi*, inquit, *hæreditatem meam*: Infra: *Factà est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua*.

Deut. 32.
Psalm. 78.
Eccles. 24.
Psalm 77.
Psalm. 80.
Ierem 22.
Ibid.

Nos vero præcipuè dicimur hæredes, secundum spem vitæ æternæ, & vocari in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cœlis: Diuites in fide, & hæredes regni: Item, *Qui vocati sunt æternæ hæreditatis*, id est, ad æternam hæreditatem, ad differentiam corruptibilis, quæ Iudæis legem seruantibus promittebatur. Denique hæredes Dei, & cohæredes Christi: quia habemus in eo pignus, siue arrhabonem hæreditatis nostrę, quæ io cœlis sita est. Ait etiam Propheta: *Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit*: quia nonnisi ad immaculatos illos hæc hæreditas spectat, de quibos: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Sunt enim qui citra Iordaoem accipiuut hęreditàtem, id est, in hoc seculo, alij verò vltra Iordanem, id est, in vita æteroa: quidam etiam, vt Esau, io bonis temporalibus, alij verò, vt Iacob, in spiritualibus, & æternis. Et hæreditas cœlestis Abrahę non datur vernaculo filio ancillæ, sed libero, & filio Saræ, qui est Isaac. Et ad Gal. 4. Hæres paruulus, est populus Iudaicus, qui non potest adire hæreditatē: secus populus Christianus iam grandis, & adultus. Nec erit hæres filius ancillę cum filio liberæ, id est, intellectus cū sensu. Nec erimus hæredes, nisi præmoriatur, vt pater, cognitio ænigmatica, & loco eius clara visio succedat. Et de his satis.

Christiani quales Dei sint, & nominentur hæredes.
Tit. 3.
1. Pet. 1.
Iacob. 2.
Heb 9.
Rom. 8.
Ephes. 1.
Psalm. 36.
Psalm. 118.
Gen 27.
Gal. 4.
Hæres paruulus quinam Apostolo, qui vero iam grandis, & maturus.
Ibidem.
Gen. 21.
1. Cor. 13.

DISPVTATIO XXI.

De verbo Creandi, & Creatione.

MVltas ac varias hoc verbum significationes inuoluit, qoas non expedit igoorare, ne in lectione Scripturarum hallucinemur.

Nam in primis significat, ex nihilo aliquid condere, non obstante illo principio Philosophiæ: Ex nihilo nihil fieri: nam hoc tantùm veritatem obtinet penes creaturas, ooo autem apud omnipotentem Deum, & de hoc dicitur: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*: nam hæc ex nihilo facta esse, ostēdit quod nihil ante hæc extaret à Deo conditum, ex quo fieri posset.

Quid Creare.
Gen. 1.

Deinde Creare, est ex materia prima, quæ simul cum Angelis, & ante omnia tempora condita fuit, aliquid efficere, iuxta illud; *Non enim impossibilis erat omnipotens ma-*

Alter significatus.
Sap. 11.

nus tua quæ creauit orbem terræ ex materia inuisa, siue materia informi, vt Græca litera habet.

III. significatus.
Ecclesiæ 17.
Genes. 1.
Ecclesiast. 17.
Gen. 2.

Tertio Creare, est facere ex quacunque materia, etiam formata, de quo: *Deus creauit de terra hominem:* & iterum: *Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem quam produxerunt aquæ:* Rursus: *Creauit ex ipso* (scilicet Adam) *adiutorium simile sibi*, nimirum Euam, quam ex costa Adæ produxit.

IV significatus.
Heb. 1.
Ouid. 2. de Arte.
Psalm 103.
Ibid.

Quartò Creare, est rem conditam conseruare. Et meritò: quia eadem infinita potentia eget Conseruatio, qua & Creatio, secundum illud; Portans omnia verba virtutis suæ: quo verbo omnia creata sunt: & vt quidam dixit:

Non minor est virtus, quam quærere parta tueri.

Et in hunc sensum dixit Propheta: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur* (id est, seruabuntur creata in esse) *& renouabis faciem terræ:* postquam dixerat: *Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferet Spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suũ reuertentur.* Quo in loco aduerte, præcedere: *Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Postquam igitur eo in Psalmo de conditione egerat; de Conseruatione rerum omnium tractat, & in primis de conseruatione indiuiduorum, quæ intermedio alimento sustinentur. Et dicuntur omnia à Deo sperare, siue expectare: quia naturæ instinctu omnia feruntur in primã caussam creatricem, vt quæ dedit esse, det alimenta ad illud seruandum. Et ait: In tempore: diuersis enim temporibus proprius, & interdum varius cuiq; animali prospicitur cibus. Et ait, quod illo dãte, accipiunt, & illo aperiente manum suam, id est, largiter dante, animalia implentur benedictione Dei, & satiantur. Auertente autem manum suam, vel, vt Hebræa habent, abscondente, terrentur, & conturbantur. Auferes (vel Consumes, vt sonat verbum Hebræum) Spiritum eum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Vbi ait de specierum conseruatione, quæ fit per generationem. Et in primis ostendit necessitatem seruandi species per generationem: nam hæc est propter indiuiduorum mortem, quæ paulatim fit per consumptionem spirituum vitalium, & ob actionem cõtrariorum, ex quibus constant: ideo deficiunt, siue moriuntur indiuidua, & ad puluerem suum, ex quo corpora facta erant, reuertuntur.

Quid illud: Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore.

Species quomodo seruentur.

Subdit: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur.* Ecce conseruatio specierum: quia mortuis animalium indiuiduis, non deficiunt species: quia Emittes Spiritum tuum, siue similitudinem Spiritus tui, siue animas animalium: *& creabuntur*, id est, denuò fient. Et sic renouabis faciem terræ, per successiuam videlicet generationem. Et mortuis parentibus, renouatur facies terræ in posteris qui propagantur. Vnde & gloria Domini oritur in seculum seculi. Ita alibi apud Iudith cap.16. dicitur: *Misisti spiritum tuum, & creata sunt, & non est qui resistat voci tuæ.* Et in Genesi à principio creationis Spiritus Domini incubabat super aquas: & anima rationalis infusa est in primum hominem, cum inspirauit in faciem eius spiraculũ vitæ. Quę anima, cum sit immortalis, etsi non consumitur, vt cæteræ animalium moriuntur, consumuntur tamen dispositiones corporis quantum ad hoc, vt homo moriatur, & desinat anima rationalis corpus amplius viuificare: sed restauratur per nouam generationem corporis, & nouam animæ formationem. Et ita creare, est tueri, & conseruare creata.

Iudith. vlt.
Gen. 1.
Infra 2.

V. significatus verbi creandi.

Quinto creatio, aut potius composita vox Procreatio apud bonos autores, est filios generare ex substantia. Vnde Plautus in Milite dixit:

Nam procreare liberos, lapidum est onus. Et Cicero lib.3. de Finibus: *Consentaneum est huic naturæ, vt sapiens velit gerere, & administrare rempublicam, atque, vt è natura viuat, vxorem adiungere, & velle ex ea liberos procreare.* Poeta quoque 2. Georgicorum initio:

Principio arboribus varia est natura creandis:

Quia ex semine, & per plantationem, & per insitionem arbores propagantur. Imò Sacris literis hic significatus non est ignotus: nam Genes.6. habetur: *Cumq; cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent:* & Paulus, *Volo*, inquit, *iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse.* Imò simplex Creandi verbum, pro generatione in Scripturis ponitur, vt Basilius, Epiphanius, & Cyrillus interpretantur, præsertim in illis sententijs: *Dominus creauit me in initio viarum suarum: Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Et subdit: *Ab initio, & ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam.* Infra: *Et dixit mihi Creator omnium; & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Item: *Sapientiam Dei antecedentem omnia quis inuestigauit? Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna.* Et infra: *Ipse creauit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est.* Qui loci sunt singulatim explicandi. Et in primo

Plaut.
M. Tull. circa finem libri
Virgil.
Gen. 6.
1. Tim. 5.
Prouer. 8.
Eccles. 24.
Basilius, Epiphan. Cyrill. Alexan. inforum creandi.
Ecclesia. 1.
Ibidem.

Ille locus expenditur: Dominus possedit me, &c.
Hieron epist. 139 ante med. tom. 9

loco Hebræa vox habet, קנני Canani; id est possedit me, vt etiam Hieronymus vertit: & in epistola ad Cyprianum tractans hoc verbum, ait: *Nullum autem debet verbum creationis mouere, cum in Hebræo non sit creatio, quæ dicitur* ברא *Bara, sed possessio: ita enim scriptum est,* יהוה קנני ראשית דרכו *Adonai Kanani Resith Darchio: quod in lingua nostra exprimitur: Dominus possedit me, initium viarum suarum. Inter possessionem autem & creationem multa diuersitas est. Possessio significat, quod semper Filius in Patre, & Pater in Filio fuerit. Creatio autem eius, qui prius non erat, conditionis exordium.* Hæc ille. Idem annotauit Basilius lib. 2. in Eunomium, & Epiphanius in Arrium hæresi 69. qui etiam asserit: *Dominus possedit me,* versionem esse Aquilæ.

Possessio, & Creatio, vt differant secundum Hieronymum.
Basil tom. 2.
Epiphan.

¶ Quod si vrgeas lectionem Chaldæi paraphrastę, qui apertè habet Dominus ברא, & Septuaginta apertè dixisse, *Creauit*: vt demus ita transtulisse Chaldæum; illud tamen ex Septuaginta allatum, dubium est an legerint ἔκτησε, cum η, à verbo κτάω, quod est possideo, an ἔκτισε cum, i, à verbo κτίζω, quod significat Creo. Nam priori modo idem dicunt cũ Hebræa veritate Septuaginta interpretes, & cogor vt ita sentiam vertisse Septuaginta, quia Genes. 4. vbi de voce Cain est sermo, quæ descendit à verbo Cana, & redditur ratio etymologiæ: quia *Possedi,* inquit Eua, *hominem per Deum,* Græca habent, ἐκτησάμην.

Ad illud respondetur: Chaldæa lectio, & Græca habet: Dominus creauit me, non autẽ, Dominus possedit me.
Genes. 4.

Si verò vrgeant codicibus multis, & vetustorum Patrum autoritate, qui legunt Κύριος ἔκτισέ με, id est, Dominus creauit me: Respondemus id abusiue, & impropriè dictum pro generatione de propria substantia, vt & ipsi Patres annotant, & præsertim Basilius lib, 2. aduersus Eunomium, & Cyrillus lib. 9. Thesauro. cap. 2. & ad hanc interpretationem cogunt ipsius textus verba. Postquam enim dixit; *Dominus creauit me,* veluti explicans, subdit: *Necdum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Et rursus: *Ante omnes colles ego parturiebar:* vt agnoscas, creationem illam talem fuisse, quæ non repugnat conceptui, ac partui, sed illas continet, & amplectitur: & ideò accipitur pro generatione.

Diluitur etiã: Antiqua exemplaria pleraq;, & veteres Patres eandem habent lectionem, Dominus creauit me.
B. Basil.
Cyrill tom. 2.

Alia solutio est non contemnenda, & à veteribus Patribus exhibita, explanandum hunc textum de Christi humanitate, in qua se Deus Verbum creaturam per vnionem assumpsisse ait: & ita solnũt Basilius lib. 2. in Eunom. & Ambrosius lib. 2, de Spiritu sancto. ca. 7. dicens: *Denique ipsa Sapientia secundum suscepti locuta corporis Sacramentum, ait: Dominus creauit me.* Gregorius verò Nazianz. *interpretatur, sapientiam non secundum se creari, sed secundum progressum, quem ad creandum fecit.* Augustinus etiam libr. 7. de Trinitate, cap. 2. in principio docet, sapientiam propter se genitam esse; dici verò creatam propter bonum suum, quo homines illustrat.

Alter sensus loci prædicti.
Basilius.
Ambro. to. 2.
III. Nazianzeni.
Gregor. Nazianz. lib 4.
August to 9. Theol. institu.

Hilarius verò lib. de Synodis docet, Sapiẽtiam dici genitam, & creatam: genitam quidem, quia eiusdem est cum Patre substantiæ; creatam verò, quia sine mutatione à Patre procedit. Eusebius Cęsarien. libr. 3. ad Marcellum ait, positum ἔκτισε pro κατέταξεν, ἐποίησεν, id est, ordinauit, siue constituit, vt citat Socrates libr. 2. histor. Eccles. cap. 17. Denique Epiphanius loco supradicto interpretatur, creauit, pro, ædificauit me in vtero Mariæ, iuxta illud quod subdit: *Sapientia ædificauit sibi domum*, vel, instar pulli exclusit me: *Quis autem,* inquit, *pullus non ex natura genitoris gignitur?* Hæc ille: imò etiam in profanis autoribus creare simpliciter est generare de propria substantia: vnde Horatius:

IV. Hilarij.
Hilar. De synod. definitione 5.
V Eusebij Cęsarien.
Socrates historiæ.
Epiphan. in hæres. 69.
Prouer 9.

Quæritur argentum; puerisq; beata creandis
Vxor.

Et Virgilins in opusculo de vino & Venere:

Vina sitim sedent: natis Venus alma creandis
Seruiat: hos fines transiluisse nocet.

Secundus locus erat: *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Id est: Sapientia in Dei verbo edita est in mũdum, cùm Dei verbo omnia condita sunt, in quibus Dei sapientia, quę ante creationẽ delitescebat in verbo Dei, mirè declarata est, & hominibus exhibita: quæ & primogenitam se dicit ante omnem creaturam, quòd ante omnia substiterit: nũquam quidem cum eo incipiens esse, sed ab æterno cum eo permanens. In quo sensu etiam dicitur à Paulo, Primogenitus omnis creaturæ: quia ante omnia à Deo vt Verbum prodiuit.

Ecclesia 24.
Similis illi Pauli sententia.
Coloss. 1.

Tertius locus est: *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Rursus: *Ab initio, & ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam.* Vbi se æternam à parte anteriori, & posteriori, hoc est, Deum designat. Et explicans se loqui de Sapientia incarnata, dixit: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo:* quia eius corpus fuit templũ Verbi diuini, cum in ipso inhabitet omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et Ioan. 1. habetur: *Habitauit in nobis:* Græca lectio habet, ἐσκήνωσεν, id est, Tabernaculo obumbrauit: & alludit ad verba Dauidis, dicentis: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus:* quod de Christo Domino explanauit Magnus Basilius.

Ecclesia. 24.
Ibidem 24.
III. locus explicatur: Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.
Coloss. 2. & Supra 1. Ioan. 1.
Psalm. 45.
Basilius in Psalm 45. to. 1. sub initium.

Subiungit etiam: *In habitatione sancta coram ipso ministraui.* Ministrauit autem, per

Cyrill tom. 2.

assumptionem corporis, & prædicationem & mortem mũdum redimens. Quanquam teste Cyrillo libr. 10. Thesaur. cap. 8. loquatur etiam de ministerio in condendo mundo, quod quidem ministerium Filium non tollebat æqualem esse Patri, aut homusion, sicut nec Patri indignum erat omnia operari cum Filio, qui dicitur in illo opere ministrare Patri. Ita olim locuti sunt vetusti Patres: nam Clemens lib. 5. Constit. Apostolicarum in fine, & Iustinus Dialogo contra Tryphonem Iudæum, & Irenæus libr. 4. capit. 14. aiunt, Filium ministrasse Patri in condendo mundo, & Cõcilium apud Syrmium Canon. 1. Qua etiam ratione dicitur Administer Patris, sed salua consubstantialitatis, & æqualitatis cum Patre & Filio ratione, vt tradit Nicephorus lib. 11. capite 30.

Clemens Romanus. Iust. mart. tom. 2. D. Irenæus. Concilium Syrmien.

Nicephorus Callistus.

Quartus locus erat: *Prior omnium creata est Sapientia*: quam de Angelica natura intelligit Augustinus lib. 1. de Genesi ad literam, cap. 17. & libr. 4. cap. 24. & Hugo de S. Victore sequitur Augustinum. Sed melius, vt puto, de Sapientia increata interpretandus est hic locus, vt indicant præcedentia, & sequentia. Præcedit enim: *Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies seculi quis dinumerauit? altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inuestigauit?* Vbi sapientiam comparat tribus, quæ numerari non possunt ab homine, & tribus alijs quæ mensurari nequeunt. Et ita significatur Sapientia Dei ab homine incomprehensa, licet à Deo comprehendatur. Et subiungit: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Vbi se loqui ostendit de Sapientia, quæ est Verbum Dei. Subdit: *Ipse creauit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est.* Vbi ponit eum qui illam vidit, contra id, Quis inuestigauit? Et addit contra eum, *Quis dinumerauit, aut quis mensus est? & dinumerauit, & mensus est*, nimirum Deus, qui creauit eam, id est, genuit eam, & qui non dono alterius sapit, sed sua substãtia, & diuinitate ab æterno, quod est creasse in Spiritu sancto. Loquitur enim de sapientia, qua omnia creata sunt, tanquam de idea architecti, quam opus est præcedere in mente artificis, ita vt in ea videat omnium quæ fieri debent, numeros, pondera, & mensuras. Quæ quidem similia sunt illis quæ Iob ca. 28. de ea disserit.

IV locus declaratur: Prior omnium creata est Sapientia. Aug to 3. Hugo de S. Vict. in Genesim, cap. 5. part. 1. Non de creata sapientia, seu Angelica sed de increata, id est, Dei Filio, ibi ostenditur esse sermonẽ.

Quid Deum Patrem creasse hoc est, genuisse sapientiam in Spiritu sancto. Sap. 11.

Sexto, Creandi verbo exprimitur œconomia Incarnationis. Vnde Ieremiæ 31. *Creauit Dominus nouum super terram: fœmina circumdabit virum.* Esaiæ 45. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra* (nimirum B. Virginis, quæ per assensum exhibitum Angelo os aperuit) *& germinet Saluatorem, & iustitia oriatur simul: ego Dominus creaui eum.* Est enim incarnatio nouitas nouitatum omnium. Est in ea in primis stupenda sine semine, & opere viri generatio respectu corporis à matre geniti. Est & factio ratione operationis ab Spiritu sancto exhibitæ. Vnde dicitur: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Et homo factus est.* Est & creatio animę ex nihilo, & donorum, quæ amplissima accepit, vt nec plurium capax esse posset Humanitas, nec illa, vtpotè summa, creari maior posset: quia nõ tantùm dona naturæ, & gratiæ, sed etiam gloriæ accepit: & quod maius est, & incomprehensum, quia illa creatio ex nihilo, ad summum & infinitum esse Verbi Dei terminata est. Est ergo Christus homo genitus respectu matris; factus, intuitu Spiritus sancti, & creatus ratione animæ, & donorum.

Sexta verbi Creandi significatio. Ierem. 31. Esa. 45. Luc. 1.

Qua ratione Christus genitus, idem factus, idem & creatus fuerit. Rom. 1.

Septimò, Creare est Iustificare: quia ex nihilo peccati efficimur, quemadmodum ex nihilo conditi sumus: & quia gratia, & virtutes creantur, cum nobis infunduntur. Vnde Eccl. 17. dicitur: *Creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum.* Et quia, teste Augustino, non minus est iustificare peccatorem, quàm creare cœlũ, & terram. Nam vna, & eadem virtus, nimirum infinita, necessaria est ad vtrumque opus. Et pleraque sunt testimonia Noui Testamenti Creationis in hoc significatu. Ait enim Apostolus: *Si qua ergo in Christo noua creatura.* Et iterum: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* Idem etiam ait: *Ipsius sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus:* & Iacobus frater Domini: *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis; vt simus initium aliquod creaturæ eius:* vel vt Græca apertiùs sonant: *Vt simus primitiæ quadam creaturarum suarum.* Item Dauid: *Annuntiabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cæli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Ecce hic est Generatio, & Factio, & Creatio simul, vt dictum est de Christo. Est creatio gratiæ ex nihilo, est generatio voluntaria, non de sua substantia, qua euehimur in filios Dei adoptiuos. Est & factio artis, quia est extra Dei substantiam. Et licet hæc factio non sit secundum substantiam, sed tantum accidentia gratiæ, & charitatis, & fidei, & spei, &c. non præterea minor est; quia hęc accidentia cùm sint prioris ordinis, præstantiora sunt & nobiliora ipsa substantia. Pontifex Romanus, & Principes, eos, quos ad sublimes gradus honorum, aut Magistratus euehunt,

VII. significatio. Ecclesiast. 17. B. August. 2. Cor. 5. Gal. ult. Ephes. 2. Iacob. 1. Psalm. 21.

In iustificatione generationem, & Factionem, tum etiam Creationẽ inueniri.

Qui quos hodie vulgo suas creaturas appellent.

hunt, creaturas suas vocare consueuerunt. Ad eundem modum Deus voluit vt creaturas eius nos agnoscamus, scientes nos per eius peculiarem gratiam omnia habere.

Octauus significatus creationis. Esa. 65. 2. Pet 3. Apoc 21. Rom. 8.

Postremo loco Creatio, est ipsa resurrectio, & ad gloriam æternam euectio. Ita enim Esaias prædixit: *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam*: quod & Apocalyp. 21. repetitur, & ad Rom. 8. *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, & in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Et ita habes huius verbi significationes explicatas.

DISPVTATIO XXII.

De verbo Redimendi, siue de Redemptione.

Redimere, quid sit.

REDIMERE, quod Græcis est Λυτροῦν, Hebraicè גאל & פדה nihil est aliud, quàm Reemere, vel iterum emere, & euphoniæ gratia dicitur Redimere, addita litera, d. Estque, Persoluto pretio rem quæ olim ad se spectabat, & aliquo modo amissa erat, ac perdita, nouo iure suã efficere. Et distinguitur à simplici verbo Emendi: quia vt Hieronymus est testis in cap. 3. ad Galatas:

Quid emere quid verò redimere Hieronymo D Hier. to. 15.

Qui emit, inquit, *alienum emit: qui autem redimit, id emit propriè quod suum fuit, & suum esse desijt.* Quæ tamen differentia non semper apud bonos autores, aut in Scripturis obseruatur.

Hęc inter se vt plurimum minimè Scriptura distinguit, 1. Cor. 6.

Plerunque enim dicimur redempti à Christo, interdum empti, iuxta illud: *Empti enim estis pretio magno.* Porrò apud classicos autores Redimere lites, est,

Latinis redimere lites, duo significat. Matth. 5.

lacturæ nonnihil facere, & cum aduersario paciscì, vt te litis molestia explices, vt Christus ostendit, cùm dixit: *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo.* Aliquando verò Redimere litem, est, Mercede pacta, litis periculum in se recipere, & alterius litem tanquam suam persequi: quod potentioribus interdictum erat, vt est apud Imperatorem lege decimaquinta C. de Procuratoribus.

Iustinianus Imperator.

Quid item Redimere.

Item Redimere, erat aliquid certo pretio faciendum suscipere: quod & Conducere vocamus. & Grçcè dicitur Ἐργολαβεῖν. Quæ significationes non erunt extra rem nostram, vt videbimus.

Nos quomodo simus à Domino redempti ratione creationis.

Dicimur ergo redimi ratione creationis, quia olim in Adam fuimus Dei prima possessio, & quasi emptio. Satis quippe rem emere dicitur, qui eam facit. Et ita iterata emptio per Christum redemptio est.

Duplex redemptio, praseruans, ac sublenans.

Item Redemptio duplex est, altera subleuans à contracta seruitute, altera verò à contrahenda, & futura, de qua Psaltes: *Qui redemisti*

Psalm. 143. 1 Reg 12.

Dauid seruum tuum de gladio magno (scilicet Goliath) *eripe me, & erue me de manu filiorum alienorum.* Vnde qui alicui deprædationi, vel vexationi iniustæ expositi sunt, dicuntur pecuniæ pretio redimere vexationem suam.

Pecunia qui redimant vexationem suam, vt dicitur. Tit 2.

Item Apostolus: *Vt nos redimeret ab omni iniquitate, non tantum præterita sed etiam à futura, per præseruantem gratiam.* Rursus Dauid: *Redimet Dominus animas seruorum suorum.* Et si quæras quomodo id contingere queat, subdit: *Et non delinquent omnes qui sperant in eo.*

Psalm. 33.

Redemptor etiam Angelorum est Christus teste Bernardo. B Bern ante dimi sermon.

Dicitur etiam Christus Redemptor Angelorum, quia qui erexit hominem lapsum dedit stanti Angelo ne laberetur: sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendẽs, vt habet Bernardus serm. 22. super Cantica. Et certè prior redemptio parum homini prodesset, nisi & hæc altera esset omnibus baptizatis impensa, nisi quis illam sua sponte spueret, & respueret, vel à se abijceret. Vnde Sophon. 3. *Væ prouocatrix & redempta ciuitas, columba*, (per ironiam adiecit hoc verbum) *non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam*

Sophon 3.

O plicem illã redimendi rationem vt agnouerit magnus Dionys. B Dionys.

Nec ignota fuit hæc significatio Dionysio, qui cap. 8. de diuinis nominibus asserit, redimi eum qui defenditur, ne cadat de statu bonorum suorum; & eum, qui in errorem lapsus ab ordine deflexerit, diminutionemque cumuli bonorum suorum senserit, ab imbecillitate, & priuatione liberans, & quod deest supplens.

Redemptio etiã duplex, naturalis, & supernaturalis:

Rursus redemptio aut est animæ, aut corporis: & altera quidem naturalis per homines à seruitute temporaria in libertatem ciuilem, altera verò supernaturalis, vt illa Dei ex Ægypto, & Babylonijs, & in Chanaan ab alijs circumstantibus hostibus.

Israelis ab Ægypto liberatio fuit cur diuina potius, quã humana.

Quæ quidem redemptio naturaliter per Deum, & homines effici poterat, diuinitus tamẽ facta est, ac supra naturam à Deo, non tam propter se, quàm ob picturam, & typum vnicæ & spiritualis redemptionis per Christum exhibendæ. Hinc dicitur: *Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti*: &: *Redemit de domo seruitutis*; rursum: *Dicant nunc qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici.*

Exod. 15. Deut 8. Psalm. 106.

Pretium eius simplex. Exod. 5. & seq. Deut. 9.

Et pretium fuit numeratum in ciuitatibus, quas Pharaoni construxerunt; vel signa & prodigia, quæ in eorum egressu edidit Deus. Ita Deut. 9. orat Moyses: *Domine Deus, ne disperdas populum tuum, & hereditatem, quam redemisti magnitudine tua*; vel denique typicus agni sanguis, qui prænuntiabat verum aliquando immolandum, ad liberationem spiritualem, præstitit vt ille commemoratus, & immolatus posset à temporali seruitute Ægypti liberare. Quædam rursus est redemptio animæ, ab spirituali

Animæ spiritualis redemptio qualis.

seruitute peccati, dæmonisque captiuitate in spiritualem filiorum Dei libertatem vindicans. In qua quidem redemptione considerãda est in primis efficiens eius causa; forma deinde ipsius redemptionis, pretiũ item eius, pacta, atque instrumenta; tempus item quo pacta est; & finis ad quem est instituta.

Eius autor, atque effector cur in primis Deus Pater. Psalm. 110. Christus etiã Dei Filius noster est duplici ratione redemptor. Tit. 2.

Redemptor igitur in primis dici potest Pater, qui Filium vnigenitum in mundum destinauit redemptorem, iuxta illud; *Redẽptionem misit Dominus populo suo*; id est, Filium redimentem Dei populum. Deinde Filius verus, ac perfectus est redemptor, de quo Apostolus ait: *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Christus enim vt Deus est, efficienter nos redemit: vt autem homo est, & per modum organi coniuncti, & per viam meriti, & satisfactionis, & sacrificij, operatus est salutem in medio terræ; vt ita tot modis, & rationibus liberans, meritò dicatur Redemptor. Hic enim titulus etsi toti Trinitati efficienter conueniat, magis tamen propriè Christo homini vnito conuenit, qui tot alijs modis salutem nobis comparauit. Vnde Iob dixit: *Scio quòd Redemptor meus viuit*: & Esaias: *Hæc dicit Dominus redemptor tuus*. Et Stephanus de Moyse: *Hunc*, inquit, *Deus principem, & redemptorem misit*; in typum scilicet Christi, qui veram mundo allaturus erat redemptionem. Adde, alios saluatores, siue redemptores missos ad liberandum Dei populum, typum veri Redemptoris gestasse: & Dauid cùm dixit: *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio*, de Christo vaticinatus est.

Aliter sanctæ Trinitati, aliter Christo congruit nomen, & ratio redemptoris. Psalm. 73. Iob 19. Esa. 44. Act. 7.

Christus redemptor in quibus olim adumbratus fuerit. Psalm. 129. Sancto quoq; Spiritui Redẽptoris titulum conuenire. Ephes. 4. Infra 4.

Habet & Spiritus sanctus donatus à Christo suis, partem redẽptionis, quia de eo ait Apostolus: *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis*: Et iterum: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei; in quo signati estis in die redemptionis.*

Tertia ratio Christo etiam tribuendi nomen, & officiũ redemptoris. Iob. 23.

Potest etiã Christus meritò dici Redemptor, quia causam nostrã deploratam prorsus ac perditam in se recepit, & tanquã bonus aduocatus nos in cliẽtelam suam suscepit, donec educeret ad victoriam iudicium & Patri suo nos reconciliaret. Sub certo itẽ pretio honoris, & gloriæ apud Patrem suũ suscipiendi, & à nobis illi exhibendæ, tanquam is, qui opus aliquod faciendum in se recepit, redemptionẽ nostram etiam operatus est. Et cùm nos non essemus soluendo Patri debitum, ipse tanquam fideiussor rependit, vt tot rationibus iustè posset redemptionis sibi titulum comparare.

De forma redemptionis agitur.

Forma deinde redemptionis pensanda est. Nam redemptio includit reuelatã doctrinam, & infusam Dei gratiam, qua quidem à culpa peccati, dæmonisque seruitute in anima pro nutu suo dominantis; ideoq; à reatu æterni supplicij in gehenna ignis, atque à sentẽtia diuinæ iustitiæ scelerum vindicis, clementi Dei bonitate liberamur, vitæque cælestis, & arrhabonis sancti Spiritus accepti efficimur hæredes, adoptati in filios: deinde ab ignoratione eorum quæ necessaria sunt ad salutem, liberamur, & illustramur, ita vt dicat Propheta de tempore Messiæ, *Repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientis.* Contingit etiam libertas à peruersa spiritus inclinatione: quæ magna ex parte per gratiam Dei vel aboletur, vel reprimitur, ita vt scribat Apostolus: *Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Christus.* Vnde non impedimur, quo minus bonorum operum fructus, tam iustitiæ, quàm charitatis redempti agere possimus: & à seruitute peccati, & dæmonis liberamur, vt seruire possimus esse iustitiæ. Hinc Ioseph Ægyptios, & terras eorum in seruitutum Pharaonis redemit, quoniam Christus redemit mundum, vt seruiamus Deo, & vt populum redemptum faceret sectatorem bonorum operum.

Ephes. 1. Christi ab spiritali animæ ignorantia, fomite peccati, dæmonisq; seruitute redemptionis beneficia. Esa. 11.

Gal. 2.

Rom. 6. Gen. 47.

Quod ad corpus attinet, non quidẽ omnino perfectam modò libertatem assequimur, quia ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri: & Christus dixit: *Respicite, & leuate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.* Dauid etiam: *Qui redimit*, inquit, *de interitu vitam tuam.* Et declarans sermonem esse de resurrectione, subijcit: *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Et de eodem Esaias prædixit: *Et redempti à Domino conuertentur, & venient in Sion cũ laude, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Quin Paulus ipse explicans modũ redemptionis corporum nostrorum, dixit: *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum; qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Pœnas autem, labores, & dolores, humilitatis nostræ voluit esse exercitia, simulque ad vitam æternam comparandam adiumẽta ac subsidia: denique ad Christi Domini nostri imitationem, qui in laboribus fuit à iuuentute sua. Mortem verò reliquit in fidei nostræ exercitium, & ab eius timore per Christum liberamur autore Apostolo: quò fit vt mors, dormitio, & somnus in Scripturis appelletur. Libertas ergo à Christo nobis collata, peccatum mortiferũ tollit, quod charitatẽ extinguit: veniale verò,

Tit. 2. Redemptio corporis nostri per immortalitatem hoc tempore cur nobis minimè contingat. Rom. 8. Psalm. 102.

Esa. 35.

Philip. 3.

Cur adhuc miseræ huius vitæ, ac laboriosæ fideles tum etiam mortis subiaceant seruituti. Psalm. 87. Heb. 2. Psal. 126. & sæpè alias.

quod

Libertas Christiana quod auferat peccatum, quod tetat.

quod molestiam adfert, huic libertati non repugnat. Vota verò quibus arctius cōstringimur ad seruiendum Deo, ad officia virtutum præstanda, & perfectionis viam ingrediendam, insta Dei præcepta, & Ecclesiæ, & Principum, & Episcoporum, non repugnant cū libertate à Christo collata, sed illi potiùs sunt adiumento, illamque promouent, quia spiritum contra malum corroborant, & corpus ad malum debilitant.

Vota, siue consilia Euangelica cum eadem libertate posse Christiana consistere.

Pretium redemptionis quodnā illud.

Tertiò dicendum de pretio redemptionis: quod, Apostolis Petro & Paulo testibus, pretiosus Christi sanguis est. Vnde illud: *Empti enim estis pretio magno*, &c: *Scientes quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paterna traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Et non tantùm sanguis, sed etiam eius corpus, quod pro nobis tradidit; siue anima, id est, vita sentiens, quam pro nobis posuit; siue denique totus ipse Christus, qui pro nobis semetipsum Patri obtulit, iuxta id: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis*: vel vt Græca litera habet, ἀντίλυτρον, hoc est, pretium pro redemptione pensum, vt habes 1. ad Timoth. 2. Nam vt Christi sanguis in cruce fusus est in redemptionem peccatorum; ita in propitiatorio Christi sacrificio quotidie sanguis ille effusus commemoratur, atque Deo offertur.

1. Cor. 6.
1. Petr. 1.

Pretij eius pars altera.

1. Timoth. 2.

Matth. 26.
Luc. 22.
1. Cor. 11.

Non semper redemptioni pretium eius in Scripturis adiungitur aut exprimitur.

Hoc loco verò annotandum, quòd etsi verbum hoc redimendi significet liberationem interposito pretio, vt ex locis dictis constat, & ex Prouerb. cap. 6. *Nec suscipiet pro redemptione dona plurima*; & Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*; Prouerb. quoque 13. *Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ.* Iob etiam 15. *Non credat frustra errore deceptus, quòd aliquo pretio redimendus sit.* sæpè tamen fit commemoratio emptionis, vel redemptionis pretio suppresso, vt ibi: *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum.* Et iterum: *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Item: *Redime me à calumnijs hominum.* Tamen in similibus locis, supplendum est ex alijs locis, pretio numerato.

Prou. 6.
Dan. 4.
Prouerb. 13.

Psalm. 72.

Psal. 129.
Psal. 118.

Si non sine pretio Christi nos redemit, quomodo apud Esaiam gratis dicimur esse redempti.

Cùm verò dicitur: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini*; &: *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac*: non excluditur pretium redemptionis per Christi sanguinem exhibitum, & oblatum Patri; sed illud respectu nostri dicitur: quia gratis, & sine vllis nostris meritis ad tantam gratiæ dignitatem nos vocare dignatus est. Iam de instrumentis dicendum: varijs namque modis redemptio à

Esai. 52.
Infra 55.

Redēptionis instrumenta.

Christo peracta applicari solet, & non tantùm fide, aut bonis operibus, sed etiam Sacramentis, quæ propriè vasa redemptionis Christi dici possunt, eiusque meritum, & virtutem expiandi continent. Et quod attinet ad præsentem vitam, initium redemptionis nostræ ex remissione peccatorum sumitur, quę per duo Sacramenta pręcipuè in nouo Testamento perficitur, nempè Baptismo, & Pœnitentia. Nam primo Sacramento à peccatis omnibus, in quę occasione delicti Adæ prolapsi sumus, virtute sanguinis Christi in cruce fusi liberamur: à reliquis verò criminibus, atque delictis mortiferis quæ post Baptismum contraximus, Sacramento Pœnitentiæ tanquam vnico, & singulari remedio, quod à sacrificio Eucharistiæ expiante, Christique sanguinem Deo per Sacerdotem oblatum continente, vim omnem suam, atq; efficaciam mutuatur, liberamur, atque expiamur. Et vt peccatum Adæ semel tantùm contrahitur, ita sanguis Christi in cruce fusus semel est, & Sacramentum Baptismi, quod proximè agit, iterari nequit: at verò alia peccata, quia post Baptismum iterari possunt, ita etiam & oblatio sanguinis illius per Sacerdotes repetitur, & pœnitentia iterari potest.

Qualem Baptismi, qualē verò pœnitentiæ Sacramentum in nobis redemptionē operetur.
Gen. 3.

Rom. 5. & seq.

Matth. 26.

Luc. 22.
1. Cor. 11.

Quod vt faciliùs perspicias, perpende, duas fuisse captiuitates populi Dei celebriores, ac magis insignes: alteram quidem, qua filij Israel captiui in Ægypto detenti sunt, in quam non quidem in seipsis, sed in patre suo Iacob descenderunt, & ab illa per seipsos eorum posteri liberantur: altera verò, qua à solo natali captiui ducti sunt in Babylonem sine parente suo, & ijdem magna ex parte redierunt. Nam nonnulli delectati Babyloniorum hominum consuetudine, ædificantes domos, ac plantantes vineas, atq; oliueta, reuerti cum liceret ad propriū solum, noluerunt: vt egregiè ex Scripturis probat Lyran. scribens in lib. Esdræ.

Captiuitates populi Dei duę in Scripturis præcipuæ memorantur.
Genes. 46.
Act. 7.
Exod. 14.
4. Reg. vlt.

Lyranus.

In hac duplici captiuitate repræsentatum est duplex peccatum, quo miserè inuoluimur: alterum quidem Adæ delictum est, quod Originale appellatur, quod nequaquam per nos ipsos, sed in ipsa origine, & capite nostro, Adamo scilicet, omnium nostrum parente perpetrauimus: alterum verò est peccatum personale, quod quisque sua voluntate, atque actione committit. Liberatio ab Ægypto delineata est: namque vt ab illa quisque liberatur per seipsum, in quam tamen in patre suo in Ægyptum descendente incidit, & non per semetipsum incurrit: ad eum propemodum à primæuo illo, & antiquo Adæ delicto, Christi beneficio, in Baptismo

Vtraque illa captiuitas quę duo peccata omnium generalissima delineauerit, atq; adumbrauerit.

Prioris peccati redemptio in qua illarum captiuitatum redemptione figurata.

quem sponte suscipimus, liberamur: quod tamen non per nos, sed in Adam primo parente admisimus. Redemptio verò à personali delicto, adumbrata est in redemptione populi de captiuitate Babel: vt enim ab ea ipsi illi, qui ducti fuerant in Babylonem, nonnisi propria sponte reuerterunt: sic sanè à peccato huiusmodi, quod propria sponte, & liberi cõmisimus, non eripimur, nisi nostra ipsorum volũtate pœnitentiam egerimus, atque in Sacramento Confessionis beneficium absolutionis susceperimus: etsi non desint permulti, qui mundi huius delicijs capti, & voluptatibus carnis inescati, è Babylone reuerti nolentes, cœlesti patriæ nuntium remiserunt. Hac itaq; ratione redemptio Christi in hac vita nobis applicari solet: in futura verò ad resurrectionem corporum ministrabunt Angeli, congregando Electos à quatuor ventis. Nec enim dicebat, vt statim à Christo libertatem corporis, & spiritus consequeremur, sed vt paullatim, & gradibus quibusdam ad illam perueniremus; tùm vt Christum in cruce ferenda imitaremur: tùm vt humiliari, & depressi, æternam magis exaltationem promereremur: tùm denique, quoniam pactum nostrum in Christo, durius illo Adæ, quo scilicet à delicijs ad delicias, & à terrestri ad cœlestem paradisum ascendebatur, esse debet.

Peccati posterioris redemptio in quãnam altera repræsentata.

Hebraicè Babylone in patriã reuerti nolentes, quorum typum gessisse videantur.

Dilata in vltimum vsq; iudicij diem redemptionis corporum nostrorum causa exponuntur.

De tempore verò dicendum est, Christum, quod ad se attinebat, & ratione cuiusdam virtutis, & capacitatis nostræ in morte sua, in qua sanguinem pro nobis copiosum effudit, in genere, & in meritis, & tanquam causam vniuersalẽ operatum fuisse redemptionem, atque eius obedientiam Deum pro nobis credituris, quos in spiritu suo cõtinebat, acceptasse: quo pacto inobediens Adam nos omnes secundùm corpulentam substantiam continebat. Hæc ergo redemptio vnico die peracta est, quatenus ad eũ spectat, de qua Zacharias cap. tertio vaticinatus est: *Ecce ego*, inquit, *calabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.* Quod ad nos verò pertinet, ea vt plurimùm contingit, cum fide, & Sacramento, vel interdum sine eo (vbi illud non vacat accipere) gratiam cum virtutibus Theologicis coniunctam accipimus. Atque ita quidem dies, qua iustificamur, inchoatæ redemptionis nostræ tempus est. Vnde ait Apostolus: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius (remissionem peccatorum) secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia, & prudentia.* Et hic est ille dies, de quo Cap. 4. ad Ephes. ait: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.*

Quo tempore Christus redemptionem sit operatus.

Zach 3.

Eiusmodi redemptio nobis quando primũ soleat applicari.

Ephes 1.

Infra 4.

Porrò dies, qua futuræ beatitudinis ianuas ingrediemur, completæ, atque perfectæ redemptionis erit dies, de qua Oseas loquitur: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero, inferne.*

Osea 13.
1 Cor 15.

Qui ergo ex eo, quòd dicimur Christi sanguine redempti, & mundati à peccatis, colligunt: Nullo ergo alio nobis opus est; profectò paralogizant, & scienter insaniũt. Nam nolunt intelligere, nos redemptos esse à peccato, vt serui efficiamur iustitiæ; &, *Redemit nos ab omni iniquitate, vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Et vt rectè non inferres: Sumus à Christo redempti, ergo fide non est opus ad iustitiam, vel oris confessione ad salutem: sic sanè malè ratiocinatur, qui à redemptione Christi peracta colligit: Ergo non est opus Sacramentis, ergo non est diuinæ legi obtemperandum. Non enim minus Deus in Scripturis hæc exigit à redemptis, quàm exigat fidem, aut eius confessionem.

Contra hoc hæreticorum corollarium: Christus nos redemit, nil ergo aliud à nobis requiritur.

Rom 6.
Tit 2.

Qualis illa sit argutio.

Quid iuxta Apostolum sit redimere tempus.

Redimere autem tempus metaphoricè dicitur Ephes. 5. & Colos. 4. & est anteactã vitam, quam lasciuiendo perdidimus, flendo reparare. Redimere verò peccata eleemosynis, est pro peccatis satisfacere, cõpensando anteactam vitam bonis operum fructibus, & proximo propter Deum benefaciendo.

Ephes 5.
Colos vlt.
Daniel 4.

Redimere peccata eleemosynis quid apud Danielẽ.

Demùm redemptio animæ viri, dicuntur propriè diuitiæ suæ, id est, opera bona, quibus tanquam pretio quodam liberatur anima à perditione. Deus enim ita nos redemit, vt in illa nobis applicãda illi cooperari possimus; sicut & illam in nobis impedire possumus. Et hæc tantũ de hoc verbo.

Prouerb 13.

Explicatur illud Salomonis: Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ.

DISPVTATIO XXII.

De verbo Prophetandi, & voce Propheta, & Prophetia.

Etsi verbũ Prophetandi dictum videatur à procul fando, quod ea, quæ post se ventura sunt, prædicat; olim tamen vates ad omnia præterita, & præsentia (quæ tamẽ sensu, aut ratione coniectari nequeunt) sicut ad futura præmuniẽda se solebant porrigere. Quod nõ tantùm ex Scripturis colligitur, quæ Mosen Prophetarũ omniũ maximũ vocat, & qui nõ tantùm de futuris, sed etiam de creatione mundi longè ante præterita, & Adæ peccato; verũ etiam ex profanis autoribus accipere possumus. Ait enim Homerus lib. 1. Iliados de Vate Chalcante:

Propheta vnde dicatur.

Proph. etiam non tantùm futuri, sed etiam præsentis, & præteriti temporis habere rationẽ.

Deut. vlt.
Genes 1.
Homerus.

Χάλκας

Κάλχας Θεστορίδης οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος,
Ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

[*Virgil. longè post medium*] Quę æmulatus Poëta Latinus in 4. Georgicorum dixit:

Nouit namque omnia Vates,
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Est autem in Scriptura Prophetæ nomen tam veris, quàm falsis Prophetis commune: quemadmodum Apostoli nomen etiam vtrisque Apostolis est commune, etsi interdum veri à non veris tam Prophetæ, quàm Apostoli distinguantur. Hinc [*Thren. 2.*] Threnor. 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent*: & Ieremiæ 28. [*Ierem. 28.*] *Tulit Hananias Propheta*, (& tamen erat pseudopropheta) *catenam de collo Ieremiæ Prophetæ,* [*Infra 37.*] *& confregit eam*: & cap. 37. *Vbi sunt Prophetæ vestri, qui prophetabant vobis? &c.* Ita Balaam, [*2 Petr. 2.*] & Prophetæ Baal commemorantur, cùm [*3 Reg. 18*] tamen essent pseudoprophetæ. Paulus ad [*Tit. 1.*] Tit. 1. citans Epimenidem Poëtam: *Dixit quidam, inquit, ex illis proprius ipsorum Propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.*

[*Quid Prophetia, Propheta, Prophetare.*] Iam verò homonymia verbis prophetandi detegenda, & explicanda venit. Prophetia igitur visio est, & Prophetæ, videntes, & prophetare, videre ea, quæ procul à communi captu, & intelligentia sunt, quæque Spiritu Dei apprehendi possunt, siue [*Genes. 1.*] illa sint præterita, vt quæ Moses prędixit de creatione mundi, de turri Babel, & diuisio- [*Infra 11.*] ne linguarum; siue sint præsentia, vt cùm corda, & intima aliorum secreta cernuntur. Ita Sauli prædixit Samuel asinas à patre [*1. Reg. 9.*] Cis fuisse inuentas, & Helisæus seruo suo Giezi quid à Nahaman Syro accepisset, & [*4. Reg. 5.*] Christus Nathanaeli vbi esset, cùm à Phi- [*Ioan. 1.*] lippo vocaretur, explicauit quòd erat sub ficu: Samaritana etiam vocat Christũ Pro- [*Infra 4.*] phetam, quòd secreta cordis sui detexisset. Petrus item partem huius Prophetiæ exhibuit, cùm fraudem ab Anania, & Sapphira excogitatam patefecit, & mortem illis im- [*Act. 5.*] minentem declarauit. In quam sententiam [*1. Cor. 14.*] Apostolus ad Corinth. scripsit: *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Occulta enim cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quòd verè Deus in vobis sit.* Quam sententiam etsi alij referant ad concionantem de moribus ad populum, ita vt audiens putet ad se sermonem dirigi, & viuum cordis sui per verba concionantis tanquàm Prophetiæ cuiusdam tangi: in idem tamen recidere videtur, si quis de veris Prophetis exponat.

Idem etiam dicendum videtur, si futura, maximè contingentia, & ea, quę ex libe- [*De rebus futuris, præsertim fortuitis vaticinia Scriptura non nulla.*] ra Dei, vel hominum voluntate pendent, prædicat, iuxta illud: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.* [*Esai. 41.*] Ita Christus prædixit trinam Petri negationẽ, [*Matth. 20.*] mortem, & resurrectionem suam sibi im- [*Supra 20.*] minentem, & excidium vrbis Ierosolymitanæ, & ad Apostolos de Spiritu sancto di- [*Infra 24. Luc. 9.*] xit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* Et in vniuer- [*Ioan. 16.*] sum tot⁹ liber Apocalypsis reuelatio est eo- [*Liber Apocalypseos quid contineat.*] rum omnium, quæ in Ecclesia euẽtura sunt ante iudicij diem. Et sicut inter Apostolos fuit Paulus prædicator, & Apostolus, & Doctor Gentium in fide & veritate, & illis instruendis assignatus; ita inter Prophetas fuit Ieremias, de quo cap. 1. dixit Domi- [*1 Timoth. 2.*] nus; *Prophetam in Gentibus dedi te.* Adhæc in [*Ierem. 1.*] vniuersum Prophetæ præcipuè de Christo [*Præcipuum prophetarum est argumentũ Christus.*] locuti sunt, vt testis est Apostolorum Princeps Actor. 10. *Huic omnes Prophetæ testimo-* [*Act. 10.*] *nium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Et de hoc genere Prophetarum prædicentium ea [*Illud: Prophetæ, & Lex vsque ad Ioannem prophetauerunt, quomodo verum sit.*] quæ ventura sunt de Messia, cùm constet iam venisse; nulli sunt ampliùs eiusmodi Prophetæ; & ita illud accipiendum est: *Omnes Prophetæ, & Lex, vsque ad Ioannem prophe-* [*Matth. 11.*] *tauerunt.*

[*Prophetandi alter significatus.*] Deinde Prophetare, est sacram Scripturam interpretari, eiusque obscuros ac difficiles locos diuino Spiritus sancti afflatu illustrare, & reuelatione huiusmodi omnes ad pietatem instruere. Veteres, vt inquit Festus, antistites fanorum, oraculorumque interpretes, Prophetas dicebant. Plato etiam idem docet in Charmide, & vocat eos ὑποφήτας, id est, subuates, quia posteriori gradu sunt Prophetis. De hoc genere Prophetiæ loquitur ad Corinthios, & ad Ephesios [*Ephes. 4.*] Apostolus, cùm ait; *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, &c.* ac [*1 Cor. 14.*] rursus: *Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit*: (id est, nemo eum intelligit) *Spiritu autem loquitur mysteria. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.* Et paulò antè: *Sectamini charita-* [*Ibid.*] *tem, æmulamini spiritualia, magis autem vt prophetetis.* Re vera enim non minus est occultos, & delitescentes in Propheticis verbis sensus eruere, illosque per Spiritum sanctum illustrare, quàm ipsa Prophetica verba protulisse. Salomon etiam de hoc genere Prophetiæ loquitur, cùm ait: *Prophetia cùm defecerit*, (hoc est vera, & legitima [*Prouerb. 29. Dictum Salomonis: Cùm prophetia de-*] explanatio) *dissipabitur populus.* Quod hodie plus satis experimur. Et Apostolus

de va-

fecerit, dissipabitur populus, quibus quadrare videatur.

de varijs Scripturæ sensibus & interpretationibus scripsit ad Thessalonicenses: *Prophetias nolite spernere, omnia probate, quod bonum est tenete.* Ex Propheticis enim verbis hæretico sensu detortis, populus fidelis per hereses, & schismata dissipatur. Petrus quoque in Catholica sua dixit: *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*: hoc est, vera Propheticæ Scripturæ interpretatio proprio sensu, & spiritu fieri non debet: sed cùm Scripturæ Spiritum sanctum autorem habeant, eundem etiam interpretem, & explanatorem habere desiderant. Qui autem falso Scripturas interpretantur, & earũ corruptas populo interpretationes porrigunt, pseudoprophetæ vocantur: à quibus Dominus cauendum esse præmonuit, cùm dixit: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Vt autem Prophetæ distinguuntur ab Apostolis, ita etiam Doctores à Prophetis. 1. Corinth. 12. & Ephes. 4. Nam Doctores tradebant, quæ per sapientiam consecuti sunt, quæ & ipsa donum Dei est; Prophetæ verò, quæ reuelatione à Deo acceperant. Hos Prophetas promisit se missurum ad nos Luc. 11. *Mittam ad illos Prophetas & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur.* Hinc autem Paulus 1. Corinth. 14. habet: *Nunc autem fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina?* Vbi reuelatio cõiungẽda est cũ prophetia, sicut scientia cum doctrina. Scientia enim communicatur per doctrinam, sicut quod per prophetiam alijs est datum, reuelatione.

1. Petr. 2.

2 Pet. 1.

Id: Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, &c. quem sensum habeat.

Qui etiam sint pseudoprophetæ.

Matth. 7.

1 Cor. 12.

Ephes. 4.

Doctores, & Prophetæ differunt.

Luc. 11.

1. Cor. 14.

Non ergo apud Paulum dicuntur Prophetæ, quicunque Scripturam explanant, sed qui solo Dei afflatu id egũt. Vnde hoc magis explicans, subdit: *Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri dijudicent.* Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim omnes per singulos prophetare, vt omnes discant, & omnes cohortentur. ¶ Hos autem Prophetas veteres Patres non ignorauerunt. Ambrosius enim (si tamen eius sint Commentaria) in c. 12. prioris ad Corinthios scribit, Prophetas duplici genere intelligamus, & in futura dicentes, & Scripturas reuelantes. Et in illud: *Qui verò prophetat, Ecclesiam ædificat*: sicut enim Propheta futura prædicit, quæ nesciuntur, ita & hic dum Scripturarum sensum, qui multis occultus est, manifestat, dicitur prophetare. Deinde Paulinus Augustino epist.

Ibid.

Duplex genus Prophetarum antiquis notũ fuisse Doctoribus.

Ambros. to. 3.

1. Cor. 14.

58. *Hos, inquit, Prophetas, quos post Apostolos posuit, non puto illos esse, qui ordine temporum ante Apostolos fuerunt, sed istos, quibus iam sub Apostolis per gratiam donabatur aut interpretatio Scripturarum, & inspectio mentium, aut prædictio temporis secuturi: vt Agabus cernebat, qui & famem instantem prædixit, & quæ B. Paulus in Ierosolymis passurus esset, & verbo denuntiauit, & signo zonæ eius ostendit.* Tertiò adde Hieronymum, qui in caput quartum ad Ephes. ita scribit: *Posuit, siue dedit Pater & Filius primò Apostolos, secundo Prophetias. Non illos, qui futura vaticinentur, quales in Veteri legimus Testamento, sed qui infideles, atque imperitos arguant, atque dijudicent.* Hæc ille. Tales erant Prophetæ, & Doctores Actor. 13. in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyreneñsis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus: & in priori ad Timoth. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam.* Id est, Ob id largitus est tibi Dominus scientiam Scripturarum, vt alios doceas, & erudias. In hunc sensum dixit Dominus ad Moysen, *Aaron frater tuus erit Propheta tuus*, id est, interpres verborum tuorum: declaransque quomodò sit Propheta, subiungit: *Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem.* Nam vt Propheta nõ loquitur, nisi quæ Deus communicat; ita nec interpres nisi quæ tantùm dictat is, cuius verba interpretatur.

Act. 10.

Infra. 21.

Hierony. to 9.

Prophetas quos Deus post Apostolos, vt ait Apostolus, posuerit in Ecclesia, secundùm Hieronymum.

Act. 13.

1. Tim. 4.

Quam gratiã Timotheus receperit per Prophetiam.

Exod. 7.

Tertiò loco prophetare, est diuinas laudes canere, siue per exuberantiam Spiritus Deum magnificare, ac celebrare: quemadmodum filij Prophetarum canendo, psallendoque prophetabant: ad quos cum venisset Saul, vt comprehenderet Dauid, cœpit & ipse prophetare. Cantores etiam à Dauide fuot instituti, vt prophetarent coram Domino: maximè si nouissent componere Psalmos de historijs antiquis, vt Idithum, Asaph, filij Core, Dauid. Erat que hic modus prophetandi pro acceptis beneficijs in vsu olim, vt pro exitu Maris Rubri Maria cecinit: *Cantemus Domino, &c.* & pro victoria obtenta de hostibus cecinerunt Debbora & Iudith cãtica: quemadmodum Anna Samuelis mater pro partu obtento: & pro liberatione à fornace Chaldæorũ tres pueri cecinerunt. Fiebant etiam cantica pro rebus flebilibus, & luctuosis, vt illud Mosis, cuius principium est: *Audite cæli quæ loquor*, & Dauidis in morte Ionatæ, & Ezechiæ Regis, eo quòd conualuisset de infirmitate: *Ego dixi in dimidio dierum meorum*, & Habacuc: *Domine, audiui auditionem tuam, & timui, &c.* Denique Ieremias in Threnis suis lamentabiles cantus edit, etiam alphabeticos.

Tertius significatus verbi prophetandi.

1. Reg. 19.

1. Paral. 25.

Scripturę Canticorum multiplex sensus.

Exod. 15.

Iudic. 5.

Iudith. 16.

1. Reg. 2.

Dan. 3

Deut. 32.

2. Reg. 1.

Esai. 38.

Habac. 3.

Noui Cantici Testamenti quid contineant.

Luc. 1. beticos. Initio autem Noui Testamenti beatissima Virgo, & Zacharias, & Simeon nouis canticis aduentum Messię, ac diuinas laudes celebrarunt: post illos Apostoli, *Ibid.* *Infra 2.* *Act. 2.* quando loquebantur varijs linguis magnalia Dei. Etiam Actis cap. 4. de primitiuis discipulis, qui cum audissent, quæ à Concilio Iudæorum liberatis euenerant, scribitur; *Infra 4.* quòd vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt: *Domine, tu es qui fecisti cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt*; Deo Opt. Max. pro beneficio in Apostolos collato gratias agentes, de quibus E- *Ephes. 5.* phes. 5. testatur: *Loquens vobismetipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes pro omnibus.* Et ad Corinth. *1. Cor. 14.* *Cùm conuenitis, vnusquisque psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.* *Quinam ex Patribus quasi prophetasse in Ecclesiam videantur.* In hoc sensu Ambrosius, Paulinus, Prudentius, Sedulius, Gregorius, qui Hymnos Ecclesiæ condiderunt, quodammodo prophetasse dici possunt. Ad eum modum de baptizatis à Paulo nomine Iesu dicitur Act. 19. *Act. 19.* *Et cùm imposuisset illis manus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis; & prophetabant.* De his quoque prædixit Ioel: *Ioel. 2.* *Prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somnibunt, & iuuenes vestri visiones videbunt*: quę Petrus Actor. 2. *Act. 2.* protulit, vt significet, siue masculos, siue fœminas magnifica Dei facta prædicasse. Et fortassis sic prophetabant quatuor vir- *Infra 21.* gines filiæ Philippi Diaconi. Sic est illud accipiendum: *1 Cor. 11.* *Omnis mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.* Vbi prophetare, non est verbum Dei ad populum prædicare, quia hoc à Paulo interdictum est illi sexui. *1. Tim. 2.* *Docere*, inquit, *mulieri non permitto.* *Duplex genus prophetiæ, atque doctrinæ mulieribus à Paulo concessum.* Mulier ergo prophetans, illa est, quæ laudibus publicis Deum celebrat, vt faciunt apud nos sanctimoniales, dum Psalmos, & Hymnos in templo decantant. Possunt tamen mulieres priuata doctrina viros, & alias fœminas docere: quemadmodum Prisca & Aquila assumserunt ad se A- *Act. 18.* pollo, & instruxerunt eum; & B. Deipara Apostolos, & alios discipulos, interrogata, de nonnullis instruxit. Possunt & prophetico Spiritu futura prædicere, & omnes ad benè viuendum instruere, publicis edius libris: vt fecerunt Sibyllæ, & aliæ sanctę vir- *Sibyllæ quando prophetarunt.* gines, & matronæ, quarum opuscula etiam hodie non sine fructu leguntur. ¶ Quartò prophetare, est signa facere, iuxta illud Ec- *Quartus significatus verbi prophetandi.* cli. 48. de Helisæo: *Nec superauit illum verbum aliquod, & mortuum prophetauit corpus eius.* Vt enim legitur. 4. Reg. 13. cùm in Helisæi sepulchro conditus esset quidam mortuus, ad contactum ossium Helisæi est ad *Eccli. 48.* *4. Reg. 13* vitam reuocatus. Et rursus de ossibus Ioseph scribitur, quòd ossa ipsius visitata sunt *Eccli. 49.* & post mortem prophetarunt; id est, edito aliquo signo fortassis Propheram Dei ipsum Iosephum ostenderunt: quemadmodum hodie ad basilicas, & sepulchra sanctorum Martyrum miracula interdum fiunt.

Quanquàm & alius sensus esse possit, eatenus scilicet Helisæi, & Ioseph ossa prophetasse, quatenus à mortuis suscitando aliquos, vniuersalem resurrectionem propter Christi merita futuram concionabantur: quemadmodum Ezechiel de ossibus mortuorum futurum vaticinatus est capite 37.

Helisæi ossa, & Ioseph Patriarchæ prophetarunt dupliciter.

Ezech. 37.

Postremò prophetare dicuntur, qui res supra sensum loquuntur, etiamsi illas minimè intelligant: qua ratione prophetasse dicitur Caiphas Ioan. 11. qui, Vomens ore, iuxta sui nominis etymologiam interpretatur, vomens scilicet, quæ mente non capiebat. Ita dictum est Sauli malo spiritu agitato: *Et prophetabis cum eis*, scilicet filijs Prophetarum. 1. Regum 10. Rursus cap. 18. habetur: *Inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ*: nimirum quia deliriebat, vt Chaldęus interpres vertit, & more insipientium aliena, & absurda, & quæ supra sensum, & rationem sunt, loquebatur. Hinc Paulus Poëtam Epimenidē, proprium ipsorum Creteusium Prophetam vocauit. Imò apud Ethnicos, Vates, & Poëtę omnes, Prophetę dicuntur, eo quòd crederentur Apollinis, atque Musarum spiritu atque furore agi: quanquam ipsi Poëtæ à vero Dei numine agitari se putarēt, de quo vnus eorum dixit:

Quintus significatus, & vltimus.
Ioan. 11.
Caiphas quid sonet.
1 Reg. 10.
Infra 18.
Quid est quod Saul prophetabat in medio domus suæ.
Tit. 1.
Vates cur olim Prophetæ habiti, ac nominati.

Sunt etiam, qui nos numen habere putent. *Ouid.*

& alibi:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo:
Impetus hic sacra semina mentis habet. *Idem libr. 7. Fastorum.*

Similiter etiam Sibyllæ falsæ à dæmonis spiritu concitatæ, & insanientes prophetabant, vt ex nostris Ambrosius & Chrysostomus quodam loco dixerunt: ex externis Cicero lib. de diuinatione: qualis erat illa, de qua Virgilius in sexto Æneidos. Nam vt fuerunt veri, & falsi Prophetæ, & Apostoli, ita etiam Sibyllæ veræ, & pseudosibyllæ, quæ Satanæ impulsu & applausu oracula fundebant: sicut per Apollinem Delphicum, & per statua, & simulachra solitus erat oracula depromere. Et hactenus de verbo Prophetandi.

Sibyllæ, aliæ veridicæ, aliæ falsiloquæ.
Ambr in c. 2. prioris ad Corint. tom. 5.
Chrysost. homil. 29 in eandem epist ante medium, to. 4.
M. Tull.

DISPVTATIO XXIV.

De verbo Baptizandi & Baptismate.

Quid Græcis Baptizare.

BAptizare, Græcis propriè est, in aquis immergere. Vnde Eupolis veteris comœdiæ autor comœdiam edidit, quam inscripsit ΒΑΠΤΑ, in qua multos baptizauerat, Alcibiadem verò non semel, eius vitam, & mores insectans. Vnde iratus Alcibiades Eupolim semel in Siciliam nauigans (teste Cicerone) baptizauit, & in mare proiecit.

Cic libr. 9 ad Attic. epist 1.

Quid vero Hebræis.

Baptizare verò in Scripturis homonymum est. Nam in primis significat abluere, siue lauare. Vnde Iudith baptizabat se in fonte aquę, hoc est, lauabat se, & Nehemias cap. 4. dixit: *Ego autem, & fratres mei, & pueri mei, & custodes qui erant post me, non deponebamus vestimenta nostra: vnusquisque tantùm nudabatur ad Baptismum*, hoc est, corpus lauandi gratia. Et Eccli. 33. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio illius?* Baptizari à mortuo, est ablui, & mundari à contactu mortui, quod in lege, tangere prohibitum erat. Scribit etiam Beatus Marcus: *Pharisæi enim, & omnes Iudæi nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: & à foro venientes nisi baptizentur, non comedunt.* Luc. 11. Pharisæus quidam, qui Christum ad prandium inuitauerat, cœpit intra se reputans dicere, quare nõ baptizatus esset ante prandium. Erat enim in more positum non minus inter Gentiles, quàm inter Iudæos, ante prandium vt conuiuæ primùm exciperentur balneo, & lauarentur: quemadmodum Christus Apostolorum, quos conuiuio vltimæ cœnæ excepit, lauit pedes. Vnde & in singulis domibus curabant habere baptisteria in cellis quibusdam, vbi tum calidis, tum frigidis aquis commodè lauari possent. Erant etiam superstitiosæ quædam Iudæorum lotiones, vt crebrò in conuiuijs manus lauarent. Erant & baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum; de quibus Marc. cap. 17. Nam etsi laudanda sit extrema munditia, & sordibus præferenda; tanta tamen externorum purificatio ad extremum vergebat, & superstitiosa videbatur: maximè Pharisæi in huiusmodi lotionibus positum cultum Dei putabant, & id alios inferiores docebant. Hinc Ioan. 20. in conuiuio nuptiarum, ad quas vocatus est Christus, erant hydrię sex ibi positæ ad purificationem Iudæorum: quas tamen Deus ad exhilarandas nuptias, & ad ostendẽdam potentiam suam, interpellatus à Matre, in vinum conuertit. Et ita hodie Mahometani eandem superstitionem sectantur, dum frequenter corporibus abluendis vacant.

Iudith 12. 2. Esdr. 4. Eccli. 34. Baptizari à mortuo, quid sit. Numer. 19. Marc. 7. Luc. 11. Baptismi vsus in conuiuijs nõ Iudæorum solum, sed etiã Ethnicorum. Ioan. 13. Baptismata Iudæorum superstitiosa. Marc. 7. Quantum illis tribuerent Pharisæi. Ioan. 2. Quos apud illa nunc vigeant.

Quid etiam baptizare.

¶ Deinde baptizare, est Baptismi Sacramentum conferre ad regenerationem: in quo qui baptizabatur, immergebatur, & posteà ex aqua emergebat: quanquàm fide Catholica instructi simus, Baptismum non tantùm immersione, & emersione (siue illa triplex sit, siue simplex) præstari posse, sed etiam ablutione, vel intinctione, vel perfusione, vel etiam aspersione, modò illi coniugatur forma recta Ecclesiæ. Et Cyprian. libro 4. epist. 1. docet, eandem gratiam consequi eos, qui per aspersionem baptizantur, atque illos qui immerguntur. Fuit autem hic Baptismus à Christo institutus Ioannis 3. cùm dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Præcipuè verò cùm dixit: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.*

Baptismus quot modis confertur. B. Cyprian. A quo, & quãdo institutus, & præceptus. Ioan 3. Marc. vlt.

Eius forma.

Forma etiam expressa est à Christo dicente: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; vel vt Græci habent: *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, ad vitandam de ministris gloriationem. ¶ Materia verò est non alius quisquam liquor præter aquam verbo Dei sacram, vt Ecclesia consueuit: quanquàm vbi illius non est copia, quæcunque aqua naturalis satis esse possit. Et necessariò exprimendus est actus baptizandi, dicendo: *Ego te baptizo*, vt docet Alexander III. de Baptismo, & eius effectu, cap. Si quis puerum, vel more Græco: *Baptizetur seruus Christi.*

Matth. vlt. Materia. Alexand. III

Primarius regenerationis autor quis, mediator, instrumentum & officio.

Et autor quidem principalis regenerationis est Spiritus sanctus, siue Trinitas: Mediator qui promeruit, & vim sanctificatiuam aquis contulit, est Christus: instrumentum, per quod efficimur Christi participes, Baptismus est. Fides præparat ad regenerationem, faciendo, vt per eam agnoscamus corruptionem, & imbecillitatem nostram, & medicinam, per quam gratis regenerari valeamus, & ne in quærenda iustitia aberremus. Ideò August. quæst. 2. ad Simplicianum, fidem Conceptioni, Baptismum Natiuitati comparat.

Aug. tom 4.

Minister Baptismi ordinarius.

Minister proprius est Episcopus, vel Sacerdos. Nam etsi Christus Apostolis præceperit vt doceant, & baptizent, Matt. 28. tamen ex Actis, & verbis Apostolorum intelligendum est, vt per se doctrinam, per alios Baptismum dispẽsent. Nam vt Christus Ioan. 4. per se non baptizabat, sed per discipulos; ita Petrus Apostolus Actor. 10. iussit Cornelium cum tota domo baptizari: & Paulus Actor. 19. innuitur præcepisse, vt E-

Matth. vlt. Ioan. 4. Act. 10. Infra 19.

phesi

phesi baptizarentur in nomine Domini Iesu: quibus ipse postea manus imposuit, & acceperunt Spiritum sanctum. Et aperte de seipso testatur: *Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare*: quanquam interdum per seipsum baptizauerit, sicut & Petrus Act. 11. imo quod maius est, sacrosanctæ Eucharistiæ ministerium Apostoli Actor. 6. deseruerunt, quod esset puræ actionis munus, vt possent vacare orationi, & ministerio verbi, quod est contemplationis. Non solum ergo Presbyteri, sed & Diaconi possunt administrare Sacramentum Baptismi, vt Philippus vnus ex septem, qui Samaritanos, & Eunuchum baptizauit. Et vbi non adsunt ministri Ecclesiastici, potest laicus Christianus, vt docet Concilium Elibertinum, baptizare; Imo etiam fœmina in defectu viri, vt Vrbanus Secundus Papa definiuit. Baptismus est, si instante necessitate fœmina puerum in nomine Trinitatis baptizauerit: imo etiam hæreticus potest id conferre: de quo Augustinus lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 11. Si quem forte cogeret extrema necessitas, vbi Catholicum, per quem accipiat, non inuenerit. Imo etiam collatus Baptismus à Iudæis non potest reperi, vt docet Nicolaus Papa de Consecrat. distinct. 4. capit. Quandoque. Quæ omnia complectitur Concilium Florentinum in doctrina data Armenis: *Minister Baptismi est*, inquit, *Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodo formam seruet Ecclesiæ, vt facere intendat quod facit Ecclesia.*

1. Cor. 1. Ibid. Act. 2. Infra 6. Infra 6. Concil Eliber. Can. 83. Vrban. Papa de Consec. dist. 4. c. Mulier. B Aug. to. 7. Nicol. Pont. Florent. Concil in fine.

Extraordinarius.

Fructus Baptismi sunt, regeneratio, adoptio filiorum, mundatio, siue salus à peccatis omnibus, cælorum apertio, & insitio in corpus Ecclesiæ, repræsentatio Crucis Christi: qua immersione delineatur mors Christi, & sepultura; emersione vero Christi resurrectio ad nouam vitam: vt docet Paulus ad Roman. capite 6. Adhæc securitas quædam & bona conscientia, vt Paulus ad eam alludens dicat Heb. 10. *Aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.* Et Petrus in priori cap. 3. *Quod & nos nunc similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Quæ paulo clarius habentur in Græcis; *Cuius figura nunc respondens Baptismus, nos quoque saluos reddit, quo non carnis sordes abijciuntur, sed quo fit, vt bona conscientia respondeat ad Deum.* Hanc bonam conscientiam appellat Paulus pacem ad Deum: & Augustinus libro 9. Confess. cap. 4. in fin. *Et insinuati sunt*, inquit, *mihi in profundo motus tui, & gaudens in fide laudaui nomen tuum: & ea fides me securum esse nõ sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant.*

Baptismalis immersionis emersionisque mysterium. *Rom. 6. Heb. 10. 1. Pet. 3.* Bona conscientia quid Apostolo. *Rom. 5. B Aug. to. 1. sub initiū*

Vnum autem tantum Baptisma, vt ait Paulus: quia vna tantum fuit Christi pro mundo mors, & vna tantum ex mortuis resurrectio, vnum tantum originale peccatum quod tollit, & quod repeti non potest, cum characterem imprimat. Non repetitur, fieret enim iniuria characteri, vel notæ prius impressæ, quasi ea aut malitia hominum perijsset, aut per secundum Baptismum melior character acquiri. Vnde Augustinus tract. 11. in Ioan. *Natus sum*, ait, *de Adam, non me potest iterum generare Adam. Iam natus sum de Christo non me potest iterum generare Christus. Quomodo vterus non potest repeti, sic nec Baptismus.* Sic ille.

Cur vnum tantum Baptisma. *Ephes. 4. Ioan 10.* Cur non repetitur. *Idem paulo ante eiusd tract. 11. in princip.*

Est autem character inuisibile, & spirituale signum, quo baptizati à non baptizatis distinguuntur: quia non est hominum propria inuentio, vt hæretici docent, sed Patrum traditio. Illud etiam tradit Basilius in exhortatione ad Baptismum, sub initium & Augustinus contra epistolam Parmeniani. Et vt mittam Concilia vniuersalia, Florentinum, & Tridentinum, illud etiam insinuare videtur Apostolus ad Ephes. cum ait: *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Et 2. Corinth. 1. *Qui signauit nos, & dedit nobis pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hic effectus semper permanet etiamsi in multa crimina labantur baptizati. Et quando Dei gratia conuertuntur ad sanitatem recuperandam, cooperatur aliis Sacramentis: non secus quam medicæ potioni cooperatur ipsa natura, quæ per regenerationem accepta est, quæ est basis; & fundamentum. Nam apostatans anima, velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita Sacramentum Fidei nõ amittit, quod lauacro regenerationis accepit: vt lib. de nup. & concup. c. 10. docet Augustinus.

Quid character Baptismi, quẽ imprimit, confirmatur traditione. *Basil. to. 1. Aug. li. 2. cõtra Parmẽ. c. 13. post medium, to. 7. in princ. Conc. Flor. in Bulla vnionis. Trid. Syn. sess. 7. Can. 9. Ephes. 1. 2 Cor. 1.* Eiusmodi notam, & characterẽ quibusdam verbis denotet, atque describat Apostolus.

Cui etiam rei ratio suffragatur. Si enim serui hominum quibusdam ignitis notis signantur, ne fuga se subducãt; & milites certam ducum suorum tesseram habent, vt agnoscant cui militent; quid enim mirum est si illi, qui dant nomen in Baptismo, & efficiuntur Christi serui, & milites sub tanto duce, spirituali aliquo signo in perpetuum testimonium inurantur, vel ad gloriam, si permaneant fideles, vel si secus, in opprobriũ sempiternum? Est enim infame pro Christo militare cœpisse, & rursum contra Christum arma capere.

D. Aug. to. 1. in princ. Idem baptismalis characteris ratione conuincitur ab exemplo deducta.

Vani ergo sunt nouelli Anabaptistæ, qui

Cur ille character imprimitur. Infantibus actu nõ cre-

dentibus etiam propter defectum Baptismum, contra Anabaptistas.

Aug. to. 7.
Luc. 23.

rebaptizare contendunt paruulos, eo quod fide destituantur necessaria ad Baptismum percipiendum. Sed hoc aperte reuincitur falsum. Ait enim Augustinus libro quarto contra Donatistas, cap. 24. *Sicut in illo latrone (cui non baptizato dictum est, Hodie mecum eris in paradiso) quod ex Baptismi Sacramento defuerat, compleuit Omnipotentis benignitas, quia non superbia, non contemptu sed necessitate defuerat: sic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo cum alij pro eis respondent, vt impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quod omnes cum legitur, naturaliter mouet: Aetatem habet, ipse pro se loquatur.* Idem libro primo de pœnitentia: *Paruulis ad consecrationem, remissionemque originalis peccati prodest eorum fides, à quibus offeruntur, vt quascunque maculas delictorum per alios ex quibus nati sunt, contraxerunt, aliorum etiam interrogatione, atque responsione purgentur.* Idipsum alibi passim tradit Augustin. infantes baptizatos asserens saluari in fide parentum.

Supplet Dei benignitas, quod necessitas ipsa excluserat.

Rom. 1.

Ioan 9.

Idem lib. 1. Homiliarū hom. 50 to. 10.

Qualem, teste Augustino, fidē habeant paruuli baptizati.

Aug. paulo post sermo. nis dimid. to. 10.

Idem.

Adhæc si respiciamus ad communionem sanctorum, & totius Ecclesiæ charitatem, quæ etiam pro paruulis solicita est, vt in Christo renascantur, inuenimus paruulos dum baptizantur, omnino fide carere, & conspiratione quadam (vt ait Augustinus sermone. 14. de verbis Apostol.) *Communicat Spiritus; credit in altero, quia peccauit in altero. An vero inuenit vitam præsentis seculi, quem parturiuit infirmitas, & non inuenit vitam futuri seculi, quem parturiuit charitas?* Et infra: *Nam ideo & consuetudine Ecclesia antiqua canonica fundatissima, paruuli baptizati fideles vocantur. Inter fideles igitur baptizatos paruulos numerabis, nec iudicare alio modo aliter audebis, si non vis esse apertus hæreticus.* Hæc ille. Credit igitur infans in suo susceptore, & suo duce pro se credente. Quid mirum autem, si dicamus, Ecclesiam per fidem, & charitatem suam parere in Baptismo paruulos, quando & adultos propriam fidem habentes sua fide, & gemitibus in Baptismo pariat? Si enim eos non pareret, nec ad eorum generationem cooperaretur, frustra preces, frustra gemitus pro eorum peccatis remittendis funderentur. Misericors sane Dominus multis in Scripturis exemplis nos docuit, quantum prosit Ecclesiæ totius fides, etiam ijs, qui propria fide destituuntur, aut habent saltem valde exiguam, dum paucorum hominum portantium paralyticum fidem respiciens, ait illi Dominus: *Remittuntur tibi peccata tua;* dum ad preces Heliæ, & Helisæi suscitauit infantulos; dum Centurio Regulus, Chananea, pater lunatici sua fide propriam fidem non habentibus Christi gratiam impetrarunt. Et vt apud Esdram dicuntur omnes, qui sapere poterant, spopondisse pro fratribus suis ita susceptor spondet se puerum induturum ad ea, quæ infans ipse pollicetur, vt ait Dionysius Areopagita libro Ecclesiasticæ Hierarchiæ, cap. 2. part. 2. & 5. & beatus Augustinus sermone quodam, & habetur de Consecrat. distinctione quarta: *Vos ante omnia, inquit, tam mulieres quam viros, qui filios in Baptismo suscepistis moneo, vt vos cognoscatis fideiussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Ideoq; semper eos admonete vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant: ante omnia symbolum, & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & alios, & illos quos suscepistis de sacro fonte, ostendite.* Cum autem Baptismus Sacramentum sit tanti momenti, in Veteri Testamento sæpe delineatus fuit, atque præfiguratus primum quidem in diluuio orbis terrarum, quod omnes perdidit, præter eos qui erant in Arca, vt Petrus Apostolorum princeps testatur: ita in Baptismo, quicquid est mundi: & ceterorum vitiorum absorbetur, & pauci electi, qui Crucis ligno per fidem inhærent, seruantur. Hieronymus Dialogo in Luciferianos: *Immittitur, ait de arca coruus, & non redit: & postea pacem terræ columba nunciat. Ita & in Baptismate Ecclesia teterrimo alite expulso id est, diabolo, pacem terræ nostræ columba Spiritus sancti nunciat.* Hæc ille. ¶ Signatus etiam fuit in transitu Maris Rubri, & nubis velamento, teste Apostolo ad Corinth. *Patres,* Inquit, *nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt. Et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.* Et subdit: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Vt enim nubes, quæ populum & ante ingressum in mare, & postquam egressus est ex eo, deduxit, donec veniret in Terram promissam, & protexit, ne Israelitas Aegyptij opprimerent, apte Spiritum sanctum repræsentat, qua Catechumenos Ecclesiæ ad Baptismum deducit, & ne ante eius susceptionem sub peccatis opprimantur, defendit, infidelitatemque, & alia scelera ante regenerationem commissa mortificat: largiturque eis fidem, & pœnitentiam. Regeneratorum quoque dux est in prosperis, dum eos à concupiscentiæ æstu tuetur, & in aduersis suæ consolationis luce

Quemadmodum vt paruulos, sic etiam adultos pariat Ecclesia.

Fidei Ecclesiæ proficiis suis efficacia, variis exemplis astruitur.

3. Reg. 17.
4. Reg 4.
Ioan 4.
Matt 15.
Mar. 9.
2. Esd. 10.

Dionys. Areop.
Aug. serm. post Pascha Dominica, qui sic incipit, Hesternus dies to. 10.

Baptismi figuræ.

Gen 7.
1. Pet 3.
Hier. to. 2.
Gen. 8.

Secunda figura.
1. Cor. 10.
Num 9.
Exod. 13.

Quid colū na nubis designauerit.

ne sue-

Exod. 14. Num. 16. 1. Cor 10. Num. 21. Heb. 6.

ne succumbat, corroborat. Et sicut Maris Rubri transitus: & nubis obumbratio nihil profuerunt illis, quominus terribiliter prosternerentur in deserto à Deo qui nouis peccatis iram Dei in se concitabant, cordibusque in Aegyptum reuertebantur: ita nihil prodest, baptizatum, & illuminatum esse, & gustasse cœleste donum, & participem Spiritus sancti esse factum, si iterum relabatur quis in antiqua scelera.

III. Baptismi figura. Iosu. 3.

Adumbratus quoque est Baptismus in Iosue typo veri Iesu: nam vt populus per Iordanem transiuit siccis pedibus in Terram promissam: ita sub Baptismo datur expeditum iter populo fideli, ad ingressum promissæ nobis in cœlis terræ viuentium. Et peccatis quidem præteritis omnibus descendentibus vt aquis inferioribus, & veluti à mari Baptismi per Christi mortem absorptis, sequentibus vero iustitiæ operibus (vt aquis superioribus conglobatis) ita in vnum coram Deo collectis, vt baptizati perire nequeant: quin & reuerti non faciunt ad Deum fontem viuum, & origenem nostram. Et Iordanis (vt exponit Augustinus) eos significat, qui gratiam Baptismi perceperunt: & sic Iordanis conuersus est retrorsum, cum illi conuertantur ad Deum, vt eum iam retro non habeant, sed ante oculos.

Aug. in Ps. 114. concio. 1 circa finem to. 10.

IV. figura. 4. Reg. 2. Ibid.

¶ Est quoque designatus Baptismus in igneo curru Heliæ rapiendi; qui Iordanem pallio suo diuisum siccis pedibus transiit. Et rursus Helisæus non prius certe prophetare cœpit, quam diuisum similiter Iordanem transiisset. Et vt Ambrosius lib. 2. in Lucam testatur, sub Helia diuiso ante fluuialium recursus vndarum in originem fluminis, sicut dicit Scriptura, Iordanis conuersus est retrorsum: significauit salutaris lauacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ qui baptizati fuerant paruuli malitia, reformantur.

Amb ca 4. sub finem, to. 5. Ps. 113.

V. figura. 4 Reg. 5.

Rursus elegãs typus est Baptismi, quod Nahaman Syrus timidus, & infidelis, septies lotus in eodem flumine à lepra mundatus est: quia per septiformem sancti Spiritus gratiam in Baptismo mundamur ab omni peccato. Hinc Ambrosius libro quarto in Lucam, cap. 4. *Disce*, inquit, *baptismatis gratiam salutaris, qui leprosus merserat, fidelis emersit. Disce spiritalia Sacramenta signari. Corpus remedium petitur, mentis acquiritur: abluitur caro, affectus abluitur. Non enim magis corporis, quam mentis lepram video fuisse mundatam.* Hæc ille.

Idem.

Lutherani Nahaman Syro leproso deque Helisæo murmuranti, quam similes.

Et vt Nahaman cum audisset, lotionem in aquis Iordanis sibi præscribi, ibat indignans, quod non eo modo, quem ipse sibi finxerat, Propheta ei mederetur: ita seculi nostri hæretici Ecclesiæ indignantur, & illam derelinquunt, quod præscribat, alia via mundationem à peccatis eos assequi non posse, causantes aquam vile & terrenum elementum. Ita enim Nahaman dicebat: *Numquid non meliores sunt Abana, & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder?* & dicebat: *Putabam quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me.* At isti illo deteriores, nihil orationi, aut Sacramentorum contactui tribuunt, sed solæ fidei cuncta adscribunt. Et in hoc quoque deteriores Nahaman, quod hic seruorum verbis inductus fuit ad credendum, & obediendum Prophetæ verbis: hæretici vero neque Ecclesiæ Catholicæ, neque sanctorum Patrum verbis, doctrinis, præceptis, & minis persuaderi possunt, vt aquis Baptismi concedant vim animum sanandi.

Vnde Lutheranos Nahamã illo etiam deteriores, possis agnoscere.

VI. figura Baptismi. Ioan. 5. Chrysost. in princ. hom. to. 3.

Adhæc designatus est Baptismus in aquis Probaticæ piscinæ, in quam qui prior se coniiceret, sanabatur à quacunque infirmitate detineretur. Qua de re Chrysostomus homilia 35. ita loquitur: *Non temere, nec ab re hæc, sed futura nobis tanquam imagine, & figura quadam describuntur, ne res nimirum incredibilis, & inexpectata, accedente fidei virtute multitudinis animos offenderet. Quanam igitur hæc descriptio? Futurum erat baptisma plenum maxima potestatis, & gratia purgaturum peccata, pro mortuo viuum effecturum.* Et infra: *Quemadmodum huius aqua natura per se non sanabat, siquidem semper sanasset, sed dumtaxat cum ab Angelo mouebatur: ita & in hoc nobis non simplex aqua operatur, sed cum Spiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata.*

Ioan. 5.

VII. figura. Ioan. 9. Chrysost. Aug to. 9. Ambr. to. 5.

Alia figura erat Natatoria Siloe, vbi cæcus natus lauit, & venit videns: de qua egregie philosophatur Chrysostomus homilia 70. in Ioannem, & Augustinus ibidem tractatu 44. & Ambrosius epistola 75. ad Bellicium. Et vt Pharisæi conati sunt obscurare illuminationem cæci nati, primo negando eum fuisse cæcum, deinde disputando de modo illuminationis: ita hæretici negant cæcitatem peccati originalis, & illuminationem detrahunt Baptismo, & illam tribuunt soli & nudæ fidei.

Lutherani etiam in quo similes Pharisæis cæci nati illuminationem obscurantibus.

VIII. figura. Ioan. 19. 1. Ioan. 5. Cur dicetur venisse Per aquam & sanguinẽ Iesus Christus. Cyril. Alex. to. 3.

Typus quoque huius Sacramenti fuit, quia ex Christi crucifixi latere exiuit sanguis & aqua: quæ designãt, Baptismi aquam vim habere à Christi crucifixi sanguine, ita vt Ioannes merito dixerit ad distinctionem Moysis, & Ioannis Baptistæ; *Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua, & sanguine.* De quo Cyrillus libro duodecimo in Ioannem, capite 39. *Illico cum lancea latus eius*

compunctum esset. sanguinem simul atque aquam emisit, benedictionis mysticæ, ac sancti Baptismatis originem quandam, atque primitias.

IX. figura. Luc. 3. Supra 1.

Denique Baptisma Christi proxime præcessit Ioannis Baptisma, quem Lucas capite 3. vocat baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, scilicet præparantis, sicut & alibi dicitur Ioannem venisse ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum: nam eius doctrina & scientia disponebatur populus ad fidem Christi, & Baptismum eius suscipiendum: in quibus est ex pacto remissio peccatorum. Et vt confessio peccatorum, quam exigebat Ioannes, gratiam minime conferebat, sed figurabant illam Christi, in qua est vera remissio peccati; Baptismus eius in aqua disponebat ad eum qui est in aqua, & Spiritu. Quare hallucinantur grauissime hæretici, qui baptismata Christi, & Ioannis confundentes, per nullum illorum putant regenerationem, & sanctificationem acquiri. Sed hoc in alio loco refutauimus.

Baptismi Ioannis & Christi discrimen. Matt. 13. De vtroq; Baptismo quid sentiant impii Lutherani.

Baptismi prophetiæ. Ezech 36.

Denique prædictus fuit Baptismus tum per Ezechielem dicentem: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos.* Et per Zachariam: *In die,* inquit, *illa, erit fons patens domui Dauid* (scilicet Ecclesiæ) *& habitantibus Ierusalem, & in ablutionem peccatoris, & menstruatæ, siue in ablutionem peccati, & menstrui.* Et per figuram Hypallages dicitur ablui menstruum, & peccatum, id est, homines ab illis: sicut etiam dicitur mundari lepra, hoc est, leprosus à lepra.

Hoc quid sibi velit; Erit fons patens domui Dauid &c. in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.

Matt. 8. Triplex Christi Baptisma. Matt. 2. B. Basil.

Hic autem Baptismus Christi triplex est: nam alius est in aqua, & Spiritu, vt in infantibus: alius in proprio sanguine, in quo baptizati fuerunt Innocentes, & plerique Martyres. Hinc Basilius libro de Spiritu sancto, c. 15. in fine: *Sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate; re vera non imitatione Christi, mortem perpessi, nihil huiusmodi Sacramentis, quæ sūt in aqua, opus habuerunt ad salutem, nimirum in proprio baptizati sanguine.*

Martyriū vicem habere Baptismi, qui doceant ex Patribus. Aug. to. 7.

Quam passionem pro Christo susceptā, vicem habere Baptismi, vno ore tradunt Patres, Tertullianus libro de Baptismo, Cyprianus ad Iubaianum, Augustinus libro quarto contra Donatistas, capite 22. Clemens Alexandrinus libro quarto Stromat. Cyrillus libro secundo in Leuiticum, Prosper sententia. 149. Fulgentius de Fide ad Petrum, cap. 3. Et Bernardus epistola 77. Et innocentes tanquam Martyres honorat Ecclesia, vt docet Augustinus libro ter-

Idem to. 3.

tio de libero arbitrio, capite 23. Hilarius Canon 1. in Matthæum, in fine, Leo Papa sermone primo de Epiphania, & Bernardus in sermone de sanctis Innocentibus. Alius denique Baptismus fuit in voluntate, siue voto eius: nam volentes baptizare, si morte præuenti fuerunt, etsi defecerit illis externus baptismus, ipsi tamen baptismo non defuerunt. Et talis fuit baptismus Valentiniani Imperatoris, de quo Ambros. *Christus,* inquit, *te baptizauit, quia humana tibi officia defuerunt.* Et rursus: *Ventrem meum doleo* (vt Prophetico vtar eloquio) *quoniam quem eram in Euangelio generaturus, amisi, sed ille non amisit gratiam, quam poposcit.* Hæc ille. Etsi vero non perierit animo; non tamen saluus factus est sine igne, teste Beato Thoma: nam tales qui absque baptismo discedunt, non euadunt purgatorij pœnas: secus si quis accepto baptismo statim decederet, quia in cœlum mox euolaret. Idem cum Thoma sentit Fulgentius lib. de Eccles. dogmat. c. 74.

Amb. to. 2. in fine. Ierem. 4. B. Thom. 3. par. q. 67. art. 2. & 2. & art. 3 to. 12. 1. Cor. 3.

Contra differentem baptisma.

Non est autem omittendum, inconsultum esse, propter defectum ministri desiderari, & absentiam eius, differre baptismum, vt fecit Valentinianus, ab Ambrosio baptizari desiderans: & differre baptismum vsq; ad tricesimum annum ob imitationē Christi, qui ea ætate baptizatus fuit, quod, vt periculosum, reprehendit magnus Augustinus, & Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum Baptisma. Hoc etiam reprehendunt Apostoli apud Clementem lib. 6. Diataxis Apostolicæ, cap. 15. ita enim docent: *Qui vero dicit, Baptizabor. cum ad finem vitæ peruenero, ne peccem & Baptismum inquinem: is Deum ignorat, & suæ naturæ est parum memor. Noli enim differre conuerti ad Dominum: nescis enim quid sequens dies pariat.* Hæc ibi. Et rursus differre Baptismum, ob deuotionem eius recipiendi in Iordane, vt fecit Magnus Constantinus; cum omnis aqua idonea sit ad regenerationem.

Fulgen. apud Aug. to. 3. circa finem. Ambros. in orat. dicta de obitu Valentiniani Imp. to. 2 Luc. 4. Aug. ser. 92 de Tempo. to. 10. Nazianzen.

Inconsulte etiam faciunt, qui in Baptismo non integritas Symboli partes interrogant. Idcirco errant, qui tantum petunt: *Credis in Iesum Christum filiū Dei, vnicum Dominum nostrum natum & passum:* quia constat illos teneri ad omnes singillatim articulos Fidei distincte respondere, vt docet Augustinus libro de Fide & operibus, capite nono, & libro octauo Confessionum, capite secundo, & Ambrosius libro de his qui mysteriis initiantur, ca. 5. vbi habet, quod ante Baptismū in Trinitate profitemur nos credere. Patres etiam collecti in Synodo Chalcedonensi repetunt frequenter in Symbolo Niceno se baptizare. Et in gestis B Lau-

Aug. to. 4. Idem to. 1. Aug. to. 4.

rentij

rentij censerentur, quod Basilius baptizandus, quod Lucilius baptizandus interrogatus est, an crederet omnes & singulos Dei articulos.

Baptizari in igne, quid.

Tertio baptizari in igni, metaphorice dicitur, & designat probationem, quæ fiet in huius vitæ tentationibus, & in iudicio, de quo Apostolus; *Vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit*: & Ioannes Baptista de Domino: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* Idem quoque Dominus vbi Baptismum à Ioanne suscepit, ingressus est ad palæstram, vt cum dæmone luctaretur: qui ingressus in desertum, Baptismus fuit ignis, de quo Marc. 9. *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.* Quanquam quidam extiterint heretici, qui nimium literæ insistentes, ferro ignito, & candente notam in facie imprimebant, quo se ostenderent baptizatos: sed hoc in Ecclesia Dei nunquam fuit obseruatum.

1. Cor. 3. — Matth. 3. — Infra 4. — Matth. 9.

Quid Spiritu sancto baptizari.

Quarto, est baptizari in Spiritu sancto, de quo habes Actor: 1. *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Qui quidem Baptismus solet concurrere cum Baptismo ignis præcedenti, & eo significatur vis, ac vehementia Spiritus, quę erit non quasi columba, sed quasi ignis, vt iam non sit baptismum pœnitentiæ in aqua, vt ille Ioannis, aut Baptismus communis Christi in aqua, & Spiritu, ad quem præparauit Ioannes, sed sit Baptismus perficiens ac perfectorũ, & cuius præparator fuit Christus in Cruce baptizatus. Et excedit communem illum Christi baptismum, quantum excedit ignis aquam, cuius vis in excellentiori carnis, mundi, ac Satanæ victoria consistit: & quia plus penetrat ad immunditias delitescentes in homine abstergendas, & incendendas: quos effectus aqua non præstat. Et dicit: *Baptizabit in igne*; vt alludat ad Spiritum sanctum in forma igneæ linguæ dandum. In quo est etiam allusio ad Prophetam dicentem: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*: nam effundere, metaphora est aquæ spiritualis, quæ per hoc Baptisma confertur. Nec nouum est, Spiritum sanctum aquæ symbolo designari: hinc Christus; *Flumina*, inquit, *de ventre eius* (scilicet credentis in ipsum) *fluent aquæ viuæ.* Et subdit Euangelista: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Atque in hunc modum Petrus Actor. 11. hunc locum declarauit: *Cum autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut & in nos initio. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: Quia Ioannes quidem baptizauit aqua*, & cætera. Hæc Petrus iudicans, baptizari in Spiritu sancto, nihil aliud esse, quam recipere Spiritum sanctum.

Act. 1. — Ioan. 1. — Matt. 3.

Eius Baptismi qualis præcesserit dispositio, ac præparatio: eiusdẽ præstantia, & excellentia.

Act. 2. Quorsum illud Ioannis Baptistæ de Christo: Ipse vos baptizabit igni. Ioel. 2. Act. 2. Ioan. 7. Act. 11.

Quid tandem baptizari.

Quinto baptizari, est affligi, & aduersa, siue etiam mortem, vel martyrium perpeti: metaphora sumpta ab his, qui sub aquis immersis affictantur, & suffocantur: de quo Dominus dixit: *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur?* Estque hic Baptismus sanguinis in Cruce fusi, de quo alio loco dixit filijs Zebedæi: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo* (pro bibam) *aut Baptismo quo ego baptizor, baptizari?* Ita enim habet Marcus cap. 10. & idem habet Matthæus in Græca litera cap. 20. enarrans eandem historiam. Mihi etiam longe probabile redditur, quod scripsit 1. Corinth. 15. Apostolus; *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt, vt quid & baptizantur pro illis? vt quid & nos periclitamur omni hora*: de alijs non posse, aut debere intelligi, quam de his, qui pro mortuis suis afflictabantur, & suffragia orationum, aut ieiuniorum, aut eleemosynarum, aut peregrinationum, & similium illis impendebant: & id etiam ostendit verbum quod adiungit: Vt quid & nos periclitamur omni hora? quem locum alibi fusius explicaturi sumus. Denique mergitur qui perit: vt Philosophus quidã dixerit de diuitijs quas proiecit in mare: Mergo vos, ne demergar à vobis: & Horatius de Vlysse dixerit: *Aduersis rerum immersabilis vndis.* Emergunt vero, qui florent & prosperantur, vt idem ait: *Haud facile emergunt, quorũ virtutib. obstat*

Res angusta domi. Et hæc de verbo Baptizandi sufficiant.

Luc. 12. — Marc. 10. — Matth. 20. — 1 Cor 15. Illud Apostoli, Quid faciẽt, qui baptizantur pro mortuis, &c. de quibus proprie dictũ esse videatur.

DISPVTATIO XXV.

De verbo Manus imponendi, siue de Manuum impositione.

MANVS imponere apud sacros autores, & præsertim apud Apostolũ, æquiuocatum est, & ad multa significata se porrigit. Et in primis mentio in Scripturis huius ceremoniæ Gen. 48. in signum conferendæ benedictionis & gratiæ. Vnde dicitur: *Et posuit* (scilicet Ioseph Patriarcha) *Ephraim ad dexteram suam*, id est ad sinistram Israel; *Manassen vero in sinistra sua*, ad dexteram scilicet patris, *applicuitq; ambos ad eum, Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris; sinistram autem super caput Manasse qui maior natu erat, commutans manus. Benedixitq; filijs Ioseph.* Et ad hunc ritum alludit illa sententia Salomonis: *Benedictio Domini super caput iusti*: & Ecclesiast

Primus vsus huius verbi imponendi manus. Gen. 48.

Prouer. 10. Ezech. 44 & sequ.

de Isaac loquentis: *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum suum confirmauit super caput Iacob. Agnouit eum in benedictionibus suis, & dedit illi hareditatem, & diuisit illi partem in tribubus duodecim.* Sed manifestius de Domino Iesu Marcus testatur, quod complexans paruulos, & imponens manus super illos, benedicebat eos. Nemo autem negauerit non frustra benedixisse, aut imposuisse manus, sed aliquem gratiæ portionem illis impertiisse.

Marc. 10.

Alter vsus manuum impositionis.

Num. 27. & sequ.

Secundo, per hanc ceremoniam significata est transfusio principatus siue potestatis laicæ in alterum. Vnde Numer. 27. dixit Dominus ad Moysen: *Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est Spiritus Dei, & pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse* (scilicet Eleazar) *& omnes filij Israel cum eo, & cætera multitudo.* Vbi vides principi subijci omnes filios Israel, & omnes Sacerdotes, imo etiam ipsum supremum Eleazarum. Quod autem illa impositio manuum gratiam ei contulerit, declarat liber Deuteronomij capit. vlt. vbi legimus: *Iosue vero filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas.*

Deut. 34.

Tertius vsus

Tertio, hic ritus imponendi manus, spectabat ad testes, qui in præsentia iudicum & ipsius rei peccatum eius testificabantur. Hinc falsos testes seniores legimus imposuisse manus super caput Susannæ delatę de adulterio. Ait enim Daniel cap. 13. *Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput eius.* Et 2. Reg. 13. Thamar cognita ab Amnon fratre suo, aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, quasi se accusans, vel in signum luctus, & doloris, ibat ingrediens, & clamans Nam vt aspersus cinis capiti, ac vestis scissio, signa erant planctus, & pœnitentiæ, ita etiam impositio manus super caput suum. Adde quod Ierem. 2. dicitur: *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas? & ab Aegypto confunderis sicut confusa es ab Assur. Nam & ab ista egredieris, & manus tuæ erunt super caput tuum.* Hunc locum Hieronym. explanans, coniungit cum loco Thamar violatæ à fratre suo, quæ exiuit cum manibus super caput suum: id est: *Lugebis te frustra ab Aegyptijs expectasse præsidium.* Hæc Hieronymus.

Dan. 13.

2. Reg. 13.

Quid aspersus capiti cinis, ac vestis scissio Iudæis consueta portenderet.

Ierem. 2.

Hier. to. 5.

Quartus vsus impositionis manuum.

Quarto, imponebatur manus super caput victimæ immolãdæ, quod in illius animalis caput recideret omnia peccata, & iniquitates eorum qui imponebant, & pro quibus offerebatur. De quo exo. 29. & Leuit. 1. & 4. & cap. 16. habetur: *Posita vtraque manu super caput hirci, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel.*

Exod. 29. Leuit. 1. Infra 4. Infra 16.

V. vsus.

Marc. 6.

Quinto, manus imponebantur ad operationes sanitatum, & ad signa edenda. Vnde Marcus: *Et non poterat in Nazareth virtutem vllam facere; nisi paucos infirmos impositis manibus curauit.* Et iterum: *Deprecabantur eũ vt imponat illi manum*, nimirum, surdo, & muto. Cęco etiam à Bethsaida bis imposuit manus. Dixit etiam: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Libenter autem Dominus hac ceremonia vtebatur; tum vt ostenderet se edere signa; tum vt vim Humanitatis suæ sibi vt organum coniunctæ indicaret, & amabilem nobis redderet. Ita olim conquestus est Nahaman Syrus de Helisæo: *Putabã*, inquit, *quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ & curaret me.* Matthæi quoque 9. habetur: *Veni, impone manũ tuam super eam, & viuet.* Et Act. 9. *Vidit Saulus virũ Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manus vt visum recipiat.* Et iterum: *Abijt Ananias & introiuit in domum: & imponẽs ei manus, dixit: Saule frater Dominus misit me Iesus, vt videas, & implearis Spiritu sancto.* Paulus etiam cum intrasset ad patrem Publij Principem insulæ Melitensis febribus & dysenteria vexatũ, & orasset, & imposuisset ei manus, saluauit eum.

Infra 7. Infra 8. Infra 16.

Cur Christo familiaris manuum impositio.

4. Reg. 5.

Mat. 9.

Act. 9.

Ibid.

Infra 28.

VI. vsus.

Sexto, moris etiam fuit imponere manus super Catechumenos, & energumenos: de qua impositione facit meo quidem iudicio Paulus mentionem ad Heb. 6. qui ponit eã inter opera inchoationis Christi sermonis & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum. De qua Cõcilium Carthaginense quartum cap. 7. *Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, siue baptizatum, siue Catechumenum.* At Paulus in eo loco ad Catechesin, & elementariam doctrinam videtur respicere.

Heb. 6.

Concilior. Carthag. 4. to. Conc. 2.

VII. vsus.

Septimo, hæc ceremonia seruata est in Confirmationis Sacramento Nam dicitur de Petro, & Ioanne: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Et infra: *Cum vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorũ daretur Spiritus sanctus* Iterum: *His auditis baptizati sunt in nomine Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabant.*

Act. 8. Ibid.

Infra 19.

Octa-

Octauus vsus manuũ impositionis.

1. Tim. 5.

Supra 4.

2. Tim. c.

Act. 6.

Infra 1ę.

Infra 14.

Octauo, seruabatur hic ritus imponendi manus in Sacramento ordinationis, de quo Paulus ad Timotheum: *Manus cito nemini imposueris. Neque communicaueris peccatis alienis*; Et rursus: *Noli negligere gratiam quæ in te est: quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij.* Iterum: *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum* Acto. 6. proponuntur septẽ diaconi, quib. Apostoli orantes imposuerunt manus. Et Actor. 13. *Dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos.* Rursus capite sequenti: *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.* Vbi verbum Constituissent, Gręce est χειροτονήσαντες, quod est, imposita manu creassẽt. Et vt Hieronymus in Esaiam annotauit, χειροτονία, est ordinatio clericorum: *Quæ non solum* (ait) *ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus.* Adde Clemen. Roman. libr. 8. Constitutionum Apostolorum, cap. vltim. *Nostras*, inquit, *res fortasse non ignoratis: scitis enim à nobis Episcopos, Presbyteros, & Diaconos vocare, oratione, & manuum impositione; differentia nominum, rerum differentiam indicates.* Item Dionysius libro Ecclesiasticæ hierarchiæ explicans quid significet illa manus impositio, ait: *Porro Pontificalis impositio manus, insinuat vna & protectionem Dei, qua vt sancti filij paterno foueutur affectu, ipsis habitum, virtutemque sacratiorem largientem, aduersariasq; virtutes ab eis procul abigentem; docet item sacras omnes, consummantesq; actiones quasi sub Deo, eos qui sacris ordinibus mancipantur, efficere perfectos, ipsum operationum suarum habentes in omnibus ducem, atque rectorem.* Hæc magnus Dionysius. Porro manus impositio tantum in ordinatione Episcopi, Presbyteri, & Diaconi obseruatur, vt idem testatur, & Concilium Carthaginense quartum Canon. 5. *Subdiaconus*, inquit, *cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam.* Quod ergo Apostolica doctrina libr. 8. capit. 19. vult, diaconissam per manus impositionẽm Episcopi constitui, & capit. 20. hypodiaconos, & lectores. & quod Canon. 14. secundi Concilij Niceni habetur: *Quia sicimus nonnullos sine manus impositione ab infantia tonsurã clerici accipere*: non contradicit Apostolicæ doctrinæ, Dionysij, & Concilij quarti Carthaginen. quia in his capitibus est sermo de illa communi manus impositione, qua eliguntur, & benedicuntur omnes Ecclesiastici ministri ad suas functiones; non autem de illa peculiari Episcopo, Presbytero, Diacono, & de qua Concilium Nicenum cap. 19. ait, Diaconissas nullam habere manus impositionem, quæ scilicet faciat esse extra laicorum ordinem. Et certe Augustinus ait: *Nihil aliud impositio manus, quam oratio super hominem intelligitur.* Et Ambrosius in quartum caput posterioris ad Timotheum confirmat.

Hier. in c. 50. Esa. post med io 3.

Clem. Romanus.

Dionys. c. 5. par. e. l. 3. de Eccl hiera sub init.

Quid Pontificalis supra caput manus impositio

Nonus vsus imponendi manus.

Nono, est etiam symbolum, hæreticos, vel laicos vel Episcopos ad Catholicam Ecclesiam redeuntes recipiendi, quod Sacerdos manum imponat super eos, quos absoluit. Hinc in Diataxeon Apost. lib. 2. cap. 45. habetur: *Sed quemadmodum Gentilem per lauacrum recipis, post eius institutionem, ita hunc (scilicet pœnitentem, & baptizatum) per manuũ impositionem vt per pœnitentiam purgatum, omnibus pro eo rogantibus, in pristinum statum restitues, & erit ei in locum lauacri impositio manuum.*

Decimus vsus, & vltimus.

Concilium Carthag. 4

Concilium Nicenum.

Postremo, Concilium Carthag. IIII. capit. 78. ita habet: *Pœnitentes qui infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si superuixerint.* Hæc ibi. Inter Canones Concilij Niceni, qui ab Aethiopibus obseruantur, & editi sunt. 33. sic habetur: *Si quis ad fidem orthodoxã conuersatur, recipiendus est per manus Episcopi, vel Presbyteri: quis præcipere ei debet, vt anathematizet cunctos, qui contra fidem orthodoxam faciunt, & qui Apostolica Ecclesia contradicunt. Debetque anathematizare Arrium, & hæresim eius, & aperte fidem profiteri* Hæc ibi. Et Nouatianis autem redeuntes ad Catholicam Ecclesiam, tenebantur ad manus impositionem, quæ cum charisimate confertur in Sacramento Confirmationis. Vnde Theodoricus libro tertio Hæreticarum fabularum de Nouatianis, siue de Catharis, in fine sic habet: *Pœnitentiam autem à suo conuentu arcent penitus, ijsq; qui ab ipsis tinguntur, sacrum chrisma non præbent. Quocirca eos etiam qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ coniunguntur, benedicti patres vngi susserunt.* Hactenus ille. ¶ Sed quemadmodum hæc Impositio manus in Pœnitentiæ Sacramento, non est de essentia Sacramenti; ita dubium est, an in Ordinatione, & Confirmatione spectet ad eorum essentiam, & substantiam. Sed alibi id nobis excutiendum erit.

B Theod pa. 2. procul à Med.

Igmari Remensis compendiaria de manuum impositione doctrina

Igmarus Remensis, qui floruit tempore Nicolai Primi, libro de variis Capitulis Ecclesiasticis, Capite vigesimosexto: *Non vno*, inquit, *modo semper manus impositio intelligitur, sed pro diuersitate locorum sub diuersa significatione requiritur. Aliquando enim*

pro Confirmatione neophytorum accipitur, vt in Decretis Apostolicorum virorum Clementis, Vrbani, Melchiadis, expressum sæpe numero reperitur: nunc pro ordinatione Sacerdotum, siue Diaconorum, iuxta illud Apostoli ad Timotheum: Nemini cito manus imposueris: quod & Canones apertissime præscribunt. Est & reconciliatoria manus impositio, per quam pœnitentes hæretici, siue excommunicati sanctæ Romanæ Ecclesiæ reconciliantur: de qua & Canones similiter multa dicunt: de qua B. Augustinus in libro tertio contra Donatistas testatur, quod nihil sit nisi oratio super hominem quæ & iterari possit. Fit etiam manus impositio super infirmos, iuxta illud Euangelij: Super ægros manus imponent. Item super Catechumenos, & energumenos pro expulsione diaboli: quæ specialiter exorcistis in ordinatione conceditur, quippe vt habeant potestatem imponendi manus super Catechumenos, siue energumenos. Item & cum simpliciter aliquem benedicimus, manus ei antiquo more imponimus. Sic enim Iacob Patriarcha cum filios suos benediceret, manus eis imposuit & Dominus in Euangelio oblatos sibi paruulos per impositionem manus benedixisse legitur. Siue autem manus impositio pro reconciliatione pœnitentium, siue pro depulsione infirmitatis, vel diaboli, siue pro simplici benedictione hominibus impendatur satis congrue iuxta Augustinum, nihil aliud nisi oratio super hominem intelligitur: vnde & iterari quoties opus fuerit non prohibetur. Cum vero pro Confirmatione, siue Ordinatione impenditur, non tam pro sola oratione, sed etiam pro Sacramento habenda est: quam sancti Patres iterari prohibuerunt. Hactenus ille, vniuersas fere manuum impositionis significationes, & quæ iterari, & quæ non iterari possunt, paucis cõplectens.

1. Tim. 5.
B. Aug. lo. 7
Marc. vlt.
Gen. 48.
Marc. 10.
Quid manus impositio super hominem Augustino

Nihil dicam de impositione oris Helisei super os pueri, & oculorum suorum super oculos eius, & manuum suarum super manus eius: quia illa singularis fuit actio propter effectum, quia vitam puero restituit, in typum incarnationis Filij Dei: qui per carnis assumptionem posuit os suum ori nostro, & manus suas manibus nostris. Cum tamen Mezentius, immanis & ferus homo homines viuos mortuis eodem modo coniungeret, vt viuentes spiritum exhalare cogeret. De quo Poeta dixit:

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Imponens manibusque manus, atque oribus ora.

Symbolo ergo salutis, & vitæ conferendæ quo vtebantur Prophetæ, homines abutebantur ad inferendam mortem. Et de hoc verbo ista sufficiant.

Quid corporis Helisæi super corpus pueri mortui impositio significauerit.
4. Reg. 4.
Mezentij inhumanissimi hominis manuũ pedumque compositio crudelissima.
Virgil. lib. 6 Aeneid.
Tormenti genus.

DISPVTATIO XXVI.

De verbis Benedicendi, & gratias agendi.

BENEDICERE, Latinis, & classicis autoribus frequenter est, eloqui, seu apte atque ornate de qualibet re disserere, vel, vt Cicero ait, Attice dicere. Latinis etiam cum Datiuo Benedicere, est, Bene de aliquo loqui. Vnde Tullius pro Sestio dixit: *Cui benedixit vnquam bono? imo quem?* & cætera. Cui etiam Paulus assentitur, cum ait: *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere.* Hinc benedicta verba, placita, & beneuolentiæ plena, quibus opponuntur maledicta, siue coniuncta, siue disiuncta sint verba. Et in Bruto: *Philosophia,* inquit, *mater est omnium benedictorum, benefactorumque.*

Quid proprie Latinis benedicere.
Cicero de optimo genere Oratorũ.
Idem.
Rom. 12.
Idem.

At in Scripturis benedicit Deus creaturæ suæ, cum illi benefacit, & bona dilargitur: nam cum dicere Dei sit facere, ita benedicere Dei erit benefacere. Ita Gene. 24. dixit de Abraham Eliezer: *Dominus benedixit domino meo valde:* hoc est, ditauit eum: & Laban ad Iacob dixit: *Experimẽto didici quia benedixerit mihi Deus propter te.* Nec tantum in bonis temporalibus, sed etiam in bonis spiritualibus: nam vt Apostolus ait: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo.*

Deus homini benedicit dupliciter.
Gen. 24.
Infra 30.
Ephes. 1.

Benedixit etiam homo Deum, quæ est Græca phrasis; sicut Latina est, Benedicere Deo, cum laudat bona, quæ illi exterius à nobis accedere possunt, vt honor, & gloria, quam creaturæ ratione præditæ possunt reddere, aut negare. Et in hũc sensum dicitur: *Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in secula. Benedicam Dominum in omni tempore.* Et explicans modum, subdit: *Semper laus eius in ore meo.*

Homo, & creaturæ cæteræ Deum quo modo benedicant.
Dan. 3.
Psal. 33

Tertio, parentes benedicunt filijs & posteris: Sacerdotes etiam populo benedicunt: & hæc benedictio quia pactum habet, & assistentiam Dei, impetrat dona tam temporalia, quam spiritualia. Vnde tantopere laborabat Esau pro consequenda benedictione patris sui. Hinc scriptum est: *Benedictio patris firmat domos filiorum:* & Dominus Numer. 6. dicebat: *Sic benedicetis filijs Israel, &c. & ego benedicam eis.*

Parentes filiis, & populo Sacerdotes quid sit Benedicere
Gen. 27. & seq.
Eccl. 3.
Num. 6.

Quarto, Benedicere, est, Multiplicare opes, siue bona. Vnde Iob. 1. habetur: *Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam eius per circuitum, operibus manuũ eius benedixisti, & possessio eius crescit in terra?*

Quid rursus benedicere in Scripturis.
Iob. 1.
Infra 42.

Et cap.

Supra 1.

Et cap. vlt. *Dominus benedixit nouissimis Iob magis quam principio eius.* Et explicans in quo benedixerit, subdit: *Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, &c. cum a principio fuissent septem millia.* Deus quoque benedixit Adæ, & Euæ, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* David etiam de Israelitis: *Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis; & iumenta eorum non minorauit.* Et de Isaac Geraritæ dixerunt: *Cum pace dimisimus auctum benedictione Domini.* Et iterum: *Seuit Isaac in terra illa & inuenit in ipso anno centuplum; benedixitque ei Dominus. Et locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens: donec magnus vehementer effectus est.* Dominus etiam Iesus benedixit in deserto quinque panibus semel, & iterum in deserto septem panibus, & multiplicati sunt diuina virtute, vt satis essent priores ad quinque millia, & posteriores ad septem mille pascendos homines præter pueros, & mulieres. Quinto benedicere improprie per Antiphrasim significat Maledicere, siue Blasphemiam inferre. Etenim ob horrorem delicti interdum dicitur benedicere, qui blasphemat. Nam Iob. 1. *Consurgens diluculo offerebat vir sanctus holocausta per singulos: Ne forte, inquit peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis,* & infra: *Tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Et cap. 2. *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem: & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.* Et vxor eius ad ipsum: *Benedic Deo, & morere.* 3 Reg. 21. *Naboth benedixit Deum, & Regem,* id est, Blasphemauit Deum, & Regem: quod dictum est phrasi Græca, vbi εὐλογεῖν regit Accusatiuum. Sexto, Benedicere panem in nouo Testamento est, Consecrare Eucharistiam, siue Conficere Corpus Domini ex pane, quod à Græcis dicitur Mystica benedictio. Hoc autem tam ex Matthæo, & aliis Euangelistis, quam ex Apostolo accipimus. Ait enim hic 1. Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Vnde Ecclesia in sacrosancto Missæ Canone habet: *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, ascriptam, ratam, rationabilemque facere digneris; vt Corpus, & Sanguis fiat dilectissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi.*

Genes. 1.
Psal. 106.
Genes. 26.
Ibidem.
Matth. 14.
Infra 15.
V. vsus verbi Benedicendi.
Iob. 1.
Ibidem.
Ibidem.
3. Reg. 21.
VI.
1. Cor. 10.

Ad huius verbi pleniorem notitiam tria mihi explicanda videntur. Primum, quod vt Matth. habet: *Et benedixit,* Græce legimus εὐχαριστήσας, hoc est, Gratias egit, quo verbo etiam vtitur Lucas cap. 22. & Paulus 1. Cor. 11. At vero Marcus cap. 14. & Lucas capit. 24. vbi est sermo de euntibus in Emmaus, & Paulus 1. Cor. 10. verbo Benedicendi vtuntur, siue Græco εὐλογήσας, id est. Cum benedixisset. Et ita εὐχαριστεῖν, & εὐλογεῖν sunt prorsus vnum & idem. Quod etiam alia ratione ostendo. Nam Matth. 14. Benedixit Dominus quinque panibus, & duobus piscibus; pro quo verbo Ioannes Euangelista habet: *Et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Vbi etiam Iodocus Chlictoueus li. 6. adiecto Cyrillo, docte declarauit, gratias agere idem esse quod benedicere. Ad hæc Marc. 8. legimus, quod accipiens Dominus septem panes, & gratias agens, fregit: cui per omnia congruit Matthæus: at vero vbi Marcus de Paucis pisciculis habet sermonem, scribit: *Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi.* Vbi sub eodem contextu habes, Gratias egit de panibus, & benedixit de pisciculis. Sunt ergo vnum, & idem. Postremo Paulus ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus,* id est, quem benedicendo Sacerdotes in altari consecrant, vt exponit Remigius ibidem. Et tamen idem Paulus cum dixisset de pane (sequenti scilicet capite) *Accepit panem: & gratias agens, fregit* confestim subiunxit: *Similiter: & calicem, postquam cœnauit,* scilicet gratias egit, vt indicat aduerbium, Similiter. Vnde & pro eodem vsurpans Latina Ecclesia illa simul verba connectit in verbis proximis consecrationis: *Item tibi gratias agens, benedixit, & fregit:* vt longe probabile sit, Christum vtraque voce vsum fuisse.

Idem esse benedicere quod Gratias agere, & contra apud Euangelistas ostenditur.
Matt. 26.
Luca 22.
1. Cor. 11.
Marc. 14.
Luca 24.
1. Cor. 10.
II. argum.
Matt. 14.
Ioan. 6.
Iodocus.
III argum.
Marc. 8.
Ibidem.
IV argum.
Remigius Remensis Episco.
1. Cor. 11.

Græca vero Ecclesia in Liturgia tam B. Iacobi quam Chrysostomi, & Basilii, idem seruauit. Ait enim Liturgia Basilii, *In sanctis suis & immaculatis manibus, & ostendens tibi Deo, & Patri gratias agens benedicens, sanctificans frangens, &c.* Apud quos omnes autores, verbis Benedicendi, & gratias agendi, adiungitur tertium Sanctificandi, quod quasi explicat qualis fuerit illa gratiarum actio, & benedictio Dei, nimirum illa qua panem benedictum, & sanctificatum factum fecit. Atque illa gratiarum actio de tanto cibo Deo facta progrediebantur ad hoc, vt consecraret, & sanctificaret panem: quemadmodum alibi Apostolus ait: *Nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Nam etsi panis communis non commutetur in corpus Christi, vt fit in Eucharistia; suo tamen modo communis cibus redditur per gratiarum actionem, & orationem sanctus, & mundus ad esum. Et in hunc sensum sanctificauerat prius quinq; panes, deinde septem in deserto illos benedicendo, siue multiplicando. In cœna vero essentiam panis, & vini admirabili sua potentia in corpus, & sanguinem suum verum Christus transmutauit, quod altius est benedictionis, & sanctificationis genus.

V. argum. à Liturgiis Græcorũ.
1. Tim. 4.
Christi benedictio panum in deserto facta ab illa panis Eucharistici quã diuersa.

Ruit ergo opinio Alberti, & Caietani in

cap.

In eos qui posteriorẽ illam benedictionem à priori negant esse diuersam.

I. ratio, ab euangelico contextu.

cap. Matth. 26. qui interpretantur benedixisse benedictione laudis, & gratiarum actionis, qua Deum confessus est & laudibus celebrauit: sed quæ in pane nihil efficeret: quæ quidem expositio etiam Martini Buceri fuit, negãtis transsubstantiationem, & consecrationem; atque adeo Martini Lutheri, qui primus cœpit obstinate transsubstantiationi obstrepere. In quos profecto ipsa verba Euangelica militant. Vnde enim ex toto Euãgelio haberi posset quòd Christus Eucharistiam consecrauit, nisi ex isto verbo, quod Iesus accepit panem, quem benedixit, quem fregit, quem dedit discipulis suis? Sicut ergo prius verbum, Accepit, refertur ad panem, & posteriora verba, fregit, & dedit, ad eundem sunt necessario referenda: ita verbum illud, quod in medio illorum iacet, nempe benedixit, quid aliud significare poterit, nisi, benedictum, & sanctificatum fecit?

II. Deinde cum Dominus à principio cœnæ, siue mensæ benedixisset pro suo more, & post cœnam dicatur gratias egisse, siue hymnum dixisse, iuxta illud: *Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarum:* (*Matt. 26.*) sequitur, quod hæc noua inter cœnandum benedictio panis & calicis, distincta ab illa priori extiterit, nimirum non tantum laudis, & gratiarum actionis præcipue, vt communis esse solet, quæ pro more ab omnibus mensæ præmitti solet, sed efficax, & consecrationis, & sanctificationis operatoria fuerit.

III. Accedit item Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis autoritas, quæ possunt gratiarum actionem coniunctam cum panis benedictione, & præsertim Græca Ecclesia duobus illis verbis addidit tertium sanctificandi.

IV. à testimoniis Doctorum. Quarto accedunt plerique Patres, non minus antiquitate, & martyrio, quam doctrina præfulgẽtes, qui aperte suffragantur huic transsubstantiationi. Nam Irenæus (*B. Irenæus.*) lib. 4. cap. 34. prope finem: *Quemadmodum,* inquit, *qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena, & cælesti,* & reliqua. Adhæc Cyprianus (*B. Cyprian.*) sermo. de cœna Domini, sub initium: *Panis iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus.* Vides benedictionem terminari in panem ex sententia Cypriani? Adde Augustinum (*Aug. to. 6.*) libro 20. contra Faustum, capite 13. in principio: *Noster panis, & calix, non quilibet quasi propter Christum in spicis, & sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur.* Denique Ambrosius (*Ambr. to. 4.*) libro de iis qui mysteriis initiantur, cap. 9. fere à principio: *Probemus,* inquit, *non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ. quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Deinde producit exempla de virga, & serpente Moysis, de aquis Ægypti in sanguinem mutatis, de petra dante aquam, de ferro supernatante ad Helisæi præceptum. (*Exod. 4. Infra 7. Infra 17. Num. 20. 4. Reg. 6.*) Et subiungit: *Quod si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret; quid dicimus de ipsa cõsecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur?* Et infra: *Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur. post consecrationem Corpus Christi significatur.* Hæc ille.

V. ratio. Postremo locus ille: *Calix benedictionis cui benedicimus,* mystica scilicet benedictione consecrando, & sanctificãdo, vt explicant in eo loco Remigius, Haymo; ac Petrus Lombardus, & Innocentius III. lib. 4. de mysterio Missæ. ca. 6. sed præcipue Oecumenius, qui ait: *Populum vocat benedictionis, populum sanguinis Christi.* (*Remigius. Haymo. Petrus Lombard. Innoc. III. Oecumen.*)

Quod benedicimus. Quod præ manibus habentes, benedicimus eum, qui gratiose sanguinem suum nobis largitus est, hoc est, gratias agimus. Vel quod benedicentes præparamus. Verba Petri Lombardi sunt: *Calix benedictionis cui benedicimus,* id est, potius calicis, qui nõ solum à Christo in cœna est benedictus, sed cui etiam nos Sacerdotes quotidie benedicimus. Et B. Thomas eundem explicãs locum, ait: (*D. Tho. lectio 4 to. 16*) *Calix benedictionis, id est, potius calicis, per quem participantes benedicuntur. Vel; Cui benedicimus, id est, quem nos Sacerdotes consecramus.* Et subdit: *Contra. Quod minus est, à maiori benedicitur.* (*Heb. 7.*) *Respondeo; in Sacramento altaris, benedictio Sacerdotis fertur super terminum à quo, id est, super panem, non super terminum, ad quem, id est, Corpus Christi.* Hæc Thomas. Non est ergo hæc benedictio, & gratiarum actio sine consecratione, & benedictione mystica, eo quod vim habeat sanctificandi.

Christum in cœna aliquibus verbis Eucharistiam benedixisse.

Secundum est, quod cum benedicere sit proprie verbis laudare, & ore bene precari, secundum illud: *Benedixit eis,* dicens, *Crescite & multiplicamini:* (*Gen. 1.*) & id Num. 6. *Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: & Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, &c. Inuocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis:* (*Num. 6.*) elicimus aliquibus verbis Dominum sanctificasse, siue consecrasse panem, nempe illis communibus: *Hoc est corpus meum.* (I. argum. ab etymologia verbi. *Matt. 26.*) Colligimus etiam falsum esse quod quosdam tradit opinatos Innocentius III. (*Innoc. III. li. 3. de myst. Missæ, ca. 6.*) Christum nullis verbis vsum fuisse, sed occulta sua, & potenti virtute panem, & vinum in corpus suum, & in sanguinem transmutasse. Nam hoc in primis derogaret verbi ipsius propriæ, & germanæ significationi. Nam Apostolus ad Corinthios loquens de Eucharistiæ benedictione, ait:

Cæterum

1.Cor.14.

Cæterum si benedixeris spiritu; qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen super tuam benedictionem?

II. argum. ab Ecclesia tiro. Iustin. Martyr. tom. 1. B. Ambros. tom. 4. Idem ibid. Leo Magn.

Deinde moris fuit Ecclesiæ primitiuæ, vt tradunt Iustinus martyr oratione ad Antoninum Pium, & Ambrosius capit. 9. libro De iis qui mysteriis initiantur, & 4 ca. lib. 5. de Sacramentis, & Leo Magnus serm. 6. de Ieiunio septimi mensis, vt verbis consecrationis à Sacerdote alta voce prolatis, cuncti fideles qui adessent, responderent, Amen.

Illud etiam idem ratione euincitur. Nam cum benedictio forma sit Sacramenti, & pars eius potissima, cum omne Sacramentum sit sensibile signum, debuit sicut materia, ita & forma esse sensibilis, vt Sacramenti ratio perficiatur. Ac proinde sine verbis aliquibus Christus non confecit: quanquã & illa verba vt efficacia, effectus consecrationis sit subsecutus, vt diximus.

III. argu. à ratione deductum. Luc. 24. Genes. 48. Marc. 10.

Tertium, & postremum est, quod vt benedictio Christi ascendentis: peracta est eleuatis manibus, vt ait Lucas, & Iacob nepotes suos Ephraim & Manasse cãcellatis manib. benedixit, & Christus Dominus apud Marcum, complexans paruulos, & imponens manus super illos, benedicebat eos: merito elicimus, in hac benedictione externum aliquod interfuisse signum. Et consulta vtraque Ecclesia, primum eleuauit oculos in cœlum, vt habet Missa Latina, & Liturgiæ Græcorum habent: *Ostendens Deo & Patri suo*: quod est idem cum signo dicto de eleuatis manibus.

II. ratio.

Secundo, ex vsu Ecclesiæ habemus, Crucis signum fieri super hostiam, quam ex traditione Apostolica prouenisse credimus, quam viderunt Apostoli à Christo obseruatam primum, & in lege veteri olim indicatam.

Psalm. 140.

Nam sacrificium dictum Eleuatio, & Hebraice Tenupha, ad quatuor orbis partes motum, signum crucis exprimebat. Hoc igitur signo Crucis, quo cætera omnia sacrificia perficiuntur, benedixit sacrificium suum Dominus.

V. ab authoritate Patrum.

Vnde vel ipse signum Crucis fecit, vel nos plus quam ipse fecit, facimus, nec paremus verbo eius quod dixit: *Hoc facito in meam commemorationem.*

Luc. 22. 1. Cor. 11. Chrys. to. 2. Multiplex Crucis in Ecclesia vir[tus] & efficacia. Beda in c. Ioannis Magister med. [illegible] tom. 5.

Hoc autem docet primum Chrysostom. hom. 55. in Matth. dicens: *Neminem igitur pudeat horum salutis nostræ symbolorum, atque signorum. Passio certe Domini nostra beatitudinis caput est atque origo, qua viuimus, & per quam sumus: sed veluti coronam, sic læto animo crucem Christi circumferamus. Omnia enim, quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur. Nam cum regeneramur, crux Domini adest, cum sacratissimo alimur cibo, cum in ordine consecrandi statuimur, vbique, ac semper id victoriæ insigne nobis assistit.* Beda quoque in verba Psalm. 21. *Partiti sunt vestimenta mea sibi*, in hunc modum habet: *Postremo quid est quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ, ex qua regenerantur, siue oleo, quo chrismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Postremo accedit Albertus Magnus in tractatu De officio Missæ, edisserens illud, *Item tibi gratias agens, benedixit*: *Dicunt autem*, ait, *hic quidam, quod signo quodam manus benedixit, quidam autem quod verbo occulto, quo etiam panem in corpus suum transubstantiauit: quidam autem quod virtute Deitatis suæ sine verbo, & sine signo transubstantiauit, quia corporalibus verbis & signis Christus vti non opus habuit, sicut qui habuit potestatem excellentiæ, & non sicut minister clauo vtebatur. Sed quia nullum istorum probatur aliqua autoritate, & prima expositio dubium non habet; ideo plus placet inter istas opiniones.* Hæc ille.

Alb. Mag.

Triplex hac re opinio secundum Albertum, & quam ille magis probauerit.

Hæc dixerim, propter impurum hominem Bezam, qui superstitiosos vocat eos, qui imaginantur, Christum ad benedictionem signum Crucis in aerem sparsum expressisse. Et hæc sint satis de verbo benedicendi.

Beza in c. 6. Marci.

Benedictio duplex denotat Dei beneficiũ.

Nomen vero Benedictionis varium est & multiplex, vt etiam ipsum verbum. Significat enim tum beneficium corporeum, vt fuerũt à principio benedictiones Abrahæ, de quibus dicitur ad Iacob Gen. 28. *Det tibi* (Dominus) *benedictiones Abrahæ; & semini tuo post* 1 quia habuit duodecim filios Iacob, & Tob. 6. dicitur: *Transacta tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filijs consequaris.*

Genes. 18. Tob. 6.

Significat etiam beneficium spirituale Diuinæ gratiæ: de quo: *Benedixit nos in omni benedictione Spirituali in cœlestibus.* Et ibi: *Benedixisti Domine terram tuam; auertisti captiuitatem Iacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, &c.* Sequitur ergo ad Dei benedictionem solutio captiuitatis, & remissio iniquitatis. Iterum: *Etenim benedictiones dabit legislator* (ne conquerãtur de lege dura, & impossibili:) *ibunt de virtute in virtutem*, id est, de gratia vna in alteram maiorem.

Ephes. 1. Psalm. 84. Psalm. 83.

Alter significatus. Rom. 15.

Deinde significat augmentum doni siue corporei, siue spiritualis. Vnde Apostolus: *In abundantia*, inquit, *benedictionis Christi veniam ad vos*; id est, cum pleno & copioso fructu spiritus, siue docendo, siue signa edendo, siue gratiarum dona impertiendo, vt alio loco docet Apostolus: *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Vbi parcitati opponit benedictionem.

2 Cor. 9. Gal. 6.

Tertio,

III. Tertio, Benedictio, & Eucharistiæ consecratio, de qua illud intelligi potest: *Si benedixeris spiritu; qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem?* (id est consecrationem) *quoniam quid dicas, nescit.* Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur; nimirum quia non intelligit. Vnde & à Græcis, & Latinis Patrib. dicitur Benedictio mystica. (1. Cor. 14. & seq.)

IV. Quarto significat etiam eleemosynam, de qua Apostolus 2. Cor. 8. *Necessarium ergo existimaui rogare fratres, vt præueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse sic, quasi benedictionem, non tanquam auaritiam*; id est, tanquam à liberali, & ingenuo animo, nõ autem ab auaro profectam: & subdit: *Qui seminat in benedictionib. de benedictionibus & metet.* Vbi εὐλογία dicitur eleemosyna, à verbo λέγειν, quod est colligere: quia bene ex multis colligitur eleemosyna ad opus pium. (2. Cor. 9.)

V. Quinto, est Benedictio, vita æterna iuxta illud, *In hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis*: de qua Dominus dixit: *Venite benedicti Patris mei, hæreditate possidete regnum*: & videtur spectasse Petrus capit. 27. Deuteronomij. vbi soli filij Liæ. & Rachelis principalium vxorum Iacob stant super montem Garizim ad benedicendum; filij vero Zelphæ, & Balæ ancillarum cum Ruben primogenito, qui stratum patris sui maculauerat, & extremo filio Zabulon, stãt in monte Hebal ad maledicendum. (1. Pet. 3. Matt. 25. Deut. 27. Gen 29. Infra 35.)

Porro designantur filij Noui Testamenti per filios vxorum quæ liberæ erant; per filios autem earum, quæ ancillæ erant, denotantur serui peccati, & qui veterem hominem sequuntur: per Ruben, & Zabulon, qui ad tempus miscentur filiis Noui Testamenti, & Spiritum libertatis habent, sed in eo non permanent. Esau etiam profanus, cupiens hæreditare benedictionem patris Isaac, non obtinuit tamen, saltem illam primogeniti: vel cupiens hæreditare benedictionem Patris æterni, non potuit, quia non fructuose egit pœnitentiam. De hac vltima benedictione habet Ecclesiasticus: Vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat, id est, post mortem: nam viuit iustus, affligitur, & maledicitur. (Liæ, & Rachelis filij quorum typum gesserint, quorũ vero Balæ filij, & Zelphæ. Gen. 27. Heb. 12. Eccl. 3.)

VI. Sexto, Benedictio, est laudatio, siue gratiarum actio. Vnde Apoc. 5. *Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum.* Et cap. 7. *Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro &c.* Hinc frequens illa vox: *Benedictus Deus, & Pater, Domini nostri Iesu Christi.* Cum dicitur de homine, benedictus, significat hominem diuinis donis auctum, & cumulatum, vt cum dixit Isaac de Iacob; *Benedixitque ei, & erit benedictus.* Sed præcipue tribuitur Christo, de quo: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: dicitur vero benedictus; quia non solum erat plenus gratiæ, & veritatis, sed in ipso benedicendæ erant omnes terræ nationes. (Apoc. 5. Infra 7. 2. Cor. 1. Gen. 27. Christus est duplici ratione benedictus. Matt. 21. Ioan. 1. Gen. 18.)

VII. Postremo Benedictio dicuntur illi, quibus Deus benedicit per illam figuram, qua abstractum ponitur pro concreto, iuxta illud; *Sic saluabo vos, & eritis benedictio*; & Ezech. 34. *Ponam eos in circuitu collis mei benedictionum*, hoc est benedictos, sicut vocatio denotat interdum vocatos, & electio electos. (Zach. 8. Ezech. 34.)

DISPVTATIO XXVII.

De verbo Vngendi, & Vnctione.

Vngere (quod Hebræis est משח Græcis ἀλείφειν, siue χρίειν vnde Christus) verbum est æquiuocum, & πολύσημον, & in genere est aliquo liquido rem aliquam inungere: inde dictum, quod vnum fiat cum eo quod vngitur: & vnguen, siue vnguentum omnem succum denotat, ex quo aliquid inungi potest, vt oleum, & similia. Vnde dixit fœmina quædam Heliseo: *Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, nisi parũ olei quo vngar*: & Dominus, *Oleo caput meum non vnxisti.* ¶ Vnguentum tamen apud Latinos præcipue, nõ est medicamen tantũ vulneris, aut læsæ partis corporis, vt vulgus putat, aut tenax aliqua compositio, qua chirurgi vtantur ad corpora male affecta curãda, de qua Luc. 10. Samaritanus vulneribus hominis spoliati, & plagis affecti fertur infudisse oleum, & vinum: ait quoque Ierem. *Super contritione filiæ populi mei contritus sum, & contristatus. Nunquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* & Esa. 1. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* (Vngere, in communi quid & vnde desce[n]da[t]. 4. Reg. 4. Luc. 7. Infra 10. Ierem. 8. Esai. 1)

Præter hanc ergo communem vulgo, & chirurgis notam rationem vngendi, est alia commixtio diuersorum, & pretiosorum odorum, addito oleo, aut balsamo, aut aliquo pingui ad vngenda corpora, & illo exhilaranda deliciarum gratia (nam quæ valetudinis caussa compatãdæ fit, magis medicamẽtum vocatur) ita frequenter capitur vnguẽtum in Sacris literis. Nam Sapient. 2. dicunt Impij: *Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus & non prætereat nos flos temporis*: & Dauid 2. Reg. 12. Surrexit de terra, & lotus, (Alterum genus vnctionis Scripturis notissimum. Sap. 2. 2. Reg. 12.)

vnctus-

vnctuſque eſt: cumque mutaſſet veſtes, ingreſſus eſt domum Domini: & adorauit, & venit in domum ſuam, petiuitque vt ponerent ei panem, & comedit. 2. quoque Paral. 28. Samaritani eos, quos ex Iudæ tribu captiuos abduxerant, ad verbum Prophetę dicuntur remiſiſſe, antè cibo, potuque refectos, & oleo vnctos, propter laborem itineris. De hoc vnguento dicitur Eccl. 10. *Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.* Muſcæ dum ſe immergunt in vnguenta, & ſibi nocent, dum vitam ſibi adimunt, & vnguentis nihil proficiunt, imò nocent, quia fœtorem inducunt. Ita quidem dæmones, qui ſunt muſcę morientes, inuidentes noſtris meditationibus, & precibus, circumuolitant, & moleſti ſunt, dum pungunt frequenter, dū corporis neceſſitates, & carnis tentationes inſtillant. His vnguentis pretioſis, & delicatis delibutus fuit Chriſtus à peccatrice Luc. 7. & à Maria ſorore Marthæ Matth. 26. & Sponſa: *Meliora ſunt,* inquit, *vbera tua vino; fragantia vnguentis optimis*, vel amores tui, iuxta lectionem Septuaginta: & iterum, *Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Et ſuperius, *Vnguentum effuſum nomen tuum* (Hebræa habent, oleum, vt ita oleum aliquando ponatur pro vnguento) *Ideò adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* Et iterum, *Poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vnde vnguentarius Græcè dicitur μυρεψός, id eſt, Is qui conficit, vel vendit vnguenta: & vnguentaria dicitur, taberna, in qua conficiūtur vnguenta: & illa fœmina ſolet bene olere, quę nihil olet; at illa malè olet, quę bene ſemper olet. ¶ Fuit autem Chriſtus inunctus à peccatrice, quę vnxit pedes humanitatis Chriſti vnguento contritionis. Eſt & vnguentum quo Maria vnxit in cœna caput eius, id eſt deuotio, & gratiarum actio erga diuinitatem. Tertiò inunctus fuit mortuus aloe, & myrrha à Nicodemo, & Ioſepho, & pijs mulieribus, quæ emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum, id eſt, totum eius corpus: & hoc eſt vnguentum pietatis & miſericordiæ ad proximis impēdendum, qui corpus ſunt Chriſti myſticū, & quidem mortificatum.

2. Paral. 28.
Eccl. 10.
Quid illud ad literam, & myſticè: Muſcæ morientes perdunt ſuauitatē vnguenti.
Luc 7.
Matth 26.
Cant. 1.
Infra 4.
Supra 1.
Ibidem.
Vnguentarius quis ille: quid item vnguentaria.
Luc 7.
Ioan. 12.
Infra 19.
Marc. 16.

Vnctionis III. vſus.

Tertiò, erat in more poſitum vngere oleo ad corroborationē, & confirmationem membrorum, vt in athletis eſt manifeſtum, quorum corpora inunguntur, vt robuſtiores euadant, & firmiores carne: de qua vnctione habes textum 2. Paralip. 28. paullò ante prolatum, & Dauidem Pſalm. 108. *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleum,* ſiue ab oleo, id eſt, propter defectum olei, quia multo tempore non ſum vnctus. Cui vnctioni in Eccleſia reſpondent duo Sacramenta, nimirum Confirmationis, in qua quis inungitur in fronte chriſmate ad corroborandum animū noſtrum, & ad intrepidè confitendum Chriſti fidem coram hominibus, & ad pugnādum cum aduerſarijs, ſiue ſint ſpiritus, vt dæmones, ſiue corporei, vt Pagani, Iudęi & Hæretici, ac Pſeudochriſtiani: alterum Extremæ vnctionis, quo quis à Presbyteris inungitur inſtante vitæ fine ad luctam cum Satana, & cum extremis mortis terroribus: quia omnium terribilium formidabiliſſimum eſt mors.

Par. 28.
Pſalm. 108.
Matth. 10.
Sacramenta Confirmationis, & extremę vnctionis ad quid inſtituta.

Quartò vngere thymiamate, erat ceremonia, qua olim Sacerdotes creabantur, & Reges conſtituebantur, & Prophetæ: Thymiama autem, erat compoſitio diuerſorū odorum, & commixtio ad vſum templi. Hinc Leuit. 10. dicūtur inungi Sacerdotes, & Pſaltes de ſe dictum ait: *Inueni Dauid ſeruum meum: oleo ſancto meo vnxi eum:* & Samuel venit ad domum Iſai, & in medio fratrū ſuorum Dauid vnxit in Regem: Heliſæus etiam vnctus fuit in Prophetam 3. Reg. 19. & Dominus Ieſus, qui ad ſummos gradus Sacerdotis, Regis, & Prophetæ euect⁹ fuit, dicitur Hebraicè ſimpliciter Meſſias, & Grę cè Χριστός. Vnde illud: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ,* id eſt, Spiritu ſancto. Et addit: *Præ participibus tuis*, id eſt nobis omnibus, qui Chriſtiani dicimur, à Chriſto, cuius doctrinam, & prophetiam profitemur, cuius ſanguine vngimur in Sacerdotes ſpirituales, vt omnia poſſimus impetrare; & in cuius regno nos verſari non dubitamus, eiuſque præceptis paremus. Ac vt Dauid ter fuit inunctus, primò à Samuele domi ſuæ 1. Reg. 16. Secundò in Hebron ſuper Iudam ſolùm. 2. Reg. 2. Tertiò ibidem inunctus ſuper vniuerſum Iſrael, 2. Reg. 5. & prima quidem vnctio Dauidis, deſignat illam occultam in vtero Virginis vnctionem, quando conceptus eſt de Spiritu ſancto: ſecunda fuit in Baptiſmo Chriſti, deſcendente Spiritu ſancto ſuper eum in ſpecie columbæ, à Iudæis audiendum, vt vox ſuperna dixit: tertia inunctione præfigurata eſt Chriſti reſurrectio, in qua data eſt ei poteſtas in cęlo, & in terra, ſuper Iudęos, & ſuper Gentes. Hinc verbum Vngendi, ad deſignandam promotionem ad dignitatem regiam, ſiue ad aliquod publicum munus, accipi conſueuit tàm in Veteri, quàm in Nouo Teſtamento. Iudic. 9. dicitur: *Ierunt ligna vt vngerent ſuper ſe Regem*: & ibi: *Me miſit Dominus, vt vngerem te in Regem*; Eccleſiaſtici 48. *Vngis Reges ad pœnitentiam*: & Paulus: *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui inunxit nos, Deus: Qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus*

IV. vſus: quid ſcilicet vngere thymiamate.
Pſalm 88.
1. Reg. 16.
3. Reg 19.
Pſal 44.
Chriſtiani vnde denominentur.
Apoc 1.
Triplex vnctio Dauidis in Regem, qualem triplicem Chriſti deſignauerit vnctionem.
1. Reg 16.
2. Reg. 2.
Luc 1.
Matth. 1.
Infra 3.
Infra vlt.
Vnctionis ſignificatio.
Iudic. 9.
1. Reg. 15.
Eccl. 48.
2 Cor 1.
Epheſ 1.

Quo tendat his verbis Apostolus: Qui autem cōfirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, &c.

in cordibus nostris. Est enim sermo de ministris, quos Spiritus Dei dicitur vngere: & alludit ad morem Sacerdotum, & Prophetarum, qui vngebantur. Contendit enim Paulus eo loco asserere ministerij sui, & suorum collegarum dignitatem aduersus eorum calumnias, qui ipsum accusabant leuitatis, quasi Spiritu Dei non regerentur, vt qui ad eos non venissent, sicut pollicitus fuerant. Hinc etiam vnctio Christi apud Ioannem, inspiratio Dei est, infusio fidei, & donorum, quę docet de omnibus: Vel ipsemet Spiritus sanctus, qui voce abstracta Vnctionis designatur, & qui verè docet nos de omnibus. Sicut etiam Dominus dixit: *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia,* &c. Vnde & Ecclesia in hymno solēni eum Inuocat Spiritualem Vnctionem: hinc Augustinus tract. 3. in canonic. Ioan. 1. *Vnctio spiritualis ipse Spiritus sanctus est, cuius Sacramentum est in vnctione visibili.*

1. Ioan. 2. Vnctio Christi apud Ioannem, quid.

Ioan. 14.

Hoc autem vnguentum in plenitudine sua fuit in Christo, qui omnia dona Dei summo modo habuit, & ea etiam, quæ nobis communicantur: nam per illum, & propter illum dantur. Hinc à Daniele dicitur *Donec adducatur iustitia sempiterna, & vngatur Sanctus Sanctorum.* Ait etiam Dauid: *Sicut vnguentum in capite* (scilicet Christo) *quod descendit in barbam* (hoc est in honestam hominis partem, videlicet in Apostolos, Prophetas, & Doctores) *barbam Aaron. Quod descendit in oram vestimenti eius,* id est, in extrema Ecclesiæ suæ membra, quæ vestis eius sunt iuxta illud Esaiæ: *Omnibus his velut ornamento vestieris.* Christus etiam expressit suam vnctionem, cùm dixit: *Spiritus Domini super me, propter quòd vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.* & quæ sequuntur.

Daniel. 9.

Psalm. 132.

Quid sibi velit. Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, & reliqua.

Esa. 49.

Luc. 4.

Esa. 61.

Quintò, Vngere etiam oleo infirmos, erat, signo, siue miraculo concedere sanitatis beneficium, & propriè non erat Extremæ Vnctionis Sacramentum, sed eius typus, & vmbra. Vnde Mar. 6. legimus: *Vngebant oleo multos ægros, & sanabantur.* Nec tantum Apostoli leguntur id præstitisse, sed etiam Sanctorum nonnulli, vt B. Genouefa virgo apud Parisienses.

V. vsus vnctionis, Scripturis, & Sanctis non ignotus.

Marc. 6.

Sextò Vngere, est Vnctionis Sacramentum infirmis adhibere, quo nō tantùm remissionem peccatorum assequebantur, sed etiam interdum corporis sanitatem obtinebant. De quo Iacobus Apostolus ita loquitur: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini* (id est, inuocato nomine Domini) *& oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Quibus in verbis apertè est inuenire materiam huius Sacramēti, & formam deprecatoriam, quæ in oratione consistit; & ministrum, qui est Presbyter, siue Sacerdos, & effectus, qui sunt remissio peccati, & interdum corporis sanitas. Et statim subiungit quasi de alio Sacramento illi cōiuncto: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra; & orate pro inuicem vt saluemini.* Ita vt planè sit cæcus, & impudens, qui tam manifestam testimonij illius veritatem velit eludere.

VI. pro vnctione extremæ Sacramento.

Iacob. vlt.

Eius partes virtutesque.

Postremò impropriè, & per metaphoram, Vngere caput in tempore ieiunij apud Matthæum c. 6. est, lætitiæ signa edere, quibus tegamus ieiunium, ne gloriam de eo quærentes, eius meritum amittamus. ¶ Nec obstat quod Dan. 10. dicitur: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: Panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum:* quia in diebus ieiunij non expedit delicijs vnguentorum vacare. Decet tamen ieiunij die capite inungi, & facie lauari, quò læti, & non tristes apparentes, abstinentiæ & ieiunij meritum conseruemus.

VII. vsus. Quid vngere caput ieiunij tempore.

Daniel. 10.

Vngere oculos cæci nati luto, est hominem instruere de vilitate sua, & humilitate. Est enim homo puluis, & puluere admonetur suæ subsistentiæ. ¶ Est etiam catechumenum instruere in doctrina Fidei, vt possit per Baptismum à sordibus peccatorum lauari, & per Fidei conspicilla videre.

Vnctione oculorum cæci nati luto, duo mysteria significantur.

Ioan. 9.

At Inungere oculos collyrio, vt dicitur Apocalyp. 3. est, aciem intellectus nostri medicamine bonæ operationis adiuuare. Nam vt Iob ait: *In manus abscondit lucem.* Et tantum nos videre dici possumus, quantum bonis operibus incumbimus. De his hactenus.

Collyrio inungere oculos, quid.

Apocal. 3.

Iob 36.

DISPVTATIO XXVIII.

De verbo habendi.

CVm verbum Habendi ad plurimas significationes se extendat; hoc tamen loco tres tantùm eius significantias attingam.

Primum igitur dicitur quis aliquod bonum, siue donum habere, quia eius bonum vsum, & exercitium habet: & non habere, qui eius vsum, aut bonum vsum nō habet. Et ita intelligenda est sententia Euangelica Matth. 13. & 25. *Omni, inquit, habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet; & quòd videtur habere, auferetur ab eo.* Et est sensus: Bene vtenti donis naturæ, aut gratiæ, &

I. vsus huius verbi.

Matth. 13. Infra 25. Explicabitur id: Omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem

non

qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.

non ociose illa retinenti, aut abutenti, sed exercendi, & ad mēsam illa ponenti, plura dabuntur, quibus abundet. Non habenti autem, etiam quod videtur habere, auferetur ab eo. Hoc est. Qui dona quæ habet, nō exercet, aut si exercet, abutitur eis in malū. dignus prorsus est, qui dictis donis spolietur. Et dicitur id quod non habet, ab eo auferri, id est, id quo bene non vtitur, auferendum. Vel id quod videtur habere, id est quod in veritate possidet, & non bene vtitur, auferetur ab eo, vel quatenus est ei vtile, vt Augustinus explicat lib. 2. quæstionū Euangelic. capit. 46. Idem lib. 1. De doctr. Christ. cap. 1. *Omnis*, inquit, *res qua dando non deficit, dum habetur, & non datur, nondum habetur quomodo habenda est. Ille autem qui habet, dabitur ei: dabitur ergo habentibus, id est, cum benignitate vtentibus eo quod acceperunt: adimplebit atque cumulabit quod dedit.* Quare omni habenti bonam voluntatem, aut salutem desideranti, fides dabitur: fide vero bene vtenti, dabitur intelligentia eius quod credit & charitas, charitatem habenti. Dabitur etiam virtus bene operandi, & operibus atq; patientia comprobandi pro eo quod credit operatur, & patitur. Rursus in fide, & operibus, & patientia perseuerantibus dabitur æternæ vitæ corona. Et ideo Matth. 25. iubetur dari talentum eius qui illud abscōderat, alteri, qui habebat plura ta'enta.

Aug. 14.

Omni habenti quid dabitur secundum Augustin. & abundabit.

Mat. 25.

Si quæ dedit nobis Dominus aufert. quo modo secundum Apostolum, sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei? *Rom. 11.* *Mat. 13.*

Quod si obijcias: *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei*, non ergo Deus spoliat nos donis semel collatis. Dicendum est, hoc non esse in vniuersum verum, quod dona semel accepta, & quibus abutimur, ad se nūquam reuocet. Imo Matth. 13. quatenus hæc sententia refertur ad illa dona. quæ hoc tempore ad profectum dantur, & illis non proficimus, merito auferuntur, Nam Hæretici multa scripserunt, quæ seruiunt Ecclesiæ filiis: & nos in Iudæorum abutentium Dei donis, priuilegia ingressi sumus. Nam habemus messiam, Scripturas, & nomen filiorū Dei: & vinea quæ tradita erat malis colonis, illisque erepta, locata est alijs melioribus agricolis.

Mat. 21.

Mat. 25.

Quatenus vero hæc sententia habetur Matth. 25 in parabola de Talentis, extendit se ad bona futuræ vitæ, de quibus dixit Dilectus: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronā tuam.* Omnia enim bona, quæ remunerata in reprobis non sunt, in electorum corpus diffunduntur. Ita etiam Apostolus hoc verbum accepit, quando in priori ad Corinth. scripsit: *Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquaque suum virum habeat.* Id est, Vir sua vxore vtatur, & vxor suo viro. Non enim Paulus interrogatus fuerat, an ducenda esset viro vxor, & an mulieri nubendum; sed illud tantum, an vsus coniugij existentibus in Christo licitus esset: & aperte explicat licitum, & legitimum esse. In eundem sensum sunt interpretandę illæ sententiæ: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* nimirum ad vsum, & officium cōiugale: alioqui si vt hospes illam domi suæ excepisset, non diceretur habere vxorem fratris sui. Septem item fratres habuerunt vnam & eādem mulierem, non simul, quia erat impossibile, sed successiue vnus post alterum eam vxorem cognouerant. Paulus quoque 1. Corin. 5. ait. *Omnino auditur inter vos fornicatio: & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes; ita vt vxorem patris sui aliquis habeat:* quia vxorem patris ad amplexus coniugales habebat. Paulus quoque cap. 7. eiusdem epistolæ habet: *Reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint*: habent autem vxores suas tanquam non vxores, qui perinde viuunt, ac si eis carerent, earumque coniunctione vsuri non sunt.

Apoc. 3.

Qui locī eadem ratione, bene, vel male veniant explicandi.

1. Cor. 7.

Marc. 6.

Mat. 22.

1. Cor. 5.

Infra 7.

Hunc quoque sensum docet illud commune prouerbiū: *Auaro tam deest quod habet, quam quod non habet.* Cum vero Scriptura tradit nos habere primitias Spiritus, aut fidem, aut pacem, eadem phrasi interpretandum venit. Habebant enim primitias Spiritus, qui præstantissima dona Spiritus sancti in suam, & aliorum vtilitatem proferebant & exercebant: & Paulus dum ait: *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum*: id est, Fiduciæ nostrę quam de Deo habemus, manifesta edimus signa. Item Marc. 9. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* Id est, Date operam, vt & prudentiæ in sale designatę, & pacis in vobis, & in alijs ineundæ studia colatis.

Primitias Spiritus habere, quid. *Rom. 8.*

2. Cor. 3.

Mar. 9. Id: Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos declaratur.

De charitate vero ita habet Spiritus sanctus apud Paulum: *Super omnia hæc, charitatem habere, quod est vinculum perfectionis*: &, *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam charitatem autem non habuero, nihil sum.* Significat: Etsi fidei excellentem habitum habeam ita vt per eam edam signa, charitatis autem officia omisero, nihil me habere putabo.

Coloss. 3. *1. Cor. 13.*

Ita intellige illud: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis. si dilectionē habueritis ad inuicem.* Id est, si externa signa mutuæ charitatis ediderītis. Rursus; *Qui habet mandata mea, & seruat ea; ille est qui diligit me*: habet vero mandata, qui ea & memoria, & intellectu tenere se ostendit operibus.

Ioan. 13.

Infra 14.

Alter significatus huius verbi est, Blandiri, siue delicate alterum tractare. Ita Terentius in Hecyra.

II. vsus verbi Habēdi.

Nunquam secus, inquit, *habui illam, ac si ex me esset nata*:

Terent.

& in Adelphis.

Ruri agere vitam, parce ac duriter se habere.

Idem.

Hoc est parce, ac dure seipsum tractare. Ex quibus facile accipiemus sensum illius verbi Iob de Domino, *Sic me habuit quasi hostem suum*: Hoc est, Perinde se mecum habuit atque cum hoste.

Iob.19.

III. vsus. Marc.14.

Tertio habere, est Posse interdum, iuxta illud Marc. 14. *Quod habuit, hac fecit*, id est, quod potuit: præuenit enim vngere corpus meum in sepulturam. Deinde Marc. 12. *Vidua hac de penuria sua omnia qua habuit, misit.* Luc. etiam 14. *Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles claudos, & cacos. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi*: id est, non possunt. Item 2. Cor. 8. ait Apost. *Si enim voluntas prōpta est; secundum id quod habet, accepta est; non secundum id quod non habet.* ¶ Denique in vniuersum, verbum Habendi Græcum, quod est ἔχω, cum infinitiuis adiunctum, vsurpatur pro verbo δύναμαι. Vnde Luc. 7. *Simon, habeo tibi aliquid dicere*, id est, Possum. Et ille respondit, *Magister dic.* Ioan. 16. *Ad huc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo.* Et hæc satis de hoc verbo.

Supra.12. Luc.14. 2.Cor.8. Luc.7. Ioan.16.

DISPVTATIO XXIX.

De verbo Tangendi.

Quid Tangere proprie, Lucretio, & Attrectare.

TAngere, siue attrectare, proprie corporum est, iuxta illud Lucretij:

Tangere enim, & tāgi nisi corpus, nulla potest res.

Tangimus autem quocunq; membro corporis, Contrectamus tantum manu.

I. significatus eius verbi improprius & metaphoricus. Luc.24.

Præter notam autem significationem. Tangere ponitur pro certa, & infallibili cognitione, quam per tactum assequimur. Vnde Dominus certos facere volens Apostolos suæ resurrectionis, dixit ad eos; *Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet*: & Thomas certus eiusdem volens reddi, dixit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius non credam.* Ioannes quoque in catholica sua epistola ad indicandam certissimam cognitionem, & plerophoria plenam, dixit: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerūt de verbo vitæ.* Vnde Prouerbiū illud de his qui plene aliquid nouerūt, vsurpamus: Rem acu attigisse, & rem manu contrectasse: & Apost. Act. 17. *Fecitq; ex vno omne genus hominum, inhabitarē super vniuersam faciem terræ: Definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum: Quærere Deum si forte attrectent eum, aut inueniant*: vbi pro eodem ponit Attrectare, & Inuenire. Quanquam per sensum tactus res cognitas habeamus.

Ioan.20. 1.Ioan.1. Act.17.

Negandum tamen non est, Interdum manu tentare esse cæci, & minime videntis vel cognoscentis, iuxta illud Petri in 2. *Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tētans. &c.* Nam ita manu tentant, qui dubitant, vel ignorant. Ita enim in Elymam Magum à Deo iuxta Apostoli vocem cæcitate percussum, confestim cecidit caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret.

2.Pet.1. Act.13.

Alter significatus, quid Tangere mulierem. 1.Cor.7. Gen.20.

Deinde, Tangere mulierem apud Apostolum, est illam cognoscere: eo quod mutuo complexu & osculis & contactib. perficiatur actus coniugalis. *Bonum est*, inquit, *homini mulierem non tangere*: & Gen. 20. *Abimelec Rex non tetigerat vxorem Abraha*: & infra: *Ego*, inquit, *scio quod simplici corde feceris; & ideo custodiui te ne peccares in me, & non dimisi vt tangeres eam.* Leuit. 15. dicitur: *Omnis qui tetigerit eam* (scilicet menstruatam) *immundus erit vsque ad vesperum*: & Salomon; *Non enim erit mundus* (scilicet adulter) *cum tetigerit eam.*

Leuit.15. Prou.6.

III. significatus. Psal.104.

Tertio Tangere, est idem quod percutere, aut vexare, iuxta illud 1. Ioan. 5. *Et malignus non tanget eos*: &, *Nolite tangere Christos meos*; &, *Qui tetigerit vos tangit pupillam oculi mei.* Item; *Miseremini mei, quia manus Domini tetigit me.* Rursus: *Non tanget illos tormentum mortis.* Iob. 1. *Tange cuncta qua possidet*: & c. 2. *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.* Rursus cap. 1. *Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues pueros que consumpsit.* Tale est illud Poetæ: *De cœlo tactas memini prædicere quercus*; & illud Prophetæ. *Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant*; hoc est syluas quæ nascuntur in montibus: poniturque continens pro contento per Metonymiam, & montes ita fulmine de cœlo tacti, fumigare solent. Vnde alibi idem Propheta ait: *Tange montes, & fumigabunt: Fulgura coruscationem, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.* Vnde Horatius infames scopulos vocauit Acroceraunia. Et alibi ait:

Zach.2. Iob.19. Sap.3. Iob.1. Infra 2. Sup.1. Virg. Aegl. 1. in princ. Psal.103. Psal.143.

Feriuntque summos
Fulmina montes.

Horat. li.2. Car. ode 4. Idem lib.2. carm. ode 10.

Pyrenæi montes cur sic dicti. Hier. in traditionib. Hebr. in Genes. sub init. to. 3.

Pyrenæi quoq; montes dicti sunt, eo quod igne cœlesti tacti sunt. Et quæ præcedunt, huic sensui conueniunt: nam ait: *Respicit terram*, id est, interius inflammat, iuxta illud: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, id est inflammauit, vt Hieronymus ex Theodotione animaduertit. Et spiritus in terra

deli-

delitescens exire volens, & non habens exitum efficit terræmotum, de quo ait.

Facit eam tremere.

IV. significa quid scilicet Tangere fide. Gen 32. 4 Reg. 4.

Quarto, Tangere fide, præcedere solet, vt taugens, aliquod accipiat, vel impetret beneficium ab ea qui tangitur. Vnde Iacob luctatns cum Angelo, dixit. *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, & Sunamitis in monte Carmeli apprehendit pedes Helisæi, nec dimisit, etiam Giezi cogēte, donec petitionem suam de descensu suo ad filium suum à mortuis excitandum obtinuit. Ita etiā Spōsa Cant. 3. ait: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in locum matrum mea. & in cubiculum genetricis meæ.* Luc. quoq; 8. Dominus interrogauit. *Tetigit me aliquis* (nimirum fide ad aliquod beneficium impetrandum) *nam & ego noui virtutem de me exysse*, qua fontem sanguinis in hæmorrhoissa stiti. Mulierib. etiam venientib. ad sepulchrum, occurrit Dominus: quæ tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum: pro qua pedum retentione acceperunt notitiā suæ resurrectionis. Magdalenæ etiam tangere volenti, dixit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum* idest: Noli tēere pedes meos ad hoc, vt promissa facta obtineas: nondum enim temp⁹ venit ea adimplendi, quia nondum ascendi ad Patrem meum, vt impertiat vobis Spiritum sanctum promissum. Thomas quoq; Apostolus tactu Domini obtinuit maiorē fidem, & solidam eius confessionem: & in vniuersum ait Euangelista: *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Peccatrix etiam tangens lacrymis pedes, osculans, & vngens, accepit remissionem peccatorum : & prodigus exceptus osculo, & complexu à patre, reconciliatus fuit. Corpus etiam mortui proiectum in sepulchrum Helisæi, cum tetigisset corpus Prophetæ, ad vitam reuocatum est. Ita etiam nos tangimus corpora, aut reliquias Sanctorum, aut osculis, aut globulis precar.js, vt aliquam partem sanctificationis ad nos per eas deriuemus.

Cant 3. Luc. 8. Mat. vlt. Ioan. 20. Quid illud Noli me tangere, nōdum enim ascendi ad patrem meum. Ibid. Luc 6. Infra 7. Infra 15. 4. Reg. 13.

Christus à se sanandos fere cur tangeret.

Christus autem, ad conferenda sanitatis beneficia, tactu frequenter suo vtebatur, indicans se sanare, & ob id sanare, quia contrectabilis per carnem assumptam factus est & vt virtutem Humanitatis in edendis miraculis ostenderet. Vnde Mat. 8. ingressus in domum Simonis, tetigit manum socrus ei⁹ & dimisit eam febris. Et cap. 20. de duobus cæcis; *Misertus eorum Iesus, tetigit oculos eorum & confestim viderunt*, De surdo quoque, & & muto Marc. 7. dicitur: *Expuens tetigit linguam eius*: & parentes offerebant illi paruulos, vt tangeret illos. Imo etiam accessit, & tetigit loculum iuuenis defuncti qui efferebatur. Item Daniel 8 *Tetigit me, & statuit me in gradu meo.* Cap. 9. & 10. *Tetigit me, & erexit me*: quod est idem quod de Apostolis ait Matth. c. 17. *Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitq; eis, Surgite, & nolite timere*: & Mar. 9. de puero, à quo expulit dæmonium Iesus, de quo dicebatur, quia mortuus est : Iesus aūt tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit. Ait quoque Lucas de Domino : *Et cum tetigisset auriculam eius* (id est Malchi) *sanauit eum.*

Mat. 8. Marc. 9. Infra 10. Daniel. 8. Infra 9. & 10. Mat. 7. Mat 9. Luc. 22.

Romani olim prætores vindicia virga quos tangerent. T. Liuius l. 2. 1. Decad. Cicero. Persius.

Olim mos Romanorum erat, vt seruorum capita, qui à Prætore manumittebātur virgula quadam, dicta vindicta, vel vindicia tangerentur. Vnde Cicero in Topicis: *Si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber.* De qua Persius saty. 5. *Vindicta postquā meus a prætore recessi, Cur mihi non liceat iussit quodcumque voluntas?* Hinc Pœnitentiarii Sacerdotes Romæ virgas gestant, & capiti pœnitentiam imponunt, vt liberētur à seruitute peccati. Et Apostolis dedit CHRISTVS virgas Marc. 9. & in lib. Esther cap. 15. Rex extendit virgam auream super collum eius, in symbolum impetratæ à se gratiæ.

Marc. 6. Esther 15.

V. significatus, verbi tangendi.

Quinto, Tangere, est mouere non tantum corpus, sed etiam animam. Vnde & interdum cum alios reprehendimus, dicimur viuum tangere : Et 1. Regum 10. Abijt cum Saule pars exercitus, quorum tetigerat DEVS corda : & DEVS tanquam pœnitentia ductus, volens mundum euertere, dicitur Tactus dolore cordis intrinsecus. Mistice vero metaphorice tangimus CHRISTVM fide, & à DEO tangimur remissione peccati, & gratia. Tangimur etiam à Deo Sacramentis, per quæ Diuinam gratiam promeremur.

1. Reg. 10. Gen. 6.

Quid tact⁹ fimbriæ vestimenti Christi, & eiusdem contactus oculorum nostrorum significet. Mat. 20. 4. Reg 13. Eccl. 13. Osea 4

Tangimus fimbriam vestimenti CHRISTI, quando pure, & reuerenter ad mensam Dominicam accedimus. Tangit oculos CHRISTVS, quando mentem illuminat, Matthæ. vigesimo Manum vero quando sanat opera, & adiuuat volentem resistere peccato. Tangere mortuum ossa Helisæi prophetæ, spiritualiter est peccatorem baptizari, & consepeliri cum CHRISTO. Tangere picem, est carnalia, & lasciua cogitare, quibus homo inuoluitur, & inquinatur. Sanguis vero tangit sanguinem, cum peccatum ad peccatum impellit ; vel cum peccato nostro alios ad peccandum sollicitamus.

Exod. 19.

Bestiæ tangentis mōtem.

Bestia vero quæ tetigerit montem la-

quæ lapidatur, & Ozæ tangentis arcam Domini labentem, allegoriæ. 2. Reg. 6.

pidatur; cum mens carnis, & sensus motibus subdita, ad contemplationis alta se porrigit; vel gradus supremos Ecclesiæ ambit; vel Hæreticus, qui instar bestiæ viuens, Sacrarum literarum cognitionem sibi arrogat. Tangere Ozam arcam Domini, est inferiorem reprehendere vitia superiorum.

Leuit. 4. Supra 5. Infra 15. Supra 11. Infra 15.

Erant postremo in lege quarundam rerum prohibiti contactus, vt mortui, leprosi, seminiflui, morticini, & menstruatæ; quæ tangentes ad aliquod tempus polluebantur: gustus etiam (qui, vt tradunt Philosophi, tactus quidam est) quorundam animalium, & piscium, vt eius sanguinis, & suffocati erat interdictus: quæ edentes, & gustantes polluebant, Sed eiusmodi contactus interdum sine peccato erant, imo cum charitate, & merito fiebant: vt TOBIAS fecit, qui sepeliebat mortuos, & Ioseph ab Arimathia, & Nicodemus, qui de cruce deposuerunt IESVM, & sepulturæ commendarunt, non sine magna eorum laude, & commendatione. Et ad huiusmodi pollutiones abluendas, erat instituta aqua lustrationis, expians inquinatos ad ingressum templi, & ad edendum de sacrificijs immolatis. Sed hæc cum lege ipsa Mosaica iam abolita sunt, vt iam dicat Apostolus: *Si mortui estis cum* CHRISTO *ab elementis huius mundi; quid adbuc tanquam viuentes mundo decernitis?* (qui decretis tenemini) *Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis: Quæ sunt omnia in interitum ipso vsu secundum præcepta, & doctrinas hominum.*

Tobiæ 12. Ioan. 19. Immunda illa tangentes quomodo mundarentur. Num. 19. Coloss. 2.

Nam etsi huiusmodi leges à DEO per Moseo essent profectæ: quia tamen vsque ad certum tempus vitam, & vigorem habebant, cum vltra tempus protenduntur, fiunt vanæ leges, & doctrinæ hominum.

Erant ergo illæ leges à DEO magis significandi gratia profectæ, quam aliquid per se malum vitandi: quemadmodum esus porci, & leporis, & gryphis, &c. Et ad hæc referenda sunt illa, quæ à superioribus tangi prohibentur: nam talia tangere, vel edere ob inobedientiam peccatum est, non autem quod sint per se illicita. Hinc Eua dixit: *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso, vescimur: De fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis* DEVS *ne comederemus; & ne tangeremus illud.*

Vetitorum ratio ciborum potissima quæ. Leuit. 11. Ibid. Deut. 14. Prohibita à superioribus tangentes quatenus peccent.

Gen. 3.

Erant etiam in lege alij contactus prohibiti, vt sacrorum vasorum, quæ tabernaculo deseruiebant, & arcæ testimonij, quæ ob reuerentiam contingere non licebat. Vnde Oza tangens arcam ne prolaberetur, interfectus est à Domino. Imo etiam ex Bethsamitis eam tantum videntibus, corruerunt ad quinquaginta millia plebis, & septuaginta viros de populo. Ita etiam in Nouo Testamento laicis ob eandem rationem reuerentiæ non est permissum tangere sacra vasa sacrificij Eucharistiæ, vt sunt calices, corporalia, & similia.

Supra 2. Legales alij quidam contactus prohibiti. Num. 4. 2. Reg. 6. 1. Reg. 6. Quarum rerum, & à quib. in Ecclesia contactus illiciti.

Simile est præceptum illud Seraphici Francisci, qui interdixit suis alumnis pecuniæ contactum: non quod putaret rem esse per se malam, sed quia peccatorum omnium, & vitiorum solet esse pecunia instrumentum, quia pecuniæ, vt ait Sapiens, obediunt omnia, & maxime in illis qui Euangelicam profitentur paupertatem; & vt sui imitarentur Apostolos, quib. CHRISTVS edixit, *Nolite possidere aurum, neque argentum neque pecuniam in zonis vestris*; & vt gratis prædicarent Euangelium, & gratis audirent confessiones: vt egregie docet Beatus Bonauentura in expositione regulæ c. 4.

Pecuniam tangere Franciscanis cur vetitum, teste bonauentura. Eccl. 10. Mat. 10. Ibidem.



DISPV-

DISPVTATIO XXX.

De verbo rapiendi.

Rapere, & Furari, differant.

RAPERE, proprie aliud est quam furari: Furatur enim, qui latenter, & occulte aliquid surripit. Vnde Ioseph dixit Genes. quadragesimo. *Furtim sublatus sum de terra Hebraeorum.* Rapit vero, qui ex insperato, per vim ac violentiam aliquid quod est alterius, tollit: vt ita raptus, violentum sit furtum. Est enim peccatum lethiferum proximo perniciosum, in quo non tantum pro iniuria violentiæ satisfactio pendenda sit, sed etiam rei raptæ restitutio facienda. Vnde cum Propheta dixit: *Quæ non rapui tunc exoluebam*, ostendit in raptu faciendam satisfactionem. Et vsque adeo Deus hoc odit delictum, vt nolit rapinam in holocaustum sibi offerri: nam proprie rapi dicuntur bona fortunæ. Vnde Ezechielis decimo octauo. *Qui rapinam non rapuerit*; hic scilicet non morietur in iniquitate patris sui, sed vita viuet. Dauid quoque; *Nolite*, inquit, *sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: diuitiæ, si affluant, nolite cor apponere*; & Paulus Hebr. 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Trophæa quoque, spolia, seu rapinæ erant, quæ de manibus hostium capiebantur: vnde & Manubiæ Latine dicuntur. Vnde Poeta:

Psal. 68.
Eccl. 34.
Malach. 1.
Ezech. 18.
Psalm. 61.
Hebr. 10.

Et duo rapta manu diuerso ex hoste trophæa,
Bisque triumphatas vtroque ab littore gentes.

Virgi. 3. Georgic. prope init.

Hinc raptores, siue rapaces illi vocantur, qui in aliena bona inuolant, qui regnum Dei non possidebunt, vt docet Apostolus 5. & 6. cap. prioris ad Cor. Etsi illud, *Quod inuenisti, & non reddidisti, rapuisti* (vt recte dicit Augustin.) *quanto magis id quod à principio per vim extorsisti.*

1. Corinth. 5.
Infra 6.
B. Aug. serm. 9 de verb. Apost. c. 8. in fi. t. 10

Hoc etiam verbum extenditur ad raptum puellarum virginum: qualis fuit Dinæ filiæ Iacob, quam rapuit Sichem filius Hemor, de qua liber Genesis; *Adamauit*, inquit, *eam; & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem*: & de Sabinis testatur Poeta:

Gen. 34.

Et raptas sine more Sabinas.

Vir. 8 Æneid. circa fin.

Ad raptum etiam vxorum, quæ per vim à viris suis ablatæ sunt: talis fuit raptus Helenæ vxoris Menelai, qui causa fuit belli Troiani; & raptus Proserpinæ, de quo Claudianus Poema conscripsit, incipiens:

Inferni raptoris equos, afflataque curru, &c. Raptus quoque puerorum illo verbo exprimuntur: in quo insignis fuit raptus Ganymedis in Harpagia non longe à Phrygia, & de quo ille dixit: *Et rapti Ganymedis honores.*

Claudia. l. 1.
Strabo l. 13. circa princip.

Et denique ad illos, qui per hostes, aut alios inimicos rapiuntur: vnde Nemrod, robustus venator coram Domino scribitur eo quod tyrannice cum hominibus ageret. Tales sunt illi, de quibus Poeta quidam cecinit:

Gen. 10.

Viuitur ex rapto; non hospes ab hospite tutus:
Nec socer à genero: fratrum quoq; gratia rara est.

Oui. lib. 1. Metamorph. paulo longius ab initio.

Et similes sunt auibus, aut animalibus, quæ è rapina viuere solent, vt vrsi, lupi, leones, aquilæ, accipitres, vultures, milui, & huiusmodi, quæ optime repræsentant aut prædones, & grassatores, qui per vias publicas impune latrocinantur, sicut & piratæ in mari: & qui prædantur homines, vt eos alibi pretio vendant, dicuntur Plagiarii: sicut qui oues, & armenta rapiebant, vt Cacus ille, quem Hercules interfecisse fertur, Abigei nuncupabantur. Sicut etiam in Harpyis graphice descripti, quæ à rapiendo nomen habent, & dicuntur, teste Seruio, terræ, & ponti filiæ, eo quod in terra æque, & in mari prædantur, de quibus ita Poeta dixit:

Principes aliena rapientes, quib. fere animalibus figurentur.
Plagiarii qui sint.
Harpyiæ vnde dictæ, & cur terræ, & ponti filiæ.

Tristius haud illis monstrum, nec sæuior vlla
Pestis, & ira Deum Stygiis sese extulit vndis.
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluuies, vncæq; manus, & pallida semper
Ora fame.

Virgil. li. 3. Æneid. paulo remotius à principio.

Quibus in verbis graphice describi videntur Principes, qui sicut volucres super alios autoritate, & potestate volitant: qui nunquam satiantur, sed deuorant plebem Dei, sicut escam panis. Idem quoque inuenire est in piscium genere. Vnde in Habacuc capite primo legimus: *Quare non respicis super iniqua agentes, & taces super impio deuorante iustiorem se, & facies homines, quasi pisces maris*, vbi scilicet, maiores deuorant minores: nã cætera animantia ea, quæ sunt alterius speciei, rapiunt, ac deuorant: homo etiam homines, qui suæ ipsius speciei, & eiusdem Prouinciæ, & patriæ existunt.

Earum descriptio poetica.
Principes cur similes auibus.
Psalm. 13.
Habac 1. iuxta 70.

¶ Delineantur etiam à Poetis in Achille, & Aiace, sicut & in Nemrod, quia nihil cum ratione, sed virium robore, & armorum audacia faciebant. Quare Horatius recte monuit, quomodo esset Achilles describendus; ait enim:

Iidem quibus hominib. designentur.
Gen. 10.

Scriptor honoratum, si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Hora. in arte, ante med.

De altero vero ita sub eius persona ludit Ouidius:

Naso lib. 12. Metamorph. circa finem.

Denique quid verbis opus est? spectemur agendo.
Arma viri fortis medios mittantur in hostes,
Inde iubete peti, & referentem ornate relatis.

Rursus iidem quam similes diabolo.
Ioan 10.
1. Pet. 5.
Luc 12.
Matth. 7.
Iudith. 16.
Gen 3. & seq.
Prouerb. 1.
1. Tim. 6.

Tales etiam merito sequi dicuntur omnium iniquorum caput, hoc est, diabolum qui animas ratione præditas à Deo deprædatur: qui in lupo, & leone ex rapina viuentibus designatur. Nam vt lupus, rapit & dispergit oues, & tanquã leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: & semen iactum in terra cordis humani rapit, ne credentes salui fiant, vt ait Euangelium, & per hæreticos tanquam per organa sua, dogmata Catholica rapere contentiosissime conatur: quare & Hæretici eisdem nominibus animalium, quibus Diabolus assimilatur, describuntur. *Attendite*, inquit, *à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Dæmones quoq; opera etiam vilissimæ creaturæ corda nostra ad se rapiunt, & à Deo abducunt. Vnde de Holoferne scribitur. *Sandalia eius* (scilicet Iudithæ) *rapuerunt oculos eius*, sicut fructus ligni scientiæ boni, & mali rapuerunt oculos protoplastorum. Et prouerb. prim. ait Salomon: *Sic semitæ omnis auari possidentium rapiunt?* id est, ipsorum auarorum, qui diuitias possident, & per auaritiam per fas & nefas vndequaque congregant; qui ita eas possident, vt ab eis possideantur, quia demergunt animas auarorum in interitum, & perditionem, vel potius rapiunt animas possidentium, id est aliorum, quos defraudant bonis suis, quibus animas, & vitam temporalem sustentabant. Et hactenus dictum sit de verbo Rapiendi in malam partem accepto.

Raptores contra qui boni.
Psalm. 67.
Ephes. 4.
Esa. 8.
Matth. 12.
Christi rapina.
Ioan. 12.

In bonum etiam accipitur hoc verbum in Scripturis. Et primus in hoc ordine raptor est Christus, qui animas ab iniusto possessore, hoc est, diabolo, detentas, ad se traxit, & captiuam introduxit captiuitatem in cœlum. Vnde prædator, & spoliator à Prophetis vocari solet, & in aquila, & leone quæ ex raptu viuunt, delineatur. Vnde & de nomine eius apud Esaiam dicitur: *Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere, festina prædari*: & Matth. cap. 21. *Quomodo potest quisquã intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiet?* alligatus enim dum Christus viueret, & ipse alligatus in cruce dum moreretur, diripuit domum eius, tum eam quam hic habebat, cum dæmones pelleret de corporibus, & de cordibus, iustificando, & peccata remittendo, eiiceret, & dæmonem de mundi principatu exturbaret, ne amplius vt Deus coleretur: tum etiam alteram domum, quam extra mundum superiorem habebat, cum descendens ad inferos, animas sanctorum, & piorum liberauit. Tales præterea fuerunt Apostoli ac ministri, qui sic eliam animas verbo, & Sacramento de manu dæmonis quotidie liberant. Vnde & Paulus dicit lupus rapax, qui mane comedit escam, & vespere diuisit spolia. Denique si laude dignus fuit Aeneas, qui deos penates de manu hostium Græcorum eripuit, ac dixit apud Poetam:

Zachar. 9.
Apostoli quomodo raptores.
Gen. 4.
Æneæ pietas.
Virgil. 1. Æneid paulo ante med.
Apostolo charitas

Sum pius Aeneas raptos qui ex hoste penates
Classe veho mecum,

Quanto maior, & magis laudanda est pietas Apostolorum, qui homines viuos, sed per peccatum mortuos, de faucibus lupi rapacis liberarunt, quam ligneos, aut lapideos deos? Maior etiam fortitudo fidelium, & Christi cultorum, qui pro liberandis, & seruandis sanctorum Martyrum corporibus, & reliquiis aperto se exponebant mortis periculo. Hinc Iudas Apostolus in Catholica sua epist. scripsit: *Et hos quidem arguite iudicatos; illos vero saluate, de igne* (scilicet peccati) *rapientes*: vt compellantur intrare ad nuptias, & ad cœnam magnam.

Quid illud Apostoli: Illos vero saluate, de igne rapientes.
Iuda. 22.
Matt. 22. & seq. Luc. 14.
Qui forcatur regnum Dei, qui rapiant.
Matth. 11.

Dicuntur etiam iusti alio modo rapere regnum Dei, de quo Matth. 11. habetur: *Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Sunt enim regni Dei quidam fures, quidam vero raptores. Fures quidem sunt, qui illud fide, & occultis pietatis operibus promerentur; alij vero raptores, qui publica Fidei professione, & prædicatione sibi ipsis, & suis concupiscentiis vim inferunt, & per atroces pœnas, quas patienter ferunt, & per martyrii sanguinem regnum cœlorum rapiunt quos Dominus ita peculiari prouidẽtia regit, vt oues suas non rapiat quisquam nec rapere possit de manu eius sicut nec de manu Patris sui. Iudæi vero tam alienum ab omni ambitione existimabant, vt sponte regnum à se oblatum non crederent acceptum. Et ideo accesserunt ad Iesum, vt raperent, & per vim facerent Regem.

Ioan 10.
Christus quam minime ambitiosus etiã iudicio Iudæorum.
Supra 6.

Accedit, & alia significatio huic verbo. Nam Deus, & Angeli, & Spiritus interdũ hominum corpora rapiunt, & magna celeritate de loco in locum transferunt. Vnde Apocalyp. 12. dicitur: *Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea: & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius*, id est, ex diuina prouidentia, quæ Ioseph miraculo admonuit, vt fugeret in Ægyptum; vt Oecumenius interpretatur Angelus etiam Habacuc tulit in lacum leonum: & Spiritus, Act. 8. rapuit Philippum, & Gaza in Azotũ detulit, & dæmon Christi corpus in montem, & super pinnaculũ

Deus et ã, & Angeli, & Spiritus vt rapiant.
Apoc. 12.
Matth. 2.
Daniel. 14.
Matth. 4.
Ibidem.

tem-

templi transtulit, vt quidam ex Patribus interpretantur; & B.Paulus in prior ad Thessalonicens. capite quarto. *Simul*, inquit, *rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera*; & sic semper cum Domino erimus. Ita etiam dæmones mulierculas, & homines, quos strygas aut lamias vocant ad abnegandam fidem, & alia facinora perpetranda, in loca quædam obscura deportandos rapiunt.

1. Thess. 4. Dæmonũ raptus.

Deus etiã rapit eos, qui immatura morte rapiuntur, vt ille, de quo Sapien. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*. Et capite decimo quarto: *Acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem*; Lucæ quoq; duodecimo, diuiti cuidam Deus dixit: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te* (id est rapient) *quæ autem parasti, cuius erunt?*

Alter Dei raptus. Sap 4. Genes 5. Sapient. 14. Luca 14.

Rapiuntur etiam ab hominibus, qui vel ad iudicium abducuntur, vel qui in carcerem detruduntur; vel qui in partem supplicij sui raptantur; vel qui corpora occisorũ rapiebant ad illa sepulturæ commendanda. De primo ita habetur Actorum sexto: *Concurrentes Iudæi rapuerunt Stephanum, & adduxerunt in Concilium*. Et de Paulo cap. vigesimo tertio: *Cum magna*, inquit, *dissensio facta esset, timens Tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere, & rapere eũ de medio eorum, ac deducere eum in castra*: quod fecit, ne postea calumniam ipse sustineret. Actorum quoq; decimo nono: *Impleta est*, inquit, *ciuitas tota* (scilicet Ephesus) *confusione, & impetum fecerunt vno animo in theatrũ, rapto Gaio; & Aristarcho Macedonibus comitib. Pauli*. Et 1. Reg. 19. *Misit Saul lictores vt raperent David*.

Hominum raptus triplex. Act 6. Infra. 23. Supra 19. 1. Reg. 19.

Deinde solent rapi, qui dicuntur ad supplicium, quod vincti, & inuiti pati coguntur. De tertio vero, illorum scilicet qui raptantur, & per terram curru trahuntur, exemplum est Poetæ, qui de Hectore raptato ab Achille ait:

Alter raptus hominum.

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.

Virg. l. 1. Æneidos.

Et de Metio Albano cecinit:

Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per syluam, & sparsi rorabant sanguine vepres.

Idem lib. 8. Æneidos.

Quod verò curru trahẽte raptarentur, testatur Idem;

Raptatus bigis (Scilicet Hector) *vt quondam.*

Idem l. 2.

Denique de raptu ad sepulturam, testatur Tobias cap. 2. *Tobias*, inquit, *plus timens Deũ quam Regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea*. Ita etiam ex Christianis multi rapiebant corpora Martyrum ad officium sepulturæ, vel in thecis reponebant ea ad vsum venerationis.

Tertius raptus. Tob 2.

Est præterea alia species raptus, quæ fit à Deo cum seruos suos nonnullos in extasim rapit. Vnde legimus Paulum raptum vsque in tertium cœlum, & in paradisum. Et Act. 22. de se testatur Apostolus; *Factum est reuertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis*, pro quibus habent verba Græca: *Factum est vt raperer extra me*. Qui quidem Raptus alio nomine dicitur Extasis, siue mentis excessus. Et ita in Septuaginta interpretib. Gen. 15. legimus: *Cecidit extasis super Abraham*: quod imitatus est Luc. Act. 10. *Cecidit super Petrum mentis excessus*. Per hãc enim extasim fit homo extra se, hoc est, eleuat᷑ extra modũ naturalẽ ad aliquid videndum, quod antea non videbat, dũ carni, & sensib. anima esset intenta. Et talis fuit raptus Petri, & Pauli, qui nesciebat an in corpore, an extra corpus esset.

Tertius raptus Dei, dictus Extasis. 2. Cor. 12. Actor. 22. Genes. 15. Actor. 10. 2. Cor. 12. Quorum extases diuina commemoret historia.

Fit etiam extasis per amorem quando homo sua negligens, quæ aliorũ sunt quos amat, curat: ait enim Apostolus, quod Charitas non quærit, quæ sua sunt. Hinc Dionys. *Est autem*, inquit, *extasim faciens diuinus amor, non sinens amatores sui esse, sed eius, quẽ amat*. Vnde iuxta beati Thomæ doctrinam ita definitur raptus, nimirum, Ab eo, quod est secundum naturam, ad id quod est supra naturam, vi superioris naturæ eleuatio. Non negamus tamen, posse contingere eleuationem per defectum mentis, vt constat, in phreneticis, & mente captis. Hæc autem abstractio à sensibus non est proprie eleuatio naturæ, sed potius depressio, quia virtus eorum debilitatur.

1. Cor 13. Extasis amoris quænam illa teste Dionys. B. Diony c. 4. l. de diuin. nom. prope fin. B. Thom. Secunda secunda, qu. 175. art. 1. in princ. & ad 2. Extasis phrenetica quænam illa.

Postremo, quia omne peccatum rapina dicitur, quia per illud rapimus Deo honorem, & obedientiam Quam debemus, & illam creaturæ impendimus. Et Adam per rapinam in ligno vetito factam (persuadente Satana, qui prior sibi Diuinitatem vsurpare tentauerat, cum diceret: *In cœlum conscendam, &c. similis ero Altissimo*) Ita Diuinitatem rapere voluisse, à Patribus traditur. Quam ob causam Dauid enarrans acerbissimam CHRISTI passionem, in persona sua in isto Psal. à principio loquentis: *Persecuti sunt*, inquit, *me inimici mei iniuste: quæ non rapui, tunc exoluebam*. Tunc ait, cum scilicet mortem in Cruce pateretur, de qua ibi est sermo. Porrò prouerbialis sententia est, quâ vtimur, cum significare quempiam volumus pro facinore, quód non perpetrauit, immeritas pœnas luere. Cui sententiæ vicinum est & aliud prouerbium vsurpatũ olim à Iudæis: *Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*. Ita Christus, cum esset innocentissimus, & ab omni peccati debito alienissimus pro peccatis nostris crucis pœnam susti-

Peccatum cur omne rapina. Genes. 3. Esaia 14. Quando Christus quæ non rapuit, exoluit. Psalm. 68. Eiusmodi Prouerbio quid significetur. Ezech. 18. Quale huic simile Iudæorum prouerbiũ.

Esai. 53. *Ibidem.* *1. Pet. 3.*

sustinuit. *Propter scelus populi mei percussi eum,* ait apud Esaiam Dominus: & paulo ante idem Propheta. *Posuit*, inquit, *Dominus in eo iniquitatem omnium uostrum*; & Petrus: *Christus semel pro peccatis uostris mortuus est, iustus pro iniustis.*

Christus diuinitatis raptorem minime fuisse.

Ioan. 18. *Philip. 2.*

Quod vero Christus Diuinitatis rapinã non fecerit, vt Iudæi illi obiiciebant, dum dicerent: *Nos legem habemus: & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*: multa ostendunt, quibus tum se missum, & genitum à Deo demonstrabat: tum mors ipsa, quæ patienti animo, ac ex obedientia tolerata suadebat Filium Dei esse, sicut & resurrectio à mortuis, & ascensus in cœlum: tũ denique id probat Apostolus, dicens: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Vnde tantum absuit à rapina Diuinitatis, vt ipsam quam habebat, sponte per merita incarnationis & mortis suæ omnibus sibi credentibus & obtemperantibus amplissime communicauerit, omniaque bona sua, & Corpus cũ sanguine suo in sanctæ Eucharistiæ sacrificio liberaliter in omnes participare volentes effuderit. Nam quod rapina comparauimus, difficile in alios deriuamus. Et hæc sint satis de hoc verbo.

Ibidem.

Diuinitatẽ Christus, vt communicet nobiscum suam

Aegre quæ in alios effundamus

DISPVTATIO XXXI.

De verbo Concupiscendi, & voce Concupiscentiæ.

Concupiscendi, & cõcupiscentiæ verborum variæ acceptiones.

FREQVENS est in sacris literis verbum Concupiscendi, & nomen Concupiscentiæ, sed in epistolis Apostolicis frequẽtissimum. Et quoniam multa inuoluũt istæ voces, & peculiares habent difficultates, visæ mihi sunt, quæ lumine aliquo interpretationis indigerent. Et quia in primis ab omni disputationi secerni debet omnis homonymia, & æquiuocatio; præmittendum est, in his verbis esse æquiuocationẽ. Nam est & Concupiscentia bona, & concupiscentia mala: & concupiscere bonum, & concupiscere malum. Propono exemplum. Dicitur enim Eccli. 1. *Fili concupiscens sapientiam, conserua iustitiam*: Sapient. 6. *Initium illius* (scilicet sapientiæ) *verissima est disciplinæ concupiscentia*; & paulo ante: *Præoccupat qui se concupiscunt.* Dauid etiam, *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas*; *concupiscet Rex decorem tuum*; &: *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*: item: *Concupiui salutare tuum Domine*: & Diuina Sapientia: *Transite*, inquit, *ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis*

Eccli. 1. *Sapient. 6.* *Psal. 118.* *Psal. 44.* *Psal. 83.* *Ps. 118.* *Eccli. 24.* *Galat. 5.* *1. Petr. 2.*

implemini. Et in nouo Testamento: *Spiritus concupiscit aduersus carnem*: Petrus: *Rationabile, & sine dolo lac concupiscite*; Idem: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Græce enim est idẽ verbum ἐπιθυμεῖν, quod & in aliis, vt ibi: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum*: quod quidam vertunt, Concupiscentia concupiui: Græce enim est ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα, & Paulus, Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo vbi est idem nomen Græcum ἐπιθυμία.

Philip. 1.

Quid bona concupiscentia.

Significat autem, cum in bonum accipitur, ardens desiderium, magnam voluntatem, ac diligentem amorem. Adde etiam quod, teste Dionysio Areopagita, etiam in Angelis reperitur concupiscentia. Ait enim capite secundo, de cœlesti hierarchia circa finem: *Vbi vero spiritibus Angelicis dissimiles similitudines adiungendo concupiscentiam illis applicare pergimus, diuinum hunc amorem intelligere necesse est eius, qui omnem rationem, omnemque intelligentiam superat munditia, atque puritatis.*

Angeli cõcupiscentiam quã habeant teste Dionysio.

Mala concupiscentia quid sit

Rom. 7.

In malum vero etiam absolute nihil addendo, intelligi solet de mala concupiscentia. Vnde Paulus dixit: *Concupiscentiam nesciebam* (scilicet esse (peccatum) *nisi Lex diceret, Non concupisces. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Idem quoque, *Mortificate membra vestra, &c concupiscentiam malam; &c. Ne simus concupiscentes malorum.* Vocatur autem & in plurali, cõcupiscentia: & cõcupiscẽtiæ, sicut in dictis Pauli locis & sequentibus Apostoli Iacobi: *Vnusquisque tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus*; & rursus: *Vnde bella, & lites in vobis? nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Vel ob duplex prohibitæ concupiscentiæ præceptum in Decalogo; vel ob triplicem concupiscentiam, quam assignat Ioannes, Carnis, oculorum, & superbiæ vitæ; & propter Scripturas, quæ ita loquuntur, vt ibi: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* & infra: *Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis*; & Apostolus: *Non regnet ergo peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius*, id est, motibus, & actibus ad quos solicitat illa veteris hominis concupiscentia.

Exod. 20. *Galat. 5.* *Coloss. 3.* *1. Cor. 10.*

Concupiscentias etiam plurali numero Scripturæ nominent.

Iacob. 1. *Infra 4.* *1. Ioan. 2.* *Eccli. 18.* *Ibidem.* *Rom. 6.*

Ista concupiscentia multis aliis nominibus in Scripturis exprimitur. Nam & à Theologicis sacris venit nomine fomitis, eo quod fomentum præbeat vniuersis hominis cupiditatibus exercendis. Nam vt ligna fomentum igni præbent ad alimentũ, ita ad alendos vitiosos naturæ deprauatæ motus, materiam præbet concupiscentia. Dicitur & à Paulo Apostolo, Peccatum,

Concupiscentia in primis cur fomes appelletur.

Infra 7. & seq.

non

Quare peccati etiam nomine venit concupiſcentia.

non ſemel : non tantum qnod ex peccato primi parentis in homine relicta ſit, ſed & quod ad peccatum impellat, & ipſa peccatum qnodammodo ſit; cum ſit defectus, & deordinatio, ſeu deformitas quædam naturæ humanæ, vt ita impropriè peccatum vocetur. Vocatur & à Ioanne Peccatum, cum ait: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Dicitur ab eodem Paulo Lex membrorum: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis*; de qua etiam Iacobus capite quarto. *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Hæc enim membra deſtituta dono iuſtitiæ originalis, tendunt ſuapte natura ad ſua incommoda cum delectatione ſibi conuenienti, niſi obuiam illis eat homo gratiæ Dei ope adiutus. De quo etiam peccato, quod vocauimus Concupiſcentiam, dicit Apoſtolus: *Vſque ad legem enim peccatum erat in mundo; ſed peccatum non imputabatur, cum lex non eſſet*, ſcilicet Moyſi, quæ prima prohibuit concupiſcētiam mulieris alienæ, & facultatis alienæ. Cætera autem perſonalia peccata tantum verè imputabantur, & ita homines putabant eſſe naturæ conditionem, & non vitioſum, & culpabilem defectum: Græcè communiter dicitur ἐπιθυμία, Latinè dici poteſt Cupido in genere fœmineo. Significat enim ardens deſiderium: ſicut Cupido maſculinè eſt Deus amoris inhoneſtus. Dici etiam poteſt Libido, quæ vt plurimum ad carnales, & laſciuos actus incitat. Vt ita iſtæ voces, Concupiſcentia, Cupiditas, Cupido, Libido, abſolutè ſumantur in malam partem. De quo verbo Libidinis ita loquitur Cicero in 4. Tuſculana: *Voluntas eſt, quæ quid cum ratione deſiderat: quæ autem aduerſus rationem incitata eſt vehementius, ea libido eſt, vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus ſtultis inuenitur.* Hæc illæ de vocibus Libidinis, & Cupiditatis.

1. Ioan. 1.

Cur item lex membrorum dicitur apud Paulum.
Rom. 7.

Vſque ad quā legem peccatū erat in mūdo, ſed non imputabatur, vt ait Paulus.
Rom 5.
Exod. 20.

Cupido fœminine. & cupido maſculine: quid Poetis impudicis.

Quid libido Ciceroni, & cupiditas.

Accedit etiam, quòd ſæpè vocatur nomine Deſiderij carnis, vel cordis hominis, iuxta illud: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.* Et Dauid: *Dimiſit eos ſecundum deſideria cordis eorum.* Vocat enim carnem, hominem carnalem, & cor humanū ſubiectum iſti concupiſcentiæ, vocat Concupiſcentiam. Ita enim dixere Petrus, & Iudas Apoſtoli: *Venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores, iuxta proprias concupiſcentias ambulantes.* Intellige actus fomitis, ſiue concupiſcentiæ. Hebræa verò lingua dicitur, Iezer rah, id eſt, malum figmentum, de qua voce habetur Geneſ. 8. & Pſalm. 102. vbi habetur: *Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.*

Concupiſcentia qua ratione Deſiderium carnis vocetur.
Gal. 5.
Pſalm 80.

2. Petr 3.

Illud etiam ſuppetit: admonendum eſſe Lectorem, interdum pro voce voluptatis, quæ Græcè eſt ἡδονή, ab interprete noſtro Vulgatæ editionis poſitam eſſe Concupiſcentiam, quia concupiſcentia tendit ad finem voluptatis, & in eâ quieſcit, & ideo per nomen Concupiſcentiæ expreſſit voluptatem: ita enim Iacobi quarto dicitur: *Vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis*: vbi Græca habent, *In voluptatibus veſtris*, & paullò antè dixerat: *Vnde bella, & lites in vobis? nonne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Vbi etiam Græcè eadem vox habetur, in voluptatibus, ſeu libidinibus.

Concupiſcentia quam ob cauſam exprimitur etiam voce voluptatis.

Iam illa ſubit animum dubitatio: vndenam hęc vis concupiſcendi naſcitur in nobis. Ethnici enim ignorantes primi parentis peccatum, & iuſtitiæ illius originalis, & aliorum donorum ſpoliationem, vix capere poterant vnde hic tantus defectus, & corruptio exiſteret in homine. Vnde quidam dicebant, homines vitiis, & peccatis obnoxios naſci. Hinc illud:

De ortu concupiſcentiæ in nobis quid ſenſerint mundi ſapientes.

Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt
Qui minimis vrgetur.

Horat lib. 1. ſatyr 3. ante medium.

Aſſeuerarantque naturam homini ſoli nouercam ſe præſtitiſſe. Alij verò, animas, antequā corporibus insererentur, deliquiſſe, & id ſuo merito comparaſſe. Docet enim ratio naturalis, inferiora ſuperioribus debere obedire, vt elementa cœlis, cœlos, Angelis, & omnia Deo conditori: idem ergo in homine deberet eſſe, vt corpus obediret rationi; quod non facit, cùm mens & ratio ſubijciatur ſeruo ſuo, hoc eſt, carni & corpori, vt quidam Ethnicis dixerit:

Altera quorū dam ex illis opinio.

Mens aliud ſuadat: video meliora, proboque:
Deteriora ſequor.

Ouid lib. 7. Metamorph.

Et Ariſtoteles in Ethicis cum loquitur de mente & concupiſcentia, dicit: Ὁ μὲν νοῦς λέγει, ἡ δ' ἄγει. Hoc eſt: Mens quidem dictat (quid ſcilicet ſit agendum) concupiſcentia verò vrget, ſiue cogit. Quod idem expreſſit Apoſtolus, cum ait: *Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed, quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio; iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Aliquod ergo peccatum anteceſſit, ex quo iſta ordinis peruerſio orta eſt. Item Scriptura teſtatur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat & erant valde bona*: & tamen in homine, qui finis eſt vniuerſi orbis, inuenitur hic tantus defectus, ſpiritus vt ſuccumbat carni, & ratio ſenſui cedat; quod valde eſt indecens, atque abſurdum. Philoſophi verò, &

Quid mens faciat, Quid verò concupiſcentia ſecundum Philoſophum Philoſophus.

Rom. 7.

Geneſ 1.

Concupiſcentiæ medicinā Philoſophi qualem ignorarint.

inter

Idem.

Vnde hominis concupiscentia secundum Scripturas.

Eccles. 7.

inter eos Aristoteles in Ethicis, hunc defectum naturalem esse putauerunt; & tanquam tali per virtutes, quæ concupiscentias reprimerent, mederi voluerunt. Scriptura autem docet, Deum condidisse hominē rectum, omni vitio, ac defectu carentem, ipsum autem immiscuisse se infinitis quæstionibus: docetque hanc labem, ac firmitatem hominis à Deo non esse, vel natura contractam, sicut à Deo est vis concupiscēs in omni animali, nedum in homine, sed ab hominis inobedientia prouenisse. Quamobrem hunc defectum cognoscere, non est hominis in natura lapsa existentis, sed illuminati, & instaurati à Deo. Et proinde Christianum est, & Theologicum dogma & ab Apostolis inculcatum, & traditum, agnoscere, concupiscentię vitium relictum esse homini in pœnam.

Gen. 3.

Concupiscentiæ defectum in homine, quis agnoscit tantummodo.

Concupiscentiæ gradus, seu modi quinq;.

Quod vt melius intelligi valeat, multis modis concipere possumus hanc concupiscentiæ labem; aut vt sit merè naturalis: nec ista esset peccatum, nec pœna peccati, sicut fuisset, si homo ab initio formatus fuisset ex quatuor elementis, exclusa tamen gratia Dei; vel si nunc denuò homo formaretur à Deo in natura pura, & non ex Adæ propagatione. Tunc enim concupiscentia carnis, sicut cibi, potus, vestimenti, somni, & reliquorum commodorum, esset sibi verè naturalis, nec eius culpæ tribui posset t quo modo etiam in animalibus est vis concupiscens, quę illis ad peccatum imputari, non potest. Deinde concipi posset hæc concupiscentia tanquam pœna quædam peccati & ita in omnibus Adæ filijs conuenit modò ablata iustitia originali: peccatum tamē non esset, etsi ad peccatum impelleret. Tertiò posset esse peccatum veniale, si aliquo modo posset homo illi occurrere, & resistere, nec faceret, & ita anticiparet rationem, & impediret vsum eius, vt tamē consensus partis superioris, hoc est, spiritus, sine rationis non illi exhiberetur. Quartò, grauiter peccaret, si tali concupiscentiæ ad mortiferum peccatum solicitanti cōsentiret mens, si tamen quoquo modo possit illi resistere: nam si nequiret, profectò peccatum nullū esset, nec veniale, nec lethale, cum ad impossibile obligetur nullus: aut ea peccata, si peccata sunt, in Deum essent reijcienda, qui talem cōdidit hominem, vt necessario peccaret. Quintò, si huic concupiscentiæ virili animo quis resisteret, & omnino abstineret propter Deum, magnum sibi apud eum meritum compararet.

Secundus modus.

Tertius.

Quartus.

Quintus, & vltimus.

Huius dicti: Non concupisces, tres sensus excluduntur.

Cum ergo homini præcipitur: Non cōcupisces; aut rem proximi tui, aut vxorem alienam: non est sensus. Non habere concupiscentiam: quia non est maius peccatū, habere concupiscentiam, id est, vim, & facultatem concupiscēdi, quam dicere, Noli habere nasum, aut oculos. Item nō est sensus: Noli habere motus concupiscētiæ præuenientes rationem, aut anticipantes motus eius: quia in nobis non est situm, vt possimus illos motus, ne veniant, impedire. Tertiò, non est sensus eius præcepti per se primus, vt caueamus motus concupiscentiæ, qui incuria nostra, & negligentia liberi arbitrij in nos insurgunt, & aliquam per illos captamus delectationem, si tamen ratio, & pars superior illis non consentiat: quia tunc eiusmodi concupiscentiæ motus excitati, essent quidem peccatum veniale, non autem mortale. Si verò spiritus noster, seu mēs ad eiusmodi motus concupiscentię in materia mortifera per se vltro consentiant, cū proposito perficiendi illos, siue in illis morosam aliquam delectationem captandi etiam sine proposito perducendi ad opus; tūc apertè mortiferū delictum incurreret. Et ita potissimum intelligitur: *O mens. O ratio, O spiritus, noli ire post concupiscentias tuas, neque illis consentire, aut in illis morosè delectari.* Lex enim Dei non fertur parti nostræ animali, aut carni, aut sensualitati, sed homini, hoc est, rationi, siue menti.

Exod. 20.

Tertius sensus verus, atque Catholicus proponitur. *Eccl. 17.*

Ex his iam disputatis, ipsam concupiscētiam per se peccatum non esse, liquidum euadit. Quod amplius confirmatur. Ait enim frater Domini: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur.* Subditq;: *Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*: ipsa ergo ad peccatum faciendum incitat, peccatum verò non est. Adhæc Baptismus tollit omne peccatum: at post illum remanet concupiscentia, & illam habent omnes regenerati, igitur peccatum est. Item docet Spiritus sanctus, *Post concupiscentias tuas, non eas*; igitur si quis repugnet, ac resistat, si meritum habet, peccatum habere non poterit. Vnde Sara vxor iunioris Tobiæ dicebat: *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.* Potest ergo quis à concupiscentiæ actibus liberari, illis non consentiendo.

Concupiscentiam per se sumptam peccatum non esse, tripliciter ostenditur. *Iacob. 1.*

Ecclesia. 18.

Tob. 3.

Si quis autem quærat, cur hæc concupiscentia opere perfecto, aut animo deliberato, peccatum in homine sit, in bestijs verò, quæ implere solent omnes suas concupiscentias, non sit: facilis est responsio: Belluis legem non dari, nec capaces esse aut præcepti, aut peccati, sed tantū hominibus: quia summum in belluis est ipse sensus, siue sensualitas: at hic ipse sensus in homine debet parere suo superiori, cui coniunctus est, hoc est, rationi, at in bellua non est coniunctus rationi. Illustrabo rem exemplo:

Concupiscentia opere completa in homine cur peccatum sit, non autem in belluis.

Si quis

Exemplũ huius rei.

Si quis homo vellet agere ſolitarius in mō te, & ibi perpetuo agere, non poſſet ligari legibus, quibus ligantur viuentes in ciuitate: ſi tamen vellet in ciuitatem ingredi, cogeretur ſe ſubdere legibus: & agens contra illas peccaret idem. de ſenſu vel ſolitario, vel coniuncto cum ratione ſēt endum eſt. ¶ Ab hoc autem fœdo concupiſcentiæ defectu & omnino liber extitit CHRISTVS per ſe, & ſuapte natura, ſicut à peccato originali: fuit & immunis beatiſſima Virgo Maria per priuilegium gratiæ præſeruantis Angeli vero immuni ſuapte natura ſunt ab hac macula ob corporum carentiam: humani vero animi beati extinctum habent ignem concupiſcentiæ. Qui vero nunc viuunt in CHRISTO, & viatores ſunt, fomitem imminutum in ſe habent, & in eis, langueſcit, nec eas vires habet, quales in peccatoribus. Ita enim ait Paulus: *Nihil ergo damnationis* (ſcilicet à concupiſcentia) *qui ſunt in CHRISTO IESV*, & quæ ſequuntur.

Quinam ab omni concupiſcẽtiæ vitio liberi, atque immunes extiterunt.

In quibus elangueſcat illa.

Rom 8.

Quot modis accipitur concupiſcentia.

Hæc vero concupiſcentia multis modis conſiderari poteſt, vt ad diuerſos hominis ſtatus refertur. Eſt enim ſtatus naturæ integræ, ſiue innocentiæ, ſecundus naturæ lapſæ ſub peccato, & Adamo: tertius naturæ lapſæ ſub Moyſe: quartus naturæ reparatæ ſub CHRISTO, dum hic viuimus. & naturæ reparatæ, & glorificatæ ſub eodem Chriſto poſt hanc præſentem vitam Imo in primo ſtatu innocentiæ erat quidem concupiſcentia in homine, ſed per iuſtitiam originalem frenata, vt obediret rationi & ſpiritui, etſi poſſet, ſi vellet, abuti illo dono rectitudinis, & perdere frenum. vt fecit: quia vidit mulier, quod bonum eſſet lignum, ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile: quia tunc non habebat aliam impeccantiam, quam poſſe non peccare, ſi voluiſſet. Ita non habuit non poſſe concupiſcere, ſed poſſe non concupiſcere, & non cog ad concupiſcendum. In ſecundo ſtatu naturæ lapſæ ſub peccato, & ſub Adamo, incidit in neceſſitates concupiſcendi, & non poſſe non concupiſcere, tanquam ſeruus & captiuus peccati, niſi DEI gratia iuuaretur. In tertio ſtatu naturæ lapſæ, & ſub Moſe tantum cognita eſt cō cupiſcentia prohibita à DEO; ſed non erat virtus gratiæ ad reprimendum, vel reatincendum. In quarto ſtatu naturæ reparatæ ſub Chriſto, & gratia, eſt quidem adhuc cō cupiſcentia magis agnita; & gratia Dei, qua reprimi poſſit, & vinci, ſi quis velit vigilare & proſpicere ſibi. In quinto ſtatu naturæ reparatæ ſub Chriſto, & poſt mortem glorificatæ, abſorpta eſt omnis concupiſcẽtia, & completum bellum contra illam, & victoria de illa obtenta, de qua Paulus; *vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus?* (ſcilicet peccati concupiſcentiæ (ſtimulus autem mortis peccatum eſt, virtus vero peccati, Lex. Lege B Auguſt num lib. 83. quæſtionum, q 60 vbi quatuor ſtatus concupiſcentiæ recenſet.

Homo ante lapſum qualem habuit concupiſcentiam

Gen. 3.

Qualem poſt lapſũ.

Quid lex Moyſis contra concupiſcentiam quid vero lex Chriſti contulerit.

Quando nulla erit in homine cō cupiſcentia

1. Cor. 15.

B. Aug. l. 4

Iam vero ſi quis quærat, In quem vſum reliquerit Chriſtus in renatis hunc concupiſcentiæ defectum; reſpondebo, hoc ipsũ factum eſſe magno Dei conſilio. Primo quidem, vt Deus reſpiciens ad hanc noſtram infirmitatem, facilius nobis peccata condonet, & flectatur lenitate ſua ad peccata dimittenda. Voluit etiam ſuo exemplo Deus maiores, & Eccleſiæ ſuæ antiſtites erudire, linquendo in ipſis iſtam fomitis imperfectionem, vt ſic diuinam ſuam bonitatem imitantes, proniores eſſent, ac propenſiores ad peccata populi dimittenda, & vt mitius agant cum peccatoribus. Atque ob eā cauſam Petrum Eccleſiæ paſtorem permiſit, vt ter ſe abiuraret, vt liberalior eſſet cum peccatoribus quos regere debebat: & ideo petit in Pontifice, qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate. Vnde Propheta dicebat: *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniā ipſe cognouit figmentum noſtrum. Recordatus eſt quoniam puluis ſumus, &c.*

Relicti fomitis, & cō cupiſcentiæ in renatis cauſæ proponuntur.

Matth. 26

Heb. 9.

Pſal. 102.

Seruit deinde hoc ipſum nobis, quo maiorem ſpem concipiamus obtinendæ miſericordiæ, & ſalutis æternæ inſtar infirmi plagis, & vulneribus pleni, qui ſeipſum intuens, pollicetur ſibi maiorem opem miſericordiæ impertrandæ ab hominibus. Ita enim Propheta petens miſericordiam pro peccatis orabat: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et rurſus proponens infirmitatem ſuā ait: *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſũ: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.* Vt enim periti, & excellentis medici eſt, febrem peſtiferam, & vitæ periculum minitantem ab infirmo auertere, & pro ea tertianam febrem, & facile curabilem inducere: ita magnæ Dei ſapientiæ opus fuit hunc morbum relinquere, propter quem facile crucifigi carnem, & peccata patimur non ſolum venialia, ſed etiam mortifera ex eo prodeuntia, quæ facile diuinam miſericordiam prouocarent, vt remitterentur: quam omnino hominem ita ſanare, vt cum poſtea ſanus factus peccaret, peccata eius ob ingentem ingrati animi labem incurabilia redderentur, nec remitterētur. Sanitatē autem perfectā dabit ſua die Dominꝰ in

II. ratio, vſus fomitis in homine renato.

Pſal. 50.

Pſal. 6.

Qualem ſe præbuerit medicum Deus in hanc renatis concupiſcentiam relinquendo. Peccata quo grauiora, minuſq; curabilia reddantur.

resurrectione. Dum vero viatores sumus, noluit omnino nos sanos esse, adeo vt ipsa infirmitas nobis interim pro maiori sanitate acquirenda habenda sit.

III. vtilitas concupiscentiæ.

Seruit tertio hic modus concupiscentiæ vt nos Deo subdamus, & ad illum precibus confugiamus: & victoriam de hoc hoste referentes, gloriosius coronemur. Denique

IV. & postrema.

multos vsus præstat. Nam signum eorum, qui Christi sunt, Paulus docet esse, carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifigere. Et conditio primæ sapientiæ, quæ desursum descendit, pudica est, & pacifica &c & per contrarium, sapientia; quæ non est desursum, terrena est, animalis, diabolica, vt ait Iacobus Apostolus. Signum vero hæreticorum est, teste Petro, & Iuda Apostolis, ambulare secundum concupiscentias, & desideria carnis eorum. Signum diuinæ derelictionis est & illud, de quo in Dauide dicit: *Dimisi eos secundum desideria carnis eorum; ibunt in adinuentionibus suis.* Qui enim permittuntur adimplere suas concupiscentias facile in adinuentiones hæreseon prolabuntur. Hieron. in Oseæ c. 7. *Raro hæreticus diligit castitatem.*

Gal. 5.

Iacob 3. 2 Petr. 3. Iud. 16.

Hæreticorum symbolum, diuinæque eorum derelictionis quod.

Concupiscentiæ remedium maius efficax, ac potens.

Quod autem attinet ad huius vitij remedia, dicendum est in primis, non esse ita per se matrimonium remedium mitigandæ concupiscentiæ: nam etsi cum coniuge propria possit quis sedare affectus suæ concupiscentiæ, non tamen vsus coniugij per se sedat, sed potius concitat, & adauget: quemadmodum videmus motus carnis vehementiores esse in vidua, quam in virgine, quæ nunquam experta est maritum. Potius ergo iuuant, frequens studium orationis, ieiunii, & maceratio corporis, sancta peregrinatio, aut occupatio, & fuga omnium occasionum, ac præsertim frequentia Sacramentorum. Permulta alia ad hanc rem scripsimus in cap. 7. epistol. ad Roman. & in cap. 1. epistol. 1. Ioannis, ad quæ diligentem mittimus lectorem.

Remedia potentiora quænam illa.



LIBRI PRIMI COMMENTARIORVM SVPER EPISTOLAS DIVI PAVLI

TERTIA PARS,

Quæ de Ecclesia inscribitur.

PRAEFATIO.



CVM epistolæ Canonicæ, tam Pauli, quam aliorum Apostolorum, ad Ecclesias particulares in diuersis mundi partibus, & prouinciis sitas, vel ad eorum capita, & partes destinentur: & omnes communi epitheto, vt Christi Ecclesiæ, & nuncupentur, & salutentur; putaui ab re minime fore, si ex multis, quæ hodie cogentibus hæreticis in controuersiam vocata sunt, & ad rem ipsam plurimum facere videntur, nonnulla, & illa quidem subtiliora, & vtiliora, de Ecclesia disputauero, & acriori examinationis cote agitauero. Qua de re cum mihi aptus aliquis disserendi locus iamdiu quæreretur, certe neque opportunior, neque commodior incidere potuit quam præsens, in quo de difficilioribus, & obscurioribus Pauli Apostoli testimoniis disceptare aggredior. Legimus enim tot Ecclesias nominari, & in plurali Ecclesiis Galatiæ: & infra: Eram ignotus facie Ecclesiis Iudææ, quæ erant in Christo: & salutari etiam domesti. as Ecclesias nonnullas, cum tamen profiteamur vnam sanctam Ecclesiam, quæ quidem omnia sequens expediet disputatio.

Quæ ratio huius susceptionis de Ecclesia disputationis extitit.

Gal. 1.

DISPVTATIO I.

In qua de Ecclesia disseritur quid sit, & re, & nomine, quotuplex, & quales eius prærogatiuæ, & dignitates existant



QVo distinctior, ac dilucidior procedat oratio, primum dicam de nomine Ecclesiæ, ac deinde de re ipsa; quot partes item complectatur, Ecclesia quotuplex existat, & qua ratione eius dignitates, nempe quod vna sit

Quo ordine ac methodo de Ecclesia disserendum sit.

quod

quod sancta, quod Catholica, & Apostolica appellatur, intelligendæ sint; adhæc peculiariter an certo cognosci possit, & quo lumine & à quibus; quæ item falsa sint, & incerta signa eius agnoscendæ, & quæ è contrario certa sunt, & indubitata, quibus ac eam cæteris falsis congregationibus secernendam, & ad eam amplectendam admoneamur. Agendum etiam de nouellis hæreticorum cœtibus & quatenus vocabulum Ecclesiæ illis conuenire queat, de potestate item eius, quam in suos à Christo habet ad ædificandum, & ad contumaces, & rebelles compescendos. Postremo sermo ineundus de gubernatione eius ad Democratiā, an vero ad Aristocratiam, an potius ad Monarchiam spectet. Hæc omnia multum habent & grauitatis, & vtilitatis si pro dignitate tractētur. Permagni etiam refert, verā Christi Ecclesiam agnoscere, & ab aliis, qui se tanto titulo honestant, & ornāt, nec tamen veræ Christi Ecclesiæ sunt, distinguere, atque discernere. Refert enim August. *Si ergo quæris eum, qui prior quæsiuit te & ouis facta es eius, & vocem audis pastoru tui; & sequeris eum; vide quid tibi de se ostendit, quid de corpore suo ne in ipso errares, ne in Eccles. errares, ne quis tibi diceret, Christus est qui non est Christus, aut Ecclesia, quæ nō est Ecclesia.* Adhæc Autor Operis imperfecti in Matt. *Sed forte dicis, Quomodo dicere illum possum nō esse Christianū. quē video Christum confitentem, altare habentem, sacrificium panis & vini offerentem, baptizantē, Scripturas sanctorum legentem, omnem ordinem Sacerdotij habentem? Vir sapiens si nō confiteretur Christum, & manifesta esset Gentilitas illius; & si seducebaris per eū, insania erat, quia seducebaris: nunc autem qui confitetur Christum, sed nō sic quemadmodum mandauit Christus, negligentia tua est, si ab eo seduceris. Qui enim in occultā foueam cadit, non negligens dicitur, sed insanus. Quæ autem de similitudine Ecclesiasticorum mysteriorum dixisti, hoc audi responsum. Quoniam, & simia hominis habet membra & per omnia hominem imitatur: nunquid propterea dicenda est homo? Sic & hæresis omnis Ecclesia habet, & imitatur mysteria, sed non sunt Ecclesiæ.* Hæc ille satis eleganter.

2.Cor.10.

Ecclesiæ Christi veræ, Catholicæ, nimirum, & orthodoxæ, cognitio qua vtilis ac necessaria.

Aug. in Ps. 69 paulo à medio, tom 3.

Ioan.10. Matth.24.

Autor operis imperfecti in Mat. homil.19. sub init. t.2 operum diui Chrys.

Christum confitentes, sed non vt ille, cur seducā tur ab eo.

Hæresis aptè admodum & vesimiæ cō paratur.

Vox igitur Ecclesiæ, vt à primo exordiamur, Græca est, & significat cœtum, siue cō gregationem: & vt ait Iulius Papa citatus ab Iuone capite 5. Decretorum suorum, est conuocatio, vel cœtus vocatorum. Estque nomen collectiuum, vt Grammatici dicūt, vt ciuitas, populus, exercitus, turba, per abstractum: vt circumcisio, & præputium apud Paulum significant circumcisos, & præputium habentes. Quemadmodum Synagoga congregationem, siue cœtū significat, à verbo *συνάγειν*: quod est congregare; sicut Ecclesia ab *ἐκκαλεῖν*, quod est conuocare, & *ἐκκλησιάζειν*, id est, in congregationem vocare, quod est, conuocare. Vnde Septuaginta interpretes illas duas voces Hebræas, videlicet קהל & עדה indifferenter vertunt per *Συναγωγὴν* & *ἐκκλησίαν*. Quanquam interdum vtrumque pro malorum cœtu ponatur, ibi: *Pene fuit in omni malo, in medio Ecclesiæ, & Synagogæ.* Verum vt tempore Apostolorum Synagogæ nomen fuit congregationi Iudæorum appropriatum, ita nomen Ecclesiæ ab ipsis Apostolis fuit deputatum multitudini Christianorū significandæ, vt res noua nouam etiam, & distinctam haberet à congregatione Iudæorum nomenclaturam. Et certe nomen Ecclesiæ illustrius est, & cœtui fidelium exprimendo magis congruum, & eius qui vocatur, maiorem libertatem, & voluntarium conuentum denotat, sicut Synagoga magis coactionem, quæ negato Christo nunquā amplius dicitur Ecclesia, vt annotauit Aug. cuius hæc sunt verba: *Nostram Ecclesiam Apostoli nunquam Synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam, siue discernendi causa, siue quod inter congregationem, vnde Synagoga, & conuocationem, vnde Ecclesia nomen accepit; distet aliquid quod scilicet congregari & pecora solent, atque ipsa proprie, quorum & greges proprie dicimur. Conuocari autem magis est vtentium ratione, sicut sunt homines.* Hæc ille. Adde præcisam huius vocis Ecclesiæ significationem in eo sitam esse, vt peculiariter à Deo per Spiritum suum, aut per ministros suos Apostolos, siue eorum successores ad Filii sui mediatoris fidem vocatos designet. Certe Athenienses ciuium conuentum peculiariter Ecclesiam vocabant, & ter in mense *Κυρίας*, id est, Decretorias, quia in eis decernebant de rebus variis: & quoties ad alicuius magnæ rei spectaculum accersebant homines, *Διάκλησιν* vocabāt, sicut *Σύγκλησιν*, & *συγκλήτους*, Consulatum, & Conuiues quando de rebus subitariis consultatio fiebat. Quia enim homo animal est politicum, & sociale, naturali affectu colit societatem, & amat.

Hinc Ecclesiæ nomen non solum conuenit illis, qui corpore cum aliis versantur, sed etiam iis, qui mutua artium, scientiarū, & officiorum religionis participatione adiuuantur: de qua Dauid: *Exaltent*, inquit, *eam in Ecclesia plebis*, id est, in conuentu hominum: & Actor. 19. legimus: *Erat enim Ecclesia confusa*, id est, multitudo hominum vocatorum perturbata: & Scriba idem dixit: *Si quid alterius rei quæritis, in legitima Ecclesia poterit absolui. Et cum hæc dixisset, dimisit*

Ecclesia quid nomine. Iul. Papa.

Quale nomen sit. Rom.2. & Gal.2. & alias.

Synagoga quid, eiusque vt etiā Ecclesiæ nomen vnde ducatur.

Vtraque vox Ecclesiæ, & Synagogæ, vbi etiam malorum congregationē significet.

Fidelium cœtus à quibus primū & cur potius Ecclesia quam Synagoga fuerit nuncupatus.

Quando primum Synagoga Ecclesiæ nomen amiserit.

August. in Psal. 81. in princ.

Congregationem à conuocatione, vt distinguat August.

Vocis Ecclesiæ acceptio prima & secunda

Psalm.106.

Act.19.

Aristot. l. 2. *Ecclesiam.* Aristoteles in secundo Politico, loquens de Chalcedoniorũ politia, refert,

Chalcedoniorum mos.

quod Chalcedoni non faciunt Ecclesiam, id est, non conuocant homines in cœtum ad determinationem rerum.

Tertia acceptio.

Etsi igitur iuxta hanc etymologiam congregatio brutorum, vt canum, vel auium ab homine vocatarum, vel rerum insensibilium, quas Deus suo verbo adesse vocat, vt *Stellæ vocatæ dixerunt, Adsumus;* & *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum vnum, & appareat arida*, Ecclesia aliquo modo dici possint: quemadmodum etiam & hominum conuocatio ad aliquem politicum finem, vt in prædictis exemplis liquidũ reddidimus: imo quod plus est, etiam cœtus vocatorum hominum à dæmone ad nostrũ exitium, dici possit Ecclesia, vel Synagoga vnde in Apocalypsi dicitur: *Ecce dabo de Synagoga Satanæ qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur;* & iterum, *Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo*; nunquam tamen tales cœtus Ecclesiæ absolute dicuntur, sed cum addito: tamen quia nomen significat quod vsus vult, ex vsu Scripturæ, & sanctorum Patrum, Ecclesia est cœtus vocatorum à Deo per fidem, & Sacramentorum participationem; & per hæc ad gratiam, & beatitudinem, quod ad Deũ attinet. Vnde Glossa 1. ad Timothe. 4. illud expliens: *Vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari quæ est columna, & firmamentum veritatis*, ait, *Ecclesia est conuocatio multorum ad vnius Dei cultum.* ¶ Cum autem sit Ecclesia vniuersalis, & Ecclesia particularis vt Romanorum, Corinthiorum, &c. & Ecclesiastica domestica, de qua Apostolus: *Salutate Priscam, & Aquilam, & domesticam Ecclesiam eorum*, & iterum. *Salutant vos in Domino multum Aquila & Priscilla cum domestica sua Ecclesia*: tamen cum analogum per se sumptum pro nobiliori accipi soleat significatum; cum de Ecclesia loquimur, de vniuersali illa est sermo, quæ illud nomen magis implet, quæ est sponsa CHRISTI, columna & firmamentum veritatis. Et ex his primo colligimus, quod si CHRISTVS sit Angelorum caput, & ab eo, vt Deo influxum fidei, & gratiæ, & gloriæ receperint, & per eius hominis futura merita steterint; vnde ad Coloss. caput dicitur omnis principatus, & potestatis. Et ibidem: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis; vt sit in omnibus ipse primatum tenens Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare; & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris siue quæ in cœlis sunt*: tamen ex vsu accipitur Ecclesia pro vocatis hominibus. Hinc Apostolus: *accessistis* inquit, *ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem; & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis.* Vbi vides, distingui societatem hominum ab illa Angelorum. Homines enim proprie conueniri vocari, & eiusdem sunt naturæ cum Christo; ac proinde non magis, quam Angelis nomen conuenit Ecclesiæ. Quod ergo dicit Apostolus. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiã, quæ est corpus ipsius*: intelligere super totam Ecclesiam hominum, siue viatorum, siue beatorum. Ita vt nullum sit eius membrum, quod à capite tali influxum non recipiat. Vel, vt Græce legitur, *Ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ*: estque Dandi casus, Ecclesiæ. Cum enim tam in corpore naturali, quam in corpore mystico, vt domo, collegio ciuitate, aut regno, caput nunquam sit per omnia, ita vt ad quæcunque vis capitis sufficiat; ideo Paulus à Christo capite hunc defectum remouens; ipsum, inquit, dedit caput Ecclesiæ super omnia, scilicet bona eius, quæ videntur, aut quæ sub vsum non cadunt. Hominibus igitur proprie conuenit nomen Ecclesiæ quia iam non sumus hospites, & aduenæ, sed sumus ciues sanctorũ, & domestici Dei vocati ab vno principe Deo, de quo scriptum est: *Non ex operibus sed ex vocante: vocati autem per vnigenitum Filium eius Qui & per seipsum, & per Angelos, & per Apostolos suos nos ad regnum æternum vocat Sapientia*, inquit, *foris prædicat in plateis dat vocem suam; in capite turbarum clamitat.* Hæc est illa Sapientia, quæ dicebat: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam?* & Apostolos misit ad vocandum ad cœnam & nuptias, & ad prandium, & ad laborandum in vineã diuersis præsentis seculi horis. ¶ Modus vero, quo vocamur, est fides. Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi.

Glossa ord. 1. Tim. 3. — *Rom. 16.* — *1. Cor. 16.* — *Baruch 3.* — *Gen. 1.* — IV. — *Apoc. 3.* — *Psalm. 25.* — V. acceptio vera & propria. — De qua Ecclesia hic sermo habeatur. — Angeli cuius gratia saluati. — *Coloss. 2.* — *Supra 1.* — *Hebr. 12.* — Non esse eandem Angelorũ & hominũ Ecclesiam, vnde conspicuum sit apud Paulum. — *Ephes. 1.* — Quænam sit illa Ecclesia, cuius à Deo Christus caput est constitutus, secundum Apostolũ. — Quænam ratio capitis velut imperfecta minime Christo cõueniat. — *Ephes. 2.* — *Rom. 9.* — *Prou. 1.* — *Luc. 5.* — *Infra 14.* — *Matt. 22.* — *Supra 20.* — Ad Ecclesiam Deus fide nos cõuocat. — *Rom. 10.*

VI. acceptio vocis Ecclesiæ. *1. Cor. 11.*

Accipitur postremo Ecclesia pro loco, in quem homines conueniunt, & congregantur, id est, pro templo. Vnde Paulus *Primum quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo.* Et iterum: *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* &, *Turpe est mulieri loqui in Ecclesia*, &, *Mulieres in Ecclesiis taceant.* Et in Iudicum libro dicitur: *Cuncta Tribus Israel in Ecclesiam populi Dei conuenerunt*; & liber Iudith: *Postea conuocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt, petentes auxilium a Deo Israel.*

Infra 14. — *Ibidem.* — *Iudic. 20.* — *Iudith 6.*

Ecclesia tres habet partes.

Huius autem vniuersalis Ecclesiæ partes

tres

Prima beatarum animarum. *Matth 25.* *Ephes.5.* Hanc quomodo Christus sanctificauerit. *Apoc. 2.* *Cant 4.* *Matth. 19.* *Ibid.* Quomodo Deus Pater Filio & sancto Spiritui, quo vero Angelo, & homini seipsum communicauerit. Quid emolumenti ea posteriori illa Angelorum scilicet, & hominum propria communicatione prouenit. *Hebr. vlt.* Altera iustorum. *Eccle. 3.* *Psal 149.* *Psal 88.* Vnde notũ sit in Ecclesia iustos, & sanctos semper inueniri. *Deut.5.* *Ezech. 36.* *Matth. 25.* *Supra 15.* Nisi in Ecclesia omni tempore essent boni, quæ inde incommoda.

tres sunt. Nam quidam iam peruenerunt ad terminum, & regnant, & triumphant cum Christo: sicut virgines prudentes admissæ ad nuptias. De hac Ecclesiæ parte dicitur ab Apostolo: *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata.* Sanctificauit enim CHRISTVS eam ab omni macula peccati sanguine suo, & ab omni ruga pœnæ, & mortalitatis per resurrectionem suam, vt ita illi conueniat elogium illud: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te,* Vnde Dominus ad hanc felicitatem vocat iustos, de quibus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; &, si vis perfectus, esse,* & cætera, &; *Habebis thesaurum in cœlo.* Voluit enim DEVS Pater se diuinis personis, sine principio, & fine communicare; corruptibilibus autem creaturis, cum principio & fine; Angelo vero, & homini cum principio, & sine fine quod enim principio caret, & finem etiam ignorat. Hic autem modus; quo diuina bonitas se Angelo, & homini communicat, plurimum confert vt homo magis fugiat vitium, & amplectatur virturem, & sine illo hic nihil haberent pii, & iusti: quia magis abundant peccata, & pœnæ, quam virtus, aut præmium. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.

Altera pars Ecclesiæ est, vt ita dicam, in medio viæ ad vitam æternam, hoc est, in Dei gratia, & iustitia, & obedientia, vt sunt spiritus, & animæ iustorum, de quibus in libro Ecclesiastici dicitur: *Filij Sapientiæ, Ecclesia iustorum, & natio illorum, obedientia, & dilectio*: quanquam hæc verba in exemplaribus Græcis desiderentur: dicitur tamen à Propheta, *Laus eius in Ecclesia sanctorum*; alibi *Veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.* Esse autem semper in Ecclesia iustos gratia Dei præditos, nemo negare debet. Dixit enim Dominus ad Moysen: *Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt bene sit eis, & filiis eorum in sempiternum?* Et rursus, *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestri; & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Et semper sunt virgines prudentes, & fatuæ; & filij regni, & scandala: *Sinite*, inquit, *vtraque crescere vsque ad messem.* Alias enim gratia destitutus homo, sibique æqualis, nec se sancte vincere posset, nec ratio iunior sensum seniorem superaret: nec tolleretur illud miraculum diabolicum, quo iuuenculus animæ corpori insitus non animæ ratione præditæ, sed sensus, in quo sustentatur facit

Quinã illi extiterũt ante Domini aduentũ. Animi qui purgantur apud inferos, numero bonorũ censentur. *Gal.4.* Tertia pars Ecclesiæ, scilicet peccatorũ. IV. gradus hominum extra Dei gratiam ea illenoum. Nulli eorum proprie nomẽ Ecclesiæ, nisi perperam conuenire. *Psalm. 25.* *Apoc.3.* Huius loci propria Ecclesiæ definitio traditur. Trium Ecclesiæ partium explicatarum triplex cõparatio. *Exod 26.* *Infra 38.* Quid olim Tabernaculum, quid Sancta sanctorum, quid vero atriũ in lege repræsentarent.

fructum: quod est contra omnem rationem insitionis. ¶ Porro pars huius Ecclesiæ iustorum ab initio fuerunt animæ, quæ in purgatorio carcere detinebantur: & ante Domini assumptionem in cœlum erant animæ Patrum in limbo, ex quibus sancti illi ibi retenti, nõ aliud habuere remedium præter Christi passionem, qua illis cœli aperti sunt. Animæ vero purgatorii habent iam cœlum apertum, ac viatores pro se Dominum deprecantes: sicut olim habebant animas sanctorum patrum in limbo detentas pro eis orantes. Nos vero honoramus cœlestem Ierusalem, tanquam matrem nostram, ac pro felicitate illius gratias agimus at illa iuges pro nobis viatoribus preces ad Deum fundit. Tertia pars Ecclesiæ est eorum, qui sunt in initio viæ, circa medium tamen, in fide scilicet, in participatione Sacramenti, sed sine charitate, & gratia Dei: ita vt tales nec sint infideles, qui nunquam Ecclesiam intrarunt; nec vt hæretici, & Apostatæ, qui ab ea sua sponte se subtraxerũt; neque vt excommunicati, qui communicatione fidelium eiecti, & expulsi sunt; nec vt iusti habentes DEI gratiam, qua pie viuunt in Christo, & pergunt ad æternam vitam. Et infra hunc gradum adhuc positi sunt, qui ficti sunt non credentes, & tamen fidem profitentes exterius, & Sacramenta absque fructu percipientes: isti tamen characterem habent. At priores habent quidem fidem sine Charitate, qua quia suo vitio carent, prauique sunt, seorsum tamen ab aliis sumpti, Ecclesia à Scriptura, vel sanctis non vocantur, nisi forte malignantium & Synagoga Satanæ. Secus autem cœtus bonorum, siue iustorũ etiam, vel sanctorum, qui adhuc peregrinantur. Etsi vero qui fide tantum prædiri sunt, seorsum Ecclesia non dicantur: ex illis tamen, & ex iustis viatoribus coalescit congregatio, quæ communiter à sacris literis, & à sanctis Patribus communi Christianorum vsu Ecclesia vocantur. Quæ definiri potest in hunc modum: Ecclesia est cœtus viatorum, qui ad Fidei, & Sacramentorum participationem vocantur.

Has tres partes Ecclesiæ designabat olim tabernaculũ, in quo erat locus dictus Sancta sãctorum: qui beatos iam & regnãtes designat: sicut Sãcta, iustos, & sãctos viros; atrium vero peccatores tantum fidem tenentes. Et vt in templo pars illa, quæ sub Sancta sanctorum dicitur, inuisibilis erat: ita beatorum cœtus inuisibilis est. Et quod attinet ad essentialem beatitudinem, corpore opus non habet, nec loco, nec tẽpore, nec Sacramẽtis, nec ceremoniis, nec vllis

Ibidem
Infra 27.

II. legibus eget. Atrium vero, quod omnibus conspicuum erat, & visibile, fideles iustos & peccatores admixtos continens, recte repræsentat, & propter corpus omnibus illis indiget.

III. Quæ etiam nunc peregrinatur Ecclesia recte mari nauiganti comparatur: qui vero in purgatorio detinentur, in portu nauigãt beati vero, terram viuentium iam possidẽt. Ecclesia enim in his qui tantum fidem habent, & non charitatem, promissa est Sponsa Christo in futurum: qui vero gratiam obtinent, & consensum præstant legi Dei, sũt sicut sponsa, quæ perfectum præstitit consensum in matrimonium; at Christi cum Ecclesia Triumphante coniunctio, consũmatum est omnino coniugium, & nuptiæ cum illis celebratæ.

Ephes. 5.
Apoc. 1.

Proxime dictam Ecclesiæ definitionem, iustos videlicet, & peccatores cõplectentẽ esse accommodatiorẽ multiplici ratione ostenditur.

Quod vero vltimo dicta acceptio Ecclesiæ pro his, qui fidem, aut etiam præter fidem charitatem habent, conuenientior sit quam quæ pro iustis, vel pro destinatis, vel pro iam beatis accipi à quibusdam consueuit, ex multis demonstrare possumus. Primo, quia magis conuenit nomini Ecclesiæ Catholicæ, quæ vniuersos comprehendit.

I. Conuenit etiam magis Ecclesiæ magnæ, id est, capaci, & amplæ, de qua dicitur: *Confitebor tibi in Ecclesia magna; in populo graui laudabo te.* Et alibi, *Apud te laus mea in Ecclesia magna; vota mea reddã in cõspectu timẽtium eum:* & ob eandem causam magis congruit metaphora magnæ domus, de qua Apostolus: *In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed lignea; & fictilia.* Conuenit etiam typo arcæ Noe, quæ simul munda, & immunda animalia in se continebat.

Psal. 34.
Psalm. 21.
2. Tim. 2.
Gen. 7.

II. Deinde hæc acceptio conuenit dignitati Regis: nam scriptum est: *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia principis.*

Prou. 14.

III. Ecclesia in Euangelio quib. comparata.

Tertio consona est hæc acceptio parabolis Christi, vbi Ecclesia comparatur agro habenti triticum cum zizania; areæ habenti frumentum cum palea; sagenæ congreganti ex omni genere piscium; & decem virginibus, quarum quinque erant sapientes, & quinque fatuæ; conuiuio, in quod admissi sunt gerentes vestem nuptialem, & ille qui inuentus est sine illa, electus in tenebras exteriores: similitudini vitis, in qua quidã sunt palmites ferentes fructum & quidam non ferentes; & rationi corporis, in qua quædam membra sunt viua, quædam mortua, & arida; & ouile, in quo sunt oues, & hædi.

Mat. 13.
Supra 3.
Infra 13.
Infra 25.
Supra 22.
Ioan. 15.
1. Cor. 12.
Mat. 25.

In dictum illud Confessionis Augustanæ

Falso ergo Confessio tradit Augustana malos esse quidem in Ecclesia, sed non de Ecclesia, quia mali non sunt de regno Dei, sed de regno diaboli. Contra quod est, quia omnes Christiani eundem Christi caput habent, eandem fidem, idem Euangelium eadem Sacramenta, vnum, & idem corpus omnes, qui de vno pane, sed de vno calice participant, siue boni sint, siue mali: & Christus ait; *Filii regni mittentur in tenebras exteriores.* Ipsis etiam quadrat nomen Ecclesiæ, quia conuocati cum aliis ad eundem Christum caput. Alioqui si sunt in Ecclesia, & non de Ecclesia, eadem ratione essent Iudæi, & Turcæ, & hæretici in Ecclesia, quia cum aliis admixti sunt.

Mali sunt in Ecclesia sed non de Ecclesia.
1. Cor. 12.
Matth. 8.

Contra Pelagianos, vitam iustorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum dogmatizantes.

Frustra secundo Pelagiani dicebant, vitam iustorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, vt sit omnino sine macula, & ruga; vt testatur B. Augustin. l. de hæresibus ad Quod vult deum. Quod secuti sunt Donatistæ, qui propter Cæcilianum contra eorum voluntatem Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum ordinatũ, schisma fecerũt, obiicientes ei crimina non probata, & in hæresim schisma verterũt, vt autor est Aug. eod l. dogmatizantes, in sola Africa esse Ecclesiam.

Ephes. 5.
B. Aug. l. de hæresib. n. 88. 50. 5. omit.
Idem ibidẽ nu. 69.

Præterea in Concilio Constantiensi dãnata est illa propositio Ioan. Wicleff: Soli prædestinati sunt in Ecclesia. Christus etiam cum docuit nos orare: *& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, indicauit: Ecclesiam sine peccato nõ esse. Et cum dixit; *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum*, docuit nos mutuo corripere: quemadmodum cum instituit tribunal Absolutionis, & dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, aperte ostendit, peccatores intra Ecclesiam versari. Et reuera subditorum subiectio, & pastorum prælatio recte exerceri non possent; & incerta essent omnia in Ecclesia, si tantum in ea boni, & prædestinati continerentur. Ob id Apostolus dicebat: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit.* Itaque Paulus iudicauit incestuosum Corinthium lugent etiam multos Apostolus, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt. Et in Ecclesia Corinthiorum: *Cum sit*, inquit, *inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Christus dixit: *Vos mundi estis, sed non omnes*: Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum. Adhæc: *Nigra sum, sed formosa*, testatur de seipsa Ecclesia: nigra in malis, & impiis; formosa in sanctis, & piis. Et, *Sicut lilium inter spinas*

Concil. Cõstantiense.
Matth. 6.
Infra 18.
Ioan. 20.
Si in Ecclesia continerentur tantum boni, quid inde.
1. Cor. 5.
Ibid.
2. Cor. 12.
1. Cor. 3.
Ioan. 13.
Cant. 1.
Ecclesia quomodo nigra, sed formosa.
Infra 2.
Quænam illa Ecclesia Christi Sponsa, nõ habens maculam aut rugam.
Ephes. 5.

hoc

hoceſt, iuſti inter peccatores. Denique ſexcenta ſunt huiuſmodi, & frequentia in ſacris literis, quibus hæc veritas patenter demonſtratur, vt mirum ſit in tantis tenebris homines verſari, vt hæc tam perſpicua, & manifeſta homines non videant. ¶ Locus igitur Apoſtoli de Eccleſia non habente maculam, aut rugam, intelligitur de futura Eccleſia, quæ in cœlo regnat, & triumphat, teſtibus Hieronymo, & Auguſtino.

Hier. in c. Ier. 15. Aug. lib. 2. retract. c. 18. circa princip. Idem li. de Perfect. iuſtit. c. 15. & 6. in fin. Idem li. de nup. & concup. c. 33. & eodem à med. Idem li. de hæreſ. nu. 88. & 6 inst. & epiſtola 48 & 57. & 2.

Quotuplex ſit Eccleſia.

Iam ſtatuendum eſt, quotuplex ſit Eccleſia. Quidam enim eam diuidunt in Angelorum & hominum cœtum. Sed quoniam Angeli puri ſpiritus ſunt, nos vero corpore conſtituti, proprie ex illis & ex nobis vna Eccleſia conſtare non dicitur: etſi ad eandem vtique felicitatem euocentur, & mutuo ſe amore vt fratres, & conſeruos complectantur, & ex hominibus inſtaurandæ ſint illorum ruinæ, atque ob id interdū Eccleſia nuncupetur. Vnde Auguſtinus in Enchiridio eos Eccleſiam vocans, ſcribit: *Hæc ergo quæ in ſanctis Angelis, & virtutibus Dei eſt Eccleſia, tunc nobis, ſicuti eſt, innoteſcet, cum eis coniuncti, fuerimus in ſinem ad ſimul habendam beatitudinem ſempiternam. Iſta vero, quæ ab illa peregrinatur in terris, eo nobis notior eſt, quod in illa ſimus, & quia hominum eſt, quod & nos ſumus.* Sic ille.

Prima diuiſio te e im propria. Apoc. 1. Pſal. 39. Aug. in Enchirid. c. 91. & 1 ſubinit.

Deinde diuiditur à quibuſdam in prædeſtinatam, & reprobatam. Sed hæc diuiſio cum nihil vtilitatis nobis adferat, & in Patribus talis diſtinctio non inueniatur, non eſt quod magnopere de illa differamus.

Secunda diuiſio, minus commoda.

Tertio diuiditur Eccleſia in Militantem, & Triumphātem: nam quæ in via eſt, & peregrinatur, militat ſub Rege Dauid, quæ vero in cœlo triumphat, ſub Rege pacifico Chriſto quaſi ſub Salomone, ſummaque pace, & quiete perfruitur. Eadem eſt diuiſio, qua in inuiſibilem Triumphantem, & viſibilem Militantem diſtinguitur.

Tertia.

Quarto diuiditur Eccleſia in veterem, & nouam, quæ quantum ad eſſentialia, id eſt, Fidem, Spem, Charitatem, Chriſtum, & Spiritū ſanctum, vna & eadem eſt, licet in accidentariis videatur Noui Teſtamenti Eccleſia renouata, de qua, Ioannes: *Vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam, deſcendentem de cœlo à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.*

Quarta. Apoc. 21.

Quinto diuiditur Eccleſia in illam, quæ iuſtorum eſt, & charitatis ſanctitatem colit, & in eorum tantum, qui fide præditi ſunt.

Quinta diuiſio.

Sexto Eccleſia ponitur pro minoribus, & priuatis fidelibus in ſacris literis, vt Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.* Et Actor. 15. *Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia eligere viros ex eis:* & paulo ante: *Cum autem veniſſent Ieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & Apoſtolis, & ſenioribus.* Et hoc eſt, quando Eccleſia condiuiditur in capita ſua, & membra. Et ita 3. Regum 8. *Benedixit Salomon omni Eccleſiæ Iſrael:* & ſubditur: *Omnis enim Eccleſia Iſrael ſtabat:* & Actor. 7. *Hic eſt*, ait Stephanus de Moſe, *qui fuit in Eccleſia in ſolitudine*, &c.

Sexta. Act. 20. Sup. 15. Ibid. Quomodo hæc intelligenda diuiſio. 3 Reg. 8. Act. 7. Exod. 19

Contra vero interdum Eccleſia accipitur pro maioribus, & in capitib. ſuis. Ita cū dicitur Matth. 18. *Si non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Id eſt, ſi prælatos, & ſuperiores audire neglexerit. Et priori modo accipit Hieronymus in præfatione in libros Salomonis, vbi habet: *Sicut ergo Iudith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: ſic & hæc duo volumina* (id eſt Eccleſiaſticum, & ſapientiam Salomonis) *legat ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* Loquitur enim ibi de minoribus, qui ob hæreſes non recipientes aliquot libros vt Canonicos iam receptos, de illis dubitabant, non autem dubitabant maiores. Nā Concilium Nicenum librum Iudith receperat: vt teſtatur Hieronymus, & Patres veteres ad confirmanda Fidei dogmata ex illis libris teſtimonia mutuantur.

Vbi nomine Eccleſiæ eius maiores & rectores ſignificentur. Mat. 18. Hier. to. 3. ſub init. Concil. Nicenum.

Poſtrema diuiſio eſt in Eccleſiam vniuerſalem, ſiue Catholicam, & in particularem alicuius loci, aut prouinciæ, quam poſſe labi, aut errare non negamus, & de qua Apoſtolus: *Sicut in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo;* & ; *Sollicitudo omnium Eccleſiarum*: Catholicam labi poſſe in vniuerſis membris ſuis per errorem in Fide, aut per peccatum mortiferum, omnino eſt impoſſibile. Nam etſi omnino à venialibus maculis abſtergi non poſſit, & in aliis ſcientiis, & artibus liberalibus, quæ ad Fidem non ſpectant, errare poſſet: hanc tamen illi non adimunt ſua præconia, & gloriam; vna eſt enim columba, felle peccati mortiferi carens; &, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*, &, *Columna, & firmamentum veritatis, & ſponſa, & corpus, & templum ſanctum Domini*: de qua in Symbolo Niceni Concilij traditum eſt: *Credo vnam ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.*

Septima, ſeu poſtrema diuiſio. 1. Cor. 14. 2 Cor. 11. Eccleſia Catholica quatenus errare, & delinquere poſſit, & quaten⁹ non poſſit. Cant. 6. Supra 4. 1. Tim. 3. Epheſ. 5.

Dicitur etiam vna non tempore, aut loco, aut gente, aut indiuiduis, quæ tranſeūt, ſed Fidei confeſſione circa definita, & propoſita omnibus ad credendum: quæ varia vario tempore, & diuerſis locis credenda

Vna eſt Dei Eccleſia. Prima rat.

proposuit, pro varia hominum capacitate.

Altera.

Dicitur etiam vna, ob vnum Spiritū Christi eam viuificantem, vt corpus vnum, ob vnam animam illud informantem, *Siquis*, inquit, *Spiritum Christi non habet, hic non est eius*, saltem quod ad Fidem attinet.

Rom. 8.
Tertia.

Vnica etiam ob vnitatem inuisibilis Sponsi, & capitis, qui eam regit per eandem Euangelij doctrinam, secundum communem Patrum sententiam; & eandem Sacramentorum administrationem, saltem in ijs, quæ ad eorum substantiam spectant.

Quomodo vna, & eandem in Ecclesia Græca, & Latina, fit Sacramentorum administratio.

Vnde non refert alijs ceremoniis, ac ritibus administrari à Græcis, alijs à Latinis: quia in his particularibus vnaquęque prouincia in suo sensu abūdat. CHRISTVS, igitur digamus non est, sed vt ipse in Canticis ait: *Vna est columba mea, perfecta mea. vna est matri suæ, perfecta genitrici suæ* Et in Euangelio; *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam Fiet vnū ouile, & vnus Pastor*: vna ouis perdita, & vna drachma: vna arca, in qua liberamur ab aquis diluuij. vna domus, in qua editur agnus: vnum corpus, vnum templum, vnum tabernaculum. Et vt Apostolus ait: *Soliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis: vnum corpus, & vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma. Vnus Deus, & Pater omnium qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Vnde Dominus rogauit: *Vt sint*, inquit, *vnum sicut & nos vnum sumus.* Quod adimpletum videmus in Actis, vbi dicitur: *Multitudinis credētium erat cor vnum, & anima vna.*

Rom 14.
Quib. verbis, & exēplis Scriptura hanc Ecclesię exprimant, & referant vnitatem.
Cant. 7.
Mat. 16.
Ioan. 10.
Luc. 15.
Ibid.
Gen. 7.
Exod. 12
1 Cor 10.
3. Reg 8.
Exod. 38.
Ephes. 4.
Ioan. 17.
Act. 4.
Ecclesiæ vnitas vnde sit.

Quemadmodū enim fluuius vnus est, quia ab eodem fonte, ad eundem maris locum, & per eundem alueum influit, etsi aquæ sint diuisæ: ita Ecclesia est vna, quæ ab eodem Christo proficiscitur, & per eundem alueum Spiritus sancti fidem, & Sacramēta tradentis, ad eundem finem beatitudinis æternæ peruenit.

Quarta ratio.
Mat. 16.

Nec tantum etiam vna dicitur ob has causas, sed etiam, in Nouo Testamento pręsertim, propter vnitatem vestibilis capitis, Pastoris, Gubernatoris, quem Christus loco sui vicarium reliquit, & de quo dixit: *Pasce oues meas.*

Ioan. 21.
Quinta, ac postrema.

Denique repugnat esse plures Ecclesias, quia omnes quotquot vna fide, & eisdem essentialibus ceremonijs Deum colunt, vnum corpus sunt, & vnam Ecclesiam constituunt.

Ecclesia cur sancta.

Secundo dicitur sancta, non quod omnes in ea existentes sancti sint, quia charitatem, & pietatem colunt, vt olim Cathari, Donatistæ, Rogatiani, Circumcelliones, & Hussitæ dicebant; aut quasi vnius membri macula cæteris membris labem aspergat: quod specialiter impugnat Augustinus li. contra Fulgentium: & Apostolos non polluit Iudæ macula: & denique non punit iustos propter peccatores, & iniustos, vt Scripturæ sæpe docent.

Rationes hæreticorū duæ impugnātur.
Aug. l. 7. circa med.

Vnde constare possit non omnes in Ecclesia esse iustos, & sanctos.
1. Ioan. 1.
Ibid.

Quod vero non omnes sint iusti, demōstratur: quia si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nō est, &, *Si confiteamur peccata nostra fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Et quemadmodum confitemur Ecclesiā sanctam, ita etiam confitemur, esse in ea remissionem peccatorum, de qua dixit: *Quorū remiseritis peccata, remittuntur eis*, Sed sancta dicitur ob eius caput sacrosanctum: & ob eius rectorem, & doctorem Spiritum sanctum. Adde etiam ob legem sanctam, & immaculatam, & cui altera non succedet: ad hæc ob Sacramenta, quæ ad sanctificandū hominem instituta sunt. Vnde emundauit Ecclesiam suam lauacro aquę in verbo vitę. Pręterea ob fidem sanctam, id est, firmā & stabilem eorum, quæ necessario credenda, vel agenda proponuntur, in quibus error esse non potest, nec mutatio, nec recantatio, cum sit columna & firmamentum veritatis, in quam portæ inferi non præualebunt. Si enim perniciose errare permitteretur, prouidentia Dei erga rem nobiliorē periret. Adhæc in Ecclesia aliqua membra semper sunt viua, sancta, & mūda, vt docet Irenæus, dicens, quod in Ecclesia est præcipuum dilectionis munus. *Nigra*, inquit, *sum sed formosa*: qua voce significauit admixtionem tritici cum palea, frumenti cum zizania, & malorum piscium cum bonis. Non itaque omnes sunt sanctitate præditi: neq; rursus omnes vitio mortifero deprauati Nam vel in diluuio octo animas virtute præditas liberauit. Et vt ait Esaias *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semē, quasi Sodoma fuissemus. & quasi Gomorrha similes essemus.* Et vsque ad seculi consummationem erunt in Ecclesia quinque fatuæ, & quinque prudentes virgines; & filij regni erunt, & scandala, vt in alia dicitur parabola: & in magna domo semper erunt vasa aurea, & argentea & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliā. Dicitur postremo Ecclesia sancta, quia extra ipsam remissio peccatorum, aut sanctitas, aut mundities non inuenitur; & quia sacra est Deo, & illi applicata, tendit ad finem consummatæ sanctitatis, & munditiæ, ita vt non habeat maculam, aut rugam, teste Apostolo, neque habebit in futuro.

Ioan. 20.
Prima rat.
Daniel. 9.
Secunda.
Tertia.
Ephes. 5.
Quarta.
1. Tim 3.
Mat. 26.
Quinta.
Iren. li. 4. aduersus hæreses c. 63.
Cant. 1.
Mat. 3.
Infra 13.
Ibid.
Ibid.
Gen. 7.
2 Pet. 3.
Esa. 1.
Rom. 9.
Mat 25.
Supra 13.
2 Tim 2. & Rom. 9.
Sexta, ac postrema.
Ephes. 5.

Ecclesia cur Catholica.
Rom. 4.

Tertio dicitur Catholica, hoc est vniuersalis. In quo primum differt à Synagoga, quo certis loci & populi limitibus circumscribatur, & habebat signaculum iustitiæ fi

dei

Quid proprium vnicuiq; hæresi semper extiterit.

dei, quod Gentiles, vt Apostolus ait non habebant. Non est etiam alligata vlli loco, aut prouinciæ, vt erat adulterina Ecclesia, quam Donatistæ iactabant. Omnis enim hæresis à principio certum locum inficiens illi affixa est, & Ecclesiam suam de paucitate laudat: vbi vero excreuerit, in multitudine gloriatur. Et ideo nulla talis est Catholica, sed illa tantum, quæ actu ad omnia tempora extenditur, & ex se ad omnem locum, & gentem: etiamsi actu non opus sit, vt omnes gentes, & loca comprehendat. Ideo in populo Hebræo non erat totalis Ecclesia, cui postea in Euangelio insertæ sunt omnes gentes: & hæc vniuersitas soli Ecclesiæ Catholicæ competit.

Iudæorum olim Synagoga integra, & perfectæ Ecclesiæ ratio nem non habuit. Rom. 9.

Ecclesiæ quænam accidentaria. Et ad. ... Primum & secundum.

Quædam autem Ecclesiæ sunt accidentaria, & ad eius substantiam minime attinentia: qualia sunt in primis, plura, vel pauciora tradere: nam certum est, Ecclesiam per temporum interualla suæ fidei incrementa accepisse. Deinde aduentitium est habere CHRISTVM vel præteritum, vel præsentem, vel futurum corporaliter: secus quod ad spiritum attinet, quia IESVS Christus heri, & hodie; ipse & in secula: &, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Tertio accidentiatum est habere Scripturas, vel solam traditionem. quia certum est, Ecclesiam tempore Legis naturæ, & Mosaicam, vsquequo Moyses scriberet, Scripturis Canonicis destitutam fuisse; non autem traditione, quæ doctrinam necessariam ad salutem, & ad cultum Dei suppeditabat. Prius etiam in Euangelica Lege fuit prædicatum, quam libri sacri conscriberentur. Quarto ei accidit, quod habeat plures libros canonicos, aut pauciores: quia in veteri Lege non omnes Prophetæ vno & eodem tempore conscripsere libros suos, neque in noua Euangelistæ, & Apostoli Euangelia sua, vel epistolas suas literis consignarunt: & de quibusdam libris an sint canonici, aliquando dubitatum est, non autem postea dubitare liceret. Quinto, extrinsecum illi est, plura, aut pauciora supererogationis opera in Ecclesia præstari, cum constet in Ecclesia CHRISTI Euangelica consilia fuisse tradita, quæ in Veteri non erant. Sexto, habere plura, & efficaciora signa gratiæ, & sanctitatis conferendæ, hoc est, Sacramenta, vel habere pauciora. Septimo externum est Ecclesiæ esse sub infidelibus principibus, quod ad temporalia, vel corporalia attinet; vel esse liberam, & sub Catholicis Principibus. Octauo, extrinsecum quoque est, habere Ecclesiam plures Sanctos, id est, Apostolos, vel Prophetas, an pauciores. Nono, accidens est sub his nationibus vel gentibus, vel sub illis indiuiduis, vel sub aliis; vel sub pluribus, vel sub paucioribus Ecclesiam consistere. Quia vt aqua fluminis modo est maior, modo minor, & semper noua, idem tamen est flumen: & vt eadem est arbor cadentibus folijs & aliis reuirescentibus: adhæc fluentibus & refluentibus partibus corporis, idem tamen est corpus: ita vna & eadem est Ecclesia ob candem fidem, & genus gubernationis, etiam nunc pauciora, nunc plura membra eius existant. Adhæc ad ornamentum eius spectat, quod pluribus confirmetur miraculis, aut paucioribus; aut quod plures habeat filios sapientes, aut pauciores, & gratijs gratis datis ad aliorum vtilitatem præditos. Denique Ecclesiæ est accidens, habere hominem externum totius Ecclesiæ rectorem, & gubernatorem præter CHRISTVM: quia in Lege Naturæ forte fuit Adam, & Seth, Noe, suo quisq; seculo. & Melchisedec, cui decimas dedit Abraham, & qui etiam Rex, & Sacerdos in Ierusalem fuit. Post eum autem non videtur alius fuisse vsque ad Petrum, quia Aaron veteris Legis summus Sacerdos, tantum Iudæis, quod ad sacra spectat præfuit: & Gentes relinquendæ sibi erant. vt cadentes resurgerent, & sicut oues errantes, & dispersæ, de quibus Dominus dixit: *Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.* In nouo vero Testamento ad essentiam Ecclesiæ CHRISTI spectat, vnum agnoscere CHRISTI Vicarium, & pastorem, cui loco Christi sit obtemperandum, & ad eius supremum tribunal in fidei controuersiis, & in omnibus ad cultum Dei spectantibus confugiendum. Habet ergo Ecclesia suas diuitias in vno CHRISTI sanguine, & spiritu. & sicut domus ditissima, & opulenta non fit pauperior, si ab ea rebelles, & refractarii famuli recedant, quia nihil subtrahere vel furari possunt; ita Ecclesia ditissima semper remanet, etiam si quidam sponte se ab ea præcidant, & schismaticum, vel hæreticum constituant latibulum, in quod se abdant, nunquam tamen nomen Ecclesiæ vsurpare possunt. Ridiculum quippe esset, si decem aut duodecim Neapolitani regni ciues, qui propter insignem aliquam seditionem legibus inde expulsi, & in exilium eiecti essent, si postea sibi solis in vnum locum congregatis ius, & nomen ciuitatis Neapolitanæ totius assumerent.

Heb. vlt. Mat. 28.

Ecclesia Dei in omni lege nũquam sine traditione fuit.

Quartum. Quintum. Sextum. Septimum. Octauum. Nonum.

Vnitas Ecclesiæ qualis sit.

Decimum. Vndecimũ

Gen. 14. Hebr. 7. Ecclesiæ, quæ ante Mosen, & post illum fuit, regendæ & moderandæq;, qui nam Deo autore præfuerint.

Ioan. 10. Quid necessarium inter alia, & substantiale habet Lex Euangelica.

Ecclesiæ potiora bona in quo sita sint.

Qualis hæreticorum extrema paucitate laborantium, Ecclesiæ sibi tamen Catholicæ, & orthodoxæ nomen arrogantium merito videri possit audacia, & impudentia.

Quibus ætatum veluti gradibus Ecclesia Christi processerit.

Ecclesia igitur Catholica est, quia omni tempore semper fuit, habetq; suas ætates, infantiã quidẽ, ab Adam ad Noe: pueritiã

ad Moysen vsque, adolescentiam, ad Dauid Regem; inde ad Christum vsque floridam habuit iuuentutem; à Christo vsque modo virilem ętatem dici potest habuisse; senectutem porro, & maturitatem habitura in cœlesti gloria.

Ecclesia cur dicatur Apostolica. *Concilium Nicenum in Symbolo.* Rat. prima. *Act. 2.*

Quarto loco dicitur Ecclesia Apostolica in Concilio Niceno: qui per Apostolos à Christo missos primo plantata est, & in fide & doctrina Apostolorum permanet. de qua dicitur: *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum*: à quibus non tantum accepit Scripturas, sed etiam ante illas viuã traditionem; & cum ea sensum etiam, & spiritum Legis Euangelicæ, siue traditionis: nã literã habere potest Iudæus, & hæreticus, & quiuis Paganus, qui Bibliorum codicem certa pecuniæ summa à Bibliopola sibi cõparare voluerit.

Tria in Ecclesiam beneficia Apostoli contulerunt. Secũda rat.

Præterea Apostolica vocatur, quia sub Apostolis, tãquam sub eius rectoribus, & gubernatoribus, vel saltem eorum veris & legitimis successoribus gubernatur, & regitur.

Petri, & Apostoli veri successores quinam.

Nam supremus Ecclesiæ hierarchia Petri successor est, & Christi vicarius, & Apostolicus Dominus, & eius sedes Apostolica nuncupatur: cæteri vero Episcopi, vel Prælati, Apostolorum successores merito appellantur; vt hac ratione constet nomen Apostolicæ Ecclesiæ recte illi competere, quæ sub illorum successoribus regitur.

Eorum se hostes qui prodant.

Quare qui Pontificis Romani, & Episcoporum Catholicorum regimẽ, & gubernationem detrectant, plane se Apostolorum hostes profitentur: sicuti etiam qui eorum integrã doctrinam vel scripto proditam, vel viua traditione ad nos delatam venerabiliter non suscipiunt.

Tertia ratio. *1. Cor. 12.*

Adde etiam, Apostolicam ea ratione posse dici: quia dona, & potestatem, & charismata Apostolis impensa retinet. & potestatem remittendi peccata, baptizandi, prædicandi, & regendi Christi fideles: donum etiam linguarum, prophetiam, & gratiam sanitatum, cum opus est, exerit.

Quarta, atque postrema.

Est denique Ecclesia Apostolica sanctissimæ illorum vitæ imitatrix, & sectatrix: quia complectitur consilia Euangelica, vt paupertatem, quam coluerunt Apostoli; & virginitatem, quam omnibus commendabant; & obedientiam peculiarem, quam & in Ierusalem per B. Iacobum, & in Ægypto per beatum Marcum colendam proposuerunt: imitatur etiam illos in morte, & sanguine suo pro Christo, & eius Euangelica doctrina fundendo.

Eosdem in quib. imitetur Ecclesia.

¶ Vt merito his omnibus de causis Ecclesia Romana, Apostolica dici mereatur, & omnes aliæ, quæ cum ea, vt filiæ cum matre, & discipulæ cum magistra conueniunt & consonant. Deinde quia vna est, & à sapientibus Apostolis Ecclesia condita, non potest non esse ordinata, & in tanta multitudine, vt consistat, ordinem colere. Hinc Apostolus: *Omnia honeste, & secundum ordinem fiant in vobis.* Et in Canticis: *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Hinc dicitur Ciuitas Ierusalem, domus, hortus, vel paradisus templum, arca, in qua variæ mansiones, spõsa & Regina, quæ ordinata est & ornata: corpus, quod vnum est, & multa mẽbra habet ad diuersas functiones: vinea, in qua vites ordinatæ consistunt, & ouile, in quo sunt oues diuersas pastoribus commẽdatæ; castra Dei, in quibus ordo præcipuus esse solet ad victoriam. Nam si quæ à Deo sunt, vt testatur Apostolus, ordinata sunt; quanto magis Ecclesia, quæ præcipuum opus, & summũ eius est, singulari ordine potietur, vt ita tuta & secura peruenire possit in amplexus Sponsi sui Domini nostri Iesu Christi.

1. Cor. 14. Cant. 6. Apoc. 21. 1. Tim. 3. Cant. 4. Ibid. Gen. 6. Ioan 3. Ephes. 5. Apoc. 21. Psal. 44. 1. Cor. 12. Mat. 20. Ioan. 10. Gen. 32. Rom. 13.

DISPVTATIO II.

An Ecclesia Catholica cognosci possit, quo lumine peculiariter à fidelibus cõprehendi valeat.

B. Aug. to. 6 inst.

BEATVS Augustinus magnum Ecclesiæ lumẽ, librum edidit ad Quoduultdeum, de omnibus quę ad sua vsque tempora pullularant hæresibus: promisit & alterum librum ad expugnandas omnes hæreses futuras, sed non præstitit: nec ad hoc opus fuit spiritu Prophetico diuinante hæreses futuras, quia error in fidem, qui hæresis dicitur, aliud non est quam veritatis priuatio & defectus.

Quid sit hæresis.

Qui ergo comprehẽsam, & perspectam habuerit veritatem, facili negotio errores deprehendet, quemadmodum per lumen agnoscantur tenebræ.

Hæc quomodo cognoscatur. *Tertull.*

Quare quod pollicitus est Augustinus, abunde Tertullianus in libr. de præscriptionibus hæreticorum præstitit. Summa ergo rei est, tenebras agnosci per veritatis lucem, veritatem per Ecclesiam, Ecclesiam vero nonnisi per suas certas notas, & certa, & distincta signa: ita vt qui certo cognoscit Ecclesiam, cognoscat & omnem veritatem sibi ad salutem reuelatam: qua nota comperta, hæreses nõ tantum præsentes & præteritas dignoscere potest, sed etiam futuras.

Quid conferat veritatis cognitio.

Vt igitur Dei ciuitas agnoscatur, & aduersariæ congregationes vitentur, præmittendum est in primis, Deum mundi procurationem habere, & prouidentiam.

De Dei prouidentia variæ opiniones Philosophorũ. Prima opinio. *Lactan l. 1. c. 2. Diuinæ institut.* Secunda.

Vt enim testatur Lactantius, Protagoras in dubium vocauit, an dij aliqui existerent. Diagoras vero negauit vllum DEVM esse, cum multis alijs Democritus vero, & con-

firma-

firmator Epicurus, prouidentiam omnino sustulerunt, dicentes omnia fortuito facta esse, vel regi: quod, vt ipse Lactantius testatur perinde fuit ac Deum negare. Damascenus vero in vita sancti Barlaam, & Iosaphat, autor est, post Diluuium quosdā negasse Dei prouidentiam, sed fortuito vel fato omnia esse condita: atque hi constituerunt deos vitiorum autores, & fautores. Porro Aristoteles, vt tradit Clemens, prouidentiam tantum posuit supra nubes, hoc est, in cœlo, iuxta illud: *Domine, in cœlo misericordia tua; & veritas tua vsque ad nubes.* Et Iob: *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat; & circa cardines cœli perambulat.* Auerroes Arabs in cœlestibus posuit Prouidentiam, & ad species vsque protendit quæ sub Luna sunt, non ad indiuidua. Et Rabbinus Moyses Aegyptius etiam ad indiuidua protendit, sed humana tantū, & quæ homines attingunt. At Fides Catholica, & Scriptura Deum omnia cognoscere, omnibus prospicere, & omnium, & singulorum curam gerere docet. Vnde illud: *Tu autem Pater, prouidentia ab initio cuncta gubernas*; & alio loco: *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus*; &: *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos*: Item Dauid: *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Ait enim Ecclesiastes: *Ne dicas coram Angelo, Non est prouidentia, ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Et tanta est Domini prouidentia, vt nec duo passeres cadant in terram sine Deo, nec folia ex arbore, & omnes capillos nostros, atque adeo omnia ossa nostra in numerato habet. Hinc quæstio illa, An Deus prospiciat omnibus creaturis secūdum Aristotelem, meretur reprehensionem, non probationem, non secus atque illa quæstio, An parentes honorandi sint. Nam si Deus singulis mundi partibus non prospiceret, nō esset Deus, id est, infinita sapientia, potentia, & bonitas: nec mundus ita solide, & ornate, & vtiliter cōstitutus subsisteret, & iam in seipsum corruisset. Quod si minimum quodq; artis opus, vt lyra, domus, hortus ciuitas, regnum, prouidentia indiget, quanto magis vniuersus hic mundus adeo late patens, & ornatus? Præmittendum deinde est, reliquum mundum ob hominem esse conditum, vt Scriptura testatur: *Faciamus,* inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæque terræ, omnique reptili quod mouetur in terra.* Hanc etiam veritatem non ignorarunt Philosophi, quorum vnus dixit, mundum esse propter hominem: & Plato libro De legibus, natura DEVM quidem esse omni beato studio dignum; hominem vero ludum esse quendam Dei, eleganter docuit. Ratio etiam idem porrigit, nimirum cœlos, elementa, plantas, animalia, humano animo, vel corpori seruire. Nec profecto tanta mundi moles ob mortalia animantia, & ad horam viuentia condita fuisset: nam verum tunc fuisset illud:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Nam hæc omnia propter perfectum, & immortalem, hominem, atque aliis omnibus vti scientem, edita, sunt, quo ita homo veluti circulo quodam amoris in Deum rediens, omnia reducat quæ ab eo orta sunt. Si ergo Deus curam mundi habet, & mundus ob hominem est; Deus igitur hominis procurationem magis peculiarem gerit. Et vt parentes de filiis magis sunt soliciti, vnde ille dixit:

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis:

ad eum modum DEVS homini de necessariis prospicit, quasi proprio & peculiari filio.

Tertio præmittendum est, prouidentiam, vti Damascenus docet, voluntatem Dei esse, per quam omnia quæ sunt, conuenientem gubernationem suscipiunt hoc est, vt verbis nostris apertius exprimamus: prouidentia, est cura eius respectu, vniuersi, & singularium eius partium, qua nouit, vult, & potest omnes ad suos proximos fines consequendos dirigere, & per eos ad remotiores, & tandem ad vltimum, hoc est ad seipsum (secundum illud: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*) cui in suis melioribus operationibus cuncta assimilari conantur.

Porro Deus in hac procuratione rerum non eget aut tempore, aut loco, aut motu, aut labore, sed solo suo æterno nutu. Homini igitur prouidens, ita eum gubernat, vt ad finem illum suum deducat. Hic autem finis cum hic non impleatur, nec impleri possit, quia nemo hic quietem, aut satietatem inuenire potest: nam si quisquam esset, qui in his rebus, quæ nobis, & belluis sunt communes, quietem aut pacem consequi possit, certe potius inter belluas, quam inter homines esset annumerandus: idcirco cognitio finis sui supra ingenium, & vires humanas sita est; vt non solum ad illum assequendum, sed etiam & ad illum intelligendum magistro, & adiutore indigeamus. Porro hic ductor alius non est quā

Deus

Margin notes (left): Tertia. B. Ioan. Damasc. — Quarta opinio. Clemens Alex. li. 4. Strom. aliquanto à med. c. 2. Aristoteles. Psal. 35. Iob. 22. — Quinta. Sexta. Septima à Deo reuelata. — Quod sit Prouidētia. Sapien. 14. Supra 6. Prou. 15. Psal. 134. — Eccl. 5. — Mat. 10. — Quam prouidus De⁹. Ibid. Psal. 33. — Quæ duæ quæstiones minime Philosopho dignæ videntur, & confirmatione. Remota à minimis rebus quam exigua est ... (cf. "Remota à minimis rebus quam expetiuntur, diuina prouidentia quid cō sequeretur.") — Mundus cuius gratia. Gen. 1. — Dei prouidentiam agnouerunt Aristoteles & diuinus Plato.

Margin notes (right): Aristo. li. 3. Physic. t. 1. Plato li. 7. de legib. — Ad eādem veritatem qua ratione quis possit induci. — Horat. in art. Poet. — Virg. li. Aeneidos. — Quid sit Prouidētia. Damasc. li. 2. c. 29. de fide orthodoxa. — Prou. 16. — Diuina hæc quam diximus omnium rerum prouidentia tantum vnde pendeat. — Quomodo regat hominem Deus. Verā felicitatem in bonis sēsus constituentes, hominis appellatione cēsentur indigni.

Deus, qui tum per se, tum per suos nobilissimum finem hominis in alia vita consistere docet; & vitam ad illum adipiscendum indicat. hoc est, cultum, & latriam in fide, spe, & charitate subnixam, vt ita Deo peculiariter erudiente, & opitulante finem suũ adipiscatur. Hinc Propheta dixit: *Oculus non vidit, Deus, absque te* (id est absq; auxilio) *quæ præparasti expectantibus te*: & Christus Dominus: *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere*: &: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Congregatio igitur hominum, atque multitudo de suo fine & via ad illum perficienda, idonee instructa, & à Deo adiuta, Ecclesia per excellentiam est dicta, quæ cognitionem, & cultum veri Dei profitetur. Quarto præfandum, ex his colligi, Ecclesiæ Catholicæ cognitionem summe esse necessariam: quia si vera DEI Ecclesia, vbinam gentium existat, minime agnosci posset, esset DEVS improuidus, quia nollet vllum saluum facere: esset sine iustitia, quia ad impossibile hominem obligaret quia cogeret ad intrãdum in Ecclesiam, quam ipse cognoscere, aut diuinare vbi sit, non posset: esset denique expers totius bonitatis, quia amaret magis corporis nostri commoda, quam animi, & spiritus, cum ad illa consequenda cumulatam præstiterit cognitionem, non autem ad bona spiritus cõparanda: quæ omnia summe illius bonitati, & misericordiæ in Scripturis celebratæ repugnarent. Nam scriptum est de eo: *Omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Nemo posset ex filio iræ filius adoptionis effici: nemo nosset arcam, in quam se reciperet, vt aquas diluuij euaderet: nemo denique Aegyptijs, & Babylonijs desertis, ad ciuitatem Dei confugere posset. Est igitur Ecclesia manifesta, perspicua, & omni homini, qui salutis suæ desiderio tenetur, comperta, & nota.

Quis vlt. finis homi nis, & quibus ad illũ viis possit peruenire.
Esa. 64.
1. Cor 2.
Ioan. 15.
Supra. 6.
Definitio Ecclesiæ.
Ecclesiæ Catholicæ cognoscendæ necessitas vnde manifeste deprehendatur.
1. Tim. 2.
Ephes. 3.
Genes 6.
1. Pet. 3.

Sed iam inuestigandum est, quasi lumine, atque certa comprehensione teneri possit. Et in primis statuim', multis modis posse cognosci: & aliter quidem ab his, aliter ab illis. Nam qui extra Ecclesiam sunt, vt Pagani, Iudæi, & hæretici, possunt quidem magnis, ac probabilibus rationibus eam cognoscere, si velint talentum sibi creditũ ad mensam ponere, ac negotiari: à fidelibus vero viatoribus qui intra eam sunt, nõ quidem euidentia naturali, sed ratione probabili, & altiori lumine Fidei Catholicæ, ac Diuinæ illa apprehendi valet, à fidelibus autem, qui purgatoriis pœnis expiantur, præter illa duo cognoscendi genera, etiam euidentia naturali Ecclesia cognoscitur; Angeli vero & beati sublimi quodam, & Diuino lumine, nempe, cognitione beata, & quam Matutinam uno verbo vocant, & præterea notitia vespertina, seu euidentia naturali Ecclesiam in seipsis percipiunt.

Quo lumine aut euidenti notitia vera Ecclesia possit apprehendi. Eius cognoscendæ ratio varia ac multiplex.
Mat. 25.

Explicemus singula, & maiori lumine perfundamus. Infideles igitur non praue affecti, necdum tamen renati, etsi extra Ecclesiam sint, possunt tamen fortibus & probabilibus rationibus ad hanc veritatem deduci, quod hæc sit vera CHRISTI Ecclesia, & non alia quæuis congregatio. & vrgentiores sunt rationes, quæ vim faciant pro Ecclesia CHRISTI, quam illæ quæ fieri possent pro congregatione vel Paganorum, vel Iudæorum, vel quorumcunque hæreticorum, qui sibi titulum veræ Ecclesiæ falso vsurpant. Probabile siquidem est, eam congregationem Ecclesiæ nomen mereri, quæ plus attingit DEI cognitionem, & immaculatiorem cultum, & maiorem honorem illi præstat; & quæ superbam, & elatam corrupti hominis naturam magis deprimit, & ad sui ipsius perfectiorem cognitionem perducit, vt hac ratione minus sibi tribuere, vel in viribus suis nullo modo confidere homo cogatur. Illa etiam Lex, quæ excellentiora opera charitatis proximo impẽdere iubet, magis est digna nomine Ecclesiæ. Denique quæ pluribus signis, & miraculis confirmatur, & maiorem habet durationem, & puriorem, magis cœlestem vitam profitetur; & ad quam tot, & tanti, per tales, & tam paucos, ad tam ardua & sublimia Fidei mysteria amplectenda sunt conuersi. Iudæi namque ad terrena, & impura declinant: vnde illis & inimicorum odium, & vsuræ, & vxorum multitudo, & earum repudia sunt concessa. Idololatræ vero non edebant idola, & simulachra conueniebant: nec cæteris erant sapientiores, neque pro sua fide, vt nostri, moriebantur: quemadmodum Traianum aliquando dixisse ferunt. Saraceni autem, siue Mahumetani, ad mollia, & sensui proxima, & cum iumentis communia sunt conuersi. Hæretici vero ad tempus, & pauci, & à principio delitescentes in publicum prodierũt quicunq; pro sua superbia alios omnes contemnentes, & seipsos magnificantes, & Ecclesiam Dei iactantes. Has, & similes alias rationes, quæ cuiuis obuiæ esse possunt, si quis ex infidelibus diligenter expenderet, facile Ecclesiam Dei agnosceret, eam accederet, eiusque imperio, ac voluntati se vt matri filium regendum permitteret. Vnde quidam ex nostris Doctor dixit, Infidelem in die iudicij fore inexcusabilem,

Quib. argumentis infideles, si velint, ad veram & certam Ecclesiæ notitiã possint induci.
Primum argum.
Secundum argum.
Tertium argum.
Leuit. 19.
Mat. 5.
Deut. 23.
Infra 24. & seq.
Mat. 5.
De religione Christiana dictum Traiani.
Penes idolorum cultores Saracenos pariter, & hæreticos, siue schismaticos veram Ecclesiam non esse, vnde manifestum sit recte colligenti.
Infidelis in die iudicii

cur inexcusabilis, vt quidam asserunt. Ioan. 6. Supra 5. Ephes. 5. Coloss. 1. Mat. 2.

qui talem religionem non sit amplexatus, quam tantis bonis præ cæteris connenticulis eminere, & præfulgere videbat. Quod si Deus huic cognitioni altius lumẽ suum adiungat: (quia sicut nemo potest venire ad Christum, nisi Pater traxerit eum, ita nec ad Ecclesiam, quę eius sponsa, & corpus est) non secus atque stella splendens Magos ad Christum Regem in Bethleem perduxit: ita illos cognitio ad Christum, & ad Ecclesiam pertrahit. Vnde Augustinus libro de vera Religione, Ecclesiam ab omnibus etiam extra eam existentibus agnosci posse docet, dicens. *Tenenda est nobis Christiana Religio, & eius Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis, velint enim, nolint ve ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.* Sic magnus Augustinus.

Aug. li. de vera relig. c. 7 sub init. t. 1. circa fi.

Hæretici, teste Aug. veritate cõpulsi, Ecclesiæ Dei qualē perhibebant testimonium.

Fideles viatores eandem veritatem certa & euidenti ratione non posse cognoscere, probatur quadrupliciter. Ratio prima, à fine Ecclesię supernaturali, eiusque medijs instrumētis. Quænam eiusmodi sint.

Diximus de infidelibus: iam de his qui Fide præditi sunt, & intra Ecclesiam politi peregrinantur, dicendum est: eos euidentia naturali Ecclesiam agnoscere non posse: quemadmodum lucere Solem, ignem calefacere apprehendimus: quod his rationibus demonstratur. Finis namque ad quem tendit Ecclesia, id est, felicitas, & cœlorum regnum, supra naturam est, & sola fide apprehenditur: quemadmodum etiam dispositiones, & adiumenta, quæ ad illum perducunt, vt sunt Fides, Spes, Charitas, Spiritus & alia Dei dona, & charismata, quibus quasi vinculis & cum Deo, & ad nos inuicem colligamur, sub aspectum non cadunt; & nonnisi fide infusa habentur: quia multi internas has dispositiones, & diuinos habitus vix agnoscunt, & non credunt, aut humori melancholico, vel causis naturalibus, vel ignorantiæ, vel malignis spiritibus adscribunt, quemadmodum etiam signa, & miracula. Adhæc si finis, & adiumenta ad illum consequendum euidentia naturali nobis comperta essent; iam supernaturalia non essent, sed potius naturalia. Præterea si clara & euidenti ratione Ecclesia cognosci posset, quæuis falsa congregatio pro vera Christi Ecclesia non se supponeret, nec se tam splendido Ecclesiæ veræ titulo mendaciter venditaret; quia nemo tam impudenter nomen illud Ecclesiæ honorificum vsurparet. Nunc vero & Iudæi, & idololatræ, & Philosophi, & quæuis hæreticorum secta se Dei Ecclesiam esse, contentiose iactat, & tanto de titulo gloriatur. Postremo in Symbolo Apostolorũ profitemur: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam. Ex quo elicimus, naturalem euidẽtiam de ea, sicut de Scripturis sanctis, haberi non posse.

Secunda ratio.

Tertia.

Quarta.

Quo tandem modo & via id assequi valeant.

Et si vero à fidelibus hæc euidens Ecclesiæ cognitio haberi non possit: habetur tamen illa cognitio probabilis, quam habere posse infideles extra Ecclesiam positos diximus: & præter illam à profitentibus Scripturæ totius fidem, & Christi, vt à Catholicis, & hæreticis cognosci potest per ipsius fidei infusæ lumen videtur: de quo dilectus discipulus scribit: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*: hoc est, Spiritum sanctum in seipso intellectum eius illustrantem, & pacantem in eo quod fide apprehendit, ita vt nullus dubitationis locus aut scrupulus contra illum ita insurgat, vt fidem eleuet: quod est proprium Fidei Catholicæ munus, cum sit hypostasis rerum operandarum, & argumentum non apparentium: hoc est certa demonstratio veritatum, quæ fide accipiuntur, etiam si clare non videantur. Qua de re Augustinus ad Consentium eleganter philosophatur: *Habet*, inquit, *fides oculos suos, quibus quodam modo videat verum esse quod nondum videt, & quibus certissime videt nondum se videre quod credit.* Hæc ille: quibus natura fidei pulchre, & succincte describitur, Nam quæ fide accipit, certo lumine apprehendit, ac si ipsa oculis cerneret, & manibus contrectaret: imo multo maiori, quia plus tribuendum est diuino testimonio, quod fallere, aut falli nequit, quam oculis nostris, aut sensibus, aut ratiocinationibus, quibus plerumque decipimur, & alios decipimus. Facit ergo fidei lumen infusum veritates Catholicas credibiles, & omnia acceptione dignas, etsi nondum faciat claras, & euidentes: quod per lumen glorię in præmium futurum expectamus, iuxta illud Augustini: *Fides, est credere quod nondum vides; cuius fidei merces, est videre quod credis.* Hoc idem in Euangelio docet Ioannes: Cum enim Samaritani ad vocem mulieris credidissent testimonium perhibentis de Christo, per fidem humanitus factam, & acquisitam, postea tamen audito ipsomet Christo, iam lumine maiore perfusi, & diuina fide intus illustrati, mulieri dicebant: *Quia non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est vere Saluator mundi.* ¶ Expende quæso, prudens lector, quanta verborum emphasi, & pondere vsi fuerint Samaritani. Audiuimus enim inquiunt, auribus nostris enim prædicantem, & vidimus oculis nostris docentem, & scimus ob infusam Catholicam fidem, quæ certitudinem, &

1. Ioan. 5. Habere testimoniũ Dei in se, quidnã sit. Quid proprium sibi vendicet Fides Catholica. Hebr. 11.

Aug. epist. 85 inst t. 8. Quomodo videat fides, teste Augustin.

Quænam sit fidei merces. Aug. serm. 29. De verb Apost init t. 10. Ioan. 4.

Veram fidem atque perfectam habuerunt Samaritani.

adhæsionem ad rem creditam ingenerare solet. Et addunt: *quia hic est vere Saluator mundi.* Vere, inquiunt, non fallimur, nec falli possumus, Nec vero istam tantam de Christo fidem acceperunt à signis, quia nul la miracula apud Samaritanos edid isse Dominus scribitur: neque euidentia naturali, aut aliquo sensu poterant accipere Iesum esse Messiam, Filium Dei, & mundi Saluatorem: neque opinio, aut fides humana tantam de rebus quæ sub aspectum non cadūt firmitatē, & vt sic dicā πληροφορίαν gignere posset. Omnia ergo hæc ex diuino lumine desuper infuso acceperunt: itā talia sine tali lumine nō apprehendit fidelis, nempe Ecclesiam Catholicam eam esse, in qua ipse vt Christi membrum, & filius, & ouis versatur. Nam cum extra Ecclesiam, non secus atque extra arcam Noe, salus esse cuiquam non possit, nec extra eam Sacramenta vtilia esse queant: sit vt magno lumine egeat quo pleue apprehendat quæ, & qualis sit vera Ecclesia, à qua petenda doctrina salutis, & in qua tantum vtilia sunt Sacramenta, & cui vt ouis obedire suo pastori debet.

Vnde illā fuerint asse cuti.

Intra Ecclesiam existentes soli seruantur.

Gen. 7. & 1. Petr. 3.

Porro animæ fidelium, quæ corporibus exutæ in purgatorio carcere ad tempus detinentur, præter cognitionem probabilem, & illam fidei Catholicæ, cognoscunt Ecclesiam euidentia, & claritate rationis quadam ex effectis deducta. Nam eum certæ sint suæ salutis, & gratiam, & fidem in se ipsis experiri possint, & sacrosancto altaris sacrificio, & aliis viuorum suffragijs videant se sublevari, procul dubio aperte Ecclesiam esse Catholicam, & veram Christi Sponsam apprehendunt, in qua olim versati sunt, à qua tot suff ragiorum beneficia recipiunt, vt citius lustratæ, & expiatæ inde exeaunt. Illa tamen euidentia fidem animarum non euacuat, quia adhuc in via sunt, & fideles: & fides sola visione, quæ in patria contingit, euacuatur.

Quo lumi ne iis qui purgatorio igne expi antur, animis Ecclesia innotescat.

Angeli etiam & cognitione in verbo beata, & euidenti in seipsa Ecclesiam agnoscunt, pro qua iuges preces ad Deum fundunt, & ad quam interdum destinantur, & cui perpetuo vt custodes, & protectores mi nistrant propter Christum. ¶ Postremo idem prorsus dicendum de beatis animab. quæ Deum facie ad faciem vident. Et quid est quod non videant, qui videntem omnia vident? Agnoscūt etiam euidenter matrem suam sanctam Ecclesiam, cuius ex vtero renatæ, cuius doctrina quasi lacte educatæ sūt & ideo de viatoribus Ecclesiæ mēbris sollicitātur, & semper benedictum Deum pro illis precantur. Quorsum hæc omnia? vt in

1. Cor. 13. Angeli Christi Ecclesiæ duplicem habent cogni tionis euidentiam, debi.

Vnde eadē entes bea is anima. us perspi ua & manifesta fit.

telligamus, pios Christi cultores, & fideles Ecclesiam lumine fidei Catholicæ posse cognoscere, eam ipsam esse, in qua ipsi tanquā filij familias in domo Dei versantur. Patum enim esset credere sanctam Catholicam Ecclesiam, vt in Symbolo dicitur, nisi fide acciperemus, eam ipsam prorsus esse, in qua Baptisma, & cætera veneranda, ac salutaria Sacramēta suscipimus; & in qua doctrina Euangelicam, Scripturas sacras, & earum legitimum sensum, & controuersiarum definitiones venerabiliter accipimus. Nam si hęc opinione, aut fide humana susciperemus, prorsus tota fides nutaret, & in hominum opinionib. ac cogitationibus collocata esset. Vt qui queat aliquis fide accipere, verā Christi Ecclesiam esse illam, quæ Romano Pontifici subest, & eius autoritate regitur, & per cuius obedientiam, & subiectionem Hæretici à Catholicis, Schismatici, & Christi tunicam diuidentes, ab Orthodoxis, & contumaces à filiis obedientiæ discernuntur, nisi simul hunc Paulum, aut Iulium esse verum Ecclesiæ caput, & legitimum Pastorem peculiariter apprehendant? Sicut enim Iudæo ad salutem, credere ad futurum quendam Regem Messiam à Deo olim per Prophetas Patribus promissum nō satis fuit, nisi singulariter credere hunc signatum Iesum, & à Ioanne Baptista demōstratum, qui opera veri Messiæ, & signa omnia à Prophetis descripta in se ipso imple uisse ostendit: ita non satis est in genere credere Catholicam quandā ineuntis cōgregationem, cui Dei Spiritus afflat, & in qua sola salus, & remissio peccatorum existat, nisi in specie credas hanc ipsam esse, quæ Romanæ Ecclesiæ præsidit sub est. & obtem perat: at quia Ecclesia sine vero Romano Pontifice non magis potest subsistere, quam homo sine suo capite (deesset enim illi potissimum membrum) eadem ergo fide diuina, qua scio me in Ecclesia Catholica age.e, cognosco non tantum Romanum Episcopum, sed in singulari hunc signatū Paulum Quartum, aut Pium Quintum, ab elector. b. vt audiatur. & recipiatur, toti Ecclesiæ propositum, Vicarium esse Christi, & legitimum sanctę Ecclesiæ pastorem, dummodo nullum vitium, aut defectum in eius canonica electione admissum fuisse constare possit. Quod dixerim propter eos qui se aut violenter intruserunt, & eum gradum vi, & armis occuparunt; aut propter eos qui Simoniaca prauitate infecti summū Sacerdotium pecunia redemerunt: quod in omnium aures, & notitiam per electores peruenerit, aut denique propter eos, qui manifestam aliquam hæresim amplexati sunt

Nisi diui no Fidei lu mine, sed humano vera Christi Ecclesia nobis constaret, quid inde.

Quæ vna tes à mortuis & falsis viua & vera Christi membra distinguat.

Quonam fides Iudæo fuerit ad salutem necessaria. Ioan. 1.

Quia verus ac legitim. Ecclesiæ summus Pastor, & Christi Vicarius sic tantum agnoscendus, & adorandus.

Quænam censeantur minus canonicæ electiones Ro

&c eam publice defendere non deſtiterunt. Nam tales ſi ad Pontificatum aſſumi cōtingeret, non eſſent pro veris Chriſti vicariis, & legitimis agnoſcendi, cum plures etiam ad huiuſmodi gradum aſſumuntur, & rationes ſe tuendi cuique non deſunt: tunc enim nullus pro certo, & indubitato Pontifice eſſet recipiendus. Extra quos euentus quicunque in illa cathedra vt verus Papa proponitur, ac toti Eccleſiæ declaratur, firma, & certa fide tanquam indubitatus, & legitimus Eccleſiæ Sponſus; Doctor, & Paſtor acceptandus eſt & venerandus. Nec minus profecto abſurdum eſt aſſerere, nullum in Eccleſia legitimum aut Epiſcopum, aut Sacerdotem inueniri, quam dicere, Eccleſiæ Romanum Pontificem illum (qui ab ipſa Eccleſia tanquam canonice electus receptus eſt) neque verum eſſe, neque legitimum: ac docere, fidem diuinam ad hoc ipſum non extendi: quod falſum profecto, ac durum, & ipſi Fidei Catholicæ iniurium eſſe videtur. Fides namque peculiariter docet, Ieſum, eſſe Meſſiam; Petrum, eſſe Chriſti Apoſtolum, eiusque Vicarium in terris; Paulum, eſſe Chriſti Apoſtolum, Gentium Doctorem: & hoc vel ob Eccleſiam proponentem, vel ob Scripturas, vbi hæc in illis traduntur, approbantes. Eadem ergo fides ad hunc Paulum Quartum, vel Pium Quintum, tanquam ad legitimum Petri ſucceſſorem, catholiceque electum Paſtorem, extendetur, poſtquam Eccleſia illum in talem receperit, & probauerit.

[Margin: ...morum Pontificū. — Ratio prima. — *Ioan. 1. Matth. 16. Ioan. 21. 2. Tim. 1.*]

Nimis præterea coarctari Fidei regnum videtur, dum per illam vniuerſalia quædam, & generalia dogmata apprehendi tantum contendimus. Nam fides diuina cordibus credentium à Deo infuſa, quam in Euangelicis, & Apoſtolicis literis commendatam, & celebratam legimus, ad multas, particulares etiam, non catholicas veritates firmo & indubio aſſenſu apprehendendas extenditur: vt multis exemplis illuſtrari poſſet, & in Centurione, & Chananæa, & in Paralytico, & in Peccatrice, & in Adultera, & in aliis, qui cum fide accurrebant ad Ieſum. Nam etſi de fide ſit Catholica, Ieſum eſſe Meſſiam, & Dei Filium: nondum tamen hoc vt obiectum Catholicum erat illis ad credendum propoſitum, neque veritas erat Catholica, quod Ieſus præſens erat ſanaturus paralyticum, aut abſens Centurionis ſeruum; aut filiam Chananææ à dæmonio vexante liberaturus, aut quod peccatrici, & adulteræ eſſet peccata remiſſurus: & tamen fide diuina apprehenderunt illi de fide à Chriſto commendati, ſe eiuſmodi effectum à Chriſto Domino indubie obtenturos, ſicut conſecuti ſunt. Fit ergo, vt fides diuina multas non Catholicas veritates apprehendat: & Iuſtus propterea viuere ex fide à Propheta dicitur, quod omnia opera ſua, vt accepta Deo reddantur, fide condire, & ornare debet. Lege quanta encomia, & fidei præconia Apoſtolus in lucem profetat, præſertim in ea, quæ extat ad Hebræos epiſtola; vt intelligas vera eſſe quæ diximus. Nam cū Chriſtus, vel Apoſtolus, vel ad bona opera edenda exhortantur, vel ad Sacramenta digne ſuſcipienda, vel ad preces coram Deo fundendas, vel ad ictus aduerſæ fortunæ fortiter ſuſtinendos; ſemper fidem nobis ante oculos ponunt, vt illa inſtructi, ad talia munera præſtanda accingamur; non autem proponunt aut fidem humanam, aut opinionem vehementem, ſed Catholicam ac diuinam, & illam quæ cœlitus donatur fidem. Certe Eccleſia in publicis ſuis precationibus Paulum Quartum, aut Pium Quintum Paſtores ſuos aſſerere non dubitat, nec hęſitat an legitime intrauerint, necne, ſed confidenter pleno ore ait, Famulum tuum Pium, quem paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, aſſidua protectione guberna: In oratione publica publicam ſuam exercens fidem, & cum Dei volūtate ad paſtoratum aſſumptum non dubitat affirmare. *Quis* (inquit Pontifex quidam Romanus) *ferat orantem, & non hominibus, ſed Deo mentiri?* & alter ei proximus: *Legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi.* Audi quæſo Cyprianum epiſtola ad Magnum de Nouatiano: *Eccleſia,* inquit, *vna eſt, quæ vna & intus eſſe, & foris non poteſt. Si enim apud Nouatianum eſt, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium non fuit, qui Epiſcopo Fabiano legitima ordinatione ſucceſſit, & quem præter Sacerdotii honorem, martyrio quoque Dominus glorificauit; Nouatianus in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui Euangelica, & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens à ſeipſo ordinatus eſt.* Vide quanta fide Cyprianus aſſerat, Eccleſiam fuiſſe apud Cornelium, & non apud Nouatianum, qui ſe ſua ſponte, non vocatus ingeſſerat. Audi etiam verba Ambroſii in dictum Apoſtoli ſcribens: *Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui: Scribo tibi,* inquit, *vt ſcias quomodo Eccleſiam ordines quæ eſt domus Dei, vt cum totus mundus Dei ſit, Eccleſia tamen domus eius dicatur, cuius hodie rector eſt Damaſus.* Nunquid opinionem aut potius fidem ſuam proponebat Ambroſius? Audi etiam quid Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius ad populum vrbis Conſtantinopolitanæ ſcribāt:

[Margin: II. ratio. — Quinam ſi de diuina, non catholica in Euāgelio crediderint Chriſtum eſſe Meſſiam, ſignorumque effectorem. — *Mat. 8. Infra 15. Supra 9. Luc. 7. Ioan 8.*]

[Margin: *Habac 2. Rom. 1. Gal. 3.* Iuſtus cur ex fide viuat, teſte Propheta. — *Hebr. 1. & ſeqq.* — Apoſtoli cum ad bonorum operum ſtudium, & ſimilia cohortantur, cur ſoleant fidem ingerere. — *Innoc. 1.* — *Celeſtinus. B. Cyprian. l. 1. epiſt 6. circa princ.* — Epiſcopus ſeipſum ordinare non poteſt. — *Ambr. in c. 3. 1 ad Tim. ſub fi 10. 5. circa fi.* — *1. Tim. 3.* — Imperatores religioſ. Gratianus Valentinianus ac Theodoſius qualē ſubditis populis]

Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret. Sic illi, indicantes fidem suam de fide Ecclesiæ Catholicæ.

I. argum. Sed quia non ignoro quosdam esse posse, qui hæc vt noua sint accepturi, quod imbuti alia opinione, asserant ad has vniuersales propositiones Fidem Catholicam extendi, videlicet: Omnis canonice intrans in cathedram Apostolicam, est verus Ecclesiæ Pastor: Omnis rite initiatus, siue ordinat' in Sacerdotem, vel in Episcopum, est verus Sacerdos, vel Episcopus: non autem est Fides Catholica quod hic singularis, & signatus homo sit verus Pontifex, aut quod hic, vel ille sit verus Sacerdos, aut Episcopus.

II. argum. Deinde, Fidei Catholicæ obiectum est veritas Deo reuelata, cui proinde falsum subesse nequeat: at vero huic propositioni: Hic est legitime, rite, vel canonice promotus, subesse potest falsum; igitur ad illa particularia fides non extenditur. Quod autem possit subesse falsum, ex eo probatur; quia possum dubitare an ea omnia, quę seruanda sunt in promouendo aliquem ad Episcopatum, vel Sacerdotium, ea sint adhibita, atque seruata. Dubitare etiam possum, an iste habuit intentionem consecrandi hostiam, & an alius habuerit animum baptizandi, & sic de aliis, cum sine ministri intentione Sacramentum perfici non possit: vt tradit Ecclesia in Concilus Florentino, & Tridentino. Et ita ne Fidei subesse falsum queat, dicere cogenur, hæc omnia opinione humana, aut fide morali vel acquisita accipienda; cui etsi possit subesse falsum, & interdum subsit; nihil proinde detrahitur Fidei Catholicæ.

Concil. Floren. in bulla vnionis. Concil. Trident. sess. 7. can. 11.

III. argum. Postremo, si fide diuina hunc Pium Quintum in Papam, & Pastorem vniuersalis Ecclesiæ cogimur recipere, idem iudicium esset ferendum de reliquis Ecclesiæ ministris Cardinalibus, Episcopis, quia nulla ratio apparet, cur magis diuina fide recipiamus, hunc esse verum Ecclesiæ Catholicæ Pontificem, ac pastorem, quam quod alij signati fide Catholica suscipiendi sint tanquam veri Episcopi, & Sacerdotes, ministri Ecclesiæ. Quod si hos diuina fide accipere non cogimur, etiam Papam tali fide suscipere, venerari non arctamur. ¶ Hæc, & similia argumenta sunt, quibus quidam se putant certo obtinuisse, & euicisse, ad nullum horum particularium Fidem Catholicam extendi.

Timeo tamen, si pressius hæc res expendatur, & discutiatur, ne Fidei regnum his rationibus coarctetur, & per eam doctrinam multi Academici, & dubitantes reddantur in his, quæ firmissima fide erant apprehendenda. Existimo enim multa esse, ad quæ sola opinio, & fides humana se possit porrigere: alia vero multa eius generis esse, vt cum Fide Diuina accipiantur, ob opiniones tamen, quibus assueuimus, & enutriti sumus, opinion, & Fidei acquisitæ adscribamus.

Vt ergo prædictis rationibus satisfiat, & veritas luculenta, & inconuulsa proponatur, primæ statuendum, quod etsi Fides Catholica per se primo, & immediate ad hæc particularia, & practica non extendatur: tamen si illis particularibus aliquid adiungamus, quod alias euidentia naturali cognitum, & perspectum sit, recte sub Fidem Diuinam cadere affirmabimus. Et signanter dixi, sub Fidem Diuinam: nam etsi fides diuina, & à Deo infusa idem prorsus essentia sit habitus cum Catholica Fide, qua Catholica dogmata, hoc est vniuersalia, & ad credendum omnibus in vniuersum proposita credimus: quando tamen Fides nostra ad hæc practica, & singularia credenda descendit, non est proprie Catholica, sed diuina, & à Deo infusa, quia hæc particularia omnibus non sunt proposita ad credendum; tamen tam fidei Diuinæ, quam Catholicæ proprium est, vt falsum subesse nō possit: & pacatum, ac firmum reddere intellectum in eo quod credit. Distinguuntur tamen obiectis illæ duæ fides: quia Catholica est, quæ apprehendit Catholica dogmata, Diuina vero, quæ à Deo aliquo modo reuelata sunt, seu ex reuelatis euidenter, & necessario deducuntur, credit. Sicut enim intellectus practicus, & speculatiuus essentia sunt, vnus, & idem, obiectis tamen distinguuntur, & intellectus genus est ad vtrumque: ita fides infusa seu diuina genus est ad Catholicam, & non Catholicam, & eadem est in essentia, & differunt tantum obiectis Catholicis, seu nō Catholicis. Et quia in eo quod assentitur obiectis non Catholicis, non habet nomen distinctum: idcirco in hac Disputatione nomine generico eam vocamus, nempe fidei infusæ, seu diuinæ. Quod vero ad non Catholicas veritates extendantur, sic ostēditur. Primo ex Fide Catholica certissime noui, sub omnia hostia rite consecrata Christum continerit: addo huic fidei, me Sacerdotem propositam hostiam intendisse consecrare, &

Fides Catholica, & Diuina in quo differant.

inte-

integre verba Consecrationis protulisse: quod mihi perinde est notum, & euidens, vt de eo dubitare non possim, aliter adorare eam formidarem: Fide ergo diuina noui, Christum sub hac proposita hostia contineri: nam ad hæc eredenda extendi fidem humanam, aut opinionem, quæ nihil prorsus de his diuinis nouerunt, & non potius ipsam fidem infusam, prorsus est absordū. Idem dicendum esset de omnibus, qui integræ formæ verba pronuntiari audierunt, in quibus intentio Ecclesiæ includitur: nam tales de Sacramento dubitare non debent. Quod magis expressum est in Ecclesia Græca, quam in Latina: quia verba consecrationis alte Sacerdos pronuntiare solet, vt habes in Liturgiis Iacobi, Basilii, & Chrysostomi, & populus alte ad illa verba respondebat, Amen. Idem etiam tradunt Iustinus Martyr, Ambrosius, Augustinus, & Leo, vt alibi annotaui: & nullus prorsus scrupulus adorationi latriæ remanebat, cum alta voce super panem pronontiarentur verba.

Iusti. mar. in Apolog. ad Antoninum Pium tom. 1. Ambros.

Secundo propono aliud exemplum: Fidei est, omnem rite baptizatum in filium Dei renasci; & omnem hominem legitimum esse posse ministrum Baptismi: euidens porro mihi est, me infantem ad Baptismum adductum recta adhibita intentione baptizasse: simul etiam noui, me integram formam protulisse, & puerum obicem Sacramento ponere non potuisse: Fide ergo diuina accipio, huiusmodi puerum perfectum suscepisse Sacramentum, ac per hoc in filium Dei adoptatum, ac per hoc remissionem omnium peccatorum obtinuisse.

Ioan. 3.

Tertio, aliud exemplum propono, de Episcopo me in Sacerdotem ordinante: accipio Fide Catholica, omnem rite, & legitime per Episcopum ad Sacerdotium ordinatum, verum esse Sacerdotem: at Episcopum in consecrando omnia legenda, & facienda legitime obseruasse mihi constat, & integre verba formæ, in quibus Sacramenti virtus præcipue continetur, pronuntiasse, constat etiam mihi id petiisse, & ex intimo corde desiderasse, vt sacro Presbyteratus ordine me insigniret, nec vllum obicem posuisse: ergo me Sacerdotem verum esse in Ecclesia Dei, non tam fide, & opinione humana, quam diuina, & infusa noui, & illa, per quam audeo in altare coram omnibus prodire, & incruentum Mediatoris sacrificium Deo offerre, & peccata pœnitentium in confessione audita, potestate diuina absoluere: ad quæ præstanda certe fide, aut opinione humana aditus accedere nō auderem. Quis enim fide humana persuasus, in tantum se periculum conijceret, vt res supra humanā naturam positas: vt sunt, Peccata remittere, & ex pane efficere verū Corpus Christi auderet, nisi firma, ac diuina Fide apprehenderet se Diuino insignitum charactere, & tanta potestate præditū esse? Etsi ergo fides Catholica nihil doceat de hac hostia, an sit rite consecrata. De hoc infante an vere sit renatus, & de illo viro, an sit verus Sacerdos: addita tamen euidenti cognitione, quod Sacerdos legitime initiatus hanc hostiam rite consecrarit, & verba formæ integræ proferre intenderit, & quod hunc infantem non ponentem obicem baptizare voluerit, & quod alium sacro ordine Presbyteratus formā recte pronuntiando insigniuerit, non possum Fide diuina illos effectus consecutos non apprehendere. Ita prorsus de Papa sentiendum: Etsi enim Fides nihil doceat de hoc signato Pio V. an sit Papa; tamen hoc posito qood sit Canonice promotus, & communi electo rum omniū consensu positus vt Pastor Ecclesiæ venerandus, tenens Petri cathedram, & Christi locum in terris, iam materia fidei fit non tantum diuinę, sed etiam Catholicę. Nam etsi huiusmodi veritates per se solæ consideratæ tales sint; vt illis possit subesse falsum: additis tamen quibusdam circumstantiis, quas diximus euidēti notitia cognosci posse, non solum illis falsum non subest, sed nec subesse potest. Neque ratio de aliis ministris, siue Sacerdotibus, siue Episcopis, quicquam valet: quia lōge alia ratio est Romani Pontificis Ecclesiæ Catholicæ capitis, & Christi immediata ratione Vicarii, atque aliorum ministrorum. Nam vt mano, vel pede truncatus, vel oculo priuatus homo constare potest, at abscisso capite amplius homo esse nequit; ita quiuis alius Episcopus, vel Sacerdos non est, ita à tota Ecclesia audiendus in fide, vt eius decreta necessario sint ab omnibus auscultanda: quare de illis non est necessum, vt per fidem Catholicam certam cognitionem habeamus, quod sint veri, & legitimi ministri. Secus de Papa, cuius præcepta totam obligant Ecclesiam; & cuius in Fidei cōtrouersiis definitiones reuerenter & firmiter sunt suscipiendæ, neq; integrum est cuiquam eas in dubium reuocare, aut impugnare. Quod si quis contendat, fidem ad talia particularia non se extendere, cum ergo particulare sit, Petrum, aut Paulum esse summum Pontificem, quod hi vel illi ad Concilium conuenientes sint Episcopi, siue Sacerdotes; ad hoc non se extē deret diuina fides, sed humana opinio, vel fides acquisita. Et quis Ecclesia non est sine Christi Vicario Ecclesiæ vniuersalis capite,

nec Concilium legitimum sine suis veris, & legitimis Episcopis vel Sacerdotibus, tantũ ex opinione, vel credulitate humana accipiemus quod sumus in vera Ecclesia: quod hoc vel illud Concilium sit legitimũ: quod illi sint veri Christiani. Et cum ab hac Ecclesia, & ab hoc Concilio habeamus libros Canonicos, vera Sacramenta, & necessarias traditiones, ac definitiones; sequeretur ꝙ hæc nõnisi credulitate humana haberemus quod est absurdissimum, & totam fidem euertens. Recte autem assereret quis, quod etsi hæc media sint probabilia, & particularia; accedit tamen fides, qua credimus Deũ non deferre Ecclesiam suam, ac proinde hoc, vel illud verum esse Concilium, licet ex facto particulari pendeat, quod legitimũ sit: Ecclesiam etiam hanc veram esse, verumque habere Pontificem, vel Deum supplere defectus illius, ac si verus esset. Et ita omnino fatendum est, quod vt euidentia certa est, & tamen pendet ex sensu qui falli potest, quia defectum sensus supplet lumẽ altius rationis, quæ non fallitur à fallibili, ita etiam lumen fidei pendet à sensu. Et quia sensu audimus doctrinam, & signa videmus & cernimus hoc vel illud Concilium congregari, & hos vel illos ordinari, & consecrari; ratione etiam accipimus prædicationem, scripturam, & Dei pacta, & ex sensu, & ratione fallibilibus infallibilem fidem concipimus, non ex his nisi vt excitantibus, sed primæ infallibili veritati innixam.

An ad Sacramentũ necessaria sit ministri intentio.

Superest vnus resoluendus scrupulus de intentione ministri in conferendo Sacramento: quia si illa desit, Sacramentum non perficitur, cum de Sacramenti ipsius substãtia constituatur ab omnibus. Si ergo minister aut baptizare, aut hostiam consecrare, aut Sacerdotem promouere non intenderet; nullus erit baptismus, nulla esset hostia adoranda, & nullum ordinationis Sacramẽtum. Rursus an Episcopus ille initiator, & ordinator Sacerdotum ritè sit & legitimè ad Episcopatum assumptus; & rursus an Episcopus, qui illum promouit, ritu Catholico & legitimo ad Episcopatum promouerit, dubium erit, atque hac ratione in infinitum posset procedi, & omnia essent in dubium reuocanda; & Academici omnes & nutantes redderemur.

Duplex intentio ministri conferentis Sacramentũ. Prima.

Sed hic in primis aduertendum, duplicẽ poni intentionem ministri conferentis Sacramentum: alteram quidem publicã, & Ecclesiæ ipsius, cuius ministerio perfungitur, quicunque ille sit qui Sacramentum dispensat. Hæc autem intentio satis exprimitur in ipsis Sacramentorum formis: Vt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* *Ego te absoluo à peccatis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: Et: *Hoc est corpus meũ, &c.* Intendit enim Ecclesia Catholica, sicut & Christus Sacramentorum autor, per eiusmodi verba baptizare, absoluere, & panem in Christi corpus conuertere. Hæc autem intentio inseparabilis est ab ipsis verbis, si integre, vt debent proferantur. & ideo ministri soliciti esse debent, vt formam ipsam integre pronuntiẽt, nec illam aliquo verbo contrario vitient, quo sic perficiant Sacramentum, & Sacramenti effectum digne accedentibus conferãt.

Matt. vlt. Ioan. 20. Matth. 26.

Altera intentio.

Altera vero intentio priuata est, & particularis ipsi⁹ ministri, qui aut nihil credit eorum quæ facit, aut derisorie facit, aut cõtrariam habet intentionem non conferendi Sacramenta, aut eius effectus, etiam si Sacramentum in forma Ecclesiæ consueta administret. Hæc intentio priuata etsi necessaria sit, ne minister peccet, vt conformetur intentioni Ecclesiæ: tamen tã fortis, aut efficax non est; vt vitiare Sacramentum possit, si alias velit facere quod facit Ecclesia: quod sic multis rationibus ostẽdo.

Hanc minime necessario requiri, aperte demonstratur.

I. ratio.

Primo, quia cũ Sacramentum sit externum, & sensibile signum ad sanctificãdum hominem à Deo institutum, priuata vero illa intentio ministri in eius corde delitescat, & insensibilis, intimaq; sit, non potest esse pars essentialis rei sensibilis, qualis est Sacramentum: quemadmodum etiam fides non est pars Sacramenti, vt Lutherani docent, quia sub sensum non cadit. Vt ergo fides, & intentio requiruntur in suscipiente, vt fructum Sacramenti percipiat; ita fides, & intentio in ministro necessaria est, vt rectè & vtiliter, ꝙ ad se attinet, Sacramen. dispẽset.

Fidem nõ esse partẽ Sacramenti, Lutherani tradũt.

II. ratio.

Secundo: cum priuata ministri intentio non possit à nobis certa euidẽtia cognosci: vtpote occulta, & in corde ministri latens; in Sacramento suscipiendo voluisset nos Deus perpetuo scrupulo agitari, & rei ad salutem spectãtis dubitatione torqueri, si verum Sacramentum certa fide nos suscepisse nunquam posset cognosci: quod sane & Scripturis, & Patribus contrarium esse videtur, quia nos firma fide ad Sacramenta suscipienda adhortantur. Nisi dicamus Spiritum sanctum sibi ipsi contradicere, & aliud nos per Scripturas, & Patres, & prædicatores verbi Dei docuisse, nempe fide certa, & indubitata accedendum esse ad Sacramentum suscipiendum; aliud vero per ipsam Sacramentorum constitutionem intendisse, nempe vt propter ignotam, nobisque absconditam ministrorum intentionem perpetua dubitatione angeremur: quod certè falsum est, & Spiritus sancti bonitati contrarium.

III. ratio.

¶ Tertio: quia si per illam volun-

tatem

tatem priuatam ministri perficerent Sacramentum, certè salus hominis, remissio peccatorum, Spiritus sancti gratia, & vis sanguinis Christi ex hominum arbitrio penderẽt, & plus possent homines nocere, quã Christus iuuare. Paulus etiam non rectè, cum de ministris verbi, & Sacramenti ageret, dixisset: 1.Cor 3. *Ego rigaui, Apollo plantauit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*: Dicendum enim fuisset: sed qui incrementum dat, minister, vel Dei ministri intentio. IV. ratio. ¶Quarto Ecclesia qui posset tã confidenter, & certo gratiã Christi & salutem promittere pœnitenti, & catechumenis, si per ministros aliter intendentes posset promissa salus, & gratia impediri? qui posset etiam Paulus tam certo asseuerare: Infra 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis sed iustificati estis*? Posset enim iure dubitari, an Sacramẽtum fuerit perfectum, & eius fructus per ministrorum malitiam, & fraudem impeditus.

V. ratio. Quinto: Plecterentur plerunque innocentes propter aliorum malitiam, quod lõge remotum est à Diuina bonitate, & sapiẽtia, cum scriptum sit: Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum.* Psal 83. Et Dauid; *Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: beatus homo qui sperat in te*: Gen. 18. & Abraham dixit Domino Sodomam punire volenti: *Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius: non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc.* Abimelech quoque Rex Geraris, qui vxorem Abrahæ præripuerat, in somno à Do- Infra 20. mino orare instructus, inquit: *Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies? Dixitq; ad eum Deus: Et ego scio quod simplici corde feceris; & idcirco custodiui te ne peccares in me, & non dimisi vt tangeres eam.* Quicquid ergo sit de ministris peruersam intentionem de suo adhibentibus, si quis agat innocenter, & in Domino Sacramentorum institutore speret, gratia Dei per Sacramentum danda defraudari nequit. De fide ergo est tenendum, nullum simplicem, & innocentem propter corruptam ministri intentionem fructu Sacramentorum priuari. B.Chrys. homil 85. in Ioan. to.3. Vnde egregie Beatus Chrysostomus scribit: *Sacerdos & linguam, & manus præbet: nec enim iustum est propter alius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi.* Sic ille, loquens de prauis Sacerdotibus.

VI. ratio. Sexto, idem probari potest: quia si Sacramentorum perfectio non est sine priuata ministri intentione, de qua merito dubitare possum; ergo liberum erit de omnibus qui baptizantur, vel absoluuntur, vel qui Eucharistiam sanctã adorant, & percipiunt dubitare an sint vere baptizati, & an vere absoluti, & an rite consecraram hostiam, & debito adorationis cultu veneremur, & ad salutem percipiant, & an veri sint ministri Ecclesiæ, hoc est Diaconi, Presbyteri, & Episcopi: atque ita de tota Ecclesiastica hierarchia, atque adeo de tota Christi Ecclesia dubitare cogeremur. Cum enim fide sentire debeamus, Ecclesiam verã Christi esse hanc Romana Ecclesia vnde subsistat. quæ Rom. Pontif. subest, si postea de nullo Sacramento possit constare an sit in ea legitime administratum, nec de administris an sint rite, & canonice initiati, ipsam Romanam Ecclesiam in dubium reuocamus, quæ sine veris Sacramentis, & legitimis ministris non potest magis constare, quam domus sine lapidibus fundamẽtalibus, aut trabib. quæ totũ ædificiũ colligent, & sustineant; aut quam regnum sine magistratibus, & consiliariis. Per hãc ergo doctrinam redderetur nobis Ecclesia inuisibilis, imaginaria, & mathematica; & misera Christiani populi conditio, quia Christianis propter defectum intentionis ministri nunquam certus esse posset de baptismo, absolutione, & ordinatione, sed opinione tantum humana hæc apprehenderet quæ diuina sunt, & supra rationem posita.

Septimo, permulti tum Episcopi, tũ Sacerdotes in Ecclesia extiterunt, quorum VII. ratio. sanctitas, & doctrina, & eorum à Deo missio signis, & miraculis comprobata est. Cũ ergo isti Sacramenta administrarent, fide constanti, & plusquam humana credẽdum erat eos rectam intentionem adhibuisse, ac proinde non posse suscipientes Sacramenta de ministrorum voluntate dubitare. Imo quod maius est, non debebãt Apostoli onere baptizãdi seipsos exuere, vt Petrus & Paulus, & in alios transferre si tantum referret intentio: nam in dubio ponerent eorum salutẽ, quę de baptizatis à seipsis omnino certa erat, etiam ipsis renatis. Siquidẽ ex signis quæ edebant, colligere poterant eos esse idoneos Christi ministros, ac per hoc rectã intentionẽ habuisse in baptizando, credere arctabantur: quemadmodum qui baptismũ suscipiebant à Christo Domino, idẽ credere debebant, & se etiam esse gratiam consecutos, quia Christus fictus non erat in ministrando Sacramentis. Consultissimũ quoq; esset, nonnisi magna diligentia perquirere ministros sanctissimos, & innocentissimos à quibus susciperemus Sacramenta, ne per malitiam iniquorum ministrorum fraudaremur aut Sacramẽto, aut eius fructu, quod esset dogma proximum illi Donatistarum,

Ruffin. l. c. operum Eusebij, à med. l. 10. c. 14. Niceph. Callist. IX. tato.

brum Ecclesiasticæ historiæ à Ruffino additum, & Nicephorum Callistum libr. 8. c. 44.

Nono argumentum sumi potest ab intentione suscipientis Sacramentum. Nam etsi quis accedat ficto animo, aut hæretico ad Sacramentum, non credens vllum Sacramenti effectum: si tamen se sponte subdat Ecclesiæ consuetudini, & patiatur more Ecclesiæ se baptizari, vt fecit Simon Magus & pueri illi colludentes iuxta mare ab Athanasio baptizati, illi quidem recipiunt Sacramentum, id est, characterem, licet nō gratiam: nec satis est dicere, Ego non intendebam Sacramentum recipere, aut characterem, cum non crederem, sed derisorie id facerem. Nam respondebitur ei: Cur ergo passus es in te fieri quod consueuit facere Ecclesia cum omnibus, ex quibus prouenit ille effectus, & quem prædicant euenturum, quouis animo ad hoc Sacramentum accedant? Itaque non reiteratur in his Sacramentum etiam suam fictionem confitentibus, sed recedente fictione, & accedente fide, collatus baptismus iam suum gratiæ effectum in eis operatur. Ita similiter de vere, & cum Fide ad Baptismum accedente; & à ministro vel non credente, vel derisorie operante, verus confertur Baptismus, & eius effectus, etiamsi grauissime peccet in eius ministerio: vbi sibi tantum, & non alteri nocet.

Aug. l. 2. contra lit. Petilian. c. 1. in princ. c. 7. iuxta init.

Postremo sunt pro hac sententia multi Patres, inter quos beatus Augustinus libr. 2. contra literas Petiliani Donatistæ sic scribit. Dicebat enim Petilianus: *Conscientia dantis attenditur, qui abluat accipientis.* (Respondet Augustinus:) *Quid si lateat dantis conscientia, & fortasse maculosa sit? Quomodo poterit accipientis abluere conscientiam, si quemadmodum dicis, conscientia dantis attenditur, qui abluat accipientis?* Et infra: *Sed quomodo & de istis securi erunt, si conscientia dantis attenditur, quæ latet oculos accipientis? Ita secundum eorum sententiam, sit salus illa spiritalis incerta, dum contra Scripturas sanctas, quæ dicunt: Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine: &, Maledictus omnis, qui spem suam ponit in homine, spem baptizandorum auferunt à Domino Deo, & in homine ponendam esse persuadent. Vnde fit omnino, vt non incerta, sed prorsus nulla sit salus: Quia Domini est salus; &, vana salus hominis. Itaque quisquis in homine spem posuerit, etiam quem iustum, & innocentem nouit, maledictus est. Vnde & Apostolus Paulus eos qui dicebant se Pauli esse, obiurgat, & dicit: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Et infra respondens ad sophistica argumenta Petiliani hæretici, sic ait: *Qui autem non aure sola excipit voces, sed & mente sententias intuetur, cum audierit: conscientia dantis attenditur, qui abluat accipientis:* Respondebit (scilicet fidelis) *sæpe mihi ignota est humana conscientia, sed certus sum de Christi misericordia.* I. Argum.
Cum audierit, Qui fidem à perfido sumpserit, non fidem percipit sed reatum; Respondebit: Non est perfidus Christus à quo fidem percipio, non reatum. II.
Cum audierit: Omnis res enim origine, & radice consistit: et si caput non habet aliquid, nihil est? Respondebit: Origo mea Christus est, radix mea Christus, caput meum Christus est. III.
Cum audierit: Nec quicquam bene regenerat, nisi bono semine regeneretur; Respondebit: Semen quo regenerat, verbum Dei est: quod obaudienter audire sum monitus: etiamsi ille, per quem audio quæ mihi dicit, ipse non facit, dicente Domino, & me securum faciente: Quæ dicunt, facite: quæ faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. IV.
Cum audierit: Quæ potest esse peruersitas, vt qui suis criminibus reus est, alium faciat innocentem? Respondebit: Me innocentem non facit, nisi qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Non enim in ministrum per quem baptizor, credo, sed in eum, qui iustificat impium, vt detur mihi fides ad iustitiam. V.
Cum audierit: Arbor bona bonos fructus facit: & arbor mala malos fructus facit. Nunquid colligunt de spinis vuas? Et, Omnis bonus homo de thesauro cordis sui profert bona: & malus homo de thesauro malo cordis sui profert mala: Respondebit: Hoc ergo bonus fructus est, vt arbor bona sum, hoc est, bonus homo, vt præbeam fructum bonum, hoc est opera bona: Hoc autem non qui plantat, & qui rigat, mihi dabit; sed qui incrementum dat, Deus. Nam si arbor bona bonus baptizator est, vt fructus bonus sit ille quem baptizauerit: quisquis ab homine malo etiam non manifesto fuerit baptizatus, bonus esse non poterit: de mala quippe arbore exortus est. VI.
Item cum audierit: Qui baptizatur à mortuo, non ei prodest lauatio eius: Respondebit. Viuit Christus, iam non moritur & mors ei vltra non dominabitur: de quo dictum est, Ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto. Baptizantur autem à mortuis, qui baptizantur in idolorum templis. VII.
Hæc ille & eleganter, & docte, resoluens eiusmodi cauillos, & obiectiones, quas Donatistæ faciebant, vt baptismum ab Hæreticis collatum infirmarent, quasi nullum, & repetendum: quæ sane fortius resoluunt opiniones, quas quidam intentione ministri faciunt. Accedit ex Scholasticis B. Thomas, qui in tertia parte quæstione sexagesima quarta, articulo octauo, ad secundum. hæc verba scribit: *Dicendum quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in ministro, qua si desit;*

Idem ibid. c. 9.

Psal. 117.

Ierem. 17.

Psal. 3.

1. Cor. 1.

Idem c. 7. à init.

Verbi Dei semine regeneramur.

Mat. 23.

Rom. 4.

Quis nos faciat innocentes.

Ibid.

Matth. 7.

Infra 12.

1. Cor. 3.

Cap. 9. init.

Eccles. 34.

Rom. 6.

Ioan. 1.

A mortuis quinam baptizentur.

B. Tho. 3. p.

statuimus: iam ille labor nobis superest, vt certas tradamus notas, certaque signa constituamus, quibus vera Dei congregatio à falsa quacunque secerni queat. Sed in his assignandis grauiter ab hæreticis aberratum est: nam declinantes à certis & indubitatis signis, incerta, & dubia, & quibus ipsi designari, & contineri tanquam vera Ecclesia possent, amplexati sunt, ita enim decebat, vt qui congregationem faciunt, falsis etiam signis, & rationibus eam tueantur.

Ad veram, & commodam signi rationem tria necessario requiruntur.

Ad idoneum igitur, & certum signum, quo aliquid est vere indicandum, tria necessaria esse videntur. Primum quidem, vt verum sit: nam falsum nihil indicat, aut docet. Deinde quod sit manifestum: quod enim occultum est, non potest quicquam designare. Tertio, vt alteri non quadret, quam rei illi, cuius indicandæ gratia assignatur: nam quod pluribus quadrat, nihil magis vni, quam alteri competere videtur.

Vnde si quis S. Præcursoris proprietates & symbola inepte colligeret.

Quod vt exemplo aliquo illustretur, si quis (verbi gratia) Ioannis Baptistæ notas præscriberet, ac diceret, illius hominis sancti signa alia non esse, quam voracem, ac potatorem vini existere, aut hominem insignem Dei spiritu, & gratia præditum, aut denique hominem ieiuniis, precibus, & contemplationibus deditum; profecto nihil certi illis signis denotaret. Nam primum, est falsum: secundum, est occultum; nam sanctitas hominis, quæ est in anima, oculis non videtur: tertium vero verum quidem est, sed illi cum multis aliis commune; nam multi suo seculo vacabant ieiuniis & orationibus. Si quis vero diceret, Ioannem esse Zachariæ filium, qui ab infantia coluisset solitudinem, prædicasset pœnitentiam, qui pro veste haberet pilos camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, & pro cibo haberet locustas, & mel syluestre; ille profecto & veras, & manifestas, & nulli alteri congruentes notas Ioannis Baptistæ describeret. Hæretici igitur in tradendis veræ Ecclesiæ signis, grauiter, vt dixi, aberrant: nam quidam assignarunt nec veras, nec manifestas notas; alii manifestas, non tamen veras; rursus alii veras, sed non manifestas; alii postremo & veras, & manifestas, illique soli proprias, & alteri congregationi minime quadrantes: sed hi postremi hæretici non sunt, sed Catholici. Quæ omnia sunt explicanda, & certis rationibus demonstranda.

Luc. 1. Mat. 3. Ibid. Ibid. Ibid.

Primum genus signorum veræ Ecclesiæ falsissimum, prædestinatio, & gratia Dei.

Primi igitur pro indubitatis, & certis Ecclesiæ notis ponunt illas, quæ nec veræ sunt, nec manifestæ: vt sunt, Prædestinatio Dei, siue electio, Item gratia Dei, siue charitas: quæ signa esse falsa inde conuincimus.

I. ratio contra prædestinationem.

Nam certissimum est in primis, aliquos esse ad vitam prædestinatos, qui tamen aliquandiu extra Ecclesiam fuerunt: vt Paulus Apostolus, qui custodiebat vestimenta lapidantium Stephanum. & B. August. toto eo tempore, quo per annos nouem fuit Manichæus: nam vterque persequebatur Ecclesiam Dei, & fidem Christi profitentes, & per ostium Ecclesiæ, quod est baptisma, nondum ingressi erant, nec ingredi cogitabant. Erant igitur extra mysticum Christi corpus & sponsam eius Ecclesiam; & tamen nemo sobrius negabit, illos à Deo prædestinatos & insigniter electos fuisse.

Act. 7.

August. quam diu vixerit Manichæus.

Ostium Ecclesiæ baptisma.

II.

Deinde multi non prædestinati intra corpus Ecclesiæ versabantur: vt virgines fatuæ non habentes oleum in lampadibus suis, pisces mali in rete, paleæ admistæ cum grano, & palmites in vite non ferentes fructum, & non habens vestem nuptialem ingressus locum conuiuii: denique in parabola pastoris ouium, & hœdorum multi fideles damnantur, qui tamen olim fuerunt in Ecclesia tanquam oues in ouili.

Matt. 25. Supra 13. Supra 3. Ioan. 15. Matt. 22.

Infra 25.

III.

Tertio, etsi maxime verum illud signum existeret, deficeret tamen, quia cognitionem nostram fugit, nec vt debet, est manifestum nisi soli Deo, de quo Apostolus: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt eius.* Et Dominus: *Ego scio quos elegerim.* De nobis vero in vniuersum dicitur: *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit*: sed omnia in futurum seruantur incerta, & Ecclesia precatur: *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus.* Quamuis enim sciamus aliquos esse electos à Deo, ac prædestinatos: nemo tamen certo scit de seipso, multo minus de aliis. Nam de se Apostolus timens, ait: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Hinc August. libro. de correct. & gratia: *Quis enim ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat, quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per Satanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus.* Item Bernardus serm. de Septuagesima: *Quis potest dicere, Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam, dicere potest, reclamante nimirum Scriptura: Nescit homo si sit dignus amore, an odio? Quoniam quales sumus nosse possumus vel ex parte: quales autem futuri sumus, id nosse penitus nobis impossibile est.* Et Gregorius in illud Euangelii: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*: *Timendum fratres,*

2. Tim. 2.

Ioan. 13.

Nemo scit se prædestinatum à Deo.

1. Cor. 9.

Augu. l. de correct. & grat. c. 13. 10 7. prope fin.

2. Cor. 12. Bern. serm. 1. in Sept. e. mst.

Eccl. 9. Greg. hom. 38. in Euangelica, paulo à med. c. 1. Mat. 22.

quia

quia quod vocati sumus, scimus: quod electi sumus nescimus. Et quia nullus certus est esse electum, omnes formident. Hæc ille fere.

Gratiam Dei & charitatem falso indicare veram Ecclesiam. I. Ratio.

Deinde alterum signum gratiæ, & charitatis fallax est, & incertum. Tum quia per multi sine gratia Dei sunt in Ecclesia, vt frater peccans in fratrem, quem Christus iubet corrigi secreto, deinde adhibitis testib. & postremo denunciari Ecclesiæ, & de illa eiici. Præterea Chorinthius incestuosus, quem iudicat Paulus, cum tamen doceat, eos, qui foris sunt, non à nobis iudicandos sed à Domino. Item quoque Paulus luget multos ex Corinth. qui crediderant, quia non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt. Adde his parabolas Euangelicas, Retis congregantis pisces bonos, & malos; Areæ habentis paleam cum grano: Agri habentis triticum cum zizania; & Conuiuij, ad quod admittitur veste nuptiali spoliatus. Adde Concilium Constātiense, quod sessione decima quinta damnauit propositiones Ioannis Wicleff, inter quas erat vna: *Præsciti non sunt partes Ecclesiæ.* Deinde ostenditur falsum esse signum, & quosdam gratiam fuisse adeptos antequam in Ecclesiam ingrederentur: talis fuit Centurio, qui erat vir religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, cuius orationes, & eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, etiam antequam aqua baptismi tingeretur, aut Petrus illi Euangelium prædicaret. Testatur etiam illum in gratia fuisse Beatus Augustinus non semel, & B. Thomas. Tertio, illud signum falsum esse euincitur. Nam Cathecumeni extra Ecclesiam sunt, cuius ianua est Baptismus, & tamen multi illorum gratia non destituuntur: vt de Valentiniano Imperatore adhuc Catechumeno, qui antequam baptismo tingeretur, vita defunctus est, testatur Ambrosius.

Supra 18. *1 Cor. 5.* *Ibid.* *1. Cor. 12.* *Matth. 13.* *Supra 3.* *Infra 13.* *Infra 22.* *Concilium Constant. sess. concil. in fine art. 3.*

II. *Act. 10.*

III.

B. Amb. in orat. de obitu Valent. 2.

Est igitur Dei gratia, fallax Ecclesiæ Dei agnoscendæ signum. Est etiam prorsus ignotum, & occultum, vt per illud nihil certi demonstrari possit: quia homo videt ea quæ foris parent, Dominus autem intuetur cor, qui solus est scrutator cordium & renum. Esset deinde signum perniciosum quia Ecclesia, & eius pastores, filios, & oues suas quas curare & corrigere debent, non agnoscerent: quia nunquam in eam cognitionem peruenire possent, nisi Deus sua bonitate reuelaret, qui essent veri electi, & prædestinati, & quia in gratia eius, & charitate versarentur. Inferiores etiam non valentes Dei gratiam agnoscere in superioribus, Pastoribus suis obedire non arctarentur, & ita periret omnis prælatio superiorū aut inferiorum ad suos Pastores subiectio, & obedientia. Nec satis est credere se electos esse, & saluandos, aut gratiam Dei iactare: quia idipsum omnes hæretici, vel infideles iactant, & ita omnes, cuiuscunque sectæ, fierent salui.

1. Reg. 16. *Psal. 7.* *Ierem. 11.*

Quod ergo dicitur: *Crede sanctam Ecclesiā* & alibi: *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi:* dicendum: Nos sane Ecclesiam recipimus sanctam, propter Christum caput eius sacrosanctum, & quia fidem sanctam colit, & Sacramentis ad sanctificandum institutis vtitur, & in multis membris sanctitatem charitatis iam habet, non autem in omnibus; quanquam & illos post bellum, & militiam peractam reddet in cœlesti gloria sanctiores sine macula, aut ruga. Peccatores etiam, qui fidem tantum præstant, & charitate destituti sunt, membra omnino abscissa non sunt, & influxum fidei, & aliorum donorum participant a capite suo; & sunt palmites in vite, licet fructum non adferant. Ad regnum autem diaboli, & Ecclesiam malignantium pertinent omnes hæretici, non autem fideles peccantes, quos Ecclesia suis suffragiis iuuare consueuit, nimirum Sanctorum communione, exemplo, correctione, doctrina de pœnitentia, & remorsu conscientiæ, & Sacramentis paratis, & aliis similibus opitulandi rationibus, quoad fidei initium retineant, & Ecclesiam Dei non contemnant. Et hactenus ex tribus membris primum persecuti sumus.

Ephes. 5.

Si non omnes sancti, & electi in Ecclesia sunt, quomodo confiteamur sanctam Ecclesiam. Peccatores fidem tantum, sed charitatē non habentes, ad Ecclesiam tamen cui pertineant. *Ioan. 15.* Qui sint in regno diaboli, deque Ecclesia malignantium.

Sequitur secundum, in quo posuimus signa manifesta quidem, sed minime vera: talia fere sunt. Habere sacras literas. Euangelium pertractare, tenere Ecclesiæ Sacramenta, vitam bonam, & honestam, saltem in specie, sectari, signa magna & miracula edere, saltem quæ magna videantur, & existimentur: in his videtur congregatio filiorum posita, & qui hæc præseferrent, non possent non Ecclesia Dei haberi.

II. signum: Scripturæ, Euangelium, Sacramenta, vita bona, miracula.

Sed hæ notæ toties nobis ab hæreticis decantatæ, etsi apertæ sint, & perspicuæ, pro veris tamen, & indubitatis habendæ non sunt, quia Catholicis, & Iudæis, & Infidelibus, & hæreticis communes sunt: quia omnes Scripturas versant, omnes verbum Dei tractant, omnes purum Euangelium se prædicare gloriantur, Typographi sacra Biblia excudentes, & reuoluentes tractant, nec tamen ob id sunt pro Ecclesia Dei habendi.

Contra I. signum.

Scripturas, non solis hæreticis, sed omnib. esse communes.

II. Præterea non posset Lutheranus Anabaptistam, aut Zuinglianum conuincere,

cum

cum non minus ipsi, quam alteri Scripturas colant, illas commentariis illustrent, in illis interpretandis desudent. Illis denique insenescant.

Tertium. Non sol, sed etiam Iudæi & quæuis hæreticorum secta, sua habet & administrat Sacramenta, qualiacunque sint illa.

Tertio, vsus etiam Sacramentorum nō est certum signum Ecclesiæ, cum omnis hæretica congregatio, imo & Iudæorum synagoga, sua peculiaria administrent Sacramenta: nemo est inter nouellos Hæreticos qui aut suo baptismo, aut sua cœna Dominica, aut absolutione destituatur.

IV. Non magis illi, quā Iudæi, & Turcæ vitam bonā profitentur & iactant.

Quarto, vita etiam in specie bona, & honesta non est vllis sectis propria, sed & Iudæis, & Turcis, & hæreticis communis est: quia vbique sunt homines in specie temperati, iusti, misericordes, fortes, ac prudentes ac natura sua quodammodi boni, id est minus ad malum propensi, & magis ad bonū inclinati. Per hanc ergo distinguendi rationem nihil certi statuere possumus: nam in omni secta sunt hypocritæ, simulatores, & dissimulatores. Diabolus etiam suis membris, & organis adest, vt boni, & sancti, & excellentes habeantur, & illis mirifice autoritatem conciliat: & iuxta Pauli doctrinam, possunt etiam charitate destituti omnia bona sua in cibos pauperum distribuere, & tradere corpus suum, ita vt ardeant.

1. Cor. 13.

V. Non sunt vera eorū miracula, nec ipsorū propria, sed etiam aliorum.

Postremo, non sunt miracula certa diuinæ Ecclesiæ signa: quia & Magi Pharaonis signa ediderunt, & pseudoprophetæ prodigia, & portenta proferent, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi, & illi, qui audituri sunt à Domino: *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem*, dicent; *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Præterea dæmō apud hæreticos signa falsa perfecit, si Simon Magus caput omnium hæreticorum, illa patrabat: & aduentus Antichristi erit in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus.

Exod. 7. & seq.
Matth. 24.
Supra. 7.
Psalm. 6.
Omnium hæreticorum caput Simon Magus.
2. Tim. 2.

Sed hæretici quo colorem aliquem prætexant suis assertionibus, statuunt, consensum multorum in Scripturæ interpretatione, vel Sacramentorum administratione certum esse signum Ecclesiæ Dei. Sed si hæc ratio solida esset, omnes hæretici in vnum conuenientes facerent Ecclesiā, quia consentirent in easdem Scripturas eodem modo intellectas, & in eadem Sacramenta eodem modo administrata.

Adhæc ipsimet Lutherani vera Ecclesia non essent, quia inter se longe diuisi sunt: aliter enim docent Lutherani, aliter Anabaptistæ, aliter Caluinistæ sentiunt, aliter Suencfeldiani scribūt, & mutuo seipsos in tet se libris conscriptis proscindunt, & lacerant. Lactantius libro quarto diuinarum institutionum Capite vigesimo septimo testatur, Deos Gentium nihil aliud esse quā dæmonia, vt Dauid ait: *Quoniam omnes dij Gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit*: nec distingui à dæmonibus ob eam rationem, quod quæcunque eorum dij facerent similiter & dæmonia operabantur: & Christianus vocatus in templum Iouis, vel Apollinis, cogebat eos vt se proderent dæmones seductores. Dij ergo illorum à dæmonibus non distinguebantur, & per consequēs congregatio, quæ illis signis fallacibus distinguebatur ab aliis, vera Ecclesia non erat, sed dæmoniaca, & diabolica.

Lactant. li. 4. diuin. inst. c. 27 parum à medio.
Psalm. 95.
Quinam Dij Gentium, qualisque eorum Ecclesia

Vnde Augustinus indicans ista falsa signa in libro tertio contra Donatistas, ait: *Quacunque etiam seductores integra, & legitima tenent, nec ea etiam sibi ipsi arrogarent, & quasi propria vendicarent; nisi a plebibus seducti vicissim seducerentur, cum eis creditur & tales honores deferuntur, vt per eos habeant potestatem talia dicendi, & sibi talia vendicandi, vt error eorum veritas appelletur, & scelus eorum iustitia putetur propter Sacramenta, & Scripturas quas tenent ad speciem, non ad salutem. Ideoque & per Ezechielem eadem fornicaria dicitur: Et protulisti de vasis gloriæ tuæ de auro meo, & de argento meo, ex quibus dedi tibi; & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis, & accepisti vestem meam versicolorem, & cooperuisti idola tua, & oleum meum, & incensum meum imposuisti ante faciem idolorum tuorum, & panes meos, quos dedi tibi; & similagine, & melle, & oleo cibaui te, & posuisti hæc ante faciem idolorum tuorum, & in odorem bene olentem perfecisti hæc. Ad imaginem enim phantasmatum suorum, cum quibus volutari carnalis anima delectatur, conuertit omnia Sacramenta, & verba librorum sanctorum.* Hæc ille, docens hæreticorum ingenium, qui Scripturis abutuntur ad colorandas suas opiniones.

Aug. l. 3. de baptism. contra Donat. c. vlt. non procul. à fin. 1. 7. ante med.
Hæretici Sacramenta, & Scripturas tenent ad speciem, non ad salutē, inquit August.
Ezech. 16
Quale hæreticorum ingenium.

Idem docuit Autor operis imperfecti in Matthæum, homilia quadragesimanona: *Volentibus cognoscere quæ sit vera Ecclesia, non est alius modus; nisi tantummodo per Scripturas. Quare? Quia omnia hæc quæ sunt propriæ Christi in veritate, habent & hæresis illa in schismate: similiter Ecclesias similiter & ipsas Scripturas Diuinas similiter Episcopos cæterosq; Ordines Clericorū similiter Baptismum, similiter Eucharistiam, & cætera omnia, denique ipsum Christum. Volens ergo quis cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat in tanta confusione similitudinis, nisi tantummodo per Scripturas? item antea & per signa cognoscebantur qui erant veri Christiani & qui falsi. Quomodo? Falsi quidem aut non poterant facere, sicut veri Christiani, aut ta-*

Autor operis imperfect. in Matth. hō. 49 aliquā-to post init. t. 2 operum Chrys.
Veræ Ecclesię cognoscēdę modus optimus per Scripturas, vt ille dixit.
Qualia signa ederēt veri Christiani. & quę falsi.

lia non poterant, qualia veri Christiani: sed facie bant vacua, admirationem quidem facientia, vti litatem autem nullam habentia: sicut frequenter exposuimus. Christiani autem faciebant plena, non solum admirationem facientia, sed etiam omnem vtilitatem habentia: & per hæc cognoscebantur qui erant veri Christiani, qui falsi. Nunc autem signorum operatio omnino leuata est: magis autem & apud eos inuenitur, qui falsi sunt Christiani fieri ficta. Sicut autem Petrus apud Clementem exponit, Antichristo etiam plenorum signorum faciendorum danda est potestas. Item ex moribus ipsis prius intelligebatur Ecclesia Christi, quando conuersatio Christianorum, aut omnium aut multorum erat sancta, quæ apud impios non erat: nunc autem aut tales, aut peiores facti sunt Christiani, quales sunt Heretici, aut Gentiles Adhuc autem, & maior continentia apud illos inuenitur, quamuis in schismate sint, quam apud Christianos. Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi: vnde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas? Hæc ille, eleganter sane. Qui cum omnia signa internoscendæ Ecclesiæ veræ exprimat, qualia Hæretici solent proponere, manifeste ait signa illa esse fallacia, & incerta.

Clem. Rom.

Quod supradictus autor, verã Christi Ecclesiam asserit per Scripturas bene distingui, quomodo verũ sit.

Quod vero ait, solum per Scripturas sacras internosci posse veram Ecclesiam, ne sibi ipsi contradicat, qui superius etiam Scripturas reiecerat à ratione certi signi Ecclesiam indicantis; intelligo, per Scripturas in proprio, & germano sensu expositas colligi certa, & indubitata signa, quibus quasi digito indicetur vera Christi sponsa, & corpus eius Ecclesia. Et hactenus secundum membrum, quod signa manifesta, & non vera cõtinebat, impugnauimus.

Ephes. 5. Coloss. 1.

Iam in tertio membro constituta sunt signa quidem vera, sed minime manifesta, & ita aperta, vt per ea alii reuincantur. Asseruerunt enim quidam, germanam Christi Ecclesiam illam esse, quæ possidet veras Scripturas, ac legitimum earum sensum: quæ habet vera Sacramenta, & germanum eorum vsum, & administrationem adhæc consensum vniuersalem in duo illa dicta, vitam item Christiano viro dignam, omni vitio carentem, & omni virtute excultam. Habere etiam vera signa, & miracula, minimeque facta, & quæ omnem facultatem naturæ creatæ longe superant. Qui hæc quidem dicunt, vera signa tradunt: sed à ratione manifesti, & perspicui deficiunt, ac proinde fallacia, & incerta sunt iudicanda ad certo dignoscendam veram Ecclesiam, & ab aliis falsis congregationibus distinguendam, quia quæuis spuria, ac notha secta, hæc omnia signa sibi solli arrogat, & illis alias spoliat. Quisque enim iactat verum sensum Scripturæ penes se esse: quisque legitimam Sacramentorum administrationẽ prædicat: sanctam & veram vitam, & vera miracula, imo visiones, & reuelationes, & raptus vsque in tertium cœlum deprædicat. Secundo, si hæc efficacia essent, Lutheranus non posset Zuinglianum, vel Anabaptistam conuincere, apud eos veram Ecclesiam non esse, sed apud se: nec similiter Caluinianus in Lutheranum insurgeret, veram Ecclesiam penes se solos esse opponendo. Tertio, peccant hæc signa, quia cum cõmunia sint omnibus volentibus sibi illa tribuere, opus esset iudice discernente, ac definiente quis sit verus Scripturæ sensus, quis Sacramentorum legitimus vsus, quæ sit honesta vita, ac probati mores, qui proxime accedant ad germanam Ecclesiam Christi, denique quæ sint solida, & non tantum apparentia miracula. Si igitur iudice ad hæc est opus, non sunt experta, & explorata signa, quæ omnes illico conuincant, & ad certam Ecclesiæ Christi, & ad veram cognitionem perducant.

Tertium gen⁹ signorum, veræ Scripturæ earumque verus sensus, Sacramenta, &c.

Hæc cur perspicua, & manifesta signa non sint.

I. ratio.

II.

III.

At vero quoniam hæc tria signorum genera, quæ hactenus produximus, ad incertam & dubiam Ecclesiam designandam, seruiunt; certa, & indubitata signa veræ Ecclesiæ Christi non sunt, & non minus certe est absurdum esse sine Ecclesia, & esse incerta, & dubia Ecclesiæ signa. Quidam enim quærunt medium inter Petri Ecclesiam, & Lutheri synagogam: qui neutrales haberi volunt, vt olim erat Erasmus. Sed hi non magis medium inuenire poterunt, quam inter arcam Noe, & aquas diluuii: hi quidem aliam hæresim condere possunt, Ecclesiam aliam reperire non poterunt: vt in morbis videmus. Morbo siquidem morbus opponitur: sed omnes, & singuli morbi vni sanitati aduersantur, ita hæresis hæresi contraria existit: at omnes, & singulæ hæreses vni Ecclesiæ Catholicæ opponuntur. Christus Dominus dixit: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit:* fingentes se dubitare, vbi sit Ecclesia (nisi forte tempore schismatis, vbi duo, aut tres gerunt se pro summis Ecclesiæ pastoribus, Christi vicariis, & Petri successoribus) seipsos cõdemnant. Nam teste Augustino, Christum ignoret necesse est, qui Ecclesiam eius nescit, in qua sola cognosci potest. Palpat in meridie Ecclesiam, inquit Hilarius, Pagani agnoscunt. Ecclesiam Ambrosius nondum initiatus agnouit, quia ab Arrianis nec baptizari, nec ordinari voluit. Ecclesiam Catholicam Ambrosii frater germanus Satyrus agnouit, quia à naufragio in partes Luciferianorum eiectus,

Inter Petri Ecclesiam, & Lutheri synagogã, vt putauit Erasmus, nullum est medium.

Hæreses omnes quales sint.

Matt. 12.

Aug. in Ps. 69.

In sola Ecclesia, ait August. Christus cognosci potest.

Ambr. in orat. de obitu fratris Satyri circa med. 3.

cum

cum baptizari cuperet, distulit, donec veniret ad Catholicam Ecclesiam, id est eam quæ cum Romana Ecclesia conueniret. Ab Ecclesia remotissimi sunt Pagani, qui veri Dei notitiam non habent, sed ænigmaticã, & imperfectam: Apostatæ, qui Sacramentum Christi habent, sed Christo non credunt: hæretici, qui Christo credunt quantum ad certum credendorum genus, sed in specie errant pertinaciter schismatici, qui à principio recte credunt, sed fraternæ vnionis societatem rumpunt; sed si à principio recte credant, mox aliquod dogma confingunt, vt Hieronymus ait. Et denique tot modi sunt condendi schismatis, quod modis vnitas violatur. Quatuor tamen modi assignantur. Primus est, quando male subsumitur: vt credentes vnam Ecclesiam. Sed in hoc errant, quod ista sit Donatistarum, vel Nouatianorum. Secundus eorum, qui dicunt suam Ecclesiam Esse Catholicam. Sed in hoc errant, quod non negant, eas, quæ alterius sunt communionis, esse Catholicas, dummodo omnia credant, & seruanda seruent: iudicantes quod Ecclesia sit vna specie, sed non vna numero. Sicut duæ ciuitates liberę habentes eandem formam ciuilis regiminis, quarum neutra sit alteri subiecta, sunt quidem vna specie, sed non vna numero. Tertius dicentium, omnes Apostolos, & Episcopos æquales esse, nō ordine solum, sed omnibus modis: isti tollunt corporis ordinem, & prælationem, & faciũt Episcopum cuiuslibet Ecclesiæ particularis iudicem immediatum sub Christo. Quartꝰ eorum, qui cuilibet ciuitati suum dant Episcopum, quem ipsa multitudo sibi elegerit ad nudum verbi, & Sacramenti ministeriũ: ita vt communitas sit iudex superior omniũ, etiam ipsius Episcopi, nec supra se aliũ quam Christum agnoscunt. ¶ Hæ omnes sunt species schismatis, quæ veræ Ecclesiæ Dei opponuntur, & Ecclesiam Dei obseruant. Pulsemus igitur precibus diuinæ misericordiæ ostium, vt nobis pro sua incomparabili bonitate lumen certum porrigere velit ad eas Ecclesiæ notas perspiciendas, atq; explicandas, quæ veram Christi Sponsam, & gloriosam Dei ciuitatem indicent, quo aduersarij, vel inuiti eam tempestiue cognoscere cogantur.

Quinque hominum sectæ ab Ecclesia remotissimæ

Hieron. in ep. ad Gal.

Quot modis vnitas violetur

I. II. *Simile.* III. IV.

Psalm. 86.

DISPVTATIO IV.

In qua agitur de solidis, & indubitatis signis, quibus germana Christi Ecclesia ab aliis sectis, quæ id sibi falso nomen vsurpant, dignosci possit.

POSTQVAM plus satis falsas, ignotas atque incertas Ecclesiæ Christi notas insectati sumus, illasque nihil conferre ad internoscendam spuriam congregationem à legitima, docuimus: sequitur, vt quarto loco veras, & manifestas, nullique alteri cõuenientes proferamus, illasque Scripturis sanctis, & veterum Patrum testimoniis corroboremus. Ait enim Augustinus l. de vnitate Ecclesiæ: *Inter nos autem & Donatistas quæstio est, vbi sit Ecclesia? Quid ergo facturi sumus in verbis nostris eam quæsituri? An in verbis capitis sui Domini nostri Iesu Christi? Puto quod in illius verbis illam potius quærere debemus, qui veritas est, & optime nouit corpus suũ.* Et infra: *Vtrum ipsi Ecclesiam suam demõstrent* (scilicet Donatistæ) *si possunt, non in sermonibus, & rumoribus Afrorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis, & prodigiis fallacibus quia etiam contra ista verbo Domini præparati, & cauti redditi sumus; sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum Cantibus, in ipsius Pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus Canonicis sanctorum autoritatibus. Nec ita, vt ea colligant, & commemorent, quæ obscure, vel ambigue, vel figurate dicta sunt, quæ quisque sicut voluerit, interpretetur secundum sensum suum.* Hæc ille, ostendens, quibus Scripturarum testimoniis Ecclesiæ veræ soliditas sit stabilienda, & agnoscenda.

Aug. de Vnit. Eccles. c. 2. tom. 7. paulo ante med. Item ibid. ca. 17. paulo ante med.

Vnde Ecclesiam suam impii olim Donatistæ conarentur ostendere.

Matth. 24.

Inter hæc ergo solida signa principem locum obtinet antiquitas Ecclesiæ ab initio orbis conditi, eiusque duratio, & absque vlla interruptione, aut parenthesi continuatio. Hoc autem signum primo declarandum est, ac verbo Dei, ac ratione fulciendum.

I. signum Ecclesiæ Christi Catholicæ verum ac solidum, eius antiquitas, atque duratio.

Cum igitur dicitur Ecclesia durare non intelligas, quamdiu priuati homines viuũt: nam exploratum est, eos vsque ad resurrectionem, & inde ad æternum permansuros; sed quandiu manet forma sua, hoc est, fides, & doctrina salutis in omnibus suis membris, & charitas perfecta in comprehensoribus, ita vt tunc dicatur Ecclesia nõ esse, cum tota perniciose erraret, aut omnes lethali peccato infecti subiacerẽt: quia tunc in aliis credentibus, & iustitiæ cultoribus Ecclesia non subsisteret. Tota enim

Hæc quomodo accipienda sit.

Ecclesia propterea quando esse desineret

errare diceretur, cum quisque hæresim eiectaretur, vel cum tota in omnibus, vel maioribus membris fixum aliquod decretum contra fidem conderet; vel approbaret, quod esset per se malum: quod tamen continget nunquam, seruante illam peculiari Dei prouidentia. Ideo enim comparata est in Scripturis rebus, quæ peculiari cura indigent: vt inter inanima, Soli; Lunæ, stellis, gemmis, margaritis, thesauris, templo Dei, lapidi reprobato, & lapidi viuo; domui, vbi vasa aurea, & argentea; vestimento, sagenæ missæ in mare; inter plantas, areæ frumenti agro, vineæ, & horto, palmæ, cedro; inter bruta ouibus, & iumentis; inter aues turturibus, columbis; inter homines, his, qui Regi suo parent, seruis expectantibus dominum suum, ancillis, virginibus, amicis, de quibus Paulus, *Vos dixi amicos*; fratribus, de quibus Paulus, *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*; amicæ, & sorori, quibus adhuc maior est cura, filiis iuniori, & seniori, filiæ principis, Sponsæ, & proprio corpori, ita vt simus membra de membro, vt ait Apostolus. Vt hinc accipiamus, quam peculiari ratione, cura, & solicitudine Deus Ecclesiam suam regat, & administret.

Ecclesia in Scripturis quibus assimiletur.

Cant. 6.

Mat. 22.

Luc. 12.

Prou. 9.

Mat. 25.

Ioan. 15.

Rom. 8.

Quod igitur ad sensum explicitum Ecclesia tanta gaudeat antiquitate, tantoque priuilegio durationis præfulgeat, id est, semper fuerint fideles, & inter eos etiam nonnulli iusti, probari primo potest, quia ante Adæ peccatum Ecclesia erat in Adam & Eua (nam Adam solus non erat Ecclesia, quæ nomen est collectiuum:) eis vero peccantibus, vt videtur, mansit in eis fides, qua professi sunt Deum conditorem; non autem mansit gratia Dei, donec Deo ad eos veniente, & ad pœnitentiam exhortante, & tunicis pelliceis, induente, resipuere. Quæ etiam in Abel, Seth, & Henos permansit vt dictum est dæmoni, *Ipsum (scilicet semen mulieris) cōteret caput tuum*: quod certe minime contriuisset, si dæmon immisso diluuio totam Ecclesiam abstulisset, ac dissipasset, quo tempore peccatores fideles tantū erant & filii Ecclesiæ: vltra octo viros iustos, qui in arca fuerant, in quibus Ecclesia remansit, & in prole saltem filiorum Seth, & forte etiam aliorum ex parte: vt merito de Noe legamus: *Et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio; & institutus est hæres iustitiæ*, vt Apostolus ad Hebræos scribit. Hinc in sua prole Ecclesia Dei perseuerauit vsq; ad Abrahā, in quo cum Loth, & suis posteris, vsque ad egressum de Aegypto conseruata est: sed non tota, quia erat Melchisedech cum populo suo, quem regebat & Iob fidelis cum suis, & ita de aliis ve-

Ecclesiæ antiquitas Scripturis abunde cōprobatur.

Gen. 3.

Ibid.

Infra. 4.

Infra. 7.

Ibid.

1. Pet. 3.

Eccles. 44.

Heb. 11.

risimiliter est putandum. Nōc etiam promissa est proles minime de terra delenda, & arcus positus in signum quod non deleret amplius mundum per aquam: Abrahæ quoque promissum est semen in omnibus Gentibus, & iureiurando confirmatum. Fuit autem in populo Dei, qui legem veterem accepit, bona Ecclesiæ Dei pars vsque ad Christum, de quibus Apostolus: *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.* Nec ita creuit idololatria in populo Israel, vel post transmigrationem, quin semper multi mā serint fideles; vt sceptrum de Iuda non auferendum indicabat, & tribunal summi Pōtificis, & seniorum, Deuteron. decimo septimo, & Prophetæ, qui se opponebant idolis vltra alias oues, quæ non erant ex illo ouili. Et hæc successio Ecclesiæ in duabus genealogiis Christi per Matthæum & Lucam enarratis continetur in parabola Patrisfamilias mittentis operarios singulis horis in vineam suam.

Gen. 9.

Heb. 11.

Vnde constare possit in populo Iudæorum, vel idololatria; semper Ecclesiam permansisse.

Gen. 49.

Deut. 17.

Ioan. 10.

Matth. 1.

Luc. 3.

Matth. 20.

De hoc vero populo fideli dixit Propheta: *Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.* ¶ Quod vero à Christo ad iudicium vsque absque vlla interruptione perseuerare habeat, indicauit Dominus cum dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Dicens enim: *Omnibus diebus*, omnium ora hæreticorum obturauit, & se sine interruptione in Ecclesia futurum declarauit. Idem quoque fecit, cum promisit inferi portas in Ecclesiam non præualituras. Pollicitus est quoque Spiritum sanctum Apostolis, *Vt maneat*, inquit, *vobiscum in æternum.* Dixit quoque, *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*; & Paulus: *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret.* Ex quo habemus Ecclesiam Gentium duraturam vsque ad Iudæorum conuersionem. Dixit quoque in Parabola: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem.* In finem ergo seculi erunt in Ecclesia boni & mali, significati per bonum triticum & zizania. Propheta quoque vaticinatus est: *Pro patribus*, inquit, *tui nati sunt tibi filij &c. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum & in seculum seculi.* Denique Apocalypsis describit, etsi occulte, vniuersa tempora Ecclesiæ ad iudicium vsque durantis.

Psal. 73.

Ecclesię ad finem vsq; seculi continuata penitus, & nihil interrupta duratio quibus Domini verbis expressa & declarata.

Matt. vlt.

Supra 19.

Ioan. 14.

Matt. 24.

Rom. 11.

Matth. 13.

Psal. 44.

Inter alia quid doceat diuina Apocalypsis.

Quod ergo dixit Christus: *Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* ita accipiendum est: quia multi deficient à fide iuxta vaticinium Apostoli: *Nisi venerit discessio primum*, siue apostasia, id

Luc. 18.

Quomodo intelligendum illud Christi verbum: veruntamẽ Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra.
2. Theſ. 2.
Mat. 24.
2. Tim. 2.
Aug. ep. 119 c. 19 inſ. c. 2.

eſt, à fide in multis membris, ſed non in omnibus, quia electi non deficient: quia fũdamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, Cognouit Dominus qui ſunt eius. Et licet quandoque tolerentur in Eccleſia zizania; non tamen approbat, nec ipſa facit, vt ait Auguſtin. ad inquiſitiones Ianuarii. Quod igitur Eccleſia tam antiqua ſit, & ſucceſſionem habeat vſque ad iudicium, ex Scripturis indicatum eſt.

Quibus eadem veritas rationibus confirmetur.
I. ab attributis Dei.
Gen. 18.
Infra 19.
Perniciosus Eccleſiæ error, ſi vllus eſſe poſſet, quid inde.
Dei finis quis.
Sap. 5.

Ratione quoque idem probatur multipliciter; tum ex parte Dei: quia cum omnia ad ſe ordine quodam Deus trahat, faciendo vt inferiora ſeruiant homini, & homo malus, & impius pio atque bono deſeruiat (vnde cum boni inter Sodomitas defuere, quibus ſeruiebant, perierunt) pius, & bonus Deo famulatum impendit. Si igitur Eccleſia pernicioſe erraret in doctrina Fidei, Deus ſuo fine, qui eſt laus, gloria, & proprius honor, hominiſque cultu, & debito ſibi ſeruitio priuaretur, & cum bonis, & piis commercio: malus etiam, & impius fruſtra ſiue rerut viuere, & inferiora fruſtra illi ſeruirent, quia non ſunt tantum vt ſeruiant, tanquam obiectum laudis diuinæ ſicut ſeruiũt beatis, ſed vt miniſtrent, & ſeruiant nutrimento, & generationi bonorum Deum honorificantium, ob quos vel inuitè ſeruiunt etiam inſenſatis: in quos tamẽ excurſiones quandoque creaturæ faciunt, vexantes homines fame, peſte, incendio, beſtiis: donec in iudicio aperte contra eos bellum indicant.

Quid proprium diuinæ iuſtitiæ.

Deinde idem indicat diuina iuſtitia, ne mali contra bonos omnino præualeant, permittendo omnes errare.

Eccleſia miſerorum refugium, & locus diuinæ exauditionis.
Luc. 1.
Matt. 4.

Adde etiam eius miſericordiam, quæ vult ſemper eſſe Eccleſiam Dei apertam, in quã mali poſſint ingredi. Voluit enim, vt certũ ſit, & infallibile refugium, cui infirmi tuto ſe ipſos credant; & vt deſideria iuſtorum, & ſanctorum præcedentium exaudiantur, qui cupiunt, vt ſint ſancti filij, qui Deum laudent, & in eo ponant ſpem ſuam; & vt conuertant corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum.

Deus quomodo & quantum, & quibus maxime ſe creaturis communicet.

Accedit & diuina bonitas, cuius proprium eſt, vt ſicut Perſonæ intus ad ſe inuicem ſine principio & fine ſe communicant, ita etiam extra ſe omnibus rationibus ſui creaturas participes faciendo, cum principio tamen, & fine, ſed præſertim Angelo, & homini cum principio, & ſine fine.

II. ratio ab autore Eccleſiæ Chriſto.
1. Cor. 3.
Matt. 7.
Pſalm. 126.

Ita etiam probatur ſecundo ex parte Chriſti. Ipſe enim vt ſapiens architectus Eccleſiam ædificauit, nec debuit permittere, vt eam Samaritani deſtruerent: nec vt flumina, & pluuia, & venti perſecutione eam demoliantur. Vnde prædici fecit, *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem; fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Illo igitur vigilante & protegẽte, fruſtra timemus. Ipſe quoque vineam plantauit, non ergo debuit permittere, vt ab apro de ſylua omnino exterminaretur, etſi quandoque ex parte à ſingulari fera depaſci ipſius vineæ culpa ſinat. Ipſe quoque caput eſt, quod non debuit ab omni vitali influxu in membra viua ceſſare, ſicut ſorores illæ dicebant: *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Ipſe quoque ſponſus eſt caſtiſſimæ ſponſæ, non ergo permittit illam ab adultero vitiari, nec eam, cui ſemet ipſum ſemel tradidit, vnquam repudiat permittendo eam per errores pernicioſos prolabi.

Pſ. 69.
Ibid.
Ioan. 11.
Supra. 3.
Epheſ. 5.

III. ratio ab ipſa Eccleſia deſumpta.

Tertia via idem probari poteſt ex parte Eccleſiæ. Ipſa enim immediatum opus eſt Dei creantis, & Chriſti reparantis; ſtabile ergo debuit eſſe, & ſemper viuens, nõ ſubiectum ruinæ: quod eſſet, ſi Eccleſia à Fide caderet, nunquam reſurgẽdo, vel ſi eſſet intercisum opus, vt poſt caſum reſurgeret; ſed debuit eſſe continuum, & perfectionẽ habens, à principio ſuo per medium tendens ad finem: & hoc ordinatum, ne opus ſecundi Adæ vanum redderetur, vt primi.

Eccleſiæ opus cur ſit opere naturæ præſtantius.
Circa quid verſetur.

Præterea Eccleſia opus eſt gratiæ, quod præcellere debet operi naturæ, quia altiorem finem ſortitum eſt, id eſt, æternam gloriam & Deum donatorem rerum ſupra naturã poſitarum per Chriſtum. Altius enim habet ſubiectum; id eſt, ſpiritum immortalẽ natura corpora trãſcendentem. Formam etiam nactum eſt altiorem, hoc eſt, diuinã gratiam, quia, vt pictura præſtat chartæ, vel ligno, in quo eſt, & vt lapillus pretioſus ſuperat annulum et amantem, cui inhæret; ita gratia homines longe dignitate, & pretio vincit; non debuit ergo Deus ſinere in totum tale opus perire, licet pereat quandoque in partibus: quemadmodum ſpecies in mundo, & non indiuidua particularia ſuſtentantur, ne pereant.

Quanto homine dignior ſit gratia Dei.

Denique Eccleſia eſt Chriſti imperatoris, ac ducis militantis exercitus: terribilis ergo debuit eſſe hoſtibus, ne ab eis euerſa vinceretur.

IV. ratio, ſeu via.
Matt. 13.
Luc. 17.
Gen. 8.

Quarto ex parte Eccleſiæ malignantium idem euincimus. Illa enim, licet diuiſa, & interciſa, durat in finem, vt zizania vſque ad meſſem; & ſicut in diebus Noe edebant, & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vſque in diem, qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes: ſecũdũ hæc erit, qua die Filius hominis reuelabitur. multo ergo magis Eccleſia Chriſti in finem vſque durabit, ſine vlla diuiſione vel interruptione. Quod ſi regna hominũ diuturnũ temporis ſpatium nacta ſunt,

Regna & Imperia, quæ o-

lim multũ durauerint

vi Assyriorum, Chaldæorum, Persarũ Medorum, Græcorum, & Romanorum, ergo multo magis Ecclesia Christi, de qua prædixit Daniel: *Potestas eius* (scilicet Christi) *potestas æterna, quæ non auferetur, & regnũ eius quod non corrumpetur*, & Angelus ad Virginem: *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis* Vnde etsi multis tribulationibus oppressa fuerit, nunquam tamẽ fuit extincta. Imo quo maioribus persecutionibus afflicta est, eo magis in ea præfulserunt sancti, & viri spiritu Dei pleni, iuxta illud: *Sæpe oppugnauerunt me à iuuentute mea; etenim non potuerunt mihi*; & iterum: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis. Cum exurgerent homines in nos, forte viuos deglutissent nos. Benedictus Dominus, qui non dedit in captionem dentibus eorum.*

Dani. 7.

Luc. 1.

Psal. 12.

Psal. 123.

Ecclesię Militantis, & Triumphantis duplex discrimen in duratione assignatur.

Matt. 22.

Ex his igitur rationibus ad Scripturas productas adiunctis, perspicuum, & liquidum reddi ut eius priuilegium, antiquitatis scilicet, & durationis. Nec est eadem ratio Ecclesiæ Militantis, atque Triumphantis: quia hæc permanet in æternum, in eisdẽ indiuiduis: nam erunt homines sicut Angeli Dei: illa vero Militantis vsque ad iudicium, non in eisdem prorsus hominibus permanet, quos tandiu viuere non posse constat, sicut etiam fidem posse amittere. Nec in indiuiduis sibi necessario succedentibus in eadem gẽte, & in eodem loco: quia quæuis gens, & quiuis locus potest admittere Fidei iacturam. Nam fides ex Gentibus primum in Iudæos progressa est, & à Iudæis in Gentes, & hinc rursus redibit ad Iudæorum reliquias. Sed intelligimus in variis indiuiduis in fide succedentibus Catholica, etiam quantum ad aliquos in gratia charitatis Dei. Eliciemus deinde, quod etsi quæuis Ecclesiæ vniuersalis pars loco, & tempore quocunque errare possit, quia nulli nationi, vel diœcesi est facta præservationis promissio: & videmus olim Gentes, & postea Iudæos, postmodum Christianos Orientales, & Africanos, Germanos, & Gallos errasse quandoque, & doctrinam fidei certis locis deseruisse: Ecclesia tamen vniuersalis militans nec per horam in fide perniciose errauit hactenus, aut errare potuit, & nunquam in fide in futurum errabit. Vt verbi gratia Ecclesia Catholica sub Adamo nunquam Fidem deseruit, nec sub Noe, nec sub Abraham, vel Moyse, vel Dauid, vel Zorobabel, vel sub Machabæis: nunquam sub Christo, Apostolis, Martyribus, Doctoribus, Monachis, hactenus errare deprehensa est: quamuis quædam istarum pars, extiterit portio vniuersalis Ecclesiæ eius, quæ omni tempore floruit.

Quælibet Ecclesia particularis in Fide cur possit errare.

Ecclesia vniuersalis gaudet priuilegio nõ errandi.

Ideo detestanda est hæresis, & impudentissimum mendacium eorum, qui asserunt à quadringentis annis, quibus Scholastici Doctores florere cœperunt, Ecclesiam turpissime in multis aberrasse. Proinde omnis particularis congregatio post Ecclesiã emergens sub nomine religionis, & vere consentiens cum fide vniuersalis Ecclesiæ sibi coæuæ; Catholica est, & membrum eius, & ea tempore posterior, & numero, & perfectione minor. Et quod Catholica sit, inde probatur: quia vt nouimus, habet Fidem Catholicam. Quod vero posterior, Inde liquidum fit: quia post oritur. Quod numero minor, indicatur ex eo, quod pauciora membra habet sub se. Denique quod perfectione à priori deficiat, inde colligitur, quia totum perfectius est sua parte, etiam perfectissima: vt vniuersum præstantius est, quam Angelus, vel homo, vel cœlum.

In eos, qui dicunt, à quo tempore Scholastici Doctores florere cœperunt, Ecclesiam in multis aberrasse.

Quod omnis titulo religionis post Ecclesiã existens congregatio atque vniuersalis Ecclesiæ sibi coæuæ non dissentiens, sit Catholica

Quod illa posterior, & numero & perfectione minor.

Sed cum eiusmodi congregationibus, vel cum filiabus suis non habet Ecclesia æmulationem, nec cum eis certat, quemadmodum nec ciuitas cum suis ciuibus, quia sunt melior eius pars. Quemadmodum in Ecclesia legis naturæ supererogabant multi, vt Abel, Seth, Henoch, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob. offerentes decimas. In lege vero Moysis, Prophetæ, Nazaræi, Rechabitæ Pharisæi, & Esseni certa quædam religionis opera profitebantur ad quę lege non arctabantur. Ita in lege Christi obseruantes Euangelica consilia, præcellunt his, qui tantum seruant præcepta. Clarum siquidem est, tales fideles meliorem statum professos esse; posteriores vero imperfectiores esse, & numero pauciores quã sit tota Ecclesia: quia corpus quolibet mẽbro etiam perfecto, & alia imperfectiora membra superante præstantius est. Tales autem congregationes priuilegiis matris suæ, scilicet Ecclesiæ Catholicæ, potiuntur, vt tradit Tertullianus; ideo in ea sunt antiqui, & multi, & habent pro seipsis sapientiam veram, solida signa, & puriorem vitam. Et idem dicendum est de quouis indiuiduo consentiente in doctrina Fidei Catholicæ cum Ecclesia sui temporis.

Quinam in lege natura, & in Scriptura supererogationis opera præstiterint.

Num. 6.

Matt. 9.

Infra 23.

In Euangelio qui supererogẽt.

Eiusmodi congregationes piæ atque Catholicæ quibus Romanæ Ecclesiæ beneficiis perfruantur.

Tertull. l. de præscrip. hæret.

Contra vero quæuis cõgregatio sub nomine religionis denuo prodiens, & contra fidem sui temporis sentiens, superstitiosa est: quia vel est infidelis, si fidem Ecclesiæ non suscepit, vel si suscepit, est hæretica, & à fide deficiens; & si in vnione, vel obedientia tantum dissidet, est schismatica. Quod constat, quia prior est in fidem eius,

Falsa & superstitiosa omnis congregatio quæ censẽ ea.

quæ

quæ errare non potuit: secunda, in charitatem, & vnionem. Idem de homine dicendum est.

Ad Latinā Ecclesiam, pertinemus, scilicet illā & orthodoxam tantū Catholicos non autem hæreticos, semper pertinuisse.

Tertio elicimus, quod Ecclesia Latina, in qua nos fuimus, & à qua hæretici recesserunt, vera Dei Ecclesia sumus, & non illi quia nos recipimus omnem Pontificum Romanorum, Oecumenicorū, Synodorū, & consentientium Doctorum sententias in omnes hæreses præscriptas; quas etiā damnamus, & impositum sensum Scripturis priuato cerebro contra Catholicū sensum reprobamus; cum hi hæretici tantum quod volunt, recipiant; ideo seipsos tantum, & dæmones sese in errores ducentes sequuntur.

Falsam quamlibet sectam vniuersalis Ecclesia semper fuisse, & esse posteriorē.

Quarto, ex hoc certo signo elicimus Ecclesiam vniuersalem omnibus falsis sectis esse antiquiorem, & ab ea immobili permanēte omnes leuissime recessisse, saltem mediate, & omnium vidisse, aut visurā finem, si nō ante, saltem in extremo iudicio. Nam si ab initio est, quando sectæ non erant, antiquior est illis Ecclesia. Ideo in persona horum dicitur in libro Iob: *Nunc derident me iuniores tempore.* Omnis enim hæretica cōgregatio iunior est. Quod etiam probatur: quia falsitas priuatio est, quæ ponit habitum veritatis percepisse. Ostendit etiam quod post seminatum agrum bono tritico, postea ab inimico homine superseminata sunt zizania.

Iob. 30.

Falsitas quid sit.

Mat. 13.

Tertul. Veritatem mendacio antiquiorem vnde colligat Tertulliā.

Ex quo colligit Tertullianus, veritatem mendacio esse antiquiorem. Ait enim in lib. de præscriptionibus hæreticorum: *Sed ab excessu reuertar ad principalitatem veritatis, & posteritatem mendacitati deputandam ex illius quoque parabola patrocinio, qua bonum semen frumenti à Domino seminatum primo constituit. auenarum autem sterilis fœni adulterium ab inimico diabolo postea superducit. Propriè enim doctrinam distinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei semini similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissum.* Et idem citat Homeri versum in nouos hereticos insurgentes.

Homer.

Sed vos, Inquit, *qui estis, quando, & vnde venistis?*

Idem Tertul. li. 1. aduers Marcionem, aliquanto à med.

Et libr. aduersus Marcionem. *O Christe*, inquit, *patientissime Domine, qui tot annis interuersionem prædicationis tuæ sustinuisti, donec scilicet tibi Marcion subueniret.* Clemens quoque Alexandrinus eundem Canonem secutus, hæreses omnes ortas post Christi Ecclesiam tradit. Hilarius quoque libr. de Trinitate testatur, hæreticos sero venisse, & nimis tarde, vt nos aliter de Christo, &

Clē. Alex. li. 6. Strom.

Hilar. li. 6. de Trin. ante med.

eius Sacramentis, quam ab initio traditum est, doceant. Cuius hæc sunt verba: *Tarde mihi hos impijssimos, quantum ergo arbitror, doctores ætas nunc huius seculi protulit, Sero hoc habuit fides mea, quam tu erudisti, magistros.* Adde Athanasium in lib. de Synodis Arimini, & Seleuciæ celebratis aduersus Arrianos, qui nouam fidem condebant: *Vrsatius*, inquit, *& Valens, Geminiusque cum cæteris suis gregalibus id fecere, quod antea nec factum nec auditum est apud Christianos. Cum enim scripsissent eam fidem, quam voluerunt, addiderunt & consulem, & mensem, diemque eius temporis, vt omnibus prudentibus palam facerent nunc demum eorum fidem sub Constantio initium accepisse.* Et infra: *Si secundum ipsos*, inquit, *ab istis consulibus principium fides accepit, quid facient Patres, & beati Martyres, aut quid facient illi, qui ab eis in Christiana religione instituti sunt, & ante consules istos dormierunt? quomodo illos excitabunt, vt quod didicerint, obliteretur? & quod ipsi scribendo inuenerunt, in eos inserant?* Sic ille, insinuans, Ecclesiam Christi ante hæreticos floruisse,

B. Athanas. t. 2. circa fin.

Hæreticorum fidei nouitatem deridet Athanasius.

Et Hieronymus ad Pammachium, & Oceanum: *Qui, quis es, aut, assertor nouorum dogmatum. quæso te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostoli voce laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nesciuimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vsque ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit. Illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum.* Hactenus ille, certissimam regulam tradens eo ad dignoscendas spurias, & falsas congregationes à vera, & legitima. Gregorius item Nazianzenus ad Cledonium; *Pro absurditas*, inquit, *sapientiam in Christo reconditam nobis annunciant. & hodie nos irrident, cum potius lacrymari deberent. Si enim ante hos triginta annos fides incepit, cum quadringenti ferè sint anni, ex quo manifestatus est Christus. Euangelium nostrum in tempore tanto fuit inane, inanis & fides nostra: & hi, qui testimonium præbuerunt & frustra sunt testificati, frustra tantum populo præfuere præsules, tales ac tanti gratiaque est mensurarum; & nequaquam fidei.*

Hier. epist. 65. circa fi. to. 2. ante med.

Hieronymus eandē exagitat.

Greg. Naz. ad Cledon. epist. 1.

Fideo Euāgelica nisi hæreticorum esset si de vetustior, teste Nazianzeno quid inde Congregationem quamcunque hæreticorum, siue solum schismaticam vera Dei Ecclesia fecisse diuortium.

Quinto loco sequitur, omnem falsam sectam, scissionem, & schisma à vera Christi Ecclesia fecisse. Nam secta idolorum cultum amplectens, post Abraham, & suos exorta est, qui verum Dei cultum etiam ante diluuium retinebāt. Core certe, Datan, & Abiron ab Aaron designato summo à Dei Pontifice, & Moyse desecerunt, non Moyses & Aaron ab illis. Romana Ecclesia non defecit à Græca, sed illa potius à Romana. Nam cum duo pares, & omnino

Num. 16.

æquales dissident inter se, non magis hic ab illo, quam ille ab hoc discessisse videtur. In domo tamen Dei, quæ est Ecclesia, ita vixerunt Græci, & Latini, vt etsi Fides, ab Oriente in Occidentem sit allata ob antiquissimi, & primarij beati Petri fidem & Cathedram in Occidente ex voluntate Dei constituta, Romana primas semper tenere dignoscitur: ideo illi debebant Cathedræ Petri subdi, vt superiori suo: quod inde probatur, quia totus Oriens & Græcia semper Romanam sedem vt Christi sedem agnouit, & consuluit, & quicquid vel in fide, vel Ecclesiarum constitutione, vel in Episcopis creandis, semper confirmatione Apostolicæ Sedis beati Petri indiguerit: ita vt quisquis ab eius fide, & obedientia defecerit, hæresim, & schisma condidisse censeatur. Vnde Optatus 2. libr. in Parmenianum: *Videndum est quis, in radice cum toto orbe manserit, quis foras exierit, quis cathedram sederit alteram quæ antea non fuerat, quis altare contra altare erexerit, quis ordinationem fecerit saluo altero ordinato; id est, dum viueret alter legitime ordinatus.* Hactenus ille. Decem quoque tribus vitulos aureos adorantes schisma fecerunt à vera Ecclesia, quæ in tribu Iuda remansit, & sequebatur antiquam Patrum Ecclesiam. Iudaica quoque Synagoga à Christo præcisa est, & à radice oliuæ: & vt ait Paulus: *Fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. tu autem fide stas. noli altum sapere. sed time.* Negantes enim Messiam Filium Dei, ab omni fide, & honore Ecclesiæ exciderunt, iuxta illud: *Non erit eius populus, qui eum negaturus est*, & , *Non habemus Regem nisi Cæsarem. Omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Propterea congregationes omnes hæreticorũ ab Ecclesia Catholica prodierunt, vt testatur discipulus: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Et Apostolus: : *Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Et Apostolus Iudas in sua Catholica : *Hi sunt, qui seipsos segregant, animales spiritum non habentes.* Qui autem segregat , vtique ab aliquo corpore se segregat, id est, ab Ecclesia Catholica. Et vt ponderat beatus Cyprianus libro de simplicitate prælatorum, nos non ab illis defecimus, sed illi à nobis defecerunt, qui nouam fidem inuehunt. Quamobrem ipsi, vt rami præcisi, cito arescunt, nos autem in trunco, & radice manentes, & tanquam palmites in vite perseuerantes viuimus. Lutherus aperte cõfitetur, se à nobis discessisse; & ideo dignus fuit à quo multi suorum deficerent. Nam & Anabaptistæ, & Zuingliani, discipuli Lutheri ab initio fuerunt.

Optatus.
3 Reg. 12.
Rom. 11.
Dani. 9.
Ioan. 19.
1. Ioan. 2.
Act. 20.
Iud. 19.
B. Cyprian.
Ioan. 15.
Lutherus cur multos habuerit suæ fidei desertores.

Porro secta Mahumetana , quoniam composita est ex congregationibus quę defecerant, & præcisæ fuerant à vera Dei Ecclesia, vt ex paganis, idololatris, & Samaritanis, qui à Iudaica Ecclesia excisi fuerant, & ex hæreticis Arrianis, vt Sergio, & Paulo monacho, & aliis; ideo ipsa quoque à vera Ecclesia est præcisa, cum aperte sequatur conuenticula schismatica.

Mahumetana secta vnde coaluerit.
A quibus condita, atque perfecta.

Ex hoc autem, quod hæreticæ congregationes ab Ecclesia Catholica defecerunt, sequitur, quod quicquid boni hæretici habent, à nobis habent, & quædam fragmenta, & semina nostræ doctrinę retinent: quia hæreses non in toto negant Christum, sed ex parte. Integrum tamen doctrinæ corpus apud nos est, & cum fructu maiori, & puritate hauritur. Nam inter hæreticorum libros nonnisi impure, & cum multis mendaciis admixta sunt Catholica dogmata : quamobrem merito tales libri prohibentur, & cisternis dissipatis comparantur, quę continere non valent aquas. Nulla siquidem est secta tam falsa, & execranda, quin aliquid veri doceat: vt maxime testari potest secta Mahumetana, quæ multa egregia de Christo, & genitrice eius Virgine philosophatur. Et similiter idem dicendum de Iudaica; & idolorum cultrice congregatione: quibus vere dicere possemus illo quod Samson dixit hostibus suis; *Si non arassetis in vitula mea, non inuenissetis propositionem meam.* Sicut autem omnis falsa cõgregatio tardius cœpit, & iunior est, ita etiam citius finitur; & hoc merito, quia opus dæmonis, vel hominis est. Hinc secta idolorum cultrix omnino fere abolita est. Iudæi ante finem mũdi, vel iudicium, ad Dominum, & Messiam suum conuertentur, teste Osea. Ait enim Apostolus: Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret. Mahumetanam vero, vel ipsis Mahumeti cultoribus testibus, post mille annorum spatium terminandam perhibent, & eorũ finem proxime iam instare cum timore tradunt. Arriani quoque potentissimi, Gnostici, Marcionistæ, Valentiniani, Manichęi, Pelagiani, atque aliæ sectę interitum expertæ sunt. Idem etiam futurum breui de Lutherana non dubitamus, quæ per Caluinisticam fere abolita est. Quod & idem futurum speramus de Sacramentarijs, & Calui ni sectatoribus, etiamsi ad horam exultare videantur, vt faciebant Philisthiim contra Israel. *Omnis namque plantatio* (Christus inquit) *quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Et tantum Ecclesiæ Catholicæ priui-

Si quid ab impuris hæreticorum lacunis veritatis, & doctrinæ prodeat, id omne ab vniuersalis Ecclesiæ purissimo fonte descendere.
Libro hæreticorum cur vetiti, & quales illi sint.
Ierem. 2.
Iudic. 14.
Eiusmodi sectæ cur istam deficiant.
Iudæos tandem aliquãdo Messiã suum agnituros, Oseas insinuat
Osea 1.
Rom. 11.
Mahumetana secta quamdiu duratura.
Hæreticorum congregation. vnde sperandum sit cito finem habituras.
Mat. 15.

Infra 16.

priuilegium est, quod inferorum portæ in eam non sint præualituræ.

Chriſti Ecclesiam, vt durabiliorem, numero plures, quam omnes alias sectas, sectatores habere, vel habituram fore.

Postremo colligimus, quia Ecclesia Christi omni falsa cõgregatione maiorem habet durationem, omnibus computatis, maiorem esse numerorum eorum qui inve ra Ecclesia Dei versantur, quam aliorum, qui falsas sectas profitentur, vel quæuis earum per se sumpta. Hoc enim dignitatem Regis magis decet, secundum illud: In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis principis ignominia. Siquidem cum illæ carni, & dæmoni placeant, parum durant. Et ita inter se sectarij diuiduntur, quia superbi sunt, & sibi indulgentes, & subditi sunt superbis, & discordibus per se dæmonibus, qui eos agunt. Et cum extra Ecclesiam sint, in vno errore quiescere non possunt: quemadmodum ij, qui se præcipites dederunt, in media præcipitij via non quiescunt, nec quiescere possunt. Probat præterea maiorem hunc numerũ: quia ante ortam idololatriam multi fideles extitere, & post Euangelium seminatum quamplurimi non solum ex Iudęis, sed ex Gentibus. Hinc valde verisimile redditur, hos omnes simul plures esse quauis particulari dæmonum secta, etiamsi cõferatur ad illam, quæ Idola colebat, & quæ omnium fuit maxima. Nam detecta Iudæorum à tempore Christi, Mahometi ab ortu suo, & cuiusuis hæresiarchæ, imo omnium simul, dubium non est, quin fideles ab initio mundi ad finem vsque computati sint plures: & tanto magis, si Ecclesia cũ quauis secta etiam idola colentium, & hæreticorum, quæ infinitæ, & paruæ fuerunt, & ab illa idolorum cultrice sunt educendę, conferatur. Nam Ecclesia illa propria ante illam, quæ idola coluit, per duo millia annorum fideles habuit, & post Christum per mille & quingentos annos? at interme dii, qui interuallo duorum millium annorum comprehenduntur, eruditi à lege, & Prophetis, Sibyllis, & commercio cum Iudęis, & ab Angelis, vnum Deum credebãt. Nam vt ait Daniel; *Princeps regni Persarum restitit mihi.* Nabuchodonosor, & Alexãder Magnus fidem in Deum coluisse videntur; & de Centurione dicebant seniores, *Diligit gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis*; & Christus, *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili.* ¶ An vero quouis tempore fideles numero excedant omnes fidem rectam non habentes, asserere non auderem. Nam tempore propagationis idololatriæ illi excedebant: & de fine mundi sermonem habens Dominus, dixit, *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* & Apostolus: *Nisi venerit discessio primum.* Nunc vero qui extra Ecclesiam versantur, multitudine vincunt eos, qui intus sunt, si simul hæretici cum infidelibus annumerentur.

Prima rat. *Prou. 14.* Sectarii inter se diuisi.

Secunda ratio.

Dan. 10. *Luc. 7.* *Ioan. 10.*

Non omni tempore fideles infideles numero superare.

Luc. 18. *2. Tessal. 2.*

Quod ait Augustin' Christianorum maiorem partẽ esse Catholicam, minorem hæreticam, quomodo verum sit. *Psal. 118.* *Rom. 10.* Id vbi locum non habet.

An etiam maior Christianorum pars sit semper Catholica Ecclesia, an hæreticorũ minor, etsi Augustinus id pluribus locis asserere videatur, putarem eum verum asseruisse ratione materiæ, & suo tempore. Et quantum ad hoc, quod licet pauci tunc fuissent, erat tamen vera Ecclesia, quia Ecclesię, quę per totum orbem doctrinam Apostolorum suscepit, continuati erant. quem admodum à Christo fuit prædictum. Hoc autem non semper existimo verum, nec necessarium: quia si hodie reponamus inter hæreticos Orientales, & Græcos, & Africanos, & eos, qui post Valdum, & Lutherum recesserunt, forte plures numero inuenientur, quam sint Catholici, etiamsi illis additi sint Indiæ Occidentalis habitatores: non dubitarem tamen asserere, plures esse hodie Catholicos, quam sint in qua uis hæreticorũ secta priuata seorsum sumpta: & licet etiam pauciores, continuati tamen pluribus antecessoribus, omnes, numero vincimus, pluresque nobiscum sunt quam cum illis. Quicquid autem sit reipsa, & facto, Deo magis, quam nobis cognito certe de iure est Ecclesia vniuersalis, quia omnium ex se habet vniuersalia remedia, & verbum, & Sacramentum omnib. commune, secundum illud, *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* &, *Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ:* &, *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* In quo Ecclesia differt à lege, & Synagoga: quia notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen ei'. Et hactenus de primo signo Ecclesiam veram indicante dictum sit.

4. Reg. 6.

Marc. vlt. *Esai. 49* *Act. 13.* Amplius Christi Ecclesia patuit, quam Iudæorum Synagoga. *Psal. 71.*

DISPVTATIO V.

De secundo certo, & indubitato Ecclesiæ veræ internoscendæ signo.

SVPERIORI proximum signum, & fere in eo contentum, est successio legitima, & cõtinua, nullaque ratione interrupta ministrorum Dei, ab Apostolis ad nos vsque descendens. Atque hac ratione potestas docendi, administrãdi Sacramenta ad salutẽ, & de his quę ad eam pertinent iudicandi, deriuata est. Sunt. n. Episcopi, &

Sacer-

Ecclesiam sine Episcopis, & Sacerdotibus Dei ministris non posse consistere.

Matt. 20. Luc. 22. Matth. 10. Ioan. 20.

Sacerdotes necessarij ministri, & dispensatores mysteriorum Dei: qui & apud Gentiles erant templorum Sacerdotes, & sacrorum custodes: quemadmodum quoque apud Hebræos fuere Leuiticæ tribus Sacerdotes, & Pontifices. Apostolis igitur data est potestas prædicandi, sacrificandi, peccata remittendi, pellendi dæmones, eliciendi signa in confirmationem doctrinæ, deniq; pascendi, ac regendi Ecclesiam Dei. Eadem potestas, in inferiori tamen gradus, post illos collata est septuaginta duobus discipulis. Igitur, teste Apostolo, illi ministri, & doctores necessarij sunt ad Fidem, & Sacramenta ministranda, & vt Paulus ait, ad consummationem sãctorum in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ: ipsique peruigilant quasi rationem pro animabus sibi commissis reddituri, & hoc in finem vsq; seculi. Beatus, inquit, ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem. Vere dico vobis, quoniã supra omnia quæ possidet, constituet illum. Quod si dixerit seruus ille in corde suo: *Moram facit dominus meus venire; & cœperit percutere seruos, & ancillas, &c.* Ex quo patet, & bonos, & malos ministros in finem vsque seculi duraturos. Et insinuans se ad omnes etiam posteros, habere sermonem; subdit apud Marcum: *Quod vobis dico omnibus dico. Vigilate,* Et quia ad Apostolos dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi,* constat, promissionem ministerio, & non personis esse factam. Ideo Christus aderit in finem vsque legitimis ministris, & pro talibus à fidelibus populis agnoscẽtur: legitimi autem non sunt, nisi qui à Christo potestatem accipiunt, & qui non ascendũt aliunde vt fures, & latrones, sed qui intrant per ostium, illi pastores ouium sunt. Vt ergo quis legitimus minister existat, oportet eum tanquam Aaron vocari: vt autem sit bonus minister, à sanctis moribus, & doctrina eius pendet. Et vt olim Leuiticum Sacerdotium à carnali propagatione pendebat, in Ecclesiasticum & Christianum Sacerdotium non ab vlla carnali propagatione. sed vt Ecclesia spirituali semine multiplicatur, ita & ministri doctrina, & Sacramentis per Euangelium fiunt, Ita ait Paulus: *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui;* & iterum, *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Apostoli ergo vos diuinam potestatẽ, quam à Christo acceperũt, illam in alios transfuderunt. Nam Petrus Antiochiæ Ignatium constituit, Alexandriæ Marcũ, Ierosolymis Iacobum, & Romæ Clementem. Paulus & ipse à Christo vocatus ab Anania baptizatus, à doctoribus, à Prophetis qui erant Antiochiæ, ordinatus, & ab Apostolis in consortium honoris, & nominis Apostolici acceptatus: cum quibus ne in vanum curreret, aut concurrisset, contulit Euangelium. Fueruntq; duodecim Apostoli tanquam duodecim filij Iacob totius Israelitici populi parentes; ita Apostoli toti' Christianæ Ecclesię progenitores, de quib. prædixit Propheta: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij (id est, pro Patriarchis Apostoli) constitues eos principes super omnem terram. Memores erũt nominis tui in omni generatione, & generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in seculum seculi. Sunt autem Apostoli progenitores per verbum, & Sacramentum, & Ecclesiæ totius regimen: vt sicut nullus agnoscebatur pro populo Dei, nisi per duodecim filios Iacob descenderet; ita nullus Christianus nisi per duodecim Apostolos, & eorum successores spiritualiter regenitus descendat. Et sic vt in Templo veteri nemo nisi ex genere Leui sacrum ministerium habebat: ita in Ecclesia nullus Sacerdos, nullus minister. nisi qui per eos sit ordinatus, & sacris initiatus. Vnde sensibili manuum impositione vtebantur, vt Act 6.13.14.1. Timot. 3.4. & 5. vbi generaliter: *Manus cito nemini imposueris,* 2. Timo 1. & ad Tit. 1. Iacobus igitur Episcopus Ierusalem ordinatus est à Petro, Ioanne, & Iacobo. Vnde tractus est mos, vt Episcopus non nisi à tribus ordinetur Episcopis: quemadmodum docet Anicetus epistol. ad Episcopos Galliæ, & Nicenum Conc. cap. 4. & Conc. Carthag IIII. capit. 2. Hinc orthodoxi Patres nostri non recipiũt nisi legitime ordinatos: ad quam ordinationem, siue manuum impositionem, op' est, electionem ministri legitimis suffragiis, & scrutinio fieri, vt illa duodecim Apostolorum, septuaginta duorum discipulorum, & septem Diaconorum. Quanquam hæc electionis ratio variis modis sit in Ecclesia celebrata: nunquã tamen in Ecclesia veri Dei ministri defuerunt publici, & pro talibus agniti. Nec satis fuit ad legitimum ministrũ accedere populi suffragium & principum secularium, nisi accederet legitime celebrata ordinatio ab his, qui ab Apostolis deriuatam hanc obtinẽt potestatem: & quotquot aliter ingressi sunt, pro furibus, & latronib. sunt agniti. Quemadmodum in lege non satis erat esse de tribu Leuitica, & gigni de familia Aarõ, vt quis esset verus Sacerdos, sed opus erat peculiari consecratione, quam Deus in libro Leuitici mandauit.

Luc. 10. Ephes. 4. Heb 3. Luc. 12. Marc. 3. Mat. 28.

Ministri tantum qui sint Ecclesiæ legitimi. Ioan. 10. Heb. 5.

Tales quomodo fiãt, vt etiam boni. 1. Cor 4. Gal. 4.

Apostoli quos ordinarint Episcopos, ac successores

Act. 9. Ibidem. Infra 13. Gal. 2. Iidem in quib. adũbrati. Gen. 35. Psal. 44.

Christi Ecclesiam genuerunt. Quomodo genuerint. 2. Cor. 5.

Omnis Ecclesiæ ministrorum ordinatio primum est ab illis profecta. Act. 6.13. 14.1. Tim 3. 4 5. 2. Tim. 1. Tit 1.

Cur Episcopus de more non nisi à trib. ordinetur Episcopis. Anicet. Pa. Concil. Nicenum. Conc. Carthag 4 Tom 2. Concilior.

Legitima ordinatio quid requirat. Altera conditio. Ioan. 10.

Qui tãtum fierent Sacerdotes in lege veteri. Leuit. 8.

Hæretici cum careant ministrorum populi Dei successione legitima & perpetua, incorrupta, ad eos proinde Christi Ecclesiam non pertinere.

Ex quo signo certo & indubitato colligimus, veram Ecclesiam apud nos esse non apud hæreticos, vel alios quoscũque nobis non communicantes. Quæram enim ab eis, an Episcopi, qui ante Lutherum, & nouum hoc Euangelium, siue in Germania, siue in Italia, siue aliis orbis partibus in suis sedibus pacifice manebant, & pro talibus à populo Christiano agnoscebantur, & sibi inuicem noti erant, veri ne essent Episcopi, ac legitimi, an non. Si erant, ergo falsi sunt qui denuo prodeunt, & in Ecclesiam se ingerunt: si autem non erant, ergo nec Ecclesia fuit, quæ sine suis capitibus nunquam esse potuit. Periisset ergo Christi promissio de dando Spiritum sanctum, qui duceret Ecclesiam in omnẽ veritatem; & omnes per hos sexaginta annis damnati essent qui extra Ecclesiam fuerunt: nec ipsi etiam hæretici veri essent Christiani, quia à nullis Catholicis ministris baptizati essent, & à falsis Episcopis doctrinam salutis accepissent & falsam accepissent ordinationem. Quod si legitimi fuere Episcopi, vt certo constat fuisse; ergo potestatem suam ab Apostolis, & ab aliis Apostolicis viris sibi deriuabant ergo apud istos sectarios, & nouos magistros non sunt vlli veri Episcopi, vel ministri; vel Episcopos suos à tribus legitimis Episcopis Catholicis ordinatos ostendant: quemadmodum Canon I. Apostolorum, & Concilium Nicenum, & Carthaginense IIII. præcipiunt: Quare Apostolus hoc inuiolabile signum indicans, dixit, *Attendite vobis, & vniuersæ gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Ponit enim Spiritus sanctus Episcopos non aliter, quam per legitimam electionem, siue inferiorum, siue superiorum, qui illud ius habent eligendi; & per Ecclesiasticam ordinationem, & cõfirmationem, quam soli superiores in Ecclesia administrant. Non ergo Ecclesia cõstare potest sine Episcopis, vt nec ouile sine pastore, regnum sine Rege. Hoc signum ita explicatum distinguit omnem spuriam cõgregationem à legitima, idque confirmant veteres Patres. Ait enim beatus Ignatius epistol. ad Trallianos, *Sunt Episcopus forma est Patris omnium, presbyteri vero sicut consessus Dei & coniunctio Apostolorum Christi. Sine ipsis enim Ecclesia electa non est, neque collectio sanctorum, neque congregatio sancta.* Idem Philippenses: *Sunt ergo filii lucis fugite diuisionem vnitatis, & malam doctrinam hæreticorum, ex quibus exiit coinquinatio in omnem terram. Vbi ergo pastor est, illuc sicut oues cõgregamini. Quotquot enim sunt Christi, ipsi sunt Episcopi.* His accedit Irenæus in libr. aduersus hæreses: *Traditionem itaque,* inquit, *Apostolorum in toto mundo manifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt quale ab his deliratur.* Et infra: *Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per successionem Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est, omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Et paulo post enumerat omnes Ecclesiæ Romanæ successores vsque ad Anicetum, qui sua ætate Ecclesiam regebat. Ac rursus docet, Catholicis in more fuisse positum, quando aduersus sacrilegos suæ ætatis nouatores incidebat disputatio, vt eos prouocarent ad Apostolicam traditionem: *Qui per successiones,* inquit, *presbyterorum in Ecclesia custodiretur.* Idem rursus eodem libro: *Quapropter,* inquit, *eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet his, qui successionem habent ab Apostolis sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. Reliquos vero qui absistunt a principali successione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ: vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes, aut rursus vt hypocritas quæstus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes.* Hæc ille, vt videas quam constanter hoc Ecclesiæ verum, & indubitatum signũ nobis tradat. Similiter Tertullianus libr. 3. aduersus Marcionem hoc eodem successionis Episcoporum Romanæ vrbis tanquam firmo, & solido argumento indicandæ veræ Ecclesiæ vtitur.

Hac, inquit, cathedra Petrus qua sederat ipse, locatum:
Maxima Roma Linum primum considere iussit.
Post quem Cletus & ipse gregem suscepit ouilis.
Huius Anacletus successor sorte locatus,
Quem sequitur Clemens, is Apostolicis bene notus:
Euaristus ab hoc rexit sine crimine legem.
Sextus Alexander Sisto commendat ouile.

Et

Rom. 16.

Canon. 1. & 2. in prim. Nicen. Conc. eodem Carthagin. 1.2.

Act. 20.

Quemadmodum, vt ait Paulus, ponat Spiritus sanctus Episcopos in Ecclesia.

A traditione Patrum atque consensu.

B. Ignat. epist. 5. prope init.

Idem epist. 9. iuxta princ.

Ex diuisione vnitatis & mala doctrina hæreticorum exiit coinquinatio in totum mundum, ait B. Ignatius.

Iren. li. 3. ca. 3. init.

Idem ibid. De Romana Ecclesia quam magnifice & sentiat, & loquatur hic magnus Pater.

Idem supra c. 3. eiusdẽ lib. sub init.

Idem li. 4. c. 43. à med.

Hæretici quales à nobis habendi sint.

Tertul.

Series Romanorum Põtificum ex Tertul.

Marcionis ortus, & Apostasia.

Et reliqua quæ persequitur heroico versu Tertullianus, donec perueniat ad Anacletum, sub quo Martius Pontic⁹ ortus est, & cœpit ab Ecclesia declinare. Ita enim apud Tertullianum legit eo in loco Lindanus in Diatriba Analytica. Idem Tertullianus lib. præscript. aduersus hæreticos ita scripsit.

Lindan. in Diatrib. Analyt. c. ... Tertul.

Apostoli apud vnamquamque ciuitatem Ecclesias condidere, teste Tertulliano.

Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt Apostoli, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt & quotidie mutuantur, Ecclesiæ fiunt. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Et infra: *Si hæc:* Si inquit, *ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricib. & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem; quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit reliquam vero omnem doctrinã de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi & Dei.* Et aliquanto post: *Cæterum si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, & ideo videntur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt; possumus dicere; Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: euoluant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit autorem, & antecessorem.* Hæc ille, qui multa his similia, & efficaciter hæreticorum conuenticula sub nettentia tradit. Quartus testis accedat Cyprianus clarissimus Christi Martyr, & Episcopus: hic enim ad Magnum sic scribit: *Ecclesia vna est, quæ vna & intus esse, & foris non potest. Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium* (Romanum scilicet Episcopum) *non fuit, qui Episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, & quem præter Sacerdotij honore, martyrio quoque Dominus glorificauit. Nouatianus in Ecclesia non est, nec Episcopi computari potest, qui Euangelica & Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à seipso ordinatus est: habere namque, aut tenere Ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in Ecclesia non est.* Et infra; *Si autem grex vnus est, quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est? aut pastor haberi quomodo potest, qui manente vero Pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente, nemini succedens, & à seipso incipiens alienus fit, & profanus, Dominicæ pacis, ac diuinæ vnitatis inimicus, nec habitans in domo Dei, idest in Ecclesia Dei, in qua nonnisi concordes atque vnanimes habitant?* Et ad Florentium, seu Puppianum: *Loquitur illic Petrus, super quem ædificanda fuerat Ecclesia, docens quia etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen Christianorum non recedit, & illi sunt Ecclesia, & plus Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Vnde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si qui cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse. & frustra sibi blandiri eos qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt cum Ecclesia, quæ Catholica vna est, scissa non sit, neque diuisa, sed sit vtique connexa, & cohærentium sibi inuicem Sacerdotum glutino copulata.* Et scribens ad lapsos, epistola quę apud Pamelium est 27. primi libri, cum docuisset Ecclesiam super Petrum fundatam subdit: *Inde per temporum, & successorum vices Episcoporum ordinatio, et Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopus constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.* Quintus sit testis Epiphanius, qui hæresim Carpocratianam Romæ grassantem ostẽso numero Episcoporum Romanæ Ecclesiæ refellit, & Marcellinam fœminam sub Aniceto Romam venisse asserit; ne quis illorũ synagogam putet Apostolicam, sed Antichristianam. Recẽsitis enim Episcopis Romanis, post huius Apostolicæ successionis tam serio enumeratæ vsum, subdit: *Ne quis miretur, quod singula ita exacte recensemus: per istos enim ita ordine, & successione numeratos Romanos Episcopos Petri, & Pauli successores semper ipsa rerum euidentia, manifestaq; veritas demonstratur.* Accedat sextus Optatus Mileuitanus Episcopus, qui libro in Parmenianum ita scribit: *Soli conticescite ergo: quia probamus eam esse Ecclesiam Catholicam quæ sit in toto terrarum orbe diffusa. Eius iam commemoranda sunt, & videndum vbi sint, quinque dotes, quas tu sex esse dicis. inter quas Cathedra est prima. Vbi nisi sederit Episcopus, coniungi alter ad eos non poterit. Si ignoras, disce: Ignorantia tibi adscribi nõ potest, sciens, in vrbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde Cephas, in quo vno Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur; nec cæteri Apostoli singulas sibi quisq; defenderent. Vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, aliam collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ est prima de dotibus. sed & prior Petrus*, & enumeratis Lino, Clemente, Anacleto, & eorum successoribus vsque ad Liberium, & Damasum, ac Siricium; *Qui hodie noster est*. ait, *socius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in vna communionis societate concordat. Vestra Cathedra vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Septimus, sit Augustinus, qui epistola ad Medaurenses: *Videtis certe*, inquit, *multos præcisos à radice Christianæ societatis, quæ per sedes Apostolorum, & successores Episcoporum, certa per orbem propaga-*

Idem
Ecclesiæ Apostolicæ matrices, & originales aliarum fuere eodẽ autore.
Omnis doctrina sapiens contra veritatem Ecclesiarũ &c. de mendacio præiudicanda est.
Idem.
Ecclesiæ hæreticorum sine origine sunt & sine successione.
B. Cyprian. lib. 1. epist. 6. sub init.
Cor succes sorit Papa Cornelius.
Contra Nouatianum hæreticum.
Habere aut tenere Ecclesiam quis possit. nullo modo.
Idem ibid.
In domo Dei, id est, Ecclesia, qui tantum habitent.
2. Tim. 3.
Ps. 67.
Idem li. 4. epist. 9. circa fin.
Ecclesiæ vnitas in Cypriano cõtra hæreticos.
Matt. 16.
Idem.
Epiphan in hæres. 27 à medio.
Optatus Episcop li. 2 aduersus Parmenia. sub init.
Ecclesiæ Romanæ prima de dotib. est cathedræ vnitas.
Hæretici suæ cathedræ nullã possunt reddere rationem, & tamen sibi sanctam Ecclesiam vindicare audent.
Aug. epist. 42 Paulo antè med. tom 2.

Arescentia sarmenta, hæreses, & schismata Augustin. oppe lat. Idem to. 7. init. Marc. 16. Idem.

tione diffunditur, de sola figura originis, sub Christiano nomine quasi arescentia sarmenta gloriari quas hæreses, & schismata nominamus. Et in Psalmo contra partem Donati, à medio: *Numerate,* inquit *Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, & in ordine Patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superba inferorum portæ.* Et epistola 165. quam suo, & Fortunati, & aliorum Episcoporum nomine adquendam Generosum rescribit; vbi postquam demonstrasset anathema dicendum, quorquot suadebant societatem orbis totius Christo in possessionem iuxta Prophetarũ oracula dati esse dimittendam, & ad partem donati transeundum, quia totum in partem contrudere conabatur, hanc rationem firmam contexuit: *Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certius ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figurã gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam? Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, &c. Liberio Damasus, Damaso Syricius, Syricio Anastasius: in hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur.* Sed nulibi apertius & efficacius, quã libro contra epistolam Fundamenti, hoc ipsum tradidit: *In Catholica,* inquit, *Ecclesia multa sunt alia, quæ in eius gremio me iustissime teneãt. Tenet consensio populorum atque gentium, tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicæ nomen quod non sine causa inter tam multas hæreses ista Ecclesia sola obtinuit. vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot, & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum veritas nondum se apertissime ostendat. Apud vos autem, vbi nihil horum est, quod me inuitet, ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio.* Et ad Honoratum Manichæum suum quondam cõtabernaculum, in libro de vtilitate credendi: *Cum igitur tantum Dei, tantum profectum, fructũq; videamus dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum grauitate partim etiã miraculorum maiestate damnatis culmen autoritatis obtinuit? Cui nolle primas partes dare, vel summa profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantia.* Hactenus Augustinus.

Psal 2. Esa. 46.

Matt. 16. Primi Romanæ sedis Pontifices sibi ordine succedentes ex Augustin. Idem lib. contra epist. Fundamente cap. 4 init. to. 6 sub init. Quæ nos in Catholicæ Ecclesiæ gremio iusta Augustinum iustissime teneant. Ioan. vlt.

Idem cap. 17. lib. de vtilit. credendi. to 6. circa prin.

Sedi Apostolicæ nolle primas partes dare quid secũ-

Hieronymus vero epistola ad Damasum. *Profligato,* inquit, *à sobole mala patrimonio, apud vos solæ incorrupta. Patrum seruatur autoritas: Ibi cespite terra fœcundo Dominici seminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta sulcis frumenta, in lolium auenasque degenerant.* Et post pauca: *Facessat inuidia: Romani culminis recedat ambitio, cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor, Ego nullum primũ, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est.* Et infra: *Quicunque tecum non colligit, spargit: hoc est, Qui Christi non est, Antichristi est.* Sic Hieron. Cuius doctrinæ Ambrosius quoque fauet, dum in Paulum ait: *Ecclesia domus Dei dicitur, cuius hodie rector est Damasus. Mundus enim in præuaricatione est, diuerso turbatus errore: ideo illic necesse est dicatur esse domus Dei, & veritas, vbi secundum voluntatem suam timetur. Hoc profitentibus de eo seruis, quod ipse dignatus est edocere.* Et libro de Sacramentis: *Non ignoramus,* inquit, *quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur, & formam.* E paulo post: *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam.* Et ex synodo scribens ad Syricium Romanum Episcopum, eum Petri verum successorem, & ouilis Christi pastorem vocat cum suis Collegis. Et idem in Oratione De obitu Satyri fratris sui germani circa medium enarrat. quod naufragio superstes frater ad uocauit ad se Episcopum, nec vllam veram putauit nisi veræ fidei gratiam: percunctatusque ex eo est vtrum nam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Rumana Ecclesia conueniret: & forte ad id locorum in schismate regionis illius Ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione diuiserat: & quamquam prouide exulasset, & fidei suæ reliquisset hæredes, non putauit tamen fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, cuius patiebãtur velut quosdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiã Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides à quibus euacuatur eius passio, corpusque distrahitur. Et vt decem testium numerus compleatur, producimus Originem in Proœmio libri primi Περὶ ἀρχῶν *Cum multi* inquit, *qui se putent sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa prioribus sentiant, seruetur vero Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesiis permanens; illa sola credenda est veri-*

dum Augustinum. Hieron ad Damasum epist. quæ incipit: Quoniam vetusto oriens, init. tom. 2. paulo ante dimid. Matt. 16. Exod. 12. Idem ibid. Matt. 12.

Ambr in c. 1. ad Tim. sub finem tom. vlt. circa finem Vbi sit necessario domus Dei secundum Ambros. Idem lib. 3. Sacram. c. 1. subfin to. 4 post med. Idem ibid. Idem lib. 10 epist. 71. to. 3 prope finẽ Idem ibid. sub init.

Non est fides in schismate, vt inquit Ambrosius.

Ephes 1. Colos. 1. A quibus Christo non videatur exhiberi fides, eodẽ autore. Orig. to 1. circa fin. Quæ sola veritas credenda sit teste Orig.

tas, qua in nullo ab Ecclesiastica discordat Traditione. Hactenus ille Catholice, & orthodoxe, & vtinam sic omnia scripsisset. Similia tradũt Apostoli apud Clementem in libro septimo Diataxeon, capite trigesimoseptimo, vbi docent, memores esse debere omnes doctrinæ illorum quos ipsi Apostoli ordinarunt dum viuerent. Sic enim fieri, vt doctrina ipsorum Apostolorum seruetur à nobis. Non prætermittam testimonium hominis eruditissimi, & eloquentissimi, quod M. Tullius in persona Pontificis Cottæ libro de Natura deorum posuit: ita enim ille loquitur: *Nec me ex ea opinione, quam à maioribus cepi de cultu Deorum immortalium, vllius vnquam oratio aut docti, aut indocti mouebit sed cum de religione agitur, T. Corũcanum, P. Scipionem, P. Scæuolam Pont. Max. non Zenonẽ, aut Cleanthem, aut Chrysippum sequor: habeoque C. Lælium augurem, eundem sapientem in illa oratione nobili, quam quempiam principem Stoicorum.* Hæc ille, solo naturæ lumine suffultus agnoscẽs veram religionem illam esse, quæ antiquiores habet sectatores, quam quæ habet nouos autores, & disputatores.

M. Tul. l. 3. de natu. deorum, init.

Veram religionem Cicero quã solã agnouerit, atq; professus sit.

Nemo igitur abduci se sinat vllis eloquẽtiæ viribus, aut speciosis subtilium disputatorum rationibus ab Ecclesia Dei ad falsas congregationes, quod est recedere à toto ad partem, à matre ad scortum, ab ouili Christi, ad gregem hircorum, & hœdorum, à pastore ad lupum, à columna, & firmamento veritatis, ad domum mendacii, à domo, quam sibi ædificauit Sapientia, & excidit columnas septem, ad domum ab insipiente homine super arenam ædificatam; à gloriosa Dei ciuitate, ad tenebrosam Aegyptum, aut confusam Babyloniam, à monte sancto Sion ad desertum arundineum; à Christi charissima sponsa, ad Satanæ synagogam; à tabernaculo in Sole posito, ad occulta hæreticorum conuenticula; denique à tutissima Petri naui, in qua docet Christus, & piscatur, ad fragilem, & leuem Lutheri, vel Caluini cymbam, opitulante, & ducẽte nos Christo Domino nostro.

Ab Ecclesia Catholica recedere, quid sit. *Iohn. 10.* *Ibidem* *Prou. 9.* *Matth. 7.* *Psal. 86.* *Exod. 10.* *Gen. 11.* *Psal. 2.* *Ioan. 3.* *Ephes. 5.* *Apoc. 3.* *Psal. 18.* *Luc. 5.*

DISPVTATIO VI.

In qua de tertio certissimo, & firmissimo Ecclesiæ Christi signo disseritur.

HACTENVS duo priora signa, quæ indubitatum de Ecclesia Catholica testimonium perhibent, persecuti sumus: supersunt alia duo, quorum prius præsenti Disputatione præstabimus. Sit igitur tertia Catholicæ Ecclesiæ nota, consensus in vniuersum doctrinæ siue prædicationis Fidei corpus, & in cultum Dei externum cum primitiua, & Apostolica Ecclesia, & omnibus fidelibus toto orbe diffusis, maxime autem cum Doctoribus, & magistris, qui in Ecclesia Dei floruere semper: quod signum ve certum, & omni scrupulo carens persecutus est ante multos annos Vincentius Lyrinensis in aureo illo libello Aduersus profanas omnium hæresum nouationes. His enim ille verbis vsus est: *In ipsa etiam Catholica* ECCLESIA *magnopere curandum est, vt id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim vere, proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia vere, vniuersaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem vniuersitatem hoc modo; si hanc vnam Fidem veram esse fateamur, quem tota per orbem terrarum confitetur* ECCLESIA. *Antiquitatem vero ita, si ab ea nullatenus recedamus, quos sanctos, maiores, ac patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium Sacerdotũ pariter, & magistrorum diffinitiones sententiasque sectemur. Quod igitur faciet Christianus Catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula ab vniuersalis fidei communione præciderit? Quid itaque, nisi vt pestifero, corruptoque membro sanitatem vniuersi corporis anteponat? Quid si nouella aliqua contagio non iam portiunculam quandam, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc item prouidebit, vt antiquitati inhæreat, quæ prorsus iam non potest ab vlla prauitatis fraude seduci. Quod si in ipsa vetustate duorum, aut trium hominum, vel certe ciuitatis vnius, aut etiam Prouinciæ alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit, vt paucorum temeritati vel inscitiæ, si qua vniuersaliter antiquitus vniuersalis Concilij decreta proponat. Quod si tale aliquid emergat, vbi nihil eiusmodi reperiatur: tunc operam dabit vt collatas inter se maiorum consulat, interrogetque sententias, eorum duntaxat, qui diuersis licet temporibus, & locis, in vnius tamen* ECCLESIAE *Catholicæ cõmunione, & fide permanentes, magistri probabiles extiterunt: & quicquid non vnus, aut duo tantum, sed omnes pariter vno, eodemque consensu, aperte, frequenter perseueranter, tenuisse, scripsisse docuisse cognouerit, id sibi quoque intelligat absque vlla dubitatione credendum.* Hæc ille, docte admodum signa iam ex parte tradita, & præsens de consensione declarans.

Ecclesia Catholica in eo quod in vniuersum doctrinæ Fidei corpus cũ primitiua Ecclesia & Apostolica semper cõsensit hoc etiam manifeste ab omni hæretica congregatione dignoscitur.

Vincent. Lyrinens. In Catholica Ecclesia quid tenere debeamus.

Quid vere proprieq; catholicum sit.

Fidei Catholicæ vniuersitatem antiquitatem, consensionem quomodo sequemur.

Ecclesiæ hæreticorum ab vniuersalis fidei communione se præcidentes, quid faciũt

Hoc autem signum primo declarandum est; deinde quomodo distinguat à cæteris fal-

Propositi argumenti triplex Prædicationis Apostolicæ & Scripturæ discrimẽ ostẽsio.

falsis, & incertis, perspiciendum. Primum igitur sic probatur.

Primum discrimen. Mat. vlt. Marc. vlt.

Constat Christum ore proprio Apostolos docuisse, atque illis præcepta prædicandi, docendi doctrinam suam per vniuersum orbem tradidisse; nihil autem de conscribenda Euangelica doctrina mandasse, quæ longe tempore posterior est, & ab Apostolis, Apostolicisque viris, eo quod cũ traditione Apostolica conueniret, comprobata.

II. discrim.

Est autem prædicatio, quæ viua voce fit, efficacius organum ad persuadendum, quã Scriptura: multo etiam aptius ad docendũ quia humano cordi propior est lingua, qua cor vnum in aliud transfundit seipsum. At Scriptura non est primum cordis ipsius signum, vel manifestatio, quia in corde nullum est idioma, nulla vox: Scriptura ergo nobis vocis speciem refert.

III.

Adhæc Apostoli dum prædicarent, hoc omnium linguis præstiterunt, & copiose & clare, idemque sæpe repetendo, obscura quæque declarando interrogantibus respondendo, & dispu tantibus satisfaciendo, vt nullus scrupulus maneret in auditoribus. Qui vero scripserunt, vna tantum lingua Græca, præter Matthæum, qui Hebraicum protulit Euangelium; & illi qui scripserunt, ad tempus sane hoc fecerunt, verbo vero per totam vitam docuerunt. Nam Actor. 2. vbi narratur tota Petri concio, subditur: *Alijs etiam verbis plurimis testificatus est.* Et Paulus Actor 20. in mediam noctem sermonem protraxit: & Actor. 19. Cum esset Ephesi, per biennium & tres menses quotidie in schola Tyranni cuiusdam docuit: & similia multa dixerũt, ac prædicarunt, quæ scripta non sunt. At Scriptura muta est, non respondet interroganti, non se explicat; & quiuis illam rapit in sensum quem vult: vt etiam de Aristotele constat, quem diuersi interpretes in diuersos sensus rapiunt: Hinc magno Dei cõsilio factum est, vt viua Euangelii prædicatio, & non aliqua Scriptura, esset principiũ & origo Ecclesiæ: & vt prius viua voce constaret inter omnes gentes, & linguas Fides Euangelica, & confessio eius præter omnẽ obscuritatem, & absque omni sensus diuersitate: & postea Ecclesia scriptum admitteret Euangelium, & probaret an vera essent, quæ tot scriptores Euangelii tractarunt. Prædicatio igitur Scriptura ipsa prior est, certior est, quia se declarat; & vniuersalior, quia non omnia scripta.

Act. 2. & infra. *Ibidem.* *Infra 10. Supra 19.*

Ecclesia cur ab Euangelii viua prædicatione, & nõ potius ab Scriptura ortum habuerit.

Nec idcirco hæc prædicatio Apostolorum periit: tum quia per Spiritum sanctum facta, & per eum digito suo in cordibus fidelium scripta, atque seruata: tum quia Ecclesia fidelissima est custos crediti sui depositi; alias enim portæ inferi in eam præualuissent, nec esset columna, & firmamentum veritatis. ¶ Hæc ergo Euangelicæ prædicationis vox præsens, & viua in ore, corde, & auribus fidelium, & consensus in illam, verum est Ecclesiæ Christi signum; non autẽ syncera Euangelij iuxta scripturas prædicatio, vt hæretici docent: quia sic sola Scriptura esset lumen, regula Ecclesiæ. Hac enim ratione hæretici multos Scripturæ locos proferebant, quos Catholici retorquebant; cũ Scriptura tam aperta, & perspicua non sit, & varie interpretari possit.

Eiusmodi prædicationem Apostolicam, quamquã non scripto cõsignatam non tamen periisse propterea. *1. Tim. 6. Matth. 16. 1. Tim 3.* Si vera Christi Ecclesia nõ ab vniuersali eius in fidem consensu, sed à syncera Euangelii iuxta Scripturas prædicatione secundum hæreticos diiudicanda esset, quid inde.

Hæc autem omnia propter traditionẽ nobis dicta sunt; quam vt hæretici contemnunt, ita Catholici amplectuntur; & quia dictum est consensum hunc requiri in vniuersum doctrinæ Fidei corpus, in qua quidem re statim deteguntur hæreticæ cõgregationes, quæ omnes aut noua, aut propria, aut veteri doctrinæ dissentientia introducunt, & ita deest illis consensus. ¶ Quia etiam vt plurimum Traditiones Ecclesiasticas, siue Apostolicas non recipiunt; proinde consensum non habent in totum doctrinæ Christi corpus, sed in partem aliquã quam sibi prædicandam eligunt: à qua facultate eligendi dicuntur hæretici.

Hæretici cur careant vniuersali isto Ecclesiæ in fidẽ consensu. Hæretici cur sic appellati.

Apostolica traditio duo habet.

In hac autem traditione prædicationis Apostolicæ quam illi fingunt se ignorare, duo sunt potissimum consideranda. alterũ nunquam aliquid in Ecclesia vniuersali consensu vt fidei dogma fuisse receptum, quod postea sit recantatum, aut mutatum quia non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Et vt Apostolus ait: *Si quæ destruxi, iterum hæc reædifico, præuaricatorem me constituo.* Et vt in alio loco testatur; *Sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est, & Non, sed in illo Est.* Quod perinde est ac si dixisset, prædicationem Apostolicam in nullo sibi contradixisse, aut repugnasse, nec aliquem Apostolũ aliquid ex his quæ dixit, recantasse, nec sibi aut alteri reclamasse. Cum tamen hæretici & inter se, & quisque sibi ipsi mirum in modum contradixerint, & multa recantauerint: vt testantur Antilogiæ Lutheri per Ioannem Fabrum scriptæ, & triplex Staphyli Theologia. Immo, vt Georgius Dux Saxoniæ Catholicus dicere solitus erat, se quidem nosse quid eo anno sui crederent: quid autem sequenti anno credituri essent, ignorare. Alterum est: Ecclesia etsi contradictionem in doctrina Fidei non admittat; admittit tamen additionem, seu explicationem in essentialibus Fidei mysteriis: & in accidentariis, & quæ ad substantiã

Deut. 13. Gal. 2. 2 Cor. 1.

Quid illud Apostoli: Sermo noster qui fuit apud vos non est in illo Est, & Non, sed in illo Est.

Hæretici in fidei dogmatibus nunquam sibi constãt sed pàrasiti instar Terentiani modo aiũt modo negant, illorum leuitatem, & inconstantiam Georgius Saxoniæ Ca-

tholicus princeps vt notauerit Ecclesia qualis sit. *Cant.6.* Aurora cur dicta. *Prou.4.*

non faciunt, etiam mutationem, siue abrogationem. Nec hæc vnitati Ecclesiæ repugnant, imo eam plurimum illustrant, & commendant. Est enim vt aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa, vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Est quidem vt aurora, per omnes partes extensa, vt proficiens maioris augmēto luminis, de qua ait Salomon; *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.* Pulchra est vt Luna, quæ à Sole iustitiæ illustrata noctem seculi Euangelica luce illuminat. Electa est vt Sol, in futuræ, & triumphantis gloriæ statu, vbi iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum. Denique terribilis est vt castrorum acies ordinata, non solum aereis potestatibus, & tyrannis, & eorum organis hæreticis, quos semper in certamine vincit; sed etiam amabilis bonis ob virtutum, & charismatum Ecclesiæ ordinem.

Ecclesia cur pulchra vt Luna, electa vt Sol, atque terribilis vt castrorum acies ordinata. *Matth. 13.*

Ecclesia vti crescat & augeatur.

Vincentius Lyrinensis.

Crescitantem Ecclesia vt puer in membra infantilia, vt Lyrinensis dixit, non in ferina, vel vt triticum in frumentum optimum, non in lolium. Hinc fides creuit cum tempore: & plura nos, quam alij veteris Testamenti vir accepimus credenda. Nam fidei vnius in natura Dei, addita est fides clarior trium Personarum, vel Hypostascon, quæ vnitati substantiæ non repugnat. Spei vero, quam in Deo sitam veteres habebant, additæ sunt nouæ, & efficaces rationes per benignitatem Filii Dei, qui pro nobis incarnari, & mortem pati dignatus est. Præcepto vero charitatis, adiunctum est, vt Deum tanquam patentem diligamus; cum in Veteri vt Dominus diligeretur.

Fidei, Spei & Charitati quænam accesserint. *Ioan.1.*

Mat. 5. His tribus virtutibus substantialis cultus Dei continetur.

Additum quoque est mandatum de Diligendis inimicis, quod non pugnat cum dilectione amicorum. At Fides, Spes, & Charitas, ad præcipuum, & essentialem D E I cultum spectant: in quibus, vt dixi, temporis progressu facta est in Ecclesia additio, nulla autem contradictio.

Ecclesia in quibus mutationem, seu abrogationem passa, non tamen contradictionem.

Quod antem ad accidentia attinet, vt ceremonias, & iudicia, merito suscepit abrogationem: siquidem illa venturi Messiæ signa erant: sed post illius aduentum mendacia sunt, quia significarent futurum, quod iam factum est. Præterea Gentes ante præcepta de ceremoniis, & iudiciis salutem consequebantur. Danda etiam lex erat, quæ omnibus posset obseruari: at impossibile erat omnes homines illis ceremoniis posse satisfacere, cum in vno loco esset sacrificandum, & ter omnes masculi deberent apparere singulis annis in

Exod 34.

Ierusalem: quod à dissitis, & remotissimis regionibus, siue ab hominibus in illis habitantibus præstari non poterat.

Ecclesiæ circa ceremonias legis Mosaicæ autoritas, & potestas.

In similibus ergo ceremoniis seruandis, vel præcipiendis, vel commutandis, abrogandis, vel dispensandis plenum ius habet Ecclesia D E I, & rationabiles causas: & ita multa, quæ olim sua erant, amplius apud nos non obseruantur, sed dissuetudine obsoleuerunt.

Est ergo in Ecclesia consensus in vniuersam doctrinam Fidei, quæ tamen admittit additionem in essentialibus, non tamen contradictionem: in accidentalibus vero, & aduentitiis, etiam mutationem, vt explicuimus. Quod si quis illorum caussam agens, obiiciat, multa esse inter Doctores Scholasticos controuersa, & de quibus, quasi pro aris, & focis, digladiantur, & dimicant: non negabo; sed hæc, & quæ huiusmodi sunt, salua fide, & Ecclesiæ autoritate quæ nihil hactenus de illis definiuit, agitari & in disputationem vocari possunt: at si per Ecclesiam, vel Concilium generale tale aliquid decideretur, iam nemini hiscere, aut mutire contra Ecclesiæ determinationem liceret. Ita vt hæc non sint similia his, quæ Hæretici faciunt: nam de præcipuis Fidei articulis, vt de Trinitate, Incarnatione, Eucharistia, & cæteris Sacramentis inter se digladiantur, & diuersa erigunt conuenticula. ¶ Similiter dicendum de Patribus veteribus, qui interdum inter se multa disceptarunt, antequam extaret certa aliqua Ecclesiæ definitio. Quod si aliquis primæ ætatis scriptor, aut Doctor, aliquid aut dixit, aut scripsit, quod alii sui temporis, vel mediæ ætatis, vel etiam nostræ non acceptarunt; dicendum est non esse dogma Fidei, sed singulare, & penes autorem suum manere debere. Quemadmodum Irenæus dixit de ætate Christi, quod peruenit ad quadragesimum annum; & quod nomen Iesu cōstat duabus literis cum dimidia: Monogamia Tertulliani, & tēpus mortis Christi contigisse circa triecesimū annum: Papiæ sententia de resurrectione post mille annos quam Nepos Cantor. & Lactantius sunt secuti: Augustinus, & Origenes, & Platonici Angelos dixerunt corporibus aereis, & sub talibus constare. Et Gregorius noster in homilia de Epiphania Domini, Angelum vocauit animal rationale; quod Platonice dictum fuit: Cypriani de rebaptizandis ab Hæreticis baptizatis dogma, quod trib. Cōciliis Carthaginensibus definitum fuit, ab Ecclesia refutatum fuit: Eusebii Cæsariensis opinio, quod Filius Dei (quod verbū est Patris)

Doctorū varijs reb. fidei controuersiæ, quomodo accipiendæ sint.

Quænam dogmata Patrum minime ab Ecclesia sint recepta, & approbata. *Irenæ l.2.c. 39. & 41. Tertul li. ad vxorem & l. De Monogamia, & l. Aduersus Iudæos. Papias Nepos Cantor. Lactan. l.7. diuinæ institut. c 24. Aug li. de ciu. Dei. Orig li.1. Periarchō. 2. & sæpe alibi, s.1 circa fin. Greg. ho.10. inter 10.2. Cyprian pluribus in locis Euseb. li.4.*

Pa-

de prap. E. uang. c. 2. &. 3. Basil. ho. 3. Hexame I. 1 init. Idem eod. Euthym. Theophyl. Greg. Naz. Greg Nyss. Euthym. Damasc. l. 4. c. 25. Gen. 1. Greg. Nyss. Idem. Athan. s. vlt. Idem ibid. Ioan. 2.

Patre sit inferior, vt falsissima est reiecta. Est Basilii sententia connexum firmamenti planum esse, vt aquam retineat, vt tradit in Genesim. Idem in Psalm. 14. Asserit in Nouo Testamento minime licitum esse iurare sicut nec licet Circumcisio. quod tamen cō sectati sunt Euthymius, & Theophylactus in cap. Matth. 5. nec tamen est à posteris acceptatum. Durum etiam in Nazianzeno, quod secundæ nuptiæ sint illicitæ, & tertię præuaricatio: vt testatur in oratione 30. Durum & illud in Gregorio Nysseno, non futuram fuisse vllam sexuum commixtione generationem in statu innocentiæ, quē admodum nec in resurrectione: vt testatur lib. De Genesi, cap. 17. Idem docet Euthymius in Psal. 50. & Damascenus l. b. De orthodo. fide etiamsi prius esset præceptum: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*: quemadmodum illud in eodem Nysseni lib. cap. 30. quod anima rationalis sit extra duce, absurde dicitur: quamquam sibi ipsi contradicat lib. 2. De anima, cap. 4. Durum in Athanasio, quod anima nostra educatur de potentia materię, quęstiunc. 16. ad Antiochum, si tamen eiusmodi quæstiones non mentiuntur autorem; & animas Sanctorum non videre Deum vsque ad diem iudicij, quæst. 20. Durum, & indignum illud B. Chrysostomo super illud Ioan. 2. *Vinum non habent*, & super illud Matth. 12. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant*, &c. & rursus in illud Psalmi: *Non est qui faciat bonū, non est vsque ad vnum*: B. Virginem ambitiosam, & cupidam gloriæ vanæ, ac laudis extitisse: quod secuti sunt Theophylactus & Euthym. in Matth. 12. & in Marc. 3. & in Lucam cap. 2. Et peiora adhuc Tertullianus lib. De carne Christi locutus est de B. Virgine: quæ fidem apud posteros nullam inuenerunt, sed reprehensionem. Durum & illud in Arnobio, animas delapsas esse in corpora, & ex necessitate materiæ non prouidentia pœnas prouenire, vt docet libr. 1. contra Gentes: sicut in 2. docet animas 1. ō differre ratione, & animas damnatorū pœnis annihilari. Lactantius peccatum dæmonis tradit esse inuidiam Angeli priuasfacti, vel potius Spiritus sancti, quem creaturam videtur facere lib. 2. cap. 9. Durum in Hilario, Christum mortem non timuisse, nec in passione doluisse: vt tradit lib. 10. De Trinitate. Ambrosij dogma est singulare quia precatur maturam, & celerem resurrectionem Gratiano, & Valentiniano Imperatoribus. Et alibi ait, *Quoties festa Dominica resurrectionis celebramus, aliquos semper resuscitari: quod votum carnalis affectu expressum, non genuit falsam in Ecclesia vniuersali resurrectionis fidem*

Chrys in Ioan. ho. 29. sub init. & 3. in princ. Idem hom. 45 in Mat. init. 10. 2. Mat. 12. Idem. Theophyl. Euthym. Tertul. Arnobius. Lactant. Hilarius. Ambr. I. 3. Idem.

Hieronymus epistola quadam tradit, Christum cruentum ex vtero Virginis prodiisse. Augustinus plurima retractauit: & in lib. De ciuit. Dei negat cum Lactantio vllos esse Antipodas. In Bernardo desideramus maiorem lucem in illo dogmate, quod animę vsque ad diem iudicii beatitudinis gloriam non perceperunt. In Damasceno agnoscimus dogma ab Ecclesia nō receptū. nempe Spiritum sanctum non procedere ex Filio simul, vt ex Patre: & idem secuti sunt Theophylactus in capit. 3. Ioannis, & Michael Syngelus in librum de laudibus Dionysii.

Hier epist. 18 ad Eustoc. De cust. virg circa fa. 1. Aug. l. 1. & 2. Retract. c. 1 init. Idem li. 22. De ciuit. Dei, c. 20. & 3. Lactant. li. 3 ca 14. in princ. Theophyl. Michael. Syngelus.

Longus essem profecto, si omnes Doctores percurrerem, & quid quisque singulare habeat: quorum tamen fide n Ecclesia non est amplexata. In his vero Patribus legendis, seruanda videtur sententia Quintiliani, qui lib. 10. cap. 1. scribit. *Neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quæ magni autores dixerint, vtique esse perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorū suorum voluptati: nec semper intendunt animum & nonnunquam fatigantur, cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen. accedit que iis, qui quid apud illos repererunt, dicendi legem putant, vt deteriora imitentur (id enim est facilius) ac se abunde similes putant, si vitia magnorum consequantur.* Hæc ille prudenter, & acute.

Quonam ta ubi cautione legendi à nobis sint veteres Patres, atque alii magni viri, teste Quintiliano.

Cicer. l. De Oratore. Horat. in Arte Poet. circa fin.

Illud ergo dogma à Doctoribus expressum catholicum, fidem in Ecclesia Catholica facit, quod vniuersali consensu vel ab omnibus, vel fere ab omnibus magno constantia traditum est.

DISPVTATIO VII.

In qua de quarto ac postremo signo Ecclesia Catholica disseritur.

Ecclesia semper fuit omnib. perspicua, & manifesta. I. Demonstratio ab Hæreticorum conuenticulis ignotis penitus, & obscuris. Quib. proinde teb. in Scriptura so eat comparari.

QVartum signum soli Ecclesiæ conueniens est, quod semper fuerit manifesta, & omnibus nota. Nam omnes aliæ sectæ, siue congregationes, aliquando quidē non fuerunt, vt ab initio; at vbi esse cœperunt, per aliquot secula delituere: deinde proruperunt in medium, & nomen obtinuere, postremo extinctæ sunt, & amplius in rerum natura non fuere. At Ecclesia Dei vero omni tempore extitit, & cum cœpit, & cum progressum habuit & nunquam finem habere poterit; & in conspicuo posita omnibus volētibus eam videre. Primo quia Ecclesia comparatur ciuitati supra mō tem

Matth. 5. Ibidem Phil. 2. Psal. 18. Aug in ps. 18. tom. 8.

tem positæ,& lucernæ super candelabrum Ecclesiæ, & luci mundi: *Vos estis*, inquit, *lux mundi*:& vt ait Paulus, luminaribus in mundo lucentibus,& tabernaculo posito in Sole, hoc est in conspicuo,& manifesto, vt interpretatur Augustinus: Monti in veritate montium posito, de quo scriptum est; *Erit in nouissimis diebus præparatus mōs domus Domini in veritate montium,& eleuabitur super colles & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini,& ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas,& ambulabimus in semitis eius* Denique confertur auroræ surgenti, pulchræ vt luna, electæ vt Sol: quia Sol in die splendet luna tenebras noctis illuminat, medium tēpus inter noctem,& diem: prænuncia lucis est aurora. Itaque Ecclesia omni tempore manifesta est,& in prosperis,& in aduersis & in mediis: quando nec tenebris erroris fuit oppressa, neq; quando secunda fortuna est vsa.

Esa. 2. Mich. 4. Cant 6. Ratio comparationis.

Secunda demōstratio ab Euangelica doctrina & Apostolica. Mat 18. Act. 20. 1. Tim. 3.

Secundo, Dominus præcepit, occultum crimen fratris deferri ad Ecclesiam, & illam audire: *Si Ecclesiam*, inquit, *non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*:& Apostolus ait: Spiritum sanctum posuisse Episcopos, regere Ecclesiam Dei,& Timotheum instituit, quomodo debeat conuersari in domo Dei, quę est Ecclesia. Si ergo Ecclesia videtur, si auditur, si habet Episcopos eam regentes,& pascentes, visibilis erat,& conspicua: nam cum inuisibili nemo conuersatur, & de se ait Apostolus: *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Iudææ, quæ erant in Christo: Tātum autem auditum habebant, Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidē quam aliquando expugnabat. Et in me clarificabant Deum.* Ergo Ecclesia videbat,& videbatur,& persecutionem pati poterat: sicut dicitur, Actorum 8. & 9.& ad Gal. 1. *Supra modum persequebar Ecclesiam Dei. & expugnabam illam.* Et alio loco, *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

Gal. 1. 1. Cor. 15.

Quis autem valeat persequi rem sub aspectum non cadentem? Scribit Ioannes libr. Apocalypsis ad Ecclesias quæ sunt in Asia, & Apostolus ad septem Ecclesias Gentium, Romanorum, Corinthiorum, Galatarum Ephesiorum, Philippensium, Colossensiū, Thessalonicensium, & Hebræorum. Idem quoque Paulus nomine suo salutat Ecclesias, & nomine quarundam Ecclesiarum alias salutat. quis intelligat Ecclesias inuisibiles? Salomon etiam benedixit Ecclesiæ 3. Reg. 8.& Num. 20. dicitur; *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem? &c.* non autem benedicitur, aut educitur quod inuisibile est.

Apoc. 1. Rom 1. & seq. 1. Cor. 16. 3. Reg. 8. Num. 20.

Tertio, idem demonstrandum est ratio nibus, quas inter prima sit: quia olim familia Ia ob visibilis erat, quæ processu temporis sub Moyse habitabat in Terra promissa, templum, promissiones, sacrificia,& circumcisionem habebat. Quod si illa vetus visibilis erat,& vmbra præsentis; ergo multo magis & præsens; quę propterea nonnisi his quæ in oculos incurrunt, comparatur, vt, ouili, regno, ciuitati, monti, templo, corpori humano, & arcæ Noe, naui, exercitui, vt intelligamus esse visibilem.

Rationib. idem euincitur. Prima. Heb. 10. 1. Cor. 10. Vetus lex nouæ extitit vmbra ac typus.

Secunda sit: Pastorum proprium munus est, regere quemque Ecclesiam suam, subditorum vero subiici,& obedire illis: hæc autem subiectio inferiorum,& prælatio superiorum, in qua salus totius Ecclesiæ consistit, omnino impediretur, & vix exerceri posset, nisi esset visibilis, & ouis agnosceret suum pastorem, & pastor agnosceret vultum pecoris sui. Tertia sit: Ecclesia, congregatio, non Angelorum, qui puri sunt spiritus, sed omnium fidelium sub vno capite CHRISTO: cum ergo partes Ecclesiæ sint visibiles, vt fideles,& ipsa visibilis erit. Nec enim potest esse inuisibile, quod inuisibilibus constat partibus:& si caput eius visibile est, nempe Iesus Christus Dominus noster, quomodo corpus eius erit inuisibile? Recte proinde Augustinus ad Vincentium scribit: *Quomodo ergo confidimus ex diuinis literis accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus & Ecclesiam manifestam?* Sic ille. Quia sicut nonnisi matris testimonio quis sit pater alicuius pueri intelligimus; ita nonnisi Ecclesiæ prædicatione, quæ fit ipsa Ecclesia, accipimus. Chrysostomus homil. de verbis Esaiæ, facilius Solem ait extingui, quam Ecclesiam obscurari. Et Ambrosius in Lucam. *Ierusalem quæ in cœlo est, in qua militat fides nostra, in illo altissimo omnium locata monte, hoc est in Christi Ecclesia, non potest tenebris, & mundi ruinis abscondi, sed fulgens candore Solis æterni, luce nos spiritualis gratiæ illuminat?*

Secunda ratio. Pastores quid curare debeant Act. 20. Heb. vlt. Ioan. 10. Prou. 27. Tertia. Aug. epist. 48. aliquāto ante medio 2. Quo exēplo valeat quispiam intelligere per Ecclesiæ prædicationem, veram Ecclesiam accipi posse tantummodo. Chrys. ho. 4. de verb. Esaiæ to. 1. circa finem Ambr. li. 7. in Lucam, tom 5.

Quarta: Si occulta esset Ecclesia, impossibilis esset in ea salus vel intus, vel extra eā existenti: existenti quidem in ea, quia ecclesia, in qua non est fidei confessio ad salutem, non saluat teste Apostolo: *Corde*, inquit, *creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Deinde, existenti in ecclesia, & non percipienti necessaria ad salutem Sacramenta, non potest salus contingere? at Sacramenta & oris confessio, symbola sunt sensibilia, ac proinde rem sensibilem indicant; sunt ergo in ea pueri baptizandi, grandiores ad mensam Eucharistiæ recipiendi, peccatores reconciliandi, rebelles,& contumaces de illa expellendi, mortes

Quarta. Rom. 10. In Ecclesia existenti quid sit necessarium ad salutem

tes à presbyteris inungendi; mortui vero cum pſalmis & precibus more Chriſtiano tumulandi. At extra exiſtenti nihil prodeſſet Eccleſia, ſi via, qua ad illum perueniatur, omnino ignoretur: ignorabitur autem ſi occulta ſit.

V.

Quinta: Si vnquam debuit occultari Eccleſia Catholica, maxime tempore tyrannorum, qui in Chriſtianum fortunas, & vitam inſurgebant, & ſæuiebant: at vero eo præſertim tempore viguit Chriſti, & ſponſæ, eius Eccleſiæ notitia, & eius fortitudo detecta eſt, & in palmis Martyrum, & in victoriis Doctorum, & in virginum confeſſionib. ſplenduit Eccleſiæ virtus: hinc Auguſtinus epiſtola 48. inquit: *Obſcuratur aliquando Eccleſia, & tanquam obumbratur multitudine ſcandalorum; ſed etiam tunc in ſuis firmiſſimis eminet.*

Eccleſiæ Chriſti maxima fortitudo quando vnquam magis fuerit illuſtris atque conſpicua.

VI.

Sexta. Si aliqui eſſent, qui ſuas priuatas opiniones occultare debebant, maxime eſſent hæreſeon autores. at illi primi fuerunt ad ſe prodendum: & ſicut ſcripſit Luther antequam in hæreſim incideret, maximus olim fuit Papiſta: ergo falſum eſt; quod aliqua gens, quæ eorum ſententias ſectata ſit, occulta vnquam extiterit: & Auguſtinus libro Quæſtionum Euangelicarum: *Quid ſignificat,* inquit, *in penetralib. aut in deſerto, niſi obſcura & occulta conuenticula Hæreticorum?*

Aug. li. 1. q. Euang. q. 38 t. 4 ante med.
Matth 24.

VII.

Septima: Error ipſe eius eſt naturæ, & ingenii, vt non poſſit diu deliteſcere; nihil enim eſt opertum, quod non reueletur: & occultum, quod non ſciatur. Idcirco videmus, hæreticos tandem cum magno impetu foras prorupiſſe; & ita veritas, quæ nõ odit, ſed amat lucem, non poteſt diu celari.

Erroris ac falſitatis quid proprium ſit.
Supra 10.
Ioan 3.

VIII.

Octaua: Chriſtus Eccleſiam ſuam conſecutura miracula promiſit, quæ illam Sole ſplendidiorem reddunt: *Signa,* inquit, *eos qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent,* &c. eiſdem etiam miraculis Meſſiam agnoſcendum Prophetæ olim deſignarunt, vt Eſaias cap. 25. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt,* &c. Chriſtus quoque Meſſiæ præſentiam per hæc ipſa ſigna confirmauit *Euntes,* inquit, *renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis: cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, leproſi mundantur,* &c. ita etiam per eadem ſigna Eccleſiã ſuam agnoſci voluit, & à reliquis Satanæ ſynagogis internoſci: hæc autem per totũ orbem ſæpe ac denſe pro Diuinæ ſapientiæ conſilio in Eccleſia contigerunt, & quotidie adhuc fiunt. Quod vero hæ ſigna ſufficiant, vt quæ ab hac Eccleſia traduntur, credantur vera eſſe, & à Deo profecta, teſtatur Chriſtus Dominus, qui dixit: *ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me. Etſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Quæ vero ſigna edet Antichriſtus, naturæ non ſuperãt facultatem, aut artem, neque in nomine Chriſti, aut Patris illa edet, quia Dæmones Dei gloriam oderunt: nec in vtilitatem aut ſalutem hominum, cuius dæmon eſt capitaliſſimus hoſtis; ſed vel ad terrendum, vel ad hominibus nocendum, vt Iobis docet exemplum; vel ad alendam curioſitatem, aut vanam gloriam captandam, vt erant ſigna Simonis Magi.

Marc. vlt.
Matt. 11.

Poſtremo. ſi Eccleſia eſſet occulta, ipſi, vtpote viſibiles homines, Eccleſia non eſſent; cum tamen dicat Tobias de Eccleſia: Luce ſplendida fulgebis Ieruſalem, & omnea fines terræ, adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes adorabunt in te Dominum, & terrã tuam in ſanctificationem habebunt: quod ſane vt fiat, opus eſt Eccleſiam Dei eſſe conſpicuam.

Poſtrema ratio.
Tob. 13.

Nec obſtat in contrarium. Primo, quod finis Eccleſiæ, ad quem tendit, hoc eſt felicitas vitæ æternæ, & adiumenta, quibus ad eam peregrinantes tendunt, vt Fides, Spes, Charitas, & Diuinus Spiritus, inuiſibilia ſint, & occulta. Nam ſatis eſt finem ipſum Fidei oculis ſpectare. Hæc autem adiumenta, & vincula ſpiritualia etſi in ſeipſis cerni non poſſint, videntur tamen eorum effectus, vt fidei in confeſſione, charitatis in eleemoſyna indigenti porrecta, gratiæ DEI in latria, & cultu Deo debito, & Diuinus Spiritus in linguis, aut in ſignis, & ſapientia. Ita vt Eccleſia more humanæ ſocietatis congregata humanis vtatur, ſenſibilibuſque ſymbolis, quibus inter ſe conueniant: ita vt præter illa æterna habeat ſenſibilia ſigna, vt Crucis ſymbolum, quo nos munimus, oris confeſſionem, Sacramenta, cantus, & pſalmodiam, adunationem ad ſacrificium, & conuentum ad preces.

Obiectiones in contrarium diluuntur.
I.
Fides cum ſit inuiſibilis, quomodo, videri à nobis poſſit.

Nec ſecundo valet, quod arguit Brentius: Si Eccleſia eſſet viſibilis, delendus eſſet ille articulus ſanctam Eccleſiam Catholicam: nec enim creditur quod videtur, cum fides ſit argumentum non apparentium; quare dicendum eſſet: Sentio, vel, Video, non autem Credo ſanctam Eccleſiam. Sed Brentio poſſumus opponere eiuſdem Symboli alterum articulum, nempe illum: *Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum:* Omnes enim oculis ſpectamus baptiſmum ipſum. Et Apoſtolis, qui oculis perſpexerũt Chriſtum Dominum, abolendus eſſet ille articulus: *Et in Ieſum Chriſtum Filium eius*

II. obiectio, Brentii ſcilicet.
Hebr. 11.
Eccleſia quatenus viſibilis, & quatenus inuiſibilis exiſtat.
1. Ioan. 1.
Matth. 13.

quia eum non tantum intellectus oculis, sed etiam humanis sensib. apprehenderũt Tollatur etiam verbum dictum Thomæ: *Quia vidisti me Thoma, credidisti.*

Ioan. 20.

Quod si quis pro Brentio dicat; Thomam aliud vidisse, aliud credidisse; vidit enim hominem, credidit Deum esse ita: nos dicimus, Apostolos Christum verum hominem vidisse; at Dei Filium, & Messiam; in lege promissum credidisse. Nos quoque videm' exterius sensibilem adhiberi ablutionem in Baptismo, credimus tamen Deum pro sua bonitate gratia sua inims abluere: in Pœnitentiæ Sacramento audimus absolutionis verba, credimus tamẽ, Deum peccata remittere, & filios adoptare. Idem quoque dicendum de Ecclesia, quæ in quibusdam visibilis est, vt diximus, in quibusdam vero inuisibilis est. Videmus enim cœtum congregatorum fidelium, & baptizatorum in vnius fidei cõfessione permanentem, Sacramenta percipientem, & in vnius sacrificii cultu, & adoratione perseuerantem: videmus Christi ministros, & subditos; pastores & oues; sed illam ipsam, quã oculis haurimus, credimus esse sanctam CHRISTI Domini sponsam, & eius membra influxum à capite percipere, & à Spiritu sancto in omnem veritatem duci.

Deut. 18.

Ioan. 16.

III. obiectio.

Nec tertio obstat, quod quidam in Ecclesia inueniantur ficti, pro ciuibus proditores, & transfugæ ad hostes: quia tales nõ sunt vere in corpore Christi, nisi exteriori tantum consortio Sacramentorum, & externæ confessionis symbolo. Nam tales quia fidei naufragium fecerunt, tandem se produnt, & de Ecclesia exeunt. Nã ex nobis prodierunt, vt ait Ioannes: sed non erãt ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Si vero non sint ficti, sed peccatores, fidem tamen tenentes, & in baptismo, & aliis ceremoniis conuenientes, vtique Christiani sunt, & dicuntur & pro talibus ab aliis agnoscuntur. Et ita si peccator est; vel corripitur, vel excommunicatur in medicinam: & sic Ecclesia est manifesta.

1. Tim. 1.

1. Ioan. 2.

Peccatores fidem sine charitate habentes, Christianorum tamẽ nomen nõ admittunt.

Matth. 18.

IV. obiect.

Nec obstat quarto, quod Augustinus diuidit Ecclesiam in prædestinatam, & inuisibilem & non prædestinatam, & visibilem: quia hoc ille iustis de causis fecit, cum haberet sermonem de diabolo seducente, & interrogaret, an ille solutus posset decipere. Et respondens, ait Ausi: *nunquam enim ab illo Ecclesia seducetur prædestinata & electa ante mundi constitutionem, de qua dictum est: Nouit Dominus, qui sunt eius.* Caluinus tamen iniustis rationibus exponit in Symbolo dictio, vnam esse Ecclesiam inuisibilem, scilicet Sanctorum, & electorum filiorum Dei.

Aug. li. 20. De ciuit. Dei ca. 8. i. mit. & 9. 3. 5.

2. Tim. 2.

Vnius Ecclesiæ inui sibilis, Calu niana interpretatio inanis atque ridicula se fallitur.

Sed cui non hæretico conuenticulo liceat affingere Ecclesiæ nomen? Et vanum potius erat in Symbolo docere vnam esse inuisibilem Ecclesiam, quam Deus oculo suo æterno intuetur. Magis autem ad rem erat agnoscere nos Ecclesiam visibilem, cuius vtero concipimur, cuius precibus fouemur, cuius simplici doctrina, quasi lacte nutrimur, cuius præceptis parere debemus, & ad quam frater in nos peccans est deferendus: cuius ministros sedentes super cathedram, etiamsi non faciant, quod docent, honorificentia, & obedientia prosequi debemus: quam qui deserunt, apostatæ sunt, & transfugæ, vt sunt hæretici omnes: quam qui sectantur, filii sunt, oues sunt, membra viua sunt. Hoc erat vtile omnibus in Symbolo accipere: quia vt magnus dixit martyr, & Episcopus Cyprianus: Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem, hoc est Sponsam Christi Domini nostri.

Eccles. Christi visibilis signa

Matth. 18.

Infra 23.

B. Cyprian. tract. de simplicitate prælator.

DISPVTATIO VIII.

In qua de Traditionibus Diuinis, Apostolicis, & Ecclesiasticis late disseritur quæ mirifice signa proposita illustrant & commendant.

ADMONITVS priori Disputatiõne, quam de indubitatis, & veris Ecclesię Christi signis habuimus, quantum lucis, & vtilitatis illis afferret tractatio de Traditionibus Ecclesiasticis, & Apostolicis, quæ ad cognoscendum vniuersum prædicationis Apostolicæ corpus plurimum valent, & quæ superius docuimus, abunde confirmant, de iis verbis facere constitui. Dicam igitur in primis, quid sit proprie Traditio & quotuplex; deinde quæ sint eius proprietates, seu conditiones, & quæ sit eius ad Scripturam collatio.

De Traditionibus quo ordine differendum sit.

Primum igitur vt præstemus, sciendum est quod παράδοσις Græce, seu Latine Traditio, vbi [illegible] dicitur nobis ab Ecclesia viua voce Tradita, siue postea canonice scripta sit siue non; siue ab scriptura minime canonica commendata sit; sed memoria ex ore in os transfusa, & veluti per manus conseruata.

Traditio quid sit.

Quod vero complectatur scripta, & non scripta canonica, testatur Apostolus

In illa scripta Canoni.

ta, & non scripta cōtineri probatur.

Paulus ad Thessalonicenses: *State*, inquit, *tenere traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Et traditionem vocat fidem resurrectionis 1. Corinthior. decimoquint. *Tradidi*, inquit, *vobis in primis, quod & accepi: quoniam CHRISTVS mortuus est, pro peccatis nostris secundum Scripturas; & quia sepultus est, & quia resurrexit in tertia die.* Cœnam etiam Dominicam traditionem nuncupat: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus IESVS, in qua nocte tradebatur, &c.*

1. Thess. 2.

1. Cor. 15.

Supra 11.

Præterea lex ipsa Mosaica, traditio erat: vnde testes contra Stephanum deposuerūt illum prædicasse de IESV, quod mutauit traditiones, quas tradidit nobis Moyses. Extenditur etiam hæc vox ad præcepta Ecclesiastica, siue positiua, de quibus Apostolus: *Rogamus vos, & obsecramus in Domino IESV, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere DEO, sicut & ambulatis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum IESVM*: & iterum: *Denuntiamus vobis fratres in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.*

Act. 6.

1. Thess. 4.

2. Thess. 3.

Rursus alibi ait; *Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis; & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et in actis scribit Lucas; *Cum pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis, & senioribus, qui erant Ierosolymis.* Vnde Græce dicitur παράδοσις: sicut in lege erant Traditiones positiuæ seniorum, & Paulus erat æmulator paternarum traditionum, sic dictæ, quia traditæ essent à Christo Apostolis, & pro illis aliis. Et vt testis est Apostolus in priori ad Thessalonicenses. *Volebamus*, inquit, *tradere vobis non solum Euangelium, sed etiam animas nostras.*

1. Cor. 11.

Act. 16.

Matt. 15.
Gal. 1.
Traditiones cur hoc nomē sortitæ sint

1. Thess. 2.

Etsi autem in lege Naturæ omnia essent illis tradita, & nihil scriptum; & in veteri lege multa scripta, & pauca tradita: at in Euangelio multa quidem scripta, multa etiam ore tradita sunt, quia vero omnia mandata chartis, saltem non Canonicis, vt Conciliis Oecumenicis, Decretis, & sanctionibus Romanorum Pontificum, & sanctis Doctoribus; & quia scripta in Sacris literis, non dicuntur amplius ore ad os transfundi; ideo solum tradita extra Sacras literas, proprie vocamus Traditiones.

Naturæ, Mosis, Euangeliiq; traditionū differentia

Est autem varia Traditio, primo ex parte autoris. Et prima quidem, est diuina Christi autoritas: secunda, magisterium Apostolicum: tertia, Episcoporum, & maxime Romanorum, potestas. Diuina enim autoritate traditum habemus Scripturæ sensum, iuxta illud; *Aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Habemus etiam eadem autoritate numerum, & virtutem Sacramentorum, quia habent gratiæ Diuinæ promissionem, quam nemo, nisi Deus, polliceri potest: in quibus Apostoli potuerunt esse præcones, & promulgatores, non autem institutores. At Traditiones mere Apostolicæ, partim in Scripturis continentur, vt decretum (Act. 15.) de non edendo Idolis immolato, de modo orandi detecto capite vel aperto, de non promouendo digamo, & percussore, & neophyto: partim sunt in Canonibus Apostolorum, vt ieiunium Quadragesimæ, delectus ciborum, & abstinentia à carnibus, & quod Episcopus nonnisi à tribus ordinetur Episcopis, & quod non transferatur Episcopus de Ecclesia in Ecclesiam, & multæ similes: aliæ denique in Doctorum scriptis inueniuntur, vt, orare genibus flexis ad Orientem, & tempore Resurrectionis stantes preces fundere: vt Basilius De Spiritu sancto, trinam mersionem, & abrenuntiare Satanæ, & oblationes pro defunctis, & pro eis orare, vt Tertullianus libro De corona militis Augusti. ad Ianuarium ait, esse ab Apostolis tradita festa Passionis, Resurrectionis, Ascensionis & sancti Spiritus missionis. Leo ab Apostolis ait descendisse Quatuor Temporum ieiunia. Baptismum paruulorum fuisse ab Apostolis traditum, docent Dionysius capite vltimo Ecclesiasticæ hierarchiæ, Origenes in capitulo sexto, ad Romanos, & Cyprianus epistola ad fidum. Alias denique in Conciliis legitimis, siue à Romanis Episcopis vniuersali autoritate introductas legimus.

Traditio quotuplex sit.
I. diuisio, tripartita.
Diuina traditio quid contineat.
Luc. vlt.

Quænam sint traditiones Apostolicæ, & vbi cōtentæ.
Act. 15.
1. Cor. 11.

1. Tim. 3.

Basil. li. de spir. sanct. c. 27. & 1 prope fin.
Tertul.
Aug. ep. 118 c. 1. & 2.
Act. 2.
Leo Magn. serm. 5. De ieiunio.
B. Dion. Areopag. Orig. 1. 2.
B. Cyprian l. 3. ep. 8.

Secundo ex parte rei: nam quædam traduntur, vt necessario seruanda, & credenda: vt quæ in Scriptura continentur, & quæ præter eas, vt certo credenda accipimus, Quædam vero, vt pie credenda traduntur: vt, quod ingrediente Christo in Ægyptum idola, & simulachra corruerint: quod Magi venientes ab Oriente, Reges, & tres tantum extiterint: quod Dominus dixerit Petro; *Vado Romam iterum crucifigi.* Quædam etiam agenda, aut fugienda proponuntur tanquam iuris Naturæ, vt Decalogus, & similia: quædam vero tanquam iura positiua, sed diuina; vt sunt omnia Sacramenta, quod attinet ad formas, & materias & ministrum: quædam rursus tanquam

III. diuisio. quinque membris.
Esai. 19
Matt. 2.

Ibid.

Exod. 20. & seq.

1 Cor. 11.
Actor. 15.
1. Tim. 3.

mere

1. Cor. 11. mere positiua, & Ecclesiastica, vt lex de o-
Act. 15. rando velato capite tradita fœminis, & de
1. Tim. 3. suffocato, & idolis immolato non edendo, & apud Paulum digamo, & percussore Episcopo, & non neophyto.

III. diuisio. Tertio, varia est Traditio ex parte modi. Quædam enim olim aperte reuelata sunt, vel occulte in iudiciis maiorum detecta; quædam vero modo denuo Ecclesiæ aperte reuelata, vel occulta assistentia Spiritus sancti in iudiciis, & præceptis Romanorum Pontificum, vel Conciliorum Generalium facientium, quod in se est. Atque hoc verissimum est in omni lege, tam Naturæ, & Moysis, quam Gratiæ: quoniam non omnia simul tradita sunt, sed paulatim traditio augebatur. Vnde & Prophetæ post legem multa scripserunt, & Apostoli in epistolis suis plurima post Euangelium tradiderunt. Hinc colligi potest, non omnia tradita esse ab Apostolis, sed ea, quæ tunc temporis necessaria, & quæ ad salutem credentium idoneae erant. Alias enim non o-
Ratio. pus esset permansione CHRISTI nobis-
Matth. 28. cum, iuxta illud; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.*
II. Nec secundo opus esset Spiritu sancto, qui
Ioan. 14. manetet in sempiternum cum Apostolis.
III. Nec tertio opus esset Pastoribus, & Do-
Ephes. 4. ctoribus ad consummationem sanctorum vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ. Nec
IV. quarto ita esset bene prospectum Ecclesiæ,
Deut. 17. vt olim Synagogæ, in qua etsi essent tot scripta, tamen recursus erat ad summi Sacerdotis tribunal, & traditionem. Imo nec bene esset consultum simpliciter Ecclesiæ: quia videmus quod Scripturæ, & Traditiones nobis cum Hæreticis communes non sufficiunt ad terminandam litem, sed nouis definitionibus est opus, quibus obuiam Hæreticis eamus.

Traditiones Ecclesiasticæ de moribus, siue agendis mutari possunt, quadruplici ratione. Atque hoc circa eredenda, quæ semper perstant, minus circa agenda: quæ quia varia sunt, non possunt semel pro omni tempore definiri; nec sub Apostolis omnia occurrerunt, vt possent ab eis omnia decidi, & in alio statu erat Ecclesia sub Apostolis, quam sit modo, vel fuerit post illa tempora. Deinde, natura nostra non omnia simul doceri potest, sed progressu, & successu temporis eruditur, nec est capax omnium simul veritatum. Deus etiam paulatim reuelat, & ea quæ tempore necessitatis occurrunt, meliussapiunt, & melius retinet homo. Vnde dixit ad filios Israel, cum Moyses conscen-
Exod. 24. deret in montem: *Habetis Aaron, & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis*
Ioan. 16. *ad eos*: & Dominus ad Apostolos, *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo.* Hinc variis horis Paterfamilias mit- Matth. 20.
tit operarios in vineam suam. In iniuriam igitur Spiritus sancti, qui vngit vnctione sua Ioan. 2.
membra Christi, & qui vsque modo operatur, reiicitur, quicquid non est dictum ab Ioan. 5.
Apostolis. Quæ ergo mala non sunt, sed vtilia, & expedientia, licet olim non essent vsitata, non sunt tamen spernenda. Possunt ergo esse nouæ Traditiones ad fidem, & mores spectantes, licet ab Apostolis non sint conditæ, aut explicatæ.

IV. diuisio. Quarto, diuiduntur Traditiones in quasdam per se bonas, quas Ecclesia vniuersalis amplexata est, alias vero vanas, & quæ magis detrimentum, & vtilitatem adferant; vt illæ, quæ dicuntur traditiones Seniorum, & Pharisæorum, qui irritum faciebant mandatum Dei propter suas traditiones, & de quibus loquitur Augustinus epistola 119. ad inquisitiones Ianuarii: *Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum autoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur: ita vt vix aut omnino nunquam inueniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo.* Hæc ille. Aliæ vero sunt mediæ, & indifferentes, quæ non facile sperni debent à quoquam, nisi iudicio Ecclesiæ: de quibus Augustinus epistola 118. ad Ianuarium c. 2. initio: *Alia vero, quæ per loca terrarum, regionesque variantur, sicuti est quod alij ieiunant Sabbato, alij vero non; Alij quotidie communicant corporis, & sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt: Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum, & Dominica, alibi tantum Dominico, & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Nec disciplina vlla est in his melior graui, prudentique Christiano, quam vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque forte deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur societate seruandum est.* Hæc ille. Vbi docens liberas habere obseruationes, non vult licere alicui priuata autoritate illas consuetudines mutare, vel negligere, sed ponit post ea, quæ instituta sunt à Christo, & ab Apostolis, vel Conciliis plenariis profecta, tertium genus eorum, quæ liberas habent obseruationes: quia sicut eis Ecclesiis, quæ eas susceperunt, non suscipere, & susceptas non retinere. Et hac tenus diximus de 1. quid scilicet sit Traditio; & quotuplex, iam conditiones traditionis explicandæ sunt.

Traditiones vanæ & inutiles quæ nam sint. Matt. 15. Aug. ep. 119. 2.

Quæ mediæ, & indifferentes secundum Augustinum. Idem.

Aurea D. Augustini regula.

Hasce traditiones Augustinus liberas habere obseruationes, quomodo dicat.

Est i-

Gen. 4. Infra 6. Infra 11. Est igitur Traditio in primis ad salutem Ecclesiæ necessaria, atque adeo magis, quã ipsa Scriptura. Primum, quia Ecclesia legis Naturæ sine scriptis libris fuit, non tamen sine doctrina Fidei, & traditione, quia in Abel, Noe: & Abraham legimus fidem fuisse nihil autem libris consignatum fuisse inuenimus. Heb. 11. Deinde, Ecclesia Moysis coaluit, & ex Ægypto egressa est, & vsque ad Pentecosten, hoc est: post quinquagesimã diem, nihil scriptum receperat, eo vero die conscendit montem Moises, & accepit legem digito DEI scriptam. Exod 31. Tertio, Nouum Testamentum per plures annos ante scriptum fuit in corde, quam in charta, & nemo negabit tempore Apostolorum antequam quicquam chartis consignarent veram Dei Ecclesiam fuisse. Quarto, eo tempore, quo Sacra Scriptura combusta à Chaldæis fuisse perhibetur, certe Ecclesia Traditione regebatur: & quando liber Deuteronomii defecit, & longo post tempore à Iosia inuentus est, certe erat Ecclesia Dei. 4. Reg. 22. Modo etiamsi forte Scripturæ vllo casu occultarentur, aut perirent (quod Deus omen auertat) certe ad Traditionem viuam esset recurrendum: vt docet Irenæ. libro aduersus Valentinum, & eius sectatores, his verbis: D Iren. l. 3. c. 4. *Qui autem*, inquit, *si neque Apostoli Scripturam reliquissent nobis; nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum eorum quæ in Christum credunt, sine charactere, vel atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes.* Ad hæc Ignatius epistola ad Philadel. *Audiui*, inquit, *quosdam dicentes: Nisi Euangelium inuenero in archiuis, non credo* (locus est publicus, in quo scripta & acta vrbis, & ciuium recondi solent) *talibus ego dico quod Iesus mihi pro archiuis est, quem nolle audire, manifesta pernicies est. Illibatum mihi est archiuum crux eius, & mors & resurrectio eius, & fides horum, per quæ cupio iustificari precationibus vestris. Qui non credit Euãgelio, nihil cæterorum credit: nec enim spiritui debent archiua præferri. Durum est contra stimulum, calcitrare. Durum est Christo nolle credere. Durum est prædicationem Apostolorum reijcere. Boni sunt Sacerdotes, sermonisque ministri, sed præstantior est Pontifex, cui credita sunt Sancta Sanctorum.* Hæc ille. Porro existente Scriptura, illa nõ satis est ad Ecclesiam regendam, sed etiam traditione ad multa est opus, quam ipsa Scriptura magnopere commendat. Deut. 32. Vnde ad eam mittit filium Ecclesiæ: *Interroga*, inquit *patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos: & dicent tibi:* & Dauid, Psal. 43 *Deus auribus nostris audiuimus: patres nostri annuntiauerunt nobis opus, quod operatus es*, & reliqua. Et Ieremias, Ierem. 6. *state*, inquit, *super aquas, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus vestris:* ait quoque Salomon: Prou. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Preterea, in sacris literis præcipitur, vt inferiores audiant suos superiores, & obediãt præpositis suis. Heb. vlt. Luc. 10. Matth. 20. Potius ergo Scriptura commendat Traditionem, quam Traditio Scripturam; & ob id magis est necessaria, quia ad illam commendandam est Scriptura. ¶

Cur rursus præter Scripturam etiam Traditione opus sit.

I. ratio. Qua posita, adhuc opus est Traditione. Primo, ad canonizandam Scripturam, id est, vt à posteriori credamus libros esse diuinos, & à Spiritu sancto conscriptos ad partem traditionis Apostolicæ communicandam. Nam à priori credimus, quia Deus reuelat, ad quod credendum, intus vnctio Dei, & fides inclinat. Hoc autem necessarium est, quia nos nescimus, quid illi autores Sacri scripserint: & licet sciremus, quod tamen adfuerit semper eis Spiritus sanctus, non constaret nobis: & licet constaret, & haberemus autographa, qui scire possemus non esse corrupta, & per hæreticos deprauata ad nos non venisse? Nam etsi demus libro aliquo Canonico catalogum librorum Canonicorum consignari; adhuc opus esset Traditione, quæ traderet nobis librum eiusmodi continentem catalogum, & daret etiam alios incorruptos, quos ille liber vocaret Canonicos. Et quod dico de libris Canonicis; etiam de fragmentis librorum quorundam intelligo, quæ in controuersiam vocata sunt: vt historia adulteræ apud Ioannem; Ioan. 8. Sudor sanguineus, & confortatio Angeli apud Lucam; Luc 22. & finis Euangelii apud Marcum. Marc. 16. & seq. Non enim tantum de integris libris, sed etiam de fragmentis quibusdam, & particulis, nobis cum Hæreticis lis est.

II. Secundo, opus est Traditione, ad probandum, quod translatio Scripturæ ex Hebræo idiomate in Græcum, quam fecerunt Septuaginta interpretes, & Noui Testamẽti ex Græco in Latinum, quam fecit autor Vulgatæ editionis, & correxit B. Hieronymus, nullos errores in necessariis ad salutẽ contineat: quia alias Christus non doceret, si falso eius verba in aliam linguam verterentur; cum in scriptum sit: 2. Tim. 2. 1. Ioan. 2. *Dabit tibi Dominus in omnib. intellectum; &, Vnctio eius docet vos de omnib.* Nec vlli hæretici per editionẽ Septuaginta interpretum, aut per editionem Vulgatam conuinci potuissent. Si ergo per falsam interpretationem corrupta esset Scriptura, Dei prouidentia defuisset, Diuina Scriptura, nisi ex omni parte integra, & incorrupta in

& Spi-

Ecclesia permansisset, Dei erga illam prouidentiam defuisse.

& Spiritus Sanctus regens Ecclesiam, ab illa defuisset: qui tamen vel propter priuatā salutem vnius Ismael, misit Angelum ad Agar, & Tobiæ dedit Angelum certum ducem, & comitem viæ, & ad Cornelium Cēturionem misit instructorem Angelum. Qui ergo tam peculiari prouidentia priuatos quosque gubernat, quanto magis Ecclesiam suam?

Gen. 16. *Tob 5.* *Act. 10.*

III. ratio. Scripturā eum certa eius intelligentia à Deo accepimus.

Tertio, posita Scriptura sacra necessaria est Traditio: ad sensum verum, & germanū eruendum. Non enim non tantum nobis Deus dedit Scripturam, sed etiam certam Scripturæ intelligentiam, qua in necessariis ad salutem regeneremur. Ita enim per Esaiam pollicitus est: *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus; Spiritus meus, qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, & modo, & vsque in sempiternum* Vbi non tantum promittit verba Scripturarum suarum, sed etiam Spiritum S. eorum intellectum præstantem. Etenim, & Paganus, & Iudæus possunt textum Bibliorum sibi à typographo comparare, at non sensum: quod perinde est ac haberent cam auro plenam, sed sine claui qua aperiatur, quam traditio porrigit. De qua Clemēs libro Recognitionum: *Oportet*, inquit, *à Deo intelligentiam discere Scripturarum, qui eā à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruat, vt & ipse possit ea, quæ recte suscepit competenter asserere!*

Esa. 59.

Traditio clauis Scripturæ. *Clem. l. 10. recognit. aliquanto à medio.*

IV. Quarto necessaria est traditio ad Sacramentorum numerum, & varia eorum affecta accipiendum; & ad distinguendum ea, quæ in eis ad eorum substantiam spectant, & ea rursus quæ ad ornamentum: quæ si omittantur, peccatur quidem voluntaria amissione, at Sacramentum ipsum semper perficitur.

V. Quinto, opus est Traditione ad rationē hierarchiæ Ecclesiasticæ constituendam, & ad singulos gradus, & quis cui præsit, distinguendos; quæ sane quantum ad multa, literis consignari minime debuerunt, quia varia sunt, & quia, quotidie in praxim veniunt. Ideo in illis obliuio non cadit, quemadmodum in speculationibus; & quia literis commendata extra Sacram Scripturam; & quia non habentes fidem, illam facile irriderent, vt Magnus docet Basilius libro De Spiritu sancto; & vt seruaretur præceptum Christi: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Quare Gentiles templum Dei non intrabant, neque de manu eorum Sacerdos accipiebat sacrificia licet pro illis posset conferre pecuniam, vt Seleucus, & Darius, & Cyr. fecisse dicuntur. Quod vero reuerentia debita Sacramentis administrandis adhibeatur, & scādalū in illis porrigēdis indignis hominibus vitetur; iuris Naturæ est, nō cæremoniæ

Basil. lib. de Spir. S. c. 27 c. 1. iuxta f. *Matth. 7.* *Deut. 23.* *2. Mach. 3.* *1 Esd. 6.* *Sap 1.*

VI. ac postrema

Postremo necessaria est Traditio ad multa dubia, quæ expresse in Scripturis non cōtinentur, nec definiuntur: quemadmodum fuit dubium de Paschate celebrando, quod in Nicena Synodo definitum fuit, & dubiū de baptismo exhibito ab hæreticis, an videlicet esset repetendus, vt volebat cum suis Episcopis Cyprianus: cuius tamen oppositum in quarta synodo Carthaginensi definitum fuit. Denique de cultu imaginum de suffragiis mortuorum, & similibus multis, quæ quotidie in Ecclesia propter Hæreticos in disputationem veniunt. Alias enim quot capita, tot hæreses, quæ vna traditione reuincuntur: si hæreticus sit iudex eius quod continetur in Scriptura, nihil quod nolit continebitur: & in laqueum esset obedientiam præcipere superioribus contra Deum nihil præcipientibus, si non declarasset, quod tantum de scriptis præceptis esset exhibenda, quia ad id satis fuisset Scriptura. Qui autem non credit traditioni in Ecclesia receptæ, sed quærit Scripturam; malo debitori similis est, nolenti debitum reddere, si non ostentatur syngrapha; cum tamen satis sit idoneos producere testes. Audi verba Augustini libro contra Cresconium Grammaticum: *Quamuis*, inquit, *huius rei* (scilicet non rebaptizandos hæreticos) *certe de Scripturis Canonicis non profertur exemplum; earundem tamen Scripturarum etiam in hac re nobis tenetur veritas, quum hoc facimus, quod vniuersa iam placuit Ecclesia, quam ipsarū Scripturarum commendat autoritas; vt quoniam Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, huius obscuritate quæstionis eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Hactenus Augustinus, docens quid sit agendum in rebus quæ Scripturis firmari, aut infirmari non possunt. ¶Quod si quandoque falsæ, & vitiatæ proferantur traditiones; mirari non debemus, quia etiam Scripturas quasdam vitiarunt Hæretici: nihilominus per traditionem veram agnoscuntur, & falsæ Scripturæ prolatæ, & falsæ quæque traditiones.

Nicen. Syn.

B. Cyprian. *Co cil. Carthagin 4.*

Hæreticus si eu quod continetur, in Scriptura, iudex constituatur, quid omnino futurū sit.

Traditioni ab Ecclesia receptæ, & approbatæ nolens acquiescere, cui similis ille sit.

Aug l. 1. cōtra Cresc. Gramm. c. 32. t. 7. non procul à princip.

Scripturæ Ecclesiæ quātum tribuat August.

Secunda conditio Traditionis est quod sit Scriptura antiquior. Nam ante fuit Ecclesia in lege Naturæ, quam vlla lex scripto tradita, & multi erant iusti in ea, & fuit saluti ergo Ecclesia ore tradebat, quæ necessaria erant ad credendum, & operandum, vel dicendum esset, quod Deus immediate per seipsum quemuis doceret: quod falsum esse

II. Traditionis proprietas, prio rem esse Scriptura.

vide-

Gen. 18.

videtur. Quia Abraham eruditurus erat populum suum, & Iacob docebat filios suos, & Rebecca, & Iob, & Melchisedech, suo quisque tempore de necessariis ad salutem suos instruebant. Vnde Abraham propheta fuit, & facultatem docendi habebat. Ad hæc in Ecclesia Noui testamenti per multos annos nihil scripto traditum fuit, sed traditione quisque accipiebat ea, quæ ad fidem, & mores spectabant. Nã primus omnium Matthæus scripsit, postquam per nõnullos annos prædicasset; & Ioannes postremus inter Euangelistas scripsit post annos sexaginta à Christo in cœlum assumpto, vt multi tradunt. ¶ Est ergo Traditio tanto Scriptura antiquior, quanto prædicatio Apostolorum tempus præcessit scribendi. Et Apostoli quidem præceptum acceperũt prædicandi, non autem scribendi, cum illis dictum est: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*: & Apostoli contra hæreses insurgentes, non Scripturã, sed Traditionem opponunt, vt Paulus Galatis: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis anathema sit*, Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Et ad Thessal. ait: *Denuntiamus vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis*, id est secundum doctrinam prædicatione traditam. Ad Corinth. idem ait: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem nõ habemus, neque Ecclesia Dei*. Opponit contentiosis non Scripturarum, sed Ecclesiæ consuetudinem, & morem.

Infra 20.

Primus Euangelistarum Matthæus, à se prius prædicatum Euangelium scripto mãdauit.

Marc. vlt.

Gal. 1.

2 Thess. 3.

1 Cor. 11.

Tertia conditio, quæ Traditionẽ commendat, est claritas, & perspicuitas. Nam primum Scripturas turba non cognoscit, sicut Traditionem. Vnde Iudæi dicebant, *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum*, & Samaritana dicebat: *Messias qui dicitur Christus, cum venerit, ille nobis annuntiabit omnia*: & iterum Iudæi dixerunt, *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus, vnde sit*. Scripturas enim versare, & legere, non est omnium, sed paucorũ, q. & legere nouerunt, & intellectu vigent ad apprehendendas veritates salutis.

III proprietas, Traditio est magis clara, & perspicua quã Scriptura.
Ioan 12.
Ioan 12.
Sup 4.
Infra 9.
Scripturas legere, & intelligere ad quos spectet tantũ modo.

Deinde, Scriptura potest trahi ab Hæreticis ad quod sibi quisq; collibuerit: quemadmodum ab eorum capite Satana dicente, *Mitte te deorsum, scriptum est enim, Quia Angelis suis mandauit de te*: Et, *Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos*, id est seorsum extra Ecclesiæ arcam ducent: quod est finis lupi, hoc est sensus Hæretici vestibus ouiũ induti, hoc est dictis Euangelij, & Scripturæ exornati.

II.
Matt. 4.
Psal. 90.
Matth. 24.
Ioan. 10.
Matth. 24.

Hæreticorum ingenium.

Tertio, quia Scriptura dubiorum, quæ pullulabunt, iudex esse non poterat: Tum quia in lege, siue Synagoga Scriptura non declarabat, quia esset processus in infinitum, sed vnica Sacerdotis Traditio: tum quia Scriptura difficilis est: tum quia muta est. At iudicis vox terminans lites, viua esse debet, quæ glossam non recipiat. Hinc in nouo Testamento ad Ecclesiam mittitur, qui aliquod dubio torquetur, vt cõstat Act. 15. non autem ad Scripturas, quæ instar nasi cerei ducuntur quo quis vult. Ad hæc Scriptura, testis præstat officium, non iudicis. Ait enim Dominus: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Quemadmodum nec Leges ciuiles satis sunt sine Principum placitis, & responsis prudentium. Olim dubitatum fuit de perpetuitate legalium, quia scriptum erat: legitimum sempiternum erit vobis: & declaratum est illa cessasse, & completa esse per traditionem Euangelicam. Arrius dubitauit de Deitate Verbi; & multos locos pro se producebat. Ideo proteruire volentes, Scripturis non possunt refelli; vna ergo traditione iugulandi sunt. Quare manifesti sunt hæretici omnes, à Traditione, id est, communi omnium sensu in communione permanentium, sibique inuicem succedentium dissidentes, & ab ea ad Scripturam appellantes: in quibus facile est scire quid Ecclesia tradat credendum, vel seruandum. In abditis vero, & secretis id tenet Ecclesia, quod aquilæ tradunt recitantes eius traditionem, & non proprium sensum.

III.
Deut 17.
Mat. 18.
Act. 15.
Scripturæ quales possint videri.
Ioan. 5.
Leges ciuiles quid postulent.
Exod 28. & sæpius alibi in Leuitico.
Actor. 15.

Hæretici traditione sola, vt tales agnoscuntur atque damnãtur.
In reb. apertis, & manifestis contra in dubijs, & obscuris quid teneat Ecclesia.

Quarta proprietas Traditionis est, quod firmitatem, & stabilitatem habet: non quidem circa ea, quæ tradit, vt probabilia, & quæ ad ornamentum faciunt Sacramentorum, & quæ Apostoli vt pastores, & legislatores instituerunt: nam talia aboleri possunt, vt decretum Actorum decimoquinto; vel dispensari, vt Quadragesimæ ieiunium, trina immersio in Baptismo: quod digamus, percussor, & neophytus ad Episcopatum nõ promoueantur: sed quæ docet credenda, vel facienda, vel vitanda: maxime cum additur anathematis aut excommunicationis censura, contra nolentes recipere: & potissimum in quibusdam discussis controuersiis & postea definitionem sortitis, vel quando quid tenendum, de necessitate salutis traditur.

IV. conditio Traditio firmior & stabilior est Scriptura.
Hæc firmitas quomodo sit accipienda.
1. Tim. 3.
Tit. 1

Quod autem hæc firmior sit, inde constare potest, quia notior est Ecclesiæ, & Apostolorum sanctitas, quam Scripturæ,

Ratio.

Secunda ratio.

eum hæc per illam cognoſcatur. Deinde quia miracula congregationem talem fidẽ profitentem immediate confirmabant, & conſequenter Scripturas, quas ſancta illa congregatio acceptabat. Scripturæ enim vere probantur, quia conformes ſuot Traditioni iam factæ. Ideo ſcriptom eſt, Apoſtolos profectos vbique prædicaſſe Domino cooperante, & ſermonem confirmante: non ait, Scripturam confirmante.

Marc. vlt.

Rurſus: *Vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangeliũ in toto mundo*: non ait, Vbicunque fuerit ſcriptum.

Matth. 26.

Et Apoſtolus dicit: *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis*: Non ait, Præterquam quod ſcriptum eſt.

Gal. 1.

Item Ioannes: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis*: non ait, Si quis Scriptoram doctrinæ huius non adfert.

Ioan. 2.

Cur ſcripta ſunt Euangelia.

Euangelia ſiquidem, vt partem doctrinæ traditæ nobis narrarent, conſcripta ſunt. Nam teſtatur Ioannes: *Sunt & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula*, & reliqua.

Ioan. vlt.

Et Actorum primo, Dominus apparuit Apoſtolis per dies quadraginta in multis argumentis loquens de regno D E I.

Actor. 1.

Illud etiam: *Beatius eſt magis dare, quam accipere*, in Euangelio non extat, quemadmodum nec apparitio facta pluſquam quingentis fratribus, vel Iacobo: & Lucæ vltimo, Incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.

Infra 20.
1. Cor. 15.
Luc. 24.

Et Actorum decimoquinto, & decimoſexto, tradebant Paulus & Barnabas dogmata Apoſtolorum, & ſeniorum, qui erant Ieroſolymis.

Act. 15.
Infra 16.

Epiſtolæ Canonicæ cur ſcriptæ ab Apoſtolis.

Epiſtolæ præterea ab Apoſtolis conſcriptæ ad Eccleſias, hunc ſcopum habebant; vt extirparent errores contra Traditionem ortos, & pro particulari neceſſitate Eccleſiarum, vel perſonarum, vt Philemonis, & Timothei, & Titi, & Electæ, & Caii epiſtolæ: non autem, vt omnia complecterentur, hoc eſt, præcepta Apoſtolorum primitiuæ Eccleſiæ, vel Canones Apoſtolorum, & eorum diuiſiones in varias Prouincias, & martyria.

Apoſtoli cur non omnes ſcripſerint, ſed pauci tantummodo

Ideo non ſcripſerunt omnes, quaſi ex communi conſenſu partito labore, ſed tantum aliqui pro cauſa particulari, & ad conſeruandam Traditionem conſcripſere. Nouum enim Teſtamentum viua voce in aures per Traditionem commendatum eſt, vt concipiatur, & ſcribatur in corde, iuxta illud: *Dabo Legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*.

Ierem. 31.

III.

Traditionis perpetuitas.

Prætetea ſi id vllo caſu accideret, vt tota periret Scriptura, ſaltem in aliqua Prouincia; vt tempore Eſdræ Scripturam non defeciſſe traditur, certe propterea Traditio non periret, quæ quam diu eſt Eccleſia, durare debet.

Traditio niſi conſiſteret, quid inde futurum.

Adhæc ſi Traditio non eſſet firma, id eſt, falſa doceret, Scriptura, & ſigna, & omnia D E I dicta, quæ illam confirmant, nutarent. Similiter, ſi non conſeruata eſſet Traditio in neceſſariis quia tunc Scriptura falſo mitteret ad Traditionem.

Hinc Paulus Timotheũ hortatur, vt depoſitum cuſtodiat, & Theſſalonicenſibus ſcribit: *State; & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram*.

1. Tim. 6.
2 Theſſ. 2.

In Eccleſia viuæ traditionis magiſterium habẽte, nolle permanere, plane impium & temerarium.

Ideo non eſt recedendom ab Eccleſia viua traditione erudita, vel ob Scripturas allegatas: quia illæ vt pictura varia torqueri poſſunt, vt docet Petrus; neque ob viſiones, & reuelationes, vt docet P A V L V S, ex quibus multæ ſectæ deceptæ ſunt, vt tradit Tertullianus; neque ob vlla ſigna, & prodigia, quæ contra eam à pſeudoprophetis fiant, vt Dominus Matthæi vigeſimoquarto capite canit: ſed ſemper eſt præſtandom in Traditione Eccleſiæ, quæ ſola domus D E I eſt, columna, & firmamentum veritatis.

2. Pet vlt.
Gal 1.
Tertul.
Matth. 24.
1. Tim. 3.

V conditio Traditio, quam Scriptura latius patet. Ratio I.

Quinto, Traditio multo eſt vniuerſalior quam Scriptura, quia ad plura tempora, & ad plura obiecta, & ad plura indiuidua ſe extendit.

Traditiones legis naturæ nõ ſcriptæ quæ fuerint. II.

In Lege namque Naturæ nihil ſcripto, ſed ſola Traditione datum eſt: vt de ceremoniis Legis, vt votis, circumciſione, ſacrificiis, & ſuſcitatione ſeminis: & in Euangelij omnimoda prædicatione omnia ſunt tradita, antequam ſcriberentur. Omnia etiam ſcripta prius ſunt tradita, vt Lucas refert: *Sicut tradiderunt nobis*, inquit, *qui ab initio ipſi & viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis*.

Luc 1. In proœmio.

Et præter illa, alia multa non ſcripta, maxime neceſſaria, & pluribus hominibus communia: quia ſine Traditione viua non eſſet nobis tam idonea, & ſufficiens tota Scriptura, atque Iudæis ſolus Moſis Pentateuchus fuit: quia totum illum populum recte ordinabat ad cultum D E I & ad mutuum, & pacificum conuictum inter ſe; cum tamen Euangeliſtæ tantum vitam C H R I S T I, doctrinam, & mortem complectantur, alii vero Apoſtoli pro cauſa duntaxat occurrenti ſcribant.

Quinque libri Moſis quid præſtiterint, populo Dei

Apoſtoli ſi omnia vel ſcripſiſſent vel tradidiſſent, quid inde.

Quare ſtultum eſt omnia ſcripta ab Apoſtolis fuiſſe putare, vel omnia ab eis tradita fuiſſe; & in iniuriam vergeret agentis, & reuelantis Spiritus; & inſuaue eſſet naturæ noſtræ, quæ omnia ſimul non capit; & rebus ipſis incõueniens.

Quæ tantum ſint ſcripta canonice.

Illa ergo tantum ſcripta ſunt canonice, quæ ſufficiebat ita ſcribi: quia non erant, multiplicandi in immenſum libri Canonici. Difficile quippe eſſet omnes legere libros: difficilius intelligere, & cõprehenſos

om-

omnes habere difficillimum ab hæreticorum insidiis, & fraudibus eos tueri.

Ecclesiæ omnis sibi traditæ Apostolicæ doctrinæ diligentissima semper fuit ac fidelissima custos.

Nũ ergo dici poteſt, nihil tradidiſſe Apoſtolos, ſicut nec quod omnia nobis tradiderunt, nec quod omnia tradita, ſint commẽdata Scripturæ Canonicæ: quia non idoneè tradidiſſent, poſtquam tam pauca literis eõ ſignarunt. Nec rurſus dici poteſt, quod perierint, quæ nobis tradita ſunt: nam Eccleſiæ non ſatis eſſet proſpectum, & illa eſſet infidelis cuſtos crediti ſibi depoſiti, & oporteret quotidie de integro fieri reuelationes in Eccleſia.

Conſtat igitur, Traditionem latius ſe extendere quam Scripturas, quia complectitur omnes, qui eas non legunt, & qui eas legunt.

Christi, & Apostolorum traditiones quæ scriptæ, & quæ minime. *Act. 15. 1. Cor. 11. Infra 14. Supra 11. 1. Tim. 3. Tit. 1.*

Porro Traditionum, vt ſupra diximus, aliæ ſunt Chriſti commendatæ libris Canonicis, aliæ non commendatæ, vt materia, & formæ Sacramentorum: aliæ ſunt Apoſtolicæ, & harum aliæ ſcriptæ, vt de abſtinendo à contaminationibus ſimulachrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine; de modo orandi velato capite, & de ratione prophetandi, & communicandi, & de Epiſcopo digamo, neophyto, & percuſſore; aliæ vero non ſcriptæ, vt ſignum ſanctæ Crucis, Symbolum Apoſtolorum, & Canones eorundem, Miſſa, & ratio ſacrificandi: quod CHRISTVS in cœna obtulerit ſacrificium in pane & vino: quod eadem die chriſma Chriſtus confecerit: quod ſacrificium offeratur pro viuis, & mortuis: diei Sabbathi in Dominicam diem mutatio: ſolennes, & feſtiui dies, vt Natiuitatis Domini, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes & Incarnationis, & aliorum Sanctorum; ieiunium Quadrageſimæ, & in quarta, & ſexta die cuiuſuis hebdomadæ ieiunium; delectus, & abſtinentia certorum ciborum: virginitas, & ratio Monaſticæ vitæ; tres Perſonas eſſe in vna ſubſtantia Diuina, duas naturas in vna hypoſtaſi CHRISTI: Pater ingenitus, Filius vnigenitus, & Patri conſubſtantialis, Spiritus ſanctus ab vtroque procedens; Maria, mater non tantum Chriſti, ſed & Dei; & virgo in partu, & poſt partum.

Scriptura, & Patribus confirmata traditionis autoritas quibus obiicienda.

Aliæ porro ſunt traditiones à Romanis Pontificibus, vel œcumenicis Synodis, vel viris ſanctis in Eccleſia receptæ: & omnes ferè ſcripto commendatæ inueniuntur. Petenti ergo Scripturam, opponenda eſt Traditio, quam commendat ipſa Scriptura, cum ait: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et Paulus ad Hebræos: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Idem ad Theſſalonicenſes: *State, & tenete tradi-*

Luc. 10. Heb. 13. 2. Theſſ. 2.

tiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram: & denique eam maxime commendarunt veteres Patres, & omnibus hæreſibus inſurgentibus opponendã eſſe docuerunt. Ait enim Origenes in epiſtolam ad Titum: *Hæreticus eſt, qui ſe in CHRISTVM credere profitetur, & tamen non credit aliquid de veritate Chriſtiana, quod approbat ratio traditionis Eccleſiaſticæ.* Non ait: Quia non credit Scripturis; ſed, Quia non tenet, quod Eccleſia tradit. Et libro primo Periarchon in proœmio: *Cum multi ſint, qui ſe putent ſentire quæ CHRISTI ſunt, & nonnulli eorum diuerſa à prioribus ſentiant; ſeruetur vero Eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionem ordinem ab Apoſtolis tradita, & vſque ad præſens in Eccleſiis permanens: illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat traditione.* Non ait, Quæ in nullo diſcordat à Scriptura. Idem Origenes Tractatu vigeſimo nono in Matthæum: *Si autem dixerint vobis, Ecce in ſolitudine, nolite exire: Ecce in domibus, nolite credere. Quidam enim*, inquit, *ſecreta proferentes dicunt, Ecce in ſolitudine. Quando enim ſecretas, & non vulgatas Scripturas proferunt ad confirmationem mendacij ſui, videntur dicere: Ecce in ſolitudine verbum eſt veritatis. Secreta enim Scripturæ rectè ſolitudines appellantur, in quibus aut pauci ſunt credentes, aut nullus. Quoties autem Canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis Chriſtianus conſentit, & credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum eſt veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & Eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſia DEI tradiderunt nobis.* Perpende quam rectè Origenes ſentiat eſſe hæreticum eum; qui ob Scripturas diſcedit à Traditione. Irenæus præterea multa de ſoliditate Traditionis protulit, vt libro tertio, Capite tertio, & quarto docet, orta modica aliqua quæſtione, recurrendum eſſe ad antiquiſſimas Eccleſias, non ad Scripturas. Et libro quarto, Capite quadrageſimo quinto ait in principio: *Vbi igitur tales* (ſcilicet fideles diſpenſatores, ſeu doctores veritatis) *inueniat aliquis, Paulus docens ait: Poſuit DEVS primo in Eccleſia Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio doctores. Vbi igitur chariſmata Domini poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem, apud quos eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, Eccleſiæ ſucceſſio, & id quod eſt ſanum irreprobabile ſermonis conſtat. Hi enim & eam, quæ eſt in vnum DEVM, qui omnia fecit, fidem noſtram cuſtodiunt, & eam, quæ eſt in Filium DEI, dilectionem adaugent, qui tantas diſpoſitiones propter nos fecit, & Scripturas ſine periculo nobis exponunt.* Idem docet capit. 63. *Agnitio*, inquit, *vera eſt Apoſtolorum doctri-*

Hæreticus quis ſecundum Orig. *Origen.*

Idem to. 1. circa finem

Quanti faciat Eccleſiaſticam Traditionem Orig.

Idem tra. 29 in Mat. in fine, eodem tomo. Matth 47.

A nobis illud dici videatur Euangelicum: Ecce (Chriſtus) in deſerto eſt: & ecce in penetralibus. Scripturæ ſecretæ ſolitudinib. comparantur. Ab illis pſeudochriſtis quomodo cauendum ac ingeniũ.

B. Irenæus.

Idem.

1. Cor. 4. 1. Cor. 12. Epheſ. 4. Vbi diſcere oportеat veritatem. Apoſtoli quid Eccleſiæ contulerint.

Idem.

Ecclesiasti ex traditionis dignitas, & excellentia.

doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo, & charactere corporis Christi, secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est Ecclesiam tradidere quæ peruenit ad nos custodita sine fictione Scripturarum tractatione plenissima; neque additionem recipiens lectio sine falsatione, & secundum Scripturas expositio legitima, & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia, & præcipuum dilectionis munus, quod est preti sius quam agnitio gloriosius autem quam prophetia, omnibus autem reliquis charismatibus supereminens. Hæc ille, qui alia multa tradit. Audiam Tertullianum, qui librum de Corona militis, enarratis multis Ecclesiæ moribus, & vsibus, subdit: Harum, & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostulet Scripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. Et infra: Consuetudo etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit Lex: nec refert Scriptura an ratione consistat, quando & Legem ratio commendet. Porro si Lex ratione constat, Lex erit omne iam quod ratione constiterit à quocunque productum. Idem libro Præscriptionum aduersus hæreticos, non putat esse cum hæreticis ex Scripturis disputandum, cuius hæc sunt verba: Scripturas obtendunt, & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendi eos ad vllam de Scripturis dubitationem: si hæ sunt illæ vires, an ne eas habere possint, dispici debet, cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit. Hoc de consilio diffidentiæ, aut de studio aliter ineundæ constitutionis induxerim, nisi ratio constiterit in primis illa, quod fides nostra obsequium Apostolo debeat prohibenti quæstiones inire, nouis vocibus aures accommodare, hæreticum post vnam correptionem conuenire, non post disputationem. Adeo interdixit disputationem, correptionem designans causam hæretici conueniendi: & hoc vnam, scilicet quia non est Christianus, ne more Christiani semel, & iterum, & sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur; cum ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum. Deinde quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi plane ve aut stomachi quis ineat euersionem, aut cerebri; ista hæresis non recipit quasdam Scripturas: & si quas recipit, adiectionibus, & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit: & si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessario

Dilectio Deo omnibus charismatib. supereminet Irenæo teste.

Tertul.

Idem. Consuetudo quantum, do Legis vim habeat.

Idem.

Congressionibus Scripturarum cur nihil profici tur apud hæreticos eodē teste.

Eos proinde idem ad vllam de Scripturis disputationem nō censet admittendos.

Hanc ille ab Apostōlo doctrinā accepit. 2. Tim 2. Tit. 3.

Hæreticus corrigi nō potest.

1. Tim 5. Disputans cum hære neo contentiose, quid assequatur.

Tantum veritati obstrepit adulter sensus.

nolunt agnoscere ea, per qua reuincuntur: his nituntur, qua ex falso composuerunt, & qua de ambiguitate ceperunt. Quid promouebis exercitatissime Scripturarum, cum si quid defenderis, negetur ex diuerso; si quid negaueris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes; nisi vocem in contentione: nihil consequeris, nisi bilem in blasphematione. Ille vero si quis est, cuius caussa in congressum descendis Scripturarum, vt eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreses deuerget? hoc ipso motus, quod te videat nihil promouisse æquo gradu negandi, & defendendi, diuersa parte statutum, certe de pari altercatione incertior discedet, nesciens, quam hæresim iudicet. Hæc vtique & ipsi habent in nos retorquere. Necesse est enim & illos dicere a nobis potius adulteria Scripturarum, & expositionum mendacia fibi inferri, qui proinde defendant veritatem. Ergo non ad Scripturas prouocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam et si non ita euaderet collatio Scripturarum, vt vtramque partem parem sisteret; ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa; cuius sint Scripturæ, a quo, & per quos, & quando, & quibus sit eradita disciplina, vbi fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & omnium traditionum Christianorum. Hæc ille, docens, cum hæretico de Scripturis minime disceptandum: tum quia hæreticus conuinci non potest, tum denique, quia ad eum non pertinet possessio Scripturarum.

sius (scilicet hæreticorum) quantum & corruptor stylus.

Quibus in rebus ad Scripturas prouocandum non sit, nec in his constituendum certamen cum hæreticis. Vbi veritas Scripturarum.

Accedat deinde Dionysius Areopagita, qui libro Ecclesiasticæ hierarchiæ aperte tradit Apostolos multa sine scripto tradidisse. Ait enim: Porro huiusmodi plena venerationis eloquia dicimus, quaque à beatissimis patribus nostris? à quibus sacris mysteriis imbuti sumus in sancto ac theologicis commendata sunt libris. Ac præterea quaque ab eisdem sanctissimis viris sacratiore, & purgatiore, & propinqua quodammodo cælesti hierarchia doctrina sancti duces ac præceptores nostri didicerunt, ex animo in animum medio incurrente verbo, corporali quidē sed quod carnis penitus excedat sensum, sine literis transfusa sunt. Beatus Basilius libro de Spiritu sancto multa enarrat traditione tātum per Ecclesiam accepta: & libro aduersus Eunomium Ecclesiæ traditionem irridentem, & sibi soli credi volentem, his verbis illum premit: Magna profecto est tua potentia, si qua multiplici artificio diabolus affectus non est, ita tibi solo imperio aderunt. Siquidem omnem tibi persuasi eraditionem fidei, qua præterito tempore omni, sub sanctissimis viris eiusit,

Dion. Areo pa. c. 1. Eccl hierar. à med.

Basil li. de Spirit. sanc. c. 27. per to tum to. 1. circa fin. Idem lib. 2. aduers Eunom. aliquanto à prin. eo. co Ecclesiæ traditionē impius deridebat Eunom.

Chrys. ho. 4 in c. 2. poste ri. ad Ephe paulo à me dio tom. 4.

cogitationibus vestris impius postponemus. Chrysostomus quoque in verba illa Apostoli: *State, & tenete traditiones, &c.* scribit: *Etenim scripta, & non scripta præcepta tradiderunt Apostoli, & vtraque obseruatione digna: igitur & Ecclesiæ quoq; vel non scripta traditio seruanda est.* Sic ille. Epiphanius quoque in Apostolicos scribens: *Oportet autem,* inquit, *& Traditione vti; non enim omnia à diuina Scriptura accipi possunt: quapropter aliqua sacris Scripturis, aliqua traditione sancti Apostoli nobis commendauerant quemadmodum dicit sanctus Apostolus: Sicut tradidi vobis:* & alibi: *Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesiis.*

Epiphā. in hæresim 61. circa fin.

1. Cor. 11. Infra 14. Hier. to. 2. ante dimid.

Adhæc Hieronymus in Dialogo aduersus Luciferianos in fine sic scribit: *Verum, quia iam multum sermocinati sumus, & prolixitas concertationis audientium studia lassauit, breuem tibi, apertamque animi mei sententiam proferam: in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata vsque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo; sed à quoquam alio nuncupari, vt puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campates, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiauit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt; cum & diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, & Scripturæ non in legendo consistant, sed non in intelligendo.* Augustinus in epistola ad Ianuarium: *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri. Sicut quod Domini passio, & ascensio in cælum, & aduentus de cælo Spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa quacunque se diffundit Ecclesia.* Et idem Augustinus: *Ecclesiasticarum,* inquit, *institutionum quasdam in scriptis quasdam vero Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus, quasdam vero consuetudine roboratas vsus approbauit, quibus par ritus, & idem vtriusque pietatis debetur affectus,* & cætera quæ sequuntur, quæ Gratianus distinct. 11. cap. Ecclesiarum, ex Augustini libro, quem ex dictis Basilii de Spiritu sancto compilauit, collegerat Cyprianus sermone de ablutione pedum, prope initium: *Sicut par est Spiritui sancto, & Christo diuinitas, ita in suis institutis æqua est autoritas & potestas: nec minus ratū est, quod dictante Spiritu S. Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit, & in sui cōmemorationem fieri præcepit.* Rursus Augustinus ad Casulanum Presbyterum: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura diuina, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis cum certa documēta nulla veritatis insinuet, vtique cauendum est, ne potestate contentionis serenitas charitatis obnubiletur.* Hæc ille, qui multa his similia in epistola 119. ad Ianuarium præclare tradit.

Marcionitæ, Valentiniani, Mōtenses, siue Campates sunt Antichristi synagoga.

2. Tim. 2. Matt. 4.

Scripturæ non in legendo consistunt, sed in intelligendo, inquit Hier.

Aug. ep. 118 c. 1. & 2.

Conciliorum in Ecclesia est saluberrima autoritas.

Dist. 12. c. Illa. Idem.

Gratian.

Basil. to. 1. circa fin.

Cyprianus.

Luc. 22. 1. Cor. 11. August. ep. 86. initio. Dist. 11. c. In his.

Quid cauendum in disputationibus.

Idem. c. 19.

Cum igitur controuersia aliqua fidei orta est, accurrendum est ad veteres Patres, & eorum testimonia examinanda, qui in nullam partis gratiam scripserunt, vt traditur in Historia Ecclesiastica libro nono, capite 19. vbi Sisinius Imperatori sanum consiliū dedit de vitandis disputationibus; & producendis testimoniis veterum Patrum: de quibus Augustinus, dum libro contra Iulianum, Pelagianum citaret, ait: *Neque nobis, neque vobis irati sunt* (scilicet veteres sancti Doctores) *neque nos, neque vos miserati sunt. Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra.* Hæc ille doctissimus Pater. Et hæc de Traditione, præsenti loco dicta sint satis.

Incidentes fidei quæstionum definiendi, ac terminandi ratio certissima est sanctorū Traditio.

Eccl. histo. apud Euseb. t. 1.

Aug. l. 2. contra Iulian. circa fin. r. 7. à medio.

De sanctis Ecclesię Doctorib. quid sentiat August.

DISPVTATIO IX.

In qua agitur, Lutheri congregationem siue Caluini nostro seculo ortam, notham esse & spuriam, & multum à vera & germana Christi sponsa degenerare, ac proinde Ecclesia Dei vocem nō promereri.

Ex his quæ late disputauimus, elicimus solam Romanam Ecclesiam, & omnes illi in fide, & moribus consentientes, atque Pastori eius obedientes, esse synceram Christi Domini sponsā, & veram Catholicam Ecclesiam. Nam illi soli congruunt notæ assignatæ. si quidem illa cæteris antiquitate præstat, quæ Petrum Apostolorū principem obtinuit pastorem: & quæ à tempore B. Petri semper interruptione, aut vlla parenthesi durauit: sola obtinuit legitimā Episcoporum successionem. Nam ad triginta vnum vsque Romani extiterunt Episcopi, qui omnes martyrii gloria insigniti, sunt: alios habuit signis, & miraculis, & doctrina præstantes, & in quib. Christus aperte sese exerebat, vt Leonem, Gregorium, & similes: alios denique Spiritu Prophetico, & vitæ sanctitate, & regēdi peritia, atq; prudentia

Eius quę hactenus de veritate Ecclesię Catholicę tradita est, omni acceptione dignissimæ doctrinę vtilis repetitio, & confirmatio.

dentia conspicuos. In Ecclesia semper fuit consensus in vniuersum corpus doctrinæ CHRISTI, non tantum scripturis, sed etiam traditionibus vniuersalibus commendatum: & ad illam solam Ecclesiam omnes omnium temporum Episcopi, & Doctores tanquam ad matrem, & magistram in omnibus Ecclesiæ persecutionibus, & laboribus, confugerunt & veluti ad corpus congregatæ sunt aquilæ: posttremo illa sola aperta, & nota extitit toti mundo, vt eam ignorare potuerit nemo, præter paucos hæreticos, qui se illi opposuerunt, & obstrepere non veriti sunt: sed frustra laborarunt, quia in solidissimam petram calcitrabant, in quam portæ inferi præualere non potuerunt. Cum igitur omnes nostro seculo ortæ sectæ, conuenticula, congregationes & Satanæ Synagogæ ab illis certissimis, & isti stabilitis signis deficiant; reliquum est, vt eas falsas, spurias, & à dæmone excogitatas certissime, & apertissime agnoscamus.

Matt. 24.

Supra 16.

At igitur peculiariter congregationem aut Lutheri, aut Caluini, quæ hodie præ reliquis eminere videntur, plane spurias esse congregationes deprehendas, quatuor viis manifestis demonstrare contendo. Etenim vt diximus, Ecclesia est corpus quoddam sub vno capite Christo, cuius membra & capiti, & sibi inuicem colligata sunt vinculis quibusdam spiritualibus, & ligaminib. non secus atque corporis membra per suas venas, arterias, musculos, neruos, & alia ligamenta suo capiti, & sibi inuicem cohærent. Si ergo nos illos vnitos esse falso capiti; & non vero, demonstremus, & ipsam non esse legitimam congregationem, sed corpus phantasticum ostendemus, adhæc vincula, quibus inuicem Christus cum membris, & membra inuicem sibi vniuntur, falsa esse conuincamus; si præterea colores, & fucos quibus se regunt, in ostentum ponamus; certe de illorum falsis conuenticulis, & synagogis actum erit. Omnis siquidem hæresis alium Christum prædicat, alium spiritū accipit, & aliud Euangelium, quam id quod est acceptum, vt 2. Corinth. 11. docet Apostolus.

Quibus nã tationibus ac viis, illis sane commodissimis, certissimisque propositi argumenti demonstrationi satisfaciendum sit.

Gal. 1.
2 Cor. 11.

Quod igitur primo loco propositum est illos non habere nisi fictum Christum, & mendacem, ex multis, atque id non vulgarib. argumentis manifeste conuincimus. Cum enim Christus, quod attinet ad præsentiam sensibilem, absens sit, & sedeat ad dexteram Patris, & loco sui vicariū instituerit caput & pastorē locum eius tenentem: quotquot profecto sub vicario Christi nō sūt certe sub Christo nō sūt. Nec enim sub Imperatore sunt, qui eius Præsidi, quem loco sui præfecit, & audire in omnibus præcepit, non parent, sed rebellant potius, & illi bellum indicunt. Lutheri ergo schola, & Caluini, Christum colit, qui caput loco sui non reliquit, vt illi tradunt: necessario ergo sub falso Christo sunt, quia verus, & germanus Christus pastorem reliquit, cui dixit: *Pasce oues meas.* Adhæc cum hæretici sub Imperatoria potestate, vel aliorum principum (quibus iure naturæ subditi sunt) obedientia nolint degere, aut saltem non degere tentauerint, cum prætextu Euangelii se & in Germania, & in Gallia, & in Anglia armauerint, & truculenta bella gesserint: sequitur, illos sub vero Christo non esse, qui dixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & Per me Reges regant, & legum conditores iusta decernūt* & Apostolus; *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo;* & Apostolorum Princeps: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis in vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.*

Quod Ecclesiæ hæreticorum sit acephala, id est sine capite Christo, eiusq; vicario. I. ostensio.

Luc. 22.

Regi suo; vel Imperatori, qui cēseantur rebelles, ac contumaces.

Lutherani, & Caluinistæ quem Christum colant.

Ioan. 21.

Quo iure hæretici suis principibus subiiciantur.

Mat. 22.
Prou. 8.
Rom. 13.
1. Pet. 2.

Secundo idem demonstro: quia hic Christus nouus, quem amplectentur hæretici, sanctis suis in vita, vel doctrina non est similis, sed contrarius: nec eos diligit, quia non vult eos à nobis honorari, aut reliquias eorum, preces, supplicationes pro nobis porrigi, neque eorum doctrinam à nobis audiri: denique Matris suæ sanctissimæ est dissimilis; imo tollit & matris, & sanctorum deuotionem, & venerationem; ergo non est verus Christus quem obtendunt, quia ille qui verus est, gaudet homines sibi assimilari, & vt ipse prædixit, *Ego claritatem, quam tu dedisti mihi, dedi eis.*

II. ostensiō ab hæreticorum vita Christi vitæ, & sanctorum eius per omnia dissimili atque cōtraria.

Ioan 17.

Tertio, hic nouus Christus facit Christū verum, mendacem Prophetam, ac deficientem in promissione doctrinæ erga Ecclesiā suam; quia sectarii docent, permulta secula Christum abfuisse ab Ecclesia, cum tamen verus Christus dixerit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi;* & *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo; ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis;* & Paulo ante *Ego,* inquit, *rogabo Patrē meum, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* At hic nouus docet à multis seculis aberrasse esse in Ecclesia, in doctrina cultus, de venerandis sanctis, & eorum reliquiis, & imaginibus honorificandis, & in doctrina iustificationis, & in iniustitia proximo non facienda; omnem prorsus potestatem Ecclesiasticam negando, & bona Ecclesiastica vsurpando, & sibi ipsis tribuendo; coopera-

III. à defectu prouidentiæ Christi erga Ecclesiam suam quem illi imponunt.

Matt. vlt.
Ioan. 14.
Ibid.

Impii Lutherani quam notent, & arguant in cultu falsitatem.

tionem cum DEO, & meritum in operatione, & satisfactionem, & legis impletionem negando: denique facit CHRISTI veri sanguinem, frustra sparsum esse, dum tanto tempore tot hominum myriades perire reliquerit, donec tandem veniret Lutherus, aut, Caluinus.

Quarta offensio, ab odio, & contemptu bonorum operum, contra Christi vitam, atque doctrinā.
Luc 18.
Infra 21.
Matt 23.
Luc. 18.
Ibidem

Quarto, facit hic nouus, Christum verū Pharisæum, ieiunantem per quadraginta dies, & oblationem vetulæ mittentis duos quadrantes in Gazuphylacium commendantem, decimationem quoque mentæ, & anethi, & cymini laudantem: quæ tamen isti noui doctores docent esse opera vana, & Pharisaica: eo quod idem dixerit: *Ieiuno bis in Sabbato: decimas do omnium quæ possideo*: laudauit etiam Dominus humiles preces in Publicano, oculos verecundia plenos, & tunsionem pectoris, atque de peccatis contritionem: quæ omnia Lutherus contendit facere homines hypocritas, ita vt quo magis conetur præstare quod in se est, tanto magis peccet.

Bona opera hominē facere hypocritam, Lutherus impudenter asserit.
Quinta offensio, ab eius Christi, quē colūt, multiplici impotētia.

Quinto, hic nouus CHRISTVS, Rex potens non est, nec sanās à peccato, nec cōcupiscentias tollens, nec faciens sibi reddi obedientiam à suis: nec seruari Dei præcepta, quæ cōtendunt esse impossibilia etiam his, qui gratia Dei sunt præditi. Ideo hic Christus non est Rex potens, & sanans omnem languorem, & quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia reddens: quare falsus est hic nouus Christus, & merus cupiditatis leno.

Matt. 19.

Sexta, ab odio, & fuga crucis, omnisque virtutis.
Ioan. 15.
Matth. 11.
1. Cor 1.

Sexto, Christus verus mundo non placet, quia vt ipse dicebat, *Si mundus vos odit; scitote quia me priorem vobis odio habuit*; & omnes scandalizabantur in eum, ita vt ipse dixerit: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*; & Apostolus, *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum Gentibus autem stultitiam.* At hic Christus nouus, quem hæretici prædicant, bonus est socius placere volentibus in carne manere; nullus in eo scandalizatur; carnales eum sectātur, quia est sine cruce, sine lege, sine pœnitentia, vel obedientia, quam exigat, sine suppliciis, & gehennæ minis, quibus nos premat & carnem nostram contumacem, & rebellem coerceat.

Septima, ab Eucharistia, quā colūt, falsa, & superstitiosa.
Psal. 109.
Heb 5.
Gen. 14.
Mat. 26.
Luc. 22.

Septimo, Christus est Pontifex, seu Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech, qui obtulit panem, & vinum, hoc est corpus, & sanguinem suum, & offerri in suam memoriam mandauit, ad vitam nostram spiritualem alendam, & corpora nostra in postremo die resuscitanda; & in hac fide viximus supra mille & fere sexcentos annos. At iste nouus CHRISTVS inuidus est, nihil nisi frustum panis, & portiunculam meri vini nobis reliquit: quæ qui adorant, non sunt aliud quam idololatræ siue artololatræ veri. Est ergo fictus, ac depictus hic recens Hæreticorum CHRISTVS: non viuus vitulus, sed conflatilis, & qualem sibi finxerunt Iudæi vt colerent, dicentes, *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Et hæc satis de falso capite.

1. Cor. 11
Ioan. 6.
Hæretici idololatræ, seu artololatræ veri comprobātur.
Exod. 32.

Corpori autem illius cōgregationis per multa desunt, quæ si enumeremus, mirum erit, si quis rationis scintillam habens, possit illis tribuere veræ Ecclesiæ nomen. Primum igitur deest illi antiquitas, & successio: cum enim Ecclesia vera ad Christum vsque continuari debeat, & ab illo successionem in hunc vsque diem seruare; illi iam deest antiquitas, quia ante quinquaginta annos, vel paulo plures vlterius non progrediuntur; nec habet cum quibus continuetur, aut peruenire possit ad primitiuam. Nobiscum enim minime continuantur, quia illos nos idololatras vocant, quod Eucharistiam summo latriæ cultu colamus, & sanctorum imagines ac reliquias veneremur. Nuncupant nos Pharisæos, & Pelagianos, quasi hypocrisim sectemur, & omnia nobis in negotio salutis tribuamus: cōtra nos illos & hæreticos, & schismaticos appellamus. Non sunt ergo sub nostris, sicut variæ sectæ opinantium intra Ecclesiam sunt. Si etiam essent sub nostris, cur non obediunt pastoribus, & opiniones suas maiorum iudicio subdunt? Non etiam sunt cum aliis manifestis Christianis, quia à Græcis in dogmatibus longe dissentiunt. Negant quippe liberum arbitrium hæretici; quod Græci apertissime concedunt. admittunt etiam processum Spiritus sancti hæretici, quem Græci negant. Quare nostri seculi hæretici cum illis continuari nequeunt.

Congregationis hæreticorū defectus intolerabilia.
Abest primū ab illa antiquitas, atque successio.
Id videsiat manifestum.
Illi Catholicos, idololatras, Pharisæos, ac Pelagianos vocitent.

Nec possunt allegare Ioannem Hus, aut Ioannem Vvicleff, aut Hieronymum de Praga, & similes, quasi antecessores suos: quia illi non semper, sed à certo tempore fuerunt, & non reliquerunt vllam Ecclesiā eos sectantem.

Eorundē prosuę antiquitate Ecclesię obiecta diluuntur.
Prima obiectio.
Secunda.

Nec possunt rursus primitiuam Ecclesiam, & Apostolos allegare: quia non esset vera Ecclesia, & si est succedens, impossibile est eam nisi per præsentem continuari. Demum non possūt fingere, fuisse aliquos occultos Christianos præcedētes, qui idem cum ipsis sentirent: quia illi occulti Christiani Ecclesia vera non essent, quia deesset tali Ecclesiæ confessio fidei ad salutem, & Sacramētorum sensibilium administratio, & pastorū prælatio, & inferiorum subiectio

Tertia.
Rom. 10.

quæ manifestos redderent Christianos, & non occultos.

Adhæc quis non videat, quam sit friuola hæc ratio? Simili enim modo quæuis falsa secta fingere posset, occultos quosdam præcessisse, qui idem, quod ipsi docent, senserint. Lutherana igitur congregatio non perueniens ad Christum, sed ad impium apostatam Martinum Lutherum, vel ad Caluinum, vel ad Satanam eorum parentem, & magistrum ante quinquaginta aut sexaginta annos, non est vera Ecclesia, cum antiquitate & successione destituatur. Secundo deest huic Ecclesiæ vnitas, quæ est certissima Ecclesiæ Dei nota, de qua: *Vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi.* Et iterũ: *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Et rursus: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* At in Ecclesia nouella quot capita, tot sententiæ: aliter enim Lutherani, aliter Zuingliani, aliter Anabaptistę, aliter Caluinistæ sentiunt: & non in leuibus, aut parui momenti Fidei dogmatibus, sed in essentialibus differunt: cum tamen quisq; clamet, apud se solos esse salutem, esse Christum, & Ecclesiam, & veluti videaris audire voces illas: *Ecce hic est Christus, aut illic: ecce in deserto est, ecce in penetralibus.* Et ratio vera fidei vnitate, & pace carendi, in eo sita est, quod illum pastorem reiecerunt: cui dictum est: *Pasce oues meas, &, Confirma fratres tuos.* Et quid porro est multitudo quæuis sine pastore, nisi Babel? Nam Scripturæ in ruinam essent datæ, si cuilibet pro libito suo esset integrum illas interpretari. Secundo, quia sine capite & iudice non posset vlla lis terminari, aut componi: nec posset hæreticus alium hæreticum à se dissidentem, vt Lutheranus Caluinistam, aut Anabaptistam vnquam de errore conuincere. Tertio, quia in lege vnus erat summus Sacerdos, quem qui audire nolebat, interfici iubebatur, aut lapidari. Quarto, quia Reges & Principes seculares non sunt sibi inuicẽ subordinati, vt ad inuicem reducantur, vnde vnitas descendat, & pax: nam multi Principes, & Reges Imperatorem non cognoscunt. Ideo opus est vno pastore, & præside, qui Episcopos dissidentes, & Principes discordes possit in vnum redigere: alioqui quiuis homo sapiens multo melius Christo nouisset constituere suam rempublicam, in qua vnitas, & concordia seruari possit.

Vt summum quinquaginta annis Lutheri Ecclesia sumpsit initium tota hæc illius antiquitas est.

Ecclesia hæreticorum non habet vnitatem.

Rom. 15.

1. Cor. 1.

Act. 4.

Quam graues, ac periculosæ hæreticorum inter ipsos de Fide controuersiæ.

Matth. 24.

Quæ ratio diuisionis hæreticorum inter ipsos.

I.

Ioan. 21.

Luc. 22.

Gen. 11.

II.

III.

Deut. 17.

IIII.

Laicorum principum & Ecclesiasticorum vnitatem sine summo Ecclesiæ Pontifice non posse consistere.

Nec potest dici, satis esse Christum illum vnum pastorem: quia idem ille & tempore Synagogæ antequam incarnaretur, & tempore Petri erat. Et quod attinet ad temporalia, & corpora, voluit esse principes, quibus pareremus: videmusque Christum per se ortas quæstiones non soluere. Nec satis est dicere, quod soli Petro pro suo tempore datæ sunt claues, quia datæ sunt ob bonum ouium, quæ perpetuo durant. Et cum tunc pauciores essent, & sanctiores, minus necessarius erat Petrus & tamen iudex, & pastor suo tempore extitit. Ecclesiæ igitur nouellæ hæreticorum deest vnitas.

Sine illo nec Christum Ecclesiæ regendæ sufficere.

Petro quatenus datę sint claues. Mat. 16.

Tertio, deest illi ordo, qui maximum est ornamentum, & stabilitas, & qui maxime splendet in Triumphanti Ecclesia, & qui ciuitatem illustrat, & qui in elementis, & cœlis inuenitur: non deerit igitur in vera Dei Ecclesia tantum bonum, de qua dixit Apostolus, *Omnia honeste, & secundum ordinem fiant in vobis; &, Terribilis sicut castrorum acies ordinata.* Est autem ordinis, gradus constituere inferiores, & superiores, & qui sint, qui aliis præesse debeant. At apud hæreticos mira est omnium graduum confusio, & omnes volunt esse capita. Nam primũ spectabis in potestate confusionem, quia omnes volunt esse pares in Sacerdotio, & autoritate remittendi peccata, & nulli subesse. Sed quid inæqualius æqualitate, vt quidam dixit? Deinde, omnes volunt esse pares in sapientia, & doctores, & docibiles Dei: Scriptura est illis charissima, & paucis diebus in eorum schola quisq; summus euadit Theologus, & omnes volunt ius habere in interpretandis Scripturis. Vnde Lutheri assertio est: *De doctrina agnoscere, & iudicare, pertinet ad omnes, & singulos Christianos & ita pertinet, vt anathema sit, qui hoc ius vno pilo læserit.* Cum tamen Dominus in lege omnes Fidei cõtrouersias ad Summum Sacerdotem cum suo consilio deferri voluerit: & Apostoli Barnabas & Paulus in controuersia de legalibus ceremoniis, non ad populum, sed ad Apostolos, & seniores cõuenerint. Tertio, volunt omnes pares esse in bonitate, quia sufficit illis iustitia Christi imputata, & fides garriens, ad primam & secundam iustitiam: & illa sola sine operibus reddit eos plus acceptos, quam martyriũ, aut arctissimæ vitæ monachatus, aut virginitas obseruata. Hinc Lutherus sermone de Natiuitate Beatæ Virginis Mariæ. *Omnes Christiani æque magni sumus sicut Mater Dei, & æque sancti sicut ipsa, & tua oratio mihi tã chara, quã illius, si credas Christum habitare in te, sicut in illa: quia per sanguinem Christi pariter mundati sumus omnes a peccatis.*

Hæreticorum congregatio ordine, & stabilitate caret.

Ordo est ornamentum vniuersi.

1. Cor. 14.

Cant. 6.

Ordinis proprium quid.

I. ratio.

Plinius nihil esse dixit æqualitate inæqualius.

II. ratio.

Ioan. 6.

Esa. 54.

Lutheri impium dogma.

Deut. 17.

Act. 15.

III. ratio.

Quam stulte & impie Lutherus omnes Christian. per solam fidem Christi in eis habitantis æquiparet Dei genitrici Mariæ.

Sed mirum est qui fieri possit, vt omnes sint pares, cum vni dederit quinque talẽta, alii duo, alij vero vnum: & ager seminatus modo trigecuplum, modo sexagecuplum,

Matt. 25.

modo

1 Cor 3.

modo centuplum fructum adferat, & vnusquiſque ſit accepturus mercedem ſecundum ſuum laborem. Idem Apoſtolus: *Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?*

Infra 12.

Quarta ratio. *Pſal 103.* Ordo prouidentiæ qualis.

Præterea, Deus ipſe cuncta in ſapientia condens, inæqualiter & eſſe, & viuere, & intelligere diſtribuit; & ita diuitias, & ditiones, & dominationes, & chariſmata gratis data inæqualiter communicauit: iſti volunt Eccleſiam, quæ ſolum oculis, aut capitibus conſtat: quæ mira eſt, & incredibilis confuſio. Hinc Tertullianus de præſcriptionibus hæreticorum: *Ordinationes eorum* (ſcilicet: hæreticorum) *temerariæ, leues, inconſtantes: nunc neophytos collocant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt.*

Tertul.

Ordinationes hæreticorum quales, teſte Tertul.

Eccleſia hæreticorum non habet approbationem.

Quarto, deſideratur in Eccleſia hæreticorum approbatio: quia ab omnibus Doctoribus, qui noſtro ſeculo floruerunt, reprobantur; & deprehenſos obſtinatos igni tradunt. Adhæc quotannis in die Cœnæ Domini omnes huius ſectæ ſectatores excommunicationis mucrone percelluntur à Pontifice Romano, & diro anathemate feriuntur. At illius tribunalis ſententia omnes hæreſes à Christi paſſione in hunc vſque diem natas damnauit: vt Arrianorum, Valentinianorum, Pelagianorum, & Manichæorum: ita vt ſi illius tribunalis ſententia valida non ſit, continuo reſurgant, & reuiuiſcant omnes hæreſes, quæ per illam ſunt expugnatæ, extinctæ, ac ſepultæ. Et Irenæus Epiſcopus & Martyr, non alia ratione lib. 3 conuincit omnes hæreticos, quam Romanæ Eccleſiæ traditione: & Hieronymus ad Damaſum: *Omnis eſt hæreticus, qui iudicio Eccleſiæ Romanæ non acquieſcit.* At hæc noua hæc ſchola antiquas, & damnatas ab ECCLESIA hæreſes amplectitur: ita vt hoc ipſo iure ſit damnata, quod pleraſque damnatas hæreticorum ſententias conſectetur.

D. Irenæus.

Hieron. pluribus in locis

Eccleſia hæreticorum legitimis miniſtris caret, ac bonis ducibus.

Quinto deſiderantur in illa Eccleſia miniſtri, & boni duces: quia illi, quos habet, non poſſunt non eſſe Satanæ miniſtri. Primo, quia non habent anteceſſores, quibus ſe in Euangelio prædicando conforment: ideo in vanum currunt, imo in præcipitiũ. Cum tamen Apoſtolus venerit ad anteceſſores ſuos Apoſtolos, & contulerit Euangelium ſuum cum illis, ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet.

Prima rat. *Gal 1.*

Secunda.

Secundo, non ſunt à Deo miſſi immediate, quia nõ eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis. Nec vllis ſignis miſſionem ſuam oſtendere potuerunt; cum tamen Eccleſia edocta ſit ab his, quæ ſigna ediderunt; vt aliter prædicantes non recipiantur, etiamſi miracula patrarent, & teutlationem Angeli de cœlo oſtenderent. Nec poſſunt dicere, CHRISTVM, & Apoſtolos contra ſuperiorum voluntatem, & autoritatem prædicaſſe: ſed edant ſigna, quæ illi, & afferant ſanctiſſimam vitam, ſicut illi, & ſinemus eos prædicare. Quod ſi cuique ſat eſſet dicere, ſe à Deo miſſum; peſſime profecto DEVS proſpexiſſet Eccleſiæ ſuæ, quia quiſque hoc fingeret. Nec enim à noſtris ſcriptoribus id eſt, ab his ipſis, qui olim, & ab eis, & à nobis ſemper ſunt pro veris ſuperioribus, & maioribus habiti, miſſi ſunt; cum potius eos à Deo excommunicatos declarent, etiam propter ſolum ſchiſma, licet hæreſes non addidiſſent. Adhæc dici nequit, à plebecula ſchiſmatica, & hæretica fuiſſe ad Euangelizandum deſtinatos: quia hæc poteſtas cum plane ſit diuina, & cœleſtis, & ſolus Deus eam impertiri valeat, plebeculæ aut principi ſeculari, vel laico non conuenit, nec homo quiſquam ad eam communicandam concurrere poteſt, niſi ex peculiari DEI pacto. At in Scripturis, ſiue Euangelicis literis de hoc pacto cum plebe laica, vel principe ſeculari verbum nullum. Imo Apoſtolus relinquebat Titũ, & Timotheum, vt conſtituerent per ciuitates presbyteros: & præcipit, *Manus cito nemini impoſueris.* Qui ergo arrogantia polliceri audeat plebecula facultatem cuius dandæ autoritatem nullam habet? Denique mentiri non licet, quod in Baptiſmo omnes ſimus pares, & ad prædicandum miſſi: quia eſſet confuſio, & mira deceptio, & mendacium in cultu vſque ad Martinum Lutherum.

1 Cor. 14. Quod hæretici non ſint à Deo miſſi. *Gal. 1.*

Quod nec ab Eccleſi. rectoribus

Tit 1. *1. Tim 5.*

Nequicquid probatur illis Apoſtoli verbis *Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus ſiue vita, &c.* quia ita conſequeretur, nos habere in ipſos Thronos, & Seraphinos iuriſdictionem.

1. Cor 3.

Tertia ratio.

Tertio, deſideramus in his miniſtris maiorem vitæ puritatem, & ſanctitatem, ſiquidem conſueuit Deus non niſi per illuſtria, & inſignia organa Eccleſiam ſuam illuminare: & quoties facta eſt aliqua ſingularis mutatio, vel innouatio in Eccleſia, miſit Deus viros excellentes, qui præſtantia doctrinæ, & ſpiritu prophetico, & magnitudine ſignorum, & obuiam eũdo vitiis, & peccatis, Eccleſiam ad priſtinum ſtatum reſtituerunt: vt conſtat tempore Noe, Abraham, Moyſi, Dauid, & in reditu à Babylonia, & ſub Chriſto, Apoſtolis, Martyribus,

Docto-

Doctoribus, monachis, prædicatorib. qui nunquam potestatem Pontificum, aut honorem, qui illis debetur propter potestatem, & dignitatem, negarunt: quique nunquam contraria his, quæ in Ecclesia definita, & recepta erant, prędicarunt, & se missos à CHRISTO miris modis comprobarunt. Isti vero noui magistri sine vllis signis, cum tam noua, & contraria doceant, fidem à nobis petunt: vitam etiam impuram profitentur, quia cum sancta monachatus vota perfregerint, carnales, ac nefaria ad nuptias conuolarunt, ambitiosi, superbi, contentiosi, & castitatis promissæ violatores. Nec possunt dicere, quod impotentes sint ad seruandam castitatem: quia vel olim potuerunt cum gratia Dei obseruare, & ita quoque hodie possent; vel olim non potuerunt. Et quis hypocritæ sunt, & mendaces, potius est habenda fides viris sanctis, qui hæc posse Dei gratia obseruare testati sunt. Ita vt primam fidem irritam fecerint, qui à pactis, conuentisque cum Deo resilierunt.

Hæreticos posse si velint, castitatem seruare.

1. Tim. 1.

IV. ratio.

Quarto, deest ministris huius nouæ sectæ imitatio Apostolorum: nam vt dixit Dominus: Nemo Propheta acceptus est in patria sua; & ita Apostolica vox, *In omnem*, inquit, *terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Isti vero, vt Machometus, in patria sua tantum placuerunt, & illis accepti fuerunt: nec inter eos inuentus est vllus, qui occasionem tam pulchram pro Christo, & veritate Euangelica moriendi arripete voluerit.

Luc. 4.

Psal. 18.

Rom. 10.

V. ratio.

Quinto, desideramus in his ministris maiorem vnitatem, & concordiam: nam vnus ædificans, & vnus destruens, quid prodest illis, nisi labor? Nam scholam Zuingli euertit Lutherus, Lutheri Zuinglius, vtriusq; Caluinus, & horum trium Anabaptista, & horum quatuor Svvenckfeldius. Et ita sibi inuicem aduersant, & mutuis se odiis, & libris scriptis proscindunt, vt nihil magis truculentum, nihil magis ferale spectare possis. Adde, istos vbi adoleuerunt, bellum indixisse Catholicis: Nam Lutherus in bello rusticorum, & nobilium classicum cecinit, & illos ad mutuos congressus, & cædes scriptis epistolis est adhortatus: ita vt supra centum viginti millia hominum sint desiderata in illis hæresis nouæ initiis. Zuinglius in prælio contra Heluetios Catholicos cecidit: Caluiniana, siue Hugonotica secta, quam post Caluinum regit Geneuæ Theodorus Beza, multa cruenta bella viris Catholicis, & Regibus Galliæ Christianissimis intulit, & adhuc inferre non cessat, vt intelligas, illos Martem pro CHRISTO colere.

Eccl. 34.

Hæretici sanguiculares. Martis potius quam Christi cultores merito censendi sunt.

Sexto deest huic ECCLESIÆ amplitudo, & magnitudo. Sic enim plerunque contra Donatistas Augustinus disputat, illos tantum antra, & speluncas, & conuenticula habere: de Ecclesia vero dictum: *Prædicate Euãgelium omni creaturæ*; & *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hinc plerique Patres hæreticos arguunt de paucitate: quæuis enim congregatio ab ECCLESIA prodiens, minor est ea, & citius eradicatur, & vix vnquam potest peruenire ad magnitudinem Ecclesiæ Catholicæ.

Ecclesia hæreticorum amplitudinem non habet.

Aug. to. 7. paulo ante med.

Marc. vlt.

Psalm. 2.

Hæreticorum paucitas vnde.

Diximus de capite, & corpore: dicendũ de vinculis, quibus inuicem membra colligantur, & conglutinantur.

Sunt igitur quinque vincula diligenter inspicienda, & exponenda, nimirum doctrina, vita, Sacramenta, miracula, & Dei gratia: de quibus dicendum per singula. ¶ Primum igitur horum doctrina: siue prædicatio, illi CHRISTI Domini, qui prædicabat arctam vitam, & angustam portam, & sui ipsorum abnegationem, & crucis suæ baiulationem, non est similis: quare naturæ nostræ ad sensibilia bona conuersæ incommoda est, & concupiscentiæ laxat habenas: vnde manifeste ostendunt, se non habere gratiam, quæ naturam reprimat, & corrigat. Est etiam incommoda temporibus, & personis, quando nec homines feruentes sunt, nec bonorum operum studia per eam incenduntur. Adhæc malos, & in peccato iacentes consolatur, vt illis dici possit: *Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus*: id est, vt exponit Gregor. Qui adulantur principibus, nec exigunt quæ arcta via Christi, & crux postulat. Item est amica nouitatum, non tantum in rebus, sed etiam in vocibus, & inimica crucis Christi, & pœnitentiæ: quia ieiunia, & præcepta Dei relaxat. Est inutilis valde, & sollicita de his, quæ supra nos sunt, & non iuuant: vt de prædestinatione Dei, ac præscientia. Rursus mutabilis est, & constantiam non habet: quia recantant quæ semel asseruerunt, & proficiunt in peius: vt aperte constat de Luthero, & Bucero, qui ab initio pręscientiam CHRISTI realem in Eucharistia defendebant, à qua postea declinarunt. Est & prædicatio de rebus iam olim damnatis, quas ipsi resuscitant. Tollit etiam modum, & rationem loquẽdi, atque adeo peccatores corrigendi, quem tum Scripturæ, tum nos in loquendo obseruare consueuimus: inducens fatalem quandam necessitatem, & docens nos in negotio salutis mere

Quib. inter se Christi membra colligãtur, ac re-uinciuntur vincula quinque.

Primum vinculum.

Mat. 7.

Hæreticorum doctrina prædicatio illi Christi, Apostolorũ omnino cõtraria multis ostenditur.

Eccli 13.

Consuant hęretici pulluillos sub omni cubito manus quomodo iuxta Prophetam.

Greg. in c. 13.

Ezech. 1. 2.

2. Tim. 3.

passiue

passi ne nos habere. Est igitur hæc doctrina in rationem naturalem. & contra dogmata definita, & recepta in Ecclesia, sub qua tot signa, & miracula ab obseruantibus edita sunt; & contra eos, qui diuina sensu altiori gustarunt, & vitam suam ad eum scopum direxerunt, & cum qua omnia exercere possumus, ac Deo dicere, vt quidam Doctor dixit, *Domine, si maiores nostri decepti sunt, à te decepti sunt*. Pugnat etiam contra consuetudinem in Ecclesia vetustate roboratam; quam illi fraudulenter despicientes, onus probandi, quod illis incumbebat, in nos reiiciunt. Non enim possidenti, sed potius nō possidenti incumbit probare. Atque ita hæc eorum doctrina cum apertissime tot modis aduersetur Christi Euangelio, Euangelica esse non potest.

Ricard. de sancto Victore lib. de Trin. c. vlt.

Secundum vinculum.

Secundum vinculum erat, exemplum vitæ eorum, qui hanc vitam profitentur. Nam in primis isti boni viri ab spiritu malo superbiæ in Deum, sibi non cauent, nec declināt, cum quo ita sine timore agunt, & in sanctos Doctores, quos, vt noctuæ lucem oderunt. & in maiores nostros, quia omnibus se præferunt, & eos Pharisæos, hypocritas, & Pelagianos vocant; se vero, Illuminatos, Publicanos, Assertores gloriæ Dei, & Euangelii, Paulinos Theologos, Euangelistas. Sunt contentiosi, & pertinaces, & nulli vnquam apertissimæ rationi, aut textui Scripturæ cedunt. Lasciuiæ vero, & gulæ in primis dediti sunt, cum hīc tot dies, & eorum ministri iam senio effracti, & frigidi, quasi iuniores insensati ducunt puellas: & mirum est, quod nullus ad consilia castitatis, vel paupertatis, vel obedientię inter eos inclinetur. Sunt auari, & sordidi, deprædantes monasteria, & bona templis dicata, & ad se minime spectantia rapientes, quæ paganus aliquis vix attingeret, & hoc cum iniuria & iniquitia, vt possint iudicari meretrice impudentiores, quæ tamen ius acquirit, ad bona sibi donata. Fingunt, & dissimulant multa in Scripturis, Doctoribus, Decretis, propriis prædicationibus, & translationibus: quia omnia corrumpunt, & deprauant. Extorquent etiam pecuniam pro his, quæ non credunt: vt pro animabus purgatorii, & pro Dominicæ Cœnæ dispensatione. Præstant iudicio temerario, scurrilitate, dicacitate, & amaritudine, & crudelitate. Ad alios hypocrisi vtuntur, cum nihil nisi fontem dulcis aquę, & amaræ habeant in mediis, & indifferentibus non curant, cum tamen Apostolus dixerit. *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. Sicut igitur à malo non declinant, ita

Hæretici vita, & moribus sunt perditissimis.

1. Cor. 8. Rom. 8.

etiam bonum non faciunt. Nam in primis fide carent, quia non credunt omnia, quæ scripta sunt, cum quosdam libros pro libidine reiiciant, in quibus eorum hęreses dānantur. Non credunt illud: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq, ad consummationem seculi*: neque quod Spiritus sanctus Scripturæ interpretationem doceat, nec omnia definitia in Ecclesia per œcumenica Concilia, rursus aliquid in genere prædictum, & extra Scripturam narratum non credunt: vt, quod sancti essent magna miracula facturi, & gratiam sanitatum habituri; quæ cum his enarrantur, confestim se ad risum pręparant; qua in re ostendunt, quod fide infusa careant. Peccant etiam in prudentiam, quia cum nullum sit periculum hæc, & similia credendi, cum sint conformia prædictis, & nihil contrarium contineant, & boni, & graues viri, qui non mentirētur, ea asserant in particulari, sicut Scriptura in genere; alienum est à ratione, & ab omni prouidentia non ea fide complecti, & affectum bonum inde comparare, vel saltem deberent assumere onus probandi, & non in eos reijcere, quos possessio, & consuetudo defendit.

Psal. 39.

2. Pet. 2

Mat. vlt.

Secundo tollit eorum vita spem, & temerariam pręsumptionem inducit, & tollit de medio adiumenta omnia, & opera bona, & merita; cum tamen asserat Paulus: *Spes non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordib. nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Tertio, charitate se destitutos ostendunt, tum Dei, cuius misericordiam certis limitibus constringūt; tum sanctorum virorum, quos despicatui habēt, & irrident; tum proximorum, qui suæ sectæ non fauent: & si charitatem veram haberent, vtique vt Apostoli ad nos vrgēte charitate venire non detrectassent, vt tantum lumen nos docerent, non veriti mortem. Quarto, eorum vita tollit obedientiam pastoribus, & maioribus, imo Deo ipsi, dum docent, præcepta impossibilia esse. Quinto, adimit Domini timorem, & inducit stultam quandam securitatem, & arrogantiam per fidem, qua se iustos, & prædestinatos existimant; cum tamen Scriptura testetur, mentes sanctorum plenas esse hoc sancto timore: *Beatus*, inquit, *homo, qui semper est pauidus*; & Apostolus: *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*; & Petrus: *In timore, incolatus vestri tempore, conuersamini*.

Rom. 5.

Prou. 28.

Phil. 2.

1. Pet. 1.

Sexto, hæc vita eripit de medio humilitatem; dum nulli subesse volunt nisi propriæ voluntati, & nequeant se homines agnoscere, qui possint errare. Septimo, do-

lo-

lotem illum pretiosum, & salutiferum, qui contritio vocatur, & de peccatis computatis coram Sacerdote colligitur, omnino auferunt: quia asserit Lutherus facere hominem hypocritam. Octauo, diligentiam, & feruorem per vanam quandam fidei securitatem perimit, & tepide, & frigide operari facit: redditque homines astutos, & callidos. Nono, virtutem illam, quæ est pulchra & hesperus, & lucifer, idest, iustitiam in sua cuique officia reddentem, omnino auferunt, dum in bona Ecclesiarum, & monasteriorum inuolarunt, & ea perpetuo retinent. Postremo, tollit sui ipsius cognitionem, quam tanti fecit Apollo, cum dixit: *Γνῶθι σαυτόν*. & magnum illam sui ipsius victoriam: quia etiam post gratiam adeptam iustificationis, & haustum de cœlo Spiritũ, fingunt se habere omne malum in carne & peccatum, & se ab illis abstinere non posse.

Tertium vinculum. — Tertium vinculum exteruum est de ceremoniis, & ritibus: inter quæ primum locum habent Sacramenta, quorũ numerum isti decurtant, & ad duo, vel vnum redigũt: illa vero quæ recipiunt, suis partibus detrũcant, quia tollunt omnes ceremonias, quibus administrantur, vestes, & cantus, & Canonem Missæ Sacramento adimunt. Deinde negant efficaciam habere ad gratiam conferendam. *Hæretica est*, inquit, Lutherus *sed vsitata sententia, Sacramenta nouæ legis gratiam conferre*: & Sacramenta quæcunque apud illos sunt, quia extra arcam, & domum Dei magnam, & templum, & Ecclesiam Dei, salutaria esse non possunt. Alias vero ceremonias seruientes ad decorum Ecclesiæ, ad hominis interioris viuificationem, & ad inuitandum spiritum ad doctrinam capiendam, vel ad inflammandum affectũ, de medio sustulerunt; & templa, altaria, ornamenta, imagines, reliquias, dies festos, supplicatiões publicas, canonicarum horarum sensum, oblationes, magno impetu, quasi impietatis incitabula, & dæmonis inuenta, & profanas à proprio spiritu adinuẽtas ceremonias in Ecclesias suas inuexerũt & tamen audent nos vocare Ceremonianos.

Hæreticorum congregatio ritus, & ceremonias nullas seruat: de Sacrãẽtis minime sentit.

Lutheri hæretica sententia.

Gen. 6.

1. Tim. 3.

Hæretici Catholicos Ceremonianos appellant.

Quartum vinculum. — Quartum vinculum est signorum, & miraculorum, quæ Deus semper adhibuit ad noua, quę adiungebantur, prædicanda. Sed etsi hæc etiam ad vera credenda sæpe Deus faciat: hi autem cum frequenter contraria, absurdaque, & noua, & plena omni confusione doceãt, audent à nobis petere, vt ipsis fidem accommodemus: quod sane plus est, quam omnia quæ fecerunt Apostoli. Quandoquidem illi contra idololatriam personalem, & ceremonias, quæ lege Moysis teste aliquando cessaturæ prædictæ erant, miracula adhibebant, proponentes sermones omni acceptione dignos, vita & signis comprobatos. At hi cum contraria Apostolis doceant, & contra definita in Ecclesia, non solum signum vllum faciunt, sed etiam quę facta sunt, risu, & cachinnis excipiunt, tanquam à dæmone patrata; cum tamen fides, de qua gloriamur, sit signorum, & miraculorum operatrix. Quod si adhuc signa ederent in suorum confirmationem dogmatum; profecto audiendi non essent, & obiiciendum illis, quod Augustinus libro de vnitate Ecclesię contra Donatistas obiecit: *Miracula non probare Ecclesiam, sed potius probari miracula quæ in Ecclesia fiunt.*

Deest eidẽ Ecclesiæ signorum, atque virtutum operatio.

Hæretici de signis, & miraculis Ecclesię quid sentiunt.

Aug. lo. 3.

Postremum vinculum, & interuum, est gratia, cuius virtutem, & fructum miris modis extenuant. Nam in primis tollunt eius inhærentiam, quæ in Concilio Tridentino comprobata fuit; & vt Paulus ait: *Gratia Dei sum id quod sum; & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnib. laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Deinde eius in omnes extensionem ad paucos suæ sectæ viros coarctant: quasi Deus ad arbitrium Lutheri, aut Caluini gratiam porrigeret, cum sit Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum, & Deus velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire: & *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus &c.* Falso ergo contendunt, gratiam solis prędestinatis conferri: ex quo consequeretur, Sacramenta non prædestinatis collata infirma esse, & inutilia: falsum illud esset: *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini: à gratia excidistis*; & illud, *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerũt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Quibus testimoniis liquidũ redditur, etiam ad non prædestinatos gratiam Dei extendi. Tertio, imminuunt eius vigorem in remittendo peccato: quia dicunt adhuc homini gratia ornato peccatũ superesse, licet non imputetur: quasi vita possit stare cum morte, aut lux cum tenebris, aut sanitas cum morbo aut libertas cũ captiuitate. Quarto, negant, nos gratia adiutos posse implere præcepta Dei; cum tamen Dei maior sit gratia, vt hoc homo possit eius virtute præstare: quemadmodum Scripturæ docent. Ait enim Propheta: *Spiritum meum ponam in medio vestri; faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini*; & Apostolus ait, Dominum missum ad nos, vt sua gratia, & ope iustificatio legis impleretur

Quintum vinculum, ac postremum.

Trid. sess. 8.

Eadem diuino gratię munere catere dignoscitur.

1. Cor. 15.

Secunda ratio.

Rom. 10.

1. Tim. 2.

Tit. 2.

Si Solis prędestinatis à Deo gratia daretur, quę inde incommoda.

Gal. 5.

Heb. 6.

III. ratio.

IIII.

Ezech. 36.

Rom. 8.

V. in nobis. Quinto, gratia iuuat ad obuiam eundum motibus carnis, & concupiscentiæ resistendum; quæ omnia hæretici docent, non posse contingere. Sexto, valet ad consilia Euangelica obseruanda, & vota monastica adimplenda: quo i illi falso negant. Quod si talis est Ecclesia Lutheri, vel Caluini, qualem hactenus verissime descripsimus, quæ vero capite est destituta, & verarationone corporis, verisque vinculis spiritualibus cum capite, & sibi inuicem connectentibus, demonstratum profecto relinquimus, eorum Ecclesiam tanquam pestem quandam fugiendam, & tanquam putidum & effrons scortum respuendum: quod etsi forte suis fucis, & coloribus se contegat, vt simplicibus imponat, verum id à bonis, & prudentibus impetrabit nunquam, eos protegente, & singulari prouidentia regente Iesu Christo Domino nostro.

VI.

DISPVTATIO X.

In qua fuci, & colores sectæ Lutheri, & Caluini, quibus se speciem Ecclesiæ habere iactant, deteguntur, & confutantur.

MVLTA sane tum in natura, tum in arte inueniuntur, vilia quidem, & parui momenti, sed quæ pretiosis ita assimilantur, vt rudes quoque facile decipere possint, & Philosopho teste, multa sunt falsa, quæ probabilita e maiori constant multis veris. Ita in spiritualibus plerumque Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis, & falsi prophetæ veniunt in vestimentis ouium, ne cognoscantur; & vitia se contegunt specie virtutum. Ideo detegendi sunt fuci, & colores, quibus se nouæ sectæ ad imponendum simplicibus contegunt. Multi enim sunt, qui verbo Dei contra verbum Dei pugnant, & Euangelio contra Euangelium militant, & testimoniis Pauli contra Paulum disputant. Quamobrem Augustinus in illo testimonio Dauidis: *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudē, vt destruas inimicum, & vltorem*; ipse quidem legit: *Vt destruas inimicum, & defensorem*. Est enim hæreticus hostis domesticus, & tamen Christi in speciem defensor. Et B. Ambrosius, si tamen verus sit Ambrosius, enarrans Apostoli dictum: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*: omnem hæresim tradit fundamento Christo niti, vt magis imponat, & liberius seducat, Chrysostomus

Arist.

August. in Psalm. 8. & 8 initio. Psalm. 8. Matt. 15. Qualiter hostis hæreticus. *Ambros. in c. 4. priori ad Corinth c. 3. circa f.* *Chrys. ho-*

quoque: *Non varius mihi, atque diuersas opponas hæreses. Omnes siquidem eundem prædicant Christum, etsi non omnes sane prædicent, atque legitime: illum enim omnes prædicant.* Hæc ille.

mil. 4. de laudibus. B. Pauli ante med. s. 4 prope fin. Cur omnis hæresis se Christo moueatur ac protegat.

Examinemus igitur argumenta hæreticorum, quibus sua conuenticula tuentur, & quantum vnumquodque illorum veritatis, & ponderis habeat, discutiamus.

Circa caput igitur, fucus apparens est, quod Christum miris laudibus celebrant, & quod in sua doctrina Dei gloriam, non suam quærant. Nam ad eum modum suam doctrinam ex Deo esse probauit Christus, quod gloriam suam non quæreret: *Si ego glorifico me ipsum*, inquit, *gloria mea nihil est*; &c. *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius, qui misit eū, hic verax est, & iniustitia in illo non est.* Præterea Dei, & non hominum sensus isti esse videntur, veraces igitur isti sequi videntur, & non mendacium hominum sectatores. Quibus respondendum est, doctrinam reuera, quæ Deum magnificat, veram esse, tamen non est quiuis iudex veræ gloriæ, sed vt ait Dauid, in Ecclesiis benedicitur Deus psallitorque ei sapienter; & vt in alio loco ait: *Laus eius in Ecclesia sanctorum. Quid est*, inquit Augustinus, *Ecclesia sanctorum? Ecclesia Catholica est. Ecclesia sanctorum non est Ecclesia hæreticorum. Ecclesia sanctorum illa est, quam præsignauit Deus antequam videretur, & exhibuit, vt videretur.* Sic ille. Quia ergo honor Regis iudicium sponsæ suæ diligit, cuius vox sibi dulcis est, & facies mentis veritatis conspicue decora; ideo illa sola nouit laudare, quia habet Spiritum Christi docentem in spiritu & veritate colere. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? non solum enim falsa, sed etiam vera laus Dei & Christi non est speciosa in ore peccatoris. Non ergo quicquid coluis videtur gloria Dei, & sensus Scripturæ, statim vera laus Dei est, & germanus sensus. Omnes siquidem hæreses veræ essent, quæ Christum laudant, & Mahometus suo modo Christum laudibus celebrat; & multi in die nouissimo venient, dicentes, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes fecimus? Quibus dicturus est: *Quia nunquam noui vos; discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Dæmonia quoque multa eiiciebat Domin* clamantia, & dicentia, *Quia tu es Filius Dei*; & tamen Dominus increpans non sinebat ea loqui. Non est ergo laus, & gloria Dei, & Christi sui nisi in Ecclesia, neque certe ad

Primus hæreticorum congregationis.

Ioan. 8.

Supra 7. Verax qui sit, minime quemuis* Christi testimonio.

Penes solā Christi Ecclesiā iudicium esse totum modo veræ Dei laudis & gloriæ. *Psal. 46. Psal. 149. August. in Psal. 149. s. 8 in fin.* Quæ sit Ecclesia sanctorum. *Can. 2.* Ecclesiæ vox ei dulcis eiusque facies decora. *Ioan. 4. Psal. 49. Eccl. 15.* Qui falso Deum laudent, & glorificent.

Matt. 7.

Psalm. 6. Matth. 7.

Infra 8.

Luc. 4.

Ecclesia permansisset, Dei ergo illam prouidentiam defuisse.

& Spiritus Sanctus regens Ecclesiam, ab illa defuisset: qui tamen vel propter priuatã salutem vnius Ismaei, misit Angelum ad Agar, & Tobiæ dedit Angelum certum ducem, & comitem viæ, & ad Cornelium Cẽturionem misit instructorem Angelum. Qui ergo tam peculiari prouidentia priuatos quosque gubernat, quanto magis Ecclesiam suam?

Gen. 16. Tob. 5. Act. 10.

III. ratio. Scripturã cum certa eius intelligentia à Deo accepimus.

Tertio, posita Scriptura sacra necessaria est Traditio: ad sensum verum, & germanũ emendum. Non enim non tantum nobis Deus dedit Scripturam, sed etiam certam Scripturæ intelligentiam, qua in necessariis ad salutem regeueremur. Its enim per Esaiam pollicitus est: *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus; Spiritus meus, qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, & modo, & vsque in sempiternum.* Vbi non tantum promittit verba Scripturarum suarum, sed etiam Spiritum S. eorum intellectum præstantem. Etenim, & Paganus, & Iudæus possunt textum Bibliorum sibi à typographo comparare, at non sensum: quod perinde est ac habere arcam auro plenam, sed sine claui qua aperiatur, quam traditio porrigit. De qua Clemés libro Recognitionum: *Oportet*, inquit, *à Deo intelligentiam discere Scripturarum, qui eã à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruat, vt & ipse possit ea, quæ recte suscepit competenter asserere?*

Esa. 59.

Traditio clauis Scripturæ. Clem. l. 10. recognit. aliquanto à medio.

IV. Quarto necessaria est traditio ad Sacramentorum numerum, & varia eorum affecta accipiendum; & ad distinguendum ea, quæ in eis ad eorum substantiam spectant, & ea rursus quæ ad ornamentum: quæ si omittantur, peccatur quidem voluntaria amissione, at Sacramentum ipsum semper perficitur.

V. Quinto, opus est Traditione ad rationẽ hierarchiæ Ecclesiasticæ constituendam, & ad singulos gradus, & quis cui præsit, distinguendos; quæ sane quantum ad multa, literis consignari minime debuerunt, quia varia sunt, & quia, quotidie in praxim veniunt. Ideo in illis obliuio non cadit, quemadmodum in speculationibus; & quia literis commendata extra Sacram Scripturam; & quia non haberent fidem, illam facile irriderent, vt Magnus docet Basilius libro De Spiritu sancto; & vt seruaretur præceptum Christi: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Quare Gentiles templum Dei non intrabant, neque de manu eorum Sacerdos accipiebat sacrificia licet pro illis posset conferre pecuniam, vt Seleucus, & Darius, & Cyr. fecisse

Basil. lib. de Spiri. S. c. 27 & 2. iuxta fi.
Matth. 7.
Deut. 23.
2. Mach. 3.
1 Esd. 6.
Sap. 1.

dicuntur. Quod vero reuerentia debita Sacramentis administrandis adhibeatur, & scãdalũ in illis porrigẽdis indignis hominibus vitetur; iuris Naturæ est, nõ cæremoniæ.

VI. & postrema.

Postremo necessaria est Traditio ad multa dubia, quæ expresse in Scripturis non cõtinentur, nec definiuntur: quemadmodum fuit dubium de Paschate celebrando, quod in Nicena Synodo definitum fuit, & dubiũ de baptismo exhibito ab hæreticis, an videlicet esset repetendus, vt volebat cum suis Episcopis Cyprianus: cuius tamen oppositum in quarta synodo Carthaginensi definitum fuit. Denique de cultu imaginum de suffragiis mortuorum, & similibus multis, quæ quotidie in Ecclesia propter Hæreticos in disputationem veniunt. Alias enim quot capita, tot hæreses, quæ vna traditione reuinceuntur: si hæreticus sit iudex eius quod continetur in Scriptura, nihil quod nolit continebitur: & in laqueum esset obedientiam præcipere superioribus contra Deum nihil præcipientibus, si non declarasset, quod tantum de scriptis præceptis esset exhibenda, quia ad id satis fuisset Scriptura. Qui autem non credit traditioni in Ecclesia receptæ, sed quærit Scripturam; malo debitori similis est, nolenti debitum reddere, si non ostentatur syngrapha; cum tamen satis sit idoneos producere testes. Audi verba Augustini libro contra Cresconium Grammaticum: *Quamuis*, inquit, *huius rei* (scilicet non rebaptizandos hæreticos) *certe de Scripturis Canonicis non profertur exemplum; earundem tamen Scripturarum etiam in hac re nobis tenetur veritas, quum hoc facimus, quod vniuersa iam placuit Ecclesia, quam ipsarũ Scripturarum commendat autoritas; vt quoniam Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, huius obscuritate quæstionis eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Hactenus Augustinus, docens quid sit agendum in reb. quæ Scripturis firmari, aut infirmari non possunt. ¶Quod si quandoque falsæ, & vitiatæ proferantur traditiones; mirari non debemus, quia etiam Scripturas quasdam vitiarunt Hæretici: nihilominus per traditionem veram agnoscuntur, & falsæ Scripturæ prolatæ, & falsæ quæque traditiones.

Niceu. Syn.
B. Cyprian.
Co cil. Carthagin. 4.
Hæreticus si eius quod continetur in Scriptura, iudex constituatur, quid omnino futurũ sit.
Traditioni ab Ecclesia receptæ, & approbatæ nolens acquiescere, cui similis sit.
Aug. l. 1. cõtra Cresc. Gramm. c. 32. l. 7. non procul à princip.
Scripturæ sacræ quãtum tribuat August.

Secunda conditio Traditionis est quod sit Scriptura antiquior. Nam ante fuit Ecclesia in lege Naturæ, quam vlla lex scripto tradita, & multi erant iusti in ea, & sunt salui: ergo Ecclesia ore tradebat, quæ necessaria erant ad credendum, & operandum, vel dicendum esset, quod Deus immediate per seipsum quemuis doceret: quod falsum esse

II. Traditionis proprietas, priorem esse Scriptura.

vide-

Gen. 18.

videtur. Quia Abraham eruditurus erat populum suum, & Iacob docebat filios suos, & Rebecca, & Iob, & Melchisedech, suo quisque tempore de necessariis ad salutem suos instruebant. Vnde Abraham propheta fuit, & facultatem docendi habebat. Ad hæc in Ecclesia Noui testamenti per multos annos nihil scripto traditum fuit, sed traditione quisque accipiebat ea, quæ ad fidem, & mores spectabant. Nã primus omnium Matthæus scripsit, postquam per nõnullos annos prædicasset; & Ioannes postremus inter Euangelistas scripsit post annos sexaginta à Christo in cœlum assumpto, vt multi tradunt. ¶ Est ergo Traditio tanto Scriptura antiquior, quanto prædicatio Apostolorum tempus præcessit scribendi. Et Apostoli quidem præceptum acceperũt prædicandi, non autem scribendi, cum illis dictum est: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*: & Apostoli contra hæreses insurgentes, non Scripturã, sed Traditionem opponunt, vt Paulus Galatis: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis anathema sit*, Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Et ad Thess. ait: *Denuntiamus vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis*, id est secundum doctrinam prædicatione traditam. Ad Corinth. idem ait: *Si quis videtur contentiosus esse; nos talem consuetudinem nõ habemus, neque Ecclesia Dei*. Opponit contentiosis non Scripturarum, sed Ecclesiæ consuetudinem, & morem.

Infra 20.

Primus Euangelistarum Matthæus. à se prius prædicatum Euangelium scripto mãdauit.

Marc. vlt.

Gal. 1.

2 Thess. 3.

1 Cor. 11.

Tertia conditio, quæ Traditionẽ commendat, est claritas, & perspicuitas. Nam primum Scripturas turba non cognoscit, sicut Traditionem. Vnde Iudæi dicebant, *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum*; & Samaritana dicebat: *Messias qui dicitur Christus, cum venerit, ille nobis annuntiabit omnia*: & iterum Iudæi dixerunt, *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus, vnde sit*. Scripturas enim versare, & legere, non est omnium, sed paucorũ, q. & legere nouerunt, & intellectu vigent ad apprehendendas veritates salutis.

III proprietas, Traditio est magis clara, & perspicua quã Scriptura.

Ioan. 12.
Sup. 4.
Infra 9.

Scripturas legere, & intelligere ad quos spectet tantũ modo.

Deinde, Scriptura potest trahi ab Hæreticis ad quod sibi quisq; collibuerit: quemadmodum ab eorum capite Satana dicente, *Mitte te deorsum, scriptum est enim, Quia Angelis suis mandauit de te*: Et, *Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos*, id est seorsum extra Ecclesiæ arcam ducent: quod est finis lupi, hoc est sensus Hæretici vestibus ouiũ

II.
Matt. 4.
Psal. 90.
Matth. 24.

Ioan. 10.
Matth. 24.

indui, hoc est dictis Euangelij, & Scripturæ exornati.

Hæreticorum ingenium.

Tertio, quia Scriptura dubiorum, quæ pullulabunt, index esse non poterat: Tum quia in lege, siue Synagoga Scriptura non declarabat, quia esset processus in infinitum, sed vnica Sacerdotis Traditio: tum quia Scriptura difficilis est: tum quia muta est. At iudicis vox terminans lites, viua esse debet, quæ glossam non recipiat. Hinc in nouo Testamento ad Ecclesiam mittitur, qui aliquod dubio torquetur, vt cõstat Act. 15. non autem ad Scripturas, quæ instar nasi cerei ducuntur quo quis vult. Ad hæc Scripturæ, testis præstat officium, non iudicis. Ait enim Dominus: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*. Quemadmodum nec Leges ciuiles satis sunt sine Principum placitis, & responsis prudentium. Olim dubitatum fuit de perpetuitate legalium, quia scriptum erat: legitimum sempiternum erit vobis: & declaratum est illa cessasse, & completa esse per traditionem Euangelicam. Arrius dubitauit de Deitate Verbi; & multos locos pro se producebat. Ideo proteruire volentes, Scripturis non possunt refelli; vna ergo traditione iugulandi sunt. Quare manifesti sunt hæretici omnes, à Traditione, id est, communi omnium sensu in communione permanentium, sibique inuicem succedentium dissidentes, & ab ea ad Scripturam appellantes: in quibus facile est scire quid Ecclesia tradat credendum, vel seruandum. In abditis vero, & secretis id tenet Ecclesia, quod aquilæ tradunt recitantes eius traditionem, & non proprium sensum.

III.
Deut. 17.

Mat. 18.
Act. 15.

Scripturæ quales possint videri.
Ioan. 5.

Leges ciuiles quid postulent,

Exod. 28. & sæpius alibi in Leuitico.
Actor. 15.

Hæretici traditione sola, vt tales agnoscuntur atque damnãtur.

In reb. apertis, & manifestis contra in dubiis, & obscuris quid teneat Ecclesia.

Quarta proprietas Traditionis est, quod firmitatem, & stabilitatem habet: non quidem circa ea, quæ tradit, vt probabilia, & quæ ad ornamentum faciunt Sacramentorum, & quæ Apostoli vt pastores, & legislatores instituerunt: nam talia abuleri possunt, vt decretum Actorum decimoquinto; vel dispensari, vt Quadragesimæ ieiunium, trina immersio in Baptismo: quod digamus, percussor, & neophytus ad Episcopatum nõ promoueantur: sed quæ docet credenda, vel facienda, vel vitanda: maxime cum additur anathematis aut excommunicationis censura, contra nolentes recipere: & potissimum in quibusdam discussis controuersiis & postea definitionem sortitis, vel quando quid tenendum, de necessitate salutis traditur.

IV. conditio Traditio firmior & stabilior est Scriptura

Hæc firmitas quomodo sit accipienda.
1. Tim. 3.
Tit. 1

Quod autem hæc firmior sit, inde constare potest, quia notior est Ecclesiæ, & Apostolorum sanctitas, quam Scripturæ,

Ratio.

Secunda ratio.

cum hæc per illam cognoscatur. Deinde quia miracula congregationem talem fidē profitentem immediate confirmabant, & consequenter Scripturas, quas sancta illa congregatio acceptabat. Scripturæ enim vere probantur, quia conformes sunt Traditioni iam factæ. Ideo scriptum est, Apostolos profectos vbique prædicasse Domino cooperante, & sermonem confirmante: non ait, Scripturam confirmante. Rursus: *Vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangeliū in toto mundo*: non ait, Vbicunque fuerit scriptum. Et Apostolus dicit: *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis*: Non ait, Præterquam quod scriptum est. Item Ioannes: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis*: non ait, Si quis Scripturam doctrinæ huius non adfert. Euangelia siquidem: vt partem doctrinæ traditæ nobis narrarent, conscripta sunt. Nam testatur Ioannes: *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula*, & reliqua. Et Actorum primo, Dominus apparuit Apostolis per dies quadraginta in multis argumentis loquens de regno Dei. Illud etiam: *Beatius est magis dare, quam accipere*, in Euangelio non extat, quemadmodum nec apparitio facta plusquam quingentis fratribus, vel Iacobo: & Lucæ vltimo, Incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Et Actorum decimoquinto, & decimosexto, tradebant Paulus & Barnabas dogmata Apostolorum, & seniorum, qui erant Ierosolymis. Epistolæ præterea ab Apostolis conscriptæ ad Ecclesias, hunc scopum habebant; vt extirparent errores contra Traditionem ortos, & pro particulari necessitate Ecclesiarum, vel personarum, vt Philemonis, & Timothei, & Titi. & Electæ, & Caii epistolæ: non autem, vt omnia complecterentur, hoc est, præcepta Apostolorum primitiuæ Ecclesiæ, vel Canones Apostolorum, & eorum diuisiones in varias Prouincias, & martyria. Ideo non scripserunt omnes, quasi ex communi consensu partito labore, sed tantum aliqui pro causa particulari, & ad conseruandam Traditionem conscripsere. Nouum enim Testamentum viua voce in aures per Traditionem commendatum est, vt concipiatur, & scribatur in corde, iuxta illud: *Dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*. Præterea si id vllo casu accideret, vt tota periret Scriptura, saltem in aliqua Prouincia; vt tempore Esdræ Scripturā non defecisse traditur, certe propterea Traditio non periret, quæ quam diu est

Marc. vlt.
Matth. 26.
Gal. 1.
Ioan. 2.
Cur scripta sunt Euangelia.
Ioan. vlt.
Actor. 1.
Infra 20.
1. Cor. 15.
Luc. 24.
Act. 15.
Infra 16.
Epistolæ Canonicæ cur scriptę ab Apostolis.
Apostoli cur non omnes scripserint, sed pauci tantummodo
Ierem. 31.
III.
Traditiōis perpetuitas.

Ecclesia, durare debet. Adhæc si Traditio non esset firma, id est, falsa doceret, Scriptura, & signa, & omnia Dei dicta, quæ illam confirmant, mutarent. Similiter, si non conseruata esset Traditio in necessariis; quia tunc Scriptura falso mitteret ad Traditionem. Hinc Paulus Timotheū hortatur, vt depositum custodiat, & Thessalonicensibus scribit: *State; & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*. Ideo non est recedendum ab Ecclesia viua traditione erudita, vel ob Scripturas allegatas: quia illæ vt pictura varia torqueri possunt, vt docet Petrus; neque ob visiones, & reuelationes, vt docet PAVLVS, ex quibus multæ sectæ deceptæ sunt, vt tradit Tertullianus; neque ob vlla signa, & prodigia, quæ contra eam à pseudoprophetis fiant, vt Dominus Matthæi vigesimoquarto capite canit: sed semper est præstandum in Traditione Ecclesiæ, quæ sola domus DEI est, columna, & firmamentum veritatis.

Traditio nisi consisteret, quid inde futurum.
1. Tim. 6.
2. Thess. 2.
In Ecclesia viuæ traditionis magisterium habēte, nolle permanere, plane impium & temerarium.
2. Pet. vlt.
Gal. 1.
Tertul.
Matth. 24.
1. Tim. 3.

Quinto, Traditio multo est vniuersalior quam Scriptura, quia ad plura tempora, & ad plura obiecta, & ad plura indiuidua se extendit. In Lege namque Naturæ nihil scripto, sed sola Traditione datum est: vt de ceremoniis Legis, vt votis, circumcisione, sacrificiis, & suscitatione seminis: & in Euangelij omnimoda prædicatione omnia sunt tradita, antequam scriberentur. Omnia etiam scripta prius sunt tradita, vt Lucas refert: *Sicut tradiderunt nobis*, inquit, *qui ab initio ipsi & viderunt, & ministri fuerunt sermonis*. Et præter illa, alia multa non scripta, maxime necessaria, & pluribus hominibus communia: quia sine Traditione viua non esset nobis tam idonea, & sufficiens tota Scriptura, atque Iudæis solus Mosis Pentateuchus fuit: quia totum illum populum recte ordinabat ad cultum DEI & ad mutuum, & pacificum conuictum inter se; cum tamen Euangelistæ tantum vitam CHRISTI, doctrinam, & mortem complectantur, alii vero Apostoli pro causa duntaxat occurrenti scribant. Quare stultum est omnia scripta ab Apostolis fuisse putare, vel omnia ab eis tradita fuisse; & in iniuriam vergeret agentis, & reuelantis Spiritus; & insuaue esset naturæ nostræ, quæ omnia simul non capit; & rebus ipsis incōueniens.

V. conditio Traditio, quam Scriptura lau° patet.
Ratio I.
Traditiones legis naturæ nō scriptæ quę fuerint
II.
Luc. 1. In proœmio.
Quin one libri Mosis quid præstiterint, populo Dei
Apostoli si omnia vel scripsissent vel tradidissent, quid inde.

Illa ergo tantum scripta sunt canonice, quæ sufficiebat ita scribi: quia non erant, multiplicandi in immensum libri Canonici. Difficile quippe esset omnes legere libros: difficilius intelligere, & cōprehensos

Quæ tantum sint scripta canonice.

om-

omnes habere difficillimum ab hæreticorum insidiis, & fraudibus eos tueri.

Ecclesiæ omnis sibi traditæ Apostolicæ doctrinæ diligentissima semper fuit ac fidelissima custos.

Nō ergo dici potest, nihil tradidisse Apostolos, sicut nec quod omnia nobis tradiderunt, nec quod omnia tradita, sint commēdata Scripturæ Canonicæ: quia non idoneè tradidissent, postquam tam pauca literis cōsignarunt. Nec tutius dici potest, quod perierint, quæ nobis tradita sunt: nam Ecclesiæ non satis esset prospectum, & illa esset infidelis custos crediti sibi depositi, & oporteret quotidie de integro fieri reuelationes in Ecclesia.

Constat igitur, Traditionem latius se extendere quam Scripturas, quia complectitur omnes, qui eas non legunt, & qui eas legunt.

Christi, & Apostolorum traditiones quæ scriptæ, & quæ minime.

Act. 15. 1. Cor. 11. Infra 14. Supra 11. 1. Tim. 3. Tit. 1.

Porro Traditionum, vt supra diximus, aliæ sunt Christi commendatæ libris Canonicis, aliæ non commendatæ, vt materiæ, & formæ Sacramentorum: aliæ sunt Apostolicæ, & harum aliæ scriptæ, vt de abstinendo à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine; de modo orandi velato capite, & de ratione prophetandi, & communicandi, & de Episcopo digamo, neophyto, & percussore; aliæ vero non scriptæ, vt signum sanctæ Crucis, Symbolum Apostolorum, & Canones eorundem, Missa, & ratio sacrificandi: quod CHRISTVS in cœna obtulerit sacrificium in pane & vino: quod eadem die chrisma Christus confecerit: quod sacrificium offeratur pro viuis, & mortuis: diei Sabbathi in Dominicam diem mutatio: solennes, & festiui dies, vt Natiuitatis Domini, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes & Incarnationis, & aliorum Sanctorum; ieiunium Quadragesimæ, & in quarta, & sexta die cuiusuis hebdomadæ ieiunium; delectus, & abstinentia certorum ciborum: virginitas, & ratio Monasticæ vitæ; tres Personas esse in vna substantia Diuina, duas naturas in vna hypostasi CHRISTI: Pater ingenitus. Filius vnigenitus, & Patri consubstantialis. Spiritus sanctus ab vtroque procedens; Maria, mater non tantum Christi, sed & Dei; & virgo in partu, & post partum.

Scriptura, & Patribus confirmata traditionis autoritas quibus obiicienda

Aliæ porro sunt traditiones à Romanis Pontificibus, vel œcumenicis Synodis, vel viris sanctis in Ecclesia receptæ: & omnes ferè scripto commendatæ inueniuntur. Petenti ergo Scripturam, opponenda est Traditio, quam commendat ipsa Scriptura, cum ait: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et Paulus ad Hebræos: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Idem ad Thessalonicenses: *State, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram*: & denique eam maxime commendarunt veteres Patres, & omnibus hæresibus insurgentibus opponendā esse docuerunt. Ait enim Origenes in epistolam ad Titum: *Hæreticus est, qui se in CHRISTVM credere profitetur, & tamen non credit aliquid de veritate Christiana, quod approbat ratio traditionis Ecclesiasticæ.* Non ait: Quia non credit Scripturis; sed, Quia non tenet, quod Ecclesia tradit. Et libro primo Periarchon in proœmio: *Cum multi sint, qui se putent sentire quæ CHRISTI sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant; seruetur vero Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione.* Non ait, Quæ in nullo discordat à Scriptura. Idem Origenes Tractatu vigesimo nono in Matthæum: *Si autem dixerint vobis, Ecce in solitudine, nolite exire: Ecce in domibus, nolite credere. Quidam enim*, inquit, *secreta proferentes dicunt, Ecce in solitudine. Quando enim secretas, & non vulgatas Scripturas proferunt ad confirmationem mendacij sui, videntur dicere: Ecce in solitudine verbum est veritatis. Secretæ enim Scripturæ rectè solitudines appellantur, in quibus aut pauci sunt credentes, aut nullus. Quoties autem Canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis Christianus consentit, & credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & Ecclesiastica traditione, nec aliter credere nisi quemadmodum per successionem Ecclesia DEI tradiderunt nobis.* Perpende quam rectè Origenes sentiat esse hæreticum eum; qui ob Scripturas discedit à Traditione. Irenæus præterea multa de soliditate Traditionis protulit, vt libro tertio, Capite tertio, & quarto docet, orta modica aliqua quæstione, recurrendum esse ad antiquissimas Ecclesias, non ad Scripturas. Et libro quarto, Capite quadragesimo quinto ait in principio: *Vbi igitur tales* (scilicet fideles dispensatores, seu doctores veritatis) *inueniat aliquis, Paulus docens ait: Posuit DEVS primo in Ecclesia Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores. Vbi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quæ est ab Apostolis, Ecclesiæ successio, & id quod est sanum irreprobabile sermonis constat. Hi enim & eam, quæ est in vnum DEVM, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt, & eam, quæ est in Filium DEI, dilectionem adaugent, qui tantas dispositiones propter nos fecit, & scripturas sine periculo nobis exponunt.* Idem docet capit. 63. *Agnitio*, inquit, *vera est Apostolorum* doctri-

Luc. 10. Heb. 13. 2. Thess. 2.

Hæreticus quis secundum Orig. Origen.

Idem to. 2. circa finem

Quanti faciat Ecclesiasticam Traditionem Orig.

Idem tra. 29 in Mat. in fine, eodem tomo. Matth. 47.

A quibus illud dici videatur Euangelicum: Ecce (Christus) in deserto est: & ecce in penetralibus. Scripturæ secretæ solitudinib. comparantur. Ab illis pseudochristis quomodo cauendum ac fugiendum.

B. Irenæus.

Idem.

1. Cor. 4. 1. Cor. 12. Ephes. 4. Vbi discere oporteat veritatem. Apostoli quid Ecclesiæ contulerint.

Idem.

Ecclesiastici ex traditionis dignitas, & excellentia.

doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo, & charactere corporis Christi, secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est Ecclesiam tradide[runt], quæ peruenit ad nos custodita sine fictione Scripturarum tractatione plenissima, neque allationem recipiens lectio sine fal[s]atione, & secundum Scripturas expositio legitima, & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia, & præcipuum dilectionis munus, quod est preti[o]sius quam agnitio gloriosius au[t]em quam prophetia, omnibus autem reliquis charismatibus supereminens. Hæc ille, qui alia multa tradit. Audiamus Tertullianum, qui librum de Corona militis, enarratis multis Ecclesiæ moribus, & vsibus, subdit: *Harum, & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.* Et infra: *Consuetudo etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit Lex: nec refert Scriptura an traditione consistat, quando & Legem ratio commendet. Porro si Lex ratione constat, Lex erit omne iam quod ratione constiterit à quocunque productum.* Idem libro Præscriptionum aduersus hæreticos, non putat esse cum hæreticis ex Scripturis disputandum, cuius hæc sunt verba: *Scripturas obtendunt, & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendi eos ad vllam de Scripturis disputationem: si hæ sunt illæ vires, an ne eas habere possint, dispici debet, cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit. Hoc de consilio diffidentiæ, aut de studio aliter ineundæ constitutionis induxerim, nisi ratio constiterit in primis illa, quod fides nostra obsequium Apostolo debeat prohibenti quæstiones inire, nouis vocibus aures accommodare, hæreticum post vnam correptionem conuenire, non post disputationem. Adeo interdixit disputationem, correptionem designans causam hæretici conueniendi: & hoc vnam, scilicet quia non est Christianus, ne more Christiani semel, & iterum, & sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur; cum ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum. Deinde quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi plane vt aut stomachi quis ineat euersionem, aut cerebri; ista hæresis non recipit quasdam Scripturas: & si quas recipit, adiectionibus, & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit: & si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessario nolunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur: his nituntur, quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt. Quid promouebis exercitatissime Scripturarum, cum si quid defenderis, negetur ex diuerso; si quid negaueris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes; nisi vocem in contentione: nihil consequeris, nisi bilem in blasphematione. Ille vero si quis est, cuius caussa in congressum descendis Scripturarum, vt eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreses deuerget? hoc ipso motus, quod te videat nihil promouisse æquo gradu negandi, & defendendi, diuersa parte statutum, certe de pari altercatione incertior discedet, nesciens, quam hæresim iudicet. Hæc vtique & ipsi habent in nos retorquere. Necesse est enim & illos dicere a nobis potius adulteria Scripturarum, & expositionum mendacia sibi inferri, qui proinde defendant veritatem. Ergo non ad Scripturas prouocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita euaderet collatio Scripturarum, vt vtramque partem parem sisteret; ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa; cuius sint Scripturæ, à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, vbi fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & omnium traditionum Christianorum.* Hæc ille, docens, cum hæretico de Scripturis minime disceptandum: tum quia hæreticus conuinci non potest, tum denique, quia ad eum non pertinet possessio Scripturarum.

Dilectio Dei omnibus charismatib. supereminet Irenæo teste.

Tertul.

Idem. Consuetudo quando Legis vim habeat.

Idem.

Congressionibus Scripturarum cur nihil proficiatur apud hæreticos eodē teste.

Eos penitus ad vllam de Scripturis disputationem nō censet admittendos.

Hanc ille ab Apostolo doctrinā accepit. *2. Tim. 2. Tit. 3.*

Hæreticus corrigi nō potest.

1. Tim. 5.

Disputans cum hæretico contentiose, quid assequatur.

Tantum veritati obstrepit adulter sensus (scilicet hæreticorum) quantum & corruptor stylus.

Quibus in rebus ad Scripturas prouocandum non sit, nec in his constituendum certamen cum hæreticis.

Vbi veritas Scripturarum.

Accedat deinde Dionysius Areopagita, qui libro Ecclesiasticæ hierarchiæ aperte tradit Apostolos multa sine scripto tradidisse. Ait enim: *Porro huiusmodi plena venerationis eloquia dicimus, quæque à beatissimis patribus nostris? à quibus sacris mysteriis imbuti sumus in sanctis ac theologicis commendata sunt libris. Ac præterea quæque ab eisdem sanctissimis viris sacratiore, & purgatiore, & propinqua quodammodo cœlesti hierarchia doctrina sancti duces ac præceptores nostri didicerunt, ex animo in animum medio incurrente verbo, corporali quidē sed quod carnis penitus excedat sensum, sine literis transfusa sunt.* Beatus Basilius libro de Spiritu sancto multa enarrat traditione tantum per Ecclesiam accepta: & libro aduersus Eunomium Ecclesiæ traditionem irridentem, & sibi soli credi volentem, his verbis illum premit: *Magna profecto est tua potentia, si quæ multiplici artificio diabolus assecutus non est, ea tibi solo imperio aderunt. Siquidem omnem tibi persuasi traditionem fidei, quæ præterito tempore omni, sub sanctissimis viris euicit,*

Dion. Areop. c. 1. Eccl. hierar. à med.

Basil li. de Spirit. sanc. c. 27. per totum to. 1. circa finē. Idem lib. 1. aduers. Eunom. ab- quanto à princ. eo. Ecclesiæ traditionē impius deridebat Eunom.

Chrys. ho. 4 in c. 2. poste. ri. ad Theb. paulo. ante dio. iom. 4.

cogitationibus vestris impius postponemus. Chrysostomus quoque in verba illa Apostoli: *State, & tenete traditiones*, &c. scribit: *Etenim scripta, & non scripta praecepta tradiderunt Apostoli, & vtraque obseruatione digna: igitur & Ecclesiæ quæq; vel non scripta traditio seruanda est.*

Epiphã. in hæresi 61. circa fin.

Sic ille epiphanius quoque in Apostolicos scribens: *Oportet autem,* inquit, *& Traditione vti; non enim omnia à diuina Scriptura accipi possunt: quapropter aliqua sacris Scripturis, aliqua traditione sancti Apostoli nobis commendauerant quemadmodum dicit sanctus Apostolus: Sicut tradidi vobis:* & alibi: *Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesiis.*

1. Cor. 11. Infra 14. H ier. to. 2. ante dimid.

Adhæc Hieronymus in Dialogo aduersus Luciferianos in fine sic scribit: *Verum, quia iam multum sermocinati sumus, & prolixitas concertationis audientium studia lassauit, breuem tibi, apertamque animi mei sententiam proferam: in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata vsque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo; sed à quoquam alio nuncupari, vt pu a Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campestres, scitote non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse iudicant, quos futuros Apostolus prænuntiauit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt; cum & diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, & Scripturæ non in legendo consistant, sed non in intelligendo.* Augustinus in epistola ad Ianuarium: *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri. Sicut quod Domini passio, & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa quacunque se diffundit Ecclesia.* Et idem Augustinus: *Ecclesiasticarum,* inquit, *institutionum quasdam in scriptis quasdam vero Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus, quasdam vero consuetudine roboratas vsus approbauit, quibus par ritus, & idem vtriusque pietatis debetur affectus,* & cetera quæ sequuntur, quæ Gratianus distinct. 11. cap. Ecclesiarum, ex Augustini libro, quem ex dictis Basilii de Spiritu sancto compilauit, collegerat Cyprianus sermone de ablutione pedum, prope initium: *Sunt per est Spiritui sancto, & Christo diuinitas, ita in suis institutis æqua est autoritas & potestas: nec minus ratü est, quod dictante Spiritu S. Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit, & in sui cõmemorationem fieri præcepit.* Rursus Augustinus ad Casulanum Presbyterum: *In his rebus, de quibus*

Martionitæ, Valentiniani, Montenses, siue Campates sunt Antichristi synagoga.

2. Tim. 2. Matt. 4.

Scripturæ non in legendo consistunt, sed in intelligendo, inquit Hier.

Aug. ep. 118 c. 1. & 2.

Conciliorum in Ecclesia est saluberrima autoritas.

Dist. 11. c. Ill le Idem.

Gratian.

Basil lo. circa fin.

Cyprianus.

Luc. 22 1. Cor. 11 Aug. ep. 86. intra Dist. 11. c. In his.

nihil certi statuit Scriptura diuina, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis cum certa documenta nulla veritatis insinuet, vtique cauendum est, ne potestate contentionis serenitas charitatis obnubiletur. Hæc ille, qui multa his similia in epistola 119. ad Ianuarium præclare tradit.

Cum igitur controuersia aliqua fidei orta est, accurrendum est ad veteres Patres, & eorum testimonia examinanda, qui in nullam partis gratiam scripserunt, vt tradirur in Historia Ecclesiastica libro nono, capite 19. vbi Sisinius Imperatori sanum consiliü dedit de vitandis disputationibus; & producendis testimoniis veterum Patrum: de quibus Augustinus, dum libro contra Iulianum, Pelagianum citaret, ait: *Neque nobis, neque vobis irati sunt* (scilicet veteres sancti Doctores) *neque nos, neque vos miserati sunt. Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos iudices aliquid agebamus, & apud eos alta est causa nostra.* Hæc ille doctissimus Pater. Et hæc de Traditione, præsenti loco dicta sint satis.

Quid cauẽdum in disputationibus. Idem. c. 19.

Incidentes fidei quæstionum de sinendi, ac terminandi ratio certissima est sanctorũ Traditio. Eccl. hist. apud Euseb l. 1.

Aug. l. 2. cõtra Iulian. circa fin. c. 7. à medio.

De sanctis Ecclesiæ Doctorib. quid sentiat August.

DISPVTATIO IX.

In qua agitur, Lutheri congregationem siue Caluini nostro seculo ortam, notham esse & spuriam, & multum à vera & germana Christi sponsa degenerare, ac proinde Ecclesiæ Dei vocem nõ promereri.

Ex his quæ late disputauimus, elicimus solam Romanam Ecclesiam, & omnes illi in fide, & moribus consentientes, atque Pastori eius obedientes, esse synceram Christi Domini sponsã, & veram Catholicam Ecclesiam. Nam illi soli congruunt notæ assignatæ: si quidem illa cæteris antiquitate præstat, quæ Petrum Apostolorũ principem obtinuit pastorem: & quæ à tempore B. Petri semper interruptione, aut vlla parenthesi durauit: sola obtinuit legitimã Episcoporum successionem. Nam ad triginta vnum vsque Romani extiterunt Episcopi, qui omnes martyrii gloria insigniti, sunt: alios habuit signis, & miraculis, & doctrina præstantes, & in quib. Christus aperte sese exerebat, vt Leonem, Gregorium, & similes: alios denique Spiritu Prophetico, & vitæ sanctitate, & regẽdi peritia, atq; pru

Eius quę hactenus de veritate Ecclesię Catholicę tradita est, omni acceptione dignissimæ doctrinę v. tilis repetitio, & confirmatio.

tionem cum DEO, & meritum in operatione,& satisfactionem,& legis impletionem negando: denique facit CHRISTI veri sanguinem, frustra sparsum esse, dum tanto tempore tot hominum myriades perire reliquerit, donec tandem veniret Lutherus, aut, Caluinus.

Quarta ostensio, abo d o, & contemptu bonorum operum, cōtra Christi vitam, atq; doctrinā. Luc 18. Infra 21. Matt 23. Luc 18. ibidem

Quarto, facit hic nouus, Christum verū Pharisæum, ieiunantem per quadraginta dies, & oblationem vetulæ mittentis duos quadrantes in Gazophylacium commendantem, decimationem quoque mentæ, & anethi, & cymini laudantem: quæ tamen isti noui doctores docent esse opera vana, & Pharisaica: eo quod idem dixerit: *Ieiunō bis in Sabbato: decimas do omnium quæ possideo:* laudauit etiam Dominus humiles preces in Publicano, oculos verecundia plenos, & tunsionem pectoris, atque de peccatis contritionem: quæ omnia Lutherus contendit facere homines hypocritas, ita vt quo magis conetur præstare quod in se est, tanto magis peccet.

Bona opera hominē facere hypocritam, Lutherus impudenter asserit.

Quinta ostensio, ab eo Christi, quē colūt, multiplici impotentia.

Quinto, hic nouus CHRISTVS, Rex potens non est, nec sanās à peccato, nec cōcupiscentias tollens, nec faciens sibi reddi obedientiam à suis: nec seruari Dei præcepta, quæ cō tendunt esse impossibilia etiam his, qui gratia Dei sunt præditi. ideo hic Christus non est Rex potens, & sanans omnem languorem, & quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia reddens: quare falsus est hic nouus Christus, & merus cupiditatis leno.

Matt. 19.

Sexta, ab odio, & fuga crucis, omnis que virtutis.

Sexto, Christus verus mundo non placet, quia vt ipse dicebat, *Si mundus vos odit; scitote quia me priorem vobis odio habuit;* & omnes scandalizabantur in eum, ita vt ipse dixerit: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me;* & Apostolus, *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum Gentibus autem stultitiam.* At hic Christus nouus, quem hæretici prædicant, bonus est socius placet volentibus in carne manere; nullus in eū scandalizatur; carnales eum sectātur, quia est sine cruce, sine lege, sine pœnitentia, vel obedientia, quam exigat, sine supplicijs, & gehennæ minis, quibus nos premat & carnem nostram contumacem, & rebellem coerceat.

Ioan. 15. Matth. 11. 1. Cor 1.

Septima, ab Eucharistia, quā colūt, falsa, & superstitiosa. Psal. 109. Heb. 5. Gen. 14. Mat. 26. Luc. 22.

Septimo, Christus est Pontifex, seu, Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech, qui obtulit panem, & vinum, hoc est, corpus, & sanguinem suum, & offerri in suam memoriam mandauit, ad vitam nostram spiritualem alendam, & corpora nostra in postremo die resuscitanda; & in hac fide viximus supra mille & fere sexcentos annos. At iste nouus CHRISTVS inuidus est, nihil nisi frustum panis, & portiunculam meri vini nobis reliquit: quæ qui adorant, non sunt aliud quam idololatræ siue artololatræ veri. Est ergo fictus, ac depictus hic recens Hæreticorum CHRISTVS: non viuus vitulus, sed conflatilis, & qualem sibi finxerunt Iudæi vt colerent, dicentes, *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Et hæc satis de falso capite.

1. Cor. 11. Ioan. 6. Hæretici idololatræ, seu artololatræ veri comprobātur. Exod. 32.

Congregationis hæreticorū defectus intolerabilia.

Corpori autem illius cōgregationis permulta desunt, quæ si enumeremus, mirum erit, si quis rationis scintillam habens, possit illis tribuere veræ Ecclesiæ nomen. Primum igitur deest illi antiquitas, & successio: cum enim Ecclesia vera ad Christum vsque continuari debeat, & ab illo successionem in hunc vsque diem seruare; illi iam deest antiquitas, quia ante quinquaginta annos, vel paulo plures vlterius non progreditur; nec habet cum quibus continuetur, aut peruenire possit ad primitiuam. Nobiscum enim minime continuantur, quia illos nos idololatras vocant, quod Eucharistiam summo latriæ cultu colamus, & sanctorum imagines ac reliquias veneremur. Nuncupant nos Pharisæos, & Pelagianos, quasi hypocrisim sectemur, & omnia nobis in negotio salutis tribuamus: cōtra nos illos & hæreticos, & schismaticos appellamus. Non sunt ergo sub nostris, sicut variæ sectæ opinantium intra Ecclesiam sunt Si etiam essent sub nostris, cur non obediunt pastoribus, & opiniones suas maiorum iudicio subdunt? Non etiam sunt cum alijs manifestis Christianis, quia à Græcis in dogmatibus longe dissentiunt. Negant quippe liberum arbitrium hæretici; quod Græci apertissime concedunt. admittunt etiam processum Spiritus sancti hæretici, quem Græci negant. Quare nostri seculi hæretici cum illis continuari nequeunt.

Abest primū ab illa antiquitas, atque successio. Id vnde fiat manifestum. Illi Catholicos, idololatras, Phariseos, ac Pelagianos cur vocitent.

Nec possunt allegare Ioannem Hus, aut Ioannem Vvicleff, aut Hieronymum de Praga, & similes, quasi antecessores suos: quia illi non semper, sed à certo tempore fuerunt, & non reliquerunt vllam Ecclesiā eos sectantem.

Eorundē prosus antiquitate Ecclesię obiecta diluuntur. Prima obiectio.

Nec possunt rursus primitiuam Ecclesiam, & Apostolos allegare: quia non esset vera Ecclesia, & si est succedens, impossibile est eam nisi per præsentem continuari. Demum non possūt fingere, fuisse aliquos occultos Christianos præcedētes, qui idem cum ipsis sentirent: quia illi occulti Christiani Ecclesia vera non essent, quia deesset tali Ecclesiæ confessio fidei ad salutem, & Sacramētorum sensibilium administratio, & pastorū prælatio, & inferiorum subiectio

Secunda. Tertia. Rom. 10.

quæ manifestos redderent Christianos, & non occultos.

Adhæc quis non videat, quam sit friuola hæc ratio? Simili enim modo quæuis falsa secta fingere posset, occultos quosdam præcessisse, qui idem, quod ipsi docent, senserint. Lutherana igitur congregatio non peruenit ad Christum, sed ad impium apostatam Martinum Lutherum, vel ad Caluinum, vel ad Satanam eorum parentem, & magistrum ante quinquaginta aut sexaginta annos, non est vera Ecclesia, cum antiquitate & successione destituatur. Secundo deest huic Ecclesiæ vnitas, quæ est certissima Ecclesiæ Dei nota, de qua: *Vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi.* Et iterũ: *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Et rursus: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* At in Ecclesia nouella quot capita, tot sententiæ: aliter enim Lutherani, aliter Zuingliani, aliter Anabaptistę, aliter Caluinistæ sentiunt: & non in leuibus, aut parui momenti Fidei dogmatibus, sed in essentialibus differunt: cum tamen quisq; clamet, apud se solos esse salutem, esse Christum, & Ecclesiam, & veluti videaris audire voces illas: *Ecce hic est Christus, aut illic: ecce in deserto est, ecce in penetralibus.* Et ratio vera fidei vnitate, & pace carendi, in eo sita est, quod illum pastorem reiecerunt: cui dictum est: *Pasce oues meas*, &, *Confirma fratres tuos.* Et quid porro est multitudo quæuis sine pastore, nisi Babel? Nam Scripturæ in ruinam essent datæ, si cuilibet pro libito suo esset integrum illas interpretari. Secundo, quia sine capite & iudice non posset vlla lis terminari, aut componi: nec posset hæreticus alium hæreticum à se dissidentem, vt Lutheranus Caluinistam, aut Anabaptistam vnquam de errore conuincere. Tertio, quia in lege vnus erat summus Sacerdos, quem qui audire nolebat, interfici iubebatur, aut lapidari. Quarto, quia Reges & Principes seculares non sunt sibi inuicẽ subordinati, vt ad inuicem reducantur, vnde vnitas descendat, & pax: nam multi Principes, & Reges Imperatorem non cognoscunt. Ideo opus est vno pastore, & præside, qui Episcopos dissidentes, & Principes discordes possit in vnum redigere: alioqui quiuis homo sapiens multo melius Christo nouisset constituere suam rempublicam, in qua vnitas, & concordia seruari possit.

Vt summum quinquaginta annis Lutheri Ecclesia sumpsit initium tota hæc illius antiquitas est.

Ecclesia hæreticorum non habet vnitatem.

Rom. 15.
1. Cor. 1.
Act. 4.

Quam graues, ac periculosæ hæreticorum inter ipsos de Fide controuersiæ.

Matth. 24.

Quæ ratio diuisionis hæreticorum inter ipsos.

I.

Ioan. 21.
Luc. 22.
Gen. 11.

II.

III.

Deut. 17.

IIII.

Laicorum principum & Ecclesiasticorum vnitatem sine summo Ecclesiæ Pontifice non posse consistere.

Sine illo nec Christum Ecclesiæ regendæ sufficere.

Nec potest dici, satis esse Christum illum vnum pastorem: quia idem ille & tempore Synagogæ antequam incarnaretur, & tempore Petri erat. Et quod attinet ad temporalia, & corpora, voluit esse principes, quibus pareremus: videmusque Christum per se ortas quæstiones non soluere. Nec satis est dicere, quod soli Petro pro suo tempore datæ sunt claues, quia datæ sunt ob bonum ouium, quæ perpetuo durant. Et cum tunc pauciores essent, & sanctiores, minus necessarius erat Petrus. & tamen iudex, & pastor suo tempore extitit. Ecclesiæ igitur nouellæ hæreticorum deest vnitas.

Petro quatenus datæ sint claues.
Mat. 16.

Tertio, deest illi ordo, qui maximum est ornamentum, & stabilitas, & qui maxime splendet in Triumphanti Ecclesia, & qui ciuitatem illustrat, & qui in elementis, & cœlis inuenitur: non deerit igitur in vera Dei Ecclesia tantum bonum, de qua dixit Apostolus, *Omnia honeste, & secundum ordinem fiant in vobis*; &, *Terribilis sicut castrorum acies ordinata.* Est autem ordinis, gradus constituere inferiores, & superiores, & qui sint, qui aliis præesse debeant. At apud hæreticos mira est omnium graduum confusio, & omnes volunt esse capita. Nam primũ spectabis in potestate confusionem, quia omnes volunt esse pares in Sacerdotio, & autoritate remittendi peccata, & nulli subesse. Sed quid inæqualius æqualitate, vt quidam dixit? Deinde, omnes volunt esse pares in sapientia, & doctores, & docibiles Dei: Scriptura est illis charissima, & paucis diebus in eorum schola quisq; summus euadit Theologus, & omnes volunt ius habere in interpretandis Scripturis. Vnde Lutheri assertio est: *De doctrina agnoscere, & iudicare, pertinet ad omnes, & singulos Christianos & ita pertinet, vt anathema sit, qui hoc ius vno pilo læserit.* Cum tamen Dominus in lege omnes Fidei cõtrouersias ad Summum Sacerdotem eum suo consilio deferri voluerit: & Apostoli Barnabas & Paulus in controuersia de legalibus ceremoniis, non ad populum, sed ad Apostolos, & seniores cõuenerint. Tertio, volunt omnes pares esse in bonitate, quia sufficit illis iustitia Christi imputata, & fides garriens, ad primam & secundam iustitiam: & illa sola sine operibus reddit eos plus acceptos, quam martyriũ, aut arctissimæ vitæ monachatus, aut virginitas obseruata. Hinc Lutherus sermone de Natiuitate Beatæ Virginis Mariæ. *Omnes Christiani æque magni sumus sicut Mater Dei, & æque sancti sicut ipsa, & eius oratio mihi tã chara, quã illius, si credas Christum habitare in te, sicut in illa: quia per sanguinem Christi pariter mundati sumus omnes a peccatis.*

Hæreticorum congregatio ordine, & stabilitate caret.

Ordo est ornamentum vniuersi.

1. Cor. 14.
Cant. 6.

Ordinis proprium quid.

I. ratio.

Plinius nihil esse dixit æqualitate inæqualius.

II. ratio.

Ioan. 6.
Esa. 54.

Lutheri impium dogma.

Deut. 17.

Act. 15.

III. ratio.

Quam stulte & impie Lutherus omnes Christianos per solam fidem Christi in eis habitantis æquiparet Dei genitrici Mariæ.

Sed mirum est qui fieri possit, vt omnes sint pares, cum vni dederit quinque talẽta, alii duo, alij vero vnum: & ager seminatus modo trigecuplum, modo sexagecuplum,

Matt. 25.

modo

1 Cor 3. modo centuplum fructum adferat, & vnusquiſque ſit accepturus mercedem ſecundum ſuum laborem. Idem Apoſtolus: *Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* Infra 12.

Quarta ratio. Pſal. 103. Ordo prouidentiæ qualis.

Præterea, Deus ipſe cuncta in ſapientia condens, inæqualiter & eſſe, & viuere, & intelligere diſtribuit; & ita diuitias, & ditiones, & dominationes, & chariſmata gratis data inæqualiter communicauit: iſti volunt Eccleſiam, quæ ſolum oculis, aut capitibus conſtat: quæ mira eſt, & incredibilis confuſio. Hinc Tertullianus de præſcriptionibus hæreticorum: *Ordinationes eorum* (ſcilicet hæreticorum) *temeraria, leues, inconſtantes: nunc neophytos collocant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt.*

Tertul. Ordinationes hæreticorum quales, teſte Tertul.

Eccleſia hæreticorum non habet approbationem.

Quarto, deſideratur in Eccleſia hæreticorum approbatio: quia ab omnibus Doctoribus, qui noſtro ſeculo floruerunt, reprobantur; & deprehenſos obſtinatos igni tradunt. Adhæc quotannis in die Cœnæ Domini omnes huius ſectæ ſectatores excommunicationis mucrone percelluntur à Pontifice Romano, & diro anathemate feriuntur. At illius tribunalis ſententia omnes hæreſes à Chriſti paſſione in hunc vſque diem natas damnauit: vt Arrianorum, Valentinianorum, Pelagianorum, & Manichæorum: ita vt ſi illius tribunalis ſententia valida non ſit, continuo reſurgant, & reuiuiſcant omnes hæreſes, quæ per illam ſunt expugnatæ, extinctæ, ac ſepultæ. Et Irenæus Epiſcopus & Martyr, non alia ratione lib. 3 conuincit omnes hæreticos, quam Romanæ Eccleſiæ traditione: & Hieronymus ad Damaſum: *Omnis eſt hæreticus, qui iudicio Eccleſiæ Romanæ non acquieſcit.* At hæc noua hæc ſchola antiquas, & damnatas ab ECCLESIA hæreſes amplectitur: ita vt hoc ipſo iure ſit damnata, quod pleraſque damnatas hæreticorum ſententias conſectetur.

D. Irenæus. Hieron. plurib. in locis.

Eccleſia hæreticorum, legitimis miniſtris caret, ac bonis ducibus. Prima rat. Gal. 1.

Quinto deſiderantur in illa Eccleſia miniſtri, & boni duces: quia illi, quos habet, non poſſunt non eſſe Satanæ miniſtri. Primo, quia non habent antеceſſores, quibus ſe in Euangelio prædicando conforment: ideo in vanum currunt, imo in præcipitiũ. Cum tamen Apoſtolus venerit ad anteceſſores ſuos Apoſtolos, & contulerit Euangelium ſuum cum illis, ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet.

Secunda.

Secundo, non ſunt à Deo miſſi immediate, quia nõ eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis. Nec vllis ſignis miſſionem ſuam oſtendere potuerunt; cum tamen Eccleſia edocta ſit ab his, quæ ſigna ediderunt, vt aliter prædicantes non recipiantur, etiamſi miracula patrarent, & reuelationem Angeli de cœlo oſtenderent. Nec poſſunt dicere; CHRISTVM, & Apoſtolos contra ſuperiorum voluntatem, & autoritatem prædicaſſe: ſed edant ſigna, quæ illi, & afferant ſanctiſſimam vitam, ſicut illi, & ſinemus eos prædicare. Quod ſi cuique ſat eſſet dicere, ſe à Deo miſſum; peſſime profecto DEVS proſpexiſſet Eccleſiæ ſuæ, quia quiſque hoc fingeret. Nec enim à noſtris ſcriptoribus id eſt, ab his ipſis, qui olim, & ab eis, & à nobis ſemper ſunt pro veris ſuperioribus, & maioribus habiti, miſſi ſunt; cum potius eos à Deo excommunicatos declarent, etiam propter ſolum ſchiſma, licet hæreſes non addidiſſent. Adhæc dici nequit, à plebecula ſchiſmatica, & hæretica fuiſſe ad Euangelizandum deſtinatos: quia hæc poteſtas cum plane ſit diuina, & cœleſtis, & ſolus Deus eam impertiri valeat, plebeculæ aut principi ſeculari, vel laico non conuenit, nec homo quiſquam ad eam communicandam concurrere poteſt, niſi ex peculiari DEI pacto. At in Scripturis, ſiue Euangelicis literis de hoc pacto cum plebe laica, vel principe ſeculari verbum nullum. Imo Apoſtolus relinquebat Titũ, & Timotheum, vt conſtituerent per ciuitates presbyteros: & præcipit, *Manus cito nemini impoſueris.* Qui ergo arrogantia polliceri audeat plebecula facultatem cuius dandæ autoritatem nullam habet? Denique mentiri non licet, quod in Baptiſmo omnes ſimus pares, & ad prædicandum miſſi: quia eſſet confuſio, & mira deceptio, & mendacium in cultu vſque ad Martinum Lutherum.

1 Cor. 14. Quod hæretici non ſint à Deo miſſi. Gal. 1.

Quod nec ab Eccleſi. rectoribus

Tit. 1. 1. Tim. 5.

Nequicquid probatur illis Apoſtoli verbis *Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus ſiue vita, &c.* quia ita conſequeretur, nos habere in ipſos Thronos, & Seraphinos iuriſdictionem. 1. Cor 3.

Tertia ratio.

Tertio, deſideramus in his miniſtris maiorem vitæ puritatem, & ſanctitatem, ſiquidem conſueuit Deus non niſi per illuſtria, & inſignia organa Eccleſiam ſuam illuminare: & quoties facta eſt aliqua ſingularis mutatio, vel innouatio in Eccleſia, miſit Deus viros excellentes, qui præſtantia doctrinæ, & ſpiritu prophetico, & magnitudine ſignorum, & obuiam eũdo vitiis, & peccatis, Eccleſiam ad priſtinum ſtatum reſtituerunt: vt conſtat tempore Noe, Abraham, Moyſi, Dauid, & in reditu à Babylonia, & ſub Chriſto, Apoſtolis, Martyribus,

Doctoribus, monachis, prædicatorib. qui nunquam potestatem Pontificum, aut honorem, qui illis debetur propter potestatem, & dignitatem, negarunt: quique nunquam contraria his, quæ in Ecclesia definita, & recepta erant, prędicarunt, & se missos à CHRISTO miris modis comprobarunt. Isti vero noui magistri sine vllis signis, cum tam noua, & contraria doceant, fidem à nobis petunt: vitam etiam impuram profitentur, quia cum sancta monachatus vota perfregerint, carnales, ac nefaria ad nuptias conuolarunt, ambitiosi, superbi, contentiosi, & castitatis promissæ violatores. Nec possunt dicere, quod impotentes sint ad seruandam castitatem: quia vel olim potuerunt cum gratia Dei obseruare, & ita quoque hodie possent; vel olim non potuerunt. Et quia hypocritæ sunt, & mendaces, potius est habenda fides viris sanctis, qui hæc posse Dei gratia obseruare testati sunt. Ita vt primam fidem irritam fecerint, qui à pactis, conuentisque cum Deo resilierunt.

Hæreticos posse si velint, castitatem seruare.

1. Tim. 1.

IV. ratio.

Quarto, deest ministris huius nouæ sectæ imitatio Apostolorum: nam vt dixit Dominus: Nemo Propheta acceptus est in patria sua; & ita Apostolica vox, *In omnem*, inquit, *terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Isti vero, vt Machometus, in patria sua tantum placuerunt, & illis accepti fuerunt: nec inter eos inuentus est vllus, qui occasionem tam pulchram pro Christo, & veritate Euangelica moriendi arripere voluerit.

Luc. 4.

Psal. 18.

Rom. 10.

V. ratio.

Quinto, desideramus in his ministris maiorem vnitatem, & concordiam: nam vnus ædificans, & vnus destruens, quid prodest illis, nisi labor? Nam scholam Zuingli euertit Lutherus, Lutheri Zuinglius, vtriusq; Caluinus, & horum trium Anabaptista, & horum quatuor Svvenckfeldius. Et ita sibi inuicem aduersant, & mutuis se odiis, & libris scriptis proscindunt, vt nihil magis truculentum, nihil magis ferale spectare possis. Adde, istos vbi adoleuerunt, bellum indixisse Catholicis: Nam Lutherus in bello rusticorum, & nobilium classicum cecinit, & illos ad mutuos congressus, & cædes scriptis epistolis est adhortatus: ita vt supra centum viginti millia hominum sint desiderata in illis hæresis nouæ initiis. Zuinglius in prælio contra Heluerios Catholicos cecidit: Caluiniana, siue Hugonotica secta, quam post Caluinum regit Geneuæ Theodorus Beza, multa cruenta bella viris Catholicis, & Regibus Galliæ Christianissimis intulit, & adhuc inferre non cessat, vt intelligas, illos Martem pro CHRISTO colere.

Eccl. 34.

Hæretici sanguiculares, Martisue potius quam Christi cultores merito censendi sunt.

Sexto deest huic ECCLESIÆ amplitudo, & magnitudo. Sic enim plerunque contra Donatistas Augustinus disputat, illos tantum antra, & speluncas, & conuenticula habere: de Ecclesia vero dictum: *Prædicate Euãgelium omni creaturæ; &, Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hinc plerique Patres hæreticos arguunt de paucitate: quæuis enim congregatio ab ECCLESIA prodiens, minor est ea, & citius eradicatur, & vix vnquam potest peruenire ad magnitudinem Ecclesiæ Catholicæ.

Ecclesia hæreticorum amplitudinem non habet.

Aug. to. 7. paulo ante med.

Marc. vlt.

Psalm. 2.

Hæreticorum paucitas vnde.

Diximus de capite, & corpore: dicendũ de vinculis, quibus inuicem membra colligantur, & conglutinantur.

Sunt igitur quinque vincula diligenter inspicienda, & exponenda, nimirum doctrina, vita, Sacramenta, miracula, & Dei gratia: de quibus dicendum per singula.

Quib. inter se Christi membra colligãtur, ac retinentur vincula quinque.

¶ Primum igitur horum doctrina: siue prædicatio, illi CHRISTI Domini, qui prædicabat arctam vitam, & angustam portam, & sui ipsorum abnegationem, & crucis suæ baiulationem, non est similis: quare naturæ nostræ ad sensibilia bona conuersæ incommoda est, & concupiscentiæ laxat habenas: vnde manifeste ostendunt, se non habere gratiam, quæ naturam reprimat, & corrigat. Est etiam incommoda temporibus, & personis, quando nec homines feruentes sunt, nec bonorum operum studia per eam incenduntur. Adhæc malos, & in peccato iacentes consolatur, vt illis dici possit: *Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus*: id est, vt exponit Gregor. Qui adulantur principibus, nec exigunt quæ arcta via Christi, & crux postulat. Item est amica nouitatum, non tantum in rebus, sed etiam in vocibus, & inimica crucis Christi, & pœnitentiæ: quia ieiunia, & præcepta Dei relaxat. Est inutilis valde, & sollicita de his, quæ supra nos sunt, & non iuuant: vt de prædestinatione Dei, ac præscientia. Rursus mutabilis est, & constantiam non habet: quia recantant quæ semel asseruerunt, & proficiunt in peius: vt aperte constat de Luthero, & Bucero, qui ab initio pręscientiam CHRISTI realem in Eucharistia defendebant, à qua postea declinarunt. Est & prædicatio de rebus iam olim damnatis, quas ipsi resuscitant. Tollit etiam modum, & rationem loquẽdi, atque adeo peccatores corrigendi, quem tum Scripturæ, tum nos in loquendo obseruare consueuimus: inducens fatalem quandam necessitatem, & docens nos in negotio salutis mere

Primum vinculum.

Mat. 7.

Hæreticorum doctrina prædicatio illi Christi, Apostolorũ omnino cõtraria multis ostenditur.

Eccli 13.

Consuant hæretici puluillos sub omni cubito manus quomodo iuxta Prophetam.

Greg in c. 13.

Ezech. 1. 2.

2. Tim. 3.

passiue

passi ue nos habere. Est igitur hæc doctrina in rationem naturalem. & contra dogmata definita, & recepta in Ecclesia, sub qua tot signa, & miracula ab obseruantibus edita sunt; & contra eos, qui diuina sensu altiori gustarunt, & vitam suam ad eum scopum direxerunt, & cum qua omnia exercere possumus, ac Deo dicere, vt quidam Doctor
Ricard. de sancto Victore lib. de Trin. c. vlt. dixit, *Domine, si maiores nostri decepti sunt, à te decepti sunt.* Pugnat etiam contra consuetudinem in Ecclesia vetustate roboratam; quam illi fraudulenter despicientes, onus probandi, quod illis incumbebat, in nos reiiciunt. Non enim possidenti, sed potius nō possidenti incumbit probare. Aque ita hæc eorum doctrina cum apertissime tot modis aduersetur Christi Euangelio, Euangelica esse non potest.

Secundum vinculum. Secundum vinculum erat, exemplum vitæ eorum, qui hinc vitam profitentur. Nam in primis isti boni viri ab spiritu malo superbiæ in Deum, sibi non cauent, nec declinant, cum quo ita sine timore agunt, & in
Hæretici vita, & moribus sunt perditissimis. sanctos Doctores, quos, vt noctuæ lucem oderunt. & in maiores nostros, quia omnibus se præferunt, & eos Pharisæos, hypocritas, & Pelagianos vocant; se vero, Illuminatos, Publicanos, Assertores gloriæ Dei, & Euangelii, Paulinos Theologos, Euangelistas. Sunt contentiosi, & pertinaces, & nulli vnquam apertissimæ rationi, aut textui Scripturæ cedunt. Lasciuiæ vero, & gulæ in primis dediti sunt, cum habeant tot dies, & eorum ministri iam senio effracti, & frigidi, quasi iuniores insensati ducunt puellas: & mirum est, quod nullus ad consilia castitatis, vel paupertatis, vel obedientiæ inter eos inclinetur. Sunt auari, & sordidi, deprædantes monasteria, & bona templis dicata, & ad se minime spectantia rapientes, quæ paganus aliquis vix attingeret, & hoc cum iniuria & æquitia, vt possint iudicari meretrice impudentiores, quæ tamen ius acquirit, ad bona sibi donata. Fingunt, & dissimulant multa in Scripturis, Doctoribus, Decretis, propriis prædicationibus, & translationibus: quia omnia corrumpunt, & deprauant. Extorquent etiam pecuniam pro his, quæ non credunt: vt pro animabus purgatorii, & pro Dominicæ Cœnæ dispensatione Præstant iudicio temerario, scurrilitate, dicacitate, & amaritudine, & crudelitate. Ad alios hypocrisi vtuntur, cum nihil
1. Cor. 8. nisi fontem dulcis aquæ, & amaræ habeant
Rom. 8. In mediis, & indifferentibus non curant, cum tamen Apostolus dixerit. *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Sicut igitur à malo non declinant, ita etiam bonum non faciunt. Nam in primis Psal. 33.
fide carent, quia non credunt omnia, quæ 1. Pet. 1
scripta sunt, cum quosdam libros pro libidine reiiciant, in quibus eorum hæreses dānantur. Non credunt illud: *Ecce ego vo-* Mar. vlt.
biscum sum omnibus diebus, vsq, ad consummationem seculi: neque quod Spiritus sanctus Scripturæ interpretationem doceat, nec omnia definita in Ecclesia per œcumenica Concilia, rursus aliquid in genere prædictum, & extra Scripturam narratum non credunt: vt, quod sancti essent magna miracula facturi, & gratiam sanitatum habituri, quæ cum his enarrantur, confestim se ad risum præparant; qua in re ostendunt, quod fide infusa careant. Peccant etiam in prudentiam, quia cum nullum sit periculum hæc, & similia credendi, cum sint conformia prædictis, & nihil contrarium contineant, & boni, & graues viri, qui non mentirentur, ea asserant in particulari, sicut Scriptura in genere; alienum est à ratione, & ab omni prouidentia non ea fide complecti, & affectum bonum inde comparare, vel saltem deberent assumere onus probandi, & non in eos reijcere, quos possessio, & consuetudo defendit.

Secundo tollit eorum vita spem, & temerariam præsumptionem inducit, & tollit de medio adiumenta omnia, & opera bona, & Rom. 5.
merita; cum tamen asserat Paulus: *Spes non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordib. nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* Tertio, charitate se destitutos ostendunt, tum Dei, cuius misericordiam certis limitibus constringūt; tum sanctorum virorum, quos despicatui habēt, & irrident; tum proximorum, qui suæ sectæ non fauent: & si charitatem veram haberent, vtique vt Apostoli ad nos vrgēte charitate venire non detrectassent, vt tantum lumen nos docerent, non veriti mortem. Quarto, eorum vita tollit obedientiam pastoribus, & maioribus, imo Deo ipsi, dum docent, præcepta impossibilia esse. Quinto, adimit Domini timorem, & inducit stultam quandam securitatem, & arrogantiam per fidem, qua se iustos, & prædestinatos existimant; cum Prou. 28.
tamen Scriptura testetur, mentes sanctorum plenas esse hoc sancto timore: *Beatus,* Phil. 2.
inquit, *homo, qui semper est pauidus*; &
Apostolus: *Cum metu, & tremore ve-* 1. Pet. 1.
stram salutem operamini; & Petrus: *In timore, incolatus vestri tempore, conuersamini.*

Sexto, hæc vita eripit de medio humilitatem; dum nulli subesse volunt nisi propriæ voluntati, & nequeant se homines agnoscere, qui possint errare. Septimo, do-

lo-

lorem illum pretiosum, & salutiferum, qui contritio vocatur, & de peccatis computatis coram Sacerdote colligitur, omnino auferunt: quia asserit Lutherus facere hominem hypocritam. Octauo, diligentiam, & feruorem per vanam quandam fidei securitatem perimit, & tepide, & frigide operari facit: redditque homines astutos, & callidos. Nono, virtutem illam, quæ est pulchra & hesperus, & lucifer, id est, iustitiam sua cuique officia reddentem, omnino auferunt, dum in bona Ecclesiarum, & monasteriorum inuolarunt, & ea perpetuo retinent. Postremo, tollit sui ipsius cognitionem, quam tanti fecit Apollo, cum dixit: *Γνῶθι σαυτόν*. & magnum illam sui ipsius victoriam: quia etiam post gratiam adeptam iustificationis, & haustum de cœlo Spiritũ, fingunt se habere omne malum in carne & peccatum, & se ab illis abstinere non posse.

Tertium vinculum.

Tertium vinculum externum est de ceremoniis, & ritibus: inter quæ primum locum habent Sacramenta, quorũ numerum isti decurtant, & ad duo, vel vnum redigũt: illa vero quæ recipiunt, suis partibus detrũcant, quia tollunt omnes ceremonias, quibus administrantur, vestes, & cantus, & Canonem Missæ Sacramento adimunt. Deinde negant efficaciam habere ad gratiam conferendam. *Hæretica est*, inquit, Lutherus *sed vsitata sententia, Sacramenta nouæ legis gratiam conferre*: & Sacramenta quæcunque apud illos sunt, quia extra arcam, & domum Dei magnam, & templum, & Ecclesiam Dei, salutaria esse non possunt. Alias vero ceremonias seruientes ad decorum Ecclesiæ, ad hominis interioris viuificationem, & ad inuitandum spiritum ad doctrinam capiendam, vel ad inflammandum affectũ, de medio sustulerunt; & templa, altaria, ornamenta, imagines, reliquias, dies festos, supplicatiões publicas, canonicarum horarum sensum, oblationes, magno impetu, quasi impietatis incitabula, & dæmonis inuenta, & profanas à proprio spiritu adinuẽtas ceremonias in Ecclesias suas inuexerũt & tamen audent nos vocare Ceremonianos.

Hæreticorum congregatio ritus, & ceremonias nullas seruat: de Sacramẽtis minime sentit.

Lutheri hæretica sententia.

Gen. 6.

1. Tim. 3.

Hæretici Catholicos Ceremonianos appellant.

Quartum vinculum.

Quartum vinculum est signorum, & miraculorum, quæ Deus semper adhibuit ad noua, quæ adiungebantur, prædicanda. Sed etsi hæc etiam ad vera credenda sæpe Deus faciat: hi autem cum frequenter contraria, absurdaque, & noua, & plena omni confusione doceãt, audent à nobis petere, vt ipsis fidem accommodemus: quod sane plus est, quam omnia quæ fecerunt Apostoli. Quandoquidem illi contra idololatriam personalem, & ceremonias, quæ lege Moysis teste aliquando cessaturæ prædictæ erant, miracula adhibebant, proponentes sermones omni acceptione dignos, vita & signis comprobatos. At hi cum contraria Apostolis doceant, & contra definita in Ecclesia, non solum signum vllum faciunt, sed etiam quæ facta sunt, risu, & cachinnis excipiunt, tanquam à dæmone patrata; cum tamen fides, de qua gloriamur, sit signorum, & miraculorum operatrix. Quod si adhuc signa ederent in suorum confirmationem dogmatum; profecto audiendi non essent, & obiiciendum illis, quod Augustinus libro de vnitate Ecclesiæ contra Donatistas obiecit: *Miracula non probare Ecclesiam, sed potius probari miracula quæ in Ecclesia fiunt.*

Deest eidẽ Ecclesiæ signorum, atque virtutum operatio.

Hæretici de signis, & miraculis Ecclesiæ quid sentiunt.

Aug. to. 3.

Postremum vinculum, & internum, est gratia, cuius virtutem, & fructum miris modis extenuant. Nam in primis tollunt eius inhærentiam, quæ in Concilio Tridentino comprobata fuit; & vt Paulus ait: *Gratia Dei sum id quod sum; & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnib. laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Deinde eius in omnes extensionem ad paucos suæ sectæ viros coarctant: quasi Deus ad arbitrium Lutheri, aut Caluini gratiam porrigeret, cum sit Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum, & Deus velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire. & *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus &c.* Falso ergo contendunt, gratiam solis prædestinatis conferri: ex quo consequeretur, Sacramenta non prædestinatis collata infirma esse, & inutilia: falsum illud esset: *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini: à gratia excidistis*; & illud, *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati gustauerũt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Quibus testimoniis liquidũ redditur, etiam ad non prædestinatos gratiam Dei extendi. Tertio, imminuunt eius vigorem in remittendo peccato: quia dicunt adhuc homini gratia ornato peccatũ superesse, licet non imputetur: quasi vita possit stare cum morte, aut lux cum tenebris, aut sanitas cum morbo aut libertas cũ captiuitate. Quarto, negant, nos gratia adiutos posse implere præcepta Dei; cum tamen Dei maior sit gratia, vt hoc homo possit eius virtute præstare: quemadmodum Scripturæ docent. Ait enim Propheta: *Spiritum meum ponam in medio vestri; faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini*; & Apostolus ait, Dominum missum ad nos, vt sua gratia, & ope iustificatio legis impleretur

Quintum vinculum, ac postremum.

Trid. sess. 8.

Eadem diuino gratiæ munere carere dignoscitur.

1 Cor. 15.

Secunda ratio.

Rom 10.

1. Tim. 2.

Tit. 2.

Si Solis prædestinatis à Deo gratia daretur, quæ inde incommoda.

Gal. 5.

Heb 6.

III. ratio.

IIII.

Ezech. 36.

Rom. 8.

V. in nobis. Quinto, gratia iuuat ad obuiam eundum motibus carnis, & concupiscentię resistendum; quæ omnia hæretici docent, non posse contingere.
VI. Sexto, valet ad consilia Euangelica obseruanda, & vota monastica adimplenda: quod illi falso negant. Quod si talis est Ecclesia Lutheri, vel Caluini, qualem hactenus verissime descripsimus, quæ vero capite est destituta, & vera ratione corporis, verisque vinculis spiritualibus cum capite, & sibi inuicem connectẽtibus, demonstratum profecto relinquimus, eorum Ecclesiam tanquam pestem quandam fugiendam, & tanquam putidum & effrons scortum respuendum: quod etsi forte suis fucis, & coloribus se contegat, vt simplicibus imponat; verum id à bonis, & prudentibus impetrabit nunquam, eos protegente, & singulari prouidentia regente Iesu Christo Domino nostro.

DISPVTATIO X.

In qua fuci, & colores sectæ Lutheri, & Caluini, quibus se speciem Ecclesiæ habere iactant, deteguntur, & confutantur.

MVLTA sane tum in natura, tum in arte inueniuntur, vilia quidem, & parui momenti, sed quæ pretiosis ita assimilantur, vt rudes quosque facile decipere possint, & Philosopho teste, multa sunt falsa, quæ probabiliora e maiori constant multis veris. Ita in spiritualibus plerumque Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis, & falsi prophetæ veniunt in vestimentis ouium, ne cognoscantur; & vitiis se contegunt specie virtutum. Ideo detegendi sunt fuci, & colores, quibus se nouæ sectæ ad imponendum simplicibus contegunt. Multi enim sunt, qui verbo Dei contra verbum Dei pugnant, & Euangelio contra Euangelium militant, & testimoniis Pauli cõtra Paulum disputant. Quamobrem Augustinus in illo testimonio Dauidis: *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudẽ, vt destruas inimicum, & vltorem*; ipse quidem legit: *Vt destruas inimicum, & defensorem*. Est enim hæreticus hostis domesticus, & tamen Christi in speciem defensor. Et B. Ambrosius, si tamen verus sit Ambrosius, enarrans Apostoli dictum: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*: omnem hæresim tradit fundamento Christo niti, vt magis imponat, & liberius seducat, Chrysostomus quoque: *Non varias mihi, atque diuersas oppones hæreses. Omnes siquidem eundem prædicant Christum, etsi non omnes sane prædicent, atque legitime: illum enim omnes prædicant.* Hæc ille.

Arist.

Aug. in Psalm. 8. 5. & initio. Psalm. 8. Mat. 21.

Qualis hostis hæreticus.

Ambros. in c. 4. priorum ad Corinth. 1. 5. circa fi.

Chrys. homil. 4. de laudibus. B. Pauli ante med. c. 4 prope fin.

Examinemus igitur argumenta hæreticorum, quibus sua conuenticula tuentur, & quantum vnumquodque illorum veritatis, & ponderis habeat, dilcutiamus.

Cur omnis hæresis se Christo tueatur ac protegat.

Circa caput igitur, fucus apparens est, quod Christum miris laudibus celebrant, & quod in sua doctrina Dei gloriam, non suam quærant. Nam ad eum modum suam doctrinam ex Deo esse probauit Christus, quod gloriam suam non quæreret: *Si ego glorifico me ipsum*, inquit, *gloria mea nihil est*; &, *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius, qui misit eũ, hic verax est, & iniustitia in illo non est.* Præterea Dei, & non hominum sensus isti esse videntur, veraces igitur isti sequi videntur, & non mendacium hominum sectatores. Quibus respondendum est, doctrinam reuera, quæ Deum magnificat, veram esse, tamen non est quiuis iudex veræ gloriæ, sed vt sit Dauid, in Ecclesiis benedicitur Deus psalliturque ei sapienter; & vt in alio loco ait: *Laus eius in Ecclesia sanctorum. Quid est*, inquit Augustinus, *Ecclesia sanctorum? Ecclesia Catholica est. Ecclesia sanctorum non est Ecclesia hæreticorum. Ecclesia sanctorum illa est, quam præsignauit Deus antequam videretur, & exhibuit, vt videretur.* Sic ille. Quia ergo honor Regis iudicium sponsæ suæ diligit, cuius vox sibi dulcis est, & facies mentis veritatis conspicue decora; ideo illa sola nouit laudare, quia habet Spiritum Christi docentem in spiritu & veritate colere. Peccatori autem dixit Deus; quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? non solum enim falsa, sed etiam vera laus Dei & Christi non est speciosa in ore peccatoris. Non ergo quicquid cuinis videtur gloria Dei, & sensus Scripturæ, statim vera laus Dei est, & germanus sensus. Omnes siquidem hæreses veræ essent, quæ Christum laudant, & Mahometus suo modo Christum laudibus celebrat; & multi in die nouissimo venient, dicentes, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes fecimus? Quibus dicturus est: *Quia nunquam noui vos; discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Dæmonia quoque multa eiiciebat Dominus clamantia, & dicentia, *Quia tu es Filius Dei*; & tamen Dominus increpans non sinebat ea loqui. Non est ergo laus, & gloria Dei, & Christi sui nisi in Ecclesia, neque certe ad

Ioan. 8.

Supra 7.

Verax qui sit, minimeque iniust. Christi testimonio.

Penes solã Christi Ecclesiã iudicium esse tantummodo veræ Dei laudis & gloriæ.

Psal. 46. Psal. 149. August. in Psal. 149. c. 8 in fin.

Quæ sit Ecclesia sanctorum.

Cant. 2.

Ecclesiæ vox cui dulcis eiusque facies decora.

Ioan. 4. Psal. 49. Eccl. 15.

Qui falso Deum laudent, & glorificent.

Matt. 7.

Psalm 6. Matth 7.

Infra 8.

Luc. 4.

Imo quam tum illi divinæ gloriæ & laudi præiudicēt

gloriam Dei facit, quod sanguine Filii sui spreto, vsque modo Ecclesiam deseruerit; nec quod ad tam paucos extendat diuitias gratiæ suæ, aut quod velit paucos saluos facere, aut quod sanctos martyrio se pro illo exponentes veritate Euangelii destituerit; & quod hostes, & impuros homines luce veritatis persuaderit, nullam dando eis probabilitatem vitæ, aut singularis doctrinæ.

Qualem gratiam, & Sacramenta, secundum hæreticos, à Deo recipiam? Illis contra maiorum fidem adhærentes, & auscultantes, cur sint inexcusabiles. Qui quærant gloriam Dei, & non suam.

Non est etiam Deo gloriosum, quod suppeditet gratiam non remittentem peccatū neque carnis concupiscentiam reprimentem, nec Dei præcepta implentem, vel quæ conferat Sacramenta, quæ nullam gratiæ virtutem largiantur. ¶ Etsi ergo vera illi dicerent, profectò inexcusabiles essent, quor quot eis fidem accommodant contra omnes suos superiores, & maiores, quibus iure naturæ plusquam sibi, vel alii credere tenentur.

2. Cor. 10. Psal. 31.

Aliud prætereà est, quærere propriam gloriam in seipso, aliud in Domino creatore, & reparatore, de qua dicitur: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; & iterum: *Lætamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.* Ad hanc ergo gloriam in Domino quærendam quisque arctatur, quemadmodum & ad Dei gratiam, quia eadem est cum illa, & contrarium nihil est aliud, quā mera superbia, & ingrati animi vitium.

Quærentes propriā tantum gloriam peccant dupliciter. Ioan. 7. Gloriam propriam qui quærant & non Dei. Ierem. 23. Luc 10.

Qui igitur à semetipsis loquentes, gloriam Dei quærunt, hi verè propriam quærunt & quia non missi sunt, sibi, & non Deo obedientiam præstant. Nos autem Deo, & non nobis nitimur: quia necessum est sensum Scripturæ proponenti, vel sibi, vel Ecclesiæ, vel hæreticis credere, quando qui dem Deus immediate non reuelat: & quia homines vices DEI in terris gerunt ipse in eis vel auditur, vel contemnitur.

Alter fucus hæreticorum.

Secundo, circa corpus congregationis fucus est, quia videntur primitiuam Ecclesiam imitari, in qua erat maior copia Spiritus, & maius lumen fidei: quos isti sectantur, abolendo delectum ciborum, & Pharisaicam ieiuniorum hypocrisim, & sectas illas, quas Paulus insectatur, dum ait: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi*: quæ videntur in diuersis religionibus nostris inueniri, dum vnus est Franciscanus, alter Dominicanus, & alter Benedictinus. Rursus coniugii sancti prohibitiones, & impedimenta tollunt, ce remonias vniuersas nobis eripiunt deniq; lectionibus, & collationibus Scripturarum ita vacant, vt in primitiua Ecclesia versari videantur. Respondeo planum esse mendacium id quod assumitur. In primis,

1. Cor. 1.

Ecclesiam hæreticorum Ecclesiæ primiti

si primitiua non haberet sibi inuicem succedentem Ecclesiam, non esset imitanda, quia nec vera esset, cum non durauerit; vel ista præsens non est vera, quia priori non eō tinuatur. Ecclesia igitur, quæ ante hos magistros erat, hoc est, Romana, ipsa est, quæ veræ primitiuæ doctrinā, & mores seruat.

mitiuæ, & Apostolicę esse omnino dissimilem, atque contrariā ostenditur. I. ratio.

II. Act. 4.

Deinde in primitiua Ecclesia multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: at hæc præsens hæreticorum congregatio dissidiis in gentibus plena est: vnde aliter sentit Lutherus, aliter Zuinglius, aliter Anabaptista, & aliter alii.

III. Ibidem, & supra 21.

Tertio, quia nihil magis remotum ab Ecclesia primitiua, quā horum vita, & doctrina. Nam ibi optima pars erat eorum, qui tria consilia Euangelica obseruabāt, vnde erant illis omnia communia: & sanctam virginitatem multi colebāt, vt filiæ Philippi Diaconi: & de quibusdam quę abierunt retro, dicitur, eas habére damnationem, quia primam fidem irritā fecerunt. Et Apostolus, *Volo omnes vos homines esse sicut meipsum*, nimirum cœlibes, & si ne iugo coniugii. Erat etiam eo tempore frequens vsus ieiuniorum; vt Paulus glo riatur in ieiuniis multis: & Eusebius de Alexandrinis tradit perfectissima, & continua ieiunia. Hinc optime Bernardus testatur, regulam beati Benedicti esse initium primitiuæ Ecclesiæ: & beatus Augustinus in initio suæ regulæ ait, se imitari vitam Apostolicam eorum, qui in paupertate vitam ducebant.

Infra 21. 1. Tim. 5. 1. Cor. 7. 2. Cor 11. Euseb li. 2. Histor Eccles c 17. 10. 1. B Bern. in Apologia Guiliel. Abb. c. 4.

IV. August to. 1. in fine.

Ecclesia primitiua coercitiuam (quam vocant) potestatem non exercuit. Act. 1.

Quarto, Spiritus ille, qui Ecclesiam illam regebat, mutato eius statu quædam mutaret, quæ ad ordinem faciunt; vnde fit, vt ipsa seipsam non imitetur. Nam verbi gratia in Ecclesia primitiua, coercitiua potestas non erat, quæ tamen modo est: & aliter regenda est Ecclesia centum & viginti hominum & aliter ea, quæ habet myriades myriadum.

V. Infra. 16. Ioan. 5.

Qua ratione Deus vsque modo in Ecclesia operetur.

Si carnem, & sensum imitari, Ecclesiam Christi primitiuam imitari est, egregii porro hæretici illius imitatores existunt.

Quinto, ibi omnibus tunc traditis parebant, & Apostoli tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & senioribus in Ierusalem, cum nihil esset literis consignatum. Cum ergo Deus vsque modo operetur, & per Concilia œcumenica, & per Romanos Pontifices Ecclesiæ vniuersalis pastores, & per Doctores à se missos loquatur; idem illis obedientiam præstatent. ¶ Noui ergo magistri carnē suam imitātur, & pro ea omnia quæ sibi cō moda videntur, libēter accipiūt, reliqua omnia prætermittentes, quæ tamen antiquissima esse, per Patres ipsos Apostolorum discipulos aperte monstrantur. Si enim cōseruata nō fuissent, vbi esset Dei Ecclesiam protegentis prouidentia? Ergo, ne scandalizemur, videndum, an res, per se malæ sint, & non opus est in omnibus videre, si

olim

Matt.19.
Qualis Apostolorũ vita, atque doctrina.

olim in vsu fuerint. Verum, ô bone Deos quomodo isti imitantur Apostolos, qui relictis omnibus, etiam vxoribus, vt commode per totum orbem euangelizare possent, eo progressi sunt dantes vitam pro doctrina, quam prædicabant, & miraculis confirmabant, & pro ea persecutiones à Iudæis infidelibus, & paganis libenter sustinebant

Marc. vlt.

& vniti in eodem spiritu ambulabant? Isti

Hæreticorum nostri seculi quã illis dissimilis, atque contraria.

vero, vt Lutherus, Oecolampadius, Caluinus, Lambertus, Bucerus, & Mansterus, & alii innumeri, sancta vota frangeores, sacrilegi vxores accipiunt: qui domi, vt pseudo prophetæ manent, & nullum edidere signum, vt confirmare possent quæ docent: diuisi inter se, ita vt vix vnus secum constet: & arma contra maiores suos assumpserunt.

Iidem Ecclesias quas imitari videantur.

Imitantur ergo Arrianas Ecclesias, & Manichæorum, & Donatistarum potius, quã primitiuam Ecclesiam. In quos obiectare possumos, An à vobis verbum Dei processit? aut in vos solos peruenit?

1 Cor.14.

Nec enim isti primitiui sunt, qui verbum Dei acceperint cum tota Asia, Africa, & Europa Christum & Euangelium ante illos ipirauerint, Christumque innumeris in Ecclesiis illustrauerint.

Hæretici valde in sua fide noviti.

Tertius fucus eorundem.
Diuinarũ Scripturarum se iactitant studiosos.

Tertio, quantum ad vincula attinet multis vtuntur coloribus, & fucis; & primo circa doctrinam prætexunt quod venerentur Scripturas, illas nocturna, diurnaq; manu versent, de illis disserentes libenter audiãt; & Christus dixit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Sunt præterea inter eos multi docti, qui doctrinam Euangelicam, & Apostolicam & commentariis, & scholiis illustrauerint, Christum, & Dei gratiam in ore habeant, permultaque vera dicant.

Confutatio.

Respondeo: nos non inficiari quod ipsi Scripturis incumbant, sed tantum quod nõ bene, neque vt decet, eis vacent.

Ratio I.

Nam alioqui omnes hæreses veræ essent, quia earum autores Scripturis vacant: vt Iudæi, Zuingliani, & Anabaptistæ. Quod autem Scripturas non bene versent, ex multis ostendo. Primo, quia sine fide infusa non potest quis recte Scripturis fidem accommodare: quod autem hi diuina fide careant, illud indicat, quia non credunt omnibus Scripturis, sed quibus volunt, reiicientes à Canone quas volunt, vt epistolam ad Hebræos, Iacobi Catholicã, Apocalypsim, Machabæorum, & Tobiæ libros, & alios q quoquo modo cõtra se facere videntur.

Quasnam hæretici non recipiant libros Canonicos.

Aug li. 17. contra Faustum, c. 3. in fin. to 6. ante med.

Manichæ-

Nam vt Augustinus contra Faustum Manichæum scribit, taxans Manichæos, quod quædam ex Euangeliis reciperent, quædam vero alia reiicerent, acute dixit; *Vndique tergiuersatio vestra contunditur, aperte dicite, non vos credere Christi Euangelio. Nam qui in Euangelio quod vultis, creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Euangelio creditis.*

nos vnde probet Augustinus Euangelio Christi nõ credere.

Deinde peccant in eo, quia se dicont credere his quæ in illa sunt expressa: non enim etiam expressis credunt, vt illi sententiæ: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi;* & : *State, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem siue per epistolam nostram;* & alteri: *peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est.* alteri etiam, quæ habet: *Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite; secundum opera vero eorum nolite facere.*

II.
Hæretici quibus Scripturæ testimoniis apertis minime credant.

Matt. vlt.
2. Thess 2.
1. Cor. 8.
Matt. 13.

Denique vbi est illud: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus;* cum tamen in Symbolo doceamur dicere: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam?*

Supra 10
Impia quędam illorũ dogmata.

Nam asserunt, Ecclesiam esse interruptam: Traditiones sine scripto respuendas esse: fratris infirmi non curandom scandalum: & doctorem, qui vita non commendat quod prædicat, reprobandum: & Ecclesiam tanquam deliram quaodam & superstitiosam anum, non audiendam.

III.

Tertio, diffinitionibus, quæ per Spiritum sanctum in Generalibus Cõcilius decretæ sunt, haud credunt; ex secta ergo tantum, & opinione credunt, quemadmodum Iudæi, Philosophi, & Mahumetani, trahendo ad sensum suom Scripturã; cum tamen fides infusa ad omnia accipienda incliner, quæ nomine Spiritus sancti ab Ecclesia traduntur.

Conciliorum decreta generalium non admittit hæreticũ supercilium.
Hæretici quomodo credant
IV.

Quarto, cum Scriptura obscura sit valde, & perdifficilis, nec iudex esse queat: quia prouidentia Dei tolleretur, cum per eam solam lites obortæ sedari, aut terminari non possint: superest igitur, vt certum aliquem iudicem nobis designatum reliquerit. At hic alius non est habitus, quam qui semper fuit, hoc est Romanus Episcopus.

Scripturæ verus iudex, & interpres quis ille.

alias enim periisset prouidentia per tot secula, eum, qui non est legitimus iudex, permittens dubia fidei definire. Qui ergo se separat à Traditione, non habet pro se Scripturas: alioqui & Satanas, & omnes hæretici pro suis somniis & figmentis comprobandis Scripturãs haberent. Proprium ergo, & diabolicum sensum isti habent: Idcirco peius est illis vacare Scripturis, quam fabulis, vt acute vidit Augustinus in libro Cõfessionum.

Qui non habeat pro se Scripturas.
Hæreticis vacare Scripturis quã fabulis, cur peius.
August. l. 3 Confess c. 6 to. 1. 7 r ge f.

Nam fabulæ, vt fabulæ recipiuntur, & interdum ad mores formandos conuertuntur, hæreses vero & Scripturas detorquent, & fidem inficiunt, & mores peruertunt.

Tractant igitur hæretici Scripturas, & illis vtuntur: sed hoc fecit diabolos contra Dominum, & hoc ipsum omnes hæreticos dæmonis discipulos facere testis est Hiero-

B. Hier. to. 2. inter med. circiter & init.

Hæretici quibus similes.

nymus in Dialogo aduersus Luciferianos. Doctores vero, & Concilia reiiciunt, quasi mere humana, & falsa inuenta, & in sola Scriptura, quia difficili, & obscura, abscondi, & delitescere gaudent, vt latro in abditis & tenebrosis locis, vt deprædetur; potissimum vero in scriptis Pauli difficilioribus, quem quantum ad verba sectantur, sed sensui, & vitæ eius sensum explicanti è diametro repugnant: vt constat in quæstione de operibus, & de delectu ciborum. Gaudet enim peculiariter dæmon, vt hæretici Spiritui sancto suas blasphemias imponant: quod scelus est ingens, & in ipsum Spiritū sanctum, & alios interdum inuoluens.

Iidem quasi sint Pauli interpretes, & explanatores in sensu suo fas in Spiritum sanctum contumeliosi.

¶ Frustra ergo in sensu carnis suæ inflantur, ac delectantur, & tanquam victores carnaliter exultant in Scripturis, aliis omnibus aures occludentes. Quod vero sint docti in linguis mirum non est: quia & Arrius Græce doctissimus fuit, & tamen hæresiarcha extitit. Iudæi quoque in Hebræis literis docti erant, & versati ob prauam tamen intelligentiam à Messia præcisi sunt: & quicunque ille sit, qui hæresim sectatur, nō potest non esse indoctus & instabilis: de quo Petrus testatur, in Epistol. Pauli esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Recte proinde Hieronymus in epistolam ad Gal. *Marcion, & Basilides, & cæteri hæreticorum pestes non habent Dei Euangelium, quia non habēt Spiritum sanctum sine quo humanum fit Euangelium quod docetur.* Quare videas plerunque, istos in eorum Commentariis & scholiis ea tantum in Scripturis annotare, quæ Cicero, vel Aristoteles, vel quiuis alius Spiritu Dei priuatus melius annotasset. Non enim nisi aut colorem rhetoricum, aut genus argumenti, quo vtitur Christus, aut Paulus, aut denique vim, & proprietatem alicuius vocis in medium proferunt: non quod hęc sint contemnenda, sed quia maiora & solidiora non attingunt. Quod vero frequenter Iesum, Christum, gratiam, Euangelium nominent; ob id facere videntur, vt facile incautos in nassam trahant. Sed non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, & hoc cum sæpe sit, & alia non adsunt, signum est insignis hypocrisis.

Norunt omnes linguas, sed frustra.

Quid profuerit Arrio Græcæ linguæ peritia.

Rom. 11.

Hæresis homines reddit instabiles & indoctos.

2. Petr. vlt.

Hier. in c. 1. ep. ad Gal. circa med. to. 8.

Hæretici cur non habeant Dei Euangeliū Hiéron. teste.

Obseruent quæ tantū in Scripturis hæretici.

Christum gratiam, eiusque Euangelium iidem cur personent. *Matth. 7.*

Quod vero interdum quædam vera dicant, minime nos mouere debet: quia etiā dæmon, & Apollo, multa quæ euentura erant, docebant; & alias non venirent in vestimentis ouium; & hæretici leprosi non essent, quia lepra non totam carnem, sed partem tantum deuorat. Non ergo omnia vera, nec omnia falsa docent, sed mixtim & vera, & falsa: quæ ob id tradunt, quia non possunt negare: tam potens est veritas: quēadmodum Lutherus de reali existentia Christi in Eucharistia contra Carlostadium vel vt magis noceant, seque cooperiant, vel quia malum, esse purum non potest. Vera igitur non sunt sua, nec ab ipsis profecta, sed nostra, & malo animo admiscentur, & ab aliis suffurantur. Et sicut fœtentis cloacæ non est aurum ex se deriuare, sed si in eam casu inciderit, impurum reddere & fœtidum: ita nec horum est vera dicere, qui spiritu diaboli, qui pater est mendacii loquuntur. Sed vt pulchritudo fœminæ ex cerussa & purpurisso ad Solis aspectum liquefit: ita ad veritates Catholicas hæreticorum fuci, & colores tanquam nebulæ dissipantur.

Falsa veris admiscendo quos illi intentetur. *Ibid.*

Triplici de causa hoc faciunt veteratores.

Veritas apud hæreticos, tāquā aurum in cloaca, fœtidissima existit. *Ioan. 8.*

Illorum falsitatis colores quomodo euanescant, ne pereant.

Quarto, fucus est circa vitam multiplex. Primo, quia sunt veri adoratores in Spiritu, & veritate, abiicientes ceremonias & omnem externam religionis larvam. Respondemus, reuera illos nec in spiritu, nec in carne orare, aut adorare. Est enim adorare in spiritu, voluntate, & mentes sub Spiritu sancto affecta, vnice & fortiter in Deum tendere: hinc est, vt initio egeat sensibilib. adiumentis, vt literis, imaginibus, ceremoniis, & aliis opportunis instrumentis ad finem illum consequendum. Nam alioqui frustra Deus Legem dedisset Moysi, naturam imbecillam per hos ipsos ritus erudiētem, & inflammantem: frustra etiam prius cum quouis timore ageret, vt per illum ad charitatem introduceret, gratis instituisset Sacramenta quæ omnia symbola sunt sensibilia. Nec ait Christus in solo Spiritu adorare: nam totum hominem quem condidit id est corpus & animam, vult in suo cultu sanctificari. Cum igitur hi carnales sint, vt eorum mores ostendunt, manifestum est, quod ablatis illis gradibus, & adiumentis vanitati vacabunt, & vt pulli implumes, frustra ante tempus volare conabuntur. Imbecillus ergo magis orat in spiritu his sensibilibus adiutus, quam si sine illis preces funderet, quod isti sano experimento comprobarent, si vellent intelligere. Secundo iactant se habere mirabilem diuinorum gustum, & fere intolerabilem pacem: ex quo colligunt sancte se viuere & dignos esse quibus fides habeatur. Respondemus, Satanam interdum posse dare gustum, sed apparenter bonum. Nam quidam Anabaptistæ cum ad interficiendum alios à dæmone ducerentur, iactabāt se hunc gustum habere: potuit etiam efficere dæmon, vt rectores Reipublicæ, & populi, & virgi-

IV. fucus, isque multiplex circa vitam.

I.

Supra 4. Quod hæretici vere nec spiritu, nec carne orēt, vel adorēt. Adoratio quid.

Exod. 20.

Quæ res ad orandū magnopere adducāt.

Alter fucus.

Hæreticorū sensus spiritualis, & gustus vnde.

nes

Eorum qualia Christus, nempe falsus, ita etiā gustus diabolorum.
August. l. 3. Confess. c. 6 tom. to. 1. sub init.
Augustin* olim à Manichæis in suam hæresim quomodo captus. Mores Manichæorū.

nes toto corpore nudi incederent, vt magis admireris. Atque hos falsos gustus, & gaudia, proposito obiecto conuenienti, potest suppetere dæmon: tamen sicut Christus non est verus, ita nec gustus. Audi, quæ sonant verba Augustini, qui se huiusmodi gustibus pellectum ad Manichæi sectam amplectendam testatur: *Incidi itaque*, inquit, *in homines superbe delirantes, & carnales nimis, & loquaces, in quorum ore laquei diaboli & viscum confectum commixtione syllabarum nominis tui, & Domini Iesu Christi & Paracleti consolatoris nostri Spiritus sancti. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum, sed sono tenus & strepitu linguæ; cæterum cor inane veri. Et dicebant veritas, & veritas, & multi eam dicebant mihi & nusquam erat in eis, & falsa loquebantur* Et infra: *Et illa erant fercula in quibus*

Idem ibid. Psalm 8. & alias.

mihi esurienti te, inferebantur pro te Sol, & Luna pulchra opera; sed tamen opera tua, non tu, nec ipsa prima. Priora enim spiritalia opera tua, quam ista corporea quamuis lucida, & cœlestia. At ego nec priora illa, sed teipsum, te veritas, in qua non est commutatio, nec momenti obumbratio, esuriebam, & sitiebam & apponebantur adhuc mihi in illis ferculis phantasmata splendida, quibus iam melius erat amare istum Solem, saltem istis oculis verum, quam illa falsa animo decepto per oculos. Et tamen quia te putabam manducabam, non auide quidem, quia nec sapiebas in ore meo sicuti es: neque enim tu eras figmenta illa inania, nec nutriebar eis: sed exhauriebar magis. Cibus enim in somnis simillimus est cibis vigilantium, quo tamen dormientes non aluntur, dormiunt enim, Hæc ille. Ex quibus

Deus qualis sit veritas.
Iacob. 1.

Cibus in somnis nō alit dormientes, teste August.

videre potes, quomodo sit gustus quidam infectus, qui venenum & hæresim sapit: at in Ecclesia Christi verus, & Spiritus Dei in forma linguæ ad gustandum datus vt dicere possint: *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.* Tertio, producitur eorum profunda humilitas, & animi submissio. Nam seipsos publicanos & peccatores vocant: at vbi humilitas, ibi & sapientia & reguntur superbis, quæ reuelantur paruulis. Respondemus, quod à Christo non laudaretur Publicanus, si bona Pharisæi opera despexisset, & suam licentiosam vitam commendasset. Non habent ergo nisi Publicani nomen, & rem ipsam Pharisæi, hoc est, superbiam, & hypocrisim, vel potius quod in vtroque est malum. Nam Publicanus etsi in spiritu coleret Deum: tunsione tamen pectoris, & oculorum demissione spiritum suum bonum ostendebat, & excitabat. Non ergo placet Deo humilitas falsa, qua quis videlicet aut ratione destituitur, aut asserit omnia opera bona, peccata esse mortifera, aut quod sem-

Actor. 2. Psal. 72.
III. fucus.
Luc. 18. Prou. 1. Mat. 11.
Hæreticos nequaquā humiles, sed hypocritas esse. & superbos
Luc. 18
Euangelicum Publicanum vere humilē vnde possis agnoscere.
Humilitas quæ displiceat Deo.
Hæretici quales Publicani videri possint

per peccare debet. Atque ita hæreticos possumus appellare Publicanos Pharisaicos.

IV. fucus.

Quarto, commendatur eorum vita ex castitate. Sunt enim contenti suis vxoribus & minime luxuriosi. Respondeo, bonam in speciem vitam cum superbia esse posse, vt ostendunt virgines fatuæ: idcirco nullus hæreticus bonus est, quia fide caret, quæ bonā vitam instituit. Tamen quia temperaturæ sunt diuersæ, vt in Philosophis, & in omni gradu existunt, & maxime in his, qui contentionis gratia sectam sequuntur, & studiis vacant, & Satanas vitium spirituale præfert carnali; ideo mirum esse non debet, si paucissimi casti extra Ecclesiam sint: quia non simplicem, sed triplicem eunuchismum Christus constituit, & frigida terra castiores producit; & quia omnes vt plurimum vxorati sunt; & quia plus placet diabolo fornicatio spiritualis, quam carnalis Sed hæc castitas non contigit vi Legis, vt in Luthero, & aliis, qui quia gratiam Dei non habent, possent impossibile esse caste viuere: vt Bernardus libro de Præcepto & dispensatione tradit.

Hæreticos non esse castos.
Matth 25.
Extra Ecclesiam cur pauci verā castitatem & continētiam colāt.
Matt 19.
Cœlibat* hæreticis cur impossibilis esse videatur.
B Bern.

Quinto commendatur eorum vita ex eleemosynis, quas frequenter faciunt, & misericordia qua pauperum subleuant necessitates. Dicendum est, bonam partem eleemosynarum istorum ex prædis Ecclesiæ esse, & ob fauorem hominum conciliandum: & quia carnales sunt, tantum ventrē agnoscunt, non autem orationem & ieiunium, quo caro coercetur, & Dei fauor conciliatur, hinc est, vt eleemosynas cultui diuino applicatas non solum nō faciant, sed etiam rapiant. Cum tamen scriptum sit: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*: cum tamen in eleemosynis erogandis, non tantum humanam ad proximum misericordiam, sed etiam fidem, & purum ad Deum amorem protestemur. Ita vt Dominus die Dominico voluerit nos ab omni opere quiescere, vt lucro laboris propter se priuemur. & indicabat se velle adipes, & vinum & holocausta: & conqueritur apud Malachiam, mensam suam despectam. Quia boni Dei ministri, aut pauperes, aut patres pauperum sunt; noui vero magistri commoditatibus, & carnis licentia ad se trahunt; cum tamen bonum ex integra constet causa, ita vt Paulus dixerit: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* Et vt isti essent veri Pharisæi in spiritu; nihil aliud illis deerat, nisi vt iactarent suas elee-

V. fucus.
Hæretici quales faciunt eleemosynas, & quare.
Sunt Ecclesiasticarū eleemosynarum raptores.
Eccl. 34.
Die Dominico cur nihil operis faciendum mandato Domini.
Exod 20. Infra 29. Leuit. 3. Malach. 1.
Bonum est ex integra causa, vt tradit Philosophus.
1. Cor. 13.

mosynas, quæ carnem non lædunt, vt ieiunia.

VI. fucus.

Sexto, probabilis eorum vita redditur ex magnis persecutiooibus, quas ob Euangelium patiuntur, tum ab aliis, tũ à nostris. Respondemus, ooo esse beatos à Christo vocaros, qui simpliciter patiuntur, sed qui ob iustitiam, quæ solum in Ecclesia inueoitur: & in eo se egregios comprobant Christi cultores, quod non valentes simul honorem cum vita retinere, fugiunt vt transfugæ, & desertores: quemadmodum fecit Bernardinus Senensis, impius apostata, cui illud conneoit: *Fugit impius nemine persequente* Non sat igitur est pati, vt docet Augustinus sed ob iustitiam, vt dixi: quia alioqui Arrius Manichæus, Pelagius, Wicleffus, & Ioannes Hus, multa sunt perpessi.

Hæreticos nequaquã persecutiones pati propter iustitiam.
Matt 5.

Bernardinus Ochinus qualis Ecclesiæ transfuga.
Prouerb. 28
August l 5 contra Faustum c. 8. item to. 6. ante dimid.

VII. fucus.
Zelus hæreticorum qualis.
Mat 26.
Ioan. 8.
Leuit. 10.
Gal 1.
Act 8.
Ioan. 16.

Septimo, commendant vitam suam ex zelo, quo erga Christi gloriam afferendam inflammantur. Sed profecto einsmodi zelus falsus est, & similis illi Iudæ, qui zelabat propter pauperes vnguenti effusionem: *Vt quid*, inquit, *perditio hæc? potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus*; quo ita posset suæ consulere auaritiæ. Pharisæi quoq; zelabaot Legem contra adulteram; & Paulus Legem Moysis in persequendo Christum, & Iudæi qui arbitrabantur obseqniũ se præstare Deo, si Apostolos de medio tollerent. Quis igitur non miretur, zelum dici tantam in Religiosos Germaniæ crudelitatem, qua in eorum bona inuolarunt, & monasteria funditus euerterunt, & sanctimoniales Christi sponsas profanarũt? Quomodo etiam non zelant contra laicos, si vitia illis magis displicẽt quam personæ? Cur etiam ipsos Principes, & maiores non publice monent? Quare in nostros maiores publice debacchantur, eorum vitia perniciose in ostentum ponendo coram populo ad audienda maiorum suorum peccata satis propenso? Quare etiam sua oratione supra veritatem vitia exaggerant, & amplificant, gratias vero, & charismata, quæ per eos, licet malos, ad nos deriuantur, vt interpretationem, & Sacramentorum dispensationẽ, & alia permulta beneficia, non consulunt esse recipienda? Neque maiores à nobis potestate vlla sunt corrigendi, sed à Christo, qui Dominus erat, & Pharisæos reprehendebat: *Væ vobis*, inquit, *Legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ, &c.* Apostolos autem id nunquam fecisse legimus vel in Euangelio, vel in Actis. ¶ Ex charitate autem corrigi possunt à oobis pro tempore, & loco, & nostra etiam exiguitate considerata, vt monet Apostolus.

Zelum hæreticorum qualem experta sit misera Germania.

Hæretici in suos superiores quam contumeliosi.

Christi est Ecclesiæ rectores peccantes corrigere.
Luc 11.
Qua ratione à nobis corrigi valeant.
Gal. 6.

VIII. fucus

Octauo, frequenter prædicant, & verbum Dei interpretantur, & in Scripturas multa conscribunt. Quibus dicendum est, prædicationes eorum falsas esse: quia quomodo prædicabunt, nisi mittantur? & : *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Sunt præterea illorum conciones ad ostentationem nouæ doctrinæ suæ, & nihil aliud quam ipsos prædicant, hoc est, somnia sua & figmẽta, illisque loquacem suum spiritum nutriũt & animas auditorum illaqueant; & melius est tacere, quam male loqui.

Prædicationes Hæreticorum, Scripturæque interpretationes esse fallaces.
Rom. 10.
Ierem. 23.
Quo tendant Præstat tacere quam male loqui.

IX. fucus.
Mat. 12.

Nono, diligunt flagranti amore Christũ quem in lingua & scriptis frequenter habent; & ex abundantia cordis os loquitur. Respondeo, illos Christum nequaquam vere diligere, quia non imitantur eum nisi in fuga persecutioonum, & in eundo ad nuptias, & in eo quod comedebat & bibebat: vnde vorator, & potator vini dictus est: quia non habent veritatem, quam iactant se habere. Certe Montanum legimus se olim Spiritum sanctum vocasse; & Simonem Magum Dei virtutem; & Manichæũ Christi Apostolum: qui ratione isti noui seipsos euangelicos nominant; cum tamen Paulus non timuerit vincula, aut flagella pro Christo, nec faciebat animam suam pretiosiorem quam se? Quod igitur isti Christum non diligant, ex eo manifestum est, quia nec Sanctos suos, nec nos amant, nec verum illum antiquum Christum, sed quendam à se fictum, & vt lenonem suis concupisceotiis seruientem. Deinde, qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis: hi vero carni seruiũt, & nũquam non peccãt, vt suo dogmate tradunt. Tertio, quomodo isti diligũt cum scriptum sit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*; quem tamen isti impossibilem seruatu esse tradunt. Decimo, gloriantur de copioso fructu, quem in seipsis & in aliis proferunt: at certe mala arbor non potest bonos fructus facere. Respondeo: nisi Iudas, & qui prophetabant in nomine Domini etiam non missi, in aliquibus fructum protulissent, Dominus nequaquam illos permisisset, qui facit sibi seruire Beemoth & Nabuchodonosor: sed ille certe fructus per accidens est, vt Caiphas apud Ioannem profecit, eliciens bonum sensum contra eius mẽtem: sicut etiam Lutherus nesciens librum de Captiuitate Babylonica conscripsit, quo & aliis similibus, Iudam, id est, Catholicos multos captiuauit, & Ecclesiam suam præ confusione Babylonicam reddidit Quemadmodum etiam dæmones suis tentationibus, & persecutionibus nobis seruiunt, & prosunt: ita etiam hære-

Hæreticos falso Christum diligere.
Ioan 2.
Mat. 11.
Montani, & Simonis Magi, & Manichæi blasphemiæ.
Act 8.
Infra 20.
I. ta1.0.

Heretici qualem Christum ament, ac diligant.
II.
Gal. 5.

III.
Ioan. 4.

X. fucus.

Mat. 7.
Hæreticos Catholicis & aliis per accidens quidem prodesse, obesse autem per se.
Iob. 40.
Dan. 4.
Ioan. 11.
Quid suo illo à se conscripto de captiuitate Babylonica libr. Lutherus effecerit.

tici

1.Cor.11.

XI. fucus.

tici vel inniti nobis vsui sunt, iuxta illud Apostoli: *Oportet hæreses esse: vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Vndecimo: Habent multos sequaces, qui eorum disciplinam amplectuntur in tam exiguo temporis interuallo; Dei ergo opus esse videtur, qui non permitteret tam multos hæresi deceptos interire.

Hæretici cur multos habeant sectatores.

B.Hier.

Respondemus, plures esse præteritos omnes Catholicos, quam sint hi præsentes: vt Hieronymus egregie quodam in loco expendit, regnum Iudæ minus fuisse regno Israel; quod tamen plus durauit in horum typum. Neque mirum est, multos in eorum casses incidere: quia peccata nostra, & dæmonis potestas, & adulationes omnibus omnium hominum, etiã peccatorum, generibus adhibitę, magna vi eloquentiæ, & prætextu Scripturæ, in causa sunt, vt quibusdam persuadeant, quia induti vestes ouium, & malam nostram vitam cernentes, & coram aliis vrgentes, & successionem primitiuæ Ecclesiæ sibi affingentes, multum possunt ad persuasionem apud eos qui Scripturas, sanctos Patres non legunt, aut non diligenter inspiciunt.

Matt.9.

XII. fucus, in vita Catholicorũ culpabili.

Duodecimo, obiiciunt nobis malam vitam nostrorum, ex qua colligunt non esse in nobis Spiritum Christi, aut bonam doctrinam.

Confutatio.

1.Reg.19.

Mala vita à potestate & bona doctrina à Christo distinguitur.

Matt.23.

Mali etiã ministri propter Christum sunt honorandi.

1.Reg.9.

Horat.li.1. epist.11. in principio.

Respondeo, nõ omnes apud nos curuasse genu ante Baal: & qui sunt mali, non ex defectu doctrinæ mali fiunt, sed suo vitio, & mala voluntate. Praua etiam vita, potestatem, vel bonam doctrinam non impedit, dicente Domino: *Omnia quæcunque dixerint vobis seruate, & facite; secundum opera vero eorum nolite facere.* Honor etiam malis ministris propter Christum debetur, quem exhibuit Samuel olim Sauli Regi: & non vera, sed quãtum expediat cogitatio, de alienis vitiis, & maxime superiorum, cogitandum esset: & saltẽ ipsi sancti essent & pii. Sed vt ille dixit:

Seditione, dolis, scelere, atque libidine, & ira,
Iliacos intra muros peccatur, & extra.

Sed profecto de nullo vitio ipsi nos possũt reprehendere, in quo ipsi grauius peccare non deprehendantur. Bene enim quidam dixit:

Iuuen. sat. 2. initio.

Ioan.8.

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Et Dominus: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illum lapidem mittat.* Exaggerant nos auaritia corruptos, pecunia beneficia Ecclesiastica redimere: quod falsum est omnino. Sed etsi verum esse daremus, multo peius est, quod ipsi bona Ecclesiæ deprædantur, & rapiunt, seque sancte agere putant. Vocant nostros, concubinarios, & in omnem libidinem effrænes: ipsi vero summũ sacrilegium coniugii nomine prætexunt, honestantque, & vt Poeta Latinus dixit

Coniugia hæreticorum sacrilega.

Coniugium vocat: hoc prætexit nomine culpam.

Virg. l.4. Æneid. paulo remotius à principio.

Obiiciunt epulas delicatas & splendidas mensas, & comessationes. Sit ita: sed nostri agnoscunt se peccare; illi vero distendere ventres, & totos dies, & noctes compotare libertatem Christi vocant.

Hęretici crapulam & ebrietatem, Christianam libertatem impudenter appellãt.

Conqueruntur quod simus tenaces, nec faciemus de tot Ecclesiasticis bonis eleemosynas: at ipsi de rapinis & prædis Ecclesiarum, si quas faciunt eleemosynas, ipsi cum Pharisæo iactant.

Ecclesias depredantur, vt eleemosynas largiantur, & quidẽ ad ostentationem.

Luc.18.

Nostri Scripturæ non vacant. Sed deterius est, quod illi eas corrumpunt, & adulterant. Sed certe etsi minime vacarent, aliis tamen vt vacent, suadent; cum tamen illi omnem cultum euertant.

Scripturas deprauant atque peruertunt.

Nostros calumniantur, nullum edere fructum in animabus sibi creditis. At illi nocent grauissime, & in Christi gregem sæuiunt.

Hæretici seductores animarum & Dominici gregis (vt Christus dixit) sunt lupi rapaces.

Nostros incusant quasi adulatores Romani Pontificis. At illi plebibus, & Principibus apertissime assentantur.

Idẽ plebium ac Principum turpes assentatores.

Mentiuntur, & affingunt nobis idololatriam; cum ipsi sua somnia, & figmenta adoranda omnibus proponant.

Se produnt idololatras.

Denique quo plura, & magis horrenda nobis imponunt, eo magis prouidentiam Dei sugillant. Non est ergo talium eiicere à nostris oculis festucas, qui tot ac tantis trabibus oculos suos grauatos tenent.

Matt.7.

Trabes in oculis suis gestantes eiicere festucas de oculis Catholicorũ, contra Domini mandatum, nõ verentur.

Sed vtinam vel aliquãdo eiiciant, & sperandum est, quod tãta plaga, vt curabilior, medelam accipiat: sicut iam magna ex parte fieri videmus. Nam is est Ecclesiæ Dei præsens status & conditio, vt magna ex parte reformata, & in pristinum decorem restituta esse videatur, operante, & opem ferente Iesu Christo Domino nostro cum Patre, ac Spiritu sancto.

DISPVTATIO XI.

De Genere, siue qualitate Gubernationis, quam Christus in Ecclesia sua regenda ac moderanda obseruari voluit, an scilicet sit Democratia, an Aristocratia, an Monarchia: tractatione vero præsenti excluditur Popularis gubernatio, siue Democratia contra Lutheranos.

QVI Recte, & sapienter de rebus publicis bene administrandis, & gubernandis locuti sunt, & præsertim magnus ille philosophus Aristoteles in Politicis libris, tria tantum laudabilia gubernandæ Reipubl. genera posuerunt. Nam vel vnus Princeps regit, & dicitur Regnũ, seu Monarchia, vel pauci viri & optimates ad Reipub. gubernacula sedent, & dicitur Oligarchia,

Triplex ratio regiminis rerumpublicarũ idonea.

Aristot. l.3 Politico.c.5 & 2.

Monarchia, Oligarchia, vel Aristocratia, Democratia, quid.

vel Aristocratia; vel ipsamet multitudo communibus suffragiis seipsam gubernat, & dicitur Democratia. Et quanquam hæc tria pluribus modis commisceri inuicem queant: tamen quicunque modus ex prædictis tribus primas obtineat, ab eo reipublicæ formam, & rempublicam potissimum gubernari, & denominari affirmandú est. Regnum sæpe degenerat in tyrannidem: optimatum potestas in factionem: Democratia, siue popularis dominatio, in furoré, vel tumultum. omnium autem deterrima, & quæ omnibus prædictis opponitur, est

Anarchia quid.

Anarchia, vbi quisque pro libidine sua viuit, & nullo bono, vel malo regimine gubernatur: quod est pessimum gubernationis genus.

Dum igitur ex Scripturis aperte deducamus, aliquam esse Ecclesiasticam præfecturam, & sacrum magistratum, iuxta verba Christi ad Petrum pastorem, nempe, *Pasce oues meas, & agnos meos*: Et Pauli: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Rursus: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et iterú: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime autem qui laborant in verbo, & doctrina*: Iam iure quæritur, quodnam genus gubernationis istud existat. Protestantes, siue Lutherani sentiunt, politiam Ecclesiæ aliud non esse, quam ordinatam quã iam democratiam. Sic enim vocat illam Illyricus in sermone Sacrarum literarum. Contra vero Caluinus, plus optimatum potestati quã populari gubernationi tribuere videtur.

Ioan.21.
Act.20.
Heb. 13.
1.Tim 5.
Ecclesiæ regimen sit ne Monarchicum, an Aristocraticum, an vero Democraticum
I. opinio, Lutheranorum.
Illyricus
II. Caluini.

Et in Institutio cap. 8. artic.36. etsi velit plebem Episcoporum electioni interesse, & necessarium quendam assensum præbere; apertissime tamen testatur, in primitiua Ecclesia non plebem, sed solos clericos eligere solitos Episcopos: *Nec stulti,* inquit, *populi desiderijs obsequi necesse habebant*: & optime sancitum in Laodicensi Concilio fatetur, ne turbis electio permittatur. Vix enim vnquam euenire, vt tot capita vno sensu rem aliquam bene componant. Sic ille. At Catholici paternam quandam, benignam, ac lenem Monarchiã in Ecclesia constituunt, quæ optimates in partem sollicitudinis admittit. Hæc autem non est proprie dominium, quod tantum est in seruos, quibus herile est dominium: quoniam Dominus dixit: *Scitis quia principes Gentium dominantur eorum; & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos. Non ita erit inter vos*; & Petrus, *Neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo*; & Propheta reprehendit: *Cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Hinc Greg. in Pastorali: *Summus locus bene regitur, cum is qui præest, vitijs potius quam fratribus dominatur.* Et Bernar. lib. De consideratione: *Præsis vt prosis, præsis vt fidelis seruus, & prudens quem constituit dominus super familiam suam? Ad quid? Vt des illis escam in tempore. Hoc est, vt dispenses, non imperes. Hoc fac, & dominari ne affectes hominum homo, vt non dominetur tui omnis iniustitia.* Et paullo post: *Addo tamen & hoc: nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidiné dominandi.* Sic ille.

Laodicen. Concil.
III Catholicorum
Mat.20.
1.Pet.5.
Ezech. 34.
Greg. par. 2 Pastoralis cura c.6. circa med. to. 2. init.
Idem li 26. Moral. c.12
Idem to. 1. li.1. regist. & rursus epist.24. à med to. 2.
Summus locus quãdo bene regatur.
Bernar li. 2 De consider prope init.

Etsi ergo dominium duci non debeat: dici tamen potest sacra Præfectura, & Principatus Ecclesiastic. Principatus enim proprie inter fratres est, & primogenitus solet illum obtinere. Omnes autem fratres sumus in Christo, si ad illum conferamur: quanquam si inferiores componantur Pastori summo Ecclesiæ, filii sunt, oues sunt, subditi sunt. Videatur etiam seruitus quædam œconomi, qui præest toti familiæ. de qua Dominus; *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Est ergo conseruus, siue primus seruus, cui cura tradita est aliorum. Vnde etiã seruus seruorum Dei appellatur.

Præsit bene quis teste Bernar.
Luc 12.
Psal.118.
Veræ eius & propriç appellationes queuã sint.
Matth. 25.
Luc.12.

His breuiter constitutis, congrediendú in primis nobis est cum Hæreticis. Et primum quidem cum Lutheranis secularem statum statuentibus. Deinde cum Caluino ponente Aristocratiam. Tertio stabilienda Scripturis, Patribus, ac rationibus monarchia Ecclesiastica; quæ prçstantissimum est, vt dicemus, gubernationis genus.

Lutherani igitur, vt ab illis exordiamur vt quam minimum loci B. Petro, & eius successoribus relinquerent, ad totum Dei populum Ecclesiæ regimen transtulerunt. Quod cum duplicem sensum efficere possit; nimirum vt de toto populo Dei in vniuersum intelligatur, aut de eiusdem Populi Dei membris, ac partibus, vt Regibus, & Principibus: sigillatim in vtrumq; pugnandum est. Vt ergo in priori sensu positioné illam oppugnemus, præmittendum est: in regimine populari, sicut ratio, & experientia docet, nullus gerit magistratum, nisi qui ex consensu populi totius, vel maioris partis constituitur, & pro eius populi arbitratu remoueri ab eo potest, vel debet. Cũ enim totus populus dominari dicatur, & per se nequeat rectoris officio semper defungi, sed plerunque alijs artibus, & officiis vocare oporteat, saltem vt per alios eã prouinciam administret, necessum est, si ius suum retinere velit. Siue ergo populus ius per seipsum dicat, seu decernat, & delibe-

Ecclesiæ gubernationem nó esse popularem ostenditur contra Lutheranos.
Gerat magistratum quis.
Popularis magistrat⁹ gerendi necessitas.

rer

ret per alios, illi alii necessario debent ex eius voluntate ad id muneris obeundum vocari. Alioqui iniuria fieret ipsi populo, aut certe totius reipublicæ regimen penes populum iure esse non posset. Sed in Christi Ecclesia non omnes qui præsunt, ex voluntate populi Christiani aut solum, aut potissimum præsunt. Nam per suffragia populi non sunt electi Apostoli, aut septuaginta duo discipuli missi ad prædicandum. Nec Christianus populus vllum Sacerdotem, pastoremue gregis pro arbitratu suo remouere ab officio, vel dignitate potest: alioquin potuissent Galatæ, aut Corinthii apostolatu Paulum priuasse. At Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum ad Apostolatum accersitus fuit. Ergo gubernatio Ecclesiæ ad regimen populare non spectat. Dicere ergo, magistratuum Ecclesiasticorum creationem populi Christiani arbitrio committendam, perinde est ac si diceretur, hanc Ecclesiam, quæ iam diu in terris degit, non esse illam: quæ à Christo dum viueret constituta est atque gubernata, propter regiminis formam variatam: nec apud Philosophos eadem est ciuitas quæ à Rege, & illa quæ à populo gubernatur. Quare Domin⁹ ad visibilem corporis sui præsentiam compensandam, vicarium loco suo reliquit, per cuius ministerium ea disponeret quæ necessaria erant: cui etiam multos dedit socios, & consiliarios, vt olim summo Sacerdoti, quia vnus ad omnia sufficere non poterat. Idcirco Apostolo Petro adiunxit duodecim Apostolos. Cum non ergo regimen penes duodecim sit potius, quã penes populum totum. Sed sunt adiuncti Septuaginta duo, id est tot rectores, quot satis populo regendo per vniuersum orbem sunt necessarij, vt sit Ecclesia nostra Mosaicæ, ac primitiuæ persimilis? Affirmare igitur omnes Ecclesiasticos magistratus à populo Christiano eligendos, est tale regimen præscribere, cuius nulla forma in tota Christi vita præcessit, & nihil de ea in Euangeliis docetur. Ecce Ecclesiæ initium: videamus eius progressum.

Luc. 6.
Infra 10.

Gal. 1.

Cur Christus sibi in terra vicarium instituerit.

Deut. 17.

Triplici exemplo Ecclesiæ primitiuæ idem euincitur.
Primum.

Post Christi assumptionem Matthias annumeratus est cũ vndecim Apostolis: quis huius rei autor? Diuinus accidit, vt cum duo statuerentur, sors caderet super Matthiam. Sed Christo excepto (quem etiamnum fatemur omnia inuisibiliter gerere) quis dedit magnam huic negotio autoritatem nisi Petrus, qui exurgens in medio fratrum dixit, Iudam de gradu excidisse suo & alium eius loco substituendum? Quod vero consensu eorum qui aderant, Petrus sit vsus, nihil hoc in contrarium facit: quia nos neque quam negamus, quin is, qui vel suo iure, vel alterius mandato præest, subditorum consilium, vel consensum ad quicquid velit, adhibere possit. Cum ergo Deus ministerio hominum sit vsus, vel Petri solum, vel paucorum; constat vtroque modo præcipuum regimen non esse penes populum. Petrus ergo proposuit, & autoritatem rei dedit, prophetias in medium protulit: reliquus fidelium populus non indicauit de oratione Petri, sed paruit eius verbo; & statuit duos, quorum alter diuinitus est electus. Deus ergo præcipue Petri ministerio est vsus potius, quam turbæ: nisi forte maius non sit præire, quam subsequi: prædicare, quam audire; autorem esse, quam alterius autoritate niti.

Act. 1.

Act. 1.
Quare Petrus in electione Matthiæ, alio-rum etiam consensum adhibuerit.

Psalm. 108.

Si ergo ministerium Petri præclarius fuit, Ecclesiæ regimen non erit populare: cui⁹ enim ministerio magis vtitur Deus; per illum magis regit Ecclesiam suam. Idem posset ostendi in septem Diaconorũ electione, quæ habetur Actor. 6. Nam Apostoli conuocantes multitudinem discipulorum, iusserunt illis considerare viros boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, & sapientis, quos Apostoli constituerẽt sup ministerium viduarum: Apostoli præscribunt quid fieri debeat, & sibi potiores partes seruant, vt videlicet ipsi ab eis nominatos constituant super opus, ad quod eligebantur. Non ergo Ecclesiastici regiminis prærogatiua penes populum est.

Alterum exemplũ.

Act. 6.

Tertio, exemplo Pauli, & Barnabæ idem ostenditur. Dixit enim Spiritus sanctus: *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Ecclesia ex multis fidelibus constabat, & erant in ea prophetæ, & Doctores pauci. Si regimen Ecclesiæ esset democratia, Spiritus sanctus plus detulisset multis fidelibus, quã paucis: quia maior populi pars in pluribus continetur, quã in paucioribus. Sed nunc pauciores iubentur id facere, quod attinet ad rationem gubernandi: gubernatoris enim est, vel per se ipsum regere, aut alium, qui regat, mittere Paulus missus est ad opus Domini, vt ibidem subditur, vt in eo præstando autoritate maiori fungeretur: & missus est à prophetis, & Doctoribus, non solum præeunte reliqua Ecclesia, sed neque, vt suffragaretur, interrogata. Ergo in illis paucis positum erat (vellet ne, an nolit multitudo) consensum in magistratu creando adhibere, nisi quando mores eorum, quos missuri sunt, ignorabant, nec ab aliis, præterquã à plebeis hominibus poterãt eos cognoscere: tũc enim eorum testimonia requirenda erant. Quod

III.

Act. 13.

Rector vel per seipsũ, vel per aliũ regere debet sibi subiectos.

non

non fit ad autoritatem resecandam, sed ad securam conscientiam præsidentium, vt cito manus nemini imponant; & vt homines probatæ fidei, & vitæ in opus Domini mittant. Quomodo ergo Hæretici negata monarchia, & aristocratia, constituũt in Ecclesia democratiam? Nam illa forma eligendi ab Apostolis tradita, seruata est vsq; ad tempora Cypriani, id est, ad ducentos vsq; annos, vt docet idem Cyprianus in epistola ad lapsos: vbi per successionũ vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ordo decurrit: nec aliam originem Episcoporum nouit præter illam, quæ olim fuerat Apostolorum, quos Christus elegit: Apostoli constituerunt Episcopos, & Presbyteros. Nunquam ergo plebs Christiana in Ecclesia cœpit sibi eligere Episcopos, & Pastores, & maior Episcoporum collegio haberi. Nam etsi consensus populi exigeretur; ille tamen non efficiebat Episcopos, vel Pastores, vel Presbyteros, sed penes Apostolos erãt, qui imponebant manus Presbyteris, & qui præmitterent eos in opus Domini. Consecratio, & missio, sunt illa, quæ præcipue autoritatem præstant: & qui mittebantur à prophetis illis, & Doctoribus, dicuntur mitti ab Spiritu sancto. ¶ Idem dicendum de Tito, quem Paulus reliquit Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigat, & constituat per ciuitates Presbyteros: & Timotheo præcipit, *Manus cito nemini imposueris*: ergo potestatem manus imponendi habebat.

Quando ergo hæc Ecclesiastici regiminis ratio mutata fuit? nam penes Apostolos id ius remansit, & in Episcopos eorum successores, & non in populum deriuatum est. Et vt concedamus, adhibitum consensum populi semper fuisse (qui tamen non semper est necessarius) erat præterea impositio manus, & missio in opus Domini: quæ non fiebat à populo, sed ab eo, qui manus imponebat, aut mittebat, aut imponi, & mitti iubebat. Et vt sæpe Christus regnum cœlorum suam vocauit Ecclesiam, ita de Rege eius dixit, *Ego sum Pastor bonus*. Et dicitur Princeps pastorum. Ita Vicarius eius dicitur primus Pastor, & prim' minister. Quod vero totus fidelium cœtus non sit primus IesuChristi minister, nec primus magister, ex eo constat; quia Spiritus sanctus prius datus est Apostolis, & apertus illis sensus vt intelligerent Scripturas, & illis dictum est; *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: nimirum vt & ipsi alios possitis mittere, & per impositionem manuum consecrare. Primitias ergo Spiritus dedit Apostolis; & inter illos vni prius commisit claues, & primo illi tradidit ouium, & agnorum pasturam. Mini-

1. Tim. 5.

Quamdiu in Ecclesia, sine populi consensu Episcoporũ ordinatio perdurauerit teste Cypriano.

Cyprian. li. 5. epist. 6.

Luc. 6.

Act. 13.
Tit. 1.

1. Tim. 5.

Manus impositio, & missio in opus Domini ad quẽ tantum pertinuerit.

Ioan. 10.
1. Pet. 5.

Vnde manifestum sit, totum fidelium cœtũ non esse primum Ecclesiæ Pastorẽ atque ministeriũ.

Luc. 20.
Luc. 24.
Ioan. 20.
Rom. 8.
Mat 16.
Ioan. 21.

me ergo regimen Ecclesiæ ad Democratiam spectat. ¶ Et ne quis obiicere valeat, Christum dum vixit, fecisse quod sibi libuit, post mortem vero ipsius etiam Christo in cœlis agente, aliter esse ab eo in Ecclesia constitutum; audiat Apostolum: *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores, & Doctores, Ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi*. Dices fortasse, Christum dedisse, sed per Ecclesiam. Sed profecto si hoc verum esset, opus fuisset dicere, prius Christum dedisse Ecclesiæ, & per eam postea Apostolis, & Doctoribus. Ad hæc constat Apostolos à Christo electos, ac missos nulla interposita persona, cum insufflauit in eos, ac dixit; *Accipite Spiritum sanctum*, & cum dixit: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*: ita etiam, nullis interpositis, dedit prophetas, & pastores; vel si nõ per se immediate dedit pastores, & prophetas; nonnisi intermediis Apostolis: quoniam dixit, *Primum dedit Apostolos, deinde Prophetas, tertio Euangelistas, ac denique Doctores*. Vt ergo Apostolos per se, & non per Ecclesiam dedit, sic dedit pastores, & Doctores vel per se, vel non nisi per Apostolos, qui in Ecclesia perseuerant vsque ad seculi consummationem. Non est ergo regimen populare, sed vel paucorũ, vel vnius. Paucorum quidẽ, si plures pastores à Christo absq; vllo, qui sit eorum Princeps, dantur; vnius vero, si per vnius autoritatem interiectam dantur. Etsi enim plures ad Apostolatum per se vocauit Christus: sed ita, vt primum vocaret Petrum: & ipsis omnibus ita dedit potestatem clauium, vt eas vni Petro prius promiserit, Demum ita omnes misit in vniuersum mundum, vt prius soli Petro diceret, *Pasce oues, & agnos meos*. Etsi ergo omnes mitterentur: sed non absq; vllo prius inter eos capite, & Principe constituto, sed vna cum Petro Principe. ¶ Qui ergo à Christo mittuntur pastores absque intermedia Ecclesia, non subsunt fidelium multitudini in autoritate prædicandi, vel regendi, etsi ei subsint in volũtate eius qui iussit eos ministrare.

Subdit prædicto loco Apostolus: *Ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi*: Id est, Ad redintegrationem, & refectionem fidelium, qui absque pastoribus iacebant confracti, ac disiuncti: quo officio ipse Dominus dum viueret, functus est; & modo eandem consummationem per externam pastorum

Ephes. 4.

In illud. Christus dedit pastores & Doctores, sed per Ecclesiam.

Luc. 6.
Luc. 20.
Marc. vlt.

Mat. 28.

Regimen Ecclesiæ quomodo paucorum vel vnius dici debeat

Luc. 6.
Mat. 18.
Supra 16.
Marc. 16.

Ioan 21.

Ecclesiæ pastores quatenus plebi Christianæ sub dantur.

Mat. 20.

Cur Deus Ecclesiæ dederit pastores & Doctores, teste Apost.

Ezech. 34.

ope-

operam efficit, dum iacentes erigit, confractos consolidat, disiectos reficit. Quod si pastores ab Ecclesia mitterentur, & ab ea potestatem acciperent; illa deberet esse ipsis, & fortior, & solidior. Non est enim Apostolus maior eo, qui misit illum. Neque vero Christus pastores per Ecclesiam mitteret, nisi per eandem vires, robur, & Spiritum sanctum illis suppeditaret. Cum ergo pastores Ecclesiam stabiliant, consolident, ædificent, & in vnum veluti corpus perfectum compingant, insania est, Pastores Ecclesiæ multitudini subdere; & eos qui longius absunt à Christo, iis, qui fortitudinem ab ipso participant, præponere. Et subiungit Apostolus: *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam sub ministrationis.* Hoc est: Si totum corpus connectitur Christo, ergo ordine aliquo est constructum, & coagmentatum: at quomodo coagmentatur per omnem iuncturam, id est, vt animalis membra cũ alio membro? Caput ergo Ecclesiæ Christus est: non ergo pes, vel vẽter capiti coniungitur, sed interiacentibus aliis mẽbris, id est collo, pectore. Subdit: *Secundum operationem*: id est occultam quandam vim, quam Christus cuique membro subministrat; & non ex æquo; sed pro mensura cuiusque membri: alia enim mensura colli, alia pectoris, alia ventris, alia crurum, alia pedum, & alia digitorum.

Ioan. 13.

Christus Ecclesiæ coniungitur per eius pastores & rectores.

Quod si hæc connexio membrorum, & partium Ecclesiæ, quã pastores, & Doctores efficiunt, non fit ab ipso Christo immediate, & absque vlla re interiecta, sed fit ab illo per interuentum vniuersalis Ecclesiæ; efficitur, vt duplex Ecclesiæ corpus poni debeat, vnum incompositum, & cõfusum, quod nullos adhuc Doctores habeat, sed à solo Christo irrigetur (nam si Ecclesia pastores efficit, debet ipsa prius subsistere) ac deinde aliud erit Ecclesiæ corpus perfectũ ac pulchre dispositum, quod Christus per Ecclesiam suam secundario operetur. Et tunc absurda duo deducerentur: primum, quod secundaria Christi actio, quam per alium operatur, longe sit quam prima, nobilior, ac perfectior. Nam contendunt Hæretici, Christum per seipsum vniuersalem Ecclesiam regere, & per illam Episcopos cõstituere: perfectius est autem opus illud, per quod Ecclesia Presbyteros, & Episcopos accipit, quam illud, in quo iisdem caret. Deinde contrariæ, repugnantesque essent ipsius Christi actiones: nam primo genuit Apostolos, vt illi gignerent plures Ecclesiæ filios: nunc autem gigneret primum Ecclesiam, vt illa postea gigneret pastores, & Doctores. Ad hæc eo ire nunquam solet in vnum, vt pastorem vniuerso corpori, vel vni mẽbro præficiat. Quod ergo dicitur: Ecclesia genuit Episcopos in sedibus Apostolorum: intellige per interpositam Episcoporum autoritatem, qui manibus de more impositis eos sacrarunt, & ad pascendum Dei gregem miserunt: & tales sunt Ecclesiæ ministri, non ex Ecclesiæ, sed Christi institutione. Nec vllus vnquam Theologus grauis existimauit, Sacramenta Christi per Ecclesiam esse instituta, inter quæ Princeps quodammodo est sacer ordo. Et hactenus de primo sensu.

Si Christ⁹ corpori suo mystico per Ecclesiam, & non per eius rectores iũgeretur, quæ inde incommoda.

I incommodum.

Alterum.

At vero quia populi appellatione veniunt omnes laici, non tam qui aliqua Ecclesiastica gubernandi dignitate destituti sunt, sed etiam tam cæteri ciuiles magistratus, quã Principes, Reges, & Imperatores, qui nonnisi in Christianæ plebis numero censentur: ostenditur, plebem omnis tam sacri, quam ciuilis magistratus expertem, nullam Ecclesiæ gubernationem habere, ex tribus capitibus. Primum est, quia nullum tale regimen à Christo institutum reperitur. Deinde quia nullum regimẽ in vsu Ecclesiastico simile vnquam fuit. Tertium quia id genus regiminis minime omnium laudabile, ac minus præclarum existeret. Et idem postea dicendum de magistratibus Ciuilibus, & Regibus, & Imperatoribus.

Quod plebs Christiana omni vel sacro vel profano munere destituta, nullam habeat regendi Ecclesiã potestatẽ, triplici ex capite ostẽditur.

Primum sic ostenditur: Si qua esset in plebe Christiana potestas, illa esset à Christo profecta, qui solus est Ecclesiæ caput, & moderator: nec enim quisquam in mysticum Ecclesiæ corpus quicquam iuris habere potest, quod à Christo Ecclesiæ sponso non acceperit: alioqui hostis esset Sponsi, qui præter ipsius voluntatem in Sponsam cum Christo copulatam aliquid autoritatis sibi arrogaret. Vbi ergo iussit Dominus, vt plebs ad Reipublicæ suæ gubernacula sederet? Petrus quidem iubetur oues, & agnos pascere; sed nullibi oues, & agni iubentur aut seipsos, aut pastores pascere. Ouium est audire pastorem, & ipsum sequi: qui vero alterum sequitur, vel alterius vocem docentis audit, non præest, sed potius paret. Deinde oues quos pascerent? nonne oues gregis à pastoribus pascuntur? Et qui sunt greges nisi plebs Christiana? an pastores suos, vel seipsam pasceret? an non nouit se pascendam à suo pastore? Vbi ergo plebs ex vlla parte non dominatur, non est democratia, vt Hæretici vrgent. Ad hæc qui non potest pascere populum Dei, non potest eum omnino regere: quia certa pascendi ratio cum docendi,

I. demonstratio.

Ioan 3.

Infra. 21.

Supra 10.

Ezech. 34.

& ré-

Episcoporum adfuerunt, nullus vero pro vllo populo venisse legitur: & in Concilio

Act. 15.

Act. 15. Apostoli, & Presbyteri solum adfuerunt, nullus ex popularibus, vel ex aliis regionibus, vel ipsa Ierosolyma.

Concilium Ierosolymitanum Act. 15. qua ratione indicauerit solam monarchiam esse in Ecclesia.

Obiiciat aliquis, non conuocatos omnes Episcopos, vel Ecclesiarum rectores: Sed in eo omissio conuocandi siue laicos, siue omnes Episcopos, ostendit neque democratiam esse in Ecclesia, ideo prætermittuntur laici: neque aristocratiam, quia omissi omnes alii Episcopi. Nam etsi tunc Episcopi omnes vt ad Synodum venirent, inuitari possent: tamen quia ex Institutione Christi, Ecclesiastica gubernatio penes vnum supremum Episcopum est, ad Concilii iusti, & œcumenici perfectionem satis fuit, vt ille supremus Episcopus cum aliis Apostolis, & nonnullis Episcopis rem totam cognouerit, ac de illa definierit.

III. demonstratio.

Tertio non est hoc popularis regiminis genus in Ecclesia Dei constitutum, quia esset minus laudabile cæteris gubernandi modis, ac rationibus. Nam profani vrbium conditores, & legislatores nihil magis optarunt, quam vt eorum ciuitates perpetuo starent, ac florerent; & idcirco quam optimam potuerunt gubernationis formam illis tribuerunt. Dei ergo sapientia condens Ecclesiam, de meliori regimine illi prospexit. ergo democratia voluit gubernari, defendendum esset, illam gubernationem esse cæteris omnibus præstantiorem. Sed esset falsum, Caluinus ipse asseuerat. Ait enim in Institutione, cap. 20. *Procliuis est*, inquit, *lapsus à regno in tyrannidem; at non multo difficilior ab optimorum potestate in paucorum factionem; multo vero facillimus à populari dominatione in seditionem.* Sic ille. Christus non posuit in Ecclesia popularem dominationem: de qua aureum os Ioannis loquentis:

Caluin.

B. Chrysost. homil. 2. in Ioan. à medio tom. 3. initio.

Populus quid secundum Chrysost.

Si enim ab eodem magistratu, quid populus sit, percunctaberis: Quiddam, inquit, tumultus perturbationisq; plenum, è stultitia maiori ex parte constans, atque compositum temere, per maris fluctus varia, & pugnante sententia sæpenumero iactatum, Qui igitur sub eiusmodi dominij seruitio premitur, nonne omnium est sane miserrimus? Sic ille. Quis ergo affirmare valeat, Deum tale in Ecclesia regimen instituisse? Augustinus libr. De vtilitate credendi, declarat expedire, iustos gubernari per sapientes. Plutarchus in Solone autor est, Anacharsin, cum interfuisset concioni Atheniensium, quorum status erat popularis, & videret doctissimos, & grauissimos viros in hanc, vel illam sententiam dicere, & persuadere, conuersum ad Solonem, dixisse, Admirari se, quod apud Græcos sapientes

August. lib. De vtilita. tom. 6 prope initium. Plutarch.

dicerent, stulti vero iudicarent, id est populares in regimine positi. Nec valet quod obiicit Illyricus, vocẽ Ecclesiæ non quemuis confusum populi conuentum significare, sed ordinatum, & per suas classes distinctum, maxime apud Athenienses: vnde Apostoli Ecclesiæ nomen ad sacram politiam Ecclesiæ Democratiam ostendendam, in vsum suum vsurparunt, sed minime confusam, aut pulchro ordine destitutam. Sed mirum profecto, & incredibile, Apostolos Hebræos ad Atheniensium instituta spectantes, Ecclesiæ vocis vsum accepisse: probabilius multo est, illos Spiritu sancto illustratos, hanc vocem à Septuaginta interpretibus accepisse, cum Sacras literas Gentibus linguæ Hebrææ ignaris exponerent. Nam etsi Synagogæ vox frequentior, quam Ecclesiæ sit in Septuaginta interpretibus; tamen non infrequenter etiam nomen Ecclesiæ assumunt, nimirum quater: Deuteron. 23. vbi non significat popularem aliquem statum; sed eum, qui sub principatu Moysi degebat; & Saul 1. Reg. 17. *Nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio*, &c. & Salomon in dedicatione templi, frequentem populi, & maxime seniorum, conuentum nomine Ecclesiæ expressit: *Omnis*, inquit, *Ecclesia Israel stabat.* Ecclesia ergo non repugnat statui Regio, sed conuentum populi signat, siue is subsit Regibus, siue optimatibus, siue seculari statui. Etsi Ecclesia quemcunque populi conuentum, bonum tamen, & ordinatum, designet; tamẽ & confusum quoq; quandoque signat. Dicitur enim Actorum 19. *Erat enim Ecclesia confusa.* Nihil ergo solidi ex nomine Ecclesiæ accipitur ad stabiliendam democratiam. Quin potius cum Ecclesia primo ab euocando sit dicta; & is qui vocat, Deus est, & is, per quem nos vocat, est vnus Christus; & modus, quo euocamur, sit vna fides, & nexus, quo vocati iungimur, vt vnum corpus simus, & vnus spiritus; & eadem sit charitas, eademq; vocationis spes; & finis quo tendimus, sit vita æterna; rectius quis nomine Ecclesiæ populum, in quo vnus sit Princeps: designabit: quia omnis Ecclesiæ ratio ab vno principio profluit, vno vinculo legum continetur, ad eũdem tendit finem. Augustinus in Inchoata epistola ad Roma. *Ecclesia*, inquit, *ex vocatione, Synagoga ex congregatione appellatur: conuocari tamen hominibus conuenit; congregari, pecoribus.* Tusanus in lexico Græco obseruauit, Ecclesiam, conuentum esse eorum, qui non foris, sed intra ciuitatem habitabant Διάκλησις vero, conuentus est eorum, qui ex agris ad spectacula accedebantur.

Obiectiones in contrarium diluuntur I. obiectio.

Septuaginta viri Ecclesiæ voce tantũ quater vsi inueniuntur.

Deut. 23.

1. Reg. 17.

3. Reg. 8.

Ecclesia nõ semper ordinatum, sed confusum interdũ hominum conuentum significat.

Act. 19.

Ecclesia vnde dicta.

Ephes. 4.

Cui proprie multitudini Ecclesiæ nomẽ conueniat.

August. tomo 4. in fine.

Tusanus.

Ephes. 2.

Et sic nomen Ecclesiæ egregie quadratet nostris, qui sumus ciues Sanctorum, & domestici Dei; non iam amplius hospites, & aduenæ, & peregrini.

II. obiectio.

Secundo, non valet, quod vniuersam politiam describens, democratiam esse docet Illyricus, sed ordinatam, vt quæ vere suum Regem Christum, & suam aristocratiam Doctorum, ac præcipuorum membrorum habeat: de qua Actor. 20. 1. Cor. 12. & Ephes. 4. non valet, inquam: quia similitudo corporis humani, aut animalis, non est democratica, sed regia, & monarchica, in qua vnum denominatur, vel cor id sit, vel cerebrum; & omnia membra seruiunt communi corporis vtilitati; sed vniuersa reguntur ab vna mente, & ratione, quæ sola præsidet. Adhæc stulte asseritur, Ecclesiæ politiam ex Christo, & optimatibus, & ex tota plebe constare, & interim Christianorum plebem infimam ipsi Christo parem in aliqua gubernationis parte facere. Nisi enim in aliquo ciuitatis negotio tantum possit plebs, quantum non modo pastores, sed ipse Christus; frustra status Ecclesiæ vocatur popularis: neque vlla fuit Respublica, quæ saltem rectis legibus, aut bonis moribus regeretur, in qua gubernādi ratio non fuerit permixta. Quis enim Rex bonus caruit Senatu suo? & Senatores quid sunt nisi optimates? aut qui optimates, qui vel in constituendo magistratu, vel in exigendis tributis, vel in abrogandis legibus non aliquid loci plebeijs reliquerūt? Vt ergo monarchia, vel regnum vocatur, non solum vbi optimates, vel plebs omnino nihil possunt, verum etiam vbi Rex plus potest quam illi: & vt optimatum status dicitur, non vbi vulgus nihil potest, sed vbi summa rei paucis Principibus administranda committitur: Ita popularis status, non vbi Rex, aut nobiles nihil possunt, verum vbi plebs in aliqua gubernationis parte plus illis, aut non minus quam illi potest Iudicauit populus Roma. etiam sub Regibus, si quis à Decemuiris ad populum prouocasset, vt Liuius lib. 1. primæ Decadis refert; nec tamen propterea is status vocabatur popularis. In omni mixto statu id potissimum attenditur, quod cæteris antecellere videtur: cum ergo in Ecclesia vnus Christus, & vnus Vicarius præcellat, non potest dici, democratiam esse in Ecclesia.

In omni bene instituta Republica aliquam monarchiæ aut gubernationis speciē semper fuisse.

T. Liuius.

Quid in omni statu mixto præcipue soleat considerari.

III. obiectio.

Matth. 18.

Tertio arguit Illyricus: Iubet Christus, eum, qui nec fratrem admonentem, nec duos testes audierit, denuntiari Ecclesiæ, vt supremo tribunali; habent ergo laici ius cognoscendi caussas, & controuersias decidendi. Sed sane Christus per Ecclesiam intelligit, publicum Ecclesiæ forum: nam primū inter eum qui deliquit, & eum, in quem deliquitur, priuatim agi voluit, & famæ delinquentis parceretur: mox, si non emendatur, neque ex toto priuatim, nec hoc totum publice, sed media quadam ratione coram duobus vel tribus testibus agēdum esse. Quod si delinquens nec sic pœnitentiam agat, voluit ad publicum iudicium, & forum accurri, in quo præsides populo astante caussas cognoscunt, & sententias ferunt. Dixi, populo astante: quia præter eos, quorum interest adesse, nemo laicus potest arceri à loco, in quo publicum exercetur iudicium. Item interesse quidem iuri dicendo plebs potest, præesse non potest: etsi in caussis ciuilibus non omnis populus iudicet, sed contemptibiles qui constituuntur. ergo multo minus in caussis spiritualib. & Ecclesiasticis. Certe Chrysostomus in Matthæum interpretatur: *Dic Ecclesiæ*, id est præsulibus, & præsidentibus. Vnde sequitur: *Quæcunque alligaueritis super terram*: declarās per nomen Ecclesiæ, Apostolos, qui soli, & eorum successores poterant ligare & soluere. Imo ipsemet Illyric⁹ in sermone Scripturarum: *Nonnunquam*, ait, *Ecclesia videtur significare tantum ministros verbi, & Sacramentorum, & aliquos seniores: & intelligentiores secuti Chrysostomum Matth. 18. interpretantur dictum Christi: Dic Ecclesiæ. Sed tamen potest exponi de toto cœtu vnius loci, cum ei quid publice indicatur.* Sic ille. Sed certe de vnius loci cœtu dictum non pertinet ad omnium locorū cœtus: Nam Petrus cognito Ananiæ, & Sapphiræ mendacio, & voti violatione, homines castigauit, non expectato consilio, vel consensu cœtus illius. Et si Paulus Corinthium incestuosum excommunicauit; non tamen adhibuit Corinthiorum consilium, à quibus corpore aberat.

Quid Christus nomine Ecclesiæ cui frater peccans est denuntiandus, signficauerit. Ibid.

Chrysost. 61. in Mat. tom. 2. Matth. 18.

Illyricus.

Act. 5. 1. Cor. 5. 1 Cor. 13. Cyprian. l. 3. epist. 10 in fin.

Quod vero Cyprianus scribit: *A primordio Episcopatus mei statueram nihil sine consilio vestro, & sine consensu plebis, mea priuatim sententia gerere*: nihil euincit. Nam considera quæso in eius verbis differentiā inter presbyteros, & plebem; deinde inter Episcopum, & Presbyteros: Presbiteri dabant cōsilium, non tamen iudicabant, vel præscribebant præsente Episcopo; at plebs longe aberat à præsidentia, vt ne consilium quidem, sed tantū consensum præberet: ostendens licuisse sibi aliter facere, si voluisset. Erat ergo consilii, vt Episcopus nil faceret magnum sine Presbyteris, vel eorum consilio. Hinc Ambrosius in priorem ad Timotheum: *Et Synagoga, & postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur, in Ecclesia. Quod quâ negligentia obsoleuerit, ne-*

Quod ait Cyprianus nihil sine consilio, & consensu plebis sua priuatim sententia gerere statuisse, quomodo accipiendum.

Amb. in c. 5. 1. ad Timoth. eius 1. 4. circa fi.

scio, nisi forte Doctorum desidia, aut magis superbia; dum soli volunt aliquid videri. Hæc ille

IV. obiectio.
Actor. 14.
Supra 1.
Infra 6.
Cyprian.
Leo Magnus.

Quarto, scribit Lucas, presbyteros Christianorum suffragiis electos, & Matthiam, & septem Diaconos; & Cyprianus, & Leo testantur Episcopos à laicis electos: ergo regimen erat penes laicos. Sed etsi hoc illis daremus; non propterea tamen ex eo recte infertur, regimen Ecclesiæ fuisse populare. Nam in regnis aliquot Reges non succedunt per cognationes, sed eliguntur: vt fit in Polonia in comitijs nobilium, vel Plebeiorum; nec tamen is status est vel optimatum, vel popularis, quia qui eligunt, nõ tam eligunt vt regant, quam vt regantur. Sozomenus refert, Valentinianum iam recens ad gubernacula Imperii electum, ad milites vt alterum sibi Imperij socium, & comitem adiungerent, clamantes, respondisse: *Me ad imperandum penes vos erat eligere: sed cum iam à vobis delectus sim, consortem Imperij, quem postulatis, non in vestra, sed in mea solum potestate eligere situm est.* Ita dicendum, si laici eligerent Episcopos, eosdem post electionem factam regere Ecclesiam non posse.

Reges in Polonia non per successionem, sed per electionem fiunt.
Sozomen. l. 6 c. 6 in fin.

Diuinæ inter se, & humanæ electiones; quid differant.

Verum multum interest inter Diuinas, & humanas electiones. Illæ enim descendunt de cœlo, hæ oriuntur de terra. Illæ per Deum interueniente Christo primum, deinde Apostolis Christi, hæ vero per Deũ interueniente Gentium, aut Ciuili iure dispoununtur. Christus vero non legitur vel verbo, vel facto laicis dedisse facultatem eligendi Episcopos: nam ipse per se absque plebe elegit Apostolos, & septuaginta discipulos: post Christum mortuum Petrus, & Apostoli elegerunt Matthiam per se, & septem Diaconos: Paulus Titum reliquit Cretæ, vt constituat per ciuitates Presbyteros: Matthiæ vero electio primo Dei fuit, deinde Petri, penes quem ius eligendi erat teste Chrysostomo; nominatio vero totius multitudinis fuit: sicut Diaconorum electionem permiserunt Apostoli fratrum multitudini. ¶ Expectent ergo populi, id iuris sibi ab Episcopo concedi. Nam in Pauli, & Bratiabæ electione ad Apostolatum, populi consensus non est expectatus, sed in Diaconis illis ipsi Apostoli vsi sunt χειροτοioνία, de qua Apostolus: *manus cito nemini imposueris* ¶ Quod ergo Leo, & Cyprianus tradunt, in Episcoporum, vel Presbyterorum electione populi cõsensum exactum: id factum est ex decoro semper, non ex necessitate iuris Diuini, præterquam si ordinandi vita aliter sciri non poterat: nec etiam hodie aliter ordinatur Episcopus, vel Presbyter, nisi in conspectu populi, cui suus locus conceditur. Nec aliter intelligenda verba Cypriani: *Plebs maxime habet potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi.* (E. explicans seipsum subdit:) *Quod & ipsum videmus de Diuina autoritate descendere, vt Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus publico iudicio, ac testimonio comprobetur,* &c. Producitque exemplum Aaron, & Eleazari. Non ergo aliter modo necessarius est ad constituendum Episcopum plebis consensus, quam olim necessarius fuit: quia tunc res non pendebat ex populi consensu, sed ex Dei autoritate, qui voluit coram populo fieri, vt is non ignoraret quis esset Pontifex suus, & libentius ei pareret. ¶ Quod vero præsens esset populus consecrationi Episcopi, ex decoro, non ex necessitate fuisse, probat canon 13. Concilii Laodiceni, dicens non esse populis concedendum, vt electiones faciãt eorum, qui sunt altaris ministerio applicandi: non est autem probabile, contra ius Diuinum quicquam Concilium tale constituisse, quod constabat Episcopis sanctitate, & doctrina referussimis & qui cultores erant Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Luc 6.
Infra 10.
Act. 1.
Infra 6.
Tit. 1.
Chrysost. in Acta, ho. 3. ante med. tom 3. circa med.
Act. 13.
1. Tim 5.
Cyprian. li. 1. epist. 4. sub init.
Num. 17.
Infra 20.
Concil. Laodicenum.

DISPVTATIO XII.

In qua dißeritur, supremam Ecclesiæ gubernationem non esse popularem, in Imperatore, vel Rege, vel Magistratibus secularibus sitam.

Plebes Christianæ duæ.

QVONIAM duplicem esse constat plebem, alteram quidem infimam, quæ omni Ciuili, & Ecclesiastico caret Magistratu, alteram vero, quæ in Regibus, Imperatoribus, & omnibus Ciuilem præfecturam gerentibus consistit: sicut prior, ita & hæc posterior ab Ecclesiæ gubernatione repellenda est. Nam etsi vtraque potestas, & Ciuilis, & Ecclesiastica, sit à Deo, differunt tamen multipliciter. Siquidem Ciuilis à Deo est, sed per media, & instrumenta Iuris Naturæ, aut Gentium, aut per Ciuiles homines deducitur. Nam vt pater in filium & auus in nepotem aliquid iuris habet; hoc Deus pet ius Naturale effecit, quod habet. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Potestas dominorum in seruos, & regũ in subditos, à Deo per ius Gentium videtur instituta: nam ius integræ & incorruptæ naturæ nullum mortalis domini seruum, aut Regis terreni subditum agnouisset. Vnde nec ante, nec post diluuium vsque ad Nemrod, vlla Regiæ potestatis fit mẽtio: & ipse

Potestates ciuilis, & Ecclesiastica quomodo distinguantur.
I. discrimẽ.
Exod 20.
Regium dominium à Deo per ius Gentiũ naturale desecndere.
Gen. 10.
Nemrod Regium nomen & [no]men in mũdum prim° induxit.

Nemrod, cuius regni principium extitit Babylon, tanquam robustus venator coram Domino, vt potius rapuisse, quam diuinitus sorte consecutus videtur regnum & imperium. Certe Moyses Deuteron. 17. prædicens Iudæos aliquando sibi Regem opraturos, addidit: *Sicut habent omnes per circuitum nationes*: & ad Samuelem postulantes Regem Iudæi dixerunt: *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersa habent nationes.* Et infra. *Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes Gentes.* Ergo similes in Rege constituendo Iudæi Gentibus esse voluerunt.

Deut. 17.
1. Reg. 8.
1. Reg. 19.

Ex quibus colligi potest, potestatem quidem Regiam à Deo esse, sed non immediate, sed per interpositum ius Gentiū. Potestas ergo Regia, & Imperatoria, quæ in Ecclesia exercetur hodie, à Deo est per interpositum vel ius Gentium, vel Ciuile at potestas Ecclesiæ tota est à Deo nullo iure Gentium, aut ciuium, sed per mediatorem Iesum Christum, qui regnum suum vocat: *Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo*; &; *Non est hinc.* Est autem hic, quia non est de mundo natum, sed de cœlo venit: regnum vero terrenum & hic est, & hinc, vel ex hoc mundo.

Ioan. 18.
Regni Christi, & temporalis regni distinctio.
II. discrimē

Differunt quoque in fine: quia potestas ciuilis est, vt quietam, & tranquillam vitam hic agamus, Ecclesiastica vero ad aliam pertingit vitam; *Quæcunque*, inquit, *alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* ¶ Differunt ergo hæ duæ potestates non tantum origine, sed etiam fine, & vsu, vt insaniæ proximum sit illas confundere.

Matt. 18.

Triplicis erroris impugnationem continet hæc disputatio.

Verum in hac disputatione tres errores veniunt iugulandi. Primus est, Regiam potestatem in Christiano Principe, quauis Ecclesiastica potestate superiorem esse: quē Anglicani Protestantes tuentur: secundus, eorū, qui Regiam potestatem ad quasdam caussas Ecclesiasticas iure cognoscendas, & decidendas extendunt: tertius eorum, qui putant, Principem Christianum saltem in omni negotio ciuili, atque in suo regno semper, & sine omni exceptione, quouis Ecclesiastico magistratu superiorē esse, nec ob vllum peccatum posse ab administratione repelli.

I. erroris cōfutatio.

Quod igitur Christianus Princeps supremum Ecclesiæ caput in regno suo, aut in Ecclesiasticis caussis gubernator immediatus sub Christo esse non queat, probatur multis modis. In primis, supremum alicuius Ecclesiæ caput, aut gubernator omnia illa potest, quæ inferiores omnes magistratus possunt: vt Imperator quæ Con-

I. ratio.

sul, Legatus, Tribunus, Centurio, Decanus igitur in quolibet regno multi debeant esse ministri ad prædicandum, baptizandum, conficiendam Eucharistiam, & peccata remittenda, vel retinenda; supremus Ecclesiæ Gubernator tanta potestate præditus esse debet, vt possit hæc omnia præstare. Rex autem secularis, etiāsi Christianus existat, non potest ex vi Regiæ suæ potestatis hæc efficere, vt cōstat. Nam alioqui mulier posset docere in Ecclesia, Sacramenta dispensare, peccata remittere, quia potest succedere in hæreditatem regni, vt Holda, Debora, Athalia, Alexandra teste Iosepho. Et idem de pueris dicendum esset, si quando parentibus succederent: vt Ioas cœpit regnare anno septimo. Puer autem, propter iudicii defectum, mulier propter sexus imbecillitatem ad verbi Dei prædicationem, aut Sacramentorum dispensationem non admittitur, cum doceat Apostolus: Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse. Turpe enim est mulieri loqui in Ecclesia. Et alio loco, *Quanto tempore hæres paruulus est, non differt à seruo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre.* Cum ergo in regni iure eadem sit caussa viri, & fœminæ, ac pueri, de paribus autem caussis idem iudicium sit ferendum, & constet nec puerum, nec fœminam præstare posse quæ in Ecclesia fiunt; ergo nec virum Regem, qui nihil sit aliud quam Rex. Quomodo ergo summus erit Ecclesię Gubernator, qui alium in Ecclesiastico ministerio superiorem habet; aut quomodo non habet alium supra se, qui per ius Diuinum ab eo implendo arcetur? Non est tui officii Ozia, vt adoleas incensum Domino: quo non cessante, orta est lepra in fronte. Deinde non est maior Regis Christiani potestas quam olim in lege fuit, sed Rex in lege nō poterat munera Sacerdotis præstare, non enim populus noster vilior est Iudaico, imo nobilior, quem Christus de suo nomine denominari voluit Christianum: ergo Rex Christianus minus potest in populum Christianum, quam olim posset Rex Iudæorum in Iudæos, quia illic vmbra, hic rerum imago: & vt veritas imagine, ita imago vmbra est maior. Erat & olim minor potestas populi Iudaici, quā solius Regis Iudaici, vel summi Pontificis; ergo & modo maior erit populus Episcopus, Rege Christiano: quomodo ergo immediatū caput erit Ecclesiæ Christian. Rex qui est & Episcopo, & populo minor; Nā vt inter Christū & Regē est ipse populus Christian. intermedius, ex quo deriuatur potestas

1. Cor. 14.
4. Reg. 22.
Iudic. 4.
4. Reg. 11.
Ioseph. l. 13. Antiq. c. 14 seu 21. in fi.
1. Cor. 14.
1 Tim. 2.
Pueri, & mulieres ad Ecclesiastica munera cur non fungantur inepti.
Gal. 4.
2 Paral. 26
II. ratio.
Act. 11.
Populi Christiani cum populo Iudæorū contentio.

Regia; ita rurſus inter populum Chriſtianum, & Chriſtum, eſt Epiſcopus velut inferior Chriſto omnium Rege, & maior populo & Rege Chriſtiano. In ſacrificiis pro ignorantia Leuit. 4. ponitur hic ordo peccantis ſummi Pontificis, vel totius populi, & Regis, ſiue Principis vel priuatæ perſonæ. Et primi duo afferunt pro expiatione vitulum tertius arietem, priuatus capram. De quibus Philo libro de Victimis ait: *Decebat Principem priuato homini præferri vel in ſacrificio, ſicut Principi populum, quandoquidem totum eſt ſua parte potius; Pontificem vero æquiparari popu'o in expiatione, impetrandaque peccatorum venia. Habetur autem is honor Pontifici non propter ipſum, ſed quia miniſter eſt populi, publice vota faciens ſoluenda totius gentis nomine.* Sic ille. Pontifex autem Chriſtianus, vel Epiſcopus, eſt quidem populi, ſed non ſolum, ſed etiam Dei, ac prætereaChriſti figura: ita Sacerdotes Legis, quatenus miniſtri populi, minores erant populo: at in quantum miniſtri Dei, & Chriſti typus, maiores Ioſephus in Antiquitatibus ſcribit. *Principes quoque cum pro peccato ſacrificant, eadem quæ plebeij offerunt: hac tantum differentia, quod victimas adducunt, taurum; & hœdum maſculum.* Hæc ille, inſinuans priuatos offerre vaccam, & capram, non taurum, & hœdum. Theodoritus etiam in Leuiticum docet, quanta ſit Sacerdotij dignitas, quam vniuerſo populo parem facit. Principem autem, qui prætergreſſus fuerit Legem aliquam, non vitulum, ſed hircum, aut caprum anniculum offerre iubet. Tam procul abeſt à dignitate Sacerdotali is, cui corporeum regnum eſt commiſſum. Idem annotat eodem loco Procopius Gazæus. Nec obſtat, Salomonem benedixiſſe Eccleſiæ, vel Synagogæ, nec poſſe ſolui Scripturam, quæ docet, minorem nonniſi à maiori, vel meliori benedicendum. Reſpondeo enim, Salomonem duplici perſona ornatum fuiſſe: & Regia ſcilicet, in qua popul⁹ minor erat, & Prophetica, in quo inſignior eſt Chriſti miniſter, quam vt Regiam dignitatem: atque ea ratione maior fuit illis, quibus prophetauit, ac potuit benedicere. At Sacerdotis munus proprium eſt benedicere tum Regi, tum vniuerſo populo, qui Rege eſt maior. Vnde Samueli dixit Dominus: *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Etſi enim Regibus regnantibus regnaret Deus: expreſſius, & ſignificantius regnare viſus eſt, ſi populus alicui Prophetæ, vel Sacerdoti obediret. Sacerdos enim magis Deum ſuum, cuius eſt miniſter in gubernãdo, exprimit, & repræſentat, quam Rex, cuius nomen ad populum quem regit, potius, quam ad Deum, cui ſubeſt refertur. Quare Sacerdotis inſtitutio, à Deo beneplacito, & gratia orta eſt; Regis autem dignitas non niſi ad populi petitionem ab irato Deo conceſſa. Merito Regis, quam populi minor ratio habetur: tum quia Rex tantum populi cauſa; tum quia tantum ad populi petitionem conſtitutus eſt. Sacerdotes autem etſi populi cauſa; magis tamen ob Dei honorem, & ex gratuita Dei miſericordia.

Philo part. 2. circa med.

Ioſeph. li. 3. Antiq. c. 10 ſub init.

Theod. q. 1. in Leuit. prope fin. p. 2 ſub ini

Sacerdotii dignitas, & excellentia

Procopius Gazæus in Leuit.

3. R. g 8. Heb. 7.

Qua ratione Salomõ populo Iudæorum benedixerit, cum eo minor eſſe.

Sacerdotis eſſe & Regi & populo benedicere

1. Reg. 18.

Sacerdos, quam Rex aut populus Deum perfectius repræſentat.

Aliter Deus Sacerdotem, aliter Regem inſtituit.

Quod ſi Epiſcopi non ſunt minores Leuiticis Sacerdotibus, ſed digniores; qualis erit Rex, qui ſeipſum præferat, vt immediatum caput ſub Chriſto? Quod ſi miniſtros ſupra ſe non agnoſcit, non poterit ab eis benedici, nec per conſequens Spiritum ſanctum participare. Præterea, Dauid ait: *Et nunc Reges intelligite; erudimini qui iudicatis terram? Seruite Domino.* Si ergo Regum eſt erudiri, ergo & ſubeſſe: nam qui eruditur ab alio, eius eſt diſcipulus; at diſcipulus non eſt ſuper magiſtrum. Et cum Chriſtus dixerit: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, gentium nomine etiam Reges earum intelligit; at Epiſcopi Apoſtolis ſuccedunt, quomodo ergo Rex Epiſcopi caput eſſe poterit? Adde, quod Eſaiæ 49. prædixit Propheta, Reges fore Eccleſiæ Chriſti nutritios, & vultu demiſſo adoraturos illum: *Et ſcies, ait, quia ego Dominus*: hoc autem verum eſt ſignum dominii, in nobis Chriſtum regnare, ſi tãtum deferamus, vt palam fiat miniſtros Eccleſiæ maiores eſſe Rege & Regina. Alioqui ſi Rex ſedeat vt ſupremum caput Eccleſiæ & adorari ſe ſinat à Doctoribus, & Epiſcopis, quomodo intelligemus Deum in nobis regnare, aut Reges Eccleſiam adorare? Maius enim magiſterium quam Sacerdotale, nec Auguſtini iudicio, in vita eſſe poteſt. Moyſes Aaron conſecrauit, nec tamen dicitur Sacerdos, qui reuera erat. Vnde Dauid: *Moyſes inquit, & Aaron in Sacerdotibus eius.* Vbi Auguſtinus ait: *Si hoc* (ſcilicet Sacerdos) *Moyſes non erat, quid erat? Nunquid maior Sacerdote eſſe poterat?* quaſi dicat, nihil Sacerdote maius in hoc mundo eſſe poſſe. Quomodo ergo Rex ſupremum regni caput erit?

Pſal. 2.

Mat 10. Infra vlt.

Eſai. 49.

Vnde manifeſtum ſit Chriſtum in nobis regnare.

Aug. in Pſ. 86. à med. t. 8.

Exod. 40. Leuit. 8 & ſeq.

Pſal 98. Idem ibid.

Sed hoc illos decipit, quod ſit Rex Chriſtianus, & Chriſtianis præſit. Sed nolunt ſcire, vtrum Chriſtiano præſit quatenus homo eſt, an quia Chriſtianus. Nam Rex quidem præeſt Chriſtianis, ſed non vt Chriſtiani, ſed vt homines ſunt. Quod ex eo liquidum redditur, quia ſæpe Rex Chriſtianus præeſt, etiam non Chriſtianis præeſt, vt Iudæis, Saracenis, Paganis; idque tantum ob id, quod Reges

Reges quatenus Chriſtianis præſint, quatenus vero Epiſcopi.

sunt. Episcopi vero sic præsunt Christianis, vt vllis aliis præesse tanquam Episcopi nequeant. *Quid enim mihi*, ait Paulus, *de ys, qui foris sunt, iudicare?*

1. Cor. 5.

Cum ergo imperium Regis ex æquo ad omnes homines, Episcoporum vero principatus ad solos Christianos porrigatur; ipsa res clamat, Regem nobis, vt homines sumus, Episcopum ob id quod Christiani sumus, præesse. Denique conditio Christianitatis humanam longe superat naturam: at quo sensu præditus esse potest, qui anteponit rectorem corporeæ, & animalis naturæ Episcopo, qui vigilat pro nostris animabus, vel qui soluit & ligat peccata?

Christianitatis conditio qualis sit.
Heb. vlt.
Matth. 18.
Ioan. 20.
Aug. e. 2.

Quod vero Christiani Reges terreni sint, indicat Augustinus epistola quadragesima octaua, vbi Donatistas ab Episcopis iudicibus ad Constantianum appellantes, dixit illos accusasse datos sibi Episcopos iudices apud terrenum Regem. Sic enim vocat Constantianum Magnum insignē fidei pietate virum. Et Ambrosius cum intelligeret Flauianum, qui Episcopatum Antiochenum ambiebat, ad Theodosij opem confugisse, scripsit. *Frustra ergo tantorum Sacerdotum fusus labor, si iterum ad huius seculi iudicia reuertendum.* Sic ille, vocans Theodosij maioris Christianissimum tribunal, huius seculi iudicium. Ad modo nouum dogma omnem Regem in suo regno supremum esse Ecclesiæ caput, & immediatum sub Christo asserit; quod tamen ignorauit Constantinus, Theodosius, imo vel Constantinus ille Arrianus; qui reprehensus à Leontio Tripolis Lydiæ Episcopo (vt testis est Suidas in Leontio) obiecit ille, quod ea in causis spiritualibus diiudicandis tractaret, quæ ad solos Episcopos pertinebāt. Et Constantinus in Concilio Niceno respuit oblatos libellos, dicens non esse sui muneris deos (id est Sacerdotes, vel Episcopos) iudicare. ¶ Quod vero nullus Rex, vel Ciuilis magistratus in causis Fidei cognoscendis, ac decidendis quicquam iuris sibi vendicare possint, facile est ostendere.

Regiam potestatē Christianorum Principum esse terrenam, & secularē.
Amb. li. 10. epist. 78. 10. 3 propesin.
Suidas.
Nicenum Concilium

Sed iam secundum aggrediamur contra eos, qui putant, Reges non quidem Ecclesiarum, in quibus regnant, esse præcipua capita, sed tamen in quibusdam causis spiritualibus, & Ecclesiasticis membra æque digna esse, atque sunt Episcopi. Nam etsi in docendi munere Episcopos Regibus anteponant; at in aliis, vt in deponendo Episcopo de sede, & in moderanda aliqua synodo, Reges Episcopis præficiunt. Verum si veritatem amamus, mera est hæc hæreticorum adulantium Principibus techna; & Reges longe absunt à diiudicandis causis Ecclesiasticis, vt illis ab Ecclesiasticis iudicibus cognitio talis ne committi quidem possit, etiamsi facti alicuius, quod ad Ecclesiasticum aliquem spectet, cognitio Regibus, vel Magistratibus mandari possit. Non est tamen negandum, quin Reges interponere autoritatem suam valeant, vt locus quietus, vbi iudicent Episcopi, concedatur, vt Episcopi certo die ad eum locum conuocentur; & vt, dum causa Ecclesiastica cognoscitur, pax publica in ipso Sacerdotum consessu conseruetur; & vt causam cognitam, & iudicatam executioni mandent, si quisquam illi reluctetur.

Secundi erroris confutatio.
In eos qui Regiam potestatem in causis spiritualib. & Ecclesiasticis diiudicandis Episcopalis su-periorem, aut parem certe constituunt.
Regib. quatenus liceat Episcoporum iudiciis interesse

At hæ sunt Regum partes circa iudiciū Episcopale. In ipso vero munere iudicandi nihil plus possunt Reges, quam priuati: nam vtrique recte & consilium impertiri, & si quid videatur, ostendere valent; neutri vero quid ius diuinum, vel Ecclesiasticum in ea re statuat, definire queunt. Nam quæ Dei & Ecclesiæ sunt, aliter homines tractare, aut disponere non valent, quam illi soli, quibus Deus talem autoritatem concessit. Causæ autem Fidei maxime omnium Dei sunt, quia fides est maxime necessarium Dei donum, quod nullus homo natura vel arte comparare sibi valet. Causæ vero fidei non possunt ab aliis, quam ab illis, quibus Deus id concessit, decidi. Sunt siquidem quidam agni, quidam oues, pastores, & doctores, per quos inferiores docentur, ne circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum: pastores vero indicant quid ouibus sit salutare, & quid noxium. Nam oues pari potestate cum pastoribus præditas esse concedere, est tollere discrimen inter oues, agnos, atque inter pastores, est velle omnia confundere, & inuicem miscere. Reges ergo, & Magistratus si tanquam oues in Christi grege habentur (sicuti reuera sunt) vna cum pastoribus non iudicant. Porro si habentur vt pastores, quæro, vnde probetur, Christum illud ius eis contulisse? Quid enim habet homo quod non acceperit? Certe vt Christus antiquam regiam potestatem de iure gentium introductam non abstulit, nec imminuit, ita nec nouam eis oues pascendi potestatem contulisse videtur. Certe de iure diuino illam non habent, quia Christus tantum dixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*, id est, Regibus tributa pendantur, & oretur pro Regibus; vt tam Regi, quam ducibus ab eo missis obtemperetur, & vt omnis potestas à Deo promanere agnoscatur; & quod non sine causa gladium ponat.

Eorum in causis spiritalib definiendis sententia nulla est.
Ephes. 2.
Ad solos Ecclesiæ pastores spiritualium causarum iudicium pertinere.
Ioan. 21.
Ibid.
Ephes. 4.
Ibid.
Reges, & Magistratus seculares non esse Dominici gregis pastores, ostenditur.
1. Cor. 4.
Mat. 22.
Quid sit reddere quæ sunt Cæsaris, Cæsari & quæ sunt Dei, Deo.

Rom. 13. 1. Tim. 2. 1. Pet. 2. Rom. 13. Ibid.

Sed in his nihil est quod iubeat de Ecclesia Christi disponere, vel causas fidei sibi arrogare. Cum ergo iure diuino Rex nihil in his causis habeat: sequitur, vt quicquid Rex potestatis habet, illud iure naturæ, vel Gentium, vel Ciuili habeat. Ex tali vero iure nullam potestatem habet in res fidei, vel in personas, vel actiones Ecclesiæ: quia tantū est potestas in illa, quæ cadunt sub iure nostro: Res vero Ecclesiasticæ in immensum excedunt potestatem iuris naturalis, Gentium, & Ciuilis. Ex quibus tribus constat, ius Naturæ & primum, & maximum esse. At nec illud cum in terris ortum sit, in Christi mysteriis, quæ de cœlo ducunt originem quicquam statuere potest, maxime post peccatum Adæ, & naturæ corruptionem, ita vt ab eo tanquam ab arbore mala bonus vllus prodire censeri valeat: nec animalis homo (quales omnes natura sumus) percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Iudicare vero de Ecclesiasticis causis, maximum est Christi donum: ad quod præstandum claues reliquit, confirmandi fratres, & pascēdi oues potestatem, atque docendi. Qui enim ligat & soluit, prius cogitat an sit soluendum, vel ligandum: maximas quoque res aggreditur. Cum ergo potestas tam cœlestis non possit ex naturæ corruptæ principiis oriri: sequitur, quod à gratuita Dei voluntate oriatur, quæ in Nouo Testamento partim scripta, partim non scripto iure decreta: & neutra illa Regibus conuenit: nec Apostoli regulam vllam tradiderunt, secundum quam Reges Christiani facti de rebus fidei & Ecclesiæ, vel cognoscerent, vel iudicarent.

Regia omnis potestas vnde dependeat

Ecclesiasticæ potestatis dignitas & excellentia.

Matth. 7. 1. Cor. 2.

A Christo cur data sint claues. Matt. 16. Luc 22. Ioan. 21.

Sed contra hanc solidam veritatem scio multa obiici posse, quæ tamen diluenda sūt diligenter, & refellenda. Primo ergo opponitur, Reges in veteri Testamento tum præscripsisse Sacerdotibus quid in rebus sacris gerere debebant; tum negligentes Sacerdotes à ministerio abdicasse. Respondetur: vbi id euenisset, mirum esse nō debere, quia synagoga Iudæorum etiamsi aliquos iustos contineret, tamen dicebatur terrenum potius, quam cœleste regnum: adeo, vt Augustinus dubitet, num in veteri Testamento nominetur cœleste regnum nedum in mercedem promittatur. Idcirco ea quæ gerebantur, prænuntiabant res diuinas (vt Lex ipsa spiritualis erat, & vmbra futurorum) verum ipsæ res in se perinde diuinæ non erant. At nostræ adeo sunt diuinæ, vt Paulus gloriam synagogæ nullam omnino fuisse iudicet præ magnitudine gloriæ, & ministerii noui Testamenti. Itaque cum populus Dei constet corpore & animo: carnalis pars in veteri populo primas tenebat, & ad spiritualia significanda constituebatur. Vnde vt in monte Sinai ignis accensus, turbo, caligo, procella, & tubæ sonus, & vox verborum erant ex terra, & carnalia; ita in Nouo omnia sunt spiritualia. Ibi etiam regnauit timor seruilis, & gladius corporeus; hic autem amor intimus, & gladius spiritualis. Vt ergo templum excisum, Lex abolita, ordo Leuitarum abrogatus, ita & illa Leuitarum, & Sacerdotum ad Reges subiectio.

Quæ in oppositum obiectiones huius, diluuntur. I. obiectio.

Dis ex veteris Testamenti & noui discrimen.

Aug. Lib. contra Faustum, c. 31 in princ.

Heb. 10.

2. Cor. 3.

Exod. 19. Infra 20.

Alterum discrimen. Rom. 8.

II. Obiect.

Secundo opponitur: Si quæ in Lege fiebant, non licebat ad Noui Testamenti tempus trahere, quomodo Papistæ à Pontificis Romani primatu ad exemplum vt ius Leuitici pontificis, & pro externo sacrificio ad vetera sacrificia confugiunt? Respondetur: quicquid in Lege perfectum fuit, id in Ecclesia magis exhibere debemus, cum hic status illo sit perfectior: secus in imperfectis Sacrificare vero externus, perfecta res est; ideo non solum in Moyse, sed etiam in Naturæ Lege fuit. Perfectionis etiam fuit vt vnus populus ab vno Pontifice regeretur sic enim & finis litibus imponebatur, & pax in populo obseruabatur. Modus autem sacrificandi per cruorem pecorum, & ignē externum, imperfectus erat; & modus successionis Pontificum per carnis propagationem, imperfectum quid erat. Imperfectis ergo abiectis retinemus perfecta in vtroque: non illo genere, & ordine, sed sublimiori.

Legis Moysi perfectiora, ablatis imperfectis, excellentiori etiam ratione imitatur, & perficit Lex Euangelica. Deut. 17. Quænam imperfecta illius Legis extiterint in ritu sacrorum.

Quod autem in negotiis Ecclesiasticis procurandis maior Rex Pontifice haberetur (si sic vnquam fuit) magnæ imperfectionis fuisset. Tum quia Sacerdotium antiquius est iure Regio, quod natum est circa diluuium; Sacerdotes vero etiam ab initio fuerunt. Deinde, necessarium prorsus erat Sacerdotium, vt non deesset æterni Christi Sacerdotii figura in populo; cum tamen populus Dei posset Rege carere, & Deus ipse regnaret tempore Samuelis. Adhæc Rex ad petitionem populi concessus est, vt iret ante eos in bellum, non vt causas Ecclesiasticas decideret, quibus prius per Prophetas præerat. Præterea, Regiæ potestati debebāt Iudæi diuisionē regni in duo regna, & captiuitates in Assyriam, & Babyloniam: à qua reuersi, non iterum sibi Regem, qui maior esset Pontifice, sed ducem cooptarunt, qui non minus posset in profanis, quam Pontifex in sacris. Amplius illud primarium dixerim, quod Christus in hoc seculo elegit: quia vt Sacerdos præesse voluit, non profanis, vt Rex terrenis: ideo recusauit regnum oblatum à turba; &

Iudæos si Regi plusquam summo Pontifici in rebus spiritualib. detulisset vehementer errasse. I. ratio. Gen. 10. II. 1. Reg. 8. Ibid. III. IV. V.

Ioan. 6. Luc. 12.

dixit: *Quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos?* Noluit ergo regnum administrare seculare, vel temporale; bene spirituale, quod concurrit cum Sacerdotio. Postremo

VI. ac postrema. *Deut. 17.*

Moyses Deuteron. 17. præcepit, vt Rex describat sibi Deuteronomium Legis suæ, accipiens illud à Sacerdotibus transcribendum: si ergo à Sacerdotibus illud debet accipere, quomodo in eo interpretando Rex Princeps esse poterit? Nam qui libet magistratus à Rege gladium petens, testatur eo ipso Regem in iure gladij esse seipso maiorem. Eodem modo cum Rex a Sacerdote exemplar diuinæ Legis accipit, testatur Sacerdotes in illo interpretando se esse maiores.

III. obiect.

Tertio arguunt: Cum Moses esset legislator, & princeps non solum totius populi, sed etiam Leuitarum omnium, & Sacerdotum, tamen summus pontifex non fuit: quẽ honorem fratri deferens, præfecit illum velut politicus princeps. Sed certe si Moyses, cum Legem tulit, principatu vsus est terreno, vtique ad Regem Iudæorum etiam pertinet, Sacerdotibus mitras imponere, eorum manus initiare, Pontificem induere, altare vngere, sacrificium offerre, & docendi munere defungi: nam hæc omnia fecisse Moysen legimus Exod. vigesimo octauo, & vigesimo nono. Sed hæc non sunt Regum, vel Pontificum: quare vt Propheta, & Sacerdos Dei hæc perfecit, de quo Dauid, Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius.

Exod 28. Leuit. 8. & sæpe alias.

Moses quatenus vnxerit Aaron in Sacerdotem, & consecrauerit. Propria Pontificũ. *Psal. 98.*

IV. *2. Reg. 8.*

Quartoarguunt: Nomine Sacerdotum sæpe in.elliguntur Principes & hæroes: vnde 2. Regum 8. Dauidis filij dicuntur Sacerdotes. Sed et si hæc vera sunt, non tamen Moyses ea ratione Sacerdos fuit ex definitione Apostoli: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum; vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*: & Deus ipse dixerat Moysi: *Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum; tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* Erat ergo Ipse Moyses vere Sacerdos cum fratre, quando consecrauit, vel vnxit eum. Quod vero propheta Dauid non acceperit nomen Sacerdotis illo modo, constat ex eo, quod Aaronem coniunxit cum Moyse in Sacerdotio: at Aaron verus fuit Sacerdos. Deinde quia dixit eos fuisse non simpliciter Sacerdotes, sed, Domini Sacerdotes: quoties autem nomẽ Domini, vel Dei adiungitur Sacerdoti: vt, Melchisedec erat Sacerdos Dei altissimi, toties de veris Sacerdotibus, qui offerunt sacrificia, non pro viris primariis accipiendum est. Adde, quod, Samuelem seiungit ab appellatione Sacerdotum, dicendo: Et Samuel inter eos, qui inuocant nomẽ eius, id est, Domini. Quod si nomen Sacerdotum pro primariis viris acciperetur, erat etiam Samuel Sacerdos, quia fuit primarius Propheta, & iudex populi. Hinc Hieronymus libr. aduersus Iouinianum: *Noscendum, ait, quod Samuel Leuita, non Sacerdos, non pontifex fuerit. Vnde & in Psalmis non nominatur inter Sacerdotes, sed inter eos qui inuocant nomen Domini.* Idem docet Augustinus in Psalmum 89. & Philo libro De vita Moysis: *Duas,* inquit, *iam partes vitæ Moysis descripsimus, quæ ad regnum, & Leges perlatas attinent: superest tertia, in qua dicetur de Sacerdotio.* Et infra, in fine: *Huiusmodi fuit vita, obitusque Mosis, Regis, Legislatoris vatis, & Pontificis, sicut sacris literis proditur.* Dionysius lib. Ecclesiasticæ hierarchiæ vocat Mosen primum Pontificem Legalium, mysten & ductorem; & eundem tradit consecrationis munus erga fratrem executum esse ἀρχιερικῶς, id est, vt decebat eum qui erat Pontifex. Et Gregorius Nazianzenus in oratione ad Gregorium Nissenum, confitens inter se Moysen, & Aaron, ambos asserit similiter Sacerdotes fuisse: idque probat ex Psalmi nonagesimioctaui verbis: *Moyses,* inquit, *Principum Princeps, & Sacerdotum Sacerdos Aaron pro lingua vtens.* Et Leo epist. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ inquit; *Solus Moyses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse vnxit, qui vtique summus Sacerdos Dei erat.*

Gen. 4. Heb. 7.

Samuel qua ratione fuerit Sacerdos.

Heb. 5. Infra 8. Exod 4.

Mosen verum Dei Sacerdotẽ fuisse, & à Propheta sic dictum, aperte colligitur.

Psal. 98.

Cur Dauid Samuelem Prophetã non dixerit

1 Reg. 12. Hieron l. 1. aduersus Iouin. paulo ante med

c. 2. init.

Patrum testimonia.

Aug 1. 8 Philo l. 3. vita Mosis i. nit s. 2. sub init.

Dionys c. 5. Eccl. hier. p. 3. ante med

Greg Naz.

Exod 4. Leo ep. 76. vel 80 prope init. Infra 02.

V.

Quinto arguunt: Mortuo Moyse, Iosue duxit populum, præcipsit Leuitis, & Sacerdotibus, quando vel arca mouenda, vel quando populus circumcidendus. Item Dauid Sacerdotes reprehendit, quod humeris suis arcam Domini non portassent; constituit pastores, benedixit populo in nomine Domini; Salomon abiecit Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini: posuit Sadoch Sacerdotem pro eo. Similia Iosaphat, Ezechias, & cæteri Reges præstitisse videntur. Sed nos minime inficiamur, optimos iudices & Reges permulta fecisse omni ætate, quæ ad ornandam Dei religionem spectarent: sed aliud est, Regem, ea quæ sunt Dei promouere, aliud est Sacerdotibus ex Regia potestate præesse. Et isti omnes non tantum Reges, sed etiam Prophetæ fuerunt, quos Deus rerum sacrarum ministros fecit extra aliorum ordinem. Ita Helias in monte Carmelo bouem sacrificauit, vt Spiritus Dei edito signo eius factum probaret. Nam si ordinem spectes, hic erat Numer. 27. expressus his verbis: *Pro Iosue si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur*

Numer. 27 Deut. vlt. Iosue 3. Infra 5. 1 Paral. 15. 1. Paral. 28. 3 Reg. 2. Ibid.

Regibus atque iudicibus concessum fuisse diuinum cultum augere, non tamen Sacerdotibus præsidere.

3 Reg. 18.

Iosue quomodo sit à Deo institutus dux populi Iudæorum.

& ingredietur ipſe, & omnes filij Iſrael cum eo, & cætera multitudo. Si quid vero Deus aliquando Regi vt vati reuelabat, hoc non faciebat irritam ordinariam regulam, quæ ad Sacerdotes, & ſummorum Sacerdotum ſententiam ſub pœna mortis præſcribendi ſpectabat Deut. 17. ſed tantum demonſtrabat, Deum non adſtringi ad media per Moſen conſtituta. Eiectio vero Abiathar Sacerdotis per Salomonem, executio fuit prophetiæ Domini, vt dicitur tert. Regum ſecundo. Non ergo Regia poteſtate, ſed diuina, & minime ordinaria Salomon vſus eſt.

Deut. 17.

Quo iure Salomon Abiathar Sacerdotē Pontificatu deiecerit.

Obiectio VI.

Sexto: Chriſtiani Imperatores ſemper ſibi licere exiſtimarunt de cauſis Eccleſiaſticis iudicare: vt Conſtantinus cauſam Donatiſtarum, quam ipſe cognouit, & aliis Epiſcopis vice ſua delegauerat cognoſcendam: Idem Nicenam coegit Synodum, & illi præfuit: ſicut etiam Theodoricus Italiæ Rex, & alij ſine ſcrupulo fecerunt. Reſpondemus, quicquid Conſtantinus in cauſa Donatiſtarum fecerit, non id feciſſe, quaſi ſe putaret legitimum iudicem, ad quem ab Epiſcopis iure appellari poſſet, ſed quia aliter pacem Eccleſiæ tueri non poterat; & quia videbat Donatiſtas iudicio Epiſcoporum non acquieſcere. Et quid ipſe Conſtantinus de iudicio illo ſenſerit, ſcribit Optatus libro primo De Schiſmate: *O rabida, inquit, furoris audacia: ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet* (appellationem ſcilicet interpoſuerunt.) Auguſtinus ad Vincentium: *Donatiſtas magis hinc arguimus, quia cum apud Imperatorem vltro Cæcilianum accuſaſſent, quem primo vtique apud Collegas tranſmarinos conuincere debuerant, ipſo autem Imperatore longe ordinatius agente, vt Epiſcoporum cauſam ad ſe delatam ad Epiſcopos mitteret, nec victi pacem cum fratribus habere voluerunt; ſed rurſus ad eundem Imperatorem venerunt: rurſus non Cæcilianum tantum, verum etiam dates ſibi Epiſcopos iudices, apud terrenum Regem accuſauerunt; rurſus ab alio Epiſcopali iudicio ad eundem Imperatorem appellauerunt.* Idem Auguſtinus epiſtola 162 reprehendit Donatiſtarum appellationem: & Conſtantinus in Synodo Nicena oblatos accuſationum libellos querelas Epiſcoporum continentes abiiciens reſpondit: *Vos, inquit, nobis à Deo dati eſtis iudices, & conueniens non eſt vt homo iudicet deos;* (vt ſcribit Ruffinus libro decimo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, capite ſecundo:) *ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga deorum.*

Chriſtiani Principes olim & Imperatores ſi quid iuris & poteſtatis in rebus Eccleſiaſticis ſibi vſurpauerunt cur id feciſſe videantur.

Optatus l. 1. de ſchiſm. non procul à fine.

Aug. ep. 48 longiu à princ. to. 2.

Donatiſtarum petulantia, & impudentia.

Idem.

Epiſcopos ſuos appellauit Conſtantinus, quos proinde à nobis cenſuit non eſſe iudicandos.

Ruff. apud Euſeb. Cæſ. l. 1.

Pſal. 81.

Quod vero Imperatores cogerent in Synodos Epiſcopos: verum eſt, ſed ſaluo iure, quem debent Patribus ſpiritualibus Reges Chriſtiani, & Imperatores: & ab initio par fuit Concilia vniuerſalia cogi per Imperatores. Primo, vt Epiſcoporum ex omni terrarum orbe coitio, ſpeciem illiciti collegij, & ſeditioſæ conſpirationis non haberet. Nam quæ ratio patitur, vt tot Præſules tanto comitatu ſtipati, in vrbem Imperialē abſque Imperatoris conſenſu conueniant? Secundo, conuocatio Imperatoris faciebat, vt cæteri Gentiles, ac præſertim Magiſtratus, qui nondum erant Chriſtiani tranſitum liberum & quietum Epiſcopis præberent; & vt equi & iumenta ad iter Epiſcopis non deeſſent. Sic enim diſpoſuerat Conſtantinus. Tertio, Imperatores hoc modo fidei ſuæ ſtudium probant, dum ad remouendas altercationes Eccleſiæ, congregare Epiſcopale Concilium ſtudent; & ita ſe oſtendunt peculiares Eccleſiæ aduocatos. Quarto, Concilia ita celebrata firmiora, & ſanctiora eſſe exiſtimantur, dum vtraque poteſtas, tam laica, quam Eccleſiaſtica, ad coitionem ſuffragantur. Quinto, Reges, & Imperatores eo promptius Concilij eius decreta exequuntur, quibus ipſi conuocando & protegendo operam ſuam poſuerunt.

Cur olim expediens fuerit per Imperatores generales Synodos conuocari. Ratio. I

II.

Conſtantini pietas, & munificentia.

III.

IV.

V. atque poſtrema.

Illud certe vanum eſt, quod quidam docent, Concilium ratum non eſſe, quod Imperator, vel Rex non indixerit. Nam quomodo conuenerunt Apoſtoli, & Presbyteri Ieroſolymis? Quomodo aliæ Synodi in Italia, Africa, Hiſpania, Aſia congregatæ ſunt? Nec neceſſum eſt, vt ad ſolam vocem Imperatoris ex toto orbe Epiſcopi conueniant: quia illi non paret totus orbis, ſed tātum Romanum Imperium: ſed requiritur Epiſcoporum ipſorum conſenſus. Vnde Ruffinus loco ſupra allegato tradit, Conſtantinum ex Sacerdotum ſententia Epiſcopale Concilium apud Nicæam conuocaſſe: nec Conſtantinus in Concilio præſedit, ſed, vt Theodoritus eſt teſtis, vltimus ex omnibus eſt ingreſſus, & ab Epiſcopis poſtulauit, vt ſella parua in medio poſita ſibi conſidere liceret. Qui autem poſtulat à Concilio, vt ſibi ſedere liceat, quomodo ille vt iudex ſuo iure agit? Et Ambroſius tam liberam fuiſſe tradit Concilij congregati (ſcilicet in Nicæa) diſputationem, vt Conſtantinus nullas ei leges poneret, ſed liberum dedit iudicium Sacerdotibus. Athanaſius etiam Apologia 2. circa initium, docet, quando laici, vel ſeculares præſident, non eſſe Epiſcopale Concilium. Hæc ſunt eius verba: *Euſebiani: quo veritatem, ſcriptaque ſua obliterent, nomen Synodi ſuis actis prætexunt; cum res ipſa negotium Imperatorium, non Synodale habere debeat, quippe vbi comes præſidet, & milites Epiſcopos ſuo ſatellitio cingūt, & Imperatoria edi-*

Falſum eſſe, Concilia ab Imperatore, vel Rege non coacta eſſe irrita. *Act. 15.*

Ad generalis Synodi conuocationem per Imperatorem quid requiratur *Ruffinus.*

Conſtantini pietas, modeſtia. *Theodor. l. 2. Tripart. hiſt. c. 5. tom.*

Idem, quātum Niceno Concilio detulerit. *Athanaſ. t. 3.*

Vbi laici præſident, Epiſcopale eſſe Concilium negat Athanaſius.

cta,

cta, quos ipsi volunt coire compellant. Sic ille. Distincta ergo sunt iudicia Episcoporum, & Imperatorum. ¶ At Constantius hæreticus

Idem. to. 3. Quid impio Constantio Episcopalem sibi autoritatem vsurpant Magnus Hosius obiecerit.

filius Constantini, cum vellet tædio exilij cogere Episcopos ad suam sententiam, libere illi Hosius Cordubensis respondit (vt indicat idem Athanasius epistola ad solitariã vitam agentes, paulo à medio: *Ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit; nobis, quæ sunt Ecclesiæ concredidit.* Et paulo post *Si istud,* inquit, *est iudicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? Sin contra, ista minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo Episcopis? Quando a condito æuo auditum est? quando iudicium Ecclesiæ autoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum est.*

Idem Episcopis præsidens in Synodo, quid à Leontio Episcopo audierit. Suidas.

Leontius Tripolis Lydiæ Episcopus videns Constantium Episcopis præsidentem & tacens, rogatus est à Constantio, cur taceret; Et respondit (teste Suida in Leontio) *Miror qui fiat, vt cum aliis curandis destinatus sis, alia tractes. Cum enim res militari, & secularibus præsis negotiis, tamen Episcopis ea præscribis, quæ ad solos pertinent Episcopos.* Verecundia igitur tactus Imperator, eiusmodi edictis in posterum abstinuisse fertur.

Amb. t. 3. Imperator Valentinianus quare Sacerdotes noluerit de Sacerdotibus iudicare, Ambrosio teste. Idem.

Sic Suidas. Valentinianus Imperator (vt docet epistol. 32. Ambrosius) dicebat: *Non est nostrum iudicare inter Episcopos.* Ergo Imperator nec solus iudicat Episcopos, nec inter Episcopos Et subdit, Valentinianum dixisse, in causa Fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere sit impar, nec iure dissimilis, hoc est, Sacerdotes: nam teste Ambrosio, noluit de Sacerdotibus iudicare.

Sozomen.

Et Sozomenus libro sexto, capite 7. petentibus Episcopis, vt sibi de doctrina Fidei recte constituenda alicubi conueniretur, Valentinianus, qui vnus è laicorum numero esset, respondit, non licere eiusmodi negotiis se interponere: Ideo Sacerdotes, & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, per se, vbicunque illis libitum fuerit, in vnum cõueniant.

Seuer. Sulpit. l. 2. Sacra historia

Et Seuerus Sulpitius libro De sacra historia, Martinum dixisse refert: *Nouum est, & inauditum nefas, vt causam Ecclesiæ iudex seculi iudicaret.*

VII. obiectio Ambr. t. 3. circa fin.

Septimo, obiicitur Ambrosius in prædicta epistola. 32. dicens; *Causam Fidei in Ecclesia agendam quis abnuat? si quis confidit, huc veniat. iste populus iudicet, cuius in corde lex diuina est, non humana; non atramento scripta, sed spiritu Dei.* Hactenus ille. Populus ergo debet causas fidei cognoscere.

Quo sensu Ambrosius dixerit causa fidei esse populo iudicandas.

Sed certe Ambrosius illis verbis de priuato iudicio loquitur, quo quisque iudicat, quæ recta sunt, de quo: *Nonne de iis quæ intus sunt, vos iudicatis?*

1. Cor. 5.

Aliud est iudicium publicum, cum iudex legitimus id solum sequitur, quod pro tribunali legitime probatum audiuit: hoc non est omnium iudicium, qui vocati sunt legitime ad fungendum Ecclesiastico magistratu; & ideo hoc non est laicorum, sed Episcoporum.

Theodos. Imp. ep. 14.

Theodosius Imperator ad Cyrillum Alexandrinum. *Volumus*, inquit, *illam pietatis doctrinam coacta sacra Synodo ventilari; & catenus præualere, quatenus decere videbitur.*

Christianissimi Imperatoris Theodosii prouidentia.

Nos sane non patiemur, vt simul & vrbes, & Ecclesiæ turbentur, neque vt inexcussa nobis sit ea doctrina, cui diiudicandæ præfici oportet eos, qui circumquaque Sacerdotio præsidente, & per quos in sententia veritatis, & sumus, & posthac erimus.

Chalcedonens. Concil. Laicæ potestati quid iniunxerit Synodus Chalcedonensis.

Et actorum. 1. Chalcedonensis Concilii: *Officium secularis magistratus in Concilio est, nullum fieri tumultum permittere, tumultuantem custodia mancipare, interesse Concilio, & Imperatorem certiorem facere.* Pulcheria Augusta scripsit ad Consularem Bithyniæ Stratregium, vt monachos, & alios laicos, quos nulla ratio ad Concilium vocat, omnimode de ciuitate, & ipsis locis expelleret

Martianus cum coniuge Chalcedonensi cur voluerit interesse Concilio.

Quod si Martianus, & Augusta Concilio Calcedonensi interfuere; non ad iudicandum, sed ad honorandum; exemploque Constantini adiuuandum, fuit: vt habes epistola penultima ante Synodum Chalcedonensem in to. 1. Conciliorum

Greg. l. 3. Reg. epist. 15. paulo ante med. t. 2.

Gregorius cum vocasset ad se Salonitanum Episcopũ, de simonia, & aliis criminibus accusatum, ille vero respondisse, serenissim. principes Mauritium Augustum, & Constantium præcepisse, vt domi suæ, hoc est, in Illyrico cognosceretur, Gregorius respondit: *Nobis, & omnibus notum est piissimos domines disciplinam diligere, & ordines seruare, Canones venerari, & in causis se Sacerdotalibus non immiscere.* Et hactenus sit nobis contra id, quod secundo proposuimus, disputatum.

III. erroris confutatio in eos, qui principem Christianũ saltem in omni negotio ciuili, atque in suo regno quouis magistratu Ecclesiastico volunt esse superiorẽ.

Iam de postremo differendum est. Diuina olim lege cautum fuit: Non poteris alterius generis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus: ita Christiani create nõ possunt nisi Regem Christianum:

Deut. 17. Christiani ethnicis olim principibus quatenus subiicerentur.

etsi olim cogerentur Christiani parere ethnicis, sed non à seipsis electis. Quis enim ferat, vt mẽbra Christi præficiant sibi diaboli membrum. Iouinia. cum post Iuliani cædem salutaretur Imperator, & Augustus, dixit (vt tradit Theodoritus in Hist. Tripart.) *Non possum, cum sim Christianus, Iuliani exercitum regere, qui tam pestifera doctrina præceptis sit imbutus.*

Theodor. l. 8. Hist. Tripar. c. 1. ante

Tunc milites responderunt, se à Christiana religione alienos non esse. Cum ergo tanta inter caput, & membra similitudo esse debeat, vt Christianus non nisi Chri-

A Christianis & Catholicis nō nisi Christianus, & Catholicus princeps eut sit eligendus.

I. ratio.

stianis militibus praeesse velit; certe magis iniquum, vt Christiani milites paganum, aut haereticum hominem sponte ad regnū accersant, & ad imperium: quod aliud non est, quam in discrimen Fidei amittendae ipsos miscere. Et vt iuris diuini est, vt à Christianis nō nisi Christianus eligatur in principem: ita idem ipsum trad t, vt à Catholicis non nisi Catholicus princeps ad gubernandum vocetur. Qui enim Catholicus non est, etsi verbo se Christianum vocet, tamen viuum Ecclesiae membrum esse desiit. Adde, quod etsi quisque Rex fieret Christianus, & Catholicus; tamen si postea fiat haereticus, vel Apostata, ratio exigit, vt inter Catholicos populos à regni administratione remoueatur. Perinde enim est, Regem Catholicum haereticum fieri, atque illum, qui ab initio regni haereticus erat; nec minus periculi est ab vno, quam ab altero. Indigne olim tulit Apost lus, fideles apud infidelem magistratum litigare: sed indignius, si ipsi haereticum pertinacem regnare patiantur. Cui enim nec Aue dicere possunt, ne cōmunicent operibus eius malignis, quomodo eam sine insigni peccato colent? Et hoc iure: quia potestas prius est in populo, quam in Rege, & à populo in Regem deriuatur. Hoc autem cognoscendi, & iudicandi ius dedit Deus Ecclesiae Episcopis, quorum est vigilare pro animabus omnium, & Regum, & in ea re etiam Reges Episcopis subduntur. Certe Ieroboam Samariae Rex duo idola in Dan, & Bethel erexit, vnde decem pene Tribus idololatriam lapsae sunt, ac vnius Dei fidem abiecerunt. Attendite, ait Apostolus, vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Ergo reges subsunt Episcopis: nam neque par in parem, nec minor in maiorē habet imperium: ergo per Episcoporum sententiam possunt deponi, & debent: etiamsi pauperes sint Episcopi, & inermes quia tandem vincunt. Hinc Daniel: *Comminuet inquit, & consumet vniuersa regna haec; & ipsum stabit in aeternum.* Et infra de regno Christi, ait: *Omnes populi, Tribus & linguae seruient: potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.*

II. ratio.

III. ratio.

1. Cor. 6.

2. Ioan. 1. Grauiter peccat populum qui haereticum & infidelem aut haereticum super se pr. recipit aut Regem constituet.

Heb. vlt.

3 Reg. 12.

Act. 20.

Dan 2.

Infra 7.

Episcopi principib. secularib. quatenus praesint.

Quod si obiicias, Episcopi ergo, & pastores Christi praesunt regnis temporalibus, Respondeo, proprie, & ex se nullo modo: sed si regna illa Fidei se subiiciant, & Christi oues euadant, possunt, & debent eis praeesse. Hoc enim ipso, quod Reges, & nationes fidem, & Sacramenta postulant, promittunt se diutius imperare, aut imperio terreno parere nolle aliter, quam fides ipsa Christiana, quam profitentur, patiatur.

Eosdem Episcopi quādo iure valeant omni potestate priuare.

Si ergo Regis imperium, aut populi obedientia alio delabi incipiat, ex vi taciti, vel expressi pacti; quod cum Ecclesia Christi ab initio fecerunt, aut deponi ab imperio, aut etiam à iure eligendi iustissime excludi possunt. Quicquid enim vsque adeo est ex natura sua, vt si forte illius mentio ab initio facta esset, aliter de illo quam vno modo conuenire non posset; id etiam etsi expressum inter contrahentes non fuit, pro expresso tamen habetur, quia in eius quod fiebat, natura necessario includebatur. Vt verbi gratia, dicit vir vxori: Ego te accipio in meam vxorem: & vxor viro, Ego te accipio in meum virum: quod vero vsque ad mortem victuri sunt, etsi non fit in pactum expresse deductum, tamen in ipsius rei natura comprehenditur. Ita Rex in Baptismo, cum abrenunciat mundo, & Satanae, & pompis eius, tacite promittit, se potestate regia, vel terreni iure imperii contra Christi Ecclesiam nunquam abusurum: sin vero id fecerit, se non recusaturum, quin eodem regni iure priuetur. Si enim nollet quis vel potestate sua contra haereticos, & pro Ecclesia, indignus esset Baptismo, & Eucharistia, qui Christo suum sceptrum non subiiceret. Nam alioqui quomodo omnes populi, tribus, & linguae illi seruirent? Et Esaias: *Aedificabunt filij peregrinorum muros tuos & Reges eorum ministrabunt tibi. Et venient ad te curui filij eorum qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum.* Et Dominus: *Portae inferi non praeualebunt aduersus eam.* Denique Apostolus: *Per quem, inquit,* (Christum scilicet) *accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus.* Ipsa ergo Baptismi susceptione tacite promittunt Reges, se ministris Christi subdituros regiam potestatem, & sceptrum suū in his, quae ad Fidem spectant. Nemo enim Christi fidem, & Ecclesiam ingredi dignus fuit, qui non sit paratus potius, omnia mundi regna deserere, quam fidem. Praeterea Christiana regna spiritualia sunt potius, quā terrena; & ideo Reges à ministris Ecclesiae iniunguntur, non vt illa faciant tantū, quae Reges terreni, & profani ad finem temporalem, & profanum faciunt, sed ad sacrum, & spiritualem finem per Christi ministros. Hinc Leo ad Leonem Augustum: *Debes incunctanter aduertere, Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam; vt ausus nefarios comprimendo, & quae bene sunt statuta, defendas, & veram pacem his, quae sunt turbata, restituas.* Et Chrysostomus homilia de verbis

Quomodo Reges, ac principes, & quādo se ipsos Ecclesiasticae potestati subiiciāt.

Temporale regnum nisi Ecclesiae deseruiret, quid futurum.

Dan 7.

Esa. 60.

Matt. 16.

Rom. 1.

Fidei omnia regna & imperia longe post ponenda sunt. Christiani Reges ab Ecclesiae ministris cur soleant inungi.

Leo Pap. ep. 73. vel 75. paulo ante med.

Regiae potestatis finis.

Chryso. homilia 4. de

verb. Esaiæ aut quanto à med. 10.1. prope finem

bis Esaias: *Maior, inquit, hic principatus propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis: & vbique in veteri Scriptura Sacerdotes vngebant Reges.* Hæc ille.

Rex cur caput submittat manui Sacerdotis teste Chrysostomo.

Luc. 1.
1. Tim. 6.
& Apoc. 17
& infra 19.
Ioan. 20.

Adhæc porro Christum versari in terris, nonne ille omnibus Regibus, etiam vt homo maior est, & imperio eius subesse deberent & in omnibus causis, etiam secularibus, si ipse vellet? quia, vt Angelus dixit, regnabit in domo Iacob; & dicitur Rex Regum, & Dominus dominantium, at potestatem externam omnem ad æternam salutem facientem, & necessariam Deus in illos transtulit, quibus dixit: *Sicut misit me Pater: & ego mitto vos.* ergo Apostoli, & eorum successores non minus in spiritualibus causis præsunt Regibus Christianis, quod ad ministerium visibile spectat, quam Christus ipse. Hinc beatus Epiphanius in hæresim Nazaræorum: *Thronus igitur Dauid, & Regia sedes, est Sacerdotium in sancta Ecclesia, quam dignitatem Regiam, simulque Pontificiam simul coniunctim largitus est Dominus sanctæ Ecclesiæ suæ, translatio in ipsam throno Dauid non deficiente in æternum.* Sic ille.

B. Epiphan in hæresin. 29. prope finit.

Thronus Dauid, & Regia sedes quid mystice.

Luc. 1.

In duplici Ecclesiæ regno, seculari, & Ecclesiastico, regnum Christi æternum cōsistit.

Vnde vna potestas, altera superior constituatur.

Tam ergo Sacerdotalis, quam Regia potestas collata est Ecclesiæ pastoribus, vt sic regnet Christus in æternum. Ideo duplex illa Ecclesiæ potestas, pure scilicet spiritualis verbi Dei, & Sacramentorum, & mixta alia, quæ origine sæcularis est, tamen si ad finem spiritualem conferatur, iam eædem in vnum Christi corpus concurrunt, & vnam sunt. Nam potestas vnaquæque quo propius ad futuram vitam accedit, eo magis aliis imperare debet: notum autem est, Regiam, & ciuilem potestatem apud eos etiam esse, qui non sunt membra Christi. Ergo spiritalis pastorum Ecclesiæ potestas, quæ non est nisi in Christi membris, & tam alta ministrat, præesse debet & Regiæ, & seculari. Nam per claues regni cœlorum, etiam terrenos Reges in gloriam introducit, & ita isti spirituali, & eminenti potestati omnis alia potestas vel patris in filium, vel viri in vxorem, vel principis in subditos, vel domini in seruos subesse debet, cum de rebus vitæ futuræ agitur. Nam vt animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Nam etsi Reges præsunt membris Christi; non tamen ea ratione præsunt, qua sunt membra Christi, sed quatenus homines negotiis vacant secularibus. Membra enim Christi Rege carere possunt, vt per tria millia annorū quōdam ab orbe condito ad Regē vsque Saulem permanserūt: at spirituali aliquo præfecto nūquam caruere, quia semper fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi. Cum ergo Reges, & pastores in vnum Christi corpus conueniant, & eorum antea distinctæ potestates nūc vni Christo debeant inseruire, quæque vidclicet in suo loco, & ordine: certum vero, spiritualem, quæ propter Ecclesiam est instituta, cum Christo prius connecti, quam Regum terrenorum potestatem, quæ ob homines est in pace continendos, & non modo intra, sed extra Ecclesiam comparata est: stultissimus igitur fuerit, qui spiritualem Christi potestatem illi seculari Regum subdere contendat. Nam si neutra præest alteri, quomodo in Ecclesia duæ potestates manent non vnitæ; aut quomodo vniuntur, si adhuc manent distinctæ, & neutra potest alteri imperare? aut quis in vno corpore alias vidit duo membra in eodem loco, & honore prorsus distincta? Quis vidit nisi in corpore monstroso pedem brachio, aut femur collo, vel tibiam lateri adæquatam. Et vt in corpore hominis omnia membra vnius mentis imperio dicuntur obedire, quia nihil est mente sublimius: sic in Christi Ecclesia, in qua est potestas spiritualis, vt ratio, & mens, omnes aliæ potestates cedere debēt. Vnde Dominus dixit: *Si te non audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit,* (etiā Rex, vel Princeps) *sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Proinde etiam Petro est dictum: *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Et rursus: *Pasce oues meas.* Reges autem si volunt esse Christi oues, vni eius vicario, & pastori obedire debent.

Mat. 16.

Quam late pateat Ecclesiæ clauium potestas.

1. Cor 2.

Qua ratione Christi membra, id est, si leles Regib. subsint.

1. Reg. 10.

Rom. 10.

Qui Regiā potestatē Ecclesiasticæ aut præferendam, aut conferendam censeant, eos turpissime falli.

Qualis sit potestas Ecclesiastica.

Matth. 18.

Sup 16.

Ioan. 21.

Reges terrem quomodo Christi oues fieri debeant. Eius dicti: Regnum meum non est de hoc mū do, Protestantium falsa ré icitur intelligentia.

Ioan. 18.

Reges quā do Ecclesiæ consortio, regnoque etiam sint priuandi, atque spoliandi.

Tit. 3.

Pastores vt sint in Ecclesia, teste Nazianzeno.

Greg. Naz.

Quare falsa est prorsus interpretatio Protestantium, qui illa Domini verba. *Regnum meum non est de hoc mundo,* ita exponunt: Nulla est pastorum Ecclesiasticorum autoritas; aut eorum regna & causæ in nullo sint eis subditæ. Qui sensus Christi menti, & scopo in eo loco non potest recte accommodari, neque à Patribus est agnitus. Sed verus, & germanus est sensus: Regnum meum non trahit originem de hoc mundo, sed è cœlo, & in cœlum tendit. Regnum enim meum licet hic sit, & in hoc mundo, non est tamē de hoc mundo, quia per fidem de mundo esse desierunt. Idcirco Reges, qui hæreses, & peccata fouent, si moniti non resipiscūt, possunt post vnam, & secundam correptionem à communione fidelium reuocari: & si pergant nocere, per aliorum principum operam à suis gubernaculis repelli. Quælibet necessaria, & vtilis potestas data est pastori in omnes oues suas, siue sint agni, siue oues, siue arietes. Pastores siquidem sunt in Ecclesia velut mens in humano corpore, teste Gregorio Nazianzeno in oratione de modestia in disputationibus

ser-

ſeruanda: Paulus Corinthios cohortatur, vt potius ipſi conſtituant iudices ex ſuis, vel contemptos homines, quam quod apud infideles litigent. Ita potius conſtituendi sũt noui Reges ab Eccleſia, quam vt apud infideles Reges, vel hæreticos, ſiue apoſtatas in cauſis ſpiritualibus litigemus. Dominus proiecit Saulem ne eſſet Rex, quia non expectauit per ſeptem dies præceptum Samuelis, antequam ſacrificaret; & quia non interfecit Agag: adeo, vt Saule viuente vnxerit Samuel Dauidem in Regem occulte in Bethleem. Nunquid ergo modo eſt minor Spiritualis poteſtas in Eccleſia, quam olim in Synagoga, vt non poſſit Regem pro ſuo arbitrio conſtituere, quod ad conatum attinet: & euidens fuit, vt Ionathas filius Saul nouerit regnum Iſrael reuoluendum in Dauidem poſt mortem patris, & pepigit cum eo fœdus. Ahias Silonites Propheta prædixit Ieroboam præficiendum decem tribubus. Eadem eſt poteſtas modo in Doctoribus, & paſtoribus, quæ olim in Prophetis, & Sacerdotibus fuit. Et Helias vnxit Hazael in Regem Syriæ, & Iehu Regem Iſrael, & Heliſæum in Prophetam: ea lege, vt qui euaderet manus Hazael, occideret eum Iehu: & qui fugeret manus Iehu, occideret eum Heliſæus. ¶ Qua figura inſinuatum eſt, complures poteſtates ob id eſſe in Eccleſia Dei excitatas, vt quod per vnam illarum non fit, per alteram fiat: quarum vltima, & ſuprema ſit Prophetarum, id eſt, penes Eccleſiæ Dei paſtores, & Doctores. Nã ita Heliſæi gladi⁹ vltimo loco enumeratur, id eſt ſpiritualis, velut quem nemo effugere poteſt, ſi alias poteſtates ſeculares effugiat, quia vtitur gladio ſpiritus, qui pertranſit omnia, & qui poteſt impediri nunquam vt alij poſſunt. Imo gladius ſpiritus imperat materiali gladio: vt cum Helias dixit: *Si homo Dei ego non ſum deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta duos:* & paruit ignis voci Heliæ, & conſumpſit illos. idem fuiſſet, ſi Helias præcepiſſet alicui principi armato cum exercitu: Irrue in illos, & interfice Heliſæus ad Ioam Regem Samariæ mittentem miniſtrum ad præcidendum ſibi caput, dixit; *Claudite oſtium, & non ſinatis eũ introire.* Vt videas non tantum excluſionẽ nuntij Regis, ſed & vim illatam. Et duo vrſi egreſſi de ſaltu lacerauerunt quadraginta duos pueros illudentes Heliſæo: quo ſignificatur, omnem creaturam armari ad vindicãdum eorum iniuriã, qui in poteſtatẽ ſpiritualem inſurgunt. Nunc vero in Euangelio, cum non deſint principes fideles & obedientes, qui hoc efficiant, non eſt opus miraculis. Zacharias fontẽ gratiæ poſt

1.Cor 6. — 1 Reg. 3. — Ibidem. — Infra. 15. — Ibid. — Infra. 16. — Infra. 18. — Ibidem. — 3. Reg. 11. — Infra. 19. — Ibid.

Perelegans ſeculariis Eccleſiaſticæ poteſtatis typus.

Heb. 4.

Gladium Eccleſiaſticum ſeculari potiorẽ eſſe, dupliciter conſtat.

4. Reg 1. — Infra. 6. — Supra. 2.

Diuinæ vltionis in Eccleſiaſticæ poteſtatis contemptores olim oſtenſæ documẽta nõnulla.

Zach. 13.

Chriſti aduentum prædicat fore patentem vt & pater, & mater configant hæreticos, ſi ue pſeudoprophetas loquentes mendaciũ. Nunquam ergo deerunt, qui Domini Sacerdotibus obedientes, hæreticos viuere non permittant. Item Oziam volentem ſacrificare, monitionique factæ non acquieſcentem, percuſſit Deus lepra; quam videntes Sacerdotes, feſtinato expulerunt eum de templo, & habitauit in domo ſeparata; & Ioathan filius rexit domum Regis, in ſignum, quod in populo Dei eſt poteſtas Eccleſiaſtica, quam Reges Sacerdotum miniſteria ſibi vſurpantes, è regno cœlorum per ſummi Paſtoris excommunicationem eiici poſſint, & eorum loco alios idoneos poteſt ponere ad regendum; & quod priuatus regno priuatam vitam ducat. Nã leproſis perinde atque ſchiſmaticis, & excommunicatis hæreticis interdicta eſt cum fidelibus cohabitatio, ne doctrinas peregrinas velut lepræ maculas diſtinctas in Eccleſiam inuehant. Adhæc Athalia cum libidine regnandi omne ſemẽ Regium interfeciſſet, & Ioſaba ſeruaſſet Ioas, & ille iam grandior eſſet Ioiada Sacerdote inſtitutus eſt Rex, & coronatus in templo; & iuſſit de templo Athaliam expelli, & interfici; vt videas, Pontificis eſſe ſummi de Regum cauſis cognoſcere, & iudicare. Quicquid vero ibi in vmbra poterant Sacerdotes, multo magis in veritate Noui Teſtamenti, in quo habere Sacerdotes poteſtatem in corpora, & res eorum, quæ ordinatur ſua natura ad ſpiritum, teſtatur Chriſtus, qui propter vnius hominis ſalutẽ perdidit duo millia pecorum: eiecit de templo vendentes & ementes, & mẽſas ſubuertit; & Corinthum tradidit Paul⁹ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret; idem Hymenæum, & Alexandrum tradidit Satanæ, vt diſcerent non blaſphemare. Ait etiam: *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* & tamen non audierat niſi illud: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Petrus Ananiam & Sapphiram ad mortem ſuo præcepto damnauit. Ita modo Petri ſucceſſor Epiſcopus Romanus ad gregis ſui vtilitatem poteſt verbo (vbi alia remedia non ſuppetunt) corporalem vitam auferre, modo id verbo ſuo abſque externo manus ſuæ miniſterio efficiat: & per principes Catholicos bellum hæreticis, & ſchiſmaticis inferre valet, & illos interficere. Nam præcipiendo oues paſcere, dedit illi poteſtatem arcendi lupos, & interficiendi, ſi infeſti ſint ouibus. Imo etiam arietem ducem gregis, ſi alias oues tabe conficiat, & cornibus petat, licebit paſtori de principatu gregis deponere.

Ibidem. — 2. Par. 26. — Ibid.

Quid Oziæ Regis leproſi deſẽplo eiectio ĩnque domo ſeparata commoratio pulchre ſignificauerit.

4. Reg. 11.

Ioiadas Põtifex, Athaliam interficiendo, & Ioam Regem inſtituendo, quid indicauerit.

Ibid. — Ibid. — Hebr. 10.

Spiritualis Eccleſiæ poteſtas quibus verbis, & ſignis in Euangelio declarata fuit, & expreſſa.

Marc. 5. — Ioan. 2. — Matt. 21. — 1. Cor. 5. — 1. Tim. 1. — 1. Cor. 4. — Ioan. 20 — Act. 5. — Ioan. 21. — Supra 10.

Quid iis obiiciendū qui negant Regiam potestatem Ecclesiasticæ debere famulari.
Aug. ep. 40 ad Bonifacium. ante med. to. 2.
Psal. 2.

Obiicientibus ergo, ac nolentibus Regum arma Ecclesiæ Dei seruire, respondendum est, quod Donatistis dicentibus, Apostolos non petiisse à Regibus terræ, vt iustas leges contra hæreticos ferrent, Augustin' respondit: *Non considerant*, inquit, *aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Nōdū n. agebatur, quod in secundo Psalmo dicitur: Et nunc Reges intelligite; erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo Reges, Domino seruiūt, nisi ea, quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo, atque plectendo?*

Reges quomodo seruient Domino.

Quādo ergo plures Reges sunt, qui Christi fidem profitētur, quorum alij Catholici, alii hæretici sunt, possunt Catholici gladiū in hæreticos distinguere. Vnde Athanasius Constantis Imperatoris Catholici opem implorauit contra fratrem Constantium hæreticum, vt tradit Theodoritus; & tamē Constantius erat Orientis Imperator, vbi Athanasius Ecclesiam suam habebat.

Theodor. l. 2. ca. 4. init.

Errant ergo grauissime qui putant, Reges Christianos supremam in suis regnis potestatem habere supra Episcopos omnes, & Catholicos pastores. Cum ergo Ambrosius Theodosium, & Innocentius Arcadium excommunicarunt; & Ambrosius quidem minime ob crimen Ecclesiasticum, (qualis fuit Arcadii causa, qui Ioannem Chrysostom. iniuste persequebatur) sed ob hoc, quod Thessalonicæ ingens homicidiū perpetrasset. Si licuit Ambrosio ob homicidium Theodosium punire, ergo licuit homicidij causā cognoscere: nemo enim recte condemnat, nisi causam prius notam habeat. Licuit ergo Ambrosio de ciuili, & criminali causa cognoscere etiam ipsius Imperatoris, non quatenus ciuilis erat, aut criminalis, sed quatenus reus earum rerum Christianus Imperator fuit, & Christi mysteria nondum recte expiatus percipere volebat. Idcirco expulsus est ab Ecclesia per octo menses, donec de peccato pœnitenti dedit absolutionem. Theodosius vero Cōstantinopoli Nectario Episcopo visitanti dixit ægre se tandem didicisse, quid sit inter Episcopum & Imperatorem, vt docet Theodoritus. Adde Regionem in Chronico, & Cedrenum in Compendio historię qui recensent, Chilpericum Franciæ Regē à Zacharia rogato à Francis, ob solam socordiam regno suo pulsum, substituto Pipino; & Imperium Constantinopolitanum transtulisse de Oriente in Occidentem ob Iconomachorum hæresim, & Italiam non defensam ab eo. Et Gregorius Magnus concessis quibusdam priuilegiis cuidam monasterio per Brunichildam Reginam constructo in Gallia, addidit: *Si quis Regum, Sacerdotum, iudicum, ac personarum laicarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentauerit, potestatis, honorisque sui autoritate careat, reumque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat.* Sic ille. Iudicat ergo Gregorius, se Reges omnes & Sacerdotes ob iniquitatem perpetratam dignitate spoliare.

Ambrosius in Theodosium; & Innocentius in Arcadiū cur tuleris excommunicationis sententiam iustam cōdemnationem cognitio causæ præcedit.
Quatenus id factum licuerit Ambrosio, cū crimen nō Ecclesiasticum, sed ciuile fuerit,
Quandiu ille Theodosium sacrorum cōmunione priuauerit.
Theod. l. 5. c. 7.
Dictum Theodosii
Regino.
Cedrenus Græcus autor.
Primi Galliarum Regis institutē di, Imperii que Constantinopolitani in Occidentem transferendi per Zachariā Pontificē, causæ.
Greg. Mag. l. 11. Regist. ep. 10. t. 2.

Quod si quis obiiciat, Gregorium se Mauritii famulum Imperatoris appellare, & illum agnoscere dominum suum, & se illius iussioni subiectum: tamen ipse Gregorius Mauritii legem reprehendit vt iniustā, & ad eum scribit in hunc modum: *Ad hoc potestas super omnes dominorum meorum pietati cœlitus data est, vt qui bona appetunt, adiuuentur, & cœlorum via largius pateat, vt terrestre regnum cœlesti famuletur.* Non minus ergo, qui se seruum seruorum Dei scribebat, tanti Regis famulum se humilitate Christiana agnoscebat.

Idem l. 2. epist. 40. circa med.
Terrestre regnum cœlesti regno famulatur.

Plura possemus exempla producere ex fide dignis historicis, qui tradunt, Reges plerumque, imo etiam Imperatores per Romanos Pontifices fuisse regni, & imperii iure propter sua delicta spoliatos: sed qui propositis exemplis non acquiescit, neque pluribus aliis autem accommodaret. Nam vt cœlum terræ, mens corpori, aurum plumbo præfertur: ita potestas Romani pontificis spiritualis cæteris omnibus Regibus, & principibus laicis in causis Fidei, & Ecclesiasticis negotiis merito est anteponenda, cum ille sit supremus vicarius Iesu Christi Domini nostri.

Mauritii Imperatoris se famulū Cur Magnus ille Greg. nuncuper.
Regia, vel Imperatoria maiestas ab illa Pontificia quantum distet.

DISPVTATIO XIII.

Qua Scripturis, & rationibus euincitur supremum Ecclesiæ regimen penes Optimates, vt Caluinus censuit; non esse.

SVperioribus disputationibus abunde ostendimus, supremam Ecclesiæ Catholicæ gubernationem non spectare ad Democratiam: nunc secundus labor subeūdus est, & euincendum, minus esse debere penes optimates, quorum officium ἀριστοκρατία eo quod optimi quique, & bene conuiuentes reipublicæ præsunt; & ὀλιγαρχία à paucis, qui principatum tenent denominatur. Etsi enim sententia & consensus optimatum magni sit omnino momenti, tum in quolibet regno, tum in ECCLESIA semper fuerit, & in futurum erit:

non

non propterea tamen inde consequitur, illos summum potestatis gradum obtinere, quia præfertur illi vnius pastoris à Christo constituta sedes.

Expendamus igitur, qui sint isti optimates, & quibus verbis supremum Ecclesiæ regimen eis Christus Dominus contulit, qua etiam ratione, & via sciri possit, rem semel ab eis iudicatam, rite, & ex ordine decisam esse: & an eiusmodi regimen finem pacis, & vnitatis in Christi Ecclesia assecutum sit, vel assequi potuerit, ad quem finem assequendum omne regimen potissimum referri debet.

Ecclesiæ pastores, & Antistites non esse optimates. I. ratio.

At vero quo optimatum (quicunque illi sint) præfectura dicatur, necessum est, vt maior potestas in Ecclesia nulla sit: alioqui quo modo essent summi iudices, si alios supra se esse agnoscerent? Neque vero optimatum ordo constat ex solis, & omnibus Episcopis: nam illis præsunt Archiepiscopi, qui Metropolitani dicuntur, & maiores iu iure dicendo existunt. Quare in sexto Canone Nicenæ Synodi decernitur, eum Episcopum esse non debere, qui præter voluntatem, & conscientiam sui Metropolitani ordinatus sit. Adhæc Archiepiscopus Alexandrinus toti Ægypto præerat, & Libyæ: non sunt ergo supremi in Ecclesia magistratus Episco-

Qui sint Metropolitani.

Conc. Nic. to. 1. Conciliorum.

II. pi. Nec dici potest, nomine optimatum comprehendi complures hominum gradus, primum patriarcharum, secundum Primatum, & Archiepiscoporum, tertium Episcoporum, & qui ad communem Ecclesiæ gubernationem ordine suo concurrunt, vt nemo excludi possit à sententia dicenda. Vt demus ita esse, quærimus, an nomine optimatum veniant quoque Presbyteri, Diaconi, Abbates, Archimandritæ, & alij, qui ad Sy-
III. nodos conuenire soliti sunt. Accedit his, quod Protestantes, Presbyteros iure diuino Episcopis pares esse asserunt: erunt ergo Presbyteri in numero optimatum. Et mirum certe videri posset, Christũ, vel Apostolos de re tam necessaria, qualis est optimatum descriptio, nihil tradidisse. Quod ergo erit supremum tribunal horum optimatũ, si, qui sint isti optimates, certo non apprehenduntur? cum tamen quodlibet regnum quo sit confugiendum, tanquam ad supremum tribunal, non ignoret? Quod si Papa Romanus non est supremum tribunal, & primus pastor, ad quem in causis Fidei sit accurrendum, quis alius erit? Nam iste optimatum ordo post sedecim fere secula inter doctos viros non satis est compertus; & no t°: q argumẽtum est firmum, eos nũquã in Ecclesia habitos in summo honoris gradu.

Aristocratiã summũ Ecclesiæ regimen nondum agnouerunt Patres.

Deinde vt secundum explicemus, cum nemo sibi vendicare aliquid iuris in Ecclesia Dei valeat: nisi Christus eius rei fecerit potestatem: quæro vbinam Christus Ecclesiam alicui Episcoporum ordini regendam tradidit? Nam quod Apostolus docuit baptizare, prædicare, corpus suum conficere, ligare, & soluere, peccata remittere, vel retinere, & similia: certe hæc omnia eius generis sunt, vt à singulis obtineri possint, imo & interdum debeant absque Episcoporum congregatione, nisi forte velimus neminẽ prædicare, vel baptizare, vel sacrum facere, vel à peccatis absoluere nisi in conuentu Episcoporum. Vbi ergo CHRISTVS Apostolis, vt optimatum ordini, quicquam edixit? Nam illud: *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: non præscribit, quomodo Ecclesia sit ab Episcopis regenda, sed quomodo in charitate, & pace continenda, & quomodo preces ab vnanimi, & concordi populo, etsi infirmi sint, & idiotæ, ad Deum fundendæ. Et dixit: *Ibi sum in medio eorum*: id est, ibi est Christi Spiritus: non, Ibi est principatus Ecclesiæ meæ. Adhæc Christi præsentia non tam à congregatione pendet, quam à nomine Christi, in quo congregantur. Quod si congregari in nomine Christi, ad gratiam, & virtutem, quæ in cordibus nostris diffunditur, referatur, nihil id ad visibile Ecclesiæ regimen spectabit. Quod si ad visibilem aliquam referas congregationem, nomenque illud sacrosanctum Christi, in quo duo, aut tres congregantur, per signum visibile profiteri; quærendum est, quod nomen, aut potestatem Christus instituerit, in quo duo, aut tres congregantur? At certe pastoris nomen aptum est ad congregandum: nam oues proprias vocat nominatim, & educit eas, & oues illum sequuntur. Christus ergo in medio illius cõgregationis est, quam is congregat, quem Christus gregi suo pastorem præfecit: hic autem est Petrus, & successor eius. At vero cõgregatio summum in Ecclesia locum nõ tenet, quem supra se pastorem primum, à quo in vnum cogatur, ostendit. Non enim Spiritus CHRISTI mittitur quibuscunque congregatis, sed nomine, inquit, meo. ¶ Nec rursus illud valet: *Dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*: quia hoc à Catholicis omnibus ad singulos Episcopos in hac diœcesi, & ad cuiuscunque particularis Ecclesiæ cœtum spectat, (vt exponunt Protestantes) & non ad solos Episcopos in vnum cõuenientes. Nullibi ergo extant verba illa Christi, quibus eiusmodi potestatem Apostolis impertierit.

Aristocratiæ, seu optimatum ordine in Euangelio institutionẽ nullam extare.

Mat. vlt.
Supra 10.
Luc. 22.
Mat. 18.
Ioan. 20.
Matth. 18.

Verbum Christi. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum, tantũ quid significet.

Vnde potissimum Christus Ecclesiæ suę præsẽs sit.

Rom. 5.

Ioan. 10.

Cuius solius congregationis Christus in medio extat.

Matth. 18. Illud: Dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam nõ audierit, &c. quomodo intelligatur.

Nullam vnquam dictæ optimatum potestatis in Ecclesia vsum, & exercitium extitisse.

Quod ad tertiū propositum attinet, si penes optimates est summa Reipublicæ Christianæ potestas, opus fuit, vel hoc genus hominum semper exercendo potestatem muneri suo vacasse, vel certos homines fuisse vel à Christo, vel à maiori optimatum potestate designatos, qui perpetuo inseruient maximis quibusdam controuersiis, quæ domi decidi non possunt: quemadmodum in Democratica reipublicæ statu contingere diximus. Scimus autem, nullos Episcopos vnquam, aut alios primarios viros tali causarum cognitione perpetuo vacasse. Et ne quis nobis obiiciat œcumenicas Synodos, scimus, illas perpetuas minime fuisse, sed post certa temporū interualla coiisse. At regnum Ecclesiæ oportet esse perpetuum, & continuum, & non interruptū, & eius tribunal certum, & compertum, vt ciues Christiani sciant, vnde sit illis in reb. dubiis responsum petendum, in cuius sententia, & sensu acquiescant. Si vero Episcopi dicantur esse optimates, & illorum forū in regimine vniuersalis Ecclesiæ esse, œcumenicas Synodos faciendum erit, non nisi per longa temporum interualla exerceri solitum esse, & per trecentos primos annos à tempore, quo Apostoli Ierosolymis in Synodum conuenerunt, vsque ad Constantinum Magnum, sub quo coacta est Nicena Synodus, vniuersali suo regimine Ecclesiā orbatam fuisse; quia interim nunquam cōgregati sunt: cum tamen illo tempore grauissimę inciderint quæstiones, vt de solemni diei Paschatis obseruatione; de pœnitentium reconciliatione; de illorum, qui ab hæreticis baptizati erant, rebaptizatione; de schismate Donatistarum, de quibus Eusebius lib. 5. cap. 23. & 24. & lib. 7. & 8. Historiæ Ecclesiasticæ. Quo etiam tempore multæ hæreses disseminatæ in agro Dominico per inimicum hominem, vt Valentiniani, Marcionis, Gnosticorum, Origenistarum, Manichæorum. Quis ergo tanto tempore Ecclesiam in vnitate, & pace continuit? an nullus? an Petri successor, cui dictum: Pasce oues meas? cuius est oues dissipatas per varias hæreses congregare, vt promisit Ezech. 34. ¶ Quod si dicas, interim extitisse Synodos prouinciales & Episcopos vigilantes, qui mutuis literis, & coniunctis consiliis Ecclesiam gubernarunt, vt Magdeburgenses impudenter, & frequenter repetunt; quæro, si optimates præerant domi manentes, & quid sequendum per literas aliis præscribentes? quis cui præcipiebat. Irenæus Polycrati, an Polycrates Irenæo? & si omnes asseruntur æquales, quis præcipiendi locus alicui vni relinquitur? Et vt demus, Patriarcham, vel Primatem vnius prouinciæ præcipere potuisse Episcopo; at quomodo id potuit alteri Patriarchæ, vel Primati? Denique quid poterat ab vna aliqua Prouinciali Synodo statui, vt alteri prouinciæ non esset liberum refutare. Certe testantur Synodi tres Carthaginenses sub Cypriano octoginta Episcoporum, quas cæteræ prouinciæ non solum potuerunt, sed debuerunt reiicere. Non ergo autoritas Episcoporum domi manentium, aut Prouincialium Synodorum potuit Ecclesiam regere. Nouerunt certe Catholici, Ecclesiam tunc per Romanos gubernatam, Pij & Victoris Pontificum decreto causam Paschatis decisam, adiecta excommunicationis pœna contra eos, qui non obedirent: Nouatum autoritate Cornelij Papæ compressum fuisse, & Nouatianorum hæresim depressam: Stephanum Papam præcepisse, ne baptizati ab hæreticis in Ecclesia rebaptizarentur, & ita oues Christi ne per hæresim dispergerentur.

Regnum Ecclesiæ duo habet.

Actor. 14

Quænam sub Nicena Synodo extiterint Fidei controuersiæ.

Euseb. to. 1.

Mat. 13.

Eodem ferme tempore hæreses exortæ quę fuerint.

Ioan. 21.

Ecclesiæ vnitati & paci conseruandę nequaquam Episcopos conscriptis epistolis, & communicatis consiliis satisfacere potuisse, vt somniant Magdeburgenses.

Diei Paschatis obseruantiā Pius & Victor Romani Pontifices indixere.

Nouatianorum & rebaptizantium hæreses à quib. damnatæ.

Quarto loco quæramus de vita, & ordine, quo in optimatum Synodis vtendum fuit. Nam eo nondum posito, quod omnes Ecclesiæ pastores pari fungantur potestate quis primum conuocauit Concilia? Nam hoc iuris olim Metropolitano concessum fuit in sua prouincia: vt Polycrates Ephesi⁹ Metropolita per Romani Episcopi Victoris literas admonitus fecit, vocans Episcopos Asiæ ad Synodum. At ius quod habet Metropolita in sua prouincia, competit Romano Pontifici in tota Ecclesia ob summā quam habet pascendi potestatem in vniuersas Christi oues: quanquam potestatem suam indicendis Conciliis exercere non valuerit, quandiu Imperatores Fidem nondū erant amplexi, sed potius Ecclesiam persequebantur: non propterea tamen Ecclesiæ suæ Christus defuit. Nam quia semper indici Concilia non poterant, instituit pastorē vnum summum, à quo Ecclesia regi poterat. Quod si nullus detur Ecclesiæ summus pastor, quis Concilia indiceret? an imperator hostis Fidei? Quomodo ergo Ecclesia in communi gubernari potuit? Adde, quod Imperatores angustum habent dominium & alij Reges eum non agnoscunt: an ergo omnes Christiani principes communibus consiliis indicent Concilia Generalia? an sit spes vlla Concilij cogendi, si principes inter se dissentiant? Quid si impediant Episcopos venire ad Synodum, & liberum transitum per suas regiones denegent.

Eiusmodi optimatū Synodales conuentus nullum ordinem, & rationem non tenuisse.

Generales Synodos cogendi potestas cur propria Romani Pontificis.

Ioan. 21.

Eius vsus cur olim interrupt⁹.

Romani Pontificis creandi necessitas.

Imperatores cur nequeant Synodos conuocare.

Deinde, vt demus coire in Synodum Episcopos, quis inter oēs æquali potestate

Episcoporum, (si vlla esse

possit (interim æqualium sectidum aduersarios ad Synodū congregatio, quibus adhuc incommodis subi ceret. 1. Cor 14.

præditos præsidebit? Si nullius, omnia erūt perturbata, & confusa; cum tamen oporteat, omnia secundum ordinem fieri, vt Apostolus monet. Si primæ partes alicui dandæ videantur, quantum eius rei schisma erit expectandum? antequam quicquam definiatur, cui primus ille præsidendi locus tribuatur? omnium ne sententia, an maioris partis suffragiis? Quod si Principum legati ad Synodum accedant, quantas contentiones delegatorum præsidentia otiri oportebit? Quid si te nondum constituta, iure timeri possit, ne Dioscorus aliquis, aut illi similis, assumptis Cæsaris, vel Principum armis, principatum sibi manu militari accipiat? Quid fiet, cum ad sententias dicendas ventum sit, dum vnus hoc, alius aliud vult proponi, & tractari.

Seleuciana quædam Arrianorū 160. Episcoporum Synodus, teste Socrate, qualem exitum habuerit. Socrat. l. 2. Hist. Eccle. c. 40.

Vt autem quæ differuimus, tanquam in perspicuo speculo inspicere queas, audi quid Socrates historicus scribat: nimirum Seleuciæ 160. conuenisse Arrianos Episcopos sine vllo Romanæ sedis Legato, qui illis præesset; sed præerat Leonas vir illustris ex aula Constantij (vt hinc colligas, illos Præside carere non potuisse) vbi primum aliquot Episcopi negabant quicquam in quæstionem vocari debere, donec qui desiderabantur, aduentarent. Sed hæc lis per Leonæ interlocutionem terminata est, qui absentes expectandos negauit. Deinde alia lis est orta, quid prius agendum esset, de criminibus eorum, qui accusabantur, an de causa Fidei? Ex qua contentione Synodus illa est in duas partes districta: quarum alteri Achatius Cæsareæ Palestinæ Episcop⁹, alteri Georgius Laodiceæ Syriæ Episcopus præerat. Tertia subito nata est, dum alia pars fidem Nicenam abrogari petit, & nouam conscribi; altera vero cætera omnia in Concilio Niceno decreta confirmari volebat, sublato solo homusii, id est, Consubstantialis vocabulo. Et licet vtraque pars esset Arriana, adeo tamen Acatianis alteri⁹ partis contradictio displicuit, vt prorsus è Consilio se subducerent, eorumque aduersarii postridie foribus occlusis, fidei formā subscriptione sua ratam facerent. Et cum tertia die Leonas conaretur Achatianos in concordiam cum aliis reuocare, nihil fuit obtentum, nisi quod noua fidei formula proposita, nouæ quæstiones quotidie orirentur. Atque ita conciliabulum illud incertius multo est dimissum, quam ab initio fuerat coactum.

Causæ dissensionis Synodi illius.

Deinde quoque illud contingere posset vt postquam 200. vel 300. Patres aliquid in vno loco decreuissent, in alio loco alij totidem, vel pares congregarentur, qui in contrariam sententiam concluderent: & ita tanta esset Concilij Arimensis autoritas, quanta Niceni: vnde discordiarum origo, & fomentum præberetur. Sed notum est ex historicis Ecclesiasticis, quoties Arriani Concilia celebrauerint: ex quibus tamē ad Episcopum Romanum, tanquam ad tutissimum Fidei portum boni & Catholici confugiebant, atque eius autoritate eiusmodi conuenticula fuisse damnata, & reprobata.

Arrianorū conciliabula quo tandem omnia reciderint.

Quinto loco, non est vllis legibus explicatum, & constitutum, quibus declaretur, quæ sit optimatum Synodus, ex eo quod optimatum est, & quæ legitima, vel adulterina haberi debeat. Nam si qua Synodus idcirco recipitur, quia cum optimatum consensu habeat summi Pontificis autoritatē. iam non habet hæc Synodus autoritatem ex sola optimatum potestate, sed ex potestate summi Pontificis robur, & vim suam capit. Conuenerunt siquidem multi optimates ad Polycratis Ephesū Synodum in Asia, multi ad Cypriani Synodos in Africa, multi ad Constantii Imperatoris, Syrmij Seleuciæ, & Arimini Synodos; quæ tamen Synodi nullius sunt autoritatis in Ecclesia; non quod optimatum concursu, & numero careret: quia illa Seleuciæ habuit 160. Ariminensis vero plusquam 300 Episcopos; sed quod optimatum consensus ad legitimas Synodos non sit satis, nisi accedat autoritas summi Pastoris cōuocās, præsidens, & acta in illis rata habens, & confirmans. Nec inde sequitur, superuacanea esse Cōcilia, si à sūmi Pastoris autoritate potissimū pēdeant; imo sunt maxime vtilia, & toti Ecclesiæ salutaria, vt agnoscatur, eandem esse Romanæ Ecclesiæ matris, & magistræ omnium, aliarumque Ecclesiarum fidem, & doctrinam; & vt Scripturæ ab hæreticis allatæ exactius plurium sapientium ingenio excutiantur. Vnde Episcopi multi edocti per illam collationem, aut ab hæresi reuocantur aut in recta fide stabiliuntur, & doctiores domum redeunt. Reges etiam, & principes excitantur ad vindicandum eos, qui perturbant Ecclesiam: & si quid sit vitii in Ecclesiasticis prælatis, maiori cum autoritate eius rei admoneantur.

Iidem ritene & canonice processerint, nulla ratione constare.

Synodi ab Ecclesia reprobatæ, atque damnatæ.

Quid ad legitimam Synodum requiratur

Ea quantas habeant vtilitates.

Sexto, & postremo loco tractandum, optimatum præfecturam, pacem, & vnitatē externam Ecclesiæ conferre non posse, quę finis est cuiuscunque regiminis. Multum enim abest à pace danda Aristocratia: quia externa pax Ecclesiæ soluitur per hæreses, & schismata. Quare vt cauerent à pseudoprophetis, Christus suos admonuit. & Apostolus, *Rogo vos fratres, vt obseruetis eos qui dissentiunt, & offendicula præter doctrinam, quam*

Quod Aristocratia ad Ecclesiā Christi in pace, & vnitate externa conseruandam minime sufficiat. 1. ratio. Matth. 7. Rom. vlt.

vos didicistis, faciunt & declinate ab illis. At vt tyrannis ab vnius nascitur principatu, & seditio à populari statu difficile arcetur; ita Aristocratia vix euadit factiones, hæreses, & schismata. Etenim hæreses à scientia, quæ sine charitate inflant, nascuntur: scientia vero in vulgo, vel plebe non est, sed in optimatibus. Nam hæretici ingenio ardenti, & singulari doctrina præditi fuere: hinc per portas inferi non præualituras in Petrum, Patres hæreses, & eos, qui illas gignunt, vel sequuntur, exponunt. Qui ergo promisit non præualituras in Ecclesiam, non reliquit eiusmodi gubernationem, quæ ad hæreses excogitandas esset idonea. Quare nec aristocratiam in Ecclesia reliquit: siquidem vt homines non colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus: sic nec de seminariis factionum, vel hæreseon, pacem Ecclesiasticam metere valent. Adhæc, vt optimates vnius prouinciæ, & in vnam vrbem ad deliberandum congregati, factionibus, ne oriantur, vel ne ortæ promoueantur, facile prospicere valent: optimates tamen Ecclesiæ per totum orbem dispersi, & qui raro in vnum coeunt, difficile possunt hæreses cohibere. Item, plures sunt in Ecclesia optimates, quam in vlla vnquam Republica extiterunt: senatores enim, etsi multi, certo tamen numero comprehenduntur. At Episcopi, Doctores, atque alii Ecclesiæ viri primarii, tot sunt, vt certo numero non constent: & quo plures inter illos sunt, nō est facile deprehendere pertinaces, & contentiosos. Præterea, aliorum optimatum discordiæ statim apparent, & comprimuntur: hæresis vero vt cancer serpit, nec statim aduertitur: ideo periculosior est aristocratia ad hæreses fouendas. Et si ciuitas DEI per optimates regeretur, quis esset contendendi finis, aut quod in hæreses remedium adhiberetur.

Hæreses vnde ortū habeant. 1.Cor.2.
Portæ inferi quid secū dum Patres
Matt.16.
Supra.7.
II. ratio.
III.
IV.
2.Tim.2.

Respondent Magdeburgenses: Vnus Episcopus alij ab exilio reuertenti gratulabatur, alius nominabat fratrem, alius petebat consilium, alius obiurgabat, vel de officio monebat. Quasi vero hæc omnia fieri non potuerint, etiamsi vnus toti ECCLESIÆ præsit. Hæc certe non sunt supremi regiminis iudicia, sed tantum ostendunt, omnes Episcopos in partem sollicitudinis vocatos. Audi Caluinum in Institutione: *Nos,* inquit, *libenter concedimus, si quo de dogmate incidat disputatio, nullum esse, nec certius remedium, quam si verorum Episcoporum Synodus cōueniat, vbi controuersum dogma excutiatur.* Sic ille. Si ergo nullum certius remediū, illud certe CHRISTVS Dei sapientia nobis reliquisset: ergo nulla maior in Ecclesia potestas Synodorum Generalium autoritate. Si olim controuersiæ in Lege quæstiones Deuteron. 17. terminari iubentur: & ipso viuente, ad Christum accurrebant Apostoli in dubiis: ergo & post mortem aliquem sui loco reliquit. Sed paulo post idem Caluinus reiicit optimatum statum, dum ait: *Hoc perpetuum esse nego, vt vera sit, & certa Scripturæ interpretatio, dum numerantur, non appenduntur sententiæ: meliorem partem à maiori vinci sæpius necessum est: & multas sæpe impias sententias protulerunt.* Hactenus ille. Quibus verbis infirmat Synodorum Generalium autoritatem, si non semper diuinitus gubernatur ECCLESIA per Synodos eiusmodi, & vult meliorem partem vinci à maiori. Vult ergo, Ecclesiam in causis fidei nō gubernari per Synodos: is tamen certius remedium esse negat vllum. Idem docent ministri Tiguri, & Bernæ, & Schaphusi, & Sangalli. Aiunt enim in Confessione suæ fidei, vel potius perfidiæ: *Non patimur, nos in controuersiis Religionis, vel causis fidei vrgeri Patrum sententiis, aut Conciliorum determinationibus, multo minus receptis consuetudinibus, aut multitudine idem sentientium, aut longi tēporis præscriptione.* Sic illi, reiicientes ab Ecclesia aristocratiam, & democratiam, quia tollunt consuetudines populorū. Postremo docent hæretici; *Scriptura dirimet litem ortam.* Sed obiicio: Si est obscura Scriptura, quis eam interpretabitur? Verum ipsa seipsam explicabit? at quomodo? Per collationem vnius loci, vt puto, cum alio. Sed quis erit iudex, an recte, an secus fiat collatio? Nam Lutherus, & Zuinglius contulerunt illa verba: *Hoc est corpus meum,* in sēsu contrario, & alii diuerso modo ab illis. Subdunt Ministri in prædicto loco: *Non aliū sustinemus iudicem, quam ipsum Deum per Scripturas sacras pronuntiantem quid verū sit, quid falsum: quid sequendum, & quid sit fugiendum.* Audio hæc bona verba: sed quis scire potero, an Deus illa verba: *Hoc est corpus meum,* proprie, an tropice, an significatiue, an sacramentaliter, an inefficaciter, vt vult Caluinus, intelligat? Nam Dei verbum esse nequit, quod, quo sensu accipiendum sit, ignoratur: nec ipsi certam aliquam regulam proferunt, qua Diuini verbi sensum agnoscā, quia reiiciunt Patres, Concilia, multitudinē, cōsuetudines, & longi temporis præscriptiones. Quibus igitur viis ad Diuinæ sētētiæ cognitionem perueniendū erit? ita enim tolletur ex Ecclesia vniuersali omne regimen, & dabitur singulis superintendentibus ministris. Nam si quis in regno Caluini aliter atque ipse sentiret, aut doceret,

Hæreticorum in oppositum duæ obiectiones soluuntur. I. obiectio.
Caluin.c.4 art.167.
1.Cor.1.
Deut.17.
Idem art. 167. Quibus verbis, quā statuit, ac probat aristocratiam Caluinus improbare videtur.
Idem Conciliorum autoritatē Generaliū qua ratione minuat ille impius, & infelix.
Caluiniani dogmatis professores
Altera obiectio.
Matth.16.
Pro verbo Dei quod non sit habendum
Caluini in sua aristocra-

sen-

tia se tamē monarchā à suis agno sci voluit.

sentire, aut docere auderet; mox igni illum traderet; vt Michaelem Seruetum, quem suo decreto, & voluntate igni cremandum tradidit. Verbo ergo Hæreticus rō munem aliquam gubernationem admittit, reuera tamē anarchiam constituit, vt quisque pro suo libito, & arbitratu credat, & Scripturas interpretetur, & viuat, & expellat de Ecclesiæ regno verum Christi Vicarium, & vniuersales Ecclesiæ pastores, & cū eo verū Christum, & Principem pastorum Iesum Christum.

DISPVTATIO XIV.

In qua ostenditur, Ecclesiæ sanctæ gubernationem à Christo relictam in terris, esse monarchiam, & Regiam, quæ vnum tantum Principem agnoscit, persimilem.

QVemadmodum Theologi Scholastici cum disserere volunt de Conuenientia Incarnationis Filii Dei, illam solent præponere quæstionem, An videlicet possibile sit Deum incarnari, & Humanitatem assumere: quia frustra esse contenditur factum, quod fieri non potest: ita in proposito argumento de regimine Ecclesiæ monarchico, ante omnia probandum est, vnius præfecturam, quam aduersarii impossibilem esse asserunt; rectè in Ecclesia vt possibilem inst tui potuisse, contra Bezanam confessionem cap. 5. art. 9. vbi traditur, Deum solum esse, qui huic oneri sustinendo par esse possit; & contra Apologiam Ecclesiæ Anglicanæ, asserentem, neminem vnum esse posse, qui summæ rerum vniuersæ præsit.

Contra Bezam & Anglicanos protestātes

Et inprimis Impium profectò est disputare, an possit Christus vnum super omnes alios in Ecclesia præficere: quod si potest, frustra impugnant præfecturam vnius super omnes, quasi impossibilem. Si vero nō potest id efficere, ea res potentiam Christi vinceret, & ita Christus Deus esse non crederetur. Est autē ipse Christus Deus verus, nec Deo quicquā impossibile est. Ergo ineptè ratiocinantur, vnum hominem totam Dei Ecclesiam regere enon posse. Nam etsi ordinariæ hominis vires eo vsq; pertingere non valeant, tamen potest Dei Filius de suo id quod deest supplere, vt ita verbum suum impleat, quod Petrū alloquens dixit: *Pasce oues meas.* Cum ergo constiterit Deo esse possibile; solum superest quærere de voluntate, videlicet an id voluerit facere.

Mat. 19. Luc. 1.

Ioan. 21.

Quod igitur id potuerit, & illi fuerit per facile, multipliciter ostenditur. Primo: Sacerdos vnus in Lege, qui in vno loco positus, nec longe à Templo, vel sancta Ciuitate, is vnicuiq; vniuersos Iudæos prope, & per totum orbē dispersos subditos [illegible]: *Ascende, inquit, ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Si ergo ille poterat omnes Iudæorum causas cognoscere, quacunq; cœli regione habitassent; imo debebant etiam venire, cum is nullos collegas foris haberet, nec in alias Prouincias Legatos mitteret, nec Synodos vniuersales congregaret; nec tantā diuinæ gratiæ pollicitationem, & constantiam haberet, quantam accepit Petrus, & quicunque eius successor: poterit ergo idem Episcopus Romanus, præsertim tot Coepiscoporum opera, & fide adiutus, Legatosque per Prouincias mittens, & Senatum grauissimum penes se in vrbe habens, & cogendi Synodum vniuersalem, vbi expedire Ecclesiæ iudicauerit, potestatē exercens.

Quod possibilis sit vniuersæ Ecclesiæ monarchia. Ratio prima. Vnus in lege summus Sacerdos Iudæis satisfaciebat. Deut. 17. & seq. Mat 6. Luc. 22. Ioan. 21.

Deinde, idem euincitur Imperatorum exemplo, qui latissimas, & maximas Prouincias per Proconsules, Præsides, & Prætores multis seculis gubernarunt; & ita gubernarunt, vt nunquam pacatius, & tranquillius ageretur in terris, maxime tempore Augusti. Si ergo principatus politicus, & tam opportunus Christi instituto fuit, tam facile ab vno Imperatore Augusto nulla æternæ vitæ gratia imbuto regebatur; ergo multo magis spiritalis Petri, & successorum eius præfectura poterit Ecclesiam Dei regere. Hoc autem imperiū Romanum Augusti, fidei Christi per vniuersum orbem prædicandæ Deus præparauit, vt docet Eusebius libro de Demonstratione Euangelica, & ex nostris Leo ser. Apostolorum Petri & Pauli, & Eucherius Lugdunensis epistola ad Valerianum. Non solum ergo vetus monarchia, sed potissimum Romana in hoc fuit præparata, vt orbis totus in vnam quasi vrbem colligeretur illaq; vrbs primo Ecclesiæ pastori per Christi gratiam & potentiam cederet, quo interim facilis & suauis esset vnius Episcopi per vniuersam Ecclesiam præfectura. Qui cogitatione complectitur quātum intersit inter potentiam Christi, & naturam hominum; inter statū peccati, & gratiæ inter hominem suis viribus relictum, & alterū Christi gratia renouatum; & tamen viderit hominem vnum adhuc in statu peccati agentem (vt Augustum & Tiberium) potuisse orbem Romanum regere, & vnum Assuerum ab India vsque ad Æthiopiam gubernasse centum viginti septem Prouincias, vt testis est autor libri Esther; nisi malitiose

II. ratio.

Luc 2.

Romanū imperium Augusti ad quid diuinitus procuratum fuerit teste Eusebio. Euseb. l. 3. Demon. Euang. c. 3. 5. 1. Leo ser. 1. in natali. Apost. Pet. & Pauli. Eucherius Lugdunens.

Faciliorē esse monarchiā Christianam illa Gentiliū aut Romanorum ex parte imperantium. Esther. 1.

excæcetur, perspiciet quanto facilius regi possit ab vno DEI Sacerdote per gratiam Dei renouato, & peculiari eius autoritate fulto, etiamsi orbis Christianus decies maior esset quam orbis Romanus.

Item ex parte subditorum.

Quod etiam ex populis fidelibus, & non tantum ex Christi potentia colligitur: quia illi sponte parent Christo & eius Vicario ad Dei honorē. Et certe facilius est & securius centum millia ouium pascere, quam vnum vrsum, vel Leonem regere. At Christiani agni sunt & oues; infideles vero vrsi & leones, de quibus Esaias: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hedo accubabit* (Ita enim ille vocat Gentes nondum ad Christum cōuersas) *Vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* id est: Qui ex se imbecillis & secundum seculum contemptus, per Christi gratiam non solum mitia animalia, sed etiam leones, & vrsos reget.

Fideles & infideles quib. comparet Propheta. Esai. 11. Quid illud Esaię. Puer paruulus minabit eos.

III. ratio à democratici regiminis difficultate.

Adhæc cum tria Gubernationis genera constituantur, difficilius est Ecclesiam totam vel à populo, vel ab Optimatib. quam ab vno solo administrari. Nam si popularis esset status reipublicæ Christianæ, quo pacto fieri posset, vt vniuersus Dei populus per totum orbem diffusus, in vnum aliquem locum cogeretur ad ferenda suffragia? vel quis locus tantam capere posset turbam? quod tempus tot hominum ferendis

I. eius incōmodum.

II. suffragiis sufficere? quis modus eorum animis informandis, si rudes sint, vel si dissentiunt, conciliandis adhiberi posset? Si rursus ad Optimates te cōuertas, qui primum erant isti Optimates? an Episcopi? At Aerius docet, Presbyteros esse illis iure diuino pares. Erunt ne Cæsares Augusti, & Reges, & Magistratus Ciuiles, qui fidem Christi profitentur? at Catholici hoc negant, præsertim si tractetur causa Fidei: Lutherani aliter sentiunt. Quis ergo erit inter hos

Aerius Presbyteros Episcopis dixit esse iure diuino pares.

III. contendentes iudex? Sed fac conuenire omnes tales: quomodo iudicabunt de maximis Fidei causis? quo iure, aut quo modo, aut quo exemplo, an simul, an seorsim? quis

IV. suffragia excipiet? quis recensebit? quid si vnus ab altero dissentiat? Si debent simul coire; quo duce? quo loco? quo die? quia de his sæpe homines dissentire solent. Et penes quem erit de his omnibus decidere, is

V. supra cæteros erit, & ad primatum aspirabit. Si hæc omnia fiant de omnium, vel plurium Optimatum consilio; iam nihil ad exitum perducetur; adeo difficile omnes, vel

VI. plures Episcoporum sedes per orbem sparsas adire, & eorum sententias exquirere. Adde, conueniant optimates, de die, & loco: quot ad minimum oportebit Episcopos conuenire? an omnes, aut plures, an tertiā partem? & quot annis ad tale Concilium celebrandū opus erit? quā raro, bone Deus

conuenient? Et tamen controuersię in tam VII.

immensa Republica quotidianæ sunt. Adhæc quomodo pauciores pluribus præiudicabunt? quid si dum hoc loco centum conueniant, in alio totidem coeant oppositum sentientes? Quid si in eadem Synodo positi dissentiant? quæ spes concordiæ, aut exitus erit iudicii?

Monarchiæ conditiones optimæ.

Ex omnibus ergo gubernationis generibus nullum mitius, æquius, facilius, adeoq; magis comparatum, vel à Lege Naturæ, vel in Lege Mosaica, vel in Euangelica, quam illud, in quo summa est penes vnum autoritas: quia hæc facillime controuersiis & litibus finem imponet.

Quare ergo Protestantes vocant impossibilem, cum alii modi sint minus faciles & multo absurdiores? Nullus enim facilius consulitur, quam vnus Princeps? nec quisquā minus potest ab altero dissidere, quam idem à seipso. Vnde Pomponius in Pandectis, tit. de origine iuris, Romæ euenisse ait vt necesse esset Reipublicæ per vnum consuli: nam Senatores non perinde omnes prouincias commode regere poterant. Ita ille. Vnus etiam facile alios in consilium adhibere poterat, & omni periculo ea res vacabat.

Pompon. in iurisconf.

V. ratio.

Quarto, quomodo negant Protestantes, vnum omnibus præesse posse; cum Apostolus dicat sibi incumbere solicitudinem omnium Ecclesiarum? at quomodo Paulus hoc dixit, cum adhuc omnia in herba essent, nec Iudeorum templum euersum, nec idola sublata, cum principes Gentium, & populi aduersarentur Christi fidei, & doctrinæ? cum Euangelia necdum esse scripto consignata? cum in omnem terrā tunc exiret sonus eorum, & necdum Ecclesiæ constitutæ? Et tamen his non obstantibus ait Apostolus sibi esse curam, & solicitudinem omnium Ecclesiarum? Cum ergo Pauli solicitudo talis extiterit, qualem nos hodie in Pontifice Romano agnoscimus; cur hodie, cum res sint pauciores, id in vno iudicatur Petro impossibile, quod in turbulentissimis Pauli temporibus non erat? Si enim dicamus, Petrum habuisse tot Apostolos coadiutores; certe Petri successores habent tot Episcopos; Presbyteros, Monachos, Legatos, & Nuntios Apostolicos, tot Synodos non solum Prouinciales, sed etiam Generales, & œcumenicas?

2. Cor. 11.

Psal. 18. Rom. 10.

Romano Pontifici à Deo, qui dati sint adiutores, ac socii.

Ostendimus possibilem esse monarchiā Ecclesiæ vniuersæ: nunc euincendum est, Christum Dominum illam suis verbis, &

prius promisisse, & postea instituisse, & factis, & signis per annorum curricula confirmasse.

Monarchiam in Ecclesia à Christo institutam fuisse, abũde demonstratur.

Hoc autem vt comprobem, præmitto in primis, quod nullus sani capitis inficiari potuit, nempe monarchiam (id est vnius regimen) optimum esse, & præsentissimum gubernationis genus; ac proinde à Christo in Ecclesia positum. Constat autem, Dominum maxima quæque, & excellentissima dona Ecclesiæ suæ contulisse, quæ in rerum natura inueniri minime poterant; vt inenarrabile gratiæ donum quo iustificamur: ergo non negauit, quæ in rerum natura excellebant. Qui enim proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Nulla vero est præstantior gubernatio vnius: nam vnus est Deus conditor, & gubernator omnium vnus Christus omnium redemptor, mediator, & pastor, quem dedit Deus caput super omnia; & ab vno homine omnes progniti sumus, & in cœlo, & in terra, & in paradiso, & in mysterio Ecclesiæ per Christum renouatæ certi Principis vnitas; & vnius potissimum principatus commendatur. Est ergo regiminis genus Monarchici cæteris omnibus præstantius; quod & ante peccatum in paradiso fuit, & post peccatorum remissionem in Christo est, renouatum, & à principio mundi ad omnem vsq; æternitatem perdurabit. Et adeo omnia ab vnitate pendent, & profluunt, vt Tota Trinitas in primis eorum, quæ extra ipsam sunt, vnum sit principium productiuum: & Pater, & Filius non duo, sed vnum sunt Spiritus sancti principium. Et Pater solus ingenitum, & vnicum Filii principium existit, à quo tum Filius generetur, tum Spiritus sanctus procedat. ¶ Hæc eadem monarchia, in Angelica natura mirifice splendet. Nam inter illos purissimos spiritus videtur fuisse vnius Angeli in omnes alios principatus. Testatur enim Apostolus ad Ephesios: Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur. Vbi verbum Πατριὰν posset verti, Familia, Tribus, Cognatio: sed interpres alludit ad nomen æterni Patris, vt ex Iesu Christi Patre omnem paternitatem nominari diceret. Quare iniuria Erasmus interpretem vellicauit vertentem paternitatem, quasi sententia Pauli perierit: & Thomam notauit ob ea, quæ de paternitate in Angelis existente inquirit. Nã & Theophylactus Græcus vocem πατριὰν à Patrum nomine dictam docet: quomodo ergo melius quod à patre deducitur, vertas, quam paternitatis nomine (Hinc Hieronymus in Heluidium: Πατριὰν Latini paternitatem interpretantur, cum ex vna radice multa generis turba diffunditur. Et in locum Apostoli scribit: *Solus Pater quia & creator est omnium, & vniuersorum causa substantia præiit cæteris, vt patres esse dicantur. De terrenis cælestia contemplemur. Adam, quem primum plasmauit Deus, & creator ipsius, & pater fuit, scerit Deo Patri scit se debere quod subsistit. Rursum hi qui geniti sunt ex Adam, patrem illum intelligũt ex quo orti sunt. Vnde & in Euangelio secundum Lucam cum paulatim à Christo, David & Abraham retrorsum esset generatio supputata, ad extremum Scriptura ait: Filij Seth, filij Adam, filij Dei; vt paternitatis in terra vocabulum à Deo primum ortum esse monstraret. Quæritur vero, quam ob causam, & in cælis ab eo omnis paternitas appelletur. Quomodo nos, qui non sumus de genere Abraham; si fidem illius habuerimus, filij vocamur Abraham; Patriarchas quoque & Prophetas, si tamen nos ab eis peccata non separent, nostros patres dicimus: ita puto & Angelos, cæterasque virtutes habere principes sui generis in cælestibus, quos patres gaudeant appellare. Archangelus enim nisi Angelorum dici non potest, & Dominatio & Principatus, & Potestas, nisi inferiores subiectos habeant, non vocantur.* Hæc ille, indicans inter Angelos, eos, qui sunt aliis superiores, inferiorum patres dici: quod nomina illa Archangelorum, Principatuum, Potestatuum, & Dominationum ea, quę illis respondent, quasi relatiua significant. Chrysostomus in epistolam ad Ephes. quærens, quæ sint paternæ cognitiones: *In hoc seculo,* inquit, *paternæ cognationes, sunt generationes in cælo vero quomodo, vbi nemo ex quoquam nascitur? Aut paternas illic cognationes vocat ordines, ac familias cælestes.* Sic ille. Sunt ergo familiæ Angelorum. In omni autem familia, ac tribu vnus est velut paterfamilias & princeps illius tribus. Nametsi Angeli simul sint à Deo conditi, alius tamen alio dignior, atq; ob id etiam prior natura: donec ad vnum accedatur omnium omnino primum, qui ob eam caussam dici potest omnium pater, & princeps. Et qui primus esset primi, & altioris ordinis, id est, Seraphinorum, ille esset simpliciter princeps omnium, siue ille Lucifer fuerit secundum nonnullos, vt Hieronymus in Iob 40. & ad Damasum de filio prodigo: Cyrill. in Esaiã c.14. & Theodoritus in Epitome Diuinorum Decretorum, & Gregor. in c. Ezechielis 28. & Augustinus lib. 11. de Ciuitate Dei, ca. 15. siue potius vt alii pie opinantur, Michael ex ordine supremo, & qui inter Angelos in Letaniis primum locũ obtinet, &

Summum Christi donum quod Ecclesiæ collatum. *Rom. 8.*

Monarchiæ dignitas, & excellentia vnde pendeat. *1 Tim. 2.* *Ibidem* *Ioan. 10.* *Ephes. 1.*

Monarchiæ antiquitas ac perpetuitas.

Eius exemplum & imago in beata Trinitate.

Eadẽ quomodo in Angelis eluceat.

Ephes. 3.

Nomen paternitatis Ephe. 3. cũ aliud non inepte posset, interpres quare vsurpauerit.

Contra Erasmum. *Theoph. in c. 3. epist. ad Ephes.*

Hier. l. 2. in Iouin.

Idem in c. 3 epist. ad Eph. s. à me dio. t. 9. *Gen. 1.* *Esa. vlt.* *Gen. 1.*

Luc. 3.

Quamobrem & in cœlis à Deo Patre omnis Paternitas nominetur secundum Apostolum. *Gal. 3.*

B. Chrys. ho. 7. in epist. ad Eph. circa med. tom. 4.

Quænam paternæ cognationes Chrysostomo.

Angeli à Deo conditi non oẽs æquales.

Angelorũ supremus quis ille Lucifer, an Michael fuerit secũdũ Patres. 1. opinio. *Hier. l. 7.* *Idem l. 2.* *Cyrillus. Alexand.* *Theod. l. de Angelis, parte 2.* *Greg. l. 2.* *Aug. l. 5.*

Greg.t.2. Aug.15. Altera opinio. *Apoc.12.*

qui se opposuit in cœlo draconi, de quo Apoc.12. *Factum est prælium magnum in cœlo: Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius.* Hunc Ecclesia vocat Primatem cœlestis exercitus, contereutem in virtute Zabulon, Et sicut Romanæ Ecclesiæ Præsul, pastor est omnium pastorũ, & præsulum; ita & omnium Angelorum vnus est veluti pater, & princeps, quia ab eo voluit omnes pendere. Clemens lib. Recognitionum tradit, DEVM, cum condid.sset mundum, tanquam vniuersitatis Dominum, singulis quibusque creaturis principes statuisse: ergo & Angelis Angelum, & spiritibus spiritum vnum præfecit. Et vt viatoribus nobis non statim datur beatitudo, sed probandi sumus sub bono Duce, & Papa visibili locum Christi gerente: ita Angeli non vt creati sunt, mox redditi sunt beati, alioqui cecidissent nunquam. Illi ergo dum peregrinati sunt, ducem habuerunt vnum, sub quo vel in veritate persistere, vel ad mendacium declinare potuerunt. Est ergo in Angelis monarchia. Imo non solum in his, qui steterunt, sed etiam in illis, qui à tanto beatæ vitæ gaudio exciderunt, & dæmones sua volnntate facti sunt, vnitatis regimen inuenitur: nec illi aliter, quam per institutam contrariam in seipsis vnitatem, Ecclesię vnitatem labefactare valent. Nam regnum Satanas habet teste Domino: *Si Satanas*, inquit, *Satanam eijcit, aduersus se diuisus est: quomodo ergo stabit regnum eius?* in quo velut Rex imperat cæteris spiritibus malignis. Et Apostolus: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem: sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum.* Vbi docet, plures esse mundi rectores, & principes, non tamen æquali præditos virtute: & Dominus: *Nunc princeps huius seculi eijcietur foras*, ac rursus: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Etsi ergo diuersi sint, vni tamen potissimum non charitatis gratia, vel obedientiæ bono, sed naturæ ordine subiecti parent, vt ita in oppugnanda Ecclesia Christi regnum Satanæ coalescat, & confirmetur.

Cle.li.2. Recognit.

Angeli mali cur ceciderint.

In dæmonib. monarchiam inueniri, vnde perspicuum fit.

Matt.12. *Ephes.6.* *Ioan.12.* *Infra 14.*

Diabolicæ monarchię quæ ratio, & finis.

Planetarum omnium orbes ab vno primo mobili facile ab Oriente in Occidentem mouentur: talis est primus Pastor in Ecclesia, qui suo motu, id est, fidei doctrina, præcepto, & vitæ exemplo omnes alios orbes regit, & ad se trahit. Inter sydera vnum est luminare maius, de quo Plinius libro secundo Capite sexto sic scribit: *Medius Sol fertur amplissima magnitudine, ac potestate: nec temporum modo, terrarumque, sed syderum etiam ipsorum, cœlique rector. Hic reliqua sydera occultat: hic suum lumen cæteris quoque syderib. fœnerat.* Hæc ille. Vt ergo cætera minora sydera lumen à Sole mutuantur; ita alii Prælati velut luminaria minora, omnem iurisdictionis potestatem à Papa CHRISTI vicario.

Monarchia in planetis qualis sit.

Gen.1. *Plin.li.2.c.4.*

Solis virtutes ex Plinio.

Inter elementa ignis, vt summum & primum locũ tenet: ignis est ima deserere, in sublime ferri: vnde Deus ignis consumens, & Lux mundi, & Sol iustitiæ in Scripturis nominatur. Ideo Petro dixit. *Diligis me plus his?* Primus ergo igne charitatis, & potestatis factus est Petrus, lux, & Lex aliorum.

Qualis in elementis monarchia reperiatur.

Deut.4. Ioan.8. Infra 9. Sapien.5. Malach.4. Ioan.21.

Plantæ etiam habent radices, vnde oriũtur, & aluntur: ita Ecclesia habet radicem, & matricem Ecclesiam Romanam, vnde succum potestatis, & doctrinæ sibi deriuat.

Ecclesiæ cum plantis comparatio.

In animalib. gregalibus videre est quendam principem, & ducem naturæ instinctu constitutum, ad cuius motum, vel quietem moueantur, vel quiescant: vt in ouibus, in ceruis, in gruibus, & magis in apibus. Hinc Poeta gregis ducem, arietem vocat; & Rex vnus est in apibus, dux vnus in gregibus, & armentis. At homo cum sit animal gregale, & sociale, & cui apud Ezechielem trigesimoquarto Capite dicitur: *Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ homines estis, & ego Dominus Deus vester.* Christus quoq; in Euangelio ait: *Et erit vnum ouile, & vnus Pastor.* Et vanum est, quod ait Caluinus, non ex toto orbe confluere apes, vel grues, vt Regem vnicum eligant, sed singulos Reges suis aluearibus contentos esse, & ad eum modum satis esse Episcopos quosque in sua Ecclesia. Sed certe non minus quæl.bet particularis Ecclesia per se vna est, verum etiam tota militans est vna: quod in apibus, & gruibus secus se habet. Illorum enim cæterias non ita in vnum corpus Deus, sicut vniuersam Ecclesiam, quæ in terris agit, vnam esse, & dici voluit: *Fiet*, inquit, *vnum ouile, & vnus Pastor*; & Iesus mortuus est, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Et Cyprianus, *Deus*, inquit, *vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & cathedra vna super petram Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non potest.* Hæc Cyprianus. ¶ Nec tantum in singulis animalium generibus, quæ in societate viuunt, singulos duces præesse inuenimus verum etiam toti auium generi aquilam, toti animalium terrestrium leonem. Et Plin. hoc testatur de aquila, de leone vero Epiphanius in Hæresin 77. Et Cyprianus ad Florentium, seu Puppianum: *Apes habent Regem, & Ducem pecudes, & fidem seruant.* La

Primum vestigium monarchię in animalibus, in genere.

Virgil. *Ezech.34.* *Ioan.10.*

Non eandem in apibus, & in gruibus, vt Caluinus opponit, atque in Ecclesia esse Principatus rationem.

Ioan.11. *B.Cyprian.l.1.epist.8. paulo à medio.* *Ephes.5.* *Mat.16.*

Alterum vestigium in specie.

Plin.l.10.c.3. *Epiphan.* *Cyprian.l.4.epist.9. paulo à med.*

trones mancipi obsequio pleno humilitatis obtemperant. Quanto simpliciores, & meliores vobis sunt bruta pecudes, & muta animalia; & cruenti licet, ac furentes inter gladios, atque inter arma prædones? Præpositus illic cognoscitur, & timetur quē non sententia Diuina constituit, sed in quem factio perdita, & nocens cæterus cōsensit. Hactenus ille in seditiosos, & schismaticos. Adhæc in singulo animali vnum aliquod est, quod cætera regat membra, siue illud sit cor, siue caput. Et Aristoteles in Politicis in animali tum herile, tum ciuile, regiumq; imperium considerauit. Herile quidem, dum animal suo corpori, & membris eius, regium vero, & ciuile, dum mens appetitui præest. Et ne tot auium, animalium pisciumque species inordinatæ viderētur, Deus hominem condidit, & præfecit illum vt Regem quendam volatilibus cœli, piscibus maris, & bestiis vniuersæ terræ non solum vt singula animalium corpora in seipsis, nec tantum singuli greges, aut genera singula, verum etiam vt tota vniuersitas alium non haberet præter Deum, & sub Deo ducem, & principem, cui pareret: ergo præter caput, quod in omnium, & singulorum corpore eminet, ac præter duces, pręposïtosq; Ecclesiarum singularum, sit vnus primus dux omnium, quæ in mundo Ecclesiarum sunt, & cui cęteri omnes obediant. Vt enim cæteræ creaturæ omnes monarchiam Dei vnius agnoscunt per interpositam suorum in vnoquoq; genere ducum personam, & per interpositam hominis communē præfecturā: ita Christiani homines vnius Christi monarchiam in Ecclesia ipsius agnoscūt non solum per interpositos in singulis quibusq; Ecclesijs singulos pastores, sed etiam per vnum pastorem visibilem omnib. communiter interpositum, & Christi locum tenentem. Adhæc homines ita à Deo conditi sunt, vt omnes vni subesse debuerint: *Nam Deus*, inquit Apostolus, *ex vno fecit omne genus hominum.* In quæ verba Chrysostomus: *Deus caput vnum omnib. dedit, ipsum Adam: Cur enim è terra non sumus? Cur non, quemadmodū ille perfecti? nempe vt partus, vt nutricatio, vt successio generādi nos in inuicē ligarent: hanc ob causam nec mulierem ex terra fecit.* Et infra: *Itaque velut a capite quidem vno, totum humani generis corpus dependet: & quia iam a principio parentes duo fuisse videri possunt, vide qui conglutinēt, qui in vnum lege connubij coniungat: propter hoc homo patrem & matrem relinquet, inquit, & adhærebit vxori suæ; & erunt hi duo in carne vna.* Et infra: *Deinde hunc imperare, illam subesse iussit: esse enim inter æquales æmulationem nouit: itaq; noluit esse democratiam, sed regnum & quod videre in exercitu licet, in omni bene custodita domo deprehendas. Regis locum obtinet maritus, vxor principis, & ducis imperium, proximum liberi tenent, infimum familiares: & hi in subiectos similiter imperium tenent. Et vnus quispiam cæteris omnib. præfectus, heri vicem tenet, sed vt seruus. Atq; aliud est rursum imperiū inter ipsos, vxorum, & liberorum dico: in ipsis denique liberis aliud prout cuiusq; ætas, aut natura tulit.* Hæc ille. Et Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Antolycum, ponderans mulieris Euæ fabricationem ait: *Ideo ex costa viri finxit mulierem, vt monarchiæ suæ mysterium demonstraret.* Rursus Chrysost. disputans contra Anarchiam in illa verba Apostoli ad Hebr. 13. *Obedite illis qui vobis præpositi sunt, & obsecundate,* sic scribit: *Malum quidem est, vbi nullus est principatus, & multarum cladium hæc res existit occasio, & confusionis est, turbationumq; principium. Sicut enim si ex choro ipsum coryphæum auferas, nequaquam modulatus chorus, vel ordinatus existit: & phalanx militum si ducem non habeat, nullo modo numero acies illa vel ordine procedit: & nauis si gubernatore priuetur, pessum eat, necessum est: & gregi si pastorem abstuleris, cunctus dispergetur, & peribit: Malū igitur est, vbi nullus est principatus, subuersionis quippe hoc est argumentum. Malum autem est non minus & inobedientia eorū qui reguntur à Principe.* Hæc ille. Si ergo tot millibus pastorum, qui in Ecclesia Dei sunt summum pastorem auferas, omnia perdes, & per hæreses, & schismata disperges. Malum ergo esset, & quidem grande, vbi inter ipsos tot pastores nullus esset principatus. Et si cum de vna naui agitur, si illa careat rectore, peribit: eodē modo si classis instruatur sine duce, magis peritura erit. Nam Deus non solum singulis hominibus, quasi priuatim, sed vniuerso generi humano, quasi publice consulit, vt docet Augustinus. Si ergo propter particulares Ecclesias prospexit de particulari principatu; quidni propter vniuersas simul collectas de generali? sic pro Patre orbis terrarū, prouidit de summo omnium fidelium pastore Iesu Christo. Et vt Adamo moriēte, paterna gubernatio nō periit, aut principatus ille naturalis sed in liberos Adæ transiit, vt Seth, Noe, Abraham sic post Christum se de terra subducentem vt rediret ad Patrem, non periit humani generis Diuina præfectura vnius pastoris. Et ante Christi aduētum, vnus visibilis pastor in Ecclesia erat, qui tam Naturæ, quam Legis tēpore sacra administrabat. Dum enim Adam solus erat in mūdo, Ecclesia proprie non erat, quę constat ex pluribus dignosci tur tamen Ecclesię principium in vno erat, vt sciremus, non minus fidem, quam naturam ab vno proficisci. Adam in vnius Dei, & conditoris sui fide creatus est: nam

quo-

Tertium vestigium in quo'i ind uiduo.
Arist. lib. 1. Polit. c. 3. c. 2.
Gen. 1.
Diuina, & Ciuilis monarchia, & Ecclesiastica, quomodo agnoscatur.
Qua lege Deus homines condiderit.
Act. 17.
Chrys. ho. 34. in prior. a 1 Cor. ante med 1.4.
Gen. 2.
Idem Chrys. ibid.
Matt. 19.
Idem ibid.
Cur Deus Adam Euę voluerit imperare.
Gen. 3.
In omni bene instituta domo regni speci men agnoscit Chrysostomus, & quale illud sit.
Theop. Antiochen.
Chrys. ho. 33. in epist. ad Hebr. i. nat. e eod. prope fin. Heb. 13.
Monarchiæ defectus quam totum malorum existat occasio.
Sublato à grege Christi eius summo pastore, quid omnino futurum sit.
Duplex Dei erga hominem prouidētia.
Aug. l. de vera relig. c. 25. l. 1. circa fin.
Adæ omnium parentis monarchia, in quibus remanserit.

Adam fidei, & naturæ principium. Gen. 2. Epiph. operis init. Ecclesiam Catholicã principiũ omnium esse, vnde probet Epiphanius. Idem. Gen. 2.

quomodo mox è summo euigilãs, de Christo, & Ecclesia, vel lege matrimonii tam insigniter prophetasset, nisi antequam obdormisset, & diuina, & humanâ scientia refertus fuisset? Hinc Epiphanius in proœmio libri primi aduersus Hæreses: *Sancta & catholica Ecclesia principium omnium est. Ex hoc nimirum scopo, Adam protoplastus formatus est, non circumcisus, sed carne præputium habẽs. Non autem erat idololatra, & nouit Patrem Deum, & Filium, & Spiritum sanctum.* Hæc ille, Christianismi formam ostendens. In vno ergo non tantum natura, sed fides prophetia, & principium Ecclesiæ: sed post Euam è costa viri formatam cœpit esse Ecclesia, nec illa, etsi parua, capite suo caruit, quia caput mulieris, vir; caput vero Christi, Deus. Si ergo nec duæ quidem personæ in mundo esse potuerunt, quin altera esset alterius caput, idq; in paradiso, & ante peccatum: quid post admissum peccatum in tam infinita hominum multitudine futurũ foret, indicauit? Et si Eua dum à dæmone tentaretur, rem ad caput suum detulisset, & aurem serpenti non dedisset, non fuisset seducta. Adam enim non fuit seductus in præuaricatione. Similiter Cain, qui non parentis sui, sed dæmonis voci auscultauit, vt fratrem suum occideret; Henos cœpit inuocare nomen Domini: quod etsi Adam prior fecisset, supprimitur tamen illud Adæ, teste Augustino, quia ille per naturam fuit commune principium tam ad posteros Cain, quam Seth. Cultus vero Dei cũ suo principio, & peculiari principio primum cœ̃stitit in Abele sine liberis defuncto, deinde in Seth, & filiis eius. Nam Cain egressus à facie Domini, habitauit vagus & profugus super terrã negligens cum semine suo Diuinum cultum: vnde dicuntur filii hominum Genes. 6. sicut filii Seth, filii Dei ob pietatem eius, vt docet Theodoritus in Aphoris. Tractans enim illud: *Tunc cœptum est inuocari nomen Domini,* ait, *Subindicat autem sermo ille, quod propter pietatem primus hæc diuinam appellationem sortitus est, & à cognatis vocatus est Deus: vnde & qui ex eo nati sunt, vocati sunt filij Dei: quemadmodum nos & à cognomine Christi Domini nostri nuncupamur Christiani.* Hæc ille. Principatus ergo Adæ per Seth, & primogenitos peruenit ad Noe virum iustum, & perfectum, qui solus illam arcam, quæ gestabat Ecclesiæ speciem, regebat. Nam vt in illa arca non solum vxorem, & filios, verum etiam animalia omnia collegit: ita Christus per vnius Ecclesiæ ministerium colligit non modo Iudæos, vt regni filios, verum etiam filios omnium Gentium, veluti animalia per ingressum in vnam Eccle-

1. Cor. 11.

Heua cur seducta. Gen. 3.

1. Tim. 2.

Gen. 4.

Aug. l. 15. de ciuit. Dei, c. 17. & 5.

Ibid.

Gen. 6. Theod. in Gen. q. 47. p. 1. init. Gen. 4.

Arca Noe Ecclesiam præfigurauit. Infra. 7.

Matth. 8.

siam. Et ita Noe extinxit schisma, quod inter familias Cain & Seth ortum erat per mutua matrimonia confusas, deleta omni posteritate Cain per diluuium, & solo iustitiæ præcone Noe remanente. Nec obstat, nepotes, & posteros Noe tyrannidem exercuisse, & fidem deserere veram, & idola colere cœpisse: quia ad hanc impietatem non declinarunt, nisi postquam à maiestissima, & paterna perfectura defecerunt. Vixitque Noe post diluuium trecentos quinquaginta annos cum ducentis nonaginta duobus post Harã, quo tempore pii omnes ad Sem filium Noe aspicere, & illius monitis obedire poterant. Is enim Sem fuit propheta, & Rex Salem, & Sacerdos DEI altissimi, dictus Melchisedec, vt ex Traditionibus Hebræorum docet Hieronymus ad Euagrium, & libro Quæstionum Hebraicarum. Vixit vero Sem post diluuium per quingentos annos, quem Abraham propheta de eius stirpe per Heber natus adeo veneratus est, vt post partam de hostibus victoriam benedictionem ab eo acceperit, & ipse ei decimas omnium reddiderit.

2. Pet. 2. Gen. 7.

Noe posteri cur in tyrannidem & idololatriæ crimẽ inciderint.

Infra 9.

Gen. 14. Heb. 7. Sem idem, qui & Melchisedec trad cur fuisse. Hier. epist. 26. & 3. sub init.

Post Melchisedec fuit Abraham, & semen eius, de quo in Scripturis fit mẽtio, vt capite populi Dei. Fuit ergo Melchisedec primus Patriarcha, & pastor in toto orbe. Abraham vero, dum ille vixit, inferior quidã pastor fuit, & patriarcha: quia quod minus est, à meliore benedicitur. Et si sub Moyse constituit, vt ei Sacerdoti parerent oẽs, qui præfuisset certo loco, quẽ eligisset Dominus: credendum etiam probabiliter est idem aliis præscriptum fuisse, qui seorsum vixerunt ab Abraham, vt in dubiis accurrerent ad certum quendam locum, & ministrum Dei. Et fere, vt Hieronymus ait in Hebraicis quæstionibus, primogenitus quisq; aliis præficiebatur, nisi Deus aliud reuelasset. Fuit ergo Abraham de stirpe Sem, ad quem cæteris posteris Sem antecessoribus suis defunctis, ordine tandem peruenturus erat totius Ecclesiæ primatus eo quod cæteri filii Noe in vera fide non persistiterunt; vel si qui fuerunt boni, ad aliquem vnum pastorem referebantur, vel ad ipsum Abraham.

Idem 1. eodem à med. Gen 14. Abraham caput populi Dei, deque genere Melchisedec. Heb. 7.

Deut. 17.

Idem Hier.

Post hunc Isaac Iacob sancti sunt pastoris primi munere, vt omnes Fidei controuersias tollerent: & sic fuit Sacerdotium summum, donec rebus Ecclesiasticis præfuit: Leui in captiuitate Aegypti positus, sicut Iudas profanis, & ciuilibus: vsquequo Aaron præficitur toti populo DEI, & miraculo eius confirmatur Sacerdotium in æternum, à quo omnia Fidei dubia terminanda erant: à quo deficientes primi Ieroboã,

Abrahæ qui successerint in Ecclesiæ principatu.

Numer. 17. & sæpe alibi.

Deut. 17.

&

3. Reg. 12.
Deut. 7.
Condendi in monte Garizim templi caussa.

&tribus illum secutæ, Idololatræ, hæretici, & schismatici sunt habiti. Et cum Manasses Iaddi Pontificis frater, opera Sanaballath cuius filiam contra legem in vxorem duxerat, templum in monte Garizim ædificandum curasset, & Samaritæ illud verum Dei Templum esse contenderent, Iudæi vero contradicerent: prouocatum est ad Ptolemęum Philomethora Aegypti Regem; & Andronici opera, qui templo Ierusalem præerat, patrocinatus est, cum per continuas Pontificum successiones Sacerdotii vsque ad sua tempora propagationem ostendisset, & ab omnibus Asiæ Regibus donariis honoratum, Regi persuasit, vt diceret, templum Ierusalem ex sententia Mosis conditum esse, vt autor est Iosephus in Antiquitatibus Iudaicis. ¶ Quod si maior est gloria ministerii Noui Testamenti, quam Veteris, & in veteri lege erat visibile caput pro tam paucis ministris, & pro tam paucis caussis, quia omnia fere erant decisa: quanto magis ad gloriam Noui Testamenti, pro tam innumeris ministris, & pro infinitis caussis decidendis, cum paucissima sint scripto consignata, & reliqua Traditioni commendata, opus erit vno visibili iudice, & capite, & pastore? Et præstaret sane habere vnum solum Episcopum super vniuersam Ecclesiam, quam tot Episcopos sine capite. Vnde quod ait Caluinus, Iudęos idololatris vndique septos fuisse; ideo Deum vnum Antistitem illis præfecisse, quem omnes respicerent, quo melius in vnitate continerentur: certe Christianis magis conuenit: qui ab Idololatris, Mauris, Tartaris, Turcis, & nouis Indorum populis obsidētur, & intus ab innumeris Hæreticorum turbis vexantur: ideo etiam hodie expedit vnum præfici caput, quod melius in vnitate contineantur.

Ioseph l. 13. c. 6. Antiq.
2 Cor. 3.
Contra Caluinum

Quomodo Christi summus in Ecclesia principatus cum illo Petri, & successorum eius stare possit.
Ephes. 1.
Coloss. 1.
Operationes Christi propriæ solius quænam sint.
Ioan. 8.
Act. 10.

Dicere autem, Petrum Ecclesiæ visibilis caput sub Christo ad tempus, & principatum habere; non detogat gloriæ Christi, vt Hæretici docent: quia quæ sunt propria, & per essentiam ipsius Christi, vt esse caput corporis, & principatum tenere in omnibus, vt dicitur ad Colossens. 1. communicat aliis sub se, sed in inferiori gradu, quia per participationem, & ad tempus in externo tantum ministerio, & precario. Christus autem suo iure totius corporis Ecclesiæ caput æternum est, & interius solum operatur gratiam, & effectus omnes Sacramentorum, & intus docet, etsi ad tempus ipse etiam exterius, dum nobiscum versatus est, pastoratum administrauerit. Quemadmodum Christus lux est mundi, iudex viuorum, & mortuorum, & Filius Dei, siue Deus: & tamen per participationem alii eadem tribuit: *Vos estis*, loquit, *lux mundi*: & *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*: *Ego dixi, Dij estis; & filij Excelsi omnes.* Adde, ius gentium, & Ciuile monarchiam cæteris regendi generib. prætulisse. Nam Cain primus à patris sui domo discedens, habitauit in terra vagus, & profugus, & ciuitatem nomine filii Enosiam appellauit, vbi ipse excusso iugo paterno exerceret principatum, & eius exemplo Nemrod robustus venator coram Domino, & principium regni eius fuit Babel: atque ita plures Reges in diuersis vrbibus esse cœperunt ex superbia: vel ne aliis subessent, vel vt aliis præessent. Inde natum regnum Assyriorum, quod multa in se regna vniret: cui successit Monarchia Medorum, & Persarum, huic vero illa Græcorum, & illi Romana, sub qua natus Christus verus orbis Monarcha, de quo Dan. 7. Regnum vero Christi cæteris, maius vno pastore gubernatur visibili Alexand. Magnus Dario offerenti dimidium regni sui, respondisse fertur, vnum regnum non magis ferre duos Reges, quam vnum mundum duos Soles. Et Poeta.

Matth. 5.
Infra 19.
Ioan. 10.
Psal. 81.
Gen. 4.
Cain cur seorsim à suis habitauerit.
Infra 10.
Vrbes ab hominib. conditæ duas ob caussas.
Regnum Assyriorū vnde.
Luc. 2.
Lucan. l. 1. Pharsa circa prin.

Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit.

Idem Ibid.

Et infra:

Nec quemquā iam ferre potest, Cæsarue priorem,
Pompeiusue parem.

Et quidam recens Poeta.

Non capit vna duos maiestas Regia fratres,
Fraterno rubuit sanguine Roma recens.

Quod si Monarchiæ ciuiles tantum vtilitatis Euangelio propagando attulerunt, idque quia per illas multi populi in vnam Gentem redigebantur, vt ex Eucherio, & Leone vidimus; quanto magis est necessarius nunc vnus pastorum Princeps, qui eosdem populos in tam diuersis prouinciis positos in vnitate vnius ouilis contineat, & contentos conseruet? Adde etiam Hæreticos sectarum variarum inuentores, quorum quisq; ad regnum, & monarchiam aspirat, vt & præsit his, qui ad eius sectam accedunt: vt à Simone Mago, Simoniani, à Marcione Marcionistæ, ab Arrio Arriani, à Luthero Lutherani, à Calnioo Caluiniani seu Caluinistæ: quid hi omnes, & illis similes aliud moliuntur quam imperare, & cæteris omnibus præesse, & regnum excutere ab Imperatore, & Pontificatum vniuersalis Ecclesię eripere à Papa? quidni ergo habeat Ecclesia & imperium, & pastoratum vnius externum, quo se ab illis tueatur? Lutherus ab initio etsi Cæsari, & Papæ se subesse fingeret: postquam tamen numerosum

Eucher.
Leo Magn.
Vnde perspicuum sit Hæreticos quoque ipsos Monarchicum regimen, & nomen affectare.

exercitum comparauit, humilitatem fictam reuocauit, & totus in bellum exarsit, & classicum suis in Catholicos cecinit, & Dux ac Princeps factus solus voluit regnare, & consortem imperij Carlostadium tyrannice ex Ecclesia Vvittenbergensi, id est ex sua sepe eiecit; vt omnes cernerent Papatum quendam Saxonicum in animo Lutheri plantatum fuisse; quem imminui ęgre ferebat, augeri vero lætabatur. Hinc in responsione ad Regem Angliæ scribit: *Quam uis multa, & varia quidem sim perpessus, tamen illud adhuc expediendum restabat: Meus Absalom patrem regno suo expulit & meus Iudas qui & Dominum prodidit, & dissipauit cœtum proprium discipulorum, non tum etiam in me idem designauerat.* Hæc ille. Habet Lutherus ergo regnum, & cœtum discipulorum; est pater, dominus, ac Rex; habet filium Absalom, & Iudam proditorem Zuinglium, qui eum regno suo expulit; cum tamen ipse Lutherus nemini succedens, verus Iudas, proditor Catholicæ Ecclesiæ fuerit, regnum DEI vsurpando. Et denique tale est ingenium Hæreticorum, vt regna affectent. Et vt docte definiuit Augustinus: *Hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas, & nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur.* Sic ille, ostendens Hæreticos principatum affectare.

Idem in Saxonia vt videtur possit summum gessisse Pontificatum.

2. Reg. 15.

Matth. 26.

Eius Pontificatus insign a. Zuinglius Lutherum sede deiecit, vt ille Carlostadium.

Aug. li. de vtil. creden. ad Honoratum c. 1. to. 6.

Adiungimus prædictis, Prophetas prædixisse, vnum quoddam caput sub Christo futurum in Ecclesia visibile. Vnde Sponsa in Canticis prædicitur futura, vt Castrorum acies ordinata. Vt ergo exercitus ab vno Duce regitur, ita Ecclesia: nam in Ecclesia quis erit ordo, vbi multi sunt pares? Vnde vel ipsæ Respublicæ, quæ democratiæ, siue Aristocratia gubernantur, vnum præponunt ducem, qui summę rei moderandę præsit. Item; *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus. Caput eius, aurum optimum.* Et vt in corpore plures sunt capilli, oculi duo, genæ duæ, labia duo, & brachia, & manus duæ, non sunt tamen duo capita in eodem corpore; sed vt est vnum collum, vnus nasus, vnicus vmbilicus, ita est vnicũ caput. Et vt per omnia geminata membra communi omnium consensu interpretamur Episcopos, & Presbyteros; ita per vnum caput summum Pastorem vnum, & Petri successorem. Ezechiel prædixit; *Suscitabo super eas* (scilicet oues) *Pastorem vnum*, ac rursus, *Faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Israel & Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes nec diuidentur amplius in duo regna* (Israel, & Iuda, qui diuersos Reges, & Sacerdotes habebã) (*Seruus*

Ecclesiæ monarchia vbi prædicta sit à Prophetis, ac delineata

Cant. 6.

Ibi nullus ordo, vbi multi sunt pares.

Supra 5.

Vnitas Ecclesiæ pastoris in humano corpore aptissime repræsentata.

Ezech. 34.

Infra 37. Hebræorũ duo regna inter se diuisa.

meus David Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum. Quod non tantum in Christo impletur, sed in vno Ecclesiæ toti præfecto, de quo: *Erit vnum Ouile, & vnus Pastor:* &, *Pasce oues meas*: nam de pluribus pastoribus recte Ieremias vaticinatus est. Pastores multi demoliti sunt vineam meam conculcauerunt partem meam. Laudat Ezechiel Pastorem vnum, vituperat Ieremias plures pastores; qui tunc sunt plures, quando plures sunt, & non sunt sub vno. Vnde vnus primus laudat monarchiam: secũdus, reprehendit Aristocratiam. Et Daniel: *In diebus*, inquit, *regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum nõ dissipabitur.* Vt ergo quatuor illa Regna, auri, argẽti, æris, & ferri, ab vno visibili Rege gubernabantur; ita Ecclesia vno rege Christo, & illo visibili in principio regni sui, & in fine seculi ipsius etiam in ipso Christo visibili, medio vero interiecto tẽpore in Vicario suo, qui vices eius sustinet, & non en Domini sui profitetur. Et huc pertinent, quæ Prophetę de filiis Israel dispersis congregandis vaticinati sunt. Ieremias, inquit: *Qui dispersit Israel, congregabit eum & custodiet eum, sicut pastor gregem suum.* Ezechiel: *Sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium dissipatarum.* Et infra: *Et congregabo eas de terris.* At populus in vnam Ecclesiam, & cultum DEI, colligitur sub vno Christi vicario.

Ioan. 10. Infra 21.

Ierem. 12.

Dan. 2.

Ierem. 31.

Ezech. 34.

Ibid. 13.

Adhæc, Ecclesia primitiua vnum tantum Pastorem, & Regem Christum prædicantem, Sacramenta instituentem, & ius cuiq; dicentem agnouit, per eumq; nata est & enutrita: quæcunq; ergo Ecclesiæ gubernatio esse debet, neq; melius ab aliquo primo principio, quam ab ipso Christo deducitur, nec ad aliud exemplar conformari potius debet, aut potest, quam ad id, quod Christo in seipso, & in primitiua expressit. Decuit enim, vt ille omnem impleret iustitiam, vt Ecclesia sequens illius primitiuæ sequeretur exemplum. Nil in Christi factis maius, & obseruatu dignius, quam ordo, & modus, quo, dũ viueret, Ecclesiam Christianam gubernabat. Cætera. n. facta pertinent ad singulos, sed ordo, & modus ad singulos, & vniuersos; nisi membrum Ecclesiæ Christi quis esse nolit, & nesciat, quod sit caput suum, vel eius imperio non obediat. Deus autem dedit Christum caput super omnem Ecclesiam, Christus enim dũ vixit, rexit Ecclesiam suam ritu, qui proxime ad vnius principatum pertinet: nil commisit populo imperandum, nec optimates ad sui regiminis ęqualitatẽ admisit: solus vocauit ad se discipulos, misit binos, & binos ante

Eadẽ Monarchia ostenditur, ab exemplo Christi

Mat. 3.

Quid in Christi factis maius & admirabilius extiterit.

Ephes. 1. Coloss. 1.

Luc 6. Infra. 10. faciem suam ad prædicandum: solus duodecim Apostolos non in consortium æqualis potestatis, sed in ministerium dispensationis accepit: solus instituit Sacramenta.
Nullo magis tempore quam Christi, floruit religio Christiana Habes ergo in Christo exemplum ad visibilem Ecclesiæ principatum. Tempore autem Christi erat perfectissimus Christianismus, & status eius, & ab vno Pastore regebatur, atq; eo quidem visibili, & mortali. Quomodo ergo audet Hæreticus proponere meliorem aliam gubernandi rationem, & nunc vult plures, imo pene innumerabiles
Ibid. Episcopos, & Presbyteros, & plebem totam ad Ecclesiæ gubernacula sedere? Ex forma Domini in terris agentis erant septuaginta duo discipuli pastores dominici gregis: sed
1. Pet. 5. in maioribus oppidis erant Apostoli eiusdem gregis in altiori gradu, & ciuitatum magnarum pastores: erat & pastorum omnium Princeps Iesus Christus. Hæreticus
Christum in summo Pontifice, quam in aliis omnib. Episcopis perfectius repræsentari dat nobis in Ecclesia Episcopos, & Presbyteros instar Apostolorum, & Discipulorum Domini: sed non dat aliquem summum Pastorem, & Episcopum, qui sit instar Christi. Dat quod minus est in regimine Ecclesiæ, negat quod maius est, & totius gubernationis principium, & caput. Dicit Christum
Psal. 109. manere Sacerdotem in æternũ, & caput, & neminem eius personam gerere. At Paulus
Heb. 5. 2. Cor. 2. ait: *Et ego quod donaui, si quid donaui, propter vos, in persona Christi*: ergo Paulus gessit personam Christi, & dicebat de omnibus Apo
Infra 5. stolis; *Pro Christo legatione fungimur.* Si multi poterant personam Christi repræsentare, ergo minus à vero abhorret, vt vnus id præstet: vnus enim ab vno significantius exprimitur, quam à multis.

II. ratio. Deinde, vt Christus manet caput, omnẽ actum internum, & sub visum non cadentem influens, ita non manet secundum sensibilem præsentiam, & aspectum externum illo modo quo olim dum viueret manebat. Nec enim hodie visibiliter prædicat vel instituit Sacramẽta. Quid ergo actũ est de externo, & visibili illo Christi principatu? an periit, an periturum aliquid Christus gessit vnquam in Ecclesia sua? an ille in cœlum transiit principatus? Sed quis ibi dicat, Christum prædicare, aut prædicatores mittere? aut expellere dæmones, aut instituere Sacramenta?

III. ratio. Adhæc, si dignitas ministrorum Apostolorum, & Discipulorum non periit, sed in Ecclesia Dei extat, cur ille dignior principatus Christi pro ea parte, qua visibilis dicitur, periisse dicatur; cum tamen Apostolorum dignitas visibilis repererit successores visibiles, in quibus vigeret: quanto magis visibilis Christi dignitas, quam in terra per sceptrum non exercet sublato Romano Pontifice, qui instar Christi præsit vsq;
Mat. vlt. ad consummationem seculi? certe si nihil
Lutherana congregatio, & Caluinistica nullum habet Christi successionem, nec præsidem. eorum quæ Christus gessit, periit, felicior est Christi Ecclesia modo, in qua vnus est Pastor, qui loco Christi regit, quam Ecclesia Lutheri, vel Caluini, in qua nullus Christi loco præsidet. Nihil ergo mihi occinas de Christi Spiritu regente Ecclesiã: quia Spiritus Christi ante incarnationem Ecclesiã regebat; & postquam natus est, & post eius
Dictũ Hæreticorum impugnatur, Spiritũ Christi Ecclesiæ eius regendæ sufficere. mortem, & postquã in cælos conscendit, rexit, & reget. Cæterum, vt Spiritus Christi carnẽ assumpsit in persona Filii Dei, ac per eam quasi per organũ sibi vnitum visibiliter ad temp' Ecclesiam rexit: ita in honorẽ illius carnis credimus eundem Spiritũ semper adhibere visibilẽ alterius hominis carnem velut instrumentũ remotius per quod
Illud quando affirmari posset. regat Ecclesiam suam: Nam si Christus nunquam in carne visibili cum grege suo visibili versatus esset, nec prædicasset, vel signa edidisset, vel alios externæ vocis ministerio ad prædicandum misisset, nec redemptionẽ per carnem, & sanguinẽ operatus esset, verum hæc omnia Spiritu suo ab initio peregisset; profecto nunc diceremus solum Spiritum Christi ad hæc omnia peragẽda suffi
Rom. 10. cere absq; aliquo homine suo vicario. Quoniam cum ad salutẽ agnoscendus sit pastor
Psal. 18. noster Fide, Fides autem sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi nõ solum interne dictum, sed & externũ de quo: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & fines orbis terræ verba eorum*: ergo nisi externa Christi vox sonet in terris, non cognoscetur ab omnibus suis pastor, vel saltem aliquis à Christo
Ecclesiæ Pastores locũ Christi quando recte sustineant. missus, qui eius vicem, & vocem suppleat.

Dices, omnes pastores Christi vicẽ supplere. Verum est: sed nisi inter tam multos vnus emineat, qui Christi personam super cæteros referat, non erit huic rei satisfactũ. Nam dum Christus viueret, erant permulti prædicãtes, baptizãtes, sed sub vno Christo primo prædicatore, & baptizatore. Nam si des mille prædicatores, & mille baptizatores, qui nullum superiorem agnoscant, nõ das exemplum primitiuæ. Dandus ergo vnus primus pastor, cuius vocem audiant omnes, & per cuius communionem, quam cæteri pastores habent cum eo, in æternũ in
Mat. 12. notescat, qui sint veri Dominici gregis pastores. Qui enim non colligit cum primo
Ioan. 10. pastore, qui vice Christi olim prædicantis
Dispergat quis gregẽ Christi. præsidet, is vtiq; dispergit gregem, & Antichristus est. Nam vt Christus non Spiritum nobis, sed carnem subduxit oculis nostris; sic Vicarium accepit non secundum Spiritum deitatis, qui vbiq; præsens est, sed se-

cundum carnis suæ sensibilis repræsentationem. Etenim vt ait Apostolus, non nouimus Christum secundum carnem: ergo est nobis præsens secundum spiritum, vsq; ad consummationem seculi. At secundum carnem vidimus, & audimus Christum in suo Vicario, qui principatum suum externum oculis nostris, & aurib. subiicit. Quod si multos des Vicarios vnius Christi, non perfecte repræsentas Christum vnũ in pluribus, nisi illi plures vni subiiciantur. Plane confitentur Magdeburgenses visibilem vnius pastoris Christi primatum, dum viueret: sed qui illum admittit, admittat necessum est externũ principatum vnius pastoris in Ecclesia. Nam perfectior est ea Ecclesia, quæ illam Christi quam proxime imitatur: & certe omne, quod generat, simile sibi generat, non dissimile. Ille ergo Christi primatus generauit omnem Ecclesiasticã gubernationem, quæ postea extitit. Et quia ille Christi fuit visibilis, generauit visibilem; à quo primum in Petro, & deinde in omnibus successoribus Ecclesia vsq; ad sui consummationem gubernatur. Sicut ergo fic° nõ producit spinas, nec vitis vrticas, ita nec Christi primatus optimatum, vel popularem gubernationem, nec visibilis inuisibilem: ita vt ea sit suprema, & non subsit vni CHRISTI principatui dum vixit, & post eius mortem visibili vnius Petri, & successorum suorum gubernationi. Et hactenus de CHRISTI facto exemplo sit disputatum.

2. Cor. 5.
Mat. 10.
Magdeburgen. cen. 1. l. 2. c. 7.
Ecclesia quæ quo perfectior æstimanda
Mat. 7.

Dicendum de doctrina eius. Dominus vocauit Ecclesiam, regnum cœlorum frequenter; Ecclesia ergo ab vno Rege gubernatur neq; natura regni magis duos Reges patitur, quam mundi fabricatio duos Soles. Nam etsi Christus sit Rex militantis Ecclesiæ, quatenus lumen, & gratiam infundit; tamen quatenus est visibilis, & mortalis, hoc est, membra morti obnoxia complectitur, eam sine visibili, & externo capite non administrat. Quod est officium Regis? Ius dicere subditis, & ante eos ingredi, & egredi & prælia eorũ præliari. Et vt Ecclesia regnum est spirituale, sic est spirituale ius dicẽdum, & bellũ spiritale in eius defensione faciendum. Verum quia neq; Ius, neq; bellũ ita est spiritale, vt solo spiritu sine corporis adiumento fiat, & regnum ipsum Ecclesiæ non sit mere spirituale, & in eo prædicandum sit Dei verbum, quod externo auditu percipitur, Sacramẽta sensibilia dãtes corporei sint, & recipientes, bellũ pro fide contra Hæreticos palam gerendum est per decreta, sanctiones publicas, & Hæretici excõmunicantur excommunicationis sentẽtia per os pastoris in Ecclesia, & in totius populi conspectu pronunciatur. ¶ Quod si quæram, an suauis sit Ecclesiæ Christi gubernatio, & an Regis sui expectet consiliũ, vel indictum, quem nec videre, nec audire, nec per Vicarium suum alloqui possit? quod si Vicarium habet, quem tota Ecclesia, & vniuersi pastores audiãt; iam vnus erit primus, & supremus pastor, cui Ecclesia, quasi regnũ suo Regi subsit. Si vero quis dicat, multos esse vicarios, pastores, qui præsentiæ visibilis ipsius Christi locum teneant; iã non vnius Regis, seu plurimorum optimatum gubernationẽ describes. At militans Ecclesia regnum cœlorum est, quia ab vno Rege regitur: ergo per visibilem alicuius vnius præfecturam Christus gubernat Ecclesiam: sic enim & regni naturæ, & Regis honori, & Ecclesiæ necessitati satisfiet. Illud enim moribus est receptum, vt quoties vnus, & idem Rex plura possidet regna, quæ longe inter se distant, & varia, & diuersam administrationem requirunt, in maximo illius regno ipse Rex resideat, alia per Legatos, & Vicarios gubernent; vt Romani per Consules, Præsides, & Procuratores. Ita fecit Christ°, qui est nobilis ille homo, qui abiit in regionem longinquam accipere sibi regnũ, & reuerti: accepit regnum in cœlo, sedens ad dexteram Patris: interim, dũ abest, per aliam ministrum suum Ecclesiam regit militantem. Quod si dicant, Christũ esse omnipotentẽ, per se gubernare posse Ecclesiam suã sine vllo Vicario, cur ergo vllum vel Episcopum, in Ecclesia sua esse ferunt, cum Christi potentia possit omnia supplere si aliquos voluit singulis suis Ecclesiis præfici? Cur non magis vnũ toti Ecclesiæ præesse voluisse putandus est, cum bonum vniuersale præstet particulari? Et quoniam ille vnus vnitatem Regis, & Pastoris æterni repræsentat; cum interim plures pastores per nullum superiorem, ad vnitatem reducti nihil aliud quam plures Christus, & plures Ecclesiæ Militantis pastores repræsentent.

Idem Ecclesiç Principatus cõfirmatur Christi doctrina. Primus locus.
Regis munus quodnam sit.
1. Reg. 8.
Ioan. 10.
Suaue Ecclesiæ Christi regimen vnde pendeat.
Ecclesia regnum cœlorũ dicta.
Luc. 19. Quis nobilis ille homo qui abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum & reuerti.

Assimilat præterea Christus Ecclesiã suã Luc. c. 10. diuersorio cuidã, vel hospitio, in quod homines per fidem intrant. Per fidẽ enim ambulamus, & nõ per speciem; Christus vero Samaritanus est, qui per hanc vitã in cęlũ vsq; pertransiit. Stabularius aũt, vel hospes, alius erit à Christo: illius enim fidei & industriæ Dominus hominem à latronibus vulneratum commendauit. Et licet in magno diuersorio plures sint ministri, & alius præficiatur culinæ, alius cellario, alius stabulo, alius cubiculis: illis tamen omnibus vnus hospes præest, qui solus omnium cu-

Alter loc°.
Luc. 10.
2. Cor. 5.
Luc. 10.

curam gerit, & negligentiam supplet. Hic est ianitor, de quo Marc. capit. 13. *Et dedit seruis suis potestatem cuiusque operis, & ianitori præcepit, vt vigilet.* Vides ergo in Ecclesia multos cum potestate relictos, sed vni præcepit pro omnibus, vt vigilet. Quis est iste ianitor, nisi ille, cui promisit claues regni cœlorum, id est Petrus?

Mat. 13. Ianitor Ouilis Dominici quis.

Mat 16. Tertius locus. Ioan. 10.

Ad hæc Ioannis ca 20. dicitur: *Erit vnum Ouile, & vnus Pastor*: quod etsi de Christo intelligi possit, quatenus rei natura patitur: constat enim, illas alias oues, quæ crediture erant in Christum, fuisse Gentes: sed antequam crederent, non erāt de eius ouili: vocem vero Christi Gentes audierunt, non tam ex ore eius corporeo, quam in Spiritu per ora Apostolorum detecto; venerunt autem ad Ouile militantis Ecclesię, quod hic erat, vt ita in Ouile gloriæ transirent. Duo ergo erant Ouilia, quę se mutuo respiciunt Oues enim quæ non sunt ex hoc Ouili Iudæorum, fiunt de illo Ouili: Nam Ouile hoc, quod constabat ex Iudæis, semper vnū erat, & sub Christo de genere Leuitarum vnus eiusdem gregis pastor erat. Et vt Ouile de quo agitur, militans erat, & temporale cui Christus inuisibiliter præfuit: ita & vnus ille Pastor, quem Christus ibi designat futurum, pastor erit militans, sub Christi tamen castris, per cuius ministerium oues ad ipsum vt pastorem verum, & æternum adducantur.

Gentiles quando audierint vocem Christi.

Ouilia Christi duo.

Cyprianus ad Magnum de Vicario pastore illa verba Christi intellexit? *Et erunt*, ait, *vnus grex, & vnus Pastor*. Et subdit: *Pastor haberi quomodo potest, qui manente vero Pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente, nemini succedens, & à seipso incipiens alienus fit, & profanus*, &c. Et libro de simplicitate Prælatorum: *Et erit vnus grex, & vnus Pastor*: Et esse posse vno in loco aliquis existimat, aut multos Pastores, aut plures Reges?

Cypria li. 1. epist. 6. paulo ante med. Vnde probet pastorem non esse Nouatum Cyprianus. Idem.

Sunt alii loci Euangelici, in quibus Christus aperte constituit vnum pastorem verbo suo. Vt, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Et tibi dabo claues regni cœlorum: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: &, *Pasce oues meas, & agnos meos*: de quibus nihil hic dicemus, quia suis locis abunde sunt explicata, & ab Hæreticorum argumentis propugnata.

Alii loci quatuor. Mat. 16. Luc. 22. Ioan. 21.

Iam vero vt ad Apostolicam doctrinam veniamus, comparat Apostolus Ecclesiam corpori humano Romanorum 12. 1. Corinthiorum 12. Ephesios 1. at in membrorum multitudine pręest caput quod omnia membra vnit; & regit. ¶ Dices nos esse vnius corporis membra, sed eius corporis Christum esse caput. Imo certe Christus non tantum est caput, sed etiam membra eiusdem corporis. Vnde Apostolus dixit Sicut corpus vnum est, & membra habet multa: omnia autē membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt. ita & Christus. Vbi Chrysostomus nomen Christi pro Ecclesia, quæ corpus Christi est, positum esse docet. Vt ergo licet Christus dicatur non solum caput esse, sed & membra tamen præter Christi personam alia sunt Ecclesiæ membra, quæ Christum per gratiam induerunt, sic præter Christum caput alia sunt ad tempus Ecclesiæ capita, quæ ad tempus sub Christo nos regunt. De quo genere capitum subdit Apostolus: *Non potest caput dicere pedibus, Non estis mihi necessarij.* Et tamen caput æternum Christus potest dicere pedibus, & manib. corporis Christi mystici: Non estis mihi necessariæ: sed caput tempore hoc dicere nequit. Vnde Basilius ad temporale caput hæc verba referenda insinuat. Nam scribens ad transmarinos Episcopos (id est Occidentales, quorum Princeps est Papa.) *Siue caput*, inquit, *vos ipsos vniuersalis Ecclesiæ reputatis, non potest pedibus dicere caput: Non est mihi opus vobis.* Sic ille.

Eadem Ecclesiæ monarchia à Paulo tradita & explicata. Primus locus.

1. Cor. 12.

Chrys. ho. 30. in prior. ad Cor. t. 4.

Ephes. 1. & Coloss. 1.

1. Cor. 12.

Basil. epist. 77. circa med t. 2. sub finem.

Corpus ergo Ecclesiæ, quod in terris agit, partim est visibile, & mortale, partim inuisibile, & mortis expers: nam in Sacris & Ecclesiasticis actionibus visibile est Ecclesię corpus, at Fide, Spe, Charitate inuisibile quia quæ sursum sunt, quærit, & sapit. Quatenus ergo Ecclesiæ corpus visibile, & mortale, visibili capite indiget, ne corpus illud sine congruo, & accommodato sibi capite existat: quatenus vero spiritale est, à solo Christo regitur. Corpus ergo, quod in terris adhuc agit, vnum est corpus, & non multa corpora; & vnum in terris habet caput, & non multa capita. Nam etsi multa in diuersis Prouinciis capita habere videatur: quamdiu tamen illa omnia vni pastori subsunt, vnum caput sunt, & non multa. Et rursus licet multi sint diuersis temporibus primi pastores; tamen quamdiu omnes vnius Petri pastoris potestatem, officiumque per vices exercent, CHRISTO que pastorum Principi deseruiunt, non sunt multa Ecclesiæ capita, sed vnum tantum, quod est Christus omnia in omnibus.

Ecclesia præsens quaten. visibilis sit, & quatenus inuisibilis.

Coloss. 3.

Vnitas Ecclesiæ Pastoris, & capitis Pontificis Romani cum tot aliis pastorib. & capitibus quomodo consistat. 1 Pet. 5. 1. Cor. 15.

Rursus Paulus Ecclesiam militantem confert domui: *In magna*, ait, *domo, non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia.* Dominus autem, etiam magna, non solet à duobus, verum ab vno pati et familias regi. In naui, vnus Gubernator: id domo,

Alter loc. 1 Tim. 2.

vnus Dominus. Et vt ait Lucas, Constituebant per singulas Ecclesias Presbyteros, id est Episcopos. At quot? vnum in qualibet Ecclesia: vt, vnum Iacobum fratrem Domini Ierosolymis, vnum Euodium Antiochiæ, vnum Timotheum Ephesi, vnum Titum Cretæ, vnum Dionysium Athenis. Et Cyprianus epistola ad Cornelium: *Singulis Pastoribus portio gregis est adscripta.* Si ergo in singulis Ecclesiis singulos constituerunt Episcopos, aperte docuerunt, in Ecclesia Militanti non esse nisi vnum summum, primumq; pastorem, & cum non aliter visibilem, quam in singulis parœciis vnus videtur, & agnoscitur pastor. Eadem enim est ratio totius Ecclesiæ in toto corpore, quæ est partium singularium in singulis earum partibus, ex quibus totum conflatur: quę si dissimiles toti suo existant, non erit illud pulchrum corpus, & spectabile, sed turpe, & indecorum. Ideo fideles Romani clamabant contra Constantij Arriani Imperatoris literas, qui volebat duos Episcopos Romæ simul præesse, vt docet Theodoritus: Vnus Deus, vnus Christus, vnus Episcopus. Et Meletiani nulla hæresi infecti, ob hoc tantum notati sunt, vt schismatici, quod non dubitarent Episcopos, & Presbyteros ibi constituere, vbi iam antea Episcopi, & Presbyteri à Catholicis essent constituti: vt tradit Epiphanius. Et Melchiades Papa, cum ageret de tollẽdo schismate Donati (qui alios Episcopos in eisdem locis, vbi Catholici prius erant, constituerãt) non est ausus decernere, vt vel pacis Ecclesiasticæ caussa duo simul Episcopi perpetuo manerent in eadem Ecclesia: sed ita sententiam tulit, vt qui prius ordinatus fuisset in quacumque Ecclesia Episcopus, is in eadẽ sede solus maneret, alteri vero plebs altera regenda traderetur: vt docet Augustinus.

Act. 14.
Cypria. li. 1. epist. 3.
Ecclesia Christi corporis proportio in quo consistat.
Theod. li. 2. c. 17 in fin.
Ephes. 4.
Meletiani quare pro schismaticis olim habiti fuerint
Epiph. in Haeresi. 68
Aug. epist. 162. to. 2.

Obiicinnt Protestantes ex Hieronymo in cap. 1. ad Titum: *Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur.* Hæc ille. Cui primum respondemus: intelligenda esse illa verba de particularibus Ecclesiis, & non de vniuersali per orbem totum diffusa: quia constat, Apostolos cum potestate, per vniuersum orbem destinatos. Quibus si Christus aliquem præfecit, cum necesse fuit toti fideliũ Ecclesiæ caput, & pastorem extitisse. Certum autem est Christum ita instituisse. Vnde idem Hieronymus libro aduersus Iouinianum: *Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* Deinde, non de omnibus particularibus Ecclesiis illa sententia est explicanda: nam vt idem tradit in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum Iacobum fratrem Domini ordinarunt Apostoli Episcopum Ierosolymæ: & in eodem libro ponit eius successorem Simonem Cananæum: ergo non negat Hieronymus, Ecclesias, etiam particulares, ab vno, & non à pluribus esse gubernatas. Tertio respondendũ Hieron. per verba quæ subiungit ibidẽ: *Postquã vero vnusquisq; eos quos baptizauerat, suos putabat esse, nõ Christi in toto orbe decretũ est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Hæc ille. Non tam ergo fuit illud humanum, quam Diuinum institutum, vt singulis Episcopis assignarentur suæ Ecclesiæ: quia vigente adhuc Apostolica prædicatione, illud schisma, Ego sum Paul', ego Apollo, ego autem Cephæ, natum erat.

Obiectio Protestantium.
Hier. to. 9.
1 Cor. 1.
Idem l. 1. ad uers. Iouini. circa med. to 2. edit.
Mat. 16.
Vnus inter duodecim cur electus teste Hier.
Idem to. 2. circa fin.
Idem in pri ori loco.

Mirum est autem, cum honestissima sit, & pulcherrima Monarchia, & cæteris ab omnibus bonis Philosophis prælata, Caluinum in Institution. lib. 4. c. 20. dixisse: *Si ipsos status citra circumstantias inter se compares non facile sit discernere, quis vtilitate præponderet: tam æquis conditionibus contendunt. Et quidem si in se considerentur tres illæ, quas ponunt philosophi, regiminis formæ, minime negauerim vel Aristocratiam, vel temperatum ex ipsa & politia statum alijs omnibus longe excellere.* Sic ille, vel fauens multitudini decorum aut duobus: tribusue principiis, quæ Marcion, Lucianus, & Manichæus posuerunt cum tamen sit vnus Deus, vnus Christus; vna Ecclesia: & quod in Deo excellit, debet & in nobis, qui iubemur esse perfecti, sicut Pater cœlestis perfectus est, excellere quod ergo dicitur, temperatum ex Aristocratia, & Politia, excellere, eadem facilitate, qua dicitur, à nobis negatur: nulla enim eius extat experientia, sed vsus rerum à nobis est. Angeli enim & homines melius ab vno gubernantur. Nam quod in Aristocratia est optimum, vt multa scilicet consilia in re graui, & ardua adhibeantur, hoc omnes Monarchiæ obseruarunt. Nam Rex Assuerus interrogabant sapientes, qui ex more regio semper illi aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges, ac iura maiorum, Vbi autem multa cõsilia, quibus vnus præest, ibi perfectissima est Reipublicæ forma. Aristoteles in Politicis illam esse primã, & maxime diuinã Reipublicæ formã tradit, in qua vnus præstantissimus vir summa defungitur potestate Quare illa ex odio Papatus effudit Caluin.

Monarchiam Caluin. alius gubernandi formis inferiorem constituit contra Philosophorum doctrinam
Idem tertium quoddam regiminis gen' ex Aristocratia, Democratia queconstãs quare confinxerit.
Mat. 5.
Impugnatur triplici ter. ratio.
Esther. 1.
Arist. l. 3. Polit. c. 18 & li. 4. c. 2. to. 2.

Iniu-

iniurius etiam monarchiæ Diuinæ. Idem Philosophus ex Homero li.12. Metaphysico citat: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω. Hoc est, *Multos imperitare malum est, Rex vnicus esto.*

Idem to 3.

Principum multitudinem improbat Homerus, probat Principis vnitatem.
Iustin. martyr. to. 2.
II. ratio.

Quod carmẽ celebrat Iustinus in exhortatoria oratione ad Gentes, & ait, hunc esse multorum principum salutarem principatum, sed contra noxium: quod explicandum suscepit, dum eorum & bella per multitudinem, & pugnas, & dissidia, & insidias inter se exponit. Vnus enim principatus ab illis dissidiis solutus est, & liber. Ad hæc perfectior vnitas ab vno, quam à pluribus efficitur: nam vnus necessario vnus est, multi vero cupiunt esse tanquam vnus. Illic ergo vnitas naturæ, quæ nunquam mutatur: hic vero artis, quæ raro perfectionẽ assequitur. Nam perfectius est exemplar ipsum, ad cuius imitationem aliud quid refertur, quam id ipsum, quod per imitationem ab alio deducitur: at multi optimi Principes nil aliud esse cupiunt, nec assequuntur, quam vt sint vnus princeps. Exemplar ergo vnius est præstantius. Ex quo liquet, natura ipsa perfectiorem esse vnius quam plurium gubernationem. Etsi inter multos vnus fuerit mal⁹, totam Rempublicam perturbabit: vnus autem Rex, etiamsi pessimus sit, eo minus lædet Rempublicam, quominus à se ipso dissentire potest, aut ab alio pari potestate prædito, à quo dissentiat. Adde, quod tyrannis etsi singulis interdum plus noceat, tamen minus publicæ paci nocet, quam optimatũ factiones: adeo vt multæ respublicæ coactæ sint potius imperio se subiicere, & vni vtcunque iniusto placere, quam infinitos dominos ita pati, vt cui potius placere, aut seruire debeant, incertum sit. Quia enim filii Samuel, quos posuerũt iudices, accipiebãt munera, & peruertebant iudicium, Regẽ sibi dari postularant, quamuis ius regium durum, ac propterea iniquum fore audiissent. Nec Respubl. Romana poterat bellorum ciuilium finem sperare, nedum adipisci, nisi ceruicem subiecissent imperio vnius, quẽ dictatorẽ vocabant. Recte ergo Aristoteles ex Homero, multos esse Principes tanquã malum, reprobauit: & vanus Caluinus, qui respondet, Homerum nihil aliud voluisse, quam regnum duos capere non posse. Nam reuera plus dixit; nam multorum dominationem reprehendit: & è contrario illum Reipublicæ statum laudauit, in quo plures pari potestate præditi non præsunt. Ergo regnum supra cætera regiminis genera prætuli⁹ & præ illo plurium dominationem præclaram esse negauit. Isocrates oratione ad Nicoclem, quam Symmachicus inscripsit: *Quod ad reipublicæ formas attinet (nam de hoc initio dicere constitui) omnes mihi assensuri arbitror, iniquissimum videri, vt eadem bonis & improbis tribuantur, æquissimum vero, vt recta ratio ineatur, & discrimen seruetur ne inæquales æqualia consequantur, sed vt fortuna & honor cuique pro merito & dignitate sua contingat: at Oligarchia & Democratia id spectant, vt æqualitas sit inter eiusdem Reipublicæ socios, & in eo statu præclarum habetur, si nemo plus alio possit; id quod ignauis, & improbis expedit. Monarchia vero principem locum præstantissimo cuique deferunt: secundum illi qui à primo est proximus tertius & quartus, cæteris eadem ratione vt consilium policia id spectat.* Hæc ille multa in hunc sensum subiiciens.

III.

1. Reg. 8.

Romana Respublica dictatorem curfaceret.
Homerici dicti falsi, & inepta Caluini interpretatio reiicitur.

Cum vero Deus tum in Canticis Canticorum, tum in Esaia capit. 60. 61. 62. Ecclesiæ pulchritudinem commendet; necessũ est, vt præclarissimam quamque gubernationem in ea positam ab eo credamus. Quã enim pulchritudinem habere potest optimatum potestas, vbi vni corpori plura capita dantur? Et quam Democratia, siue Popularis dominatio, vbi vniuersa multitudo Christianorum militanti Ecclesiæ præfertur? Ad hæc, si fieri nequit, vt vnus aliquis pastor toti Ecclesiæ præsit, cur toleratur vt vnus particularis pastor cuiusdam Ecclesiæ curam gerat? nam tota militãs Ecclesia particularis quædam Ecclesia est, si conferatur cum immenso Ecclesiæ corpore, quod ab initio mundi ad finem vsque pertingit, cũ interdum vna diœcesis octingentas Parœcias habeat, vt Theodoritus ad Leonẽ Papam de sua diœcesi scripsit. Quid quod more maiorum, vnus multis Episcopis præest Archiepiscopus, & multis Archiepiscopis vnus Patriarcha? Cur ergo non regatur Ecclesia militans Christi sub vno Pastore, si decorem, & ordinem suum sub vno Duce, & Principe habent Angeli, sydera cœli, elementa, animalia, & ipsi homines tam sponte, quam ipsius legis & Prophetarum institutis? Cur regnum Ecclesiæ Christi non erit sub vno certo præfecto, vt nec vltima primis, nec media extremis respondeant? Et quale monstrum erit, quod in corpore suo vnicum æternum caput Iesum Christũ, & in singulis maioribus membris, id est, parœciis, vnũ temporale caput, quod Curatũ vel Plebanum vocamus; & in singulis paulo maioribus, id est, Diœcesibus, vnum Episcopum; & in aliis maioribus, id est, Prouinciis etiam vnum Primatem: & nunc idẽ ipsum corpus Ecclesiæ, quod inter omnia hæc membra interiicitur, & prope mediũ totius corporis locum tenet, & quod maximo sui corporis membro quod est Ecclesia trium-

Ecclesia Dei ob pulchritudinẽ suam passim in scripturis decantatam, pulcherrimum quoque, ac præstantissimũ nempe monarchicum genus gubernandi congruere.
I. ratio.
II.

Parœciis octingentis, ipso teste, vnus præfuit Theodoretus.

phans, est longe minus, & minimo eiusdẽ corporis membro est longe maius, & vmbra sua, id est, vetere Iudæorum Synagoga (vbi vnus Pontifex omnibus præerat in sacris) in hoc, inquam, membro tam pulchro, necessario, & ad impletionem Legis accommodato, & ad imitationem Ecclesiæ cœlestis fabrefacto, in eo solo membro, quod nunc in mundo militat, vnum suæ conditionis, naturæque temporale caput non habeat, sed & ab inferiorib. membris, quæ militant, & à supremo illo quod triumphat, tota politia disiunctum, interque cognatas sibi, & coniunctissimas partes degẽs cum neutris cohæret. Sed & hæc illam pudore quodam afficit, quia formam inordinatam, & vtrisque imparem, & dissimilem gerit, & satis indecorum erat, vt Ecclesia sola cum cæteris mundi partibus in modo regiminis non consentiret, & nunc nec secũ ipsa consentit. Et quomodo homines, qui soli nexus, & vinculum sunt mundi, imo Christiani, qui medium locum inter creaturas, & Deum tenent, quique ipsius Dei sunt tabernaculum, & templum Spiritus sancti, illi neque in Sole, & syderibus, neq; cum cæterarum creaturarum pulcherrimo ordine, neque cum cœlesti Angelorum, & hominum Ecclesia, neque cum antiquo Patriarcharum statu, neque cum synagoga Mosaica, neque cum aliis Ecclesiæ militantibus membris consentiunt? Certe si Ecclesia ex pluribus capitibus pari potestate præditis constaret, Ecclesia militans non Imaginem Dei, & Christi, sed inferni, & ciuitatis Babel, & peccati potius similitudinem gereret. Adhæc, si pacem amamus, oportet primatum constitui. Nam si lis exurgat de baptismo, vel Eucharistia, & Ecclesia in plures sententias scindatur, nec ab hac, vel illa parte Scriptura, vel Patres, vel Episcopi, vel populi, vel Cõcilia desint, qua ratione sciemus quæ sit vera Ecclesia, cui stãdum sit? Nam est illa corp' Christi, & Christus corporis sui tantum saluator.

Nexus & vinculum mundi sũt homines.

1. Cor. 6.

Si omnes Christi fideles omnino essent inter se pares & æquales, Ecclesia qualis videri merito possit. III. ratio.

Ephes. 1. Colos. 1.

Postremo, videmus Ecclesias, quæ cum Romana consentiunt Ecclesia, florere literis, pietate, & armis, & longe esse ab errore & schismate: quales sunt Italia, Hispania, Sicilia, inferior Germania: quæ vero recesserunt à Fide Romanæ Ecclesiæ, aut Saracenis sunt subiectæ, vt Afri, & Numidæ, ob hæresin Manichæi, Donati, & Arrii; aut Turcis parent, vt Ægyptus, Asia Græcia, in oceanam schismatis: aut certe nec ipsæ secũ consentiunt, vt Gallia, Germania, Polonia, Suetia, Gothia, Anglia, Scotia, Hybernia, quæ domesticis bellis ob religionem suscep tis debilitãtur, vt hosti externo viam sternant, qua facile in captiuitatem redigantur.

IV. Ecclesiæ Pontifici Romano subiectæ atque Catholicæ quæ quib. bonis gaudeant, quæ vero rebelles ac contumaces, quibus malis subiaceant infelices.

Ex his igitur tam late disputatis colligimus, optimam Reipublicæ formam esse monarchiam, & illam à Christo Ecclesiæ relictam; aut gubernationem quandam sic temperatam, vt quod in quolibet regiminis genere præstantissimum est & optimũ, in eam simul aggregetur. In monarchia est vnitas optima, quæ sic habetur per vnum: in Aristocratia nil melius quam plurium consiliorum in vnum collatio: In populari statu nihil maius, vel dignius, quam quod aditus ad gerendos magistratus cuiuis bono, & prudenti viro ex æquo pateat. Hæc omnia in Ecclesia inueniuntur: est ergo præstãtissima gubernationis Ecclesiasticæ ratio, & singulas alias regẽdi formas lõge post se relinquit. Quod vero in vtraque gubernatione est pessimum, id omne fugit, & cauet Nam in populari statu quod vulgus dominetur, nec ipsi vulgo vtile est, quoniam maior plebis pars rudis est, & Legis Diuinæ, atque aliarum Legum politicarum ignara. In Aristocratia timendæ sunt factiones quę corpus Reipublicæ in partes scindere solẽt Hæc ab Ecclesia exulant propter vnius Pastoris, & Iudicis sententiam ab omnibus audiendam: nam simulac ab illius, qui primus est, communione quisquam defecerit, mox à cæteris schismaticus, & pacis Christianæ violator habetur. In regno cauenda est tyrannis, quæ abesse omnino debet ab Ecclesiæ regimine: quia ipse Dominus dixit: *Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic*, id est, non tyrannice, sed ex charitate: ita vt qui maior est inter vos, sit seruus, & minister. Non est ergo tyrannica, vel despotica dominatio, qualis est proprie domini, & seruorum, Regum, & subditorum ad solam vtilitatem Regibus seruientium, sed est parentis, & filiorum, primogeniti & fratrum suorum, œconomi & serui, præpositi super totam familiam, & conseruorum. Hinc Papa vocatur Romanus Episcopus, id est, Patrum Pater; id enim propria vox Græca signat; & se seruum seruorum Dei profitetur, & suam Ecclesiam, matrem, & matricem, & magistram aliorum appellat, & alios, si sint Episcopi, fratres vocat: si laici, vel inferiores Episcopo, filios.

Monarchiã Ecclesiam quicquid in optimatum statu, & populari excellat, id totum in se continere atque cõplecti.

Eadem quod in eis est vitiosum, & malum horret, ac detestatur.

Democratiæ & aristocratiæ quinam facilis lapsus

Regni propria tyrannis, ab Ecclesia remotissima. Luc. 22.

Qualis Ecclesię gubernatio, atque dominium.

Papa quid.

Ex quo apparet Lutheranorum principum superbia, qui Pontificis literas reiecerunt, quod eos tanquam filios salutauerit: dicebant illi se spurios non esse, nec Papam pro parente agnoscere. Sed intolerabilis est tanta hominum elatio. Quid ergo? an

Quibus ille Romanã Ecclesiam nominib. insigniat idem quos fratrum; quos filiorum honore dignetur.

Co-

Comes Bonifacius ideo fuit spurius, quia
Aug. lib. 50 hom. 2. Augustinus eum Dilectissimum filium ap-
pellauerit?an Beatus Marcus à Petro, Fili'
meus appellatus, spurius erat? Certe Paulus
1 Pet. 5. Timotheum, & Titum Filios dilectos vo-
1 Tim. 1. cat iuxta communem fidē. Facit ergo hæc
2 Tim. 1. gubernandi ratio, vt omnes se vt fratres, &
Tit. 1. filios agnoscant, & diligant, & vt superio-
res, & præpositos tanquam parentes colāt.
Hæc est optima Reipublicæ forma, quam
veteres sapientes, & Philosophi optare for
tassis potuerunt, sperareque nunquā, quia i
gnorabant Dei sapientiam tantum bonum
hominibus collaturam.

Quare Christus vnum tantū summum Ecclesię præfecerit Pręsidem atque Pastorem. Ioan. 21. Siquis ergo quærat, cur vnus à Christo
Domino in Ecclesia sua præficiatur Pastor,
& Rector, id est, qui sacrorum, & Fidei cu-
ram habeat. Ioan. 21. respondebimus, prō-
pter multa. Primo ne longe præclarum gu-
bernationis genus (quale est monarchia)
à Christi Ecclesia abesse censeatur, & secun
dum ordinem omnia geri debent, vt docet
I ratio. Apostolus. Secundo, vt status Ecclesiæ co-
1 Cor. 14. hærerer cū aliis eo regiminis modo, qui ob
II. seruatur cum omnibus aliis creaturis, quæ
ad vnum suæ naturæ principium referri so
lent: vt de cœlis, syderibus animantiumq;
corporibus, gregibus & armentis, & omni-
bus simul animalibus est dictum.

III Tertio, vt militans Ecclesia sit triumphā
ti similis, quam nego negat ab vno Chri-
sto gubernari, vt Christus ab ea facie ad fa-
1. Cor. 13. ciem visus videatur. Vnde & in militanti v-
nus esse debet, qui ab eadem Ecclesia videa
IV. tur, & ipse eam videat. Quarto, vt regimen
Ecclesiæ respondeat statui, quem habuit
sub Patriarchis, inter quos nonnisi vnus
V. eodem tempore primatum tenuit, Quin-
to, vt status Ecclesiæ respondeat statui, Le-
gis Mosaicæ, sub qua vnus tantum Ponti-
fex omnibus mundi synagogis præfuit. Se-
VI. xto, vt Ecclesia Christi non dissentiat à do-
Ezech. 3. ctrina Prophetarum, qui prædicāt Pastorē
vnum futurum; & Ecclesiam similem dixe-
Cant. 6. runt terribili castrorum aciei ordinatæ, in
VII. qua vnus tantum dux præest. Septimo, vt
respondeat doctrinæ Christi, qui eam ex-
pressit per regnum, ouile hospitium, siue di
Matt. 13. uersorium. In quo vnus Rex, Dominus, &
Ioan. 10. sensibilis Pastor. Octauo, vt respondeat A-
Luc. 10. postolorum doctrinæ, qui Ecclesiam simi-
VIII lem esse prædicarunt corpori & domui, qui
Rom. 12. bus præsunt caput & paterfamilias. Nono,
1. Cor. 12. vt Ecclesiæ gubernatio consentiat secum,
Ephes. 1. sitque non minus in tota militanti vnus mi
IX. litās Pastor, qui illi præsit, atque in singulis
prouinciis, diœcesib. & parœciis singulares
pastores militātes, vel Patriarcha, vel Ar-
chiepiscopus, vel Episcopus, vel Plebanus.

Decimo, vt æterna monarchia Christi Dei X.
per vnum ad tempus pastorem demonstre
tur: nam ad Smyrnenses Ignatius tradit, E- *B. Ignat. epist. 10. sub finem.*
piscopum habere figuram Dei in Ecclesia:
sit ergo vnus summus Pontifex, qui referat
vnitatem Dei. Vndecimo, vt visibilis Mo- XI.
narchia, quam Christus in terris inchoauit
& quam iuxta spiritum ab initio mundi vs-
que hodie tenet, in terris per Vicarium ei'
continuetur: nec alia esse putetur, quam
quæ sub Christo in terris agente fuit: quæ
regia, non aristocratica, vel democratica fu-
it. Duodecimo, vt Christi vnius in æternū XII.
pastoris vnitas hoc modo figuretur. Nam
cum Ecclesia sit imago rerum quæ in terris
elucent, vt ibi Christus est æternus Eccle-
siæ pastor, sic opus fuit illam Christi præsi-
dentiam per vnius Pastoris primatum in
terris figurari. Decimo tertio, vt inuisibi- XIII.
lis Ecclesiæ vnitas hoc visibili vnius Pasto- *B. Cyprian.*
ris primatu designetur: quæ Cypriani est
ratio lib. de vnitate Ecclesiæ. Ex illa enim vi XIV.
sibili connexione Ecclesiæ, qua inter se *Optat. lib. 2. de Schismat.*
Presbyteri, Episcopi, Primates, & sum- *Hier. lib. 1.*
mus Pontifex cohærent, intelligitur quan- *aduersus*
ta sit spiritalis vnitas Ecclesiæ cum Christo *Iouin. circa*
capite. Decimoquarto, vt militantis Eccle- *med. t. 2. 3.*
siæ externa pax, & vnitas per vnum Pastorē *initio.*
conseruetur, schismata tollantur: quæ est XV.
ratio Optati lib. de schismate, & Hierony- *Greg. l. 7.*
mi lib. aduersus Iouinianum. Decimoquin- *Regist. epist*
to, vt non desit in Ecclesia, qui iure diuino *8. ind. to. 2.*
peccata inferiorum pastorum Ecclesiæ pu- *& causa 16*
niat, & negligentiam pastorum suppleat: de *q. 1. c. Ad*
qua Gregor. Mag. ad Leonem Episcopum *hoc.*
Cataniensium. Decimosexto, vt quan- XVI. *Basil. e. vlt circa fin.*
do synodus cogi propter externam perse- XVII.
cutionem non potest, sit qui autoritate, sua
causas cognoscat, & decidat: quæ est ratio
Basilii epist. 77. Decimoseptimo: vt cum sin
gulis pastoribus portio gregis aliqua sit as-
signata, nec villi teneantur curam suscipere
earum ouium, quæ non sunt ipsis commen
datæ, non desit tamen, qui & propagandi
Euangelii curam gerat, & Episcopos nouos
ibi constituat, qui denuo ad Fidem conuer-
tuntur. Hæc enim cura nisi ad vnum aliquē
ante omnes alios spectaret post discessum
Apostolorum tot nationes non essent Chri
sti fidem amplexæ. Decimooctauo, vt sit XVIII.
qui Episcopatus ante constitutos vel diui-
dat, vel vniat, prout videbitur res postulare
vel pastorem de vno in alium transferat E-
piscopatum, quo magis valeat fructum v-
beriorem reddere. Hæc enim nisi ab vno
præcipue fierent, vel non fierent omnino,
vel cum graui scandalo sæpe fierent.

Decimonono, vt certum sit quæ Conci XIX.
lia sint legitima, & quis vel congreget vt

opor-

oportet, vel quis dissipet, vel quis præsit il-
Damasus Papa. lis, & quis confirmet: quæ ratio est Damasi
Papæ contra Concilium Ariminēse. Vige-
Vigesima. simo, vt quæ de vno inter Apostolos maio-
Matth. 20. Luc. 22. re, & præcessore Mat. 20. & Luc. 22 scribū-
tur, vera & perpetua esse in Ecclesia Dei re-
XXI. periantur. Vigesimoprimo, vt decreta, quæ
in Conciliis Generalibus, vel Prouincialibus conduntur, vnus potestate maior possit dispensare, cum opus est, in particulari, vel in vniuersum abrogare, si téporis progressu noxia inueniantur. Hoc enim si quilibet Episcopus præstaret, nullus Canon in Ecclesia locum haberet, quia omnes leui de causa dispensarentur, & ab eo qui potestate est inferior: durissimum vero esset, si nunquam in illis dispensaretur. Vigesimo-
XXII. secundo, vt Christi Ecclesiæ dæmonum societate non sit inferior, si visibili vnius prin-
Matt. 12. Ioan. 14. Ephes. 6. cipatu careat, cum illa principem dęmoniorum, & principem huius mundi ad impugnandam Ecclesiam sit sortita: cur non ergo erit vnus primatus ad eam propugnan-
XXIII. dam? Vigesimotertio, vt quæ de Romani Pontificis primatu Ecclesiæ Romanæ Patres veteres exponentes Scripturas Euangelicas & ipsimet Episcopi Romani, & Concilia œcumenica definierunt, & tot hodie magni viri decertantes pro primatu ECCLESIAE Romanæ contra hæreticos scripserunt, vera est, & solida minime dubitetur. Vigesi-
XXIV. moquarto, vt eorum qui prædicant, & eorum qui credunt, in omnibus gentib. Christum colentibus, inanis, & vacua fides non sit: nam omnes primatum vnius Pastoris visibilem Romæ diuinitus positum, & prædicando, & scribendo docuerunt, & omnes firma fide, & constanter tenuerunt. Postre-
XXV. & postrema. mo quia democratia gubernatio, vt erat, Atheniensium tempore belli vnum tantū ducem, vt Alcibiadem, vel Themistoclem, constituebat, & omnibus militibus præficiebat: & optimatum regimen in vrbe Roma ingruentis periculi tempore vnum Dictatorem omnib. Magistratibus, etiam Consulibus præponebat: vbi facile declarabant quod gubernationis genus esset præstantissimum in terris, & cœlesti simillimum, in quo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus, & vnius mundi Rector laudibus, & hymnis commendatur, ac celebratur.

Et hic sit finis primi libri, quo ea, quę magis generalia erant apud Paulū, pro nostra virili explicauimus. Sed iam ad singulas Epistolas descendamus, & sigillatim in vnaquaque de difficilioribus locis nonnihil disputemus.

(.)

DISPVTATIONVM IN APOSTOLI PAVLI EPISTOLAM AD ROMANOS LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO AD CANDIDUM Lectorem.

QVAM ob causam hæc epistola ad Romanos septimo loco inter alias conscripta, primarium locum obtinuerit, superius disputatum fuit. Nam epistola tanto Spiritu dictata, & principia Fidei nostræ edisserens, merito sibi principatum vindicauit. Debebatur & hoc primæ mundi vrbi, in qua erat orbis imperium, & Paulus Gentium Doctor, & Præputij Apostolus (sicut Petrus erat Circumcisionis) magna ratione illius caput, hoc est, Romam præ aliis honestare, & doctrina Euangelica illustrare debuit. Vt interim silentio non prætermittam, quod cum ipse esset ciuilitate Romana donatus: atque ob eam causam Sauli nomen commutasset, ac plausibile, & Romanum Pauli nomen sibi acersiuisset ciuitatem Romam, quæ mundi caput & epitome erat, suis scriptis plane diuinis decorare cogebatur, & epistola ad eos missa prima omnium censeri debuit. Addo & aliam non contemnendam rationem: vt illa vrbe semel veritate Euangelica instructa, viam omnibus Gentium Ecclesiis, siue ad fidem Christi amplectendam, siue ad semel susceptam retinendam præmuniret. Et ita diuino consilio factum est ab Ecclesia, vt primum locum sortiretur. Nulla enim ciuitas tantum debet Apostolo Paulo, atque Romana, à quo tantū diuinæ sapientiæ lumen in hac epistola accepit. Ab eo enim est præsentia sua illustrata, sermonibus, & prædicationibus erudita, variis cum Iudæis, & Gentibus disputationibus in fide confirmata: signorum magnitudine, & prodigiorum multitudine exaltata morte, pro Christi fide à teterrimo omnis virtutis hoste suscepta, & profusione sanguinis abunde ditata, & locupletata am-

Epistolæ ad Romanos triplex aliis pauli epistolis præponendæ ratio. Disput. 4. 1 Tim. 2. Gal. 2.

Act. 22.

Pauli Apostoli merita in Romanam vrbem amplissima cōmemorantur.

plissimis eius meritis, & peculiaribus patrociniis in hodiernum vsque diem fulta, ita vt omnes orbis partes ad hanc ciuitatem solo hoc nomine se conferant, quo limina Apostolorum Petri & Pauli peregrinantes inuisant: quod satis esse potest ad spiritualem quandam inuidiã concitandam reliquis mundi prouinciis, & ciuitatibus. Denique Roma sola est, quæ sanctum caput eius, venerandasque reliquias, carceres, catenas, quibus vinctus, ac constrictus fuit, ostentat: vnde Tertullianus in Scorpiaco in Gnosticos ait: Tunc Paulus ciuitatis Romanæ consequitur natiuitatem, cum illic martyrii renascitur natiuitate. *Hæc ille. Sola etiam magnificentissimum templum, & capacissimum in suæ amplissimæ charitatis argumentum à Constantino conditum, Ecclesiæ vniuersæ venerandum exhibet: sola Roma charissima pignora tantorum Apostolorum & oculis omnium spectanda, atque eorum oribus exosculanda porrigit, vt & consolentur, & sanctificentur, qui illa sanctissima loca visitant; & omnia quæ desiderant, eorum interpellatione sibi polliceantur.* ¶ *Cæterum in hac priori epistola multi occurrunt loci valde obscuri, & difficiles, qui peculiari indigent meditatione, & disputatione vt aperiantur, vt mirari propterea nemo debeat, si prolixior in hanc epistolam nostra opera forte prodierit.* ¶ *Quo vero eius abditos sinus, & latentes recessus magis illustrare valeamus, primo proponendum est argumentum, de quo agit, & epistola in suas partes distribuenda. Cum enim statum Ecclesiæ Romanæ Paulus decidisset, cum ex aliis, tum ex Aquila & Priscilla, quibuscum ex vrbe pulsis Paulus aliquandiu Corinthi versatus fuit, cum essent eiusdem artis Scenofactoriæ: illo cognito, protinus ad hanc epistolam contexendam accensus fuit. Cum enim Romæ multi ex vtroque populo, Iudæorum, & Gentium ad Christi lucem conuersi fuissent, atque in summa pace, & tranquillitate degerent: studio, & opera veteratoris Satanæ, & qui instar Daui illius Terentiani interturbat omnia, contentionum seminaria paulatim sunt excitata, vt qui animis coniunctissimi erant, dissensionibus, & factionibus laborarent: adeo, vt voluntate disiuncti, & sensu abalienati, mutuo seipsos proscinderint. Nam Iudæi Gentibus obyciebant sordes idololatriæ, & simulachrorum cultum: Gentiles vero Iudæis obiectabant indignissimum scelus, & horrendum facinus crucifixionis Christi. Quapropter Apostolus mediatorem se & sequestrum interponit, vtrumque populum deprimens, atque humilians, & sua cuique peccata ante oculos ponens, vt nemo in seipso infletur contra alterum, aut cristas erigat, sed vt agnitis propriis peccatis alter se alteri subyciat propter Christum? & ita dissidia inter eos componat, & antiquam amicitiam, & vnionem in Christo resarciat. Sane Augustinus in epistolam ad Romanos scribens, hanc in ea agitari quæstionem tradit:* Vtrum Iudæis solum Euangelium Domini nostri Iesu Christi venerit propter merita operum legis: an vero nullis operum meritis præcedentibus, omnibus Gentibus venerit iustificatio fidei, quæ est in Christo Iesu: vt non quia iusti erant homines, crederent: sed credendo iustificati, deinceps iuste viuere inciperent. *Hæc ille. Cæterum hæc quæstio ex schola Iudaizantium, ac dupliciter errantium ortum habuit. Nam quidam arbitrabantur, gratiam Euangelij peculiariter Abrahæ promissam, non esse ad prosanas Gentes, & cultui simulacrorum, & dæmonum deditas extendendam, vt habes in c. 11 Actorum: Quidam vero non putabant, Gentes abarcendas ab Euangelio, sed operibus legis subiciendas, vt per legem purgata, & exercitata, Euangelio gratiã digna efficerentur: perinde ac si Christus nunc adminiculo legis Mosaicæ indigeret: atque de hoc errore peculiariter agit in epistola ad Galatas: qui cum Gentiles essent, & fidem Christi amplexi fuissent, opera, & conatu pseudoapostolorum ad Iudaismum reuocati erant, nec Christum illis prodesse, nisi circumciderentur, audiebant; qua de re propterea c. 15. Actorum consultę repo-*

Almæ vrbis prærogatiua singularis.

Huius epistolæ argumenti ratio.

Act. 18.

Inuidus Satan qualis merito videri possit.

Aug. in exposit. inchoata epistola ad Roman. c. 4. circa fin.

Duplex quorundã error Iudaizantium à Paulo confutatus.

In quo Galatæ errore versarẽtur.

Act. 15.

tera

In quo Romani.

teris: Contra priorem vero errorem hæc epistola scripta est ab Apostolo, docens gratuitum, & absque vllis operum meritis donum iustificationis omnibus contingere, neque ex lege, aut sacrificiis, aut ex operum Gentilium meritis, sed tantum per fidem Christi contingere.

Eiusdem ad Romanos epistola partitio prima.

Quinque igitur primis capitibus (vt ad diuisionem accedamus) de iustificatione plenissimam habet disputationem: quam fide, & non operibus attingi posse docet, vbi prius alterum alteri populo non præcellere ostendisset, præcidendo vtriusque cristas, & occasiones in alterum gloriandi, cum vterque legis sibi à Deo datæ transgressor, & violator comprobetur. Deinde dubitationes quasdam ex priori disputatione ortas à 6. capite ad 11. vsque persequitur. Tertio à 11. vsque ad 12. occurrit scandalo paucitatis credentium ex Iudæis: quibus tamen potissimum Christus, & Messias promissus erat. Et ita hoc agit Paulus, vt multa, quæ pertinent ad articulum iustificationis interim explicet. In sequentibus vero paræneses adiungit, & recte viuendi præcepta, quæ cultoribus Christi, & ad tantum Fidei lumen vocatis conueniant, subtexit. Atque in vltimo capite peculiares salutationes, & quorundam cōmendationes pro more epistolas dantiū, subiungit. Rupertus tamen Tuitiensis in libro quarto de operibus Spiritus sancti, capite 20. in quinque actus distinguit hanc epistolam. Nam apud Gentiles, *inquit*, cautum erat in nugis secularibus, vt quidlibet earum rerum, quibus mores instituebantur, aut etiam reprehendebantur, quinque nō excederet actus. Vnde & apud Flaccum legimus.

Altera Tuitiensis Ruperti.

Neue minor, neu sit quinto productior actu
Fabula quæ posci volet, & spectanda reponi.

Est igitur primus actus coæquatio Iudæi, & Græci, quod scilicet omnes peccauerūt, & egent gloria Dei. Secundus, commendatio gratiæ, & fidei Christi, quod videlicet omnes per vnum hominem iure debeant iustificari. Tertium, concertatio, quod non debeant iterum peccare liberati à lege peccati, & mortis. Quartus, demonstratio, quid lex ante iustificationem potuerit. Quintus commotio Gentium, quod non debeant insultare Iudæis, quod inquam non debeant rami oleastri in bonam oliuam inserti aduersus naturales ramos, quia fracti sunt gloriari. Nam deinceps quod residuum est epistolæ de communibus rebus, id est, de moribus agit. *Hæc ille. Cuius præparatio dogmatis tantum partem comprehendit, non parænetıcam. Probet Lector quam magis voluerit. Hæc sunt, quæ tibi, bone Lector, proponenda duxi. Bene vale in Christo.*

DISPVTATIO I.

De sententia Erasmi, quorum pronunciauit de epistola ad Romanos.

Vnde Erasmus epistolam ad Rō. fructu, & obscuritate parem, ac pene superiorem esse pronūtiauerit.

IMPIVM plane, & minime ferendum esse videtur, quod Erasmus in prologo suo in, epistolam ad Romanos Paraphraseos scripsit: *Vtilitatem epistola ad Romanos æquat, ac pene superat difficultas: tum quia non est sermonis ordo confusior, nunquam oratio hyperbatis magis obscura, nunquam in anapodotis crebrius est in absoluta. Vtrum hac offi ultas interpreti, aut scriba, T.rtio sit attribuenda, an ipsi Paulo aliorum esto iudicium. Ipse sane Paulus agnoscit sermonis imperitiā; licet rerū imperitiā deprecetur, cū dixit: Etsi imperitus sermone, non tamē sciētia.* Hæc ille. Sed profecto grauis est, & dura hæc censura quæ etiā in Deum, & Spiritum sanctum se iudicem constituit, ac emendatorem, & reprehensorem, quod aliter, vt poterat locutus non sit. Cum enim Christum Apostolis dixisse constet: *Nolite cogitare quo modo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquemini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis:* & alio loco; *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & cōtradicere omnes aduersarij vestri:* id est, & quæ dicenda sunt, & modus, & ratio dicendi: & Paulus hoc in se fuisse impletum testatur, cum dicat, *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Vt sicut diuinæ sapiētiæ in Apostolis autor erat Spiritus sanctus, ita etiam & generis, & forma eloquij cogimur proinde, si quæ in illius scriptis insit difficultas, eam ab Spiritu S. procuratam fateri, vt lib. de doct. Christ. docet Augustinus: *Multis, inquit, & multiplicibus obscuritatib. & ambiguitatibus decipitur, qui temere legūt aliud*

1. Cor. 11.

Erasmianæ huius obseruationis falsitas vnde constare possit. l. ocus.

Matt. 10.

Luc. 21.

2. Cor. 13.

Aug. l. 2. de Doct. Christian. c. 6. 1. 2. c. 3. sub init.

pro alio sentientes; quibusdam autem locis quid, vel falso suspicentur, non inueniunt: ita obscure quædam dicta densissimam caliginem abducunt.

Obscuritas sanctarum literarum nobis, teste Augustino, quid conferat.

Quod totum prouisum diuinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum: cui facile inuestigata plerumque vilescunt. Et in libris de Ciuitate Dei, difficultatem tradit seruire ad multitudinem sensuum eruendam, iuxta illud Danielis, *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum:* (id est, vsque ad tempora Messiæ) *plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.*

Idem li. 11. de Ciuitate Dei, c. 19 in princip. to. 5.
Dan. 12.

Deinde si vtilitatem epistolæ superaret difficultas, præstaret certe illa carere, quam eam non intellectam habere: quemadmodum prudens paterfamilias fundum terræ habere nollet, cuius culturæ difficultas æquaret, aut superaret prouentuum vtilitatem.

II. locus.
Simile.

III. locus.

Adhæc, cum ex hac epistola Fidei, & Theologiæ principia colligantur, quæ ex variis hominis statibus aut in natura lapsa ante legē, aut in Moyse, aut in Christo apprehenduntur, & quam sit lex Moysi inefficax ad iustificandum, & quanta sit præstantia iustitiæ supra Adæ delictum, & quanta gratiæ Christi sit necessitas, & alia multa vtilissima, nonnisi perniciose dicitur, eius obscuritatem vincere vtilitatem.

IV. locus.

Præterea in secunda disputatione produximus, plures locos eius epistolæ in falsos, & perniciosos sensus esse detortos hominum malitia, qui in verbis vitæ interitum sectantur: at eos locos omnes Ecclesia cōtra diuersos hæreticos explicauit, quo eorum errores iugularet: quomodo igitur superatur vtilitas eius ab obscuritate? Quare Augustinus libro de Spiritu, & litera, ob scuritatem tradit credere vtilitati; hęc enim sunt eius verba: *Deinde ad Romanos penes ipsa quæstio sola versatur, tam pugnaciter, tam multipliciter, vt fatiget quidem legentis intentionē, sed tamen fatigatione vtili, ac salubri, vt interiora hominis magis exerceat membra, quam frangat.*

In verbis vitę interitum quærere, hæreticorum est proprium.
Idem lib. de Spir. & lit. ca. 7. in fine eodē to. circa finem.

V. locus.

Postremo, vt ad hominem agam, si difficilior est epistola quam vtilior, quare ergo Erasmus voluit, non solum illam, sed vniuersas Pauli literas vulgari lingua redditas apud opifices circumferri, & indoctæ plebis manibus teri? Quod autem se sermone imperitum profitetur, non est quod commode nesciret loqui quod valebat: fuit enim Apostolorum omnium disertissimus: & fortasse quod linguæ Græcæ inter alios esset doctior, assignata est illi cura ouilis Gentilium. Deinde quia non diceretur Mercurins, vel dux linguæ in Lycaonia, quasi pater esset eloqnentiæ: nec Festus præses illi dixisset: *Insanis Paule, multa te litera ad insaniam conuertunt.* Sed ita se imperitum sermone vocauit; quia præterquā quod Cilix, siue Tarsensis erat, ab vrbe Solos non procul dissita: vnde orta vox solœcismi, qnod illi populi barbare, ac rudite loquerentur; sed hoc ab eo propter pseudo apostolos præcipue dictum fuit, qui totum studium, & operam suam in accurata sermonis elegantis, & fucata eloqnentia constituebant.

Arguitur leuitatis Erasmus.
2. Cor. 11.
Act 14.
Infra 26.

Cur paulus se imperitum dixerit esse sermone.

Hinc Ambrosins ea verba interpretans, dixit; *Hoc ergo dicens, non se loqui nescire voluit intelligi sed propter eos, qui non per fidem, sed per eloquentiam commendari volebant.* Et Theophylactus ibidem: *Cum hanc dicendi peritiam præcipue sibi gloria ducerent falsi Apostoli; ostendit hic Paulus, nihil se ruditatem defugisse, sicut isti; quia vel maxime de hac gloriatur.*

Ambros. in c. 11. poster. ad Corint. circa med. to. 5. circa finem. Theophilact. ibid.

Et Augustinus de Doct. Christiana tradit, Apostolum se imperitum sermone, sed non scientia, quasi concedendo obtrectatoribus, sic locutum, non tanquam verum id agnosceret, confitendum. Qnod ex eo probat, quia ipsi obtrectatores eius, qui sermonem præsentis contemptibilem putari volebant, epistolas graues, & fortes esse confessi sunt. Hæc ille.

Aug. l. 4. de Doct. Christ. c. 6. ante dimid. to. 4.
2 Cor. 10.

Quanquam ne quid videar dissimulare, Beat. Hieronymus linguæ imperitiam B. Paulo tribuere videtur: nam scribens ad Algasiam, sic ait: *Illud quoque crebro diximus: Etsi imperitus sermone, non tamen scientia: nequaquam Paulus de humilitate, sed de conscientia veritate dixisse, etiam nunc approbamus. Profundos enim, & reconditos sensus lingua non explicat. Et cum ipse sentiat quid loquatur; in alienas aures puro non potest transferre sermone.* Idem asserit scribens ad Hebidiam qnodqne ob eam causam Titum Græce doctum penes se haberet, sicut & B. Petrus Marcum. Idem libro secundo Comment. in epist. ad Ephesios; *Nos,* inquit, *quotiescunque solœcismos, aut tale quid annotamus, non Apostolum pulsamus, vt maleuoli criminantur; sed magis Apostoli assertores sumus: quod Hebræus ex Hebræis, absque rethorici nitore sermonis, & verborum compositione, & eloquij venustate, nunquam ad Fidem Christi totum mundum traducere valuisse, nisi euangelizasset eum non in sapientia verbi, sed in virtute Dei. Nam & ipse ad Corinth. ait: Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in eminentia verbi, aut sapientia, annuntians vobis testimonium Dei.* Et rursum: *Et verbum meum, & prædicatio mea, non in suasoriis sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute DEI. Iste igitur, qui solœcismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere, sapientiamque concludere, audacter sibi vendicat sapientiam.* Eo autem loco HIERONYMVS vitiosam Pauli elocutionem explicabat.

B. Hier. ep. 151. q. 10. in princ. to. 3. circa med.
Idem ep. 150 q. 11. prope init. to. eodē. Idem in c. 3 ad Ephes. init. to. 9.

Hieronymus Paulo ipsam eius sermonis imperitiam magnæ vertit laudi.
1. Cor. 2.
Ibid. 4.

eabat. Sed præ modestia paulo ante præmisit: *Si vero quis potest etiam iuxta sermonis,& eloquij contextum docere, Apostolum fuisse perfectum,& in artis Grammaticæ vitia non incurrisse, ille potius auscultantibus est.* Sic ille. Quæ diuinitus protulisse videtur; quia cum ibi vitium Grammaticæ in Apostolo reprehēdat, quod re vera per Hebraismum defendi poterat, sicut & multa alia, in quibus defectus Grammaticæ illi affingitur, per quasdam figuras Grammaticæ, aut Rhetoricæ facultatis plane, & facile absolui poterant. Idem tamen Hieronym. qui vbique illi & Grammaticæ peritiam, & eloquentiam adimit, asserit illam contempsisse,& dissimulasse eloquentiam. Nam scribens contra Ruffinum, sic ait: *Paulus Græcam facundiam contemnebat, vel certe, quod erat humilitatis, dissimulabat, vt prædicatio eius non in persuasione verborum, sed insignorū virtute consisteret, spernens alienas opes, qui in suis diues erat: quāquam ad imperitum,& per singulas instar tui sententias corruentem nunquam pro tribunali sedens Festus diceret, Insanis Paule, insanis. multæ te literæ ad insaniam conuertunt.* Hæc ille, recte meo iudicio eloquentiam illi non adimens, sed vel contempsisse, vt par erat, tantum Apostolum facere, vel dissimulasse. Quod si obiicias, Apostolos dono linguarum in die Pentecostes fuisse perfusos; ac proinde idiomata omnia rectius calluisse, quam ipsos eorū professores, eo quod quæ diuinitus dantur præstare soleant naturalibus: Respondendum est, Christum Dei virtutem,& sapientiam extitisse, & omnia idiomata linguarū perfectissime cognita, atque explorata habuisse; quod ad vsum tamen attinet, simplicem quendam, ac popularem sermonem, vt sibi magis congruentem, & ad aliis persuadendum magis accōmodatum sectatū fuisse. Ita dixerim, Apostolos nouisse linguas, in vsu tamen rudem,& plebeium sermonem fuisse cōplexos, vt magnitudo diuinæ virtutis ad vtilitatem audientium, & non vis aliqua eloquentiæ humanitus partæ, ad ostentationem,& fastum in eis operari videretur. Et idcirco, sicut scientiarum naturalium maiorem cognitionē non sunt sortiti, quam quæ ad propagandam fidem satis erat, ita neq; linguarum peritiam edocti sunt, nisi quantum aliorum linguis loquentes intelligerentur, iuxta illud, *Prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Hinc Paulus etsi pleonasmis, hyperbatis, verborum redundantiis,& eclipsibus abundaret,& plenus esset in lingua Græca Hebraismis,& sermo illius Hebræo græcus dici posset quodammodo,& Seneca Romanæ linguæ peritissimus, in quadam ad eum epistola desideraret in Paulo maiorem eloquentiam, vt cū res eximias proferret, maiestati eorum cultus sermonis non deesset, erat tamen eloquentissimus, & incredibilis dicendi ratio,& efficacia, quam suppeditabat Spiritus sanctus, in eo eminebat: ita vt August. scribat: *Sicut Apostolum præcepta eloquentiæ secutum fuisse non dicimus; ita quod eius sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus.* Quod vero Hebraismos frequenter adhiberet, hoc est quia ipse, tum alij Apostoli Hebræi erāt, & potuisset in illis Spiritus sanctus omnia vitia linguæ emendare, si voluisset,& expediisset. Sed quia de his rebus dissererēt, quæ literis Hebraicis consignata erant, necessum fuit multa ex illis retineri, ne aliqua doctrina noua adferri videretur. Nec mirandum, tam multos ab illo seruatos Hebraismos, cum plerique sint eiusmodi, vt nullo alio idiomate tā fœliciter exprimi possint, imo interdum ne exprimi quidem: vt nisi illas loquendi formulas retinuisset, nouæ interdū voces,& noua dicendi genera commiscenda fuissent, quæ nemo intellexisset. Ideo constituendum est, illorum linguæ Deum moderatorem extitisse, vt ne verbum quidem temere illis exciderit. Nam omnia ita plane, apte,& apposite dixerunt, vt planius ac melius dici à quoquā nunquā potuerint. Deinde statuēdum, linguarum donum, ad vnum, vel alterum diem, vel mensem, vel annum Apostolos nō accepisse, sed dum viuerent,& prædicarent, collatum; & ideo quicquid scripserunt, Spiritu sancto dictante,& dirigente fecerunt, vt intelligamus, nō tantum res ipsas, sed etiam sermonem,& dicendi characterem ab Spiritu sancto fuisse. Quo si quid in illis sit ambiguum, aut occultum, partim id nostræ cæcitati, ac ignorantiæ tribuamus; partim id esse à Domino factum, ad accendendam nostram diligentiam, agnoscamus. Nam quia Paulus disserit de reb. à nostro sensu remotissimis, & pauci fuerunt, qui ad scripta Euangelica, & Apostolica purum animum & attentum adferrent, paucissimi, qui linguarum Græcæ, & Hebraicæ fontem adire sustinuerint; rarissimi denique, qui precibus,& carnis castigationi,& Patrum veterum scriptis ad lumen intelligentiæ adipiscendum vacarint: idcirco multi in illis hallucinantur,& tenebras in ipsis inclusas,& sermonem solœcismis, hyperbatis, eclypsibus,& similibus tenebricosum redditum cōfingūt, cum multa eiusmodi sint, quæ profecto hyperbata, vel solœcismi in Paulo reipsa non sunt. Et quis vindicabit Homerum, vel Platonem vel Demosthenem ab illis linguæ defectibus? Sed vt in illis virtutes fuerunt, non vi-

Hieronymi modestia.

Idem li. Apolog. aduers. Ruffinum paulo ante med. to. 2 circa dimid.

1 Cor. 2.

Paulum vere eloquentem fuisse, sed humilitatis studio dissimulasse eloquentiam, fatetur Hierō.

Act. 26.

Supra 2.

Apostoli quatenus nouerint linguas.

1 Cor. 1.

Cur tantū rudis, ac simplex debuerit esse Euangelii prædicatio

Act. 2.

Quomodo loqueretur& Apostolus.

Qualis fuerit Pauli eloquentia.

Aug. l. 4 de Doct. Christ. ca. 7. in princ. to. 3.

Cur idem Græce scribens Hebraizaret.

Euangelica, Apostolicaque doctrina vnde sit omni fide & acceptione dignissima. Apostolos non tantū res ipsas, sed etiam rationem dicendi docuit Spiritus S.

Obscurior Pauli intelligentia vnde nam oriri putandū sit.

tia,

Theodolus Presbyter expos. epist. ad Rom. Diodor. Episc. ibidem Rom 16.

Tertius Iconij Episcopus epistolam Pauli ad Roman obscuriore reddidisse fertur, suo genere dicendi.

F. Sixtus l. 2 Bibliothec. sanct. litera T. in princ.

Strabo l. 14 Geog. circa fin.

tia, multo magis id sentiendum est in Paulo, siue potius in Spiritu sancto per Paulum loquente. ¶ Certe Diodorus Tarsensis Episcopus, & Theodolus Cœlesyriæ Presbyter, testantur. Tertium Iconij Episcopum, & scriptorem epistolæ ad Romanos, hominem fuisse, qui parum stylo valeret, & durius loquendi genus sectatum fuisse: vnde & factum esse tradunt, vt res altissimas, & profundissimas quæstiones, quas in epistola Paulus illi tradiderat scribendas, duriori, ac difficiliori sermone expresserit. Hæc ex Bibliotheca sancta Sixti accepi, quia hos autores id contestantes non vidi. ¶ Ex his, quę hactenus disputauimus, accipere possum⁹, Paulum neque linguam Græcam ignorasse nec eloquentia, quam suppeditabat Spiritus sanctus, caruisse. Cæterum linguæ Grę cæ dictiones, & exquisita vocabula rebus, quas vult explicandis accommoda interdum vsurpat; eaitem testimonia Græcorũ Poetarum producit, vt negari nec possit, nec debeat, eum, cum puer esset, Græcarũ literarum studio, & cognitioni non vacasse: maxime cum, teste Strabone, tantum Tarsensibus studium circa philosophiam fuerit, & alias disciplinas, quæ in corona versabantur, vt Athenas, & Alexandriam superarent.

DISPVTATIO II.

De nomine Pauli.

Artificiosa omnis epistola quid requirat.

OMNIS qui ex arte conscribit epistolam à salutatione, quæ scribentis, & illius, ad quem scribitur, nomina, & salutẽ, quam quis alteri impertitur, continet, exorditur: vt, Cicero Lentulo salutem, &c. Plinius Traiano sal. Ab hoc more Paulus non abhorruit.

Saulus quando Pauli nomen acceperit.

Quare primum in dubitationẽ vocari consueuit, cum antea diceretur Saulus, quando sit illi nomen mutatum, & nomen nouum Pauli impositum. Aliud etiam quæritur, quid nomen Sauli significat, & quid nomen Pauli.

I. sententia

Et vt priori quæstioni satisfaciamus, non est ignorandum in primis, fuisse quosdam, qui senserint, Apostolum ab ipsa circũcisione fuisse binominem; quos inter fuit Origenes in epistolam ad Roman. & quodam loco Augustinus.

Orig. l. 1. in epist. ad Rõ inst par. 2. August. Gen. 17. Ibid. Marc. 3. Matt. 9. Luc. 5.

Idque comprobant exemplo Abraham, & Sarai, qui postea Abraham & Sara nuncupati sunt: exemplo etiam aliorum Apostolorum: nam illorum princeps vocatus est & Simon, & Petrus; alter Apostolus, Matthæus, & Leui; alter, Nathanael, & Bartholomæus, vt quidam volunt, &c.

Ioan. 1. Marc. 3.

Non probatur tripliciter.

Sed huic sententiæ repugnare videtur, quia nonnisi à principio semper est dictus Saulus, nunquam Paulus: postea vero à certo tempore semper Paulus, & nunquam postea Saulus appellatus est. Exempla etiam producta non euincunt: quia Petrus cognomentum est potius, quam nomen: vnde in secunda epistola se vocat Simonẽ Petrum. Deinde Abram, & Sarai cum à principio dicerentur, postea vocati sunt Abraham, & Sara: quemadmodum etiam de Iacob dictum est ab Angelo, *Nequaquã Iacob vocabitur nomen tuum, sed Israel: quoniã si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?*

2. Pet. 1.

Gen. 32.

II. sententia B. Damasi Papę.

¶ Accedit secundo loco Damasus, qui carmine quodam Paulum illustrauit, & illum à Baptismo nominis mutationem accepisse tradit: Ait enim:

Instruitur mores Christi præcepta secutus:
Vt locus, placuit sancto de nomine Paulus.

Confutatur.

Sed in hanc opinionem facit, quod sæpius etiam post Baptismum Saulus appellatur.

Actor 9 & Act. 13.

III. sentẽtia

Hier. to. 9. Augu. li. 8. Confess. c. 3 in fin. to. 1. sub init.

Tertio Hieronymus in epistolam ad Philemonem, & Augustin. libro Confessionũ, & plures alii in hac parte sectatores docent, Paulum dictum à Sergio Paulo Procõsule, quem ad Fidem Christi conuertit: vbi paulo post vocatur Paulus: *Vt enim Scipio*, inquit, *subiecta Africa, Africani sibi nomen assumpsit, & Metellus Creta insula subiugata, insigne Cretici cognomentum suæ familiæ reportauit: & Imperatores nunc vsque Romani ex subiectis gentibus, Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur: ita & Saulus ad prædicationem Gentium missus, primo Ecclesiæ spolio Proconsule Sergio Paulo, victoriæ suæ trophæa retulit: erexitque vexillum, vt Paulus diceretur è Saulo.* Sic ille.

Huius opinionis incommoda

Orig. superiori loco. Sedul. ibid. Anselm. ibid. p 2 in princip.

Gal. 6.

Verum hanc rationem Origenes, Sedulius, & Anselmus non probant, eo quod non sit consuetudini Scripturarum consentanea. Deinde, quoniam Paulus huiusmodi titulos & honores non curabat, qui mundo erat crucifixus. Adhæc Africani, Cretici, Sarmatici voces, nomina propria non sunt, sed potius agnomina, siue cognomenta. Præterea, maior erat Paulus Christi Apostolus, qui Sergium Proconsulem ad Euangelium conuertit, quam ipse Sergius Proconsul: at nobilioris potius est alteri nomen dare, quam ab eo accipere.

Tob. 1.

Cyprianus vnde fortitus fuerit Cæcilij cognomentum.

Pont. Diaconus.

Vnde & Tobias nomen suum filio indidit, Cæcilius Sacerdos Cyprianum Baptismo initians, nomen ei suum dedit, vt Cæcilius Cyprianus diceretur: quemadmodum testatur Pontius Diaconus in eius vita. Et in vniuersum indubium est, vt ait Apostol⁹, quod qui minor est, à

meliori benedicitur: quare parentes filiis, domini seruis, magistri discipulis, & sapientiores solent inferioribus nomina indere, vt docuit Adam animalibus nomina imponendo, & Plato in Dialogo de recta nominum ratione, siue in Cratilo. Postremo si veritatem amamus, ante conuersionem Sergij Proconsulis à Luca nominatur Paulus, dicente, *Saulus, qui & Paulus*, nisi quis velit tueri hoc dictum per consuetam in diuinis Scripturis Anticipationis figuram: quæ eo loco importuna esset, & Codicis Syriaci sensum vitiaret. Dicendum ergo videtur, ab eo tempore, quo per liturgiam, & orationes, & manuum impositionem solenniter declaratus est Apostolus, & missus ad Gentes, tum primum nomen Pauli ab Spiritu sancto consecutum: quia postea semper dicitur Paulus, nunquam amplius Saulus, sicut prius ante hanc promotionem semper Saulus, nũquam Paulus est nominatus. Nec deest idonea, ac probabilis ratio, qua hoc comprobetur. Quia enim Apostolatus dignitas est, per quam homo de terra fit cœlum; & ob id Pōtifices, qui ad Apostolicam Sedem regendam vocantur, nomina noua accipere solēt, ita accepit & Paulus. Et quia Dominus Simoni nomen dedit Petri, & filiis Zebedęi nomen Boanerges, par erat, ne quid minus haberet Paulus, quā Petrus, & alii Apostoli, vt testatur Chrysostomus, & Theophylactus eius sectator, vt appellationem nouam & ipse sortiretur. Hinc autem sententiam, præter iam dictos Patres, sectantur Græca Scholia in caput Actorum 13. & ex nostris Beda, & Victorinus. Congruebat etiam, vt nomen prius, quo Iudęis erat inuisus, dimitteret, & nomen gratum, atque plausibile Gentibus, quarum erat Apostolus, & præsertim Romanis, quorum ciuilitatem assecut⁹ fuerat, assumeret, quo & sibi gratiam apud eos conciliaret, beneuolentiam. Porro Paulus mutato nomine agnoscere poterat, se Dominum habere, & se eius seruituti mancipatum. Nam Christi Domini est, seruis suis nomina indere, vt Adam à principio omnibus animantibus nomina imposuit, & Nabuchodonosor trib. pueris, ac Danieli nomina mutauit, quos Sidrac, Misac, & Abdenago, & Danielem Baltasarem vocari voluit. Relicto ergo Saulis nomine, quod erat in tribu Beniamitica Regium, & hominis ex superbia, & inuidia Dauidem persequentis, in Paulum, hoc est, modicum, mutatus est: & ex impugnatore redditus est propugnator, & ex lupo ouis, & ex superbo humilis, & paruus. Idem in vera conuersione ad Deum splendescere solet, vt quis vere se coram Deo submittat, & humiliet. Vnde se Apostolus omnium sanctorum minimum, & Apostolatu indignum, & peccatorem primum appellare non veretur. Quæ Augustinus libr. de spiritu & litera his verbis confirmat: *Ideo Paulus Apostolus, qui cum Saulus prius vocaretur, nō ob aliud, quantum mihi videtur, hoc nomen elegit, nisi vt se ostenderet paruum: tanquam minimum Apostolorum, multum contra superbos & arrogantes, & de suis operibus præsumentes, pro commendanda ista Dei gratia fortiter, atque acriter dimicans quia re vera in illo euidentior, & clarior apparuit.* Et alio loco alludens ad sententiam postremam de nomine Pauli, quā probauimus: *Qui fecit ex Saulo Paulum, qui fecit ex Simone Petrum.* Hæc ille. Non sum ignarus, aliter philosophatum in nomine Pauli in Græco sermone Ambrosium. Quia enim Græce Παῦλαν quis est, & Σαῦλος nemo ta v, maris fluctum siue commotionem designat: vnde & σαλεύειν, fluctuare est, & quatere: inde accipit, quod is qui primo inquietus erat, & alios inquietabat, Παῦλος, hoc est, quietus, & Ecclesiam sua conuersione, & doctrina ad quietem vocauerit, & mirifice illam tranquillauerit. Ita Ambrosius. Cuius sententiæ subscribere videtur Simeon Metaphrastes in commētario de certaminibus, & communicatione sanctorum, & principum Apostolorum Petri & Pauli, dicens, *Sauli itaque nomine in Pauli nomen transmutato, eoque ex salo persecutionis traducto ad quietem eius fidei.* Alii vero Paulum ex Hebræa voce פָּעַל quod operari denotat, operarium interpretantur: quia vita, verbo, & epistolis conscriptis, vsque ad sanguinē pro Ecclesia Dei laborauit; & vt sapiens architectus fundamentum posuit, qui prius erat destructor, & expugnator. Et si huic etymologiæ repugnaret Syriaca dictio, quæ Paul non scribit cum hain, sed cum vau. Hieronymus vero in epistolam ad Philemonem Paulum Hebraice pelch, id est, mirabilem significare tradit: quod eius ad fidem conuersio, & vita, & prædicatio admiranda extiterit, multisque miraculis admixta. Sed hæc, & prior etymologia, cum à linguis peregrinis petantur: si nomē Pauli est Romanum, vt diximus, tam solidæ non videntur. Quod si hæ etymologiæ alicuius essent ponderis, fuit Apostolus, Hebræis quidem mirabilis operator, Græcis autem quietus, Latinis vero, siue Romanis, humilis, siue modicus.

Postremo alii ex Hebræa, & Græca voce mixtim interpretantur פה αὐλὸς id est, os tubæ, ob id quod clamarit minime tacendo, & quasi tuba exaltauerit vocem suam, vt Christianos ad bellum contra principes,

&pote-

Marginal notes (left): Quarta opinio longe probabilior. *Ibid.* — Quam cel sum munus Apostolicum. — *Marc. 3.* — *Ibid.* *Chrys. serm. 1. ad Rom. inus to. 3. in princ. Theophylact.* *Ibid.* *Oecum. in Act. 13. Bed. in c. 3. Act. to. 5. Victorinus.* — Paulus quā dignus hoc nomine. Ad quos pertineat nominum impositio. — *Dan. 7.* — Olim Saulis quale nomen esset. *1. Reg. 9.* — *Act. 9.* *Ibidem.* Vox Pauli quid sonet.

Marginal notes (right): secundum Augustinū *Ephes. 3. 1. Cor. 5. 1. Tim. 1. Aug. lib. de spir. & lit. c. 7. paulo à medio, to. 3. & tract. 8. in ep. 100. & in ep. 27. Idem.* — Quid secūdum Amb. *Ambr. in c. 1. ad Rom. inst. to. 5.* — *Sim. Metaphrast.* — Aliud quorundam etymon. *1 Cor. 15. Supra. 5.* — *Act. 9. Gal. 1.* Quarta etymologia *Hier. to. 9.* — Hæ posteriores etymologiæ cum sequenti eut minus idoneę. — Quinta etymologia. — *Esai. 58.*

Ephes. vlt.

Voces quædam ex peregrinis linguis compoſitæ.

& poteſtatem tenebrarum harum accenderet. Sed hoc non minùs eſt abſurdum, quàm priora, imò magis: quantò inſolentius eſt, & vituperabilius, voces vnius alicuius linguæ ex diuerſis, & peregrinis linguis concinnare? Tales ſunt protonotarius, protomedicus, bigamus, ſubdiaconus; monoculus. Quare relictis alijs etymologijs, nominis Romani proprietas ex voce Latina ſtatuenda eſt.

Vera, ac propria quænam ſit.

Cur Paulus nomen ſuum alijs præponere in omnibus epiſtolis ſemper ſoleat.
Hier. in ca. 2. ad Corint. in princ. tom. 9.

Cæterum in omni epiſtola ſua Paulus proprium nomen, aliorum, ad quos ſcribit, nominibus præponere ſolet, quod vt beatus Hieronymus in Commentariolis, qui illi tribuuntur, in ſecundam ad Corinthio, *Quæritur*, inquit, *cur in omnibus epiſtolis contra vſum epiſtolarum, primum ſuum nomen ponat, quàm eorum, ad quos literæ destinantur. Sed hoc ex autoritate Apoſtolici ordinis, quia minoribus ſcripſit: vt etiam ſeculi iudices ſoleant ad eos, quos regunt, ſcripta dirigere.* Hæc ille. Hæc eadem verba habet Ambroſius in Commentarijs, qui illi inſcribuntur in hoc loco, & quædam alia, quæ ſequuntur. Quod mihi ſatis nouum videtur: quia Cicero, Plinius, & reliqui, etiam dum maioribus dant literas, ſua nomina præponunt. Certè Seneca in omnibus epiſtolis ſuis ad Paulum, priùs nomen Pauli ponit, quàm ſuum: ait enim: *Paulo Seneca ſalutem.* Adhæc Apoſtolus in quadam epiſtola ex illis ad Senecam, indicat, illud honoris gratia datum fuiſſe Senatui: hæc enim eius ſunt verba: *Quoties tibi ſcribo, & nomen meum tibi præfero, grauem, & ſectæ meæ incongruam rem facio. Debeo enim, vt ſæpè profeſſus ſum, cum omnibus omnia eſſe, & id obſeruare in tua perſona, quod lex Romana honori Senatus conceſſit (ſcilicet vltimum locum eligere) ne cum aporia, & dedecore cupiam efficere, quod mei arbitrij fuerit.* Hæc ille, vocans aporiam, conſilij inopiam, & dubitationem. Poſtponere igitur nomen ſuum in epiſtola, honoris alterius gratia fiebat, ſicut etiam Plutarchus in Photione ſcribit, Alexandrũ poſt deuictum à ſe Darium, & ſuſceptum Magni cognomen, nulli mortalium ſalutẽ dixiſſe, præterquàm Photioni Athenienſi, & Antipatri Macedoni; quos duos honoris gratia initio literarum ſaluere iubebat: quãquàm Plutarchus non aſſerat, Alexandrum nomina illorum ſuo nomini prætuliſſe, ſed tantùm illos in principio literarum ſalutaſſe.

Cur olim Romani, teſte Paulo nomen ſuum in epiſtola ſolerent poſtponere.
1. Cor. 9.

Quos duos Alexander dum taxat in literis ſaluere iubeat.

Solet tamen interdum Apoſtolus initio ſalutationis alios ſibi ſocios in principio literarum adiungere, vt in priori ad Corinth. Soſthenem; in poſteriori Timotheum fratrem, ſicut & in epiſtola ad Coloſſenſes, in vtraque ad Theſſalonicenſes, adiungit Siluanum, & Timotheum. Cuius rei cauſam explicat beatus Hieronymus in epiſtola ad Philemonem, inquiens: *Quod ego duplici cauſa factum puto: vt & epiſtola maiorem haberet autoritatem, quæ non ab vno ſcribebatur; & quia nulla æmulatio erat inter Apoſtolos, ſi quid fortè Paulo dictante alij Spiritus ſuggeſſiſſet, abſque vlla triſtitia addebat Paulus in literis, quas dictabat. Secundùm id quod ipſe Corinthijs præcipit, vt ſi alio prophetante, alij fuerit reuelatum, taceat ille, qui priùs prophetabat: ita ipſe quoque præceptum ſuum opere complebat, & propter pauca, quæ alio addiderat ſuggerente, vt ſuam, ita alterius quoque epiſtolam præſcribebat.* Et infrà: *Nam licèt Paulus, & Timotheus pariter ſcribant ad Philemonem, Apphiam, Archippum, & Eccleſiam; tamen in ſequentibus approbatur, Paulum tantummodò ad Philemonem ſcribere, & vnum cum vno ſermocinari. Gratias ago Deo meo, ſemper memoriam tui faciens. Hunc autem morem ſcribendi in nonnullis epiſtolis eius inuenire poteris, quòd cùm plures, & ad plures in præfatione ponatur, poſteà per totum corpus epiſtolæ vnus diſputans inducatur.* Hæc ille magnus Pater. ¶ Inſcriptio verò epiſtolæ ad Galatas ita habet: *Paulus Apoſtolus*, & cætera, *& qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ; Gratia vobis & pax*, & cætera. In quæ verba ita philoſophatur Chryſoſtomus: *Quam tandem ob cauſam nequaquam hoc addidit in cæteris epiſtolis (ſcilicet & qui mecum ſunt omnes fratres) in illis enim aut ſuum nomen ſolùm ponit, aut duorum duntaxat, triumve addidit nomina, hic autem totam multitudinem poſuit. Ideò poſuit vniuerſos, quòd neminem commemorat nominatim. Verùm hoc ipſum cur facit? Traduxerant Paulum hoc nomine, quòd ſolus hæc prædicaret, nouamq; dogmatum rationem inueheret. Hanc igitur illorum ſuſpicionem cupiens eximere, ſimulq; declarare, quod multos haberet eiuſdem ſententiæ, adiungit ſibi fratres, ſignificans, ſe ex illorum ſententia ſcribere quæ ſcribit.* Hæc ille doctiſſimus Pater.

Idem Apoſtolus in ipſo epiſtolæ exordio aliorum etiam ſuo nomen apponeret.

Hierony. to. 9.

1. Cor. 14.

B. Chryſ. ca. 1. epiſt. ad Gal. remotius à princ. tom. 4.

Eius inſcriptionis epiſtolæ ad Galat. Paulus Apoſtolus, &c. &, Qui mecum ſunt omnes fratres, quæ ratio ſit ſecundũ Chryſoſtomum.

Porrò cum in epiſtola ad Hebręos & nomen ſuũ, & ſalutationem ſolitam ſuppreſſerit, id diuino conſilio eſt factum. Ne videlicet ab vtilitate lectionis Iudæos ſibi infenſos abarceret: quemadmodum etiam tacuit Apoſtolatum, quoniam ipſe Circumciſionis Apoſtolus non erat. At in omnibus epiſtolis ad Gentes miſſis, vt Theodoritus eſt autor, Apoſtolicam ſibi vendicat dignitatem. Ideò ad Roman. 11. dixit; *Quamdiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo.* Idem etiam factum eſt in gratiam Petri, cui peculiariter erat Apoſtolatus Circumciſionis collatus; vt in epiſtola ad Galatas tradit. Addit & aliam

Cur idem ad Hebræos ſcribens, nomen ſuum, & Apoſtolatum omnino prætermiſerit.

Gal. 2.

Theodorit. in Præfat. ſuper Pauli epiſt. part. 2. init.

Rom. 11.

Gal.2.

aliam rationem idem Theodoritus apud Occumenium in argumento illius epistolæ, Clementem Alexandrinum in libris informationum suarum tradidisse, Dominum Iesum tanquàm Dei omnipotentis Apostolum ad Hebræos missum esse; & ex modestia actum fuisse, vt Paulus, qui ad Gentes missus erat, non scriberet se Hebræorum Apostolum, ob honorem delatum erga Dominum. Quemadmodum enim Christus peculiariter fuit minister Circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrũ; ita etiam Hebræorum Apostolus fuit. Quod ipse in eadem epistola cap.3. expressit, dicens; *Vnde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Iesum.* Et hactenus de nomine Pauli sit disputatum.

Idem ex Clemente Alexandrino.

Præcipuus Hebræorum Apostolus Christus Dominus fuit, teste Clemente.

Rom.14.

Hebr.3.

Solet autem Apostolus id nomen sibi in omni epistola præfigere, vel quòd is esset mos conscribendi epistolas tam apud Græcos, quàm apud Latinos, vel quòd imitatus sit Prophetas, qui à principio proprium nomen præferunt, è quibus vnus, *Verbum*, inquit, *Esaiæ filij Amos*, & alter, *Verba Ieremiæ*; & alius, *Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi*; vel denique autoritatis causa id egit, sicut Reges, & Principes huius sæculi, & summi Pontifices, qui à nominibus proprijs exordiuntur, siue in epistolis, siue in mandatis suis.

DISPVTATIO III.

Cur se Paulus serui Christi titulo honestare soleat.

APOSTOLVS præter proprium nomen Pauli, in quibusdam epistolis, vt ad Romanos, Philippenses, & ad Titum seruum se Iesu Christi, siue Dei vocare consueuit, vt etiam faciunt Iacobus, & interdum Petrus, & Iudas in suis epistolis Catholicis, & Ioannes in principio suæ Apocalypsis, quæ epistola quædã est: quod quidem difficultate non caret. Nam cùm scriptum sit: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.* Et ad Galatas: *Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem. Abba Pater. Itaque iam non est seruus, sed filius*: quomodò ergo congruebat, vt Apostoli, qui primitias Spiritus acceperunt, se nomine seruorum Dei designarent, præsertim cùm Dominus in Euangelio dixerit; *Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit, quod faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos*, & cætera? Sed vt hoc dubium luculentiùs excutiamus, perpende primò, Paulum se non ministrum Christi vocasse, vt infideliter vertit Caluinus. Nam hoc loco Græca habent δοῦλος, & non διάκονος: quanquam in vniuersum dicat, *Sic nos æstimet homo vt ministros Christi.* Deinde perpende, nequaquam se ciuem Romanum à principio iactasse, vt coram Centurione volente eum flagellis cædere, se esse professus est: quòd eum titulum vt exiguum bonum, planeque terrenum, ac mũdanum, & sibi cum multis etiam impijs communem agnosceret. Adhæc perspice, quòd etsi seruitutis humanæ conditio deterrima sit, vtpotè quæ apud Iurisconsultos maxima sit capitis diminutio: nobilis tamen, & ingenua redditur, si sponte quis seruiat superiori suo, cui parere par est, vt natura, & ratio dictat. Nam vt seruitus coacta, & violenta, per quam quis pati, aut inferiori seruire cogitur, miserrima est, ac sordida; ita maiori, ac nobiliori seruitutem impendere, honesta & liberalis haberi solet: vt si quis Regi optimo, & in præstãtissimo ministerio inseruiat. Quamobrem sponte seruire Deo, aut Christo, nihil habet seruile, aut illiberale, sed honorificum est valde, beatum, atque gloriosum. Nam per eiusmodi seruitutem homo desinit esse peccati, ac proinde diaboli seruus: qua quidem seruitute nihil infelicius, & truculentius. Et Dominus dixit; *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.* Verbum, Liberauit, Græcè est ἐλευθερώσῃ, id est, in libertatem asseruerit. Et à qua quæso seruitute liberauit, nisi à pessima illa peccati, & Satanæ? Incidit etiam hic titulus serui Iesu Christi, cum filiorum dignitate, & amicitia Dei. Nam vt Iesus Christus, qui natura Filius Dei erat, voluntaria, & ardenti charitate seruus Dei factus est: quo titulo apud Prophetas insignitur: ita non repugnat seruos Christi dici eos, qui gratia adoptionis filij facti sunt. Præterea serui aut natura fiunt, aut casu: natura quidem serui sunt, qui seipsos ingenio, & prudentia regere nequeunt: & serui fiunt eorum, qui prudentia, & ratione pollent. Vt rectè dixerit Salomon: *Seruo sensato liberi seruient*: quemadmodum Ioseph in captiuitate positus Pharaonem, & totũ eius imperium regebat; & Daniel seruus captiu' Regi Nabuchodonosor imperabat; & inter ethnicos Aesopus, & Epictetus serui conditione, natura tamẽ, & moderandi sapientia præditi, liberi

2.Petr.1.

Rom 8.

Gal 4.

Rom.8.

Ioan.15.

Infidelis Caluini translatio.

1 Cor 4.

Act.22.

Quare Paulus hoc loco non se ciuem extollit esse Romanum.

Quam misera seruitus humanæ conditio.

Quàm nobilis, & ingenua seruitus Dei.

Ioan.8.

A qua nos seruitute Christus liberauerit.

Seruitus contingit dupliciter.

Qui sint serui natura.

Eccl.10.

Genes 41.

Daniel.1.

liberi erant. Et in vno, eodemque homine corpus naturaliter rationi subijcitur, ac seruit, ratio verò dominatur, atque gubernat. Casu autem serui fiunt, qui aut bello capiuntur, & seruantur, ne pereant: vnde & seruorum nomen profectum est: aut emptionis iure, vt qui bello captos alijs emendos proponunt; aut qui domi ex seruis nascuntur, qui vernæ appellãtur; aut qui seipsos in seruos alicui dedunt, vel vendunt ad participandum de pretio, vt Iurisperiti tradunt.

Qui casu, & hoc tripliciter.

His omnibus considerationibus si rectè rationem subducas, Paulus Iesu Christi seruum se agnoscebat, & vocabat. Primò quidem, quia nouerat naturæ huius imbecillitatem, in quam per peccatum erat prolapsus, vt diceret: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* &, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Meritò ergo, qui se regere nesciebat, Dei directione, & gubernatione, vt seruus eius indigebat. Fuit deinde bello captus, & seruatus; dum rabie, & literis Pontificijs armatus pergeret in Damascum, vt in Christianos sæuiret, & eos vinctos perduceret in Ierusalem: sed cœlesti luce circumfusus in terram cecidit, & audiuit, *Saule, Saule, quid me persequeris?* vbi quasi bello vinctus, & quasi à morte, qua dignus erat, seruatus, aliorum manibus ductus in vrbem Damasci, vbi per Baptismum Christo nomen dedit, & seruitutem eius professus est. Agnouit etiam, quòd Christi pretioso sanguine redemptus esset, & minimè sui iuris esse. Vnde scripsit: *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno.* Et ad Galat. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Adhæc quia natus fuit ex Synagoga, quasi ex ancilla Dei, debebat Messiæ quasi vero Synagogæ domino, peculiarem seruitutem impendere, iuxta illud Dauidis: *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Denique sua sponte se Christo in seruum obtulit, cum dixit, Domine, quid me vis facere? quasi diceret, En me tibi offero in seruum, & Dominum meum te esse agnosco; & quasi seipsum tunc distraxit, vt de pretio, quo fuit redemptus, participaret, dum per incomparabilia Christi merita assecutus est peccatorum remissionem, mysteriorum diuinæ legis sapientiam, Apostolatus dignitatem, signorum, & prodigiorum operationem, & lumen accepit ad legem Mosaicam iam suo munere functam, & abrogatam declarandam, & vires, ac fortitudinem in vniuerso plantandum, & propagandum: Denique animi magnitudinem, & constantiam ad gloriosum de mundo, & vrbe Roma orbis domina, simul cum Apostolorum principe Petro triumphum reportandum. Cæterùm, vt se Christi seruum comprobaret; cùm esset liber ex omnibus, omnium se seruum fecit, vt plures lucrifaceret, vt ipse de seipso testatur. Aptissimè autem Romanis superbientibus, & de primatu contendentibus, suam obiecit Christi seruitutem, vt & de seipsis modestius sentirent; & loco cõtentionum mutuis charitatis officijs decertarent. Seruauit etiam Apostolus Domini præceptum, qui dixerat: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus;* vt quod ex nobis, & ex natura sumus, agnoscentes, digni simus in amicitia Dei permanere. Qua ratione hic titulus non tantum Paulo, sed etiam Petro, & Iacobo, Iudæ, & Ioanni quadrat, qui se Christi seruos in epistolis suis nominarunt. ¶ At verò, quòd se seruum Christi dixerit, non est putandum, quod in coniugio positus venerit ad Christum, vt interpretatur Origenes, producens illa Apostoli verba: *Seruus vocatus es? non sit tibi curæ, sed etsi potes fieri liber, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus est seruus* (id est, propter nexum, & vinculum cõiugij seruus vocatus est) *libertus est Domini.* Libertus enim neque ex integro liber, neque ex integro seruus est appellatus: si enim in cæteris virtutibus, liber fuerit, si fidei, patientiæ, misericordiæ, iustitiæ tenuerit libertatem, libertus Domini appellatur, vtpote qui pro actione virtutis liber sit, & pro coniugali necessitate sit seruus. Liber verò est, qui sine vxore per puritatem continentiæ venit ad Christum: qui tamen seruus Christi efficitur, dum ex integro virtutibus seruit. Ac subdit Origenes: *Paulus (sicut quidam tradunt) cum vxore vocatus est: de qua dicit ad Philippenses scribens: Rogo te etiam germana compar, adiuua illas, quæ cum ipsa sunt. Ex consensu igitur liber effectus, seruum se nominat Christi.* Sic ille. Sed certè Origenes nihil audet definire, an Paulus vxorem habuerit, sed asserit, alios id sensisse. Deinde non erat, cur initio epistolæ tam ipse, quàm alij Apostoli id proponerent: erat enim extra rem, se coniugatum appellare. Tertiò, alibi manifestè hoc non id significat. Nam & Iacobus frater Domini vocatur Christi seruus in sua Catholica, & Ioannes Euangelista Apocalyp. primo, nec tamen isti duo vnquam coniugati fuerunt. Et ad Philippens. *Paulus,* inquit, *& Timotheus serui Iesu Christi:* est autem exploratum, Timotheum vxore caruisse. Et in vniuersum ad Galat. primo dicitur: *Si adhuc*

Quam rectè Paulus se Christi seruũ nominauerit.

I. Ratio. Rom. 7. 2. Cor. 3. II. Ratio. Act. 9. Ibidem. Ibidem. Ibid. III. Ratio. 1. Cor. 6. & 1. Pet. 1. Gal. 2. Quarta. Psalm. 115. Quinta. Act. 9.

Qualia, & quanta Christi merita in Paulum extiterint.

1. Cor. 9. Pauli charitas vnde conspicua. Quid Romanis profuerit hæc Pauli serui Christi appellatio. Luc. 18. Optima amicitiæ cum Deo conseruandæ ratio. Quid Paulus minimè seruus, id est, coniugatus, vt quidam opinantur, ad Euangelium sit vocatus. Orig. in c. ad Rom. 1. inis. tom 2. 1. Cor. 7. Libert. Christi quis, liber, ac seruus, secundum Originẽ. Philip. 4. I. Ratio confutationis. Secunda. Tertia. Iacob. 1. Philip. 1. Gal. 1.

hominibus placerem, Christi seruus non essem.

Quarta.

Quartò, non quadrat Paulo id, quod post hoc verbum sequitur, nempè: *Segregatus in Euangelium Dei*: qui enim coniugatus erat, & rei vxoriæ vacabat, lege Dei cum ea manere cogebatur: quomodo ergo matrimonio implicitus, segregatum se diceret ad prædicandum Euangelium? Postremò negligendum non est, quod in sola ad Philemonem epistola loco eius particulæ, *Seruus Iesu Christi*, dixit: *Vinctus Christi Iesu*: quem titulum vt illustrissimum, & honorificentissimum sibi vendicauit, vt eo se magis vincula, & carceres propter Christum degustare profiteretur, & eò facilius à Philemone impetraret, quod literis ab eo obtinere tendebat. Denique vt doceret, vincula, catenas, & carceres seruo Iesu Christi nihil dettrahere, sed magnum gloriæ, & honoris cumulum sibi accrescere. Est enim & magna consideratione dignum, & admiratione, quod Paulus Romæ omni bonorum temporalium præsidio destitutus, & vinctus, catenamque gestans, libèr esset ad viua voce concionandum præsentibus, & solicitus ad totum orbem literis erudiendũ, & omnium Ecclesiarum bono consulendum: ita vt hæc sibi inuicem non aduersentur, tam abiecti, & humilis status serui conditio, & tam alta, & ardens charitas, qua erga vniuersum orbem Christo lucrifaciendum flagrabat. Sed tale nobis exemplum, & omnium oculis spectandum exhibere voluit Christus, qui α. & ω. erat, Deus, & homo: cuius gloriæ, & splendori maiestatis, crucis obscuritas, ac humilitas non repugnabat. Non neganerim tamen, Apostolum alijs locis se vinctum Christi, vel in Domino appellasse, vt cap. 3. 4. & ad Ephes. nunquam tamen se in principio tali titulo honestauit, nisi in ea tantum, quæ est ad Philemonem: quanquam in alijs epistolis suos carceres, & vincula proponere soleat. Et hactenus de illo titulo: Seruus Iesu Christi.

Rom. 1. — Gen. 2. Matth. 19. & alibi. — Quinta. — Cur Paulus se vinctum dixerit Christi. — Pauli hæc Christi seruitus quanta fuerit cum libertate coniuncta. — *2. Cor. 11.* — *1. Cor. 9.* — *Apoc. 1.* — Proprium Christi virtutis, & sapientiæ. — *Ephes. 3.* — *Infra 4.* — *2. Tim. 1.*

DISPVTATIO IV.

Cur se vocatum Apostolum appellet.

VT exploratum est omnibus, in omni ferè epistola ad Gentes missa Paulus se Apostolum Dei simpliciter, vel vocatum Apostolum, vel Apostolum per voluntatem Dei, præter morem aliorum Apostolorum appellat: quo titulo non est vsus in epistola ad Hebræos, quia eorum Apostolus non erat, vt superius indicauimus. Cum ergo dixisset, se seruum Iesu Christi, explicat, quo genere seruitutis Christo ministraret, dicendo, *Vocatus Apostolus*. Pro ampliori ergo huius vocis intelligentia constituendum est, quòd ἀποστέλλειν, Græcis est mittere legatum, siue legationem; sicut ἐπιστέλλειν, est litteras mittere: vnde & vox epistolæ ad Coloniam Romanorum peruenit. At verò eorum qui mittuntur, vt legatione fungantur, alij quidem ab hominibus, alij verò ab ipso destinantur. Et cum pluribus de causis contingat, à Deo aliquos amandari, vt Angelos, Prophetas, Moysen, & Ioannem Baptistam: ex vsu tamen sacrarum literarum, & Ecclesiæ Dei, tantum Euangelij gratia à Deo missi, Apostoli propriè vocari consueuerunt. Quemadmodum Græca vox Angeli communis est ad denotandum quemuis nuntium à quocunque missum: sed ex vsu Scripturæ restrictum est ad beatas illas mentes, & cœlestes spiritus, qui diuina loco Dei nobis annuntiant, denotandas; & per metaphoram insignes Sacerdotes, & pastores Angeli dicuntur: vt Malach. 2. & Apoc. 1. & Ioannes Baptista Matth. 11. ex testimonio Malachiæ Angelus nominatur, imò ipse Messias, Angelus testamenti, & magni consilij Angelus. At Euangelium primò fuit condendum, & vt dicam, fundandum, deinde verò per vniuersum orbem promulgandum, tertio verò explicandum, & in cordibus fidelium confirmandum. At verò ad hæc tria munera præstanda diuersas missiones, siue legationes fecit Deus. Vt interim omittam, quod Prophetas promiserit ad pronuntiandum Euangelium, & animos hominum ad illud expectandum, & suscipiendũ præparandos. Ad primum igitur munus missus est tantùm vnus Iesus Christus Deus, & homo; qui in assumpta carne natus, & prædicans Dei verbum, & moriens pro salute mundi, & morte victa resurgens, & in cælum sua virtute conscendens, & inde in suos Spiritum sanctum effundens, quò eos ad se eueheret, & regni cælestis participes faceret, verè condidit Euangelium, eiusque fundamenta iecit. Quapropter ipse à Deo immediatè missus est, vt hæc summa & præstantissima præstaret munera. Hinc illæ eius voces: *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me* (id est, Christum me fecit) *Euangelizare pauperibus misit me*; id est, declarare me esse verum Euangelium, hoc est lætissimum, & sanctissimum nuntium, mediatorem Dei, & hominum, reconciliatorem, & mũdi saluatorem. Quare Beatus Paulus ob has causas meritò eum Apostolum vocauit, dicens: *Considerate Apostolum, & Pontificẽ*

Quale Paulus ipsi Christo genus seruitutis impenderet. — Duplex legatorum genus. — Apostolorum, qui propriè censeantur hoc nomine. — Angelorum appellatio quibus propriè nunc cõueniat, quibus impropriè. — *Matth. 11. Malach. 3. Esa. 9.* — Euangelij trina conditio, vnde triplex & Apostolorum gradus constitutus. — A quo fuerit condendum Euangelium. — *Act. 1.* — *Infra 2.* — *Luc. 4. Esai. 61.* — Quibus verbis Messias expressisse videatur munus suæ legationis. — *1. Tim. 2. Heb. 3.*

confes-

Quam illud pro dignitate Christus obtulerit.

confeſsionis noſtræ Ieſum qui ve,ſummus ſummi Dei Legatus, pro ſummo ſalutis negotio non ſine literis, & diplomatibus principis Dei eum mittentis, hoc eſt, ſine ſignis & admirandis prodigiis autoritatem eius, & ſaluriferam poteſtatem teſtificantibus ad nos miſſus eſt. Fuitque in munere ſuo gerendo fideliſſimus, & prudentiſſimus nuntius, qui nonniſi conſtabilita pace cum humana natura, & peracta feliciſſime cauſa, propter quam venerat, triumphans ad Patrem ſuum reuerſus eſt, captiuam ducendo captiuitatem, & bona hominibus impertiendo. Cui redeunti dictum eſt: *Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Quare voces ſunt illæ Apoſtolicæ: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere; præter id quod poſitum eſt; quod eſt Chriſtus Ieſus;* & iterum: *Si quis vobis euangelizauerit,* hoc eſt, aliud fundamentum poſuerit, quam quod poſitum eſt, &c. & Apoſtolorum princeps: *Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Et Angelus ad Paſtores: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid.* Et ad hoc tantum faſtigium, aſſumpta humanitate, venit ad nos Filius Dei; & ſic eminentiſſimo modo fuit Patris Apoſtolus.

Pſal. 67.
Ephe. 4.
Pſal. 109.
1 Cor. 3.
Gal. 1.

A quibus Euangeliũ toti mundo prædicandum.

Deinde ad Euangelium conditum, toti orbi promulgandum, nonnulli à Chriſto delecti fuerunt, ſed maxime duodecim nominati, & ab eo miſſi, de quibus ipſemet: *Nonne ego vos duodecim elegi?* & apud Lucam: *Vocauit diſcipulos ſuos; & elegit duodecim ex ipſis quos & Apoſtolos nominauit.* E licet dum viueret, per Iudæam tantum ad prædicandum deſtinati fuerint: poſt ſuam tamen reſurrectionem in munere ſuo confirmati ſunt, & ad vniuerſi orbis prouincias emiſſi. *Sicut miſit me,* inquit, *viuens Pater, & ego mitto vos;* & *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ex horum numero cum vnus apoſtataſſet Iudas: Matthias in eius locum ſubrogatus eſt. Et præter hos duodecim adiuncti ſunt alii duo in eodem dignitatis gradu, nimirum Paulus, & Barnabas, ab Spiritu ſancto immediate vocati, & in hoc ipſum ab aliis ſegregati; vt non minus ipſi quam reliqui duodecim, & Apoſtoli vocarentur, & Apoſtolico munere fungerentur. Pro Chriſto legatione fungimur, vt eorum quidam dixit. Horum autem officium erat, verbum Dei euangelizare, Sacramenta adminiſtrare, ſignis prædicationem corroborare, Eccleſias erigere, erectas regere, & earum miniſtros inſtituere; alios etiam in diuerſas mundi

Act. 4.
Luc 2.
Ioan 6.

Apoſtoli quando ad prædicandum Gentibus miſſi
Ioan. 20.
Marc. vlt.

Act. 1.

Infra 13.
Paulus & Barnabas Apoſtoli Gentium diuinitus electi parem cum reliquis Apoſtolis poteſtatem acceperunt.
2 Cor. 5.

partes ad idem munus præſtandum loco ſuo mittere. Et qui ſic ad diuerſas Prouincias in fide primitus inſtituendas, ſiue ab Apoſtolis ipſis, ſiue ab his,, qui Apoſtolicæ ſedi præſident miſſi ſunt, dicuntur & ipſi Apoſtoli, non quidem ſimpliciter, ſed cum additamento, videlicet Apoſtoli Eccleſiarum. Hinc Paulus in poſteriori ad Corinthios: *Siue pro Tito qui eſt ſocius meus, & in vobis adiutor, ſiue fratres noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum,* ſcilicet certarum. Et ad Philippenſes: *Neceſſarium exiſtimaui, Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſsitatis meæ mittere ad vos.* Hunc vocat Apoſtolum veſtrum, id eſt, Legatum, à vobis ad me miſſum, & in eadem ſignificatione accipi poſſet quod præcedit, Eccleſiarum Apoſtoli, id eſt, Legati ab Eccleſiis miſſi ad colligendam eleemoſynam ab Corinthiis. Et ad Romanos: *Salutate Andronicum, & Iuliam cognatos, & concaptiuos meos: qui ſunt nobiles in Apoſtolis.* id eſt, inſignes inter Eccleſiarum Apoſtolos. Atque in hunc ſenſum ſoliti ſumus dicere, Dionyſium, & Martialem Apoſtolos Galliarum, Auguſtinum Anglorum Apoſtolum, & Epiſcopum, & Germanorum Apoſtolum Bonifacium; qui tempore Zachariæ ad eam prouinciam deſtinatus fuit. Priores ergo poſteriorum comparatione, dicuntur magni Apoſtoli, & ſupra modum Apoſtoli, vt ipſe Apoſtolus teſtatur: *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis.* Et infra: *Nihil minus feci ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, tametſi nihil ſum.* Quamobrem Apoſtolus cum in epiſtolis ſuis aliquem ſibi adiungit tanquam conſcriptorem epiſtolæ, vt Timotheum, vel Siluanum, vel Soſthenem; in Apoſtolatu tamen neminem ſibi adiunxit. Vnde cum Timotheum nominat Fratrem vocat: cum Soſthenem ſibi adiungit, ait: *Paulus vocatus Apoſtolus, &c. Soſthenes frater.* Vt ita quos admittit ex charitate vt ſocios epiſtolæ, in munere tamen Apoſtolico illos à ſe diſtinguat. Cur autem Paulus ſe per ſingulas epiſtolas Apoſtolum vocet, eleganter Hieronymus in capite primo, ad Titum explicauit his verbis: *Quod ait: Apoſtolus autem Ieſu Chriſti, tale mihi videtur quale ſi dixiſſet, Præfectus prætorio Auguſti Cæſaris, vel, Magiſter exercitus Tiberij Imperatoris. Vt enim iudices ſeculi huius quo nobiliores eſſe videantur, & ex Regibus quibus ſeruiunt, & ex dignitate qua intumeſcunt, vocabula ſortiuntur: ita & Apoſtolus grandem inter Chriſtianos ſibi vendicans dignitatem, Apoſtolum ſe Chriſti titulo prænotauit vt ex ipſa lecturos nominis autoritate ter-*

Apoſtolicæ functionis inſignia.

Priores Apoſtoli in quo à poſterioribus diſtinguantur
2. Cor. 8.

Philip. 2.

Rom. 16.

Qui fuerint Eccleſiarum Apoſtoli.

1. Cor. 11.
Infra. 12.

Etſi Paulus Timotheũ & Siluanũ ac ſimiles nominet fratres non tamẽ ad apoſtolatus ſui communionẽ illos admiſit.
1. Cor. 1.
Hier. to. 9.

reret

reret, omnes; qui in Christo crederent, de'ere sine esse subiecti. Hæc ille. ¶ Tertio loco, Euangelium semel promulgatum, erat explicandum, & interpretandum. & ad hoc missi sunt Episcopi, qui in antiquis Pontificum epistolis successores Apostolorum vocantur. Sunt etiam præter hos, pastores, & doctores, quos Ephes. 4. nominat Apostolus: qui necessarii sunt in Ecclesia Dei, tum vt oues viua voce, & exemplo bonæ vitæ pascant; tum ob hæreticos, & dæmones in Angelos lucis transfiguratos, vt non omni vento doctrinæ circumferamur, in varias, & peregrinas doctrinas adducti. Et isti ad hoc munus Apostolicum exercendum vocatione Dei indigent, etsi Apostoli non nominentur, nisi Pontificis Romani peculiari autoritate Apostolica fulti extiterint. Quod vero isti egeant vocatione, testatur Paulus: *Quomodo, inquit, credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?*

[Euangeliũ à quib. fuerit interpretandum. — 1. Cor. 12. — Pastorum, & doctorum Ecclesiæ Christi necessitas. — 2. Cor. 11. — Ephes. 4. — Isti vt Apostolico munere, & nomine digni fiant Dei requiruntur. — Rom. 10.]

Iam explicandum quid sit, *Vocatus Apostolus.* Solent enim, qui ad munus aliquod à Deo olim assumebantur, in Scripturis dici Vocati. Ita enim per Esaiam cap. 48. dicitur: *Audi me Iacob, & Israel, quem ego voco;* & est sermo de Messia, de quo Apostolus ad Hebræos: *Nec quisquam sumit sibi honorem* (id est honorificum aliquem gradum, siue magistratum in Ecclesia) *sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Iterum idem Propheta ca. 49. vbi inducitur Messias loquens: *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Et cap. 61. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini:* id est, vocatione Dei certius assumpti ad Sacerdotiũ. Cum igitur Ecclesia, Dei, & Christi sit peculium, & possessio; fur est & latro, quicunque per aliud ostium in eam ingredi tentat, quam per illud ipsum, cuius est mittere, & vocare. Vnde Paulus dixit: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Quo vltimo verbo declarat, Ecclesiam sui iuris non esse, sed Christi, qui eam, sibi comparauit.

[Quid illud ante propositum: Vocatus Apostolus. — Esai. 48 — Heb. 5. — Num. 17. & seq. — Illud Apostoli: Nec quisquam sumit sibi honorem, &c. quid significet. — Esai. 49. — Infra 62. — Quomodo sit peculiũ Dei. — Ioan. 10. — Act. 20.]

Vocat autem, sine mittit Deus, tum per se tum per superiores, & maiores, quos ad alios vocandos constituit. Homo etiam nullus inuenitur, qui ex seipso habilitatem habeat ad tantam dignitatem, nisi Christus per se, vel suos eum vocare dignetur: qui vocando piscatores, telonarios, & sutores, idoneos noui Testamenti ministros reddidit: non solum vt eos confundat, qui de suis viribus, & sapientia, vel ingenio præsumunt, sed vt etiam gratia, & gloria vocantis agnoscatur, quæ maxime in Paulo Christi hoste iurato enituit: qui cum Ingenio, scientia, & zelo suo abuteretur, ad tantum munus Dei benignitate vocatus est.

[Vocat De⁹ dupliciter. — Pauperes, & ignobiles cur Christus elegerit. — Matt. 4. — Infra 9. — Act. 9. — Infra 18. — 1. Cor. 3. — Act. 9.]

Non est ergo sensus: Vocatus Apostolus, quod humilitatis gratia ipse se Apostolum non nominaret, sed ab aliis nominaretur, vt interpretatur Anselmus: & Ita dici voluit Bernardus, vocatus Abbas Claræuallensis. Quoniam in hunc sensum primo facit, quod ita Apostolus non tam esse, quam ab aliis vocari Apostolum insinuaret: quod falsum esset, & vero eius Apostolatui detraheret, de quo infra ait: *Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum.* Deinde græca vox non est participium, sed nomen: non καλῶν, sed κλητὸς. quæ postrema vox secundum Hesychium interpretatur ἐξ ὀνόματος καλούμενος ἢ ἔνδοξος. hoc est, Ille dic. κλητὸς vel qui ea nomine vocatus, vel insignis, siue nobilis. Adhæc superstitiosa esset humilitas, quæ dona Dei ad vtilitatem Ecclesiæ collata occultaret, cum scriptum sit: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Quæ & loquimur,* id est, Quę alios non celamus, sed ad eorum ædificationem detegimus, & exerimus: quemadmodum faciebat Paulus, cum diceret: *Non sum liber? non sum Apostolus?* & cæt.

[Primus sensus illius sẽtentiæ: qui reiicitur. — Anselm. in c. 1. epist. ad Ro. tom. 2. in prin. — Rom. 1. — Hesychius. — Ficta quędam humilitas. — 1. Cor. 2.]

Secundo loco non est sensus, Vocatus Apostolus per Antonomasiam, & excellẽtiam: quemadmodum Vrbis, Poetæ, & Philosophi vocibus Romam, Homerum, & Aristotelem accipimus. Verum in hunc sensum nomen κλητὸς repugnat; & quia si voluisset id designare, dixisset cum articulo ὁ Ἀπόστολος, & non simpliciter Ἀπόστολος: vt Cyrillus in caput primum Ioannis de articulo posito nomini Prophetæ egregie docet. Falso etiam sic se nominasset cum articulo, cum Petrus Apostolorum esset princeps, & maior Paulo in pastoratu, & prior vocatione in Apostolatu. Vnde ad Galat. 1. ait: *Neque veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos.* Et capite secundo subiungit de Iacobo, & Cepha, & Ioanne, qui videbantur esse columnæ. Præterea importuna fuisset iactantia, statim in ipso epistolæ limine, in quo à sui submissione, & modestia captanda est Lectorum beneuolentia, ita sublimiter, & magnifice de se loqui, cum semper in more haberet vt se deprimeret, & sub aliis enumeraret. *Ego enim,* inquit, *sum minimus Apostolorum: qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Et agens de Christi suscitati apparitionibus ad Apostolos: *Nouissime omnium,* ait, *tanquam abortiuo, visus est & mihi*

[Infra 9. — Aliter sẽsus & ipse minus probabilis. — B. Cyrill. in Ioan. li. 1. c. 24. to. 1. om. — Paulus Petro inferior in quibus. — Matth 4. — Ioan 1. — Gal 1. — Infra 2. — Assiduum Paulo fuit humilitatis studiũ. — 1. Cor. 15. — Ibid. — Act 9.]

Quod

Quod vero absoluto Apostoli nomine nõ designet aliquam excellentiam, testatur Augustinus libro contra duas epistolas Pelagiano. *Filios diaboli infidelitas facit, quod peccatum proprium vocatur, quasi solum sit. si non exprimatur quale peccatum sit. Sicut Apostolus cum dicitur, si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus, quia pluribus est epistolis notior, & plus omnibus illis laborauit.* Hæc ille. Sed absit vt ipse se talem crederet, vel vocaret, quia vitiũ esset in eo, quod in omnibus alijs sic Paulum appellantibus virtus esset.

Aug. li. 3. contra 2. epist. Pelag. c. 3. in princ. to. 7. inter med. & fin.

Tertius sẽsus, verus, atq; germanus.

Exclusis ergo his falsis sensibus, genuinus, & proprius intellectus est: Vocatus à Deo ad munus Apostolicum, vel, Vocatione Dei Apostolus. Hoc est, Non feci rapinã Apostolatus, vt mihi multi pseudoapostoli imponunt: non sum Apostolus sic natus, sicut natus sum ciuis Romanus, sed per ostium ingressus, id est, per vocationem à Deo, tanquam Aaron. Et est perinde ac dicere: Paulus miseratione Diuina Papa Tertius: hoc est, sine meritis vllis, imo etiam cum demeritis multis. Deinde donum Apostolatus Dei contra pseudo apostolos sibi detrahentes agnoscit, & constabilit: nam ob hoc ipse solus, & Petrus, qui Apostulorum princeps erat, in principio suarum epistolarum se Apostolos vocant: quod non faciunt Ioannes, Iacob. & Iudas, nec ipse Paulus in epistola ad Philippenses, & in vtraque ad Thessalonicenses: quia nulla inciderat dubitatio apud illas Ecclesias, an Paulus legitimus esset Christi Apostolus De aliis siquidem Apostolis omnibus constabat, veros Christi discipulos fuisse, & cum eo, dum viueret, conuersatos: de Paulo vero, qui cum eo non fuerat, in dubium vocatum est. Tertio perpende, vocari Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, vt ipse dixit ad Galatas, vindicans suam Apostolicam autoritatem apud illos propter detractores. Ab hominibus enim mittuntur, qui humana negotia apud alios peragunt principes; id enim significat illa præpositio Ab. At homines nullam talem Ecclesiasticam potestatem dare possunt, nedum Apostolatus supremam. Neque per homines ministros legitimos, per quos Apostolici viri ab alijs Apostolis, vel Ecclesiæ moderatoribus missi sunt, & qui ius habent à Christo mittendi alios, & instituendi Ecclesiasticos magistratus ad regendam, vel imbuendam doctrina Euangelica Ecclesiam. Paulus ergo ex istis non erat, quia immediate ab Spiritu sancto cũ Barnaba vocatus est: etsi Apostoli, & Prophetæ, & doctores qui erant Antiochiæ orationis & liturgiæ ministerium impenderint.

2. Cor. 12. Ioan. 10.

Heb. 5.

Cur Petrus & Paulus soli inter Apostolos meminerint Apostolatus. Cur id interdum suppresserit Paulus.

Idem se Apostolũ non ab hominib. neque per hominem, sed per Iesum Christum cur nominet. *Gal. 1.*

I. ratio. II. ratio.

Act. 13.

Ibid.

Apostolorum genera quatuor

Sunt igitur quatuor species eorum, qui mittuntur. Alij quidem nec ab hominibus, neque per homines: vt duodecim Apostoli cum Barnaba & Paulo. E contrario sunt alij ab hominibus, & per homines missi: vt pseudoapostoli, & pseudoprophetæ, & hæretici; vel interdum per laicam, & secularem potestatem mittuntur, vt nostro seculo faciunt Lutherani. Similes sunt istis, qui per Simoniæ vitium in Ecclesiã ingrediuntur, de quorum numero dixit vni B. Ambrosius, (vt eum producit Haymo in cap. 1. ad Ephesios) *O Episcope vere, nisi centum solidos dedisses, hodie Episcopus non esses.* De illis etiam tertio libro Regum, cap. 16. legimus, quod implebant manus Ieroboam, & fiebant Sacerdotes idolorum. Sunt tertio, qui per homines, & non ab hominibus missi sunt: vt omnes boni Episcopi, & ministri, qui per legitimam vocationem eorũ, quorum interest vocare in Ecclesiam Dei, per ostium ingrediuntur. Sunt quarto, qui ab hominibus, & non per homines veniũt: vt qui se sua voluntate in Ecclesiæ magistratus intrudunt, atq; illos vi occupant: quod etiam præstant Hæresiarchæ, qui à seipsis dæmone tantum excitante veniunt. Hinc Augustin. in Dialogo 65. quæstionum scribit: *Apostolus interpretatur missus. Apostolorum sunt genera quatuor: A Deo, non per hominem; a Deo sed per hominem; per hominem tantum; & ex se. A Deo etenim missus est Moyses. A Deo, & per hominem sicut Iesus Naue Per hominem tantum, sicut nostris temporibus multi fauore vulgi in Sacerdotium subrogati sunt; ex se autem, sicut sunt ipsi pseudoprophetæ.* Hæc ille: quæ videntur esse his, quæ Hieronymus tradit ad Galat, quam proxima. ¶ Quarto loco pondera verba, *Vocatus Apostolus*: non ad tempus vt Iudas, qui ex celsitudine Apostolica infeliciter corruit, sed vt fideliter in fidem vsque vitæ cursum suum consummaret, fidem seruaret. tenens quod habebat, vt nemo acciperet coronam suam. ¶ Quinto, Vocatus: non per Christum mortalem, & in viuis agentem, vt cæteri Apostoli electi sunt, sed per immortalem Iesum, & à morte suscitatum, vt ipse de se asserit ad Galat. 1. & expendit magnus Augustinus in parua eius libri expositione, & lib. Retractationũ confirmauit: Ob quam causam Thom. tradit in eodem loco, Paulum à dextris Petri in picturis constitui. Sed hæc ponderatio, meo iudicio solida non videtur, vt inferius suo loco probabimus. In prima tantum epistola ad Romanos ait se vocatum Apo-

Luc. 6.

Aug. quæst. 62. to 4. paulo à med

Exod 3. Infra 4. Num. 27. Hier in ca. epist. ad Gal. 1. iuxta princ. tom. 9.

Paulus quãto aliter ac Iudas vocatus Apost. *Mat. 26. & seq. 2. Tim 4. Apoc. 3.*

Idem quando vocatus Apostolus. *Luc 6. Actor. 9. Gal 1. Aug. in expositi epist. ad Gal. paulo post Proœmiũ eodem to. 4. prope fin. Idem lib 1. Retract c. 24. init. to. 1. in princ. B Tho. in c. 1. ad Gal. lect. 1. circa med. to. 16.*

stolum, cum in reliquis in more habeat dicere, *Apostolus Iesu Christi.* Omnis enim Apostolus missus est ab alio, & eius personā refert. Hinc Dominus Ioannis decimotertio dixit: *Nec Apostolus maior est eo qui misit illum.* Paulus ergo vocatur Apostolus Iesu Christi, quasi mittentis & Legatum instituentis, qui & ipse Dei Patris fuit Apostolus, vt idem Paulus ad Hebr. 3. testatur, & Dominus dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: id est, Vt ego sum Apostolus Patris mei, ita & vos estote Apostoli mei. Vnde Paulus dixit: *Pro Christo legatione fungimur.* Cum vero dicitur Apostolus Gentiū, sicut Petrus Circumcisionis; non respicit ad mittentem, & instituentem Apostolos, sed ad populos ad quos mittitur. Vnde & quidam vocantur Apostoli Ecclesiarum, & Epaphroditum vocat Paulus Collossensiū Apostolum. Et quia vna & eadem est Iesu Christi, & Dei Patris potestas, & vna operatio: hine ad Galat. 1. dixit: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem*: ad potestatem qua institutus est Apostolus, quæ communis est tam Patri, & Spiritui sancto, quam Filio, respiciens; cuius præterea pecu liariter est Legatus, & Apostolus. ¶ Septimo & vltimo, vocatus Apostolus: qui e si in Apostolatu cæteris sit recentior, & vt ipse de se ait, Nouissimus, non tamen cæteris omnibus potestate vlla minor, imo etiam in quibusdam, vt in sapientia, & dono prædicationis, & labore percurrendi vniuersum orbem, forte maior: *Abundantius*, inquit, *omnibus laboraui*: nō tamen assererē, eum maiorem edidisse fructum in Ecclesia, quam reliquos omnes simul. Præcellit etiam in scribendo: quia plures epistolas scripto consignatas nobis reliquit. Præstat & in magnitudine oullis sibi crediti, id est, Gentilitatis, in qua verbum Dei disseminauit. Fuit quoq; inter cæteros signis, & prodigijs eminentior, ita vt semicinctia, & sudaria eius circumferrētur ad morbos propulsandos, & demonia expellenda. Demum in persecutionum, & passionum multitudine, & aduersitatum tolerantia admirabilis præ cæteris, & inuictus extitit. Vnde & in vinculis, & in catena, & in infirmitatibus suis frequentissime gloriatur: in quibus & plures dictauit epistolas, & permultos Christo lucrifecit. Ita vt scribat Philemoni: *Obsecro te pro meo filio quem genui in vinculis, Onesimo*: vt etsi corpore esset vinctus, verbum tamen Dei non esset alligatum: erat nihilominus Petro inferior in pastoratu cum reliquis omnibus Apostolis. Et hactenus philosophatum sit nobis de nomine, & dignitate Apostolatus.

Ioan 20.
2. Cor. 5.
Quibus in rebus Paulum facile agnoscere possis omnib. alijs Apostolis superiorem.
1. Cor. 15.
Act. 19.
Philip 1.
2. Cor. 11.
Philem.
2. Tim. 2.

DISPVTATIO V.

De verbis illis: *Segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat, & cat.*

PAVLVS eum se vocatione Dei Apostolum assumptum nominasset, quo tenderet illa Apostolatus dignitas, explicās per periphrasim quandam, subdit: *Segregatus in Euangelium Dei.* Vbi videtur vti figura, quæ apud Rhetores vocatur Definitio; quæ rem designatam explicatius interpretatur. Nam Segregatus, declarat quod dixerat, *Vocatus*: & quod ait, In Euangelium Dei explicat nomen Apostoli. Quo igitur præsentem locū maiori luce illustremus, præmittendum est, non omnes Christi seruos esse Apostolos; neque omnes Apostolos esse segregatos in Euangelium. Videmus si quidem, non omnes ex corrupta Adæ massa segregari, vt fiant actus Christi membra, quod eorum vitio accidit: nec omnia membra segregantur, vt sint ministri noui Testamenti: nec omnes ministri noui Testamenti sunt ex illis primis, & paucis promulgatoribus. Et ex his duodecim, pauciores ad omnes gentes Euangelio imbuendas, atque illustrandas selecti sunt. Vnde Gentiles Paulum eorum Apostolum, & Doctorem audire arctabantur: cum tamen alijs Apostolis particulares cesserint prouinciæ. Qui igitur olim erat segregatus à Gentib. vt esset natura Iudæus per Circumcisionē, & non ex Gentibus, peccator, vt ipse de se testatur: & qui deinde à reliquis tribubus sepositus, vt esset de nobili, & fortissima tribu Beniamin; & qui erat ad exquisitam sectam, & cęteris sanctiorem, nimirum Pharisæorum segregatus à reliquis suæ tribus hominibus: placuit Deo, pro immensa sua bonitate eum vocare, & ab vtero matris suæ segregare (qui enim segregatur, ab aliquo separatur) hoc est, ab vtero matris synagogæ, vt efficeretur Christi membrum per baptismum ab Anania ministro susceptum. Qui statim vt baptizatus est, nemine instruente, sed Deo intus Filium suum reuelante, subito prædicare, & contra Iudęos disputare cœpit, magnæque suæ sapientiæ acceptæ specimen cunctis edere. Deinde à cæteris Christianis vt Christi pastoris omnibus est separatus, vt iam non esset gregarius, sed egregius Christi miles, & minister, non veteris, sed noui Testamenti. Itavt vas electionis euaderet, & Dei organum electum.

Proprium definitionis.
Omnes Apostolos vnde constet non esse segregatos in Euangeliū Dei.
Cur Paulus fuerit segregatus. 1. ratio.
Gal. 1.
Rom. 11.
Act. 23.
Gal. 1. Cuius non ab vtero matris Paulus fuerit segregatus, vt ipse dixit.
Act. 9.
Gal. 1.
Act. 9.
II. ratio.
2. Cor. 3.
Act. 9.

ctum. Fortassis autem, vt docet Ambros. in ea voce, *Segregatus*, alludere voluit Paulus ad nomen Pharisæi. Nam Pharisæus cum litera Samech, separatum, siue segregatum; & cum litera Schin, doctorem vel interpretem sacrum denotat. Et si velis ex vtraque interpretatione vnum concinnare sensum, non errabis si dixeris, eum segregatum ad docendum, ob insignem doctrinam, & excellentem vitæ sanctimoniam, & incredibilem persuadendi vim, & efficaciam: id enim verbum Græcum *ἀφωρισμένος* quo vtitur Paulus selectum significat, siue sepositum. Vnde & Hippocrates medicorum facile princeps, sententias quasdam ad artem medicinæ spectantes, Aphorismos vocaui. Ex numero Apostolorum præterea segregatus fuit ad Gentium prædicationem, & præsertim ad ampliandam, & extendendam Christi Ecclesiam, quæ Initio parua erat. Vnde illi vt pellioni, & tabernaculorum artifici, dici poterat, Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. Nam ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuit Euangelium Christi; & totum Occidentem, & Hispaniam, & Romam ipsam mundi dominam prædicatione verbi Dei Christo lucrifecit. Postremo, ab omnibus aliis curis rerum temporalium, imo etiam à spiritualibus occupationibus separatus fuit, vt totus Euangelio intenderet. Si enim Apostoli dixerunt: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis: considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus; nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Ad eum modum Paulus, omnibus aliis curis, etiam sanctis solutus est, vt Scripturæ lectioni, & ministerio euangelizandi liberius ac plenius vacaret. Hinc etiam interdum à conferendo baptismo abstinebat: *Non enim*, inquit, *misit Christus baptizare sed euangelizare.* Hinc est, vt totus esset in peregrinationibus ad diuersas mundi prouincias Euangelij gratia ineundis: & omnibus quæ quoquo modo Euangelium promouerent, seipsum coniungebat; & cum labore manuum, à quo propter Euangelium gratis dispensandum non abhorrebat. Vnde dicebat: *Nam etsi euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est si non euangelizauero.* Debent enim qui euangelizandi muneri incumbunt, id primum curare, vt ab aliis hominibus sint seiuncti, quo plus ponderis & autoritatis habeat eorum oratio apud populum. Hinc Christus Dominus, & Ioannes Baptista è deserto, quasi de cœlo emissi, ad prædicandum prodiere. Solet enim prædicatoribus idem quod imaginibus accidere: nam vt illæ è longinquo spectatæ magis placent, quam quæ è propinquo videntur: ad eum modum prædicatores, qui minus cum aliis huius seculi curis, hominibus gratiores, & vtiliores solent existere. Iuuat etiam segregatio ad id, vt plus vacare possint studio, & orationi; & ita accipere à Deo, quæ aliis tradituri sunt prædicando. Nemo siquidem militans Deo, implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Conducit etiam hæc separatio ad liberius verbum Dei proponendum, & ad seuerius peccatores increpandos, & veritatem Euangelicam sine vllo acceptionis personarum vitio auditoribus exhibendam. Languent vero multi ex nostris, & ad peccatum conniuent, & fiunt, vt dixit Esaias, canes muti non valentes latrare. Plerique enim gradus excelsiores in Ecclesia ambiunt, & Sacerdotia pinguiora dum aucupari volunt, cum illis, qui illa conferunt, displicere nolint: aut veritatem silentio tegunt, aut fucatam tradunt. Hinc Dominus religiosos, verbi Dei ministros esse voluit, quod cum sint, aut esse debeant spiritu pauperes, & castitatem profiteantur, non sunt vllis carnis, vel mundi vinculis implicitι, ne prædicationis suæ cursum aliquid extra Deum amatum impediat. Cicero testatus est, se simul vxori, & philosophiæ vacare nō posse: & prouerbium Græcum habet: *Μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή* Tantummodo noui Euangelistæ ex familia Lotheri orti sunt, qui cū essent solēnibus votis adstricti ad Euangelicam continentiam, & paupertatem spiritus, nouum euangelizandi modum adinuenerunt. Nā ad bene Euangelico munere defungendum, vxores duxerunt, retroaspexerunt, in Aegyptum redierunt, bona temporalia spectantes, & ampliantes, quo ita maiorem sibi apud omnes, qui eos audituri erant, autoritatem compararent. Sed isti Paulini Theologi ignorant quid sibi velit Paulus, cum ait, Segregatus in Euangelium Dei. Sequitur in Paulo: *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis.* Ex quibus verbis, etsi minime obscuris, accipimus, Euangelium non esse nouum inuentum, sed diuinum, & antiquum: non nuper toti orbi patefactum, sed longe ante promissum; desideratum, atque expectatum. Deinde colligitur excellentia euangelizantis Apostoli liberationem à peccato, & dæmone exhibitam: si Prophetæ ob id tantum, quod illam promitterent, maximi, & sanctissimi sunt habiti. Simul eo verbo denotatur res

B. Ambros. in ca. ad Rō 1 tom. 5.
Nomen Pharisæi vnde dicit.
III. ratio.
Act. 13.
Infra. 10. Esai. 54. Rom. 15.
IV. ratio.
Act. 6.
Quo telo, baptismi nō confe rendi se Paul' tueretur.
1. Cor. 1
Quantū illę Euangelicę prædicat oni esset intētus
Infra. 9.
Ibid.
Ministrorum Euangelij prima cura qualis sit.
Iisdē ab hac animi se vocatione quāta commoda prouen iāt.
2. Tim. 4.
Esai. 56.
Cur fere religiosi munus prædicationis exerceant.
Cicer.
Magna tyrannis vxo, filij, & simul eo habet Græcū prouerbiū.
Luc. 9.
Prima Euāgelij origo ducitur ab antiquis promissionibus Dei.
Euangelicę doctrinę stabilitas.

Veritas est filia temporis Tullius inquit. Cic. 2. l. de orato. Ioan 14. Marc. 2. Act. 13.

non suspecta de falsitate, vt noua: quoniam confirmata est tempore, cuius veritas est filia, teste Cicerone. Vnde Dominus dixit apud Ioannem: *Et nunc dixi vobis priusquam fiat; vt cum factum fuerit, credatis* Et Paulus in act: 8: *Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est.* Hæc non perpendentes Iudæi, scandalizati dicebant: *Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc noua?* Et solus Deus hæc non existentia in vilis causis, sed mere contingentia, & voluntaria & præuidere, & in particulari prædicere poterat. Quarto, indicatur rei promissæ. & tanto tempore expectatæ excellentia, & magnitudo. Nam vt ait Ambrosius, nemo rem vilem magnis præcursoribus nuntiat. Quinto, preterito illo plusquam perfecto exprimitur in promittendo perseuerantia. Nam à sententia illa in initio mundi in serpentem inflicta, vsque ad Ioannem Baptistam, Simonem, & Annam promissiones de aduentu Messiæ continuatæ sunt, & in illo, & eius beata parente omnia completa. Vnde Elisabetha dixit; *Beata quæ credidisti: quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino* Et ita nunquam mundus sine Christo extitit, & fide eius, vt merito sit dictum; *Agnus occisus ab origine mundi.* ¶ Dixit etiam: *Per Prophetas suos.* Promisit siquidem interdum Deus per seipsum, vt Adæ Gen 3. Abrahæ Genes. 12. & 22. & Dauidi Psal. 131. *De fructu,* inquit, *ventris tui ponam super sedem tuam.* Interdum autem Deus per Prophetas pollicitus est. vt ipsi promissionem aliis annuntiarent, & scripto consignatam omnibus traderent, Prophetæ autem olim dicebantur videntes: quia Prophetæ Dei casu non prophetabant, sed quæ oculi interiori videbant, & intelligebant: in illa talia erant, quæ intelligentia, aut ratione humana inuestigari non poterant. Intelligentia siquidem (nimirum Diuina) est opus in visione, vt ait Daniel. Et quia Prophetæ quæ prænunciabant, videbant, idcirco vt testes inducuntur, quoniam testis est qui vidit, & in iudicio maxime probat. Hinc Petrus Cornelio dixit, *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.* Et recte adiunxit, suos; vt distinguat à non suis, quos mundus in pretio habet, & colit: de quorum vno Apostolus inquit: Dixit quidam ex illis (Cretensibus) proprius ipsorum propheta: & alter de Rege Achab, *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius.* Tales erant Prophetæ Baal, de quibus Esaias, *Qui dicunt videntibus, Nolite videre; & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Et Ieremias, *Non mittebam*

Ambro. in c. 1. ad Rom. propemsi. 20 5.

Gen. 3. Luc. 1. Infra 2.

Apoc. 13.

Cur Deus Euangelium promiserit per Prophetas suos.

Prophetæ olim cur dicerentur videntes.

Dan. 10.

Testis fide dignus quis

Act. 10.

Tit. 1.

3. Reg. 22.

Esai. 30.

Ierem. 23.

prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Et paulo ante *nolite audire verba prophetarum qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.* Tales sunt Hæretici prophetæ carnis, qui in patrocinium suscipiunt, Talis Mahometus, & Epicurus, qui omnibus placere studebant. Suos ergo id est suo Spiritu afflatos, ad annunciandum, & scribendum à se missos, eique obedientes, & in nomine Dei loquentes; Dei gloriæ, & laudi, & non propitia Hi autem prophetæ ex eo veri esse deprehenduntur, quod eorum libri in Scripturis sanctis continentur: quia non tantum præsentibus prædicabant, sed etiam futuris scribebant: & Dominus Esaiæ præcepit, vt scriberet, capit. 8. ¶ Erant autem scripta prophetica in autoritate apud Iudæos, & Gentiles: quos inter editio Septuaginta interpretum erat propagata. Deinde Deus etsi maxime alios Prophetas in mundum miserit, & alia plerumque reuelauerit, vt creditur de Sybillis. solum tamen nos cogere voluit ad Prophetarum promissiones in Sacris literis contentas recipiendas: quanquam & Sybillarum libri suo non careant autoritatis pondere. Denique Scripturarum meminit: quia illæ nobis solæ remanserũt ex prophetis. Nam ipsi quidem morti subiecti erant, & verba quæ proferebant, transitum, & fluxum habebant, & ne multiplicarentur in quouis homine visiones, & res illæ magis quam si in traditione manerent, maiori essent in pondere. & autoritate, literis consignatæ sunt, & absolute libri Canonici, Scripturæ dicuntur sanctæ per excellentiam, quia solæ perpetuitate, & stabilitate dignæ extiterunt: præ quibus reliqua hominum scripta nihil sunt: & mirabili prouidentia Ita conseruatæ, vt nullus liber perierit. Atque de his verbis hactenus disputatum sit.

Dei Prophetæ qui.

Vnde se veraces comprobarent.

Esai. 8 Eorundem apud Iudæos, & Gentes veneratio magni fiebant.

Scripturarum cur faciet nunc Paulus mentionem.

Diuini codices sanctarum appellatione cur veniãt Scripturarum.

DISPVTATIO VI.

In illa verba: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem; &, Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, &c.*

VERBA illa in salutatione Apostoli ad Romanos, *De Filio suo qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri, Per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum*

Rom. 1.

fidei

fides in omnibus Gentibus pro nomine eius: In quibus estis & vos vocati Iesu Christi: peculiarem sibi vendicant disputationem. Nam & in vocibus ipsis, & in ordinatione, sine constructione ipsorum, & in sensu principali difficultatem non vulgarem continere videntur: quæ tamen breuiter expedienda sunt. Quoniam igitur dixerat eum segregatum ad ministerium Euangelij Dei; explicat iam Euangelij argumentum quale esset, nimirum Filium suum naturalem, & charissimum. Græce enim legitur cum articulo. περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ id est de ipso naturali Filio; in quo adoptiui, qui eius Spiritu participant, continentur. Nam in Scripturis in singulari dicitur (cum est sermo de Christo) Filius absolute, vel Dei Filius, vel Filius meus, vel Filius suus, vel proprius, vel vnigenitus, & semper naturalis intelligitur, vt Paulus docet ad Hebr. 1. & Ioan. 20. cap. sui Euangelij: *Hæc scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Filius Dei*: & Petrus: *Tu es Christus Filius Dei viui*. Sicut etiam Dominus, hoc est Deus vocatur, vt Mat. 22. & Luc. 1. Et; *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Purus enim homo in vtero non vocaretur Dominus: nec mirum erat, quod visitaretur Elisabetha à puella, quæ mater Dei non esset. Est autem Filius Dei naturalis ipsius Euangelij argumentum: In lege quidem, vt in typo, & figura celatus: in Prophetis, vt in oraculis, & vaticiniis præsignatus: In Euangelio autem aperte explicatus: vt non tantum Euangelij, sed etiam totius Scripturæ videatur esse subiectum. De me enim, inquit Dominus, Moses scripsit, & Petrus, *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent*. Deus siquidem de Christo vaticinatus est, cum ipsum semen mulieris contriturum caput serpentis prædixit: ad Abraham vero, cum semen benedictum promisit: per Iacob prænuntiauit ablationem sceptri: per Mosen, Prophetam magnum: per Balaam, Orietur stella ex Iacob: per Dauidem multa mysteria prædixit, vt mortem, & crucis supplicium: Foderunt, ait manus meas, & pedes meos: per Esaiam conceptũ Virginis, & partum: per Ieremiam, Fœmina circumdabit virum; & Nouum Testamentum Veteri successurum, per Ezechielem, *Pastorem vnum seruum Dauid*: per Danielem, hebdomadas aduentus eius: per Michæam, natiuitatis locum: per Aggæum templum secundum priori gloriosius, in quod venturus esset Desideratus cunctis gentibus. Per Malachiam pollicetur præcursorem aduentus Christi: per Zachariã, ingressum in Ierusalem Christi equitantis super asinam: per Ionam, facto ipso præcipitandi eum in mare, & vomitu ceti in littus, Christi mortem, & resurrectionem adumbrauit: per Ioelem, missionem Spiritus sancti: per Oseam, reuocationem Christi ex Aegypto: per Amos iniquitatem Iudæ, qui vendidit Christum pro argẽto: per Habacuc, Canticum de magnitudine mysteriorum Christi. Sequitur: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem*. Duo de Filio Dei pronuntiat Apostolus: alterum, quod ad incarnationem spectat, alterum, quod ad resurrectionem eius. De primo verbo ait, quod factus sit. Vbi Laurentius, & Erasmus verterunt, vel potius peruerterunt, Qui genitus est: contra Græcæ literæ vim, vbi γενομένου à verbo γίνομαι. id est fio, non autem: γεννωμένου à diuerso verbo γεννάω, id est gigno: nimirum cum simplici ν, & omicron, non cum duplici ν, & omega. Vnde & Ioannes dixit, *Verbum caro factum est*: & Paulus, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Et vt de Christo quatenus Deus est, profitemur genitum, nõ factum, ita in quantum homo est, asseri debet factum, non genitum, intellige ab Spiritu sancto: nam quatenus à matre est, genitus fuit non factus. Et Cyrillus assignans differentiam inter prædictum vtrumque verbum, ἀγένητον id increatum, siue infectum, siue non factum, toti tribuit Trinitati: at vero ἀγέννητον, hoc est ingenitum, soli adscribit Patri, vt propriũ. At Augustinus li. contra Faustum, annotat, quosdam legisse, natum, magis ad sensum, quam ad verba attendentes. Deinde vertendo, genitus ex semine Dauid, sensus efficeretur absurdus, quod videlicet non de spiritu sancto, sed efficientia seminis Dauid factus esset. Ideo melior lectio est, factus, non absolute, sed secundum carnem. Atque hac ratione admit, quod sibi obiici posset, quomodo videlicet factus sit, qui non habet caussam. Est enim sermo hoc loco de Christo, vt hõmo est; ideo ait, factus secundum carnem, id est humanitatem: atque hoc contra Arrium, qui dicebat, Verbum fuisse pro anima. Sed reuera per Synecdochen tum caro, tum anima hominem totum significant: cujus exempla sunt, Videbit omnis caro salutare Dei, &, Verbum caro factum est, id est homo. Ita etiam dicitur, Omnis anima (id est homo) potestatibus sublimioribus subdita sit. Deinde dicitur factus à Deo: non natura, sed voluntate, & arte. Est autem ars, recta ratio rerum factibilium, vt docet Philosophus. Et Christus ipse admirabili artificio constructus, & ædificatus est: tum ob infinitæ sapientiæ, & potentiæ autorem Spiritum sanctum: tum ob corp

Marginal notes (left): Euangelij argumentũ est Christus Filius Dei. — Hunc quomodo à Filiis Dei adoptiuis Scripturæ distinguant. — Ioan. 20. Mat. 16. — Infra 22. Luc. 1. — Aliter Christus in lege in Prophetis aliter, & in Euangelio continetur. — Ioan. 3. Act. 10. — Christus vbi promissus atque præfiguratus fuerit. — Gen. 3. Infra 12. Infra 49. Deut. 18. Num. 24. Psal. 21. Esa. 7. Ierem. 31. Ibid. 32. — Ezech. 34. Dan. 9. Mich. 5. Agg. 2. — Malach. 3. — Zachar. 9. Ioan. 2.

Marginal notes (right): Ioel. 2. Osea. 11. — Amos 2. Habac. 3. — Laurentij, & Erasmi versionis illius: Qui genitus est ei ex semine Dauid, duplex profertur incommodũ Primum. — Ioan. 1. Gal. 4. — Cyrill. li. 15 thesauro. circa med. to. 2. — Aug. lib. 11. contra Faustum, c. 4 in fi. to. 6. — Secundum — Esai. 40. Luc 3. Ioan. 1. Rom. 13. — Quid sit ars secundum Philosophum. Aristot. l. 6 Ethic. — Christus quomodo fact à Deo

Pſal. 44.

in omnibus partibus, & membris appriме fabrefactum cum firma temperatura, & pulchritudine, vt merito dici poſſet ſpecioſus forma præ filiis hominum: tum deniq; ob modum, quia in temporis momento perfectum eſt corpus omnib. ſuis organis diſtinctum, & animæ ſuæ tum conditæ coniunctum, & quod maius eſt, & omni admiratione dignum, diuinitati vnitum, cũ pueri adanimationem, quadraginta dies expectare ſoleant, & puellæ octoginta, vt tradũt Philoſophi. ¶ Particula vero, ei, quia non eſt in Græco, reiicitur à nouis interpretib.; & quia Chriſtus potius nobis, quam Patri natus eſt. Sed certe veteres Patres, vt Chryſoſtomus, Ambroſius, & Auguſtin. & nonnulli alii, illud in ſuis codicibus legerunt, Iuuat etiam intelligẽtiam ne quis exiſtimet genitum ex ſemine Dauid more naturali, ſed potius diuina Spiritus ſancti virtute in vtero Virginis operante, ad quam referri, Ei, debet: & prætereа ita Scriptura loqui cõſueuit: *Vxor tua pariet tibi filium*; & Sara genuit Iſaac ipſi Abrahæ, quaſi præcipuo generationis principio effectiuo ſit factus.

Eſai. 9. Chryſoſt. in c. 1. ad Rõ. ho. 1. tom. 4. inst. Ambroſ. ibid. tom. 5. Hieron. ibid. tõ. 9. Auguſt. ibid. tom. 4. propeſinem. Matth. 1. Luc. 1. Gen. 1.

Adhæc Chriſtus natus eſt ob gloriã Patris, in quo opere mirifice Deus ſuam potentiã ſapientiam, & bonitatem declarauit. Et quanquã Chriſtus natus ſit in commoditatem, & gloriam noſtram: tota tamen ſalus noſtra, & gloria in Dei Patris laudẽ, & glorificationem tendit. ¶ Quod vero addit, *Ex ſemine Dauid*, factũ eſt, ne Romani Chriſtum vilem, & abiectum putarent. Explicat enim eum fuiſſe de nobiliſſima, & regia familia Dauidis. Quod ſi dicas; Quomodo ergo de Spiritu ſancto eſt, aut quomodo peccator non eſt, vt reliqui? Reſpondemus non eſſe genitũ ex ſemine eius per efficientiam: nam vt dicitur filius Ioſeph, etſi ab eo non ſit proſeminatus; ita filius Dauid dicitur, etſi ab eo non deſcẽdat ſecundum principium effectiuum, vt interpretatur Origenes. Sed fortaſſis meli' meo iudicio hoc dubium diſſoluetur, ſi dicamus, ſemen Dauidis eſſe beatam, & immaculatam Mariã, ex qua Chriſtus natus eſt. vt Prophetæ prædixerunt: quæ etiam virga de radice Ieſſe, ex qua flos Chriſtus ortus nominatur: Deſignatus etiam in vẽtre illo Dauidis, ex quo fructus regnaturus ſuper ſedem ſuã, Meſſias eſt. Quemadmodum etiam ſemẽ mulieris, & ſemen Abrahæ Chriſtus appellatus eſt, de quo; *Nuſquam Angelos apprehendit; ſed ſemen Abrahæ apprehendit*: iuxta illud, *Abrahæ dicta ſunt promiſſiones; & ſemini eius. Non dicit: & ſeminibus. quaſi in multis; ſed quaſi in vno. & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Et tam hic, quam Ioan. 1. Chriſtus ob humilitatem dicitur

Scripturæ modus loquendi.

Cur natus Chriſtus.

Idem cur factus dicatur ex ſemine Dauid.

Orig. in c. 1. epiſt. ad Ro. tom. 2.

Quomodo ſecundum alios accommodatur.

Eſai. 11. Ibid. Pſal. 131. Gen. 3. Heb. 2.

Gal. 3.

caro: quia illam ſolam adminiſtrauit Maria, non autem animam, aut deitatem: Nec proinde vera mater Chriſti non fuit: quemadmodum cæteri parentes non aliud filiis ſuis, quam carnem donant. Sequitur: *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute.* Stabilienda eſt primo loco litera: deinde varii ſenſus producendi; demum illuſtrior, & præſtantior inter illos deſignandus. ¶ Circa literam aduerte, Græca habere ὁρισθέντος, niſi forte interpres legerit προορισθέντος. Et autem ὁρίζειν, finire, ſi ὅρος terminatio. Porro definire, idem eſt quod deſtinare, deliberare, determinare, diſponere ad aliquid deputare. In hoc igitur loco Tertulianus in Praxean legit, definitus, & Faber Stapulen. ita vertit, vim verbi Græci ſeruans. Chryſoſtomus porro cum Theophylacto, & Oecumenio, atque adeo cum Græcorum ſcholiis vertunt, declaratus, quomodo etiam tranſtulit Eraſmus. At interpres noſter, quiſquis ille fuit, & Ambroſius legunt, prædeſtinatus. Huic tamen lectioni obſtare Origenes videtur, qui in hunc locum ſcribens, negat quod æternum ſub prędeſtinationem cadere poſſit. Cuius hęc ſunt verba: *Quamuis enim in Latinis codicibus & exemplaribus prædeſtinatus ſoleat inueniri; tamen quod interpretationis veritas habet, deſtinatus ſcriptum eſt, non prædeſtinatus. Deſtinatur enim ille, qui eſt; prædeſtinatur vero ille, qui nondum eſt.* Hæc ille. Dein ratio aduerſari videtur. Nam cum prædeſtinatio ſit vltimi finis, id eſt gloriæ, & beatitudinis; conſtat tamen, Chriſtum illa ab initio minime caruiſſe; & propterea in illum cadere non potuiſſe: quia nemo deſtinatur ad habendum id, quod iam poſſidet. Cum ergo deſtinare, ſit determinare, ſiue deputare, iuxta illud Poetæ: *Et me deſtinat ara*: & illud 2. Machab. 6. *Deſtinauit Eleazarus non admittere illicita propter vitæ amorem.* Duplex inuenitur deſtinatio, altera, qua antequam res in rerum natura exiſtat, ſola mente fit, de qua dixit Apoſtolus; *Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo.* Cuius exemplum eſt Anna, quæ precibus à Deo poſtulabat filium, quem templo ſe perpetuo conſecraturam, ac deputaturam promittebat. Altera vero eſt deſtinatio in effectu, cum iam natum cultui diuino applicauit, ac deputauit. Hic cernis duas deſtinationes, vel definitiones: vnam filij antequam habeatur, & poteſt dici reſpectu ſecundæ hæc prædeſtinatio, alteram vero, quando filium natum templo dedicauit. Ita etiam de Chriſto, quatenus homo, ſentiendum eſt.

B. Virgo cur vera ſit mater Chriſti.

Tertull. Faber Stapul. Chryſo. hõ. 1. in ca. 1. ad. Rom. tõ. 4. in princ. Theop. ibi. Oecum. ibi. Ambr. ibi. to. 3. Orig. in c. 1. ad Rom nõ procul à princ. to. 2.

Deſtinare, & prædeſtinare, quid inter ſe differant, ſecũdum Orig.

Virg. li. 2. Aeneid ſub init. 2. Mach. 6.

Deſtinatio duplex, quænam illa.

2. Cor. 9. 1. Reg. 1.

Qui legũt deſtinatus, quo videantur ſpectare.

Deſtinatus enim eſt ab æterno in mente

Dei,

Dei, vt esset Filius Dei in virtute, & decore, qualem sortiuntur suscitati per Christū: & attendendo ad illam definitionem, rectè prædestinationis voce exprimitur à nostro interprete. Alij vero attendentes ad illam definitionem, qua secūdum tempus factus est homo gloriosus, & immortalis: rectè interpretantur Definitus est. Qua a qualibet res sua definitione cognoscitur, & declaratur, & q; de Filio suo definiuit Deus, vel prædefiniuit, iam est cognitum, & manifestum toti mundo redditum, non ineptè autores Græce verterunt, declaratus, vel demonstratus, siue quod idem est, & Oecumenius ponderauit ex quorundam senten tia, cognitus est, & in hominum notitiam venit. Solemus enim per definitiones quasdam cognoscere, quæ firmiter, & non ambigendo cognoscimus. Vt ergo sub prædestinationem cadit, hominem esse Deo vnitum per gratiam adoptionis, ita vt sit Dei filius; ita esse hominem quandam Deo vnitum per vnionem hypostaticam, ita vt sit filius Dei naturalis, sub eandem etiam cadet. Non igitur varia interpretatio obstat, eo quod illud, Secundum carnem. & factus est ex semine Dauid, & prædestinatus Filius Dei, ad Christum hominem refer ātur, nec verum est quod semper destinetur, qui est actu in rerū natura: nam vt dixi in propositis exemplis, potest qui non est, mente destinari fidus nondum habitus ad aliquod peculiare vitæ genus, vel ad aliquod negotium. Ad hæc etsi ille, qui semper est, non possi: destinari quatenus æternus est; potest tamen dici prædestinari secundum carnem, secundum quam non semper est, etsi ab alio quam à se ipso cum Patre, & Spiritu sancto destinetur. Prædestinatio ergo non fertur in id quod æternum est, sed in id, quod ex tempore accidit, id est corporationem, & resurrectionem, & gloriam in ea assumptam. Et Augustinus in Ioannem scribens respondet Origenis obiectioni: *Rectè dicitur non prædestinatus secundum id, quod est Verbum Dei, Deus apud Deum: vt quid enim prædestinaretur, cum iam esset quod erat sine initio, sine termino sempiternus? Illud enim prædestinatum erat quod nondum erat, vt sic suo tempore fieret quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat, vt fieret.* Hæc ille. Puto autem, Hieronymum interpretem Origenis de suo addidisse quod ait de Latinis codicibus, & exemplaribus; & de illa differentia destinationis, & prædestinationis, & Origeni tribuisse. Nec enim Origenes vnquam Latinorum exemplarium mentionem facere consueuit. Ad hæc non obstat gloria ipsa, quam iam semper habuit: qui a etsi illam ab æterno, vt Dei Filius habuit; non tamen humanitas, nisi ex mera gratia, & ex certo tempore. Hinc prius Filium incarnatum præmisit, quam prædestinatum. Verbum item, In virtute considerandum: quia non opponitur huic virtuti vitium, sed infirmitas, & præpositio, in, poterat verti, cū, ex vsu linguæ Hebrææ, vt vertit Erasmus. Alij vero accipiunt pro altera præpositione, per, à qua etiam significatione lingua sāncta non abhorret. ¶ Circa secundum, producitur primus sensus Græcorum prædictorum: cui adiungitur Damascenus lib. 4. aduersus Hæreses: *Christus declaratus est Filius Dei, tum ex virtute signorum: nam dicebat: Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: Tum ex missione Spiritus sancti, sanctificat homines, & in illorum cordibus clarificat Christum: Tum denique ex resurrectione sua à mortuis.* Verus quidem, & bonus sensus, etsi vt quod sentio, libere dicam, dat mihi nescio quid in eo continetur. Nam sine coniunctionibus efficitur his sensus, quia dicitur, in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum, &c. & opus esset, præpositiones In, & secundum, pro illa, ex, accipere: nisi quis velit excusare Apostolum per imperitiam sermonis, & henallagem præpositionum, aut per figuram Alyntheton, quod tamen non est audendum, nisi vbi alius cōmodus sensus inueniri non possit.

¶ Alter sensus est Ambros. nimirum: Prædestinatus est secundum Spiritum sanctū, vt qui incarnatus latebat, esset Filius Dei in virtute suscitandi se à mortuis. Ibi enim declarare probatus est Deus. Verba Ambrosij hæc sunt: *Hic ergo qui incarnatus quid esse latebat, tunc prædestinatus est secundum Spiritum sanctificationis, in virtute manifestari Filius Dei, cū resurgit à mortuis. Idee autem non dixit, ex resurrectione Iesu Christi, sed, ex mortuorū: quia resurrectio Christi generalem tribuit resurrectionē. Hæc enim maior videtur virtus in Christo, & victoria, vt ea potestate operaretur mortuum, quæ—peratus fuerat & visus* Hæc ille.

Tertius sensus est: Christus quatenus homo prædestinatus est, vt esset Filius Dei, id est, vt diuinitatem per vnionem acciperet in virtute, id est æquali potestate cum Patre. Cuius potestatis signum est sanctificare, dando Spiritum sanctum: quod fecit, postquam resurrexit à mortuis, insufflando, & dicendo, *Accipite Spiritum sanctum*: & in die Pentecostes illum copiose effundendo. Vt ergo nos prædestinamur in filios adoptionis, & sanctificamur; ita prædestinatus est Christus sanctificans mundum, & à morte resurgens.

Margin notes (left): Qui definitus interpretatur, qua ratione illi vera & idonea adducātur. — Oecum. loco dicto — 1 Ioan. 5. — Lectio illa Qui prædestinatus est vt Christo conueniat. — Christi prædestinatio quid respiciat. — Aug tract. 110 in Ioan. iuxta fin. to 9. — Vnde constare possit, Origenem bibliorum Latinos codices nunquam agnouisse. — Ioan. 17.

Margin notes (right): I. sensus Græcorū. Damasce. 19. — Ioan. 5. — Quid incommodi habeat. — Vbi uerum in Apostolo sermonis imperitia possit admitti. — Alter Ambrosij. Ambr. in c. ad Rom. 1. prope init. to. 5. — Tertius sē. sus. — Ioan. 20. Act. 2 & seq.

Quartus sensus.

Improbatur propter tria.

Quartus aliorum sensus: Christus secundum carnem, id est corpus, factus est ex semine Dauid; definitus vero secundum Spiritum, & creatus vt esset Filius Dei in virtute sanctificationis perfecte, plene; quæ erit in resurrectione mortuorum. Sed certe præposterum videtur in hoc sensu, quod verbum, *in virtute*, iungatur cum voce, *Sanctificationis*, non sine quodam saltu, aut hyperbato. Deinde quod interpretatur, *Secundum Spiritum*, id est animam rationalem, cũ non dicatur absolute Spiritus, sed, Spiritus sanctificationis, qui secundum Patres est Spiritus sanctus. Adhæc falsum est, quod Christus sit secundum animam tantum sanctificatus; quia etiã secundum carnem, quã obtulit pro nobis, iuxta illud: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

Apoc. 1.

Quintus sensus, ac postremus.

Quintus & postremus sensus: Definitũ esse à Patre, vt Christus homo esset Dei filius in virtute, non in infirmitate, & humilitate, qualis à principio apparuit, sed vt esset Filius Dei immortalis, & gloriam Deitatis per corpus ostenderet: & hoc non per Spiritum sanctificationis, vt male legit, & vertit Faber: quia non habetur διὰ πνεύματος, sed κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, id est secundum Spiritum sanctificantẽ, sicut homo perditus vocatur filius perditionis. Duplex est autem Christi secundum carnem generatio, prima de Virgine, de quo scriptum est: *Christi autem generatio sic erat*; altera, cum ex mortuis resurrexit, de qua interpretantur Apostolus in Actis illud testimonium Dauidis, *Filius meus es tu ego hodie genui te*: & vtraque generatio suam habet sanctificationem. Prima enim generatione Christus per hypostaticam naturarum vnionem sanctificatus est, & secundum animam per gratiam Spiritus S. plenitudinem accepit vt Ecclesię caput, à quo singula sui mystici corporis membra acciperent: non autem secundum corpos, quod fuit patibile, mortale, & ingloriũ, itq; adeo peccatum, & maledictũ pro nobis redditum: de qua sanctificatione prædixit Dauid, *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*, id est carnem Dei gestatricem, vt interpretatur Basilius. Secunda fuit plena sanctificatio in resurrectione, quando etiam gloriam, & decorem, & fortitudinem, & regnum accepit; & factus est forma perfectionis nostræ: de qua dixit Dominus, *Pro eis ego sanctifico meipsum* (id est mox me sanctificabo) *vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Et hanc gloriam sibi prædestinatam petebat, cum ad Patrem preces funderet, dicens, *Nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret, apud te*, id est, vt eo loco recte explicat Augustinus, quam habui in prædestinatione, & consilio tuo. De qua Propheta prædixerat; *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*: quæ fortitudo eadem est cum ea, quam hic virtutem vocat Paulus. Et Ioannes in Apocalypsi: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, &c.* Et suscitatus à mortuis ait: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*: id est non tantum prædestinationis iure, sed etiam meritis obedientiæ, passionis, & mortis suæ debitum. Nos igitur configurandi Christo, dupliciter generamur. Primo in baptismo, de quo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*: Iterum regeneramur in resurrectione, sicut Dominus dixit, *In regeneratione, cum sederit Filius hominis, &c.* Hinc duplex consurgit sanctificatio. Prima, à peccatis per gratiam animæ infusa: cuius meminit Apostolus, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens; Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Secunda, in resurrectione corporum, quæ configuranda sunt corpori claritatis suæ. Nam Spiritus idem, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra. Et de his duabus sanctificationibus simul, loquitur Apostolus ad Ephesios: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea; vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Et hæc de prima sanctificatione: de secunda perfectiori sanctificatione subdit: Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata. Est igitur magnificus, illustris, apertus, & Apostolico Spiritu dignus sensus. Iesus definitus est, siue destinatus (& idcirco ab æterno prædestinatus, & post destinationem declaratus, cognitus, & demonstratus) vt sit Filius Dei in virtute, & maiestate: non tantum secundum illum primum Spiritum sanctificantem animos, sed iuxta illum secundum sanctificantem etiam corpora mortuorum Iesu Christi. Et ita fuisset ab initio natiuitatis suæ ex Virgine, nisi redemptionis nostræ negotium sua morte perficiendum, ad tempus impediuisset. Et idcirco gloriosius per merita obedientiæ suę vsq; ad mortem gloriam sibi prædestinatam obtinuit in resurrectione sua, qui prius illam occultauerat, vt Adæ morbo, qui vane eam, quam nõ habebat, expetiuerat, mederetur. Hic sensus Aug. est, qui productis his verbis Apost. subiungit: *Secundum hanc ergo prædestinationem etiã glorificatus*

est an-

Margin notes (left): Versio Fabri reiicitur. — *Ioan. 17.* — Christi secundum carnem generatio duplex, & sanctificatio. — *Mat. 1.* — *Act. 13.* — *Psal. 2.* — I. — *Rom. 8. & 2. Cor. 5.* — *Gal. 3.* — *Psal. 45.* — *Basil. in Ps. 45. circa med. to. 1. ante med. & princ.* — II. — *Psal. 92.* — *Ioan. 17.*

Margin notes (right): *Aug. in Ioan. tract. 105 prope fi. to. 9.* — *Psal. 92.* — *Apoc. 5.* — *Luc. 24.* — Duplex fidelium generatio. — *Ioan. 3.* — *Matt. 19.* — I. — *Coloss. 3.* — II. — *Philip. 3.* — *Rom. 8.* — *Ephes. 5.* — Quinam ex traditis sensib. præponderare videatur. — *Gen. 3.* — *Aug. tract. 105. in Ioan. in fi. to. 9.*

est antequã mundus esset, vt esset claritas eius ex resurrectione mortuorum apud Patrem, ad cuius dextram sedet. Cum ergo videret illius prædestinatæ suæ clarifi ationis venisse iam tempus, vt & nunc fieret in redditione, quod fuerat in prædestinatione iam factum; orauit, dicens; Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum Hæc ille. Similiter agnoscit hũc sensum Anselmus. Vel ita Qui prædestinatus est secundum carnẽ, quoniam Deus ab æterno prædestinauit, vt Verbum eius caro fieret, quam & resuscitans glorificaret. Prædestinatus est, vt sit filius Dei in virtute immortalitatis, & potẽtiæ, de qua post resurrectionem ait: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra Nam cum de electis ipse dicat, quia filii sunt Dei, cum sint resurrectionis; cur non ipse magis, qui secundum Diuinitatem naturaliter est semper filius Dei, in resurrectione secundum Humanitatem factus esse dicatur Dei filius? Et producit testimoniũ Pauli de Christo suscitato: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et infra: Nec dicit, Ex resurrectione sua, sed, quod maioris virtutis est, ex resurrectione mortuorum: quia multos mortuos fecit secum resurgere. Et ne generalem bonorum, atque malorum resurrectionem intelligeremus, quæ futura est in die nouissimo, *Mortuorum*, inquit, *Iesu Christi*, id est, solummodo electorum ad Christum pertinentium, quia tunc nonnulli sancti cum eo surrexerunt. Hactenus ille. Genitiuus ille, *Iesu Christi Domini nostri*, aliter versus est à Laurẽtio Valla, & Fabro, nimirum in Ablatiuo, Iesu Christo Domino nostro; vt inferiora superioribus conuenirent, nempe de Filio facto, definito, Iesu Christo Domino nostro. Verum certe longũ interiaceret hyperbaton, & orationem valde obscuram redderet. Erasmus vero hoc modo conuertit: *Qui declaratus est filius Dei cum potentia secundum Spiritum sanctificationis, eo quod resurrexit à mortuis Iesus Christus* Verum hoc in idem redit: & hoc non fuit vertere, sed paraphrastice exponere. Augustinus in Psal. 67 (quem secutus est Haymo hoc loco) ait sæpe in Scripturis antecedens more Hebræo poni pro relatiuo, iuxta illud: *Fecit Moyses sicut præcepit Dominus Moysi*, pro, ei. Et illud, *Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis*: Regis dixit pro, eius. Ita hic: ex resurrectione mortuorum Iesu Christi, pro, eius, vel suorum. Melius tamen hic Genitiuus iungitur cum proximis verbis, ex resurrectione Iesu Christi, id est, qua Christus surrexit à mortuis, vt Cyrillus libro 1. de recta fide ad Reginas interpretatur. Deinde Genitiuus ille iungi potest cum nomine mortuorum, vt intelligantur mortui Iesu Christi, illi, qui in eius fide, & beneplacito mortui sunt, de quibus Apostolus ait: *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi.* Qui nõ secus dicuntur mortui Christi, atque infirmi qui cum medico curandi traduntur, eius infirmi vocantur. Sequitur: *Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnib. gentibus pro nomine eius.* Adhuc immoratur in Christi donis celebrandis, & donis quæ à Deo accipimus, explicandis. Et cum prædixisset se Apostolum; nunc declarat, à quo, vel per quem electus sit in apostolatum, dicendo, *per quem* nimirum Christum Deum, & hominem, & Filium Dei prædestinatum. Quia per eum vt Deum, & per eum vt hominem mediatorem effectiue, & meritorie suscipimus omnia charismata. Et quia caussa prima efficiens cum finali concurrit, poterat etiam dicere, propter quem: quia ipse, vt alio loco dixit Apostolus: Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia. Addit, *Accepimus*, nimirum gratuito donata: quia accipere, & donare relatiua sunt inuicem; sicut reddere, & recipere. Et accepimus, ait, in plurali: quo verbo omnes Christianos comprehendit; ne se singularem in eo reddat, quod erat omnibus commune, Nam gratiam omnes Christiani acceperãt; & Apostolatum simul cum aliis Apostolis acceperat, imo cum omnibus Christi professoribus, quia omnes dicuntur recipere gratias gratis datas in populi Christiani cõmoditatem, & vtilitatẽ collatas: vt, claues, Sacerdotium, Episcopatum, apostolatum & reliqua Spiritus sancti charismata: quia vnicuiq; datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem, vt ipse alio loco testatur. Ob hanc caussam dicitur; *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Et quia Græce habetur χάριν, καὶ ἀποστολὴν & non dixit χάρισμα; non probatur mihi illa expositio, quæ tradit se accepisse gratiam, quæ aliud non est quam apostolatus. Nam etsi charisma idem sit quod gratia gratis data, vt Sacerdotium, Episcopatus, Apostolatus, &c χάρις tamen semp pro eo dono accipitur, quo sanctificamur, & grati Deo reddimur. Nec tantum accepimus gratiam, & apostolatum, sed etiam primitias gratiæ, & apostolatus. Vt sit eorum gratia, & potestas media sit inter gratiam, & apostolatum Christi, & inter gratiam, & potestatem omnium aliorum, qui ad id muneris vocati sunt. Et Apostoli olim sicut potestate omnes vincebant, imo & scientia, & doctrina, ita etiam gratia reliquos excedebant. Sed nũc multi etsi potestate reliquos superent, non tamen semper sapientia, & gratia: superarẽt autem, si per eos non

B. Ansel. in c. 1. ad Rom. remotius à princ. to. 2. suis.
Matt. vlt.
Luc. 20.
Act. 13.
Psal. 2.
Mat. 27.
Ioan 5.
Resurrectio mortuorum Iesu Christi, ab Apostolo cur dicta secundum Anselm.
Lauren. Vallæ, Fabri, & Erasmi interpretatio reiicitur.
Aug. to 8.
Haymo in c. 1. ad Rom.
Psalm. 44.
Cyril. Alex to. 3 à med.
Quinam sint mortui Iesu Christi.
1. Thess 4.
Heb 2.
Pauli modestia.
Quæ sint Spiritus sancti charismata.
1. Cor. 12.
Apoc. 5.
Supra 1.
Apostoli virtu sapientia & autoritate cæteris omnib. ita etiam gratia superiores exstiterunt.

I.ratio. ftaret. ¶Præcedit antem gratia apoftolatum
quia prius etiam ipfi Apoftoli difcipuli
Chrifti,& Chriftiani fuerunt, & poftea e-
uocati funt ad Apoftolatum: vfque adeo, vt
etiam Iudas prius in gratia extiterit, quam
in Apoftolatu: atque hoc aperte tradunt
Chryf. hom 24. in Mat. Chryfoftomus, & Theophylactus. Quod
10. 2. & alibi Theophy la. in c. 6. Io in fine. & a liis locis. confirmatur ex eo quod Christus dixit: *No-*
lite dare fanctũ canibus, neque mittatis margari-
tas veftras ante porcos: non ergo tãtum donũ
in immundum contuliffet, qui fe fequi vo-
lentem ob diuitias refpuit, dicens; *Vulpes fo-*
Matt 7. Luc 9. *ueas habent, & volucres cœli nidos. &c.* Et qui p
1. Tim. 5. Apoftolum cauerat: *Manus cito nemini impo-*
1. Reg. 15. & seq. *fueris.* Plerique etiam boni à Deo electi poft
ea ceciderũt, vt Saul, & Nicolaus diaconus.
II. Ratio. Deinde præcedit gratia; quia hæc nobilior
eft, & vniuerfalior, & magis neceffaria ad
falutem, & Deus illam magis effundit: adeo
vt fine illa reliqua nihil profint, & Apofto-
lus affetat: Gratia Dei fum id quod fum. Et-
1. Cor. 15. Infra 15. tiamfi nos ftulti omnia illa bona externa,
vel corporea illi anteferamus, cum hæc in
III. infinitum ab illa excedantur. Tertio præce-
dit gratia apoftolatum: quod non ex vllis
meritis vocati fint ad eam dignitatem Apo
ftoli, maxime cum effent rudes, & inepti, &
Act 8. Paulus hoftis Chrifti capitalis, & veluti dux
Infra. 9. quidam, & caput exercitus, qui cum Chri-
IV. ratio. fto inimicitias gerebat. Quarto præcedit
gratia eo quod ad bonũ vfum Apoftolatus,
neceffaria eft gratia, fi nolumus abuti doni
Dei. Hinc Chriftus Petro paftoratum con-
Ioan. 21. tulit, dicens. *Simon Ioannis, diligis me? Pafce a-*
gnos meos. Subdit: *Ad obedientiam fidei in omni*
gentibus pro nomine eius. Non putemus hic
Obedientiam hoc loco quam intelligat Apoftolus. moralem virtutem obedientiæ, exigi, fed di
uinam, vt per omnia Fidei ubtemperemus,
&, quod vox indicat, vt fpõte, & libere mo
rem geramus: nõ tantum dando affenfum
2. Cor. 10. fidei, & permittendo intellectum captiuari
in obfequium Chrifti ad omnia, quæ Eccle
1. Cor. 1. fia docet, & non quærendo figna, vt Iudæi,
vel rationes, & fapientiam, vt Græci; fed et-
iam voluntate amando, quæ fides præferi-
bit effe diligenda, vt Deum, & Proximum,
etiam inimicum, virtutes, & gloriam, & o-
Marc. 12. dio profequẽdo, quæ abominatione digna
Infra 8. funt, vt dæmones, vitia, & gehennam adde
etiam, lingua confitendo Chriftum, & ver-
Mat. 7 bo alios inftruendo, & ædificando, & ope-
ribus præftando quæ fides dictat, ne fimus
Tit. 1. de illis, qui ædificant fuper arenam, & de il-
lis, qui, vt Apoftolus ait, *Confitentur fe noffe*
Iacob. 1. *Deum; factis autem negant.* Et iterum ne fimi-
les fimus videnti fe in fpeculo verbi Dei; q
mox abiit, ne terfit aqua gratiæ maculas
vultus quas vidit. Vnde fciẽti bonum face-
Infra. 4. Apoftolice re, & non facienti, peccatũ eft illi quam ma
ximum. Finis etiam apoftolatus, & potefta- & Ecclefiafticæ finis poteftatis quinam fit
tis Ecclefiafticæ, nõ eft tantum credere: nã
alias, & dæmones credunt, & contremifcũt
fed vt omnimoda obedientia fidei Euange- *Supra. 2.*
licæ, & Ecclefiæ Dei in omnibus quæ præci
pit, adhibeatur. Quod vero ait, *In omnibus Gẽ*
tibus: Iudæos & Gentiles complectitur; quia Euangeliũ quam late pateat.
loquitur nomine omnium Apoftolorum,
dicendo, accepimus. Et hinc patet latitudo
Euangelii fupra legem, & miniftrorum E-
uangelii fupra miniftros legis. Et pungit
hoc verbo Iudæos, putantes ad fe folos fpe-
ctare Scripturas, & promiffiones: & accẽdit
Gentiles, quia in Chrifto Iefu neque circũ- *Gal. 6.*
cifio aliquid valet, neq; præputium, fed no-
ua creatura. Et omnes Apoftoli primũ præ- *Act. 15.*
dicarunt in Iudæa ex præcepto Chrifti; poft
ea ad Gentes profecti funt: fed poftea aliis
particulares prouinciæ cefferunt, cum om
nes non poffent effe vbique Paulo etiam, v *Gal 2.*
bi primum apud Iudæos prædicaffet, Præ- Quid fpectet fides.
putij, fiue Gẽtium amplitudo commiffa eft
Addit: *Pro nomine eius:* Aliqui vertunt, de no
mine eius, id eft, Fides eft de nomine Chri- *Act. 4.*
fti: nam fides nomen illud facrofanctũ Chri
fti refpicit, de quo fcriptũ eft: Non eft aliud
nomen fub cœlo datum hominib. in quo
oporteat nos faluos fieri. Sed melior, & ple
nior videtur lectio, vt præpofitionem Græ
cam ὑπὲρ vertamus, vt interpres nofter le
git, *Pro nomine eius.* Quod verbum duplicẽ
fenfum efficit: alterum Ambrofii, & Hiero *Ambrof. in c. 1. ad Roma. 5. Hiero. ibid to. 9.*
nymi, vt idem fit dicere, pro Chrifti nomi-
ne, ac dicere, vice eius, feu in perfona eius,
iuxta id, *Pro Chrifto legatione fungimur:* & ite- *2. Cor. 5.*
rũ. *Nam & ego quod donaui, fi quid donaui, ppter*
vos in perfona Chrifti. Vnde à nobis honore, Ecclefiæ maiores cur digni fint honore, & reuerentia.
& reuerentia excipiendi funt Prælati, & Sa-
cerdotes, & miniftri verbi Dei, ob perfonã
Chrifti quã fuftinẽt: vt & legati honorant
ob perfonam Imperatoris, vel Regis, à quo
mittuntur. Alter fenfus eft Origenis, & *Orig. ibid to. 2.*
Theophylacti: vt, pro nomine eius, idẽ fit *Theophylact. ibid.*
quod, pro gloria nominis eius illuftranda,
fiue pro ampliando, & dilatando nomine e
ius, id eft fama, & honore, & fapientia eius.
Subiungit: *In quib. eftis & vos vocati Iefu Chri-*
fti. Id eft, De quorum numero vos eftis, qui
Romani eftis & principatum in orbe tene-
tis: qui vocati eftis, vt fitis membra Chrifto
conformia, non tantum nunc in gratia, &
cæteris donis præfentib. fed etiam in æter-
nis, & futuris cœleftis beatitudinis: & quod
dicit, Vocati Iefu Chrifti; inferius in alia di-
fputatione latius explicabitur, dum-
modo hic fit finis præfentis di-
fputationis.

DISPVTATIO VII.

De Eccleſiis illis, ad quas Apoſtolus literas conſcribit, & quibus eas titulis cohoneſtet atque exornet.

PECVLIARE caput impendendum eſt in explicandis illis Eccleſiis, aut perſonis, ad quas Paulus literas mittit; & quibus, & quam honorificis titulis eas illuſtret, diſpiciendum. Etenim in prima ad Romanos

Rom. 1.

ita habet: *Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis.* In priori ad Corinth. *Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Ieſu vocatis ſanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in omni loco, ipſorum & noſtro.* In poſteriori ad eoſdem: *Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, cum omnibus ſanctis qui ſunt in vniuerſa Achaia.* Ad Galatas: *Eccleſiis Galatiæ.* Ad Epheſ. *Omnibus ſanctis qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu.* Ad Philippen. *Omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconibus.* Ad Coloſſen. *In qui ſunt Coloſſæ ſanctis, & fidelibus fratribus in Chriſto Ieſu.* In vtraque ad Theſſalonicen. *Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.* In epiſtola ad Hebræos, cum exordio careat, nihil exprimit. Hæc omnia conſulto cõiunximus, vt ſimul ea interpretaremur, atque inter ſe componẽtes maius lumen interpretationis accipere poſſemus.

1 Cor. 1. 2. Cor. 1. Gal. 1. Epheſ. 1. Philip. 1. Coloſſ. 1. 1. Theſſ. 1. 2. Theſſ. 1.

Cur Paulus Romanis ſcribẽs, non honorificentioribus eos nominibus compellauerit.

Ac primum quidem admiratione dignum videtur, quod Romanos rerum dominos vllis honorificentioribus titulis, vt moris erat olim, Apoſtolus nõ exornauerit. Tantum enim vocat eos dilectos Dei, & vocatos ſanctos. Sed hæc eſt ſimplicitas, & ſapiẽtia Apoſtolica, ampla hominum nomina, & inania mundi ornamenta, qualia ſunt, Quirites, Patres Conſcripti, vrbs æterna, & orbis Domina, Senatus autoritas, & maieſtas Populi Romani; quæ

Imperium terris, animos æquauit Olympo,
Septemq́; vna ſibi muro circumdedit arces;

Virg. 6. Æneid. circa fi. Idem ibidem.

& de qua:

Tu regere Imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacisq́; imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Quibus mirifice ſuperbiæ vulnus in venis hominum alitur, & quibus ciues Romani intumeſcebant, deprimere, vilipendere, & nihili facere. Etſi vero Paulus, dum reus, & vinctus ſiſteretur coram Feſto Iudææ, præſide, illum honorifico titulo Κράτιστε, hoc eſt Strenui, vel, vt noſter vertit interpres optimi, non defraudauerit, quod tunc corã infideli cauſſam ageret ſuam: vbi tamen ad Romanos iam credentes in Chriſtum, &

Act. 26. Cur idem Apoſtolus Feſtum Iudææ præſidem optimi, vel ſtrenui nomine inſigniuerit.

Apoſtolicæ autoritati ſubditos ſcribit, aut verba facit, omnes verborũ amnem natalium ſplendorem, & conſuetas apud plebem omnes honorum criſtas præcidit, quo intelligerent omnes in Chriſto exiſtentes, eiuſmodi illuſtria ornamenta vilipendenda eſſe, & propter Chriſti fidem, & fratrum charitatem calcanda: & hunc eſſe eorum optimum vſum, ſi deſpicatui habeãtur, ne in illis homines efferantur, & intumeſcant; aut aliis propterea minoribus ſeſe præferant, exiſtimantes ſe aliquid eſſe. Denique ne Romani honores eos ab Apoſtolis ſibi exhibitos ſpectantes, putare poſſent ſibi eſſe illuſum, aut aſſentationis vitio auribus ſuis datum. Porro hoc vaniſſimum accipiendorum aut conferendorum honorũ ſtudium, ad id faſtigii noſtro ſeculo peruenit, vt vllum incrementum amplius ſuſcipere non valeat. Nam qui olim Regibus, & Principibus vt proprii, ac debiti tituli, reddebantur, iam viliſſimis quibuſque opificibus, mulionibus, & coquis communes exiſtunt. Cæterũ qui nobilibus in ſuperlatiuo gradu tribuuntur, nonniſi propriis, & legitimis titulis Deum ſpoliando conferuntur tantus eſt ambitionis ardor, & cupiditas tãta mutuo nobis, aut aliis blandiendi, aut inuicem nos, & alios inflandi, ac ſeducendi ſeges eſt, ac ſilua. Certe Beatus Ignatius, vir Apoſtolicus, & martyr, longe diuerſis cognomentis Romanos ornauit, quam Paulus, in epiſtola ad eoſdem de Smyrna ſcripta. Ita enim eos ſalutat: *Ignatius, qui & Theophorus, miſericordiam conſecutæ in magnitudine Dei altiſſimi Patris Ieſu Chriſti vnigeniti eius filij, Eccleſiæ ſanctificatæ, & illuminatæ in voluntate Dei (qui fecit omnia quæ ſunt ſecundũ fidem, & dilectionem Ieſu Chriſti Dei, & Saluatoris noſtri) quæ & præſidet in loco regionis Romanorum Deo digna, eminentia digna, beatitudine digna, laude digna fide digna fundata in dilectione, & fide Chriſti paternum nomen habenti. ſpiritiferæ quam & ſaluto in nomine Domini omnipotentis, & Ieſu Chriſti filii eius, qui eſt ſecundum carnem, & ſpiritum, adunatis in mandatis eius repletis gratia Dei inſeparabiliter, & ablutis ab omni alieno colore, atque immaculatis plurimam in Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto ſalutem.* Hæc ille tantis encomiis Romanos ſalutans, & tantis honorum cumulis eos commendans. Vt admirandum ſit tam breui temporis ſpatio, quod inter ætatem Pauli, & Ignatij effluxit, iam ſcribendi rationem inter ſcriptores Eccleſiaſticos variatam fuiſſe, atque mutatam. Sed hæc admiratio ceſſabit prorſus, ſi quis legat quæ Ignatius in eadem epiſtola de ſe inquit & hinc de Petro & Paulo ſcribat: *Non* (inquit)

Veri Chriſti cultores debent ſpecioſos hominum titulos, inaniaque mũdi ornamẽta contemnere, ac nihili facere.

B. Ignat. ep. 15. Sancti patris Ignatii, martyris & Epiſcopi ad Romanos epiſtola quam amplam atque magnificam contineat ſalutationem.

Beatiſſimis Petro, & Paulo Apoſtolorũ Principib. humilis Ignatius quantum deferre videatur.

quit) *ficut Petrus, & Paulus precipio vobis: illi enim Apostoli sunt Iesu Christi, ego autem minime: illi vero liberi sunt serui Dei, ego autem vsque nunc seruus, &c.* Ex qua scribendi varietate elicimus, posse nos eiusmodi titulos supprimere: si ita conueniat: posse etiam, si opus sit, ad charitatem fouẽdam, & communem ædificationem alẽdam, nonnunquam eos tribuere. Deinde expende, quantum hæ simplices voces, nempe, Dilecti Dei, Vocati sancti, præclara omnia, & magnifica hominum ornamenta superent. Esse enim Deo dilectum, & vocatione eius esse sanctum, etiam titulos Regios antecellit, quã-tum Dei dilectio præstat cæteris omnibus, de qua scriptum est: Si dederit homo omnẽ substantiam domus suæ pro dilectione, qua si nihil despiciet eam. Hinc Ioannes Apostolus ab hac dilectione Domini Iesu erga se, & agnosci, & particulari voluit, dũ cum emphasi scribit; *Discipulus quem diligebat Iesus.* Sanctorum vero nomen illis præsertim datur, qui in sanctitate perfecta in cœlo cũ Christo regnant; & illis qui ad regnum, dũ viuunt, ius per Dei gratiam habere dignoscuntur. At certe præ illis titulis omnes honorum gradus, dignitates Principum, Regum, & Imperatorum coronæ obscurantur, non secus atque Solis aduentu Stellæ, & Luna obfuscantur. Tertio expende Apostoli verba: *Omnibus qui sunt Romæ.* In quibus nullus est (vt putauit Faber Stapulensis) barbarismus, eo quod dixerit in tertia persona, omnibus qui sunt, & non in secunda, Omnibus qui estis: nam participium Græcum, τοῖς οὖσιν potest pro arbitrio scribẽtis resolui in secundam, vel tertiam personam: & boni autores ab ea locutionis forma non abhorrent, vt, Plinius Traiano salutem, vel, Cicero Attico suo sal. *Et omnibus,* inquit, *qui sunt Romæ,* siue illi Romani sint, siue non: satis enim est esse Christianos Romæ habitantes. Non enim qui sunt huius, vel illius generis, vel nationis, respiciuntur à Paulo: vt ita rescindat Apostolus factionũ fimbrias, quæ Romæ inter Iudæos, & Gentiles ad Christum conuersos vigebant. Et contingit mentem Spiritus sancti in multo plures extendi, quam fuerit priuati autoris animus, & scopus: nam aliis multis à Romanis, inuenitur hæc epistola fructum attulisse. Ostenditur etiam in illo verbo, *Omnibus,* amplitudo charitatis, quæ neminem excludit, & omnes complectitur. Et expedit pastorem æqualem se omnibus præbere ob zelum infirmorum. Et inæqualitas in pari causa solet vt acceptionis personarum vitium interpretari; secus vbi causa inæqualitatis subest. Adhæc ad omnes, qui Romanam Ecclesiam agnoscunt tanquam matrem, & magistram omnium Ecclesiarum, atque eius Præsidi, & Episcopo parent, vt vniuersali Ecclesiæ capiti, & Christi vicario, merito hæc epistola missa censenda est. Est enim ῥώμη Græce, robur, Hebraice, sublimis, vt interpretatur Hieronymus libro aduersus Iouinianum. Et Romæ est, quicunque petræ illi firmissime nititur: & sublimis est, qui in Christo est, & nõ in Adam veteri, qui per peccatum misere collapsus fuit. Adde etiam verbum substãtiuum, Qui sunt, apud bonos autores idem significare quod habitare: vt ibi, Duodecim sumus pueri tui fratres in terra Chanaan: Sumus dictum est pro Habitamus, vt explicat Augustinus lib. locutionum in Genesim. Et ita nõ raro vsurpari solet hoc verbum à Cicerone, & aliis autoribus in illo significatu. Subditur: *Dilectis Dei vocatis sanctis* Vbi primo loco perpẽde, quod vt libri proprio, & naturali ingenio conscripti, lectore qui lumine rationis vigeat, indigẽt vt intelligantur: ita Diuini & canonici libri lectores requirunt diuino fidei lumine præditos, quo capiantur, ne contingat Sanctum dari canibus, aut margaritas proiici in porcos. Idcirco Lucas Euangelium, & Actorum Apostolorum volumen nonnisi ad Theophilum, hoc est, Dei amicum, vel Dei amatorem destinauit. Similibus enim Dominus sibi notitiam impertiri solet, sicut dixit: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Deinde obserua, tres illas voces, *Dilectis Vocatis, & Sanctis,* nõ esse participia, sed nomina in lingua Græca, nimirum ἀγαπητοῖς κλητοῖς, ἁγίοις id est, amicis, & vocatis us, vt sic dicam, vel ascititiis, & nõ adiectiue, sed substantiue sãctis: quæ quidem nomina rem nõ tẽporariã aut facile transeuntis actionis, vt participia significant, sed rem stabilem, & permanentem: vt nomina substantiua, quæ habitum, statumq; & exercitium sonant amicitiæ, vocationis & sanctitatis. Et quia post dilectionem addit, *Vocatis;* inferimus, ex dilectione Dei nos ad Christi fidem vocatos esse; non cõtra, ideo vocati, quia sancti eramus. Non enim nos priores illum diligimus, sed ille prior dilexit nos. Vt in piscina motio aquæ, & Angelus mouens vocabat infirmum vt sanus fieret: non autem ideo vocatus, quia sanus factus esset. Dicuntur autem vocatione Sancti; quia ad immunditiam cordis, oris & operis, siue mentis, & cordis per consummatam gratiam vocantur. Per præsentem enim sanctitatem, vt arrham, & pignus vocat ad futuram. In cuius rei signum, cum quis ingreditur in Christũ, per baptismum laua-

Cant. 8.

Ioan. 13.

Sanctorũ proprie quibus nomen aptetur.

Contra Fabrum Stapulen.

Cur dictũ à Paulo, omnibus qui sunt Romæ, nõ autem Romanis.

Spiritus sancti consilium & prouidentia.

Præpositi Ecclesiæ subditis suis cur debeant se æquales ostẽdere.

Inæqualitas quando ab acceptionis personarum crimine vindicetur.

Hieron. l. 2. aduersus Iouin. to 2.

Esse pro habitare in Scripturis sæpe accipitur.

Aug. l. 1. locutionum in Genesim c. 163. to. 3. sub initiũ. Gen. 35.

Quales esse debeant sacrarum literarum studiosi.

Matth. 7. Luc 1. Act. 1.

Ioan. 14.

Vnde notũ sit, Dei dilectionem causam esse nostræ vocationis ad Christum.

1. Ioan. 4. Ioan. 5.

Romani cur dicantur vocati sancti. 1. Cor. 1. Infra 5. Ephes. 1.

Partæ per baptismū gratiæ & innocentiæ iactura quam turpis, & ignominiosa.
Gen. 3.

lauatur, & accipit vestem candidam, & immaculatam: quem sane pudere deberet totius immunditiæ, & amissa veste candida per peccatū, nuditatis suæ: quemadmodum Adam seipsum agnoscens nudum, erubuit. Quod si tanto studio maculam in facie, vel in veste, quam gestamus, cauemus; cur non in fœda & horribili virtutis nuditate, & tā turpi, & perniciosa peccati macula? Olim omnes baptizati in primitiua Ecclesia dicebantur Sancti: *Salutate*, inquit, *omnem sanctum: Salutant vos omnes Sancti*: & idem Apostolus de se eodem in loco ait: *Mihi omnium Sanctorum minimo.* Adolescente Ecclesia, tātum Ecclesiæ proceres se hoc nomine honestabant; vt Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, & Augustinus in multis Epistolis, quas sibi inuicem dabant. At nunc in senecta Ecclesiæ, hoc sanctitatis cognomentum solum Diuis, qui firmitatem in sanctitate sunt consecuti, vt ab ea excidere nequeant, & summis tribuimus Pontificibus. Mirabitur fortasse aliquis, cur Apostolus non dixerit, vt in aliis epistolis, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, vel Ecclesiæ Thessalonicensium, &c. Ita etiam, Ecclesiæ quæ est Romæ. Deinde cur non salutauerit Petrum Episcopum vrbis Romæ, sicut Philippenses salutans, dixit: *Cum Episcopis, & Diaconibus.* Ad primam dubitationem respondemus, non fuisse semper in more Apostolis, vt expresso Ecclesiæ nomine eos, ad quos scribunt, salutarent, vt constat ex epistolis ad Ephesios, & Colossenses, sed sanctos, fideles, fratres, & sanctificatos vocare consueuerunt; qui tamē reipsa Ecclesia Dei sunt, & in peculiari aliqua Ecclesia versantur. Et Apostolus Romanorum decimosexto, eam, quæ in domo est, congregationem Ecclesiam vocat: *Salutate*, inquit, *Priscam, & Aquilam adiutores meos in Christo Iesu, &c. & domesticam Ecclesiam eorum.* Ab Apostolis in Catholicis suis epistolis nulla peculiaris Ecclesia nominatur, ne in epistola quidem à Senatu Apostolico ad Antiochenses missa: implicite tamen eos Ecclesiam nuncupauit, dum eius membra appellat Vocatos, & Sanctos, hoc est, vocatione Dei sanctos. Κλητὸς enim, significat vocatione Dei ad sanctitatem assumptum. Nomen etiam Ecclesiæ, quæ est cœtus à Deo vocatus, Ecclesiam designat. Vox etiam Sancti, propriè idem valet quod mundus, siue Deo consecratus, siue sine terra, quod denotat nomē ἅγιος. At tales non sunt nisi in Ecclesia, teste Propheta: *Laus eius*, inquit, *in Ecclesia Sanctorum*: & sancta nominatur Ecclesia, ob sāctitatem quam habēt, & profitentur qui in ea sunt.

Sanctorū appellatio quomodo Paulatim in Ecclesia restringi cœperit.
Philip. 4.
Ibidem.
Ephes. 3.

Quare Paulus Romanos, vt alias consueuit, Ecclesiam non nominauerit.
Ratio, siue solutio.

Rom. 16.

Act. 15.

Vbi videri possit eos Apostolus Ecclesiam appellasse.
Ecclesia, & Sanctus quid propriè significent.
Psalm. 149.

Posset secundo commode dici, Paulum Romanos Ecclesiam non vocasse, non solum in salutatione, sed nec in vllo alio loco eiusdem epistolæ: quod in ea inter Iudæos, & Gentiles essent contentiones, & factiones. Nam Gentes Iudæis probro dabant turpem crucis necem Messiæ illatam: contra Iudæi Gentibus obiiciebant sordes idololatriæ: atque adeo inter se dissidebant, vt Claudius Iudæos Christo impulsore assidue tumultuantes vrbe expulerit, vt testatur in eius vita Suetonius: quod Orosius anno 9. principatus Claudii accidisse narrat. In qua quidem expulsione etiam ipse Petr' Christi Apostolus, & Ecclesiæ Romanæ pastor, vrbe pulsus est: ita vt Roma eo tempore vix Ecclesiæ formam haberet. ¶ Quod si obiicias, similes factiones fuisse in Ecclesia Corinthi; nec tamen propterea Paulum abstinuisse à dando illi titulo Ecclesiæ in vtriusque epistolæ exordio; & Galatis ad Iudaismum e aplis scribens, dixit: Ecclesiis Galatiæ. Dicendum est: videri posse diuersam rationem fuisse Romanorum: quia omnes Iudæos expulerant, & caput, siue Episcopum eius. Tertio, adhuc responderi posset, Ecclesiam Romanam non fuisse cæteris Gentium Ecclesiis similem: quia illæ peculiares essent Ecclesiæ, & limitatæ. Nam per verbū: Quæ est Corinthi; qui sunt Ephesi; qui sunt Philippis, &c. limitantur: at Romana Catholica erat mater, & magistra omnium aliarum, ob eius vniuersalem pastorem. Et si Ecclesia Romana, vt Episcopalis est, extra Romam, & suæ dioecesis oppidula non se protendat: & vt Archiepiscopalis; ad sex proximas Ecclesias, quarum Episcopi Cardinales suffraganei sunt summi Pontificis: & vt Patriarchalis, Occidentis Ecclesias regat: tamen vt Ecclesia Romana est Petri vniuersalis pastoris totius Ecclesiæ, non solū vni alicui parti, sed vniuersalis Orientis, Occidentis, Septentrionis, & Meridiei præest, & locum Christi omnia pascentis, & regentis sustinet: & ob id, vt insinuaretur eius præstantia super cæteras omnes & Iudæorum, & Gentium Ecclesias, abstinuit Paulus ab Ecclesiæ nomine. Sed prima solutio solidior est meo iudicio: nam ad reliquas aliquid dici posse video. Et discedente Petro ex vrbe, aliquem sui loco reliquit vicarium Italum, siue Linum, siue Cletum nō expulsum, per quem Ecclesiam illam etiam absens administrabat, & pascebat. ¶ Ad secundam dubitationem dicendum, non consueuisse Paulum, dum scribit ad Ecclesias, peculiarem aliquem Episcopum nominare, etiamsi in genere dixerit ad Philippenses, cum Episcopis, & diaconibus. Sicut etiam

Altera sol. Romanorum & Iudæorum quibus Paulus scribebat, inter ipsos vnde orta dissidia.
Act. 18.

Suetonius in Claudio c. 25. Oros. l. 7. c. 6. in fi.

Cur Paul' Corinthios inter se altercantes & contentiosos Ecclesiæ nomine non sit dedignatus.

III. sol.

Ecclesia Romana quadrupliciter potest considerari.

Quænam ex supradictis solutio sit veritati propinquior.
Cur Petri Romanæ vrbis Episcopi Paulus ad Rō. scribens prorsus nō meminens.

Apoc. 1.

iam Ioannes in Apocalypsi scribens ad septem Ecclesias, quæ sunt in Asia, nullam episcoporum illarum mentionem fecit, nisi quod in genere, & suppresso nomine Episcopi habet: & Angelo Ephesi, & Angelo Smyrnæ, Et Angelo Pergami, &c. Deinde non solum Petri non meminit in epistolæ frontispicio, sed nec in fine quidem, quando peculiares quasdam salutationes mittit

Infra 2. Ibidem. Ibidem.

Mos epistolarum.

quod mirum esse non debet. Tum quia nõ est moris salutationes mittere maioribus per minores, sed potius per maiores, & superiores mitti solent. Tum ne vmbram aliquam suspicionis præberet Romanis Paulus eiusmodi scripto, Apostolos videlicet inter se conuenisse, & imponere voluisse his qui Romæ sunt, & toti mundo. Denique Petrus eo tempore ab vrbe aberat, & illum cum Prisca, & Aquila, & aliis multis vrbe depulsum viderat: frustra igitur illum nominasset. Imo, vt est verisimile, eo tempore, quo scripsit hanc epistolam, Prisca, & Aquila, qui cum Apostolo fuerant, statum vrbis Romanæ, & dissidia, ac contentiones illi explicauerant: exinde animatus fuit, vt hanc doctissimam, & vtilissimam epistolam scriberet: Quod porrigere videtur Lucas cap. 18. Actorum, initio, dicens: *Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum: & inueniens quendam Iudæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam vxorem eius* (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma) *accessit ad eos. Et quia eiusdem erat artis* (nempe scenofactoriæ vt mox subdit) *manebat apud eos, & operabatur.* Et infra: *Sedit autem ibi annum, & sex menses, docens apud eos verbum Dei.* Post nonnullos autem menses Aquila & Priscilla reuersi sunt in vrbem, vt eis potuerit Apostolus mittere salutem, Rom. 16. quia forte fuit reuocatum mandatum Imperatoris, vel potuit nummis redimere domicilium vrbis, aut fauore, siue iusta alia de causa, ibi esse, etiã id curante Paulo, vt Romam reuerterentur: quia nedum ex Corintho missa fuit epistola per Phœben. Et ita nihil sibi contradicunt, quod Aquila & Priscilla fuerint Corinthi cum Paulo; & paulo post eorum discessum in vrbem emisisse epistolam. Hæc etiam dixerim propter hereticos, qui negãt Petrum vnquam Romæ fuisse; quod nõ legant in hac epistola vllam Petri factam mẽtionem. Quæ ratio si alicuius põderis esset, deberent quoq; negare, Ioannem Euangelistam vllo vnquam tempore Ephesi mansisse: quod eius rei in epistola ad Ephesios nullum extet verbum.

Si Paulus Petrum in prædicta epistola quoquomodo nominasset, quid Romani suspicari potuissent.

Act. 18.

Epistolam ad Romanos cur scripserit Apostolus.

Ibid.

Quomodo Aquila & Priscilla in eadem epistola potuerint salutari.

Rom. vlt.

Vnde Petrum hæretici nunquam Romam venisse audeant affirmare.

Hæc de titulo Romanorum ab Apostolo eis attributo.

DISPVTATIO VIII.

De titulis, aliis Ecclesiis, & ab Apostolo datis, præter illum ad Romanos.

NE prolixior esset præcedens Disputatio, ab ea separauimus alios titulos reliquis omnib. Ecclesiis ab Apostolo datos, vt minori fastidio legerentur separatim positi & explicati.

Vt igitur propositum persequamur, in priori ad Corinthios habetur: *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco, ipsorum & nostro.* Vbi primum Ecclesia illa salutatur quasi Ecclesia Dei: quia veri Dei verum cultum profitebatur. Et ille est qui membra Ecclesiæ colligit in vnum corpus per vocationem suam. Etsi enim vna sit omnium Catholica Ecclesia, plures tamen sunt sub illa particulares. Et recte Ecclesiæ vox, quæ à verbo καλεῖν descendit, conuenit: quia synagogæ nomen mansit in Iudæis in sua perfidia persistentibus. Quia congregatio, siue collectio sponte fit, & naturæ instinctu: vt in ouibus & bobus, & volatilibus apparet. At collectio Ecclesiæ non fit propria voluntate, humana, & naturali, sed superna Dei vocatione & voluntate. Membra igitur Ecclesiæ Dei vna vocantur sanctificata in Christo Iesu per verbum, & Sacramentum: & vocata ad sanctitatem non solum vt nomine, sed etiam vt reipsa sancta existant. Subdit: *Cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, &c.* Quod dupliciter explanari potest. Primo, vt intelligamus, hãc Epistolã non tantum ad Corinthios, sed & ad omnes, qui inuocant nomen Domini nostri IESV Christi, vt salui fiant, missam, iuxta illud: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit; &: Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus ad salutem adipiscendam quam sacrosanctum illud Iesu Christi.* Et per inuocationem nominis Dei, intelligimus vniuersum Dei cultum, qui incipit à fide: quæ inuocationi præmittenda est, secundum illud Pauli verbum: *Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Et quod in Lege, & Prophetis de inuocando Dei nomine scriptum est; Petrus Actorum secundo, & Paulus Romanorum decimo de Domino Iesu Christo intellexere. Ita enim diuinæ sapientiæ consilio factum est, vt quæ vni genti aut populo diuinitus data sunt, ad vniuersas etiam alterius regionis, aut regni nationes spectẽt. Quod etiam ex Legũ Imperalium exemplo colligitur, quæ ab vno, vel altero

Corinthiis Paulus Ecclesiæ cur nomen dederit.

Ecclesiæ vocabulũ vnde ducatur.

Congregatio quæ fit à natura, ab illa Ecclesiæ quid differat.

Ioel. 4.
Act. 4.

Inuocatio nominis Dei quid significet.

Rom. 10.

Proprium diuinæ sapientiæ quid sit.

facto,

Oecum. in epiſt. ad Cor. cap. 1.

acto, ſiue euentu poſitæ, ad omnes poſteà extenduntur ſimiles euentus. Ita tradit Oecumenius.

Deinde exponi poſſunt hæc verba, vt cõiungantur non cum Eccleſia Corinthi, ſed cum proximis illis, vocatis ſanctis, vt indicarent quòd non ſoli erant in hac ſorte vocationis Corinthij, cũ eſſent alij in vniuerſo orbe terrarum, qui nomen Domini Ieſu inuocarent. Subiungit: *In omni loco, ipſorum, & noſtro.* Quod non ſolum de eius diœceſis iuriſdictione dixit Apoſtolus, ſed vt indicet charitatem, cuius eſt nihil proprium habere, ſed omnia communia cum alijs. Et quod non ſolum in Iudæorum locis erant qui inuocabãt nomen Ieſu, vt ipſi putabãt, ſed omnis locus erat iam per Ieſum ſanctificatus, vt in eo inuocetur, & exoretur. Præuenit etiam eo verbo maleuolorum calumnias; ne dicerent, ipſum apud Corinthios impudenter efferri, & autoritatem magis in illos, quam in alios, arrogare. Hinc Theodoritus in hæc verba eleganter ait: *Omnia quæ dicta ſunt, ſunt morbi remedia. Quæ enim malè facta eſt, diuiſionem coniungunt, & primum quidem ipſos vocat vnam Eccleſiam, & Dei Eccleſiã, & adijcit, In Chriſto Ieſu: non in hoc, vel in illo. Vocat autem ipſos & vocatos, & ſanctos, & ijs coniungit qui in orbe terrarum crediderunt; docens quod non oporteat ipſos ſolos concordes eſſe, & conſentire, ſed omnes etiam, qui ſalutari prædicationẽ crediderunt, vnum ſentire, vt qui in vno Domini Chriſti corpore conſiſtunt. Illud autẽ Sui, & Noſtri, cum Domino coniunctum eſt, pro eo quod eſt: Et nos qui ſcribimus, & vos qui acceptis literis fruimini, vnum Dominum habemus Chriſtum.* Hæc ille. Poſterior ad Corinthios nihil habet peculiare; niſi quòd vbi in prioribus dixit: Cum omnibus qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti: in poſteriori habetur: *Cum omnibus ſanctis, qui ſunt in vniuerſa Achaia.* Amplior tamen fuit prioris epiſtolæ ſalutatio, quam iſtius: & vt in prima adiunxit Softhenem in coadiutorem, & conſcriptorem Epiſtolæ, ita in ſecunda adiunxit Timotheum. ¶ Epiſtola ad Galatas hanc inſcriptionem habet: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum patrem, qui ſuſcitauit eũ à mortuis, & qui mecum ſunt omnes fratres; Eccleſiis Galatiæ, &c.* In primis ex hoc loco habes, Apoſtolum non vni tantum loco ſcribere; ſed vni prouinciç, quæ plures habebat ciuitates, & Epiſcopos, quia in omnẽ eius prouinciæ locum morbus irrepſerat: idcirco & medicamentum omnibus propinat. Et quoniam illi ſeducti erant, & à Chriſto ad Legẽ delapſi, nihil hic eos celebrat, vt fideles, dilectos Dei, vel vocatos ſanctos; ne ſibi de

Charitatis ingenium. *Act. 4.*

Pauli prudentia.

Theodorit. in ca. 1. 1. ad Cor. init. to. 2.

Poſterioris ad Corinth. inſcriptio qualis.

Cur non vni tantum, ſed omnibus Eccleſijs Galatiæ ſcripſerit Paulus.

Cur idem Galatas fidelium vel ſanctorum vt alios, appellatione minimè honeſtarit.

errore blãdirentur, & in eo perſeuerarent.

Vanum autem eſt, quod Lutherus hoc loco docuit, eos, qui cenſent alios propter errores fidei ſegregandos ab Eccleſia, & mucrone excommunicationis præcidendos, vehementer hallucinari. Ecce, inquit, Paulus vocat Eccleſias eos, qui tamen errore fidei tenebãtur; & quia verbũ, & baptiſmũ habebant, rectè Eccleſiæ vocabantur. Nam error in fide, & verbo, infirmitas eſt, in qua charitas Eccleſiæ exercetur. Sed profectò hæc nihil euincunt, & Paulus aliter docuit: *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita: ſciens quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cũ ſit proprio iudicio condemnatus.* Et inferius in hac epiſtola: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præter quam quod euangelizauimus vobis; anathema ſit.* Et iterum: *Vtinam & abſcindantur, qui vos conturbant.* Et Ioannes: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert; nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.* Denique Chriſtus Dominus: *Si Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Paulus igitur Galatas ſeductos, nomine Eccleſiarum non dedignatur, quia non erant de pertinacia conuicti; nedum iudicati. Tales enim tolerantur, & admonentur, donec certum ſit eos nolle reſipiſcere. Et fortaſſis nõ omnes errore Fidei tincti erant, & propter magnam partem non debebant omnes etiã boni malè audire. Cæterum ad pſeudoapoſtolos aliter docentes, longè aliter loquitur Apoſtolus: iaculatur enim in eos anathematis telum, dicens: *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Adiecit ſecundò Paulus: *Et qui mecum ſunt omnes fratres.* Vt epiſtolæ autoritatis pondus adderet, tanquam non à ſe ſolo, ſed ab ijs etiam, qui cum eo erant fratribus profecta. Solent enim quæ à multis probantur, ſolidiora eſſe, & tutius Catholicis, quam priuatis fidem noſtram adiungimus. Tertiò addit. *Qui ſuſcitauit eum à mortuis.* Pater Chriſtum ſuſcitauit à mortuis per Spiritum ſuum, vt alibi dixit: *Quod ſi Spiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis; qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Fuit etiam per ſeipſum, & virtute propria ſuſcitatus Ieſus, qui dixit: *Soluite tẽplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud:* & iterum: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Nihil ergo ex hoc loco habet Arrianus contra conſubſtantialem, & in poteſtate æqualem Perſonarum Trinitatem.

Dubium tamen eſt, ob quam cauſam nunc reſurrectionis Chriſti Apoſtolus me-

Contra hoc Lutheri corollarium ex Paulo: Qui cenſent, hæreticos Eccleſiæ nomine indignos, & ab ea per excommunicationem ſeparandos eſſe, grauiter errant.

Tit. 3.

Gal. 1.

Infra 5.

2. Ioan.

Matt. 18.

Cur Galatas Apoſtolus Eccleſiarum titulo inſignierit.

Pſeudoapoſtolos idem quo modo habe-

Gal. 1.

Cur ſuo, & omnium fratrum nomine eiſdem conſcripſerit.

Rom. 8.

Ioan 2.

Infra 19.

Quorſum hic Chriſti à mortuis ſuſcitari mentionem fecerit.

mineritr? Quidam tradunt, ob id factum, vt indicaret Paulus se cæteris Apostolis digniorem, qui missus sit à Christo suscitato & glorioso, cùm reliqui à Christo mortali emissi sint. Sed si hæc ratio firma esset, non minus probaret, Barnabam, quam Paulum (quia simul sunt ad Apostolatum vocati) cæteris omnibus digniorem. Adhæc si verum amamus, non minus alij Apostoli à Christo suscitato sunt ad prædicandum destinati, quam Paulus & Barnabas. Prima enim die, qua à morte fuit reuocatus, dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et ea die, qua cęlos conscendit, ad eosdem Marc. vlt. dixit: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Dicendum igitur est, non ab re Christi suscitati meminisse Apostolum, non tantum ipsius Domini potentiam, & gloriam consideres: nam sedet ad dexteram Patris, index vniuersorum cõstituturus; sed quia in hoc resurrectionis articulo demonstratur, Legem omnino cessasse, & noua omnia facta in Christo, contra pseudoapostolos, qui Galatas à Christo ad Iudaismum reuocauerant. Quartò, quod dicitur: *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum:* hoc etsi sit alio loco superius explicatum, id superest addendum: Quomodò non per hominem, sed per Iesum Christum, qui Deus, & homo est, vt habet symbolum Athanasij? Hinc orta est hæresis Manichæi, negantis Christum hominem, quam asseruit sumpsisse corpus phantasticum: de quo al. bi dictum est: *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo:* & altera hæresis Valentini, qui dixit corpus ab eo allatum de cœlo alterius rationis à nostro. In quod sunt multa quæ opponantur: Nam in Manichęum est apertum, & inuictum Christi testimonium, qui à morte suscitatus dixit: *Palpate, & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et in vtrunque est Paulus scribens, Christum secundum carnem ex semine Dauid factum, & in Euangelio sæpè vocatur Filius Dauid, natus de Virgine: idem quoque Apostolus ait: *Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus.* Quod igitur ait: *Non ab hominibus, neq; per hominem,* exponunt alij qui: Non à duodecim Apostolis, neque per vnum aliquem ex illis. Alij neq; per hominem purum, sed per Iesum Christum in eo quod erat Deus, non quatenus homo est. Quæ expositio falsa est omnino: quia Christus vt homo est, omnem potestatem à Patre accepit; & in eo glorificatus fecit Paulũ Apostolum. Augustinus verò asserit, Christum propter gloriam iam adeptam, inter homines minimè computari.

Prima opinio parum probabilis. — *Aug lib. 1. Retract. cap. 24. to 1 in princ.* — *B. To lect. 1. in c 1 10. 1.* — *Caietanus. ibid.* — *Act 13.* — *Ioan. 20.* — *Marc. vlt.* — Alter sensus accommodatior. — *Act. 10.* — *2. Cor. 5.* — *Gal 5.* — *Disput. 1c. à med.* — Vnde Manichæus Christum corpus habuisse phantasticum, & Valentinus de cœlo illud attulisse confinxerunt. — *Philip. 2.* — Vtriusque dogmatis confutatio. — *Luc. vltim.* — *Rom. 1.* — *Matth. 1.* — *1. Tim. 2.* — Eius loci: Non ab hominibus neque per hominem, triplex interpretatio. — *Aug loco prædicto.*

Sed quò hæc maiori luce perfundantur, perpende, vocem hominis non vno modo accipi. Nam dicitur homo substantia, vel natura, quæ constat corpore, & anima. Et sic CHRISTVS non minus est homo, quàm reliqui homines. Alio modo accipitur pro natura corrupta, & perdita, subiectaque peccato: ita vt homo sit Dei inimicus, & filius iræ: & ita CHRISTVS non fuit homo, sed in similitudinem hominum dicitur factus, & habitu inuentus vt homo, vt erant alij: quia non carnem peccati, sed in similitudinem carnis peccati eam assumpsit, patibilem & mortalem: vt ita negetur non naturæ humanæ veritas, sed naturæ nostrę talis conditio, & miseria. Tertio modo homo consideratur vt adhuc sub corruptibili est substantia, morti, & pęnis exposita, & nondum ea sanctificatione sanctificata, quæ est ex resurrectione mortuorum: qua ratione fuit Iesus, dum viueret, homo: at suscitatus, & gloriosus factus, & immortalis, dicitur accepisse diuinitatem & generationem vt esset Filius Dei, iuxta illud: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Atque his duobus extremis respectibus potest Christus dici ab hominibus exclusus: sicut & nos à morte suscitati non iam inter homines computabimur, sed vt ait Dominus, erunt homines sicut Angeli Dei in cœlo, & erunt filij Dei. Rursus inquit: *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes:* à qua dignitate qui cadunt, secundum illud quod subiunxit illo loco Propheta, homines vocantur: *Vos autem,* inquit, *sicut homines moriemini, & sicut vnus de Principibus cadetis.* Et ita omnia facilè hac distinctione componuntur. Christus enim verus est homo, anima & corpore constans: sed iam non est homo, quia carnem habet, non solum à peccato, verum etiam à fragilitate, & mortalitate immunem, & liberam; quam tamen infirmam, & mortalem aliquandiu habuit. Quintò perspice, Iesum præponi Patri, cùm ait: Sed per Iesum CHRISTVM, & Deum Patrem, nec tamen ob id inferri posse, CHRISTVM maiorem Deo Patre, Simili ratione quando præponitur Patre non ob id maior est Christo Filio: nam etsi maior sit Christo vt homines, non tamen vt Deus est. Et vt olim stultè colligebant Arriani, ex præpositione, & prænominatione vnius Personæ ad alteram, aliquam maioris dignitatis differentiam: ita etiam ex præpositione, Per, quæ adiungi solet ad denotandum instrumentum, vel ministrũ, perperam ijdem inferebant, Filiũ Patre minoré, sicut ex illo: *Omnia per ipsũ facta sunt.*

Homo tripliciter consideratur. — *Ephes.* — Qua ratione non sit homo Christus. — *Rom. 1.* — *Apoc. 9.* — *Psalm. 2.* — *Act. 13.* — *Matth. 22.* — *Luc. 20.* — *Psalm. 81.* — *Ioan. 10.* — Christus est homo verus. — Quam inæqualitatem olim Arriani, ex eo quod vna persona ante aliam nominatur, earum colligerent inæqualitatem.

Idem ineptius ex præpositione per, quæ fere insitu menium denotat, & filio tribuit cooseruit, eum inferebant Patre minorem. *Ioan. 1.* Christus patiendo pro omnibus, omnes pro debitis debitores constituit. *Hieron. in ca. 1. ad Galatas circa princ. to. 6.* Quomodo tradiderit Filium Pater. *Psalm. 39. Heb. 10. Idem ibid.* Cur seipsum pro nobis Christus tradiderit, teste Hieronymo.

Quæ tamen argumentatio aperte confutatur hoc loco, in quo, Per, perinde Patri, atq; Filio tribuitur. Additur postremo post salutationem epistolæ ad Galatas: *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos de præsenti seculo nequam, secundum voluntatē Dei & Patris nostri. Cui est gloria in secula seculorum. Amen.* Quæ exponenda breuiter sunt, quoniam ad salutationem ipsam spectāt. Quod ergo ait: *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris:* quisque in primis credere debet Christum pro se passum, & quemque tanti muneris debito se Christo vinctum agnoscere. Deinde, vt notauit Hieronymus, neque Filius se dedit pro peccatis nostris absque voluntate Patris; neque Pater tradidit Filium sine filii voluntate: sed hæc est voluntas filii voluntatem Patris implere, vt ipse loquitur in Psalmo: *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Idcirco spontaneum fuit, & magnificum opus, non vile ministerium, & coactum, quod Pater pro nobis Filium tradidit, vel ipse seipsum tradiderit. Et vt hoc loco recte ait Hieronymus: *Dedit se Filius, vt iniustitiā quæ erat in nobis, iustitia ipse subuerteret. Tradidit se Sapientia, vt insipientiam expugnaret. Sanctitas, & fortitudo se obtulit, vt spurcitiam infirmitatemq; deleret.* Hæc ille. Dedit autem seipsum fine hostiis legalib. propeccatis nostris delendis: quibus non solum eramus odiosi, & ingrati Deo, sed etiam bellum illi indicebamus. Et non tantum pro peccatis nostris præteritis extinguendis seipsum tradidit, sed etiam cōtra futura peccata armauit: vt exponit Chrysostom⁹: quia subdit: *Vt nos eriperet à præsenti seculo nequam vel maligno:* nam Græcè est πονηρῷ. Ad quod ū

Gratiæ Christi supra legem Moysi duplex efficientia. *Chrysost. in c. 1 ad Gal. tom 4.* Quomodo Paulus dixerit præsens seculū nequā. Aduersus Valentinum & Manichæos.

Ioan. 17.

Matt. 6. Gen. 47.

Ephes. 5.

vtrumque lex inualida erat, & inefficax, & id solum præstat potentissima Christi gratia. Et vocat seculum præsens, malignum: non iuxta hæresim Valentini, vel Manichæi, qui fingebant alium Deum lucis, & futuri seculi autorem bonum, alium tenebrarum & præsentis seculi malum conditorem. Nam si hæc vita, vel seculum proprie malū, & peccatum esset, dignus laude esset, qui violenta morte vitam abrumperet coronandi etiam forent homicidæ, qui nos à malitia liberarent. Neque tempus præsens dici potest malum, quia in eo agnouimus Deum, & de æternis philosophamur, & ex hominibus Angeli efficimur. Et Christ⁹ nō diceret: *Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Tempus ergo ipsum malum metaphoricè dicitur, sicut illud: *Sufficit diei malitia sua:* & Iacob dixit: *Dies peregrinationis vitæ meæ cētum triginta annorum sunt parui & mali.* & Apostolus: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Quemadmodum vocamus

1. Ioan. 5.

Idem Hier. Ibidem.

Hieronymi similitudines.

domum malam ob malignos in ea habitantes: & dilectus dixit: *Mundus totus in maligno positus est;* ob mala quæ in mundo ab hominibus perpetrantur. *Infamantur & saltus,* ait Hieronymus, *cum latrociniis pleni sunt: non quo terra peccet, & sylua, sed quo infamiam homicidii loca quoque traxerint. Detestamur & gladium, quo humanus effusus est cruor, & calicem, in quo venenum temperatum est, non gladij, calicisque peccato; sed quod odium mereantur illi qui his male vsi sunt. Ita & seculum, quod est spatium temporum non per semetipsum aut bonum, aut malum est sed per eos qui in illo sunt, aut bonum appellatur, aut malum.* Hæc ille perdoctè. Liberauit porro de hoc seculo malo, quia facti sumus ciues sanctorum, & domestici Dei: qui prius peregrini in hoc mundo, & huius seculi filii eramus, & ciues, & à cœlo extorres; & conuersatio nostra in cœlis est, & in seculo futuro, illuc bona nostra cōgregantes, & comparantes. Ita etiam egressi de Ægypto, & Babylone, corde sumus ingressi cœlum, cuius habemus arrham. Et hiceest fructus passionis Christi in te operantis, si contemnas mundum, quasi hostē, & anheles spiritu, & voto ad cælestia. Cuius rei gloriam Deo adscribens, subdit: *Cui est gloria in secula seculorum, Amen.* Ostendit, similin scribendo, vel prædicando, non propriam, sed Dei gloriam quærere: etsi Christi opera eo spectabant, vt Deus glorificaretur in eis; quanto magis nos, si quid boni operemur, in Deum referre debemus. Amen particula confirmās est, & hic in principio eā ponit, quæ alias in fine collocari solet; vt indicet, teste Chrysostomo, ea quæ dicta sunt, satis habere perfectā occasionē Galatas reprehendendi, reficando eis memoriam etacis, & redemptionis, & datæ in posterum tutelæ: nam tot beneficio Dei in momento temporis deprompsit. ¶ Ephesios sic salutat: *Omnibus sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu.* Quibus in verbis Apostolus omniū se fitire salutem ostendit, cum legatus esset, & Apostolus vniuersalis Saluatoris. Et idcirco alibi dixit; *Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* Euangelica quippe doctrina omnibus congruit, incipientibus, proficientibus, & perfectis; & pastor omnibus, quod ad se spectat, se parē debet præstare. Porro sancti, & fideles vel non sunt distincti: qui enim sanctus est, & fidelis est, quia fides sanctificat, & purificat corda, & sancti fidem habent: vel sancti perfectiores sunt, qui in primis tribus huius epistolæ capitibus instruuntur tanquam perfecti, de altissimis dogmatibus: in reliquis tribus, vtpote facilioribus; & planioribus, fideles,

Vt eripuerit nos Christus de præsenti seculo nequam. *Ephes. 2. Ibidem.* Vnicuique fructus passionis Christi vnde constare poterit.

Quonam bona opera nostra spectare debeant exemplo Christi. *Chrysost. ibidem.*

Pauli charitas. *2. Cor. 5.*

Coloss. 1.

Euangelii amplitudo atque præstantia. *Act. 15.*

Epistolæ ad Galatas doctrinam vt partitur Apostolus.

Eadem quales lectores desideret.

deles, minus perfecti, discentes bonos mores, & quę faciunt ad sanctitatis, progressum; talesque debent esse omnes huius epistolæ lectores, qui fide dogmata videant, & vitæ sanctitate præceptis, quæ de moribus traduntur, respondeant. Etenim fides, & sanctitas præcipuus sunt epistolarum Pauli commentarius, quæque doctissimos, ac sapientissimos reddiderũt Patres omnes, qui illustres extiterunt in interpretandis sacris literis, vt Hieronymum, Chrysostomum, & Augustinum, & reliquos. Est autem sanctitas idem quod munditia, à verbo Græco ἅγιος id est, sine terra: vel à sanciendi verbo firmitas quædam, vt sit firma munditia, vel munda firmitas. Et gradus suos habet, supremum quidem, & qui soli Deo competit, est munditia aliena ab omni potentia, & materia, de qua Angeli, *Sanctus, sanctus, sanctus*, id est, Tersanctus, & alio loco, *Non est sanctus, vt est dominus.* Secundus gradus est eminentissima Christi sanctitas ob Deitatis hypostasin humanitati communicatam: de qua Angelus dixit, *Quod nascetur ex te sanctum*, in neutro genere, & substantiue, designans sanctitatem, quæ summa est: & Ecclesia ait, *Tu solus sanctus.* &c. Et Daniel vocat Messiam Sanctum sanctorum. Tertius gradus est sanctitas creata, communis omnibus creaturis, pro varietate tamen, & modo cuiusque. Omnis enim creatura bona est, & sanctificatur per verbum Dei, &, *Omnia munda mundis.* Sed primo loco Marię Deiparæ ab omni labe peccati, etiam originalis præseruatæ, & in sanctitate ab instanti conceptionis confirmatæ in omni officio virtutis ad finem vsque vitæ illi maxime competit. Secundo loco Angelis, & sanctis, qui nunc cum Christo regnant in cęlo. Tertio fuit communis Prophetis, & Ioanni Baptistæ, Apostolis, & Martyribus, & illustribus Confessoribus, qui dum viuerent, abundantiori gratia donati meruerunt pro plus assimilari Deo. Postremo est generalis omnium sanctitas, qui Baptismo & aliis Sacramentis iustificantur, & quotidie in ea progressus faciunt maiores, de qua Apostolus, *Charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Et Ioannes, *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Hæc autem, dum viuimus, non est perfecta, atque integra, nec in corpore, ob fomitis concupiscentiam, & mortalitatem; nec in animo, quia nondum est perfecta charitas foras mittẽs timorem, & quia per fidem, & non per spem ambulamus. Ac proinde neminem dum viuit, audemus vocare sanctum, nisi cũ peruenerit ad gloriæ æternæ portum, ac sanctæ, & inculpatæ vitæ certa & clara reliquerit testimonia. Electi autem sumus, vt simus sancti: vocamur non in immunditiam, sed in sanctificationem: iustificamur, vt sancti effecti, fructus sanctos bonorum operum edamus: denique flagellamur, vt ad viam sanctam, à qua forte declinauimus, redeamus.

Sanctitas quid sit, & vnde dicatur. Quotuplex sit.

Esai 6. *1 Reg.* 2. *Luc.* 1. *Dan* 9.

Createę sanctitatis quatuor gradus existunt.

1. Tit. 1. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

2. Cor. 7. *Apoc.* 22.

Qualis sit præsentis vitæ sanctitas, atque iustitia.

2. Cor. 5. *Ephes.* 1. *1. Thess.* 4.

In epistola ad Philippenses ita Paulus salutat: *Omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconibus.* Vbi aduerte Paulum ex humilitate, & charitate non dedignari admittere Timotheum in adiutorem epistolæ, quo illas virtutes nobis consectandas in exemplum proponat: humilitatem videlicet designatam in Paulo, & Dei honorem, & cultum in Timotheo adumbratum. At Apostolus dignitatem pro more suo in hac epistola non apposuit: non ea ratione, quod asciuerit in societatem Timotheum non Apostolum, vt in hoc loco scribit Caietanus, cum in priori ad Corinthios asciuerit Sosthenem fratrem, & in secunda ad eosdem Timotheum non Apostolum, & tamen Apostolatum suum non omisit: sed omissum est hic vt non necessarium, cum ex epistola colligi possit, omnes Philippenses morigeros se præstitisse doctrinæ Apostolicæ, nec aures præstitisse pseudoapostolis, nec vllo modo scandalum passos ob vincula Pauli: & tantum in hac, & in vtraque epistola ad Thessalonicenses ob eandem causam Apostolatum suum suppressit. Et subdit: *Omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis.* Qui enim in CHRISTO non est, nec sanctus esse potest: & qui in illo est, vt debet, sanctus erit, id est, mundus erit per fidem purificantem corda, & per charitatem, quæ sola legi Euangelicæ satisfacit. Sunt quidem aliqui suo iudicio sancti, vt Iudæi, de quibus, *Sancti eritis*, &c. & Gentiles plerique quorum opera sanctitatem præseferebant: sed vere non sunt, quia à vero fonte, id est, CHRISTO Iesu, qui mortuus est, vt nos sanctificaret, & faceret sectatores bonorum operum, sanctitatem non hauriunt. Tertio adiungit: *Cum Episcopis, & Diaconibus*, Chrysostomus scribit, *Quid hoc rei est, quod cum nusquam clero scribas, neque Romano, neque Corinthio, neque Ephesino, sed in genere omnibus sanctis, fidelibus, dilectis, hic clero scribit? Ipsi videlicet, & ad Paulum scripserant, & fructum tulerant, ipsi Epaphroditum ad eum miserant, id est, sumptus necessarios ad victum.* Et paulo ante: *Vnde & nunc plerique Episcopi scribunt, consenioři, & cõministro.* Sic ille. Episcopus hoc loco Presbyteros vocat: nam Act. 20. iidẽ ministri

Cur Paulus cum Timotheo scripserit ad Philippenses

Idem hoc loco, vt alias solet, se Apostolum non dixerit. Caietani sensus reiicitur.

Qui non sit, nec possit esse sanctus. *Act.* 15.

Quomodo sancti simus in Christo.

Leuit. 11. *Tit.* 2. Qui sibi videantur, nec sint tamen sancti.

Chrys. epist. ad Phil. 1. *serm.* 1 *anit. tom.* 5.

Phil. 4.

Per Episcopos hoc loco qoid sit accipiendũ Tit. 1.

stri Ecclesiæ Ephesinæ modo Episcopi, modo Presbyteri dicuntur: & ad Titum; *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros:* intelige Episcopos, quia mox sequitur: *O portet enim Episcopum sine crimine esse.* Nam & Petrus, & Ioannes in duabus postremis epi

Idem ibid. 2. Tim. 4.

stolis se Presbyteros, id est, Episcopos vocant. Imo etiam Episcopi, teste Chrysostomo hoc loco. Diaconi Christi dicebantur. Ac proinde Timotheo scribens, ait: *Ministerium* (Græce Diaconatum) *tuum imple*, cũ esset Episcopus. Ego autem puto, hoc loco

Vnde manifestum sit, Apostolũ hoc loco Diaconos ab Episcopis fecisse diuersos. Philippi qualis ciuitas.

distinguit Diaconos ab Episcopis; & ita cessat admiratio, quomodo in vna, & eadem Ecclesia plures esse possint Episcopi, quemadmodum & plures Diaconi. Nam in Ecclesia Ierosolymitana, sicut & in Romana, septem erant Diaconi: cuius ordinis primus dicebatur Archidiaconus; vt fuit Stephanus B. Iacobi, & Laurentius B. Sixti. Adde, quod Philippi prima ciuitas erat Macedoniæ, quæ colonos exteros recipiebat, & propterea quilibet Presbyter suam, quam nactus erat curabat nationem. vt habet Innocentius de officio ordinarii, cap. Quoniam in plerisque. Adhæc cum olim Apostoli in acquirendis Gentibus insudarunt, ordinabant prius, quos probabant viros idoneos ad hoc munus obeundum, si opus esset: aliquos ad propagandam fidem emittere: vnde quos creabant Sacerdotes, eosdem & ordinabant Episcopos. Vbi vero Ecclesia ampliata est, segregati sunt, qui munera Episcopalia exercebant, ab his, qui solum Sacer

Episcoporum quadruplex ordo.

dotis simplicis munere fungebantur. Et inter Episcopos constituti varii gradus erant. Nam sunt Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ: qui per maiorem, vel minorem iurisdictionis potestatem distinguũtur: at illud omnino ridiculum, quod ait

Presbyter quid proprie significet, contra Caluinum

Caluinus, nomen Presbyteri significare seniorem ætate, qui videlicet peruenit ad septuaginta annos, vt vere sit senior. Sed profecto si verum amamus, nomen Presbyteri non tam ætatis, quam gradus Ecclesiastici est nomen: cuius rei signum est, quod Petrus & Ioannes dicuntur Presbyteri: & Ti

3. Ioan.

motheus & Titus erant Presbyteri, ætate tamen adolescentes, sed moribus seniores

Iacob. vlt.

quemadmodum & Presbyteris Ecclesiæ sacræ vnctionis ministerium Iacobus committit. Et qui Presbyteri Ecclesiæ vocantur Act. 20. postea Episcopi nominantur. Et act. 15. Presbyteri cum Apostolis in Synodum generalem conuenerunt: & nomine eorum celebrata est Synodus, & missa epistola ad Antiochenses. Similiter & ridiculum est, quod dixit Caietanus, Diaconos

Diaconorũ officiũ quod nam esset, aduersus Caietanum.

fuisse viduarum mensæ præfectos, & non Episcoporum in sacrificio administros: quia Philippis non erant fidelibus omnia communia, vt in Ierusalem; & tamen erat Eucharistiæ sacrificium, & bona temporalia Episcoporum, quibus Diaconi œconomi præerant.

Actor. 4.

Quare Paulus in eadẽ epistola laicos, quam clericos prius nominauerit.

Adhæc dubium ex Pauli verbis consurgit, quomodo prius laicos, quam clerum salutauerit, cum maiori honore digni sint Episcopi, & ministri in Ecclesijs præfecti, quã populus, imo quam principes, & magnates seculi, & tamen posterius, ac veluti obiter cleri, & Episcopi meminit. Ambrosius in

1. solutio vera, ac solida.

huunc locum ita absoluit: *Cum Episcopis, & Diaconibus*, hoc est, cum Paulo, & Timotheo, qui vtique Episcopi erant; simul signi

Ambr. so. s.

ficauit & Diaconos, qui ministrabant eis: ad plebem enim scribit. Nam si Episcopis scriberet, & Diaconibus, ad personas eorum scriberet, & loci ipsius Episcopo scribendũ erat, non duobus, & tribus, sicut & ad Titũ, & Timotheum. Et ita præpositio, Cum, idem valet quod, Et, vt iungat fideles cum

Altera solutio minus idonea.

Episcopis. Alii vero volunt, Paulum sanctificans omnibus, qui sunt Philippis, hoc est Coepiscopis, & Diaconis scripsisse: ita vt non clero, sed populo sit epistola missa. Sed certe præstat Ambrosii sententia, quod populo hæc epistola scribatur, non clero: quia dixisset, Omnibus qui sunt Philippis. Rogabis, cur ergo pri' meminit plebis: Respondeo, id Paulum fecisse, vt indicaret, Episcopos esse propter Ecclesiam, non Ecclesiam propter Episcopos, vel ministros. Deinde decebat, populos prius salutari, & illis blandiri, propter quos sunt etiam illi ministri. Adhæc viri gaudere solent, quã do eorum sponsis, id est, infirmiori sexui

2. Cor. 12.

par, aut maior honor exhibetur, quam sibi & parentes filiis, & non sibi thesaurizantes gaudent præhonorari filios ab aliis Et Theodosius Imperator moleste tulit, Amphilochium Iconii Episcopum se adeuntem, quod filium eius Honorium præsentem nullo honore prosecutus fuerit. Postremo sicut nihil solidi colligitur ex prænominato Christo ante Deum Patrẽ, ita nec quod

Colossensium salutatio qualis sit.

prius nominetur populus, quam Episcopi, & Diaconi. ¶ Epistola ad Colos. quia nihil nouum, aut diuersum præferre videtur ab illis, quæ dedit Ephesinæ Ecclesiæ, nihil habet aliud obseruatione dignum. Ait enim: *Iis qui sunt Colossis sanctis & fidelibus fratribus in Christo Iesu*: In priori, & posteriori ad Thes-

Cur Paul' Thessalonicenses Ecclesiæ appellatione dignos censuerit.

salonicens. nihil aliud habetur, quam: *Ecclesia Thessalonicensium in Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.* Vbi Oecumenius annotat, Cum pauci essent, honorifico nomine vo-

Oecu. in. 1. & 2. ad Thessal.

cat ipsos Ecclesiam, quæ dictio multitudinis significatiua est. ¶ *In Deo, & Domino Iesu Christo.* Quia Græcorum congregationes erant & Iudæorum, hanc ab illis destermians, ait: *Quæ est in Deo Patre, & Domino Iesu Christo*, id est fide Patris, & Filij collectæ. Et teste Ambrosio, trium Apostolorum nomine literæ continent (quis videlicet hic est titulus: *Paulus, & Siluanus, & Timotheus*) sed sensus, & verba solius Apostoli sunt. ¶ In priori ad Timotheum ita salutat: *Dilecto filio in fide*. in posteriori, *Charissimo filio*. ¶ In illa ad Titum: *Tito dilecto filio secundum communem fidem*: quæ fere in idem recidunt. Est enim Timotheus, honorans Deum, siue honoratus à Deo, & illi pretiosus. Vocatur filius, non quod genuerit eum per Baptismum, (vt de Marco filio Petri illud: *Salutat vos Marcus filius meus*, intelligunt Patres) iam discipulus, & fidelis erat, antequam Paulo notus esset Actor. 16. sed quia discipulum se Apostoli dederat & illum præceptis alendum susceperat Apostolus. Nec enim minus debent discipuli magistris suis, quam filij parentibus: quia maius est esse sapientiæ, & eruditionis, quam esse naturæ præbere. Erat autem Timotheus tam vnanimis, vt nemo synceriori affectu ad iuuandas Ecclesias esset illi magis ad manum. Hinc crebro ad recens conuersos in Fide corroborandos mittebatur. Ait enim ad Corinthios: *Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu.* Et ad Philippenses iterum eum commendat, & in fine Epistolæ ad Hebræos. Tantoque honore dignum illum Apostolus iudicabat, vt sibi illum epistolas conscribenti adiungeret socium ad Corinthios, Philippenses, Colossenses, in vtraque ad Thessalonicenses, & in illa ad Philemonem. Fuit autem hic dilect⁹ in fide: quia dilectionis fundamentum est fides: etsi Græca vox habet γνησίῳ id est, legitimo, germano, & minime fucato filio: quales solent esse interdum filij erga parentes, vt Absalon erga Dauid, vel discipuli erga magistros, vt fuit Aristoteles erga Platonem, & Nero aduersus Senecam. Hunc etiam vocat filium charissimum in posteriori epistola: quia iuuenis erat, & quia discipulus cæteris prædilectus; & quia ab eo erat in Episcopum consecratus. Adde, quod in factis, & verbis eum vt verum filium tractabat: ipse vero magna dilectione, & reuerentia se habebat ad Paulum, vt verum parentem. Titum vero vocat dilectum, siue germanum filium, vt vox Græca indicat. Addit, *Secundum communem fidem*. Quod si voci filij adiungatur, sensum facit, Voco te filium meum, quia per Euangelium te genui, communicans tibi fidem, qua quisque noua quadam generatione Deo nascitur: in quo fide iam credis quod ego. Si vero cum verbo priori, id est, dilecto, connectatur, sensus esset, Dilectum te voco secundum communem fidē; quia nititur dilectio mea in communicatione æternorum bonorum quæ ipsa fides nobis demonstrat. ¶ Philemonem postremo ita salutat: *Paulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater Philemoni dilecto adiutori nostro, & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tua est.* Primo se vinctum Christi vocat, id est, pro Christo, vt citius ab eo impetret quę poscit. Addit Timotheum sociū epistolæ consalutantem, vt eiusdem gratiæ deprecatorem. Et quanquam ad vnum Philemonem sermo pertineat, mirum non est si ad alios verba salutationis extendant. Appia erat vxor Philemonis, quæ verisimiliter erat repugnatura, vt Theodoritus ait, nisi expresse nominaretur. Archippus erat eorum filius, & Episcopus Colossensium, quibus scribens ait; *Dicite Archippo. Vide ministerium quod accepisti in Domino, vt illud impleas.* Et ob illum vocat commilitonem suum, vbi eum inter Episcopos enumerat. Subiungit: *Et Ecclesiæ, quæ in domo tua est.* Quēadmodum Rom. 16. domesticam Ecclesiam Aquilæ, & Priscillæ salutat, quia domestici eius noti erant Paulo: sic etiam Philemonis domestici, apud quos Paul⁹ hospitatus erat & eius exemplis, doctrina, & præsentia eruditi pariter, & ad Christi viam consectādam accensi: & ob id eos cōfirmandi gratia nominauit, quò magis in fide roborarentur. Licetque hoc loco intueri, quam sit rationi consentaneum, virum sanctum & fidelem habere familiam credentem, & sanctitatem sectantem, vt præter hos duos ostendit exemplum Cornelij Centurionis Act. 10. nam religiosus erat, ac timens Deū cum omni domo sua. ¶ Quia vero epistola ad Hebræos salutationem non habet, nihil est, quod de ea dicamus. Illud tantum obserua, Apostolum ab eorum salutatione nō abstinuisse, eo quod eos pro excommunicatis haberet, & salutatione Apostolica indignos; quia epistola illa ad fideles ex Hebræa gente cōuersos conscripta est, sed ob alias causas, vt alibi diximus. Et hic sit finis præsentis disputationis.

(?)

Ambrosius Ibidem.

Quib. verbis Apostolus Timotheum Titumque salutauerit.

Timothei quid sonet.

Cur filius diceretur.

1 Pet. 5.

Act. 16.

Quam ille Paulo in alienæ salutis promouendæ negotio consentiret.

1. Cor. 4.

Quanti fieret ab eodem Apostolo.

Cur dilectus in fide

1. Reg 16. & Infra.

Idem cur filius charissimus appellaretur.

2. Tim 1.

1. Tim. 4.

Ibid.

Titus quomodo dilectus filius secundum communem fidem

Paulus ad Philemonem scribens, cur se vinctum nomine Christi Iesu vocet.

Cur sibi Timotheum adiunxerit in scribendo.

Quænam fuerit Appia, & cur eius Paul⁹ meminerit

Theodoret. par. 2.

Archippus quinam ille.

Colos. 4.

Eundem Paulus cōmilitonem suum cur nominet.

Rom. 16.

Idem domesticæ Ecclesiæ Philemonis cur meminerit in salutatione.

Act. 10.

Vnde constet, Paulū non, vt quidam arbitrantur, Hebræis, ad quos scribit, ob eorum indignitatē, non misisse salutem.

Disput. 4. huius libri.

DIPVTATIO IX.

De salutatione Apostolica, *Gratia vobis, & Pax à Deo Patre, & Domino nostro*, &c.

CIRCA salutationem, quæ communis est aliis Apostolis, atque B. Paulo, quæ habet: *Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo*: quædam sunt excutienda, & altius meditanda.

Quibus se verbis Apostolicæ salutationes absolui debeant.

Primo, quod cum in omni salutatione soleat apponi verbum, quo absoluatur oratio: tamen ex idiotismo Hebræa in hac salutatione supplendum est verbum substantiuum, est, vel sit, quemadmodum & apud Latinos suppletur. Legimus enim: Cicero Attico salutem & subaudiendum est, vel Dicit, vel, vel mittit, vel impertitur. Posset etiam in omnibus Pauli epistolis verbum suppleri, quo B. Petrus in vtraque sua epistola vtitur. Ait enim similiter salutans: *Gratia vobis, & pax multiplicetur*, vel adimpleatur, etiamsi Græce multiplicetur, dicatur: quemadmodum etiam in epistola Iudæ Apostoli habetur, nimirũ adimpleatur; cum sit eadem sit vox Græca, quæ significantior est, & non tantum impletionem diuinæ gratiæ, & pacis, sed etiam incrementum denotat. Epistola etiam omnium Apostolorum nomine missa ad omnes per vniuersum orbem credentes, (quæ cõstat octo libris Apostolicarum diataxeon) habet. *Gratia vobis, & pax ab omnipotente Deo per Dominum nostrum Iesum Christum abundet in cognitione ipsius*.

1 Pet. 1.
2. Pet. 1.
Iud. 1.
Clem. Rom. l. Constit. Apost. c. 1. in prin.

Qualis Apostoli salutationes Ecclesiarũ.

Deinde expendendum est Apostolum vniuersas Ecclesias, ad quas scribit, eodem modo salutare, sicut & Petrus fecit. & Ioannes in Apocalypsi: in epistolis tamen ad Ecclesiarum Antistites, vt in vtraque ad Timotheum, & in illa ad Titum tertium verbum adiunxisse, nempe misericordiam, hoc modo, Gratia, & misericordia, & pax saltem iuxta Græcam literam: atque hoc perpendit Augustin. in expositione inchoata epistolæ ad Rom. dicens, in hoc aperiri, & ostendi, non meritis operum priorum, sed secundum misericordiam Dei nobis dari Spiritum sanctum, vt peccatorum abolitio fiat, quibus seiungebamur à Deo; & reconciliatio, vt illi inhæreamus.

B. August.

Rupert. Tuit.

Idem Timot. & Tito scribens cur precetur illis misericordiã.

1. ratio.

Chrys. hom. 1. in Act. Apost. & 3.

Deinde Rupertus Tuitiensis in c. 1. Apocal. annotauit, quod misericordia Episcopis maxime sit necessaria, ob multa pericula, quæ illis imminent, & propter plurima, in quibus saltem per omissionem delinquunt. Tam graue siquidem est pondus, quod humeris suis impositum sustinent, vt tradat Chrysostomus, raros esse, qui ex Episcopis salui fiant. Adde etiam aliam causam, ob quam peculiariter precatur illis misericordiam.

Altera.

Multa enim sunt, quæ omnibus suis frequenter delinquentibus, & ex infirmitate, siue ignorantia peccantibus misericorditer condonare debent, cum penes ipsos sint claues regni cœlorum, & potestas remittendi, vel retinendi peccata, & locum Dei teneant.

Mat. 16. & Infra. 18.

Atque hæc est ratio, cur Dei Filius tertio labi, & abiurare Dominum suum permiserit Petrum; vt expertus diuinam misericordiam, & benignitatem, ad aliorum delicta condonanda esset propensior. Quoniam Deum Antistites imitari debent, cuius proprium est, misereri semper, & parcere. Et Petro specialiter dictum est, *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies*. Et in illo dictum esse omnibus Prælatis, & Pastoribus CHRISTI locum tenentibus, intelligimus.

Quoniam Dei cõsilio Petrus in trinam Christi negationem inciderit.

Infra. 26.

Supra 12.

Perpende etiam ordinem harum trium virtutum. Ponitur enim primo gratia, deinde misericordia, tertio pax: quia misericordia inter medium quoddam donum est inter illa duo extrema charismata, & cum gratia remittit peccata, & cum pace tollit supplicia peccato debita. At Iudas Apostolus in sua Catholica habet: *Misericordia vobis, & pax & charitas adimpleatur*. Vbi pro gratia charitatem posuit: multa siquidem docent, gratiam à charitate, aut reipsa non distingui, aut vnam ab altera nunquam diuelli.

Inter gratiã & pacem cur mediũ locum obtineat misericordia.

¶ Quod vero Iacobus Apostolus in sua Catholica loco salutationis tantum dicat: Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem; quasi more humano salutauerit, & minime Apostolico, vt annotauit Caietanus, vt propterea reiiciat illam epistolam, tanquam minus Canonicam, solidum non est. Constat enim Actorum 15. Apostolos, & seniores Ecclesiæ, literas dedisse ad eos qui erant Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratres ex Gentibus, & eodem modo tantum dixisse Salutem. Et vox salutis, qualẽ Iesus attulit, & suo nomine designauit, & gratiam, & misericordiam, & pacem complectitur.

Qua ratione Caietano leuissima ductus Iacobi epistolam dicat apocryphã.

Act. 15.

Matt. 1.

Luc. 2.

Act. 4.

Tertio perspice, quantum hæc Apostolica salutatio reliquas omnes salutandi rationes antecellat, quibus non solum Hebræi, sed & Græci, & Latini vti consueuerunt. Siquidem Latini precabantur salutem & felicitatem, quia ad corporea, & sensibilia huius mundi bona tantum aspirabant, & veram felicitatem, quæ in solius Dei conspectu, & fruitione consistit, ignorabant prorsus. Veram quoque animæ salutem non nouerant, quæ remissionem habet peccatorum coram Deo, & veras, ac solidas virtutes, & certam viam ad felicitatem adipi-

Qualis Romanorum salutatio.

Duplex eius defectus notatur.

adipiſcendam, nempe fidem, & Sacramenta complectitur: autorem etiam tanti boni, vnde hæc ad nos profecta ſunt, id eſt, mediatorem Dei Filium incognitum vel auditu habebant. At quæ hic haberi poteſt fœlicitas, & ſalus, tenuiſſima quædam vmbra eſt æternorum, & ſolidorum bonorum, quæ nobis à Deo promittuntur.

Ratio ſalutandi Græcorum qualis illa.

Horat l.1. epiſt.8. initio

Græci autem ſalutabant χαίρειν, vel εὐπράττειν, vel ὑγιαίνειν, id eſt gaudere, vel lætari, vel bene agere, vel valere. Et priorem illam ſalutationem χαίρειν, mutaſſe dicitur Plato in εὐπράττειν: de quibus Horatius in epiſtola:

Celſo gaudere, & bene rem gerere Albinouano Muſa rogata refert comiti ſcribæq; Neronis.

Huius quinque ſalutationis incommoda.

Primum.

Rom.14.

Supra 4.

Heb.11.

II.

III.

Poſt illas duas formas inducta eſt tertia illa ὑγιαίνειν, pro qua Latini dicunt, ſalutem. Verum vt has formas diſcutiamus, in primis ars bene operandi ad Dei gloriam, vt homo debet, ignota olim erat, & in ſola Chriſti ſchola addiſcitur. Nam certe quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt, id eſt, defectum aliquem habet. Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, vt docet Apoſtolus, habet gloriam, ſed non apud Deum quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Finis etiam vltimus æternæ vitæ, ad quem per opera collimandum eſt, incognitus erat. Modus præterea, quem honeſtæ actiones requirunt, vt ſcilicet propter ſeipſam virtus diligatur, vix ſine Dei gratia contingebat: quare non poterat bonum aliquod rectis circumſtantiis ornatum, ab homine puro, id eſt, ſine cognitione Dei proficiſci.

Pſal.13. Rom 3. Illud Prophetæ: Omnes declinauerũt &c. quomodo lo verum ſit.

Eſa.64.

Hinc Dauid, *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* Et reſpondet: *Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum non eſt vſque ad vnum.* Quæ ſententia veriſſima inuenitur, ſi homo in natura ſine gratia Dei, vel eius cognitione conſideretur: vnde Eſaias dixit; *Vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ* (id eſt, quæ à nuda hominis natura præſtari poſſunt) *quaſi pannus menſtruatæ.* Neque mirum eſſe debet, ſi tam imbecilla, & infirma eſſet hominis natura, & per peccatum Adæ corrupta: ſiquidem, non poteſt arbor mala bonos fructus facere, &, *Malus homo de malo theſauro cordis ſui profert mala.*

Matt.7.

Infra 12.

IV.

Gen.21.

V.

Adhæc ſic operantibus verum gaudium, & lætitia in hoc ſeculo non contingebat, quam ſolus Deus per ſeipſum animæ infundit.: atque hoc quã illu riſus noſter in Iſaac figuratus ignotus erat, & æterna Chriſti ſalus fide à nobis nõ apprehẽdebatur. Denique non erat vlla aut robuſta aut bona valetudo, cui tuto nid poſſet homo animo tãtopere langnẽte & infirmo, cum omnia creata illi inſidiẽtur ad eripiendum gaudium, & omnia bona illum fugiant, ac deficiant.

Hebræi quomodo ſalutarent.

Porro Hebræi ita ſalutare ſoliti erant: שלומלך Schalomlecha, id eſt, Pax tibi. Sed pacem externam, & temporalem, vt plurimum deprecabãtur; quæ modica erat & ſæpe pernicioſa, ſi ſine Dei gratia contingeret. Et talem pacem poſſidentes, peccandi commoditatem habebant: & in magno viuentes (ait Salomon) inſcitiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellabant.

Sap.14.

Apoſtoli ſalutationis dignitas, atque præſtãtia.

Ioan 3.

2.Petr.1.

Rom.6.

Verumenimuero hæc gratiæ, & pacis à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto precatio, vere non eſt Apoſtolica, & noua, & perfecta ſalutatio. Nam continet primum gratiæ donum, quo gratioſi, & grati coram Deo reddimur, & amici eius deſignamur, & filii Dei vt dixit dilectus, & vocamur, & ſumus, diuinæque naturæ conſortes efficimur: atq; hoc gratis conſecuti ſumus, nulloque noſtro merito. Nã iniuſte Deus nobiſcũ nõ egit qui peccatis noſtris eum irritauimus; & ideo indebitum obtulit gratiam, per quam candidamur ad gloriam; iuxta illud; *Gratia Dei, vita æterna.*

Vera pax quænam illa.

Adhæc iſta eſt illa ſuprema pax quæ maner nos in cœlis, cuius nunc arrham habemus, interiorem ſcilicet conſcientiæ patẽ, quia in Deo, & in omnibus eius ſecretis iudiciis, & perſecutionibus propter illum illatis, animo ſedato, & compoſito quieſcimus: vt non tantum illa, quæ in regno cœleſti expectatur, ſed etiam illa, quam nunc iuſtificati ex fide poſſidemus, omnem ſenſum, vt dixit Apoſtolus, exuperet.

Philip.4.

Quam pollicitus fuerat Apoſtolis Chriſtus duplicem pacem, quãdo præſtiterit.

Ioan.14.

Præſentis pro futuro tempore frequens vſus apud Hebræos.

Infra 20.

Ibid.

Gen.32.

Ibid.

2.Tim.2.

Eſai.57.

Quid illud Non eſt pax oſſib. meis.

Pſal.37.

Eſai 52.

Rom.10.

Nahum. 1.

Duplicem ſiquidem pacem obtulit Chriſtus: tũ cum proximus morti dixit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*; id eſt, relinquam, & dabo more Hebræo, quo præſens pro futuro poni ſolet: tum etiam cum ſuſcitatus à morte primo die perturbatis Apoſtolis pacem cordis obtulit, & ſecundam in octaua Reſurrectionis, præſente Thoma, precatus eſt illis, dicens, *Pax vobis.* Ita vt vnuſquiſque ex Iacob, id eſt, luctatore contra vitia, & peccata efficiatur Iſrael, hoc eſt, vir Deum facie ad faciem videns: non enim coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Pax itaque eſt reconciliatio cum Deo; quam merito gratia Dei præcedit; quia non eſt pax impiis, dicit Dominus, &, Non eſt pax oſſibus meis (id eſt, animæ facultatibus, quæ vt oſſa carnem ſuſtentant) à facie peccatorum meorum. Primum igitur donum gratia eſt, poſtremum pax. Primum illud tollit culpam, ſecundum tollit omnem pœnam. Recte igitur Chriſti Apoſtoli, & legati (de quibus ſcriptum eſt: *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacẽ, euangelizantium bona*: (Bona, id eſt

gra-

Quare Apostoli gratiam, & pacem fidelibus exoptarent. Prima rat.

gratiam, qua boni sumus) Gratiæ & pacis incrementum precamur: quia hæc sunt maxima Christi dona animum locupletantia, & nobilitantia: in hæc peculiariter diabolus pugnat, vt illa nobis eripiat; ac deprędetur, quia nouit, his armis nos fortissimos reddi, & omnes eius machinas, & impressiones posse euertere, ac demoliri.

Altera.

Congrue quoque Romanis altercantibus, & inter se tumultuantibus, multiplicem gratiam, & pacis abundantiam exoptat; quo illis conuenire possit illud Dauidis: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.*

Psal. 118. Qui Deũ minime diligant. Quam felix Christianorum conditio.

Qui enim accipiunt scandalum ab aliis, vel aliis sunt scandalo, minime diligunt Deum, neque pace eius perfruuntur. Ideo hoc dictum est ab Apostolo, vt agnoscerent Romani, quo in statu sint Christi cultores; nimirum in amicorum, & filiorum Dei conditione, in summa amicitia, & in arctissimo pacis vinculo cum Deo, & hominibus versantes.

Vnde hæc eadem munera diuina descendant secundum Apostolum.

Hæc autem precatur, *A Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo,* id est; à Patre, & Filio: quia omnia Dei dona ad nos descendunt ex Patre per Filium: vel Pater est origo, & fons donorum, Filius mediator, per quem obtinentur. Spiritus sanctus in ipsis donis intelligitur, quia sine illo ipso dari non consueuerunt, iuxta illud: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Rom. 5.

Cur Patrẽ, Deum, Filium, Dominum Paulus vocauerit.

Et nolli turbari lector, si Patri datur Deitas, & Filio dominatio: quia & Pater Dominus est, & Filius Iesus Deus est. Sed his vocibus prudenter vsus est Apostolus ad Hypostaseon diuinarum distinctionem indicandam, vt scite, & eleganter docuit Ambrosius. Et hic sit finis disputationis de Apostolica salutatione.

DISPVTATIO X.

In illa verba: *Non enim erubesco Euangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco.*

Huius sententiæ Pauli prima dubitatio.

POsset aliquis in hæc proposita verba obiicere, qua ratione Apostolus dicat, se non erubescere Euangelium; cum alio in loco in hoc ipso maxime glorietur? Ait enim epist. ad Galatas: *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri:* at Christi crucis prædicatio maxima pars Euangelii est.

Gal. 6.

Euangelii potissima pars quænam illa.

Adde, quod Iudæus olim in lege gloriabatur, in cuius persona dixit Dauid: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regũ, & nõ confundebar.*

Psal. 118.

Et in alio loco: *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.*

Psal. 147.

Secunda dubitatio.

Deinde cũ dicit: *Virtus Dei est in salutem omni credenti,* merito posset dubitari, quod etiam lex per Mosen lata à Deo, salutem, & vitam conferret: *Si vis,* inquit, *ad vitam ingredi, serua mandata,* non tantum Iudæis, sed etiam Gentibus, qui Presbyteri fiebant, & in contubernium Iudæorum asciscebantur.

Matth. 19. *Exod. 20.*

Hæc quo facilius dissoluamus, ea quæ prędedunt, excutiemus, & verum sensum explicabimus, ac propositas difficultates euacuabimus.

Eiusdem sententiæ, cursus cũ superioribus cohæret.

Prætermissa igitur salutatione Apostolica, cuius singulas partes superiori disputatione diligentius excussimus, Paulus ab eo principium scribendi sumit, quo Romanorũ animos sibi summe conciliaret, & attentos, ac beneuolos efficere posset, ostẽdens, quam serio pro eorum insigni fide, quę per vniuersum orbem annuntiabatur, Deo gratias ageret, quantoque studio pro illorum spirituali progressu, & salute preces ad Deum indesinẽter funderet, quo id, quod in eis Deus operari cœperat, perficeret, atq; confirmaret: adhæc quanto eos videndi desiderio teneretur, vt eis aliquod spirituale donum ministerio suo Euangelico impertiretur, ostẽdit, sciens gloriosius esse magis dare, quam accipere: non quidem de suo, qui nihil suũ agnoscebat, & qui dicebat: *Quid habes, quod non accepisti?* sed de eo, quod à Christo Domino acceperat, secundum Apostolicam Petri regulam: *Si quis loquitur; quasi sermones Dei. Si quis ministrat; tanquam ex virtute, quam administrat Deus.*

Rom. 1. *Ibidem.* *Ibidem.*

Cur aliquid gratiæ spiritualis Paulus Romanis optaret impertiri.

Act 20. *1. Cor. 4.* *1. Petr. 4.*

Quare ad confirmandum eos se dicat eam gratiam velle impertiri.

Cæterum ne Romani ægrius ferrent verbum illud: *vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis,* quasi prius Christi doctrinam non accepissent, protinus adiunxit: *Ad confirmandum vos;* Petri Apostolorũ principis doctrinam tenentes, vt interpretatur Theodorit. Non ergo nouam doctrinam, sed in semel susceptam confirmationẽ pollicetur, quo videlicet sui dogmatis conformitatem cũ illo Petri Apostoli, & aliorum ministrorum indicaret.

Rom. 1. *B Theodo. in c. Rom. 1. p. 2. init.*

Et ne voce confirmationis eos perturbaret, notam videlicet vacillantis, & fluctuantis animi illis impingendo, continuo, vt rem odiosam molliori, ac mitiori verbo temperaret, subiungit: *Id est, simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est,* &c.

Vnde vicissim se homines consolentur, animentque.

Oritur enim consolatio ex mutuo plurium consensu, & communione, in vnum & eũdem sensum, & fidem: vt videmus in condiscipulis, qui vnius magistri doctrinam sequuntur, & in militib. qui sub eodem Imperatore militant: & in viatoribus, qui vnam & eandem viam simul aggrediuntur: deniq; solet esse mutuum gaudium, & consolatio inter

Doctori Christiano, & auditori materiam sancti gaudij, & consolationis quæ præbeant. 2. Cor. 1 Eccle. 48.

ducentem & discentes. Gaudet etiam prædicator, dum in fertili agro se sementem verbi Dei serere animaduertit. Gaudet etiam discipulus, dum audit, Deum esse Patrem misericordiarum, & Deum totius cōsolationis, & Christum missum, vt consolaretus lugentes in Sion; & Spiritum, dictum Paracletum, vt possimus semper de eius consolatione gaudere; Sacramenta demū beneficia, & flagella, quibus affligitur Ecclesia, ad nouam gaudij, & consolationis materiam concipiendam adhiberi. ¶ Addit præterea: *Vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris Gentibus Græcis, ac Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum.*

Quid Græci apud Paulum sint.

Vbi primum Romanos latenter ad æmulationē prouocat ex fructu in alijs gentibus collecto; & doctrinam suam à fructu commendat: & per Græcos, intellige eos, qui literis, moribus, & legibus cultiores erant; ne, quasi magni, & sapientes putarēt, se Apostolo non indigere: quod Athenis præstiterat. Per barbaros vero intellige cæteras nationes legibus, & disciplinis incultas; ne rudes, & intractabiles desperarēt, se mitescere posse: quia ex Spiritus sancti copia facti sunt homines docibiles Dei. Quod fecis mitissimus Iesus, dum pardum & leonem cum hœdo, & lupum cum agno accubare fecit.

Act. 17. Quid barbari. Ioan. 6. Esai. 45. Ierem. 31. Esai. 11.

Horat. li. 1. epist. 1. paulo ante me.

Nemo (vt quidam Ethnicus dixit) *adeo ferus est, vt non mitescere possit*
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Non tantum Apostolus, sed etiam scriptores omnes profani, atq; adeo etiam Cicero, nationes omnes diuidunt in Græcos, & Barbaros. Nam Græci omnes alios à seipsis Barbaros vocabāt, etiam Latinos, adeo vt Plautus Latinam linguam barbaram vocet in Prologo Asinariæ, & Iosephus in proœmio librorum septem de Bello Iudaico, in principio, Iudæos suos, Barbaros nominat. Sapientes porro sunt, qui ingenio, & studio liberalium disciplinarum pollebāt: qui tamen ad ædificandam fidem magistro opus habebant, vt per eam vere saperent: quia audiens sapiens sapientior erit. Nam quæ fidei sunt, non nisi auditu verbi Dei disci possunt, vt idem Apostolus cap. 10. eiusdem epistolæ docet, cum ait: *Fides ex auditu, auditum autem per verbum Christi.* Insipientes autem eos vocat, qui nullis, vel literis, vel honestis disciplinis perpoliti erant, sed vt paruuli cibo lactis alendi erant. Et ne quis quæreret, quorsum hæc Apostolus desideraret, declarat Apostolicum sibi munus à Deo iniunctum, quo se ad omnibus euangelizandum adstrictum agnouit. Est enim Apostolatus officium, omnibus se debitorem agno scere, & sapientibus, & insipientibus, & magnis, & paruis: quare & extendere Euangelicum rete debent præcones Euangelici in capturam, & cum Paulo omnibus omnia fieri, dando more boni pastoris modo lac, modo solidum cibum. Et Origenes debitorem se fateri Apostolum ait, quod omnium Gentium linguis loqueretur. Et subdit: *Ita (quod in me) propositum est, & vobis, qui Romæ estis, euangelizare.* Vbi emphasim habet nominatio tantæ vrbis, quæ Hebræis excelsa, & sublimis, Græce robus, & fortitudo interpretatur. Et tacite eos inter sapientes mundi huius ponere videtur, quo sibi magis eorum gratiam conciliaret. Et vobis, inquit, qui omnium rerum potimini, omnibus leges perscribitis, & toti mundo Imperatores, Procōsules, præsidentes, ac procuratores ad administranda regna, & prouincias destinatis. Promptum est, ait euangelizare, quod id potissimum in mandatis haberet. *Væ,* inquit, *mihi est, si non Euangelizauero.* Cumque probe nosset, hilarem datorem Deum diligere; ostendit, quanti referat prompto, & alacri animo ministerium suum implere. Et potius subiungit verba, de quibus disputationem suscipimus: & epistolæ argumentū tacite, sed miro artificio ingreditur, dicens: *Non enim erubesco Euangelium, virtus enim Dei est, & in salutem omni credenti.* Vbi primum occulte paganos suggillare videtur: multa siquidē de dijs suis indigna, & turpia credebant; vt de Marte homicida, Vulcano adultero, fure Mercurio, & de Ioue pæderasta, & incestuoso, & similia multa, quæ aures honestas offendebant: Secundo, insinuat hic sermo, aliquos esse, qui prędicare Euangelium erubescerent: adeo, vt Paulus Timotheo scribat: *Noli erubescere testimonium Domini nostri, neq; me vinctum eius.* Continentur enim quædam in Euangelio, quæ prima facie pudore & erubescentia digna videntur, vt pote de Natiuitate Christi in præsepio, de paupertate, ita vt non haberet, vbi caput suum reclinaret, ac de ignominiosa in patibulo Crucis morte. Vnde ipse ad Corinthios ait: *Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis vero vocatis, Iudæis, atque Gentibus, Christū Dei virtutem, & sapientiam.* Præuidit etiam Dominus hūc falsum pudorem, & propterea suos confirmans, ait: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Constat præterea ex Euāgelicis literis, fuisse Nicodemū (cuius multi sunt imitatores) qui noctu venit ad Iesum,

Cic. de diuin. lib. 1.

Ioseph. de bello Iuda. Quid vero sapientes.

Prou. 1. Diuina Fidei Sacramēta quomodo percipiantur. Rom. 10. Quid insipientes Apostolo.

1. Cor. 3. Hebr. 5.

Munus Apostolicū quid postulet.

1. Cor. 9. Supra 3.

Origen. in c. 1 epist. ad Roman. circa med. par. 3. Infra. 14.

Romæ vrbis etymō Hebræum & Græcum quid sit.

1. Cor. 9.

2. Cor. 9.

Quam fœdi, infames, ac flagitiosi Romanorum dij ab illis haberentur.

2. Tim. 1 Cur Iudæis, atq; Gentibus Euangeliū Christi visum fuerit rubore dignum ac verecūdia. Luc. 2. Infra. 9. Cor. 1.

Luc. 9.

Ioan.3.

ne ab alijs conſpiceretur: quanquam poſt Ieſu mortem animatus effuſo eius ſanguine cum Ioſepho, qui introiuit audacter ad Pilatum, venerit ad vngendum corpus Ieſu.

Marc.15.

Prima ratio, ab ipſa hominis ratione, ſenſuque deprompta.

Si igitur ſenſum, aut humanam rationem conſulamus, planè quæ Chriſti ſunt, & Euangelij, aut ridicula, aut pudenda ſentiet. Quid enim vilius, aut contemptius, quàm filium fabri pendere in medio latronum cruci ſuffixum? Si dicas, illum à mortuis ſurrexiſſe, non propterea pudorem, aut confuſionem euades: quia res noua eſt reſurrectio, & inaudita à ſeculis, & audies cum Paulo Athenis illam prædicante: *Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator eſſe.*

Matth. 13.
Luc.23.
Act.17.

Secunda, à credendarum rerum nouitate.

Adhæc quid magis puerile, aut muliercu-lis, & ruſticis conuenientius, quàm credere, & rebus tam incredibilibus fidem adiungere? At Euangelium primum fidem exigit. Quid voluntati noſtræ durius, quàm non amore proſequi ea, quæ carni, & ſanguini fauent; & propter bona quædam inuiſa, quæ incognita, & incerta eſſe videntur, ea quæ ſub ſenſum bona cadunt, & amabilia ſunt, propenſioni noſtræ lenocinantur, reſpuere, atque repugnare? Ade, præcepta, & leges, quas nobis obſeruandas præſcripſit, impoſſibiles prorſus eſſe, & ſupra facultatem hominum poſitas.

Tertio, à difficultate legis Euangelicæ præſtandæ.

Denique ſectatores ſuos, quos ad pugnam cum dæmonibus, Iudæis, & Gentibus vocat, ad vitæ pericula, & acerba, & horrenda ſupplicia potius ſubeunda adhortatur, quàm, vt fidem Deo ſemel datam fallere audeant. Fuit etiam Euangelium erubeſcendum ex parte proponentium Apoſtolorum: quia pauci numero fuerunt, vtpote duodecim, lingua Galilæi, arte piſcatores, armis verò eloquentiæ, ac diſciplinis omnibus deſtituti, nihil politum, aut exculturm pronuntiantes. Augebatur hic pudor ex eo, quod coram Romanis, hoc eſt prudentiſſimis, & ſapientiſſimis viris eſſet ſibi de Euangelio agendum. ¶ His argumentis inferiùs commodiùs reſpōdebitur: modò Textum propoſitum proſequamur.

Quarta, ab Euangelicorum miniſtrorum vtilitate & paucitate.

Luc.6.
Matth 4.
Ioan.21.

¶ *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.*

1.Cor.1.

Quemadmodum cùm alio loco Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus antè ſtultitiam proponeret, protinus ſubiunxit: *Ipſis verò vocatis Iudæis, atque Gentibus; Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam*: ad eum modum cum hic dixiſſet de Euangelio erubeſcendum non eſſe, mox ſubdit, quòd ſit virtus, ſiue potentia, non hominis, ſed Dei, & non ad alios effectus corporeos, ſiue temporales, ſed in ſalutem æternam: & nō vni, aut alteri tantùm communicanda, ſed omni credenti. Et tamen cum ordine: quia Iudæo primùm, deinde Græco. ¶ In primis hoc loco breuiter definiri, ſiue deſcribi Euangelium videtur.

Quid Paulus per Euangeliū accipiat.

Eſt enim virtus Dei in ſalutem omni credenti. Cuius verbi duplex poteſt eſſe intellectus: alter, vt Euangelium ſumatur pro Euangelizata, id eſt, Chriſti, de quo dixit Angelus; *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit in omni populo: Quia natus eſt vobis hodie Saluator.* Eſt enim Chriſtus Dei virtus, iuxta illud: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, & *Prædicamus Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam.*

Primus ſenſus

Luc.2.
Supra 1.
1 Cor. 1.

Deinde eſt in ſalutem, vt ipſum nomen Ieſu præſefert, vt eius natiuitas, vita, dicta, & geſta, mors, & reſurrectio, doctrina, & ſigna teſtantur. Venit enim Chriſtus Ieſus in hunc mundum peccatores ſaluos facere: de qua Zacharias: *Erexit cornu ſalutis nobis*, id eſt, potentem ſalutem, ſiue ſalutiferam virtutem. Vt enim animalis corrigeri fortitudo, & robur ineſt cornui: ſimiliter & in Chriſto fuit fortitudo: & robur in exhibenda calamitoſo, & perdito mundo ſalute.

1 Tim 1.
Luc.1.

Quid ſit illud Zachariæ, Erexit cornu ſalutis nobis.

Eſt enim Chriſtus vt efficaciſſimum antidotum ſalutis cogitandus, qui omnes cum fide tangentes ſaluabat, ad omnes corporum, & animorum morbos propellendos, ſecundum illud: *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*: &, *Quotquot tangebant eum* (ſcilicet fide, vt oſtendit hæmorrhoyſſa) *ſalui fiebant.*

Infra 6.
Marc.6.

Quomodo tangamus Ieſum.

Tertiò, eſt in ſalutem omni credenti, id eſt, non priuata, aliqua, & particularis virtus, ſed vniuerſalis, & infinita: ad quam participandam exigitur fides, quæ non ſolum non eſt impoſſibilis, aut difficilis, ſed etiam homini facilis, & naturæ humanæ morboſæ, & indigenti accommodata, ſi ſe Deo ſubdat, vel ab eo eam petat; aut ſi tentatione aliqua retardetur, dicat cum Euangelico parente lunatici; Credo Domine: adiuua incredulitatem meam.

Infra 9.

Fides tria præſtat.

Deinde fides, morbum peccati nobis oſtendit, quo laboremus; & medicum Chriſtum Dei Filium à Patre miſſum, & qui de ſe dixit: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus.* Oſtendit præterea medicinam doctrinæ, & pœnitentiæ, & reliqua Sacramenta ſanctificationem operantia, velut certa ſalutis pharmaca, iuxta illud: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*: quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, Fides, & Baptiſmus efficax ad ſanandum, medicina, ſi tamen rectè percipiatur.

Matth 9.
Marc.16.

Simile.

Nam ſi in morbis inuoluntariè accerſitis opus eſt ſpontanea medicinæ ſumptione: quanto magis id erit neceſſarium in morbis ſpiritualibus propria voluntate, & ſponte contractis? Indicat etiam, locum ſalutis eſſe Dei Eccleſiā, extra quam poſſunt quidem eſſe,

Vbi tantùm pro ſint Sacramenta, illa percipientib. teſte Auguſtino.

ſed

August. lib. 4 contra Donatist. ca. 1. inst. & sæpè alibi tom 7.

sed non prodesse Sacramenta; vt magnus docuit Augustinus. Docet etiam, quomodò quisque in sanitate parta, se seruare debeat, nimirum bonorum operum studio, & institiæ, & charitatis actionibus ad proximum.

Secundus sensus.

Alter sensus est: vt per Euangelium doctrinam Euangelicam viua voce à Christo, & ab Apostolis prędicatam accipiamus, deinde etiam Euangelicis literis, & Apostolorum epistolis scripto consignatam, & quam Paulus inter Romanos disseminare cupiebat. Cuius vim vt melius intelligas, cogita, humanam esse sapientiam per homines inuentam, quæ nec hominis morbum, nec eius extinctionem docebat; imò potiùs morbum spiritus inducebat, & suis dogmatis, ac placitis augebat, & superbiam nutriebat: homines tamen eam non solum nō erubescebant, sed & in eadem gloriabātur, vt Philosophi, Platonici, Peripatetici, Stoici, Epicurei, & alij quàmplurimi: & ideò non pudebat eos de doctrina eorum, quos vt duces sectabātur. Vt Lucianus homo impius, Epicteti lucernam magna pecuniæ summa sibi cōparauerit, atq; hoc magnę gloriæ, & honori ducebat.

Humana olim sapiētia quam ad præstandam hominibus salutem inefficax, & infirma.

Moysi Lex, siue doctrina qualem tantū vium præstiterit.

Deinde fuit Mosis doctrina, quę quidem virtus Dei fuit; non tamen in salutem, sed in cognitionem tùm Dei, tùm morbi, etsi per accidens, peccati augendi extiterit occasio, iuxta illa, quæ alibi tradit: *Virtus verò peccati, Lex*: & *Lex subintrauit, vt abundaret delictum*. Et tamen eius ministratio fuit in gloria, & in ea gloriabantur, dicentes: *Notus in Iudæa Deus Israel magnum nomen eius*; & : *Non fecit taliter omni nationi*. Et cap. 2. Paulus ait: *Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in Lege, & gloriaris in Deo*. ¶ Accedat tertio loco Euangelica doctrina, quæ virtus Dei est, in salutem omni credenti. Hæc enim Christi verbis cōstat, quibus depulsio maximi mali, hoc est, iræ Dei, peccati, & æternæ mortis annuntiatur; & adeptio summi boni, id est, reconciliatio cum Deo, & amicitia, iustificatio, adoptio filiorum, æterna, & fœlicissima vita prædicatur: atque hoc per modum quendam, summa sapientia, & virtute diuina nos alliciente refertum, hoc est, per filij Dei ad nos aduentum, eius vitam, mortem, & ad immortalem vitam reditum. Est itaque in Christi verbis diuina virtus, quia ille Deus erat: & in verbis administrandi baptismum reliquit vim regenerandi, & aquis suo baptismo contulit sanctificandi facultatem: & in Eucharistiæ verbis conficiendæ, ac transubstantiandæ, virtutem: In Pœnitentia, potestatem reconciliandi, sicut in Confirmatione, corroborandi. Et ita

Roman. 3.
1. Cor. 15. Rom. 5. 2. Cor. 3. Psal 75. Psalm 147. Roma. 2.

Euangelium quam verè, & propriè sit, & dicatur virtus Dei in salutē omni credenti.

Prima ratio.

Ioan 3. Matth. 3.

de reliquis Sacramentis. ¶ Constituit præterea in prædicatione Apostolica vim illuminandi mundum, & de tenebris educendi, imò & seruandi, secundùm: illud: *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras*. Et Petrus hanc vim Euangelij agnoscens, dicebat: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes*. Habebat prætereà prædicatio virtutem Dei in salutem, quia signis magnis, & prodigijs quæcunque ab eis euangelizarentur, confirmabantur. Nec tantùm erat virtus in salutem animorum, quos à peccatis sanctificabant, & iustificabant; sed etiam corporum, suscitando à morte iam defunctos, & morbosis sanitates conferendo, & dæmones de corporibus expellendo. Sed hic sensus cum priori minimè repugnat, sed in vnum & idem recedere videtur. ¶ Quartò, cum ordine exhibetur hæc salus: *Iudæo primùm, & Græco*. Vbi etiam Iudæorum captat beneuolentiam, ne cogitent, Apostolum ex odio priuato contra eos loqui, aut eum æquare sibi Gentiles, aut supprimere veritatem, qua illorum prærogatiuæ deteguntur. Nā verè hic ordo erat à Deo præstitutus, vt præcederet Iudæus: nam & ipse Christus minister circumcisionis fuit prædicando, & signa inter eos edendo. Deinde dignitate præcellebat Iudæus, quia ex illis Christus ortus erat. Hinc Samaritanæ dixit: *Salus ex Iudæis est*, id est, Christus Iudæis promissus, & ex iustitia exhibitus. Adhæc illi spiritus gratia, & copia superiores Gentibus exstiterunt; at Gentes secundo loco, & per Apostolos, & gratis, & ex misericordia, & non ex vlla iustitia vocatæ sunt. Et vt ipsemet Apostolus in hac epistola testatur, in occasionem incredulitatis Iudæorum insertæ sunt, vt oleaster in oliuam bonam. Iudæo itaque repellente Euangelium, Iacob ætate minor prælectus est, & primogenituram Esau surripuit, vt insinuat Ioannes, cùm ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. ¶ Gentilem autem hoc loco Græcum vocat. Gentilium enim sapientia à Græcis orta est: & post Iudæos, qui primi ex Gentibus crediderunt, Græci extiterunt, vt constat ex Antiochia Syriæ Actor. 11. Idcircò & prius Græca lingua scriptum est Euangelium, quàm Latina; quia Latini posteriores sunt. ¶ Cauendum verò summopere est, ne de re tam salutifera, & gloriosa, qualis est euangelium Christi, erubescamus vnquam, & ne diuina virtus in salutem nostram instituta, incredulitatis vitio in ruinam, & in perditionem sempiternam nobis vertatur: quemadmodùm plerisque accidit, qui aut non crediderunt,

Secunda ratio.

Iacob. 1.

Ioan. 6.

Tertia ratio.

Iudæum Paulus Gentili cur præferat.

Ratio prima. *Rom. 15.*

Secunda.

Ioan 4.

Tertia.

Rom. 11.

Act. 13. Genes. 25.

Rom 9. Ioan. 1.

Græcus quid sit Paulo.

Act. 11.

Euangelium verecundantes quid assequatur [illegible]

derunt, aut Fidei morigeros, & obſequentes non ſe præſtiterunt, vt mali, & perfidi Chriſtiani; aut Fidem, aut mores ſimul corruperunt, vt hæretici. ¶ Quod primo obiectum fuit ex Apoſtolo, quod alibi in cruce Domini Ieſu glorietur: non repugnat, quia agebat cum Galatis, qui iam fidem apprehenderant, & glorioſam, & diuinam agnouerant: at cum Romanis recens conuerſis non erant omnia ſimul effundenda, maxime ſi eorum capaces non eſſent. Et ſatis rationis ductu colligitur, quod qui euangelizat CHRISTVM pro hominibus mortuum, non ſolum non pudeſit, ſed etiam gloriatur.

Primi dub. ſol.

Quomodo non erubeſcit Euangelium Paulus, qui in eo alibi gloriatur.

Quod vero Iudæus in Lege gloriaretur, & Dauid coram Regibus non confunderetur profiteri teſtimonia Dei; non arguit omnimodam perfectionem, & parem Legis cum Euangelio, ſed quod illi vt paruuli, magni beneficii loco Legem Moyſis ducerẽt; & tale vt ipſi præ aliis nationibus gloriari poſſent. Eſt enim exultatio, & gloriatio, quædam quidem paruulorum, quæ Iudæis competit; & quædam virorum, quæ perfectionem habet, qualis eſt Chriſtianorum.

Eiuſdem qualis extiterit in leg. gloriatio.

¶ Quod vero ſecundo loco obiicitur, quod Lex obſeruata à Iudæis, ſiue gentilibus proſelytis vitam præſtaret: prudenter eſt accipiendum. Lex ſiquidem Moyſis vitam æternam non agnoſcebat, neque eam promittebat, ſed tantum ſalutem corporalem, & vitam præſentem cum proſperitate cõiunctam. Nam de præceptis Legis dictum eſt: *Quæ fecerit homo viuet in eis.* Si vero quiſquam ex Iudæis ſpiritu fidei, & gratia Chriſti Legem ſeruaſſet, iam ille non ad Vetus, ſed ad Nouum Teſtamentum ſpectabat; & de illo intelligitur verbum Domini: *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* Et in Euangelio Legiſperito Dominum percunctanti: *Quid faciendo, vitam æternam poßidebo?* & productis ab eo præceptis diligẽdi Deũ, & Proximum, Dominus reſpondit: *Hoc fac, & viues* Non dixit, Viues in illis, vt alibi, ſed ſimpliciter, Viues vitam æternam poſſidendo, de qua interrogauerat: ſed præcepta vtriuſque dilectionis ſine Dei gratia perficere nemo poterat.

II. dubii ſol.

Lex quatenus Iudæis & proſelytis fuerit ſalutaris.
Leuit. 18.
Ezech. 20.
Rom. 10.
Eam in ſpiritu olim obſeruantes, & fide Meſſiæ, ſpectarunt potius ad nouam legẽ, & Euangelicam.
Luc. 10.
Deut. 6.
Leuit. 19.
Luc. 10.

¶ Tertio loco, id quod obiectum fuit in ponderandis illis verbis: *Non enim erubeſco Euangelium*, ſolutum eſt. Et breuiter ſub illa humilitate, & vtilitate Chriſti pendentis in cruce, explicandæ ſunt, & euoluendæ Diuinitatis opes, & ſapientiæ, & bonitatis Dei theſauri deliteſcentes. Et ita euaneſcit argumentum. Nam erat Deus & homo, viator & comprehenſor, innocentiſſimus, & omnium peccatorum ſua ſponte ad luendum reus.

Rationes infidelium contra Euangelium diluuntur. propoſitæ

I. rationis ſol.

Deinde non eſt quid nouum, aut recens factum, ſed antiquiſſimum, & Prophetis veteribus prædictum. Ita n. dixit initio: *Segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis.* Adhæc prudentiæ ſummæ fuit, vt à fide rei tam deſpicabilis, & fere incredibilis ſalus omniũ noſtrum penderet, quo minus noſtra aut aliorum ſapientia ſeruari nos intelligamus. Et vt recte idem Apoſtolus, alio loco dixit: *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes;* & infra: *Vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum* (quæ volubilis eſt, & incerta) *ſed in virtute Dei*, quo nos certius capiamus fidei noſtræ ineſſe vim diuinam, & nõ per propriam virtutem ſeruari.

Rom. 1.

Solutio II. rationis.

1. *Cor.* 1.
Qualis ſit humana ſapientia.

¶ Quod vero amore proſequi iubeamur, quæ ſenſus abhorret, & humanus affectus abominatur; vt inimicos, paupertatem colere, tribulationes, & flagella pro Chriſto ſubire, atque vt ea opera, quæ ſupra humanas vires ſunt poſita, perficiamus, & ea, quæ ferre homines ſolent, pro fide Chriſti conſeruanda perpetiamur; plane arguunt Diuinæ nos niti potentiæ, & gratiæ, & nihil terrenum, aut carnale ſapere, ſed ad ſpiritualia, & æterna bona, quæ ſupra omnem captum hominum ſunt, prorſus aſpirare. Et ita veriſſimum redditur, Euangelium eſſe virtutem in ſalutẽ omni credẽti.

III. rationis ſol.

¶ Quod vero Euangelizantes tales eſſent ex ſeipſis, & tanta ob Euangelium ferrent; qui tamen & irreprehenſa vita, & cœleſti doctrina, & ſignis admirandis quæ edebant, doctrinam ſuam corroborabant: id factum eſt, ne quiſquam credentium de Euangelio à Deo, ad nos miſſo ambigeret. Romæ etiam Paulus Euangelium non erubeſcit euangelizare, etiamſi nihil humile, aut vulgare Romani ſaperent, aut aliud audire dignarentur, niſi quod de media philoſophia depromptum eſſet, omnique eloquentiæ ſplendore perornatum. Sed vis diuina hæc oĩa ſuperauit. Et licet Romani in deos referre nollent, niſi homines victoriis illuſtribus, & triumphis clariſſimos, vt Iouem, Herculem, Romulum, & id genus alios Indigetes, & penates deos: tamen hos omnes, Chriſti in patibulo ſuffixi virtus, vt ridiculos, & confictos deos, de ſedibus ſuis eliminauit, atque eorũ delubra ſeruis ſuis Apoſtolis, & Martyribus dedicauit, & continuis ſignis ad eorum baſilicas, & reliquias ad aliorum ſalutem illuſtrari voluit, vt plane agnoſceres Euangelium virtutem Dei eſſe ad ſalutem omni credenti. Et de his hæc ſatis.

IV. ſolutio

Romani tantum diuinis, quos dignarentur honoribus.

(:)

DISPVTATIO XI.

In Pauli verba : *Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus autem ex fide viuit.*

I. dub. De qua iustitia hic Paulus loquatur.

SVb obscura videri posset hæc Pauli sententia. Nam aut sermo est de Dei vindice iustitia; atque hæc ante Euangelium satis in veteri Testamento & verbis, & exemplis fuit expressa: *Iustus*, inquit, *Dominus*, *& iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.*

Psal. 10.

Eam ostendit in primo hominis peccato, & omnium parentis, & pastorum morte punito: in peccato illo, quo omnis caro corruperat viam suam, per diluuium vindicato: in pœnis, quas dedit pro peccato suo nefando Pentapolis, & in aliis similibus, quæ frequentia sunt in Scripturis.

Gen 3. Rom 5. & seq. Gen 6. Infra. 19.

Si autem iustitia sit ipse Christus, qui factus est nobis sapientia, & iustitia, teste Paulo, non potest dici in Euangelio reuelatus, cum apud Prophetas, sub illo nomine sæpe sit indicatus.

1. Cor. 1.

Ait enim Esaias: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Iustum.* Et ibi f. a. *Iustitia oriatur simul.* Et Ieremias: *Hoc est*, inquit, *nomen, quod vocabunt eũ, Dominus iustus noster*: vbi Hebræa habent: *Iehouah iustitia nostra.* Daniel quoque vocat illum iustitiam sempiternam.

Esai 45. Ibid. Ierem. 23. Dan. 9.

Si autem per iustitiam intelligas illam, qua nos DEVS iustos coram se facit, & quæ ex fide consurgit; hæc etiam olim non fuit ignota. Nam de ea dictum est: *Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam.* & Habacuc: *Iustus in fide sua viuet.*

Gen. 15. Habacuc. 2.

II. In quo testimonio hoc loco producto dubium est: quoniam non ita habent aut Hebræorum fontes; aut Septuaginta virorum interpretatio. Et de futuro habetur, Viuet, non, Viuit.

III. Dubitatur etiã, an satis ad rem hunc locum produxerit Apostolus: quia videtur potius ad spem spectare hic locus, quam ad fidem, de qua sermo est.

¶ Ad huius loci rectam intelligentiam proponemus in primis horum verborum cum proximis & præcedentibus connexionem: deinde producemus varios sensus, & quis inter illos præstet, indicabimus: tertio loco testimonium Propheticum exactius discutietur: Postremo, qua ratione hoc loco abutantur hæretici, indicandum est.

Huius sententiæ cũ præcedenti duplex continuatio. Rom. 1.

Vt igitur primum de connexione loquamur, particula, Enim, aperte docet, Apostolum his verbis comprobare, quæ præcedũt nimirum, Euangelium esse virtutem Dei in salutem omni credenti. Quia enim virtus Dei in salutem, est Dei iustitia, quæ apprehenditur per fidem, non apprehenditur autem, nisi fuerit reuelata; at maxime in Euangelio detegitur: ergo iustitia Dei est virtus in salutem; Subtilius ita connecti posset. Quod enim Euangelium sit virtus Dei in salutem omni credenti, probatur: nam in Euangelio iustitia, qua coram Deo iusti sumus, detegitur acquirenda ex fide in fidem tam Iudæo, quam Græco: at talis iustitia salutem animæ, & corporis adducit, & per eius defectum, siue ablationẽ sauciata, & infirmata erat & corpore & spiritu humana natura.

Iam secundo loco proponendi varii sensus. Primus igitur Origenis est, & Amb. & aliorum, qui eos sectãtur Iustitiam Dei hoc loco accipiendam pro illa, qua Deus ipse iustus est, & fidelis in suis promissionibus, secundum illud: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis; & sanctus in omnibus operibus suis.*

Primus sẽsus huius loci. Orig. l. 1 in epist. ad Rõ. à medio, to 2. Amb. ibi. c. seu § 3. sub fi to. 3. à med. Psal 144.

In Euangelio siquidem detegitur iustitia Dei: qua ipse fidelis est, & iustus & reuelatur ex fide Dei promittentis in fidem hominis recipientis. Ita enim fides accipitur apud Latinos. Dat enim fidem, qui promittit, & accipit fidem ille, cui fit promissio, iuxta illud:

Latinis quid fides significet.

Accipe, daq; fidem.

Virgil. 7. Æneid.

Et comprobant testimonio Apostoli c. 3. huius epistolæ: *Nunquid*, inquit, *incredulitas eorum fidem Dei euacuauit?* Fidem vocat, fidelitatem, & in promissis constantiam. Posse que hic sensus ex subsequentibus confirmari, quia subiungit: *Reuelatur enim ira Dei de cælo*: vt sicut præcedenti verbo locutus est de iustitia fidelitatis diuinæ, ita in sequentibus de iustitia Dei, qua peccata vindicat, quæ ita dicitur.

Rom. 3.

Verum hic sensus etsi bonus, & Catholicus sit, & propter autores grauissimos sustineri possit: nonnulla tamen non parui momenti occurrunt.

Cur minime probetur.

I. Ratio. Et primum quidem, quod iustitia Dei in his disputationibus Pauli, vt magnus annotauit Augustinus, pro dono inhærentis gratiæ, quo coram Deo iusti efficimur, accipi deberet, ex eo ostenditur, quod August. libro de Spiritu & litera, producto hoc loco Pauli, de quo disputauimus, subdit: *Hæc est iustitia Dei, quæ in Testamento veteri velata, in Nouo reuelatur: quæ ideo iustitia Dei dicitur, quod impertiendo eam iustos facit: sicut Domini est salus, qua saluos facit: & hæc est fides, ex qua, & in qua reuelatur, ex fide scilicet annunciantium, in fidem obedientium: qua fide IESV Christi, id est, quam nobis contulit Christus, credimus ex Deo nobis esse, plenius que futurum esse, quod iuste viuimus.* Hæc ille.

Aug lib. de Spiri. & litera. c. 11. in fi to. 3. procul à med. Ps. 3.

Et paulo ante tractans illam sententiam: *Iustitia Dei manifesta est.* Non (inquit), *dixit Iustitia hominis, vel, Iustitia propriæ voluntatis; sed, Iustitia DEI, non qua DEVS iustus est, sed qua induit hominem, cum iustificat impium.* Hæc ille, annotans in diuersis locis eodem modo esse accipiendas illas locu-

Idem c. 9. eiusdem lib. sub init. Rom. 3. Infra 4.

II. ratio.

locutiones, fides Dei, & fides Chriſti; charitas Dei, & gratia Dei, & ſalus Dei. Deinde in hoc ſenſu aliter accipit Origenes iuſtitiã Dei, & aliter Ambroſius. Nam prior pro ea accipit iuſtitia, qua vnicuique reddit iuxta opera ſua; poſterior vero pro illa, qua Deus fidelis dicitur in promiſſis. Adhæc vtraque hæc iuſtitia ſatis oſtenditur in Lege, in qua non ſolum Devs promiſſiones ſuas præſtabat, dando terram promiſſam Iudæis, ſed etiam illam, qua reddit iuxta opera ſua, cum multa ſupplicia peccatoribus inflixiſſe legatur. Nec ſatis videtur ad propoſitum probandi Euangelium eſſe virtutem Dei in ſalutem, oſtendere, quod in ea reuelatur, iuſtus Deus, reddens cuique iuxta opera ſua, aut quod fidelis ſit in promiſſis ſuis. Quid enim nobis reddet iuxta opera noſtra, ſi præuaricatores Legis, & peccatores grauiſſimi extiterimus? vt in ſequentibus conſtat, aut quid ad rem, ſi Deus eſt fidelis in promiſſis, ſi nos non præſtitimus ea, quæ præſtanda erant, vt promiſſiones conſequeremur? Sed ad rem magis erat, quod in Euangelio detegitur iuſtitia Dei, id eſt, donum, quo ex fide coram Deo iuſti reddimur, & per conſequens ſalutem æternam adipiſcimur. Ita enim Euangelium probatur virtutem Dei eſſe in ſalutem omni credenti. Non diſſimulabo etiam, illud, quod in illo ſenſu, ex fide in fidem, id eſt, ex fidelitate Dei in fidem qua à nobis accipitur non eſſe ferendum, quod homonyme, ſiue æquiuoce eadem fidei voce vtatur in eadem ſententia: ſecus in diuerſis contextibus, vt ex capite tertio ad Romanos ad fidem Dei infidelitatem vocauit.

Non eodẽ modo Origenes, quo Ambroſi⁹ iuſtitiam Dei intelligit.

Rom. 1.

III.

A'ter ſenſ⁹ verus, atq; germanus.

¶ Secundo loco alii interpretantur hunc locum de Chriſto, qui iuſtitia Dei eſt, & à nobis, vt iuſtitia Dei fide apprehenditur, & iuſtitia noſtra appellatur in veteri & nouo Teſtamento. Et olim erat hæc iuſtitia in Lege velata, promiſſa & adumbrata; in Euangelio vero detecta, & exhibita. Et hæc eſt virtus Dei, in ſalutem omni credenti. Hic ſenſus, quem attingit Rupertus Tuitienſis, Catholicus eſt, verbis mirifice quadrãs & ad probandum id, quod erat aſſumptum valde congruus. Tertius vero ſenſus, & qui ab iſto ſecundo reipſa non diſtinguitur, eſt ille, quem produximus ex Auguſtino; vt iuſtitiam accipiamus pro dono iuſtitiæ inhærentis, qua meritis Chriſti iuſti reddimur coram Deo. Et comprobatur ex aliis Apoſtoli locis. Nam ad Romanos tertio dicitur: *Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum.* Et ad Roman. 10. *Ignorantes iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere; iuſtitia Dei non ſunt ſubiecti.* Item ad Philippenſes tertio: *Vt & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex Lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide.* Vbi vides, in his locis iuſtitiam Dei pro eiuſmodi dono Dei accipi, quod ex fide Chriſti percipitur. Neque ignota fuit Græcis hæc acceptio iuſtitiæ: nã Chryſoſtomus, & Theophylactus, Theodoritus ita vocem hanc accipiũt. Habet enim poſtremus: Dicit autem Dei iuſtitiam reuelari per Euangelium, non ſolum, quæ nobis ſuppeditatur, ſed & quæ in ipſo diſpenſationis myſterio aperte oſtenditur. Et hoc ſatis ſit ſemel annotaſſe, ne opus ſit eadem repetere.

Rupert. Tuitienſis.

III. ſenſus.

Rom. 3.

Infra 10.

Philip. 3.

Chryſo. ſer. 2. in epiſt. ad Roman à med. 10. 4 in princ. Theophyl. Theodorit. par. 2. init.

Quidnam ſit quæ oritur ex fide iuſtitia. Tria præſtat.

Iam amplius inueſtigandum eſt, quale ſit hoc donum, & qualis iſta iuſtitia, quæ ex fide conſurgit. Et breuiter pro loci huius ratione dicendum (quod latius alibi explicabitur) nihil aliud eſſe, quam donum charitatis, qua vna iuſtus eſt (teſte Auguſtino) quicunque iuſtus eſt; & ſine qua etiam cũ omnibus aliis donis nihil ſumus corã Deo vt Apoſtolus docet. Adhæc per donum omnibus debita reddimus: quia plenitudo Legis, eſt dilectio. Per hanc remiſſis peccatis iuſti ſumus coram Deo, adoptamur in filios, vim præſtandi Legem, & denique ius, & titulum ad vitam æternam adipiſcendã habemus. Chriſtus igitur & charitas iſta in Euangelio reuelatur, id eſt, ſine velo oſtẽditur: qui quidem in lege figuris & vmbris tectus erat. Atque hæc iuſtitia detegitur ex fide; non ex opinione ambigua, neque ex ſciẽtia, quia pauci ad eam poſſent peruenire; & verbo Dei non nititur; & quæ ſecundũ Paulum inflat, & more legis iram operatur ſed ex fide, quæ nititur firmiſſimo fundamento verbi Dei, & ſuauis eſt homini, atq; accommodata, & quæ communis eſt omnib. tam paruulis, quam magnis, & rudibus & ſapientibus. Et quia voluntaria eſt, ſine merito aliquo non eſt, vt docet Auguſtinus. Et in qua varii fuerunt gradus iuxta varium eius obiectum. Nam in Lege Naturæ Gentes implicita fide credebãt. Quia Deus eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit: in qua fide inuolute continebatur Chriſtus, vt docet B. Thomas. Deinde ſecuta eſt fides Iudæorum de Chriſto venturo. Denique ſecutus eſt ſtatus Euangelicus, in quo explicitiſſima fides de Chriſto iam exhibito tradita eſt: & vt fides legis naturę & Iudæorum ceſſit noſtræ tanquam imperfecta perfectæ: ita etiam hæc noſtra fides cedet perfectiſſimæ viſioni in patria. Et reuelatur q̃dẽ toti mũdo, & cuiuis animæ ex parte iuſtitię ſec⁹, ſi quis velit illi oculos claudere. Quoniam .n. ita natura comparatũ eſt, vt recẽti

Auguſt.

1. Cor. 13. Rom. 13.

Illa cur dicatur ex fide reuelari.

1. Cor. 8. Rom. 4.

Fidei fundamentũ eſt verbũ Dei.

Idem.

Hæc fidei iuſtitia qualis in Lege naturæ, qualis in Lege naturæ, qualis in Moſaica qualis demum fuerit in Euangelica.

Hebr. 11. B Tho. in c. 11. epiſt. ad Hebræ. lect. 2. circa fi. (& ſæpe alibi) ca. 16 ſub fin.

Hæc eadẽ iuſtitia quatenus innoteſcat omnibus hominibus.

reuelatione incalescamus, & postea ex defectu naturæ incipiamus tepescere; idcirco Deus crebro repetit reuelationes suas in toto mundo, & in quauis anima. Deinde peculiaris de iustitia inhærente sensus est, iustitiam charitatis in Euangelio reuelari acquirendam ex actu fidei, siue credulitatis, in actum fidei infusæ, & viuæ per charitatē

Quid quod reuelari dicitur ex fide in fidem.

I. sensus.

operantis: quod est ex Simone id est, obediente homine Deo suo, fieri Petrum, id est firmum in fide per lumē superius. Hinc baptizandus rogatus an credat, dicit se credere; & nihilominus petit ab Ecclesia fidem: & á fide tepida, & parua progreditur in fidem feruētem, & magnā, & indies per vsum, & exercitiū fidei augetur, quo vel sic augeatur charitas: quia aucto vase, hoc est fide, augetur, & aqua, hoc est, iustitia, & charitas. Quod augmentum, vel extēsiue ad plura credibilia intelligi potest, & sic non est semper necessarium: vel intensiue, quod est non ad plura obiecta extendi, sed in his quę semel credidit, maiore lumine augeri: vt Clemens li. Stromatum interpretatur *Videtur*, inquit, *Apostolus duplicem fidem annunciare, vel potius vnam, quæ augmentum suscipit, & perfectionem.* Sic ille. E hic progressus fidei in rudibus, rusticis, & simplicibus mulierculis inueniri potest. Hoc enim significari videtur illa loquendi formula; ex fide in fidē. Quod etiam in similibus Hebraico more dicitur: *Ibunt de virtute in virtutem*; vel vt Hebræa, & Græca veritas habent, de fortitudine in fortitudinem. Legim⁹ enim Græce ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν, ὅ ἐξ ἀρετῆς εἰς ἀρετὴν hoc est, de virtute virtutis actu in alterā, vel de vna & eadē virtute inchoata in eādem pfectam. Eidem Apostolus 2. Cor. 3. *In eandem*, inquit, *imaginē transformamur à claritate in claritatem*: siue à gloria ad gloriā) *tanquam à Domini Spiritu*, id est à claritate legis in claritatem Euangelii, & ab hac ad claritatem sempiternæ gloriæ, & à gloria interna ad externam, & à Christi gloria in nostram propriam; & à Christi gloria in excellentiorem & maiorem gloriam. Haud dissimilis est locutio illa: *A generatione in generationem; A seculo in seculum*. Et illud Prophetæ: *Annunciate de die in diem salutare eius*, id est per omnem diem, siue per omnem generationem, & seculum. ¶ Est & alius sensus nō contemnendus huius verbi, & fide in fidem Ex fide nimirum prædicantium, in fidem audientium. Nam hic est verus ordo Diuinæ prouidentiæ, vt primo Ecclesiæ Apostolis, & Prophetis reuelet Deus, quæ sunt Fidei; deinde ex illis in alios reuelatio propagetur secundum illud Esaiæ: *Quis credidit auditui nostro? Aut brachium Domini cui reuela-*

II. sensus.

Charitas augetur dupliciter.

Clem. Alex l. 5 Stromatū, 10. 2.

Hebraism⁹

Psal. 83.

Ire de virtute in virtutem, quid.

2. Cor. 3.

Psal. 9. Psal. 49. Psal. 95.

III. sensus.

Fidei mysteria, quibus primū debuerint innotescere.

Esai. 53.

tum est? Et Paulus, *Habentes eundem Spiritum fidei &c. Et nos credimus propter quod & loquimur*: nimirum, vt & ipsi credentes, in aliis fidem pariant. Cum omnes isti sensus veri sint, & catholici, nec vnus alteri repugnet, & ... tem videantur; non possunt, neque debent à quoquam Catholico relici. Hæc est enim fœcunditas Scripturarum, vt paucis verbis multos sensus complectatur. Ita vt sensus esse possit: ex fide credentium in lege Naturæ, quod Deus est, & inquirentibus se remunerator sit; in fidem Iudæorū qui plura de Christo, & iustitia eius nouerunt. Adhæc ex fide Iudæorum in fidem apertiorem Euangelii ex fide parentum in filios: ex fide Prophetarum in fidem Apostolorum & Euangelistarum: & ex fide prædicatorum in fidem auditorum: & ex fide, qua prima apprehenditur iustitia in fidem, qua perfect.⁹ iustificamur. Siue ex fide Incipientium in illam Proficiētium: & ex hac in fidem pfectā quæ etiam montes de loco in locum transferre valeat. ¶ *Sicut scriptum est, Iustus ex fide viuit* Autoritate Prophetæ comprobat, Euangelium scilicet esse virtutem in salutē; ne videlicet Romani rem nouā illum docere putassent. Hoc etiam testimonio idem comprobat Gal. 3. In quo primū ad literam aduertendum Græce legi; Iustus autē meus ex fide sua viuet Additur, meus id est coram me iustus habitus. & reputat⁹. Verum Paulus absolute iustum, intelligit eum, qui simpliciter coram Deo est iustus, vt Abel iustus, Simeō iustus. & Ioseph iustus, multi item iusti, qui desiderarunt videre Dominum, & non viderunt. Deinde addunt Septuaginta, ex fide sua: quia fides illa, qua apprehendim⁹ iustitiam; ita donū Dei est, vt etiam sit nostra. Nec enim Deus credit, sed nos fide suscipimus, quæ ab ipso dicuntur, vel promittuntur. Ideo dixerunt, *Ex fide sua*, Et hanc rationem loquendi sæpe secutus est Dominus, cum diceret, *Fides tua te saluū fecit*: &, *Quia vidisti me Thoma, credidisti*: & Apostolus, *Credidit Abraham Deo*. Est enim sermo de actu fidei, quo primum apprehendimus iustitiam. Annotauit tamen Hieron. in epistolam ad Gal. 70. vertisse: *Iustus ex fide mea viuit* deceptos similitudine elementorum, iod videlicet pro vau accipiēdo, vt sæpe contingit, & Paulum iuxta Septuag. citasse. Cum tamen nec in Latinis, nec in Græcis codicibus talis lectio reperiatur: & si reperiretur, nihil contrarium fidei doceret, quia fides Dei donum est non ex operibus, vt nequis glorietur. Hebræa tamen lectio præualet, quæ habet in fide sua viuet, & Septuaginta habent ὁ δὲ δίκαιος μου ἐκ πίστεώς μου ζήσεται, Tertio perpende, quod

2. Cor. 4.

Scripturæ quid proprium sibi vendicent.

Hebr. 11.

Mat. 17. 1. Cor. 13

Habac. 2.

Gal. 3.

II dubii solutio.

Cur aliter ab Hebræa veritate, & illa Septuaginta Apostolus hūc locum Prophetæ protulerit.

Matt. 23. Luc. 2. Mat. 1. Infra. 13.

Marc. 10.

Ioan. 20. Rom. 4. Gal. 3. Hieron. in ep. ad Gal. l. 1. propo. initio.

Ephes. 2.

Cur dictū sit de futuro Iustus in fide sua viuet.

etsi

etsi hoc loco,& Gal.3.& Hebr.10. de præsenti legamus, viuit; non tamē pugnat cum Hebræis, vel Græcis fontibus, qui habent de futuro, viuet. Et ratio in promptu est: quia vita gloriæ futura, quasi præsens possidetur per fidem, quæ est substantia rerum sperandarum, & alio loco; *Conuiuificauit nos in Christo,&c.& conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu.* Fide enim tenemus futurum, quia qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam, & iam spe illam vitam viuit: interim reipsa viuit vitam gratiæ. Et verbum ex fide, dupliciter iungi potest: aut cum præcedenti voce, vt sit sensus: Iustus ex fide ille est, qui vitam æternam consequetur; vel cum sequenti, quod magis suaue est vt sit sensus: Iustus viuet ex fide sua, id est, vitam iustitiæ inchoatam perficiet fide operando; & mortis fidei vitam æternam adipiscendo. Obserua deinde, quod etsi fides pro credulitate, siue persuasione vsurpetur qua sine dubitatione assentimur his, quæ à Deo per Scripturam, vel Ecclesiam reuelata sunt, secundum id, Fide, intelligimus aptata esse secula verbo Dei,&, Credere oportet accedentem ad Deum quia est,& inquirentibus se remunerator sit; ac per hoc distinguitur à fiducia, siue spe, vt ostendit Apostolus, cum ait: *Nunc manent, Fides, Spes, Charitas, tria hæc:* interdum tamen, cum his quæ credimus, vel nobis persuademus esse credenda, si tamen commoda sint, vel vtilia nobis, vt sunt vitæ æternæ promissiones tunc vox fidei non tantum includit credulitatem, sed etiam motum spei, siue fiduciā. Neque tamen hic propter eiusmodi fiduciæ motum, qui est per accidēs, tribuitur fidei iustificatio: quemadmodū nec propter timoris motū, aut terrorē incussum, quem concipimus, dum credimus Deum peccatorum vindicē, aut æterna supplicia tēporaria comminantem, illi timori iustitiam adscribēdam putamus. Etsi vero illi duo motus fiduciæ,& terroris, boni sint, & à Deo spectati,& suo fructu non careant: sunt tamen accidentarij ipsi fidei, siue credulitati, cui potissimum tribuitur iustificationis initium. ¶ Item animaduerte, Paulum maxime ad rem locutum fuisse. Quia cū Prophета proponere captiuitatem populi Iudaici sub Rege Babylonis,& liberationē, quæ facta est per Cyrum, sub quo captiuitas dæmonis sub diabolo,& liberatio per Christū designabatur; subiecit: Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet,& non tardabit. Ecce, qui incredulus est, nō erit recta anima eius in semetipso; iustus autem in fide sua viuet. Ex quibus liquidum redditur, sermonem Prophetæ aperte tradere, iustos

Heb.11.
Ephes.2.
Ioan.3.

Fides duobus modis potest accipi.
I. acceptio.
Heb.11.
Gen.1.
Heb.11.

1.Cor.13.
II acceptio

III. dubii sol.
2.Esd.9.

Habac.2.

per fidem Christi vitam consecuturos æternam. Et ita ad propositum,& maxime proprie allegauit Apostolus Prophetæ locum, quo explicauit virtutem in salutē esse Euangeliū: quia vitam æternā impertitur. ¶ Postremo Hæretici hoc testim. abutūtur; quasi sola fides satis sit ad iustificationem, & salutē, imo sit ipsa iustitia. Verum illusi illudunt: quia nō satis est ad iustitiam fides, si opus est Sacramento Pœnitentiæ, de qua: *Pœnitemini,& credite Euāgelio,&, Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Nec satis est ad salutem,& vitam æternam, si opus est obseruantia legis Diuinæ, ac dilectioni Dei & Proximi: nec si fides viua est, potest esse sine charitate, vel fructu bonorum operum. Et Paulus ad Hebræ.10. cum dixisset: *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Patientia enim vobis necessaria est; vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem, protinus subiunxit; *Iustus autem meus ex fide viuet; quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ:* Iudicans, spem vitæ æternæ,& fructus bonorum operum, qui necessarii sunt, à fide exigi,& fulciri. ¶ Ex his puto facile dilui posse, quæ in principio obiecimus. Nec enim proprie est sermo de iustitia Dei vindicante peccata, aut de illa, qua ipse iustus & fidelis in promissis suis; sed vel de Christo, vel de iustitia Dei, qua nos induit coram se, & quæ proprie reuelatur in Euangelio, quę olim promissa, velata, & adumbrata erat in lege, & Prophetis, in Euangelio vero detecta,& cœlitus cōmunicata, & exhibita omnibus volentibus per fidem eam participare. Et de hoc loco hactenus.

Rom.1.

Ex eodem testimonio quam inepte hæretici colligāt ad salutem fidem per se solam posse sufficere.
Marc.1.
Luc.13.

Heb.10.

Solutio 1. dubitationis.

DISPVTATIO XII.

In illa verba: *Reuelatur enim ira Dei de cœlo, super omnem impietatem: & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinēt,&c.*

NON carent hæc Apostoli verba, suis difficultatibus. Quomodo enimverū est reuelari de cœlo in Euangelio iram Dei, quæ & in tempore diluuii, dum rupti sunt fontes, abyssi magnæ & cataractæ cœli apertæ sunt, satis patefacta fuerit,& in quinque illas ciuitates, quando, scilicet, Dominus pluit super Sodomā.& Gomorrhā sulphur & ignem à Domino de cœlo, & subuertit ciuitates has,& omnē circa regionem,&c. Deinde quid ira de cœlo explicandum, & quid iræ Dei cum gratuito Dei dono iustificationis, aut qua consequentia probatur

Dubium I.

Gen.7.

Infra 19.

Alterum.

Euangelium virtus Dei in salutem omni credenti, per hoc, quod ira Dei reuelatur in Euangelio? Videtur enim ad rem non facere. ¶ Verum non erit laboriosum hos scrupulos adimere. Nam vt ad vltimum primo loco respondeamus, connectenda sunt hæc verba cum superioribus, vt cogit particula caussalis, *Reuelatur enim ira*, atque hoc quidem duplici via. Nam cum esset sermo de Euangelio, & cuiusuis legis propriũ sit magna præmia illam obseruanti proponere, & per contrarium eius transgressoribus acerba supplicia comminari: idcirco ait reuelari iram Dei de cœlo, hoc est diuinam vindictam; vt à contrario, seu à posteriori saltem addiscas, quod iustitia Dei in ea ad salutem reuelatur; quo intelligas, Euangelium non minus statuere credentibus iustitiæ coronam in salutem, quam impiis & non credentibus pœnas & tormenta.

Ratio contextus.

Cur in Euangelio necesse nõ esse debuerit ecœlestium bonorum promissio.

Nam si æterna bona Euangelium non promitteret, maiorum æterna supplicia non essent, iuxta illud: *Hoc est iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*, id est: Merito æternæ pœnæ comminatio est in Euangelio; quia homines æternam illam lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & sempiterna præmia, quæ suis pollicebatur, neglexerunt. Et in vtroque est reuera Euangelium, id est, bona annunciatio: quia Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt. Deinde moris est Sacrarum literarum, vt cum aliquid velit tanquam certum, & firmum asserere, non tantum illud per enunciationẽ affirmantem, sed etiam per negantem tradat. Cuius rei exempla sunt: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: ecce affirmatio. Deinde negando ait: Non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Item *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur: &, Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autẽ incredulus est Filio, non videbit vitam*: ac rursus *Qui credit in eum* (scilicet Filium Dei) *non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est.*

Ioan. 3.
Supra 1.
Psalm. 84.
Consueuit Scriptura ad maiorem assenentionem, affirmationi negationem adiungere.
Psal. 13.
Rom. 3.
Marc. vlt.
Ioan. 3.
Ioan. 18.

Cum igitur Paulus generalem propositionem asseruisset, quasi totius epistolæ statũ, nẽpe iustitiam Dei non ex lege, sed ex fide contingere; ad illã comprobandã aliã subsumit, quæ illi subseruiat, & viam ei muniat: nimirum omnes homines impios, & iniustos, ac proinde in ira Dei cõstitutos reprobari ex Euãgelio. Quod primum de Gentibus hoc loco, deinde de Iudæis c. 2. incipit probare vsque in medium capitis 3. quo ostendat humanum gen' peccato esse obnoxium, & neminem polliceri sibi posse propter vitæ suæ innocentiam se Deo esse acceptum, sed intelligat op' esse Dei irati recõciliatione: ad quam nemo suorum operum merito, aut iustitia (quæ certe nulla est) peruenire potest, sed tãtum credẽdo cõfugiat ad Dei misericordiam, & gratiam, qui gratis donat iustitiam per fidem apprehendendam. Atque hic est ordo, & progressus Pauli in hac tota disputatione.

Vnde solũ pendeat hominis sal'.

¶ Porro reueliatur hæc Dei ira in Euangelio, quando cum Nicodemo disceptans ostendit, opus esse renascentia ex aqua & Spiritu sancto. Et in fine concludit voce Præcursoris: *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Ac hæc cum exigit prioris vitæ resipiscentiam, & ait: *Facite fructum dignum pœnitentiæ*, & præsertim cũ dixit, *Quis demonstrauit vobis fugere a ventura ira?* Et cum comminatur se venturum, vt reddat vnicuique secũdũ opera sua. His enim modis omnibus reuelatur ira Dei de cœlo, vt hoc loco dicitur. Hinc ergo incipit probare, Gentes omnes in sapientia sua ad salutem peruenire sine Dei gratia non potuisse, quia omnes impii, & iniusti fuerunt: & ita probat, Euãgelium esse virtutem Dei in salutem omni credenti.

Quomodo ira Dei in Euangelio reueletur.
Ioan. 3.
Matt. 3.
Ibidem 7.
Apoc. vlt.

Et non sine prudentia à Gentili exorditur, & eius grauia peccata suggillat, vt liberius cap. 2. agat in Iudæum minus patientem, & legis contemptorem: incipiens *Reuelatur enim ira Dei de cœlo, super omnem impietatem, & iniustitiam.* Explicandum, quæ sit ira Dei, & quæ potissimum de cœlo; & qui sint illi impii, & iniusti, in quos reuelatur.

Quare Paulus Gentilem prius, quam Iudæum comminetur.
Quænam sit ira Dei.

¶ Iram pro effectu iræ accipit, id est, pro vltione, siue vindicta, quæ quidem, vt passio est, in Deum minime cadit, nisi per metaphoram, vt reliquiæ omnes passiones, vt amor, odium, tristitia delectatio, desiderium, fuga, spes, & desperatio, misericordia: quæ omnes in Deo simplices sunt actiones. Ita etiam de ira Dei sentiendum quæ vt passio est, Deo non congruit, de qua Salomon: *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos*: sed est simplex motus, & intellectualis, siue actus appetitionis vindictæ ratione moderatus, nempe quando, & quantum, & quomodo, & in quem finem oportet. Quando, nimirum quandoquis peccat, & Deum irritat ad sumendas pœnas: quantum, pro mensura delicti, &, *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit tantum date illi tormentum, & luctum*: Quomodo, secundum scilicet iura, & leges à se statutas: quibus tamen non ita arctatur, vt non possit pro suo beneplacito pœnas, aut agere, aut minuere. Cur vero? Ob zelum iustitiæ, & aliorum disciplinam

In Deo sit quatenus vindicta.
Sap. 12.
In punitione quatuor obseruari debent.
Deut. 25.
Apoc. 18.

Hæc

Psal. 6. Psal. 89. Psalm. 77. Mar. 3.

Hæc est ira studiosa, & sanctus furor, qui sæpe in Scripturis & Deo, & CHRISTO tribuitur. Sic enim legimus, Domine, ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me. Et, Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam? & iterum. Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, &c. & de Christo dicitur in Euangelio. Circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, &c. Deinde dicitur hæc ira de cœlo. Quod dupliciter exponi potest: aut vt connectatur cum verbo, reuelatur, vt sensus sit, de cœlo reuelari iram, id est diuinitus; alio modo, vt coniungatur cum ira: qui sensus præferendus videtur, & eum statuere videtur Paulus alibi, cũ ait, Dominum Iesum de cœlo reuelandum cum Angelis virtutis eius, in flãma ignis dantis vind. ctã iis q̃ non nouerunt Deum. E cœlo ergo, q̃ Dei sedes est, veniet Filius Dei fulminaturus in euitabilem illam æternæ damnationis sententiam: Discedite, inquit, à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Et hoc addifferẽtia in legis, quæ famem, pestem gladium, & malas bestias comminatur, & bona tantum temporaria promittit: *Si audieritis*, inquit, *me bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis; gladius deuorabit vos.* Quod si semel, aut bis Moyses mentionem fecit inferni, & pœnarum, quæ in eo continentur, vt in Cantico: *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima*: vbi Septuaginta legũt ἕως ᾅδου κάτω. Et infra: *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea; reddam vltionem hostibus meis, &c.* Coreite n, Datan, & Abiron viui in infernum descendisse leguntur: Non ex vi legis fecit Moyses enim non vt legislator, sed vt Propheta locutus est: quemadmodum etiam alii Prophetæ. Hæc ira Christi iudicis venturi ad iudicium insinuatur, vt ibi: *Auditum de cœlo fecisti iudicium: terra tremuit, & quieuit.* Et Daniel ca. 7. & Ioel. cap. 2. non tamen quasi ex lege, sed ex Euangelio vaticinantur, nec ita aperte: nam nobis detectus est iudex, eius potentia, sapientia, & iustitia, secundum illud; *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua & omnes Angeli cum eo tunc sedebit super sedem maiestatis suæ; & congregabuntur ante eum omnes Gentes.* Et, *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate, &c.* Est igitur ira de cœlo: Christus Dominus iudex viuorum, & mortuorum, vt testantur Chrysostomus, & Theophylactus, Theodoritus, & Basilius, qui hom. I. In diuites auaros: *Recordare* (ait) *illius diei, in quo reuelabitur ira Dei de cœlo: recordare gloriosi aduentus Christi*, & quæ sequuntur. Et ex his soluitur argumentum propositum à principio. Nam diluuium, & ignis, & sulphur puniens infames Sodomę peccatores; inter pœnas temporarias reponenda sunt: quamquam in typo, & mysterio æternæ gehennæ supplicia designarent. ¶ Quoniam vero hæc de cœlo ira ex parte magis reuelatur vt perterrefaciat homines, ac territi, & correpti illam euadant, subiungit vitia, à quibus nobis, si sapimus, cauendũ est.

Cur ira de cœlo.

1. Thess. 4. 2. Thess. 1.

Esa. 66. Mat. 5.

Infra 25.

Esa. 1.

Aeternos gehennæ tormenta vt Moses denuntiet. Deut. 32.

Num. 16.

Psal. 75.

Dan. 7. Ioel 2. Act. 21.

Mat. 25.

Luc. 21.

Act. 10. Chrys. ser. 3. in epist. ad Rom. init. fere, & c. 4. in princ.

Thedorit. p. 2. init. Theophyl. Basil ho. 7. procul à med. to. 1

Solutio primi argum. In quos reueletur hęc ira Dei de cœlo.

¶ *Super omnem*, inquit, *impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.* Duo in genere denotat crimina: alterum eorum, qui in Deum peccãt alterum vero delinquentium in proximũ. Pietas, virtus est, qua Fide, Spe, & Charitate laudibus, & sacrificiis Deum Patrem colimus; & patriam nostram cœlestem, id est cœlos illos, qui Angeli dicuntur, & spiritus humanos, qui ciues sunt Sanctorum, & domestici Dei: in quos qui peccant, impii sunt vt nimirum veritati Diuinæ increduli, de Dei bonitate diffidentes, odio numen prosequentes, idololatræ, blasphemi, sacrilegi Aristoteles namque in libro De virtutibus à Theodoro Gaza conuerso: *Impietas*, inquit, *est error in Deum, aut genios, aut etiã vita functos, aut parentes, aut patriam.* Iniustitia vero, peccatum est, quo in proximum contumeliosi existimus corde, lingua, manibus in corpus eius sibi coniunctum, & in vxorem, & in facultates eius: vt sunt odia, detractiones, homicidia, adulteria, furta. Et merito dixit, *Super omnem*: nam nouerat multas esse species impietatis, & iniustitiæ; Pietas autem, & iustitia vna tantum est, à qua tamen multis modis declinare contingit. Siue, super omnem impietatem; id est perfectam, & nobilem in Deum contumeliam, quæ consistit in Christo respuendo, & denegandaDei misericordia per eum missa, vt cælestes esse possemus. Super summã etiam iniustitiam, qua in homines salutares, & pios, & iustitiæ obseruãtissimos, id est Apostolos, & ministros Euãgelii, homines huius mundi insurgebant. Nec dixit, Super impios, & iniustos, quia etsi odio sint Deo, impius, & impietas eius; odium in creaturam à se conditam, & sanguine Filii sui redemptam non gerit, nisi ob scelera, & vitia, quæ homo de suo adiungit. Deus enim mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuorum; sed nos ligna peccatorum congregamus, & ignem concupiscentiæ supponimus, vt Dei pacatissima, & tranquillissima natura in odium, & vltionem iniquitatis

Pietas quid sit.

Ephes. 2.

Arist. to 9. circa med.

Quid sit iniustitia.

Sap. 14.

Supra 1.

Iræ diuinæ fomenta hominum sunt peccata.

perpetratæ efferueat. Hoc loquendi genere vsus fuit Propheta, cum dixit: *Dilexisti iustitiam* (id est iustos) *& odisti iniquitatem*, id est iniquos. Et subdit: *Qui veritatem Dei in iniustitia detinent.*

Psal. 44.

Veritas Dei quænam illa sit.

Veritas Dei, vel vera de eo notitia illa dicitur, quæ de se docebat, & ad se ducebat, & qua nouerant quam religiose de Deo sit sentiendum, quanta reuerentia, & fide nomen eius assumendum, & inuocandum: deinde quam puro cultu, & externis ceremoniis, & sacrificiis esset Deus à nobis colendus.

Alter sẽsus

Vel veritas Dei ab Apostolo dicitur, omnia prima principia creta quæ natura menti sunt indita; siue sint de Deo ipso, vt prædicta; siue de proximo officiis promerendo, siue de eo nulla ratione offendendo. Vt sunt illa; *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*; &, *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Tob 4.

Matt. 7.

Omnes enim eiusmodi leges, quæ lumen naturæ omnibus præscribit, veritates Dei sunt, & ab vno fonte Deo profectæ.

Quomodo illa detineatur in iustitia.

Detinentur tamen in iniustitia, hoc est iniqua, & praua volũtate nostra (latius accepta voce ἀδικίας quam in priori sententia, ita vt simul, & semel omnia vitia complectatur: & inferius: Repletos omni iniquitate, vbi eadem est vox ἀδικίας, & significatus omnis peccati) & detineri, ait, quasi in carceribus, & vinculis, ne in Dei, & proximi dilectionem prorumpant, nec in externa iustitiæ, & misericordiæ, seu charitatis opera, nec denique in fructus, quos parere aptæ natæ erant, vt insitam à Deo generosam arborem testari possent.

Rom. 1.

Huiusmodi in iniustitia veritatis detentio quam grauis atque culpabilis.

Sed tales non tantum ex ignorantia, & in infirma atque corrupta natura operantur, sed etiam, quod grauius est, contra conscientiam, & id, quod nouerunt Deo placere. Et hæc proprie in maiores Gentilium, hoc est sapientes, & philosophos, & legislatores loquitur Apostolus. Impii enim in Deum fuisse comprobantur, & iniusti in proximos, quos tanquam subditos de vero cultu instruere debebant, & exemplo suo illis præire; vt intelligas, si tanta fuit malorum cæcitas, & negligentia, in quam densis tenebris, & in quanto luci volutabro versarentur.

Seruus qui accepit quinque talenta, quis ille.

Mat. 25.

Tota ergo sapientum ruina fuit vitam veritati sibi cognitæ conformem non proferre, & talento sibi commisso non vti. Quinque enim talenta quasi doctrinæ Christianis traduntur: quibus quinque sensus externos ex merito quinque vulnerum CHRISTI coerceant, & in officio contineant.

Quis ille qui duo.

Duo vero talenta Iudæo commissa erant: lex scilicet Naturæ indita, & lex æterna Mosis. Vnum talentum datum est Gentibus, quæ in sola lege Naturæ degebant. & Dominus ab eis fidem, & pietatem exegit, quam tamen prædicando non seminauerat, secundum illud: *Exijt qui seminat, seminare semen suum.*

Qui vero vnum tantum modo

Supra 13.

Lex siquidem naturæ Euangelium non prædicabat, quod externa seminatione, id est prædicatione indigebat. sed duos tantum articulos, *Quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: ad quos prædicandos ipsum lumen naturæ satis erat.

Heb 11.

Per nummularios qui designentur in parabola.

Idcirco nummulariis talentum domini sui ad mensam dare debebant; hoc est preces ad Angelos fundere, quo veritatis ampliorem cognitionẽ accipere promererentur: quam accipientes, dominus cum vsuris in eis recipientibus reciperet, quasi multiplicatum talentum. Sed ipsi talentum in terra, & minam in sudario absconderunt, id est in terrenorum appetitu, & seculi labore.

Mat. 25.

Luc 19.

Ob voluptatem siquidem carnis, & sensuum captandam, & honorem mundi ambiendum, etsi plerique veritatem nossent, vt Socrates, Plato, Aristoteles, Zeno, & plerique alii; in iniustitia absconditam, & vinctam detinuerunt, & idola, quæ nouerant esse opera hominũ & figmenta, amplexati sunt magno suo detrimento, & aliorum, quos suo silentio barathrum perditionis æternæ præcipites ferri permiserunt.

Contra Philosophos, & sapientes.

DISPVTATIO XIII.

In illa verba: *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim reuelauit. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles, &c.*

HACTENVS & hæc Apostoli verba suas peculiares difficultates, & illam in primis, Quomodo DEVS eas veritates, quæ de DEO sunt, & ad vitam recte instituendam spectant, & quas liber Naturæ suppeditat. DEVS tamen reuelasse dicatur; cum ad veritatem naturalem agnoscendam satis sit ipsum lumen Naturæ. I. difficultas huius loci.

Secundo, quomodo inuisibilia DEI, quæ maxime in Trinitate personarũ, & vnitate naturæ consistunt, hic naturæ liber legentibus in eo suppeditauerit. II.

Tertio non est vsque quaque expeditum, quod III.

sola

sola naturalis cognitio, quę de illis inuisibilibus Dei habebatur, reddiderit eos inexcusabiles, cum ad boni perfectionem non tantum necessaria sit cognitio officij præstandi, quantũ etiam auxilium Diuinæ gratiæ, quaid valeat præstare, vt gratum sit, & acceptum Deo: de quo quidem diuino auxilio Apostolus non meminit, sed tantum de cognitione ¶ Verum hæc tria dubia ipsũ textum explicantes facile dissoluemus.

Quomodo hæc sententia superiori coniungenda sit.

Et quidem in connexione non video esse laborandum: cum enim dixisset veritatem Dei in iniustitia detineri à mũdi huius sapientibus, poterat quis obiicere, vnde tu potes asserere eiusmodi veritates illos nouisse Respondet: *Quia quod notum est Dei manifestum est in illis*. Græca vox significantior est, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ hoc est, quod cognosci potest, siue, Quod est in Deo apprehensibile, nimirum per rationem naturalem, seu etiã per lumen reuelatum, quale etiam Deus Gentibus pro bonitate sua non denegauit. Nec enim creaturæ solo Naturæ lumine cognitæ sufficiebat ad ducendum eos in aliquas veritates, presertim firmiter tenendas nisi sapientia Dei eas cum hominibus laborans doceret. Et hic sermo indicat, non omnes veritates, quæ de Deo haberi possunt, Gentiles cognitas, atque exploratas habuisse; sed indefinite enuntiauit id, quod de Deo cognosci potest, insinuans alias esse veritates, quæ sub cognitionem nostram nõ cadunt. Poterat ergo cognosci, quod Deus est primus omnium motor immotus, vt demonstrat Aristoteles in octauo Physicorũ, quod Deus est principium rerum omniũ, à quo totum cœlum, & natura pendẽt: quod sit summus Monarcha, & Princeps vniuersi, vt idem docet lib. 12. Metaphysicor. quod est bonum omnium, & vltimus finis, ad quẽ omnia tendunt, & quem omnia desiderant quod est prima caussa, dignus cultu, & veneratione: vt principium summe potens, summe sapiens, summe bonum, summe iustum, summeque perfectum, habens omnium curam, & prouidentiam: sed principiũ hominis, qui est finis aliorum omniũ, quæ sub aspectum cadunt, vt tradit Aristoteles tertio Physicorum. Quod posset intus per Angelos iuuari ad has veritates firmius tenendas, ne aliquot, quæ in contrarium obiectantur, apparentibus argumentis debilitarentur, & debilitari fidem immortalitatis animæ, & prouidentiæ perderent: sine quorum firma fide homines salutem alia ratione consequi non poterant. Quemadmodum enim in homine quædam sunt nota, ea nimirum, quæ exterius apparent, & oculis subiiciuntur, quædam vero occulta, vt ipsa anima, intellectus voluntas, & memoria; ignoramus enim quid intelligat, quid velit, quid memoret; quę tamen tum ex sermonibus eius, tum ex actionibus quibusdam cõlectamus, atque apprehendimus; alia vero ita recondita, vt nusquam se prodant, & manifestentur externis signis, aut vocibus: ita in Deo quædam sunt apertiora, quæ in his creaturis, tãquam in speculis, & effectis artificis expressa relucent, vt quod Deus est: quod non solum ex ratione motus, & caussæ efficientis, in quibus non est processus in infinitum, agnoscimus. Vt propterea in vno Deo immobili, & perfecto, & aliorum etiam caussa nobis sit quiescendum. Deinde colligimus si prima caussa est omnium quæ sunt, habere illum omnium creaturarum perfectiones multo excellentius, & eminentius quã sint in ipsis creaturis, quas adeo Deus excellit, vt nihil creaturæ proprie competens, ei etiam proprie conueniat. Ad hunc modũ cœlum neque calidum, neq; frigidum, neq; graue, neq; leue ab Aristotele statuitur, etiã si harum qualitatum caussa in inferioribus existat. Siquidẽ mundi structura non est effectus Dei vniuocus, qui caussam perfecte repræsentat, vt planta plantam, & animans animantem; sed est homonymus, siue æquiuocus: quemadmodum solis effectus non perfecte repræsentat Solem. Ita etiam Deus per creaturas nobis non perfecte secundũ suam naturam, & essentiam repræsentatur. Bonitas igitur, & sapientia, & potentia, quã non creaturis tribuimus, creata est & finita: quæ non est in Deo, in quo est, & increata & infinita. Ideo nostra vocabula non possunt ita desæcari, vt infinitum Deum capiant, & repræsentent; cum ad ea, quæ finita sunt, & creata significanda sint imposita. Idcirco magnus Dionysius affirmationes de Deo dixit esse incompactas, & proprius negationes ei conuenire: vt, quod nõ est corpus non cœlum, non mobilis, non finitus &c. Tertio, quod Deus mundi gerat prouidentiam, ostendit ratio. Nam si vel grex ouium, vel armentum boum, vel vna domus, vel paruum oppidulum sine gubernatore aliquo cõsistere, aut regi non potest quãto minus hæc mundi machina, quę tot creaturas, tot corpora, etiam contraria sub se continet? Quædam vero alia in Deo sunt intima & Imperscrutabilia, quæ per creaturas repręsentari nequeunt: qualia sunt, ipsa essentia, quæ vt talis, non operatur, sed est in perpetuo Sabbato vocans: at vt est virtus, & potentia, maxime operatur: quemadmodum etiam animæ essentia vt talis nihil agit, sed per facultates suas Intellectus,

Sap. 9.

Aristot.

Idem to. 3. circa fin.

Idem to. 2.

Quæ sint hominis notiora, quę minus nota, quæ vero sint omnino ignota, atq; recondita.

Idem l. 1. de cœlo. c. 3. tod. 20.

Deus mundi caussa qualis secundum Philosoph.

B. Dionys.

Proprius sermo de Deo quis ille sit teste Dionysio.

Quænam de Deo veritates humanæ ratione sint prorsus incognitæ.

Quatenus operetur Deus

Memoriæ, Voluntatis se exerit, & innotescit. Deus ergo in sua essentia cognosci à nobis haud potest, quia eum nonnisi per effecta sua agnoscimus. Adhæc Trinitas personarum omnino per creaturas non detegitur, quia tota concurrit in his quæ extra se operatur, sine distinctione personarum: quia etsi sint tres qui mundum creant, illũ seruant, & moderantur: tamen quia quasi vna manu, & vnica virtute, imo etiam vnica, & eadem actione operantur; ideo ex conditis à se operibus tantum mysterium accipi non potest. Idcirco Deus quatenus essentia est, & Trinitas est in hypostasibus, dicitur lucem inaccessam inhabitare, quam nullus hominum vidit, sed neque videre potest. Non negauerim tamen, ex quo lumine supernaturali detectum est nobis hoc tantum mysterium, multa nos in creaturis meditari, quæ Trinitatem repræsentant. Sed hæc propria sunt Christianorum, non Gentium, aut Iudæorum.

Curnecem dicatur habitare inaccessam.

1. Tim. 6.
Ioan 1.

Idem trinus & vnus solis Christianis cognitus est munere diuino.

Quarto loco, ea etiam, quæ pendent ex mera Dei voluntate, vt incarnatio Filij Dei, mors, resurrectio, ascensio, Gentium vocatio, excæcatio Iudæorum, & alia futura mere contingentia, per creaturas minime repræsentari, neque esse adæquatas repræsentationes earum nostro intellectui certum est: *Non est*, inquit, *vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate:* & alio loco: *Quis cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Hæc enim omnia non sunt in causis vt videri possint, nisi ab ambiente omne tempus, id est æterno Deo, vel cui ipse reuelauerit, seu quem luminis sui æterni participem fecerit. De priori ergo rerum genere, cui quadrat quod cognosci potest de eo, subiungit: *Manifestum est in illis.* Noue videtur dictum, in illis, id est apud illos, vel inter illos: non enim apti nati erant omnes illa videre, sed pauci. Et ablata præpositione planius esset, manifestum est illis: nisi velis interpretari, In illis, id est in illorum intimis mentibus, & cordibus, secundum illud. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: quod est efficacius, quam si extra se magistros, ac Doctores haberent: ac proinde comprobatum illis reliquit, accepisse illos Dei veritatem quam si communicassent, in iniustitia non detinuissent. Simul etiam ostendit his, & sequentibus verbis, aliquid fidei esse demonstrabile, maxime demonstratione à posteriori, quæ certe fidem non enacuat; nec etiam illa, quæ à priori est, si daretur, enacuaret. Sola visio est, vt tradunt Theologi, quæ id munus præstat. Et subdit, *Deus enim illis manifestauit.* Quibus in verbis intellige primum, quod sicut Deus allocutus est Christianos per librum suum proprium, hoc est per Iesum Christum, qui liber est vitæ scriptus intus & foris, & Iudæos per Scripturarum librum, ita Gentes per mundi, & creaturarum librum erudiuit. Et vt nobis satis non est Christus liber noster ante oculos positus, nisi Deus lumen superius conferat ad legendum in eo, vt fecit cum Petro, qui dixit: *Tu es Christus Filius Dei viui:* & Christus respondit: *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Et cum Centurioni idem præstitit, qui visa Christi morte clamauit: Vere Filius Dei erat iste; & cum Lydia purpuraria, cuius cor Deus aperuit, vt intenderet his quæ dicebantur à Paulo. Adhæc vt Iudæis satis non fuit Scripturas habere, & legere, nisi Deus illustraret tenebras mentis, & abdita mysteria verbi Dei reseraret: vnde roganti Philippo diacono Eunuchum Candacis, *Putas ne intelligis quæ legis?* respondit ille: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Ita sane liber mundi, & creaturarum Gentibus non satis fuit, nisi peculiariter intelligentiam contulisset ad eiusdem idioma clare percipiendum. Nam vt mutorum idioma difficile apprehendimus quia non vocibus, sed signis, & nutibus constat: ita etiam creaturarum loquelam, quæ tanquam signa, & nutus, nos instruunt, difficillime assequimur. Creata enim omnia suo modo laudare, & benedicere Deum dicuntur; in illis posuit magnã suę sapientię portionem, de qua Sapiens ait: *Effudit sapientiam super omnia opera sua.* Et alio loco; *Omnia opera fecit Deus vt timeatur.* ¶ Nec tantum lumine Naturæ hæc Deus manifestauit, sed etiam, quia illud interdum non bene apprehendimus & Intellectus noster cæcus est, & vt oculus noctuæ ad manifestissima naturæ; adiunxit Deus pro bonitate sua lumen superius, & cœleste, siue per se, siue per Angelos, quo homines illius status adiuuarentur ad veritates quasdam naturales firmius, ac certius apprehendendas, ac retinendas. Nec enim omnes veritates, quæ natura duce apprehendi possunt de Deo, proportionem habent ad hominem lapsum, & hominis intellectum magna ex parte obcæcatum: hanc tamen proportionem habuisset, si hominis natura integra permansisset, & tunc ad has veritates assequendas superiori lumine opus nõ habuisset. Et hic sensus confirmatur tũ ex eo, quod cum dixisset, *Manifestum est in illis,* protinus subiunxit: *Deus enim illis manifestauit,* vt doceat, id, quod Naturæ lumen illis indicauit, idem Deum superiori lumine adiuuisse, & confirmasse: alioqui illa re-

Act. 1.
Rom 11.
Esa. 40.
Sap. 9.
Mat. 11.

Illud: Manifestum est in illis, quomodo accipiendũ

Psal. 4.

Vnde constet aliqua, Fidei mysteria demonstrari posse.

Triplex liber, quo Deus velu-ti homines affatus est in omni lege.

Mat. 16.

Infra. 27.

Act. 16.

Supra 8.

Simile.

Eccles. 1.
Eccles. 3.

Arist. lib. 2. Metaphys. c. 1. & alibi sæpe.

Intellectus noster ad manifestissima naturæ, vt oculi vespertilionum sunt, ad lumen diei, vt tradit Philosophus.

peti-

B. Ansel in c. 1. ad Ro. par 2. init. Hugo de S. Victo. to. 3. circa med. Heb. 11.

petitio frustra factus fuisset. Deinde confirmatur autoritate B. Anselmi, qui hunc locum explicans; ait: *Non solum naturalis ratio profuit, sed Deus quotidie adiuuit, ne sola natura sufficere videretur.* Adde etiam Hugonem de S. Victore, qui in summa sententiarum septem tractatibus distincta, cap. 3. primi tractatus, initio ita inquit: *Est quadam fides, vel cognitio fidei, sine qua nullo tempore potuit salus esse, scilicet cognoscere Deum esse, & remuneratorem esse sperantium in se, iuxta illud Apostoli Oportet accedentem ad Deum credere quia est, & quod remunerator est sperātium in se. Sed cum Deus inuisibilis sit, iuxta illud; Deum nemo vidit vnquam: quomodo indicari potuit? Partim humana ratione, partim Diuina reuelatione. Quod vtrumque Apostolus ostendit, cum dicit: Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Et non dixit, manifestum illis: in hoc profecto quod ait, manifestum est in illis, plane ostendit quod in illis erat, vnde Deū noscere poterant. Cum vero subiungit: Deus illis reuelauit, ostendit quod ratio humana per se insufficiens esset, nisi reuelatio diuina illi in adiutorium adesset.* Hæc ille. Cui adiungimus Haymonis Alberstatensis commentatium prioribus haud dissimilem. Sequitur in textu: *Inuisibilia enim ipsius à creatura mūdi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Modum diuinæ manifestationis dictæ exprimit Apostolus, librum creaturarum omnibus ad spectandum, & legendum propositum fuisse. Inuisibilia vero in primis non significāt Angelos inaspectabiles, qui ex motu orbium cogniti sunt: vt Occumenius præsenti loco interpretatur, secutus Origenem tum quia non quadrat his quæ præcedunt: *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis*: nec sequentibus, *Sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Deinde etsi ex motu cœlorum cogniti sint ministratorii spiritus, qui in cœlis mouendis, & in natura ista corporea gubernanda Deo administrant: non tamen numerus eorum plene accipi poterit. Quia cum secundum Philosophum ex Eudoxi sententia, vel Calippi, qui magni erant in Astrologia viri, orbes cœlestes ad quinquaginta, aut paullo plures, aut pauciores existerent, certe numerum illarum intelligentiarum homo diminute valde apprehenderet. Nam sunt, qui tot tantum constituunt intelligentias, quot orbes: at Angeli super omnem numerum creaturarum sunt, secundum illud: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Deinde per inuisibilia non est intelligenda diuinarum Trinitas personarum in vnica Deitatis essentia: eo quod personæ maxime sint inuisibiles, & supra omnem intellectus nostri captum. Vel, quod idem, est, *Inuisibilia*, id est Pater, qui nullam formam creaturæ assumpsit: *Virtus sempiterna*, hoc est filius, qui dicitur Dei virtus: Diuinitas vero, Spiritus sanctus. Quanquam sint quædam, quæ in speciem illi sensui fauere videantur. Nam in primis Mercurius Trismegistus, id est Ter maximus, nimirum Philosophus, Rex, & Sacerdos Maximus, in Asclepio dixit: *Monas gignit monaden, & in se suum reflectit ardorem.* & Pythagoras dixit, DEVM numero ternario colendum, vt tradit libr. De cœlo Philosophus, & Plato in epistola ad Dionysium, teste Porphyrio, & Augustino libr. De ciuitate Dei, tres personas constituisse videtur. Primam, quam vniuersitatis Patrem appellauit: secundam, primam mentem, seu, vt Macrobius est testis Filium: tertiam, animam mundi, quam Poeta ex placitis Platonis, Spiritum vocat iuxta illud.

Ioan. 1. 1. Tim. 6.

Haymo Alberstaten. Episcop.

Inuisibilia Dei à creatura mundi, quænā sint.

I. sensus, minime probabilis.

Occum in c. 1. ad Ro. Orig. ibid. to. 2. Heb. 1.

Arist li. 11. Metaphysi c. 8 ante med to. 3. circa fi.

Dan. 7. Apoc. 5.

A. ter sensus, qui refellitur. Deus Pater nulla in sub-

Spiritus intus alit, &c.

Aristoteles vero lib. 12. Metaphysicc. tres adscribit Deo perfectiones, nempe vitam, Speculationem, & Fruitionem. Vita Patri tribuitur, quia eius proprium est generare Filiū, quod est opus vitale. Naturalissimū siquidem est omni viuenti tale generare, quale est ipsum, vt tradit idem Philosophus. Speculatio datur Filio, qui est Dei sapientia: Fruitio vero Spiritui sancto, qui est amor Patris & Filij, & nexus eorundem. Adde quod Plotinus Platonis sectator librum scripsit De tribus hypostasibus in Deo. Et Augustinus libr. Confessionum prodit se legisse: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c.* Adde quod Ricardus noster De S. Victore in principio libri de Trinitate docet: *Credo sine dubio, quoniam ad quorumlibet explanationem, quæ necessa est esse no modo probabilia imo etiam necessaria argumenta non deesse. quāuis illa interim contingat nostram industriam latere.* Hæc ille. Vnde etiam ad probandam Trinitatem personarum aliqui induxerunt rationem ex infinitate bonitatis Diuinæ, quæ seipsam infinite communicat in processione diuinarum personarum. Quidam vero per hoc quod nullius boni sine consortio potest esse perfecta, & iocūda possessio: Augustinus vero procedit ex ratione Verbi, & amoris in mēte nostra. Posset igitur quisquam cogitare, ex his Philosophorū, & Doctorū sententijs colligi posse Trinitatis sacrosanctæ mysterium fuisse nobis per creaturas aliquo modo detectū, & patefactū. ¶ Verū his nō obstantib[9], indubie affirmandum est, impossibile fuisse per effectus creaturarum hoc mysterium agnosci:

iecta creatura seipsū manifestauit.

1. Cor. 1. & alibi.

Hermes Trismegistus vnde sic cognominatur.

Arist. lib. 1. de cælo, c. 1. to. 2. Plato epist. 2. ad Dionys. Porphyr. li. 4. Aug lib. 10. De ciui. Dei c. 23. to. 5. & alibi. Macrob. Virg 6. Aeneid circa fin. Arist to. dict.

Idem li. 2. de anima co. 2. 1. Cor. 1.

Aug li. 7. Confes c. 9. init. to. 1. Richar. de S Victor l. 2. de Trinit. par. 1. c. 4. in princ. Aug serm. 15 ad fratres in eremo. & sape alibi, to. 10. longo à med.

Trinitatis mysterium sacrosanctum naturaliter sciri non posse. I. ratio.

tum quia, vt superius diximus, Personæ extra se operantes sine vlla distinctione personarum ad productionem concurrere, id-
II. circo, in creatis repræsentari non posse. Deinde impossibile est intellectu humano capere, quomodo tria inter se re ipsa sint distincta, & simul concipere illa tria esse vnũ
III. essentia, vt tradit Fides. Denique tota Scriptura repugnat, & Patres, negantes hoc tantum arcanum posse per huius mundi librũ apprehendi. Et Christus huius mysterij fuit prædicator apertus, quia dixit, *Pater manifestaui nomen tuum hominibus*; &, *Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.*

Ioan.17.
Matt.11.

Etiamsi Prophetæ obscurius aliquid de Trinitatis mysterio prædixerint. Ad Philosophos vero propositos respondemus, illos aut nihil prorsus dixisse, aut si quid dixere, id à nostris vel Prophetis, vel Apostolis accepisse; suisque verbis, & conceptib. magis obscurasse, & maculasse, quã aperuisse, non valentes capere, quomodo à tribus Hypostasib. vnitas, & identitas, vt sic dicam, substantiæ, inueniatur: vt docet Cyrillus lib. in Iulianum. Neq; mirandum est: quicquid enim ab alio accipitur, per modum accipientis recipitur, vt tradit Physica regula. Personas etiam in seipsis non agnouerunt, sed potius in suis appropriatis. Ad quod referri potest id, quod dixit Aristoteles de tribus illis perfectionibus, quas Deo tribuit. Rationes vero præmissæ nihil apud infidelem probant: posita autem fide sanctæ Trinitatis, vt apud nos, soliditatem habent ad aliquo modo intelligẽdum id quod fide percipitur. ¶ His ergo explosis sensibus inuisibilia intelligenda sunt, quæcunque illi intima sint, & in se habet. Nam quicquid Dei est, Deus est. & vt ipse est inuisibilis, ita quæ sunt eius, vt sapientia, bonitas, potẽtia prouidentia, iustitia, clementia, & similia. Quæ etsi in se ipsis entia sint maxime conspicabilia, & ex se nonnisi lux ipsa, iuxta illud: Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ: inuisibilia tamen nobis dicuntur, ob debilissimam, & tenuissimam nostri intellectus aciem: non aliter atque ipse Sol, qui etsi maxime sit aspectabilis, & causa cætera videndi, & discernendi, est tamen oculo nostro inuisus. Quam ob causam in scripturis Deus dicitur Inuisibilis; Apparere in caligine, Inaccessibilẽ habitare lucem; & posuisse tenebras latibulum suum, & in luce quodammodo inuolutum; quasi in nube, & caligine nobis delitescere. Et quod superius dixit, γνωστὸν, modo vocat ἀόρατα: quia & in aspectum nostrum non cadãt, possunt tamen in Deo esse intelligi. ¶ Cæterum in

Cyril li. 8. in Iulianũ, to. 3.

Aristot.

Tertius sẽsus proprius huius loci.

1. Ioan. 1.

Simile.

Ioan. 1.
Exod 19.
1. Tim. 6.
Psal. 17.
Psal. 103.
Exod. 6.
2. Paral. 6.

plurali dixit, *Inuisibilia*: quia etsi sapientia, & potentia, bonitas, & prouidentia, & reliqua huiusmodi in Deo non sint nisi vnica, & simplicissima essentia illis ex natura sua perfecte æquiualens, & Deus eminentissime sit omnia: non tamen per plurium collectionem perfectionum in vnum, sed per naturam, & æquiualentiam, vt dixi. Quemadmodum etiam vt exemplo rudiori maximam rem illustrem, secundum Physicos forma mixti formis elementorum æquiualet, & sicut aureus nummus pluribus argẽteis æquipollet, & vniuersum quæ sunt separata in inferioribus, in superioribus coniunguntur. Vt in Angelo illa omnia, quę dispersa sunt in hominibus, & in homine omnia quæ sunt dissipata in brutis, & in his omnia, quæ per creaturas esse tantum habentes à Deo distributa sunt. Quæ in Deo pluraliter, & composite apprehẽdimus modo, in cœlo autem simpliciter, & non per aliquam speciem creata, sed per ipsam essentiam, quæ vnica est, spectabimus: de quo Zacharias: *In die illa erit Dominus vnus & erit nomen eius vnum.* ¶ Porro in genere neutro dixit, *Inuisibilia*, quod genus imperfectum est secundum Grammaticos & Philosophos: quia videlicet illa inuisibilia perfecte, & distincte non cognouerunt, nec tam quid sint, quam quod in Deo sint, notitia quadam confusa, & imperfecta, si conferatur cum cognitione, quam præstat fides per lumen gratiæ, aut quam præstabit visio per lumen gloriæ. Additur: *A creatura mundi.* Vbi aduerte, tam vocem Græcã κτίσεως, quam Latinam creaturæ, ambiguam esse: & extenditur ad creationem, siue actum creandi, & ad quamuis conditam creaturam, & ad hominem præcipue denotandum, qui eminentior est inter cæteras res creatas. quemadmodum structura & ad actum, & ad rem structam referri potest: & venatio ad rationem venandi, & rem venatu captam protenditur. Vnde illud Isaac; *Affer mihi*, inquit, *cibos de venatione tua fili mei* Idcirco Laurentius Valla, & Faber verterunt, à cõditione, hoc est ab actu creationis, à conditione videlicet mundi: quod dupliciter videlicet accipi potest. Primo, vt per actum creationis cognouerint Dei inuisibilia, hoc est potentiam, sapientiam, prouidentiam, & bonitatem, & hoc aperte falsum est, & contra Scripturam dicentem; Fide credimus aptata esse secula verbo Dei. Deinde quia etsi aliquid Philosophi id cognouerint, vt puto, potius ex traditione, quam ex ratione, vt Plato, Anaxagoras, & Empedocles, & Galenus libro. De vsu partium asserit, Deum voluisse, quãto fieri

Cur inuisibilia, pluraliter dictũ.

Zacha 14.

Cur neutraliter dictũ, inuisibilia.

Illud à creatura mundi, bifariã accipitur.

Gen. 17.

Lauren. Valla.
Faber Stapulen.

Versio illa à conditione mundi, quatenus improbanda.

Heb. 11.
Gen. 1. & seq.

Galen. li. 3. De vsu pa.

potuit

Plato in Timæo.
Aristot. l. 1. De cœlo, c. 10. & seq. 10. 2.

potuit ornatu, creaturas concinnare nulli inuidentem: quin etiam Plato ad id probandum nonnullas rationes colligit: Alii tamen negauerunt, vt Aristoteles. Qui propterea mundum ingenitum, & æternum constituit primo illo principio repugnante: Ex nihilo nihil fit. Si autem illam præpositionem à, accipias pro altera, nempe post, vt soliti sumus dicere, A prandio, à cœna, à somno; sensus esset, post conditionem, siue creationem mundi. Ab eo enim tempore, siue ex quo mundus conditus est, potuerunt homines ex contemplatione hui' mundi assurgere ad Dei cognitionem, & prouidentiam, & cæteras eius perfectiones: quod verum est, & à nonnullis Patribus allatum. Si vero deinde legamus, *A creatura mundi*, non intelligas quamcumque rem creatam, vt, cœlos, elementa, plantas, animalia, &c. qua de illis subiungit, *Per ea quæ facta sunt.* Sed creatura pro homine præsertim, qui nobilissimus est omnium creaturarũ, apud Paulum accipi consueuit. Ita enim hominẽ renouatum vocat nouam creaturam, & infra cap. 8. ait: *Omnis creatura ingemescit, & parturit v, que adhuc*, & Dominus apud Marcũ: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, id est, omni homini, qui finis est inferioris mundi: & hic solus est, qui per ea quæ facta sunt Dei inuisibilia conspicere potuit: atque in eum modum exponit Gregorius, & Bernardus. Addit: *Per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur.* Id est. Per creata tanquam per quædam specula, quæ Deum repræsentant. Totus enim hic mundus, speculum diuinitatis, diuinæque gloriæ, & magnificentiæ theatrũ: vt inuisibile sapientis ingenium, in aliquo libro docto, & eleganter composito à se edito apparet. Et vt Apellis excellentis pictoris ars & sapientia in tabulis à se depictis resplendebat; ad eum modum sapientia, & perfectiones diuinæ in his visibilibus elucent. Est præterea Deus creaturarum speculum, vt & creaturæ Dei specula: sed multum inter se hæc differunt: creaturæ namque imperfectius quam in se sit, Deum repræsentant, & maius est multo quod non repræsentant, quam quod repræsentant: Deus è contrario speculum est creaturarũ infinite eas repræsentans, quæ perfectius esse in Deo habent, quam in seipsis: quicquid enim in Deo est, Deus ipse est. Et subdit: *Intellecta conspiciuntur.* Hoc est, nõ sensu, vel imaginatione cognita, sed intellectu penetrata. Cognitis siquidẽ rebus, & causis suis hoc est, Efficiẽti, Fine, Materia, & Forma quod est scire, siue rem per causas cognoscere, earũ effectus cognoscuntur. *Conspiciuntur* (inquit) *tanquam in speculo*: quanquam non tam quid sint, quam quod sint. ¶*Sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Id est, Sempiterna ipsa Dei omnipotentia, quæ de cœlis maxime cognoscitur, qui infatigabiliter mouentur; vt inde Philosophus infinitum Dei vigorem venatus fuerit. Dicitur ergo æterna, quia sempiternum effectum producit, vt cœlos & eorum motus secundum Aristotelem; at secundum veritatem Angelos, & animos immortales. Deinde etiam æterna est, quia operando, temporis mutatione non exhauritur. Diuinitas vero, est Dei essentia, & superexcellentia cognita à nobis non quid sit, sed quod sit, & quod attinet ad prædicata affirmatiua, vel negatiua de illa. Et ponitur vltimo loco, quia ex effectis agnoscuntur potentiæ, siue facultates, ex facultatibus autem ipsa natura, siue essentia. Et referenda est vox, Sempiterna, etiam ad Deitatem; ad differentiam nouorum, & recentiorum deorum, & quia nihil accedit per ipsos actus Deo: quemadmodũ ignis vrendo crescit, & homo prudentiæ actionibus fit prudentior. Et denique omnes habitus, & facultates per functiones suas & augentur, & perficiuntur: quemadmodum per nimios actus defatigantur. At Deus sicut per infinitos actus non defatigatur, ita illis nec augetur, neque perficitur ¶*Ita vt sint inexcusabiles, quia cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Miserrimus, & perinfelix mundi status detegitur: quia Philosophi nõ profecerunt ad salutem in libro suo, quo abusi sunt. Et si id maiores fecerunt, quid putandum est minores peccasse, qui in densissimis, & plusquam cymmeriis tenebris versabantur? Est autem inexcusabilis, qui vel veritatem nosse potuit, sed noluit, & dixit cum illis: *Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus*: vel qui notam veritatem factis, & vita non expressit, vt poterat Deo adiuuante præstare, cum scienti bonum facere, & non facienti, peccatum sit illi. Ideo nec Deum glorificauerũt vt summe sapientem, & potentem, & omni cultu & veneratione dignum: nec de beneficiis, quæ indies accipiebant de manu eius, gratias egerunt: quod est prorsus impiorum, & ingratorũ hominũ. Vnde recte sequitur, *Euanuisse illos in suis cogitationibus: & dicentes se esse sapiẽtes stultos esse factos.* Hic notandum est, peccatum adeo esse voluntarium, & quicquid aliquid libertatis adimat, etiam de ratione culpæ aliquid remittat. Hæc porro tria sunt teste Aristotele, quibus etsi non omnino peccatum aufertur, magna tamen ex parte excusabilem reddit: nimirum, ignorantia, vis, atque metus: quæ si præcedant operationem

Eadem lectio quatenus probanda. Paulus nomine creaturæ fere hominem intelligit.
2. Cor. 5.
Gal. 6.
Rom. 8.
Marc. vlt.
B. Greg. lib. 29. in Euãg. in principio par. 2. Bern. ser. 5. in Cãt.
Quomodo Deum in hoc mũdo aspectabili nobis liceat contemplari.
Deus creaturas longe perfectius, quam illæ Deum repræsentant.
Scire, quid secundum Philosophum.
Sempiterna Dei virtus quid, & vbi potissimum.
Aristot. li. 8. Physico. c. 10. & seq. te. 2.
Diuinitas quid sit.
Huius postremo omnium cur Apostolus meminerit.
Inexcusabilis quis ille sit.
Iob 21.
Iacob. 4.
Impii homines & ingrati ex quo maxime dignoscantur.
Arist. l. 5. Ethic. c. 8. to. 3.
Quæ tria peccati rationem imminuant secundum Philosophum.

tionem, aut eius existant, excusare valent, vt facit vis externa ad peccandum cogens, & metus cadens in constantem virum, & ignorantia, de qua dixit Apostolus: *Misericordiam Dei consecutus sum, qui ignorans feci in incredulitate.*

1. Tim. 1.

¶ Superest scrupulus non vulgaris eximendus: nam enim ad bonam operationem præstandam non satis sit agnoscere veritatem, sed necessarium sit diuinæ gratiæ adiutorium, quo veritatem agnitam possit fructuose perficere; quomodo potuit homo per solam agnitionem inexcusabilis reddi? Nam si sola agnitio sufficeret, in Pelagianum dogma incideremus, quod nimirum natura humana veritate informata posset citra Dei auxilium opus bonum præstare: & tamen humanæ naturæ potestas non minus læsa erat, quam intellectus. Et vt rem aliquo exemplo dilucidam reddam: si verbi gratia, cæcus quidam, & claudus vtroque pede, si quis illi præciperet. Ingredere in ciuitatem, à qua non longe abes; illeque responderet, Oculi mihi non suppetunt vt videam ciuitatem, in quam mihi sit eundum, nec si maxime cernerem ciuitatem, deficientibus tibiis ingredi vllo modo possem: iste inexcusabilis esset, si vbi suppeterent oculi, & vires, non ingrederetur: at si tantum oculi suppeterent sine viribus, aut vires sine oculis, profecto excusabilis esset. Quomodo ergo Apostolus inexcusabilem efficit Gentilem, quod cognitam veritatem non perfecerit, cum diuinæ gratiæ adminiculum adhuc illi deesset?

Cum Gentilium, præsertim Philosophorum veritatis cognitio gratiæ Dei expers fuerit ad salutem necessariæ, cur tamen inexcusabiles habeantur Qualis videri illorum ignorantia possit.

Solutio.

Dicendum est, Apostolum non tantum ob id inexcusabiles eos credere, quod veritatem tantum nossent, sed ex eo, quod cum promptum esset Deo auxilium speciale omnibus porrigere, quod illi à necessitate conuicti petere à Deo debebant, quodque ille nunquam pro bonitate sua, & vt peterent etiam, ipsemet per Angelos excitabat; nunquam tamen petierunt. Nam inter alias etiam veritates hanc ipsam suggerebat Deus, vt quemadmodum nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat summa sapientia scire cuius esset hoc donum, vt ait Salom. ita etiam illi illuminabantur non tantum de veritate, sed etiam de ratione, qua opere illam præstare debebant. Inexcusabiles ergo extitere, quia non fecerunt quantum potuerunt: nam Deus tunc succurrisset homini infirmo. Hac etiam ratione solet Dominus in aliis locis accusare Iudæos de salutis suæ contemptu: quemadmodum cum ait: *Nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum*; & : *Hoc est iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*; & : *Qui non crediderit, condemnabitur.* In quibus locis tantum fit mentio de lumine, quo veritatem Euangelicam agnouerunt, atque agnitam non dilexerunt, neque opere compleuerunt.

Sap. 8.

Ioan. 15.

Supra 3.

Marc. vlt.

DISPVTATIO XIV.

In illa verba: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam; vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Et infra: *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam.* Et infra: *Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum: vt faciant ea, quæ non conueniunt, &c.*

HI tres Apostoli loci simul tractandi sunt, qui ad eundem scopum prorsus pertinent. Nam & Idololatriæ culpam repetendo exaggerat; & iustam Dei vindictam, qua merito puniti sunt, replicando aggrauat, & inculcat. Sed in his verbis duæ insurgunt difficultates: altera est, Quomodo dicatur Deus hominem tradidisse in eas operationes, quæ vitiosæ sunt, & non sine peccato exercentur? Deinde examinandum, num peccatum esse possit pœna peccati: nam id consequi videtur, vt si Deus peccata vindicet peccatis autor sit peccati. Et cum pœna omnis contraria sit voluntati, non videtur fieri posse, vt peccatum, quod voluntarium est, habeat rationem pœnæ.

I. dubium.

Alterum.

¶ Verum ad hæc dubia explicanda, prius literam Apostoli persequemur: deinde ad ea, quæ obiecta sunt, dubia respondebimus. Præmiserat igitur Apostolus Philosophorum peccatum, qui veritatem Dei in iniustitia detinuerunt, & qui scientiæ dono abusi euanuerunt vt fumus in aerem, vel vt sal in aquam liquefactum, & in suis cogitationibus, seu ratiocinationibus non aliter desipuerunt quam aranea, quæ in tela subtili texenda seipsam euiscerat ad viles muscas venandas: ita vt illi vani facti sint in sapientia sua, iuxta illud Ieremiæ: *Stultus factus est omnis homo à scientia sua.* Quibus persimiles facti sunt permulti hodie, qui multa de Deo, & Christo acute philosophantur, & disputant; nec tamen cultu debito, aut amore Deum prosequuntur. Et ita

Ratio contextus.

Huius mundi sapientes quomodo euanuerit in cogitationibus suis.

Ierem. 10.

Eiusmodi Philosophos nostro seculo qui videantur imitan

obscuratum est insipiens cor eorum tenebrosis affectibus, indulgentes sensui, & carni, & de Deo non curantes, & profitentes se sapientes (id enim significat nomen Philosophi) qui de omni re interrogati, in promptu rationem reddere valeant.

Philosophos quid sonet proprie.

Stulti facti sunt: maxima sapientia, quæ sita est in colendo Deo, & sanctis officiis promerendo, recedentes; & ad carnalia vitia deficientes, quod est à summa sapientia in stultitiam, & à luce ad tenebras confugere. Nec tantum stulti facti sunt, sed eo stultitiæ progressi, vt immortalis Dei gloriam per idololatriam, & illam quidem pudendam, atque abominabilem transtulerint in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedium, & serpentium. Primi namque homines, & illi tyranni, idololatriæ primi autores extitere, vt Belus Nini pater, cui tum filius, tum Babylonii Diuinos honores tribuerunt, & suis imaginibus templa, & aras extruxerunt. Quidam etiam propter insignia facinora, & beneficia in homines, diuinitatem sibi apud homines compararunt: vt Romulus conditor vrbis, Hercules monstrorum domitor, Aesculapius medicinæ inuentor, Ceres, & Bacchus, ob vsum frumenti, & vini ab eis repertum: quibus statuæ positæ sunt in eorum memoriam, vt homines spectantes ad virtutem incitarentur: quæ postea, cum homines à veritate dilaberentur ad mendacium, & essent venerationi expositæ, ingressa sunt in illas dæmonia, quæ responsa dabant, vt mundo illuderent. Et vide progressum idololatriæ; nam ab homine ventum est ad volucres, turtures, columbas, aquilas, ibim, vespertiliones: deinde ad quadrupeda, vt boues, arietes, apim apud Aegyptios, & cercopithecum, denique ad Brutam, & aspectu horribilem bestiam, serpentem genua flexerunt. Habes nominatum serpentem Aesculapii, quem ex Epidauro adductum ad pestem sedandam, tota Roma venerata est. Habuerunt & Babylonii suum serpentem Belum, vt refert Daniel. Habes etiam serpentes aquaticos, vt Dagon in forma piscis, quem venerati sunt Philisthæi, & Aegyptii crocodylum, & ciuitates, quæ à belluis quas colebant, denominabant Cynocephalos, Ophiocephalos, & Onocephalos. Quam insaniam quidam Satyricus reprehendens, dixit:

Prædicti sapientes quomodo stulti facti sunt.

Qui primi mortales idolorum cultum in mundum inuexerunt.

Quibus ob beneficentiam olim diuinitas sit attributa.

Qualia initia, quæque progressiones habuerit idololatria.

Dan. 14. & seq. 1. Reg. 5.

Quæ olim vrbes à cultu belluarum fuerint denominatæ.

Iuuenalis Satyr. 15.

Horribilia Aegyptiaca superstitionis portenta.

Quis nescit Volusi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat.
Pars hæc, illa pauet saturam serpentibus ibim.
Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci.

Strabo l. 17 Geor.

Strabo refert, Aegyptios cunctas animalium effigies, quas in Zodiaco compererant, vt arietem, taurum, cancrum, leonem, scorpium, & reliquas pro diis habuisse. Vnde Deus Iudæos ex Aegypto reuocans, admonuit: *Ne forte eleuatis oculis ad cælum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cælo sunt.* Vt enim Deus Verbum in humana carne assumpta, in qua hostes suos, & nostros superauerat, coli, & adorari voluit: ita dæmon, qui per instrumentum serpentis de homine triumphum egerat, serpentem quoque adorari voluit: vt etiam hæretici dicti Ophitæ, testantur.

Deut. 4.

Gen. 1.

Infra 3.

Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam. Ob hoc ergo execrandum idololatriæ scelus, quod omnis mali causa est, initium, & finis, vt ait Sapiens, merito puniti sunt infandis, & ignominiosis peccatorum sordibus. Quoniam enim illud quod diuinum in eis erat, id est, intellectum, & sapientiam, sordidissimis serpentibus, & bestiis subdiderunt, eas pro diis colendo, iusto Dei iudicio permissi sunt, vt diuinum, quod in ipsis erat, parti in homine brutæ, & vili, hoc est, sensualitati subderetur, vt cum prodigio pascant immundissimos cupiditatum carnalium porcos: quod est contra naturæ dignitatem, quia Dominus dixit: *Sub te erit appetitus eius* (scilicet peccati) *& tu dominaberis illius.* Expende etiam diligenter pronomen, Illos. Vnumquodque siquidem id esse dicitur apud Philosophos, quod est principale in eo. Vnde in homine intelligere, velle, & libero arbitrio vti, propria esse hominis, ob id dicuntur, quod melioris partis hominis idest, animi, & mentis opera sint. Ita regnum facere dicitur, quod Rex facit: & Ecclesia facere quod caput eius, & moderator, hoc est, Papa præscribit. Subiecit ergo Deus iratus superiorem partem inferiori in pœnam. *In desideria cordis, in immunditia.* Quasi diceret in manuum dominorum crudelium; ex quo vno apparet hominis corruptio, qui in sordidissimis, & homine indignissimis cupiditatibus sibi ipsi relictus versatur. Tota enim hominis cogitatio intenta est ad malum ab adolescentia sua. Deus enim iratus à nobis recedit, & nobis nos ipsos relinquit, iuxta illud: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinuentionibus suis.* Cum tamen alio loco præcipiat: *Post concupiscentias tuas non eas.* Et addit: *In immunditiam;* vt intelligas sensus, & carnis peccata. Nam delectationes gustus, & tactus, quia cum bestiis nobis sunt communes, magis sunt exprobratione dignæ, quia magis belluinæ, quam rationales sunt: etsi

Supra 14. Infandorum idolorum cultura, omnis mali causa est initium & finis: ait Sapiens.

Gen. 4.

Quid esse dicatur vnumquodque apud Philosophos.

Genes. 6.

Eccl. 18.

Quid per immunditiam.

in omni peccato inueniatur, immunditia eo quod viliori rei homo se admisceat, non secus atque aurum plumbo, vel luto. Hic autẽ loquitur de peccato obscœno: quod explicans, subdit: *Vt contumelijs afficiant* (vel dehonestent) *corpora sua in semetipsis.* Vbi primùm obserua, quam rectè impietatem sequatur iniustitia, qua non redditur corpori, quod ei debetur, id est, continentia, & sanctimonia, per quam esse posset templũ Spiritus sancti. Si enim vere fidem Deo haberemus, sanctificarentur ei corpora nostra. Quare peccatum impietatis, & inobedientiæ Adæ & Euæ contra Deum, iuste punitum fuit, vt spectarent corporum suorum nuditatem: ex qua pudor, & perizomata, & pelliceæ tunicæ, & homines comparati iumentis insipientibus. Paulus quoque dixit: *Qui fornicatur, in corpus suum* (quod ex membro suo facit membrum meretricis) *peccat.* Quod si hæc facit simplex fornicatio; quid facient deteriores, & infandæ eiusdem peccati species? Vocat autem contumeliam, turpes corporum abusus, & cõmixtiones similes illis, qui aureis vasis, & gẽmis pretiosis ornatis, ad sordes, fœtẽtes, & visum & aures offendentes excipiendas vterentur.

In seipsis, ait: non ab aliis coacti, quod tolerabile esset; sed à seipsis, quod turpissimũ & miserrimum est. Secundo repetit pœnam illatam sapientibus, dicendo: *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Id est, iuxta phrasim Hebræam, in passiones ignominiosas, dedecoris, & infamiæ plenas, & nomine indignas, siue nefandas. Etsi alij vertant, Cupiditates ignominiosas; alter, in affectus probrosos: v. tique offensi voce passionis; quam tamen Augustinus probauit, & recte exprimit id, quod Græci πάθος vocant. Et licet in illis nil patiantur, sed potius delectationem captent: non possunt tamẽ sic peccare, quin natura lædatur, & corrumpatur, & aliquo bono priuata patiatur. *Nã fœminæ eorum mutauerunt naturalem vsum, in eum vsum qui est contra naturam* Portentosam luxuriam, id est, Sodomiæ speciem, suggillat. Nam quia per idololatriam, id est Deum, infra vilissimas, & sordidissimas creaturas, & quadrupedes ponentes, permissi sunt peccare in naturam propriam, non solum rationalem, sed etiam animalem, & generalem: quia similia vitia prorsus non agnoscunt. Siquidem naturam sexus bestiæ conseruant. Atque hoc peccatum non sine signo puniuit Deus, descendere faciens ignem, & sulphurem de cœlo (qui tamen solet sursum ascendere.) Atque ob eam causam tempore Neronis hominis impurissimi, qui de eo flagitio insigniter gloriabatur (adeo, vt coram Senatu non sit veritus publice ducere in vxorem Sporum, & in Græcia nubere Sexto) tota ciuitas incendio con flagrauerit. Prouidentiam etiam eo morbo laborantem, peste, bello, & fame Deus percutere solet, & tetro illo odore nos de tam magno scelere fugiendo admonere. Et vt quædam sancta virgo tradit, dæmones ipsi, qui ad hoc peccatum exercendum solicitant, ob puritatem tamen naturæ illi actui nequeunt assistere. Et vt quodam loco docet Augustinus, hoc pessimum, & nefandum vitium à mulieribus initium assumpsit, & per eas ad masculos peruenit: quod indicasse videtur Apostolus, primo loco nominans fœminas. Inciderunt ergo homines iusto Dei iudicio, naturali, & germana amissa voluptate, in difficilem, & insuauem: quia, teste Chrysostomo, insusuiora, & difficiliora sunt quæ præter naturam sunt, etiamsi aliter homo iudicio depr auatus dicat: *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.* Annotauit etiam Ambrosius hoc loco, fœminas peruerso ordine naturæ, non solum inseruisse masculis, sed etiam ipsas inter se quasi æstro percitas, mutuo amore, & amplexu se inuicem polluisse. Et cum ait: *Similiter & masculi*, intellige, relicto naturali vsu fœminæ, &c. Quoniam vero hoc flagitium in iustam pœnam culturæ idolorum introductum est: hinc Scriptura simul de vtroque mentionem facit. Nam tempore quo Belus simulachrorum cultui vacare cœpit, eo Sodomorum vrbes de execranda turpitudine iustas pœnas dederunt: & aucta idololatria, simul & sodomiæ incrementum accepit. Et quo quisque magis sapientia vigebat, eo magis illis vitiis madebat. Vnde Solo Atheniensis Legislator, Veneri, & Baccho deditus Legẽ tulit, (vt hic refert Chrysostomus) ne serui vngantur, aut pueros amore prosequantur: quorum vtrumque vt licitum & honorabile concessit liberis. Socratem, & Platonem pæderastiæ morbo laborasse pleríque tradunt scriptores. De hoc vitio loquens Hieronymus in illa verba Esaiæ: *Et pueris alienis adhæserunt*, ait: *In tantum autem Græci, & Romani hoc quondam vitio laborauerunt, vt & clarissimi Philosophorum Græciæ haberent publice concubinos: & Hadrianus philosophiæ artibus eruditus, Antinoum consecrauit in Deum, templumque ei ac victimas, & sacerdotes instituerit: & ex eo Ægypti ciuitas, ac regio nomen acceperit. Inter scorta quoque in fornicibus spectaculorum steterunt publica libidini expositi; donec sub Constantino Imperatore Christi Euangelio coruscante, & infideli-*

tas vn-

Per continentiam, sanctimoniam corpora nostra fiunt templum Spiritus sancti.

Genes. 3.

Psal. 48.
1. Cor. 6.

Ibid.
Quomodo iuxta Apostolum, qui fornicatur, in corpus suum peccet.
Per contumeliam in de loco quid significetur.

Passiones ignominiæ quare dicã tur.

Aug. l. 9. de ciuitate Dei, c. 4. in eis. 10. 5.

Sodomiæ vitium cur veniat nomine passionis.
In Deum impietatẽ quam iusto Dei iudicio fit in propria corpora contumelia consecuta.
Gen. 19.
Mira Neronis impudicitia.

B. Catherina Senensis
Actus Sodomitici, vel impuri dæmones quamquã impulsores non tamen spectatores existũt.
Aug. ser. 47 ad fratres in eremo.
Primæ infã dum Sodomiæ vitiũ fœminæ peperrerunt, teste Aug.
Chrys. ser. 4. in ep. ad Rom. mor. 10. 4. in princ.
Qua ratione Chrysostomus Sodomiam probet insuauem, minimeq; delectabilem.
Prou. 9.
Ambr. 10. 5.

Quando ob nefandum flagitium perierunt Sodomitæ.
Gen. 19.

Chrys. ibid.

Socrates, Plato ob scœnos passi sunt amores.
Hieron. in c. 2. Esaia ante dimed. 10. 5. in princ.

tas vniuersarum gentium, & turpitudo delata est. Hæc ille. Scribit etiam Suetonius in Tiberio Cæsare habuisse greges exoletorum qui propriè sunt mascula scorta, sed ætate adulta. Et Cicero in oratione pro Tito Annio Milone: *Clodius semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat.* Tertio subdit Apostolus: *Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum; vt faciant ea quæ non conueniunt.* Circa literam obserua, Et, coniunctionem accipi pro, Quia, in hunc modum: Quia non probauerunt habere Deum in notitia. Et supplendum est aduerbium, ita tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt alias sæpe subaudiri solet. Et nomine sensus intellige mentem: nam ita sæpe alias interpres vocem Græcam vertit, vt cum dixit: *Aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas,* quas non sensus, sed mens apprehendit. Ita inferius dicitur: *Quis cognouit sensum Domini?* In omnibus his locis Græce legimus νοῦν. Circa sensum attende, quam recte singula singulis opponat Apostolus. Gloriæ enim, quam immortali Deo subtraxerunt, subiecit verbum contrarium contumeliarum, quibus seipsos fœde dehonestarunt. Veritati in mendacium commutatæ, supposuit mutationem veræ & naturalis voluptatis in prodigiosam, & insuauem. Demum verbo probationis, de quo ait: *Sicut non probauerunt,* opponit traditionem in reprobam mentem: probare enim, & reprobare, contraria videntur. Quia ergo manibus, & vita sua non probauerunt, quod haberent Deum in notitia; id est, quod agnoscerent Dei lumen in corde suo esse, sed illud multis peccatis extinxerunt, & sepelierunt: promeriti sunt, non solum vt lumine suo naturali priuarentur, sed etiam vt in reprobam mentem traderentur: quæ illa est, quæ reproba habet de rebus omnibus iudicia, improbos amores, & improbabilia facta, & denique talem mentem, qualem merito nullus probare posset, cum per eam faciunt ea, quæ non conueniunt; hoc est quæ ipsos facere vehementer dedecebat, & quæ hominis dignitati minime conueniebant. Si quis velit hæc vitia Philosophorum nosse, legat Plutarchum, & Diogenem Laertium: legat & catalogum longum, quem subtexit Apostolus: *Plenos omni iniquitate, malitia, fornicatione,* & reliqua. De quo nihil attingam, quod facile quisque eum per se, aut per alios intelligere poterit. Satis est nunc illud annotasse, multa illos non tantum contra rationem, & prudentiam peccasse, sed etiam contra omnem sensum, & naturam, vt merito Dominus dixerit: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, &c.* id est, si mens tua, quæ est oculus actionum, reproba fuerit, & in tenebras conuersa, totum actionum corpus tenebrosum erit. Vel (quod ad rem etiam maxime nostram facit) *Si oculus tuus,* id est, maiores tui, quorum est inferioribus prælucere, nequam fuerint, & mente reprobi, quid de corpore, hoc est, de inferioribus cogitandum? & quas non tenebras complectentur, aut in quod præcipitium non ruent? Sed iam duo proposita dubia expedienda sunt. Et ad primū quidem respondemus: Deum dici tradere homines in hæc tam absurda peccata, quomodo dicitur obcæcare, indurare, aggrauare, mittere operationem erroris, vt credant mendacio; conuertere cor eorum, vt odirent populum Dei, & dolum facerent in seruos eius; Dominum præcepisse Semei, vt malediceret Dauidi; dare spiritum compunctionis; oculos vt non videant, & aures vt non audiant, & similia permulta, quæ in vasto Scripturarum corpore continentur. Testibus enim Chrysostomo in hoc loco, & Theodorito, & Damasceno, eiusmodi locutiones in Scripturis per tropum, & figuram accipiendæ sunt. Vt enim magnus Augustinus tradit: Quæcunque vel flagitium, aut facinus sonant, & à Domino præcipiuntur figurate & κατὰχρηστικῶς accipienda sunt. Idem est ergo tradere, quod permittere, siue dimittere; cum tamen Deus multis modis posset si vellet, peccata impedire. Ita dicitur dimisisse omnes Gentes ingredi vias suas; &, *Dimisi eos secūdum desideria cordis eorum.* Tradit Deus eos, qui se sponte libidini tradunt. Vnde Cicero libr. de finibus: *Plerique,* inquit, *obiecta specie virtutis tradunt se libidinibus constringendos.* Dicitur etiam tradere, quia subtrahit auxilium suum speciale, sine quo homines præcipites in omnia peccata feruntur. Quod vt magis intelligas, scito; triplex esse Dei auxilium, nempe generalissimū omniū creaturarum in ordine ad bonū vniuersi: speciale alterum, humanæ speciei proprium, & quoad finē sibi naturalē, & ad æquatum fertur, à quo tamen summe per peccatum declinat: tertiū est peculiare electorum auxilium ad opera exercenda, & ad æternæ gloriæ finem consequendum. Cū igitur Deus in more habeat, vt illa duo auxilia posteriora hominis demerito subtrahat; hinc dicitur in hoc, vel illud tradere peccatum. Primum autem, & generale nulli denegat: quia peccator sine illo operari, vel vsum liberi arbitrii habere, vel etiā peccare non posset. Est autem hoc auxilium

Nomine sensus quid plerūque veniat in Scripturis.
Luc. vlt.
Rom. 11.
Apostoli prudentia.
Quid sit, non probare Deum habere in notitia.
Reproba mens quænam illa.
Quid scripserint de vita, & moribus Philosophorum

Mat. 6.
Illud: Si oculus tuus fuerit simplex, totū corpus tuū lucidum erit &c. explicatur.
Ad I. argumentum responsio.
Qua ratione Apostolus Deum tradidisse asserat in passiones ignominiæ, &c.
Esai. 6.
Exod 7.
Esai. 6
2. Thess. 2.
Psal. 104.
2. Reg. 16.
Rom. 11.
Esai 6.
Chrys. serm 4. in præsentem locum.
Theodoret. ibid. par. 2. init.
Damasc. l. 4. c. 20. Aug l. 4. de Doct Christ. c. 16 & alibi to. 3 sub init.
Actor 14.
Psalm. 80.
Cicero.
Triplex auxilium Dei agnoscunt Theologi.
Illud quid sit.

vigor quidam ex assistente sibi prima causa quo facultas vnaquæque ad suam functionem moueatur; ita vt per illud actionem inchoet suam, prosequatur, atque perficiat.

Ad II. argũ responsio.

An peccatum possit esse pœna peccati.

Alterum dubium erat, an peccatum possit esse pœna peccati? Et multa in speciem occurrunt ad probandum, id esse non posse. Nam in primis peccatum omne voluntarium est, pœna autem omnis inuoluntaria: at vnum, & idem voluntarium, & inuoluntarium esse nequit. Deinde pœnæ à iusto iudice irrogantur, & iustæ, & laudabiles sunt; peccatum vero neque à Deo est, neque iustitiam, aut laudem habet. Adhæc pœnæ medicinæ sunt, vt docet Aristoteles; idem ait, pœnas esse institutas, vt homo redeat ad virtutem, quam deseruit; at per progressum peccati in peccata nemo redit ad virtutem, sed ab ea magis elongatur. His autem non obstantibus, statuendum est, peccatum esse pœnam peccati, vt hoc loco Apostolus asserit, & alibi dixit: *Mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio; vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*: & vt paulo ante dixerat: *Eo quod charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent.* Et ad Timotheum: *Habes fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt*; & Dauid, *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam.* idem confirmatur Patrum sententiis. Scribit enim Augustinus in illud Psalmi: *Sicut cera liquefacta auferentur: Istas pœnas* (peccatorum) *pauci vident: propterea istas maxime commendat Spiritus Dei. Audi Apostolum dicentem: Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis illorum.* Et infra: *Enumerat multa, quæ peccata sunt, & pœnas dicit esse peccatorum.* Subiungit: *Inter illud primum peccatum, & hanc vltimam pœnam, media quæ sunt, & peccata sunt, & pœna peccatorum. Tam multa enim dicit Apostolus fieri ab eis, quæ peccata sunt detestabilia, & tamen pœnas eas dicit.* Paulo post: *Nam tradidit illos Deus, dixit, in concupiscentias cordis eorum, vt faciant quæ non conueniunt. Vt adulter sit, iam pœna est: vt mendax vt auarus vt fraudulentus vt homicida, iam pœna sunt. Cuius peccati pœna? Prioris apostasiæ illius superbiæ; initium peccati hominis, apostatare à Deo; &, Initium omnis peccati, superbia. Propterea ipsum peccatum prius dixit; Qui cum agnouissent Deum, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, &c.* Adde huic Gregorium, qui in Ezechielem ait: *Deus peccatorem diu expectat vt redeat: non redeunti, atque contemnenti ponit adhuc, vbi grauius impingat. Peccatum quippe quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati.* Hæc ille.

I. ratio in contrariũ.

Secunda.

Arist. l. 2. Ethic. ca. 4. to. 3. Idem l. 10. c. 9 ante med.

Altera opinio verior ac solidior.

2. Thess. 2.

1. Tim. 1.

Psal 68.

Aug. in Ps. 57. inter med & finem 8.

Ps 68.

Idem ibid.

Idem ibid.

Idem ibid.

Quæ videantur pœnæ peccatorum.

Eccli. 10.

Ibid.

Greg hom. 11. in Ezech lõge à med. to. 2.

Quomodo peccatum sit pœna peccati.

I. solutio.

Magist. sententi.

Duo huius sensus incõmoda.

Gen. 3.

Rom. 5.

Aug. l. 1 retract. c. 17. to. 1. init.

Idem in Ps. 57. procul à med.

Porro id quomodo contingat, videndũ est. Magister enim sententiarum explicat, peccatum esse pœnam peccati, non secundum suam naturam, quatenus habet rationem culpæ à voluntate libere admissæ, sed secundum effectum, nempe corruptionẽ naturæ, & reatum mortis æternæ. Sed iuxta hanc explicandi rationem plane omne peccatum, & illud primi parentis posset dici pœna: quod tamen alienum est à Pauli, & Augustini sententia ex Apostolo hoc statuentium; cum aperte libr. retractationum tradat, quædam esse peccata, quæ non sunt pœnæ: & idipsum aperte docet illud: *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Secundo loco cauendum, ne quisquam hoc accipiat, peccatum esse pœnam peccati, immittendo malitiam in voluntatem hominis: quia ipse Deus proprie esset autor peccati, quod plene falsum est. Nihil enim odit Dominus eorum, quæ fecit, ait Salomon. & idem: *Odio sunt Deo, impius, & impietas.* Et iterum. *Non dicas. Ille me implanauit, non enim necessarij sunt ei homines impij.* Dauid quoque: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et falso diceret Oseas: *Perditio tua, Israel tantummodo in me auxilium tuum*: Ezechiel mentiretur, dicens: *Viuo ego dicit Dominus Deus: nolo mortem impij*, id est, peccatum, vnde mors æterna oritur. Et Iacobus Apostolus: *Deus intẽtator malorum est ipse autem neminem tentat*, scilicet ad ruinam peccati quemadmodum tentatur Satanas. Nam si quando Deus tentat; id facit vt probet, & perficiat hominem: Quare Thomas melius explicat, qua ratione peccatum habeat rationem pœnæ: non quidem secundum suam formam, & naturam, quæ ex libera electione proficiscitur, sed secundum suam causam, puta subtractionem diuini officii, quo seruabatur ne in peccatum rueret. Nam offensus Deus peccatis præcedentibus, suæ gratiæ beneficium subtrahit: quo subtractio partim impulsu dæmonis, partim sua infirmitate prolabitur quis in omne peccati genus. Quod igitur Augustinus lib. contra Iulianum, & lib. de Natu & Grat. Deum asserit tradere peccatores in praua desideria, non solum deserendo, sed compellendo, & inclinãdo illorum volũtates in malum recte intelligẽdum est: nõ quasi Deus velit irrogare, aut immittere malitiam; sed quod iusto iudicio non solum nõ apponat gratiam, qua cohibeantur malę voluntates sed etiam occasiones, & offendicula, ad quę licet ea posset vitare, grauius impingunt; suo tamẽ vitio vertẽtes occasiones, quibus corrigi debuerant, in materiam peccandi, vt in Pharaone est cernere, aut quia voluntatem ex se inclinatam ad malum, cõuertit

Sap 11.

Infra 14.

Eccli. 15.

Ps. 5.

Osea 13.

Ezech. 33. & supra 18.

Iacob 1.

Altera sol. commoda & vera.

B. Thom 1. 2. q. 87. art. 2 to. 11.

Aug l. 5 cõtra Iulian. c. 3 ante med. to. 7. Idem l. de Nat & Grat. c. 22. in princ. & deinceps, to eodem circa med.

Exod. 7.

fini-

similiter, vt in certos homines suam malitiam exerceant. Ita præcepit Semei maledicere Dauidi. Vnde Augustinus libro contra Iulianum subiunxit: *Facit hæc miris, & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua, non solum in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari. Qui non facit voluntates malas, sed vtitur eis vt voluerit, cum aliquid inique velle non possit*, &c. Et Anselmus lib. de concordia præscientiæ, & prædestinationis: *Deus*, inquit, *facit omnes actiones, & omnes motus quos ipse facit res, à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt: & nulla res habet potestatem volendi, aut faciendi, nisi illo dante.*

2 Reg. 16.

Aug. eodē c. fere circa fin.

B. Ansel. li. de conc. præscien. & prædest. c. 2. circa fin.

Secundę solutionis ratio.

Atque ex his videtur solutum primum argumentum. Ad secundum vero, cum dicitur, pœnas omnes esse medicinas, per quas peccator à vitiis reuocatus, ad virtutem redeat: dicendum est, interdum per eiusmodi peccata Dei bonitate contingere, vt homo in seipso confusus, & humiliatus, feruentior, & promptior ad virtutis officium redeat, iuxta illud: *Vbi abundauit delictum superabundauit & gratia.* Vt etiam hac ex parte intelligas, peccata obscœna, ac turpia Deo instar pœnarum deseruire. Tertio, ex dictis argumentum confici posset, Deum ad peccatum ipsum concurrere, & non minus ad eius actionem materialem, quam ad deformitatem ipsam concurrere. Respondemus, duo extrema nobis esse vitanda tanquam Scyllam ac Charybdin, ac media, ac regia via incedendum. Est igitur quorundam sententia asserentium, non minus ad formam peccati, quam ad materiam Deum concurrere: nec tamen Deum propterea peccare, quia superiorem cui se conformare debeat, non habet. Vt si duo vnum eleuarent lapidem, vnus ex præcepto, alter contra præceptum, idem motus lapis esset ab vtroque, quorum alter peccaret, alter vero obedientiā mereretur. Sed certe durum videtur, malum nostrum Deo impingere, & eius autorem Deum proprie efficere, & contra allatas à nobis superius Scripturas militaret. Altera vero opposita sententia, & quam Durandus tuetur, Deum tradit, ad neutrum, id est, nec ad deformitatem, nec ad actionem immediate, sed medio libro arbitrio nostro concurrere, ne Deus autor peccati constituatur; quia alioqui voluntas non esset, libera, quia non haberet perfecte effectum in voluntate sua.

Si pœnæ vitiorum medicinæ sūt quomodo vorū pœnę

Rom. 5.

Qua ratione Deus ad peccatum concurrat.

Primus sensus.

Simile.

Cōfutatur

Alter sēsus *Durand.*

Durandi pro hoc sensu argumēta soluūtur

Sed hæ rationes leues sunt, & nihil solidi concludunt. Etsi Deus ad actionem immediate non concurreret, Deus non esset causa boni alicuius. Neque propterea voluntas desinit esse libera, quia vbi primum illa se ad hanc, vel illam partem inclinauit, libere Deus illi coagit, siue coefficit; non autem superior Dei voluntas prius inclinat ad vitium, sed prout voluntas creata voluerit. Neque valet illud: Quicquid est causa causæ, est causa causati: cum igitur Deus sit autor liberi arbitrii, à quo proficiscitur peccatum, erit & autor peccati. Respondemus, enim fabrum autorem esse gladii, non autem homicidii, quod alter ipso perpetrauit: & pater est causa filii, non autem nepotum, qui à filio gignuntur? Sed tunc tantum quod est causa causæ, efficit quod secunda causa facit, quādo prima causa cum media ad actionem mouetur. Neq; rursus valet: Potestas peccandi est à Deo, ergo etiam peccatum ab eo profectum. Dicimus enim, quod potestas pecandi, quæ in libero arbitrio posita est, neq; peccatum est, nec sufficiens causa peccandi, nisi accedat electio voluntatis humanæ.

Quod dicitur: Quicquid est causa causæ, est causa causati, quomodo verum sit.

Potestas peccandi quatenus mala, & causa peccati.

Colliges; Si Deus peccato non cooperatur, saltem peccantibus consentit: at facere peccatum, & illi consentire, paria sunt. Respondemus, Deum Peccatis non consentire, qui ea tum ratione, tum lege scripta vetat: eaque aut per se, aut per suos ministros debito supplicio plectit. Sæpe etiam peccātes ipsos corripit, vt etsi permittere peccatum Deus dici possit, nunquam tamen illi consentire dicendum sit. Sed hæc subtiliora sunt, quam præsens locus, quem explicamus, postulet. Et de his satis.

Vnde constet, Deum peccantib. minime cōsentire.

DISPVTATIO XV.

In verba illa cap. 2. *Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas. Eadem enim agis quæ iudicas. Scimus enim, quoniam iudicium Dei est secundum veritatem,* &c.

I. ambiguū

VERBA propositā duplicem patiuntur obscuritatem: altera est, ad quem ea dirigantur, an scilicet ad Gentilē, de quo superius fuit sermo, an ad Iudæum, an potius ad vtrumq; populum ex Iudæis, & Gētibus in vnum corpus conflatum. Non desunt opinatores, qui huic sententiæ patrocinentur. Secundo obscurum est, quomodo qui iudicat alterum, seipsum condemnet: multi siquidem iudices pro tribunali sedentes alios de eisdem peccatis, quibus inuoluuntur, ad supplicia condemnant: nunquid propterea illi sententiam in seipsos pronuntiant? Dicendum ad primum.

II.

III. ambigui solutio

Proposita Pauli verba de Gentili, an de vtroque sint accipienda I. solutio. Caietan.

Ca etiam nunc asseruisse, Apostolum hoc loco ad iudices Gentilium verba fecisse, cum eos vellet ostendere, non secus quam sapientes ac Philosophos in iniustitia veritatem Dei detinuisse, eosque perinde esse inexcusabiles & à licentia peccandi, & à nouo delicto iudicandi (etsi non semper mortifero) atque alios sapientes. Tales siquidem iudices in lethalibus peccatis perseuerantes excludunt à se omnem ignorantiæ excusationem, quam possent obtendere. Iudicando enim alios, & eorum peccata vindicando, sibi ipsis grauissima pœna dignos seipsos ostendebant. In quo enim iudicas alterum, ait, teipsum condemnas: hoc est, Actus quo alium iudicas, tuam ipsius continet condemnationem. Vnde subdit, iudicium Dei esse secundum veritatem, à qua nec iudices eximuntur, qui non credendo iudicium futurum, existimabant, & sibi pollicebantur, quod id possent euadere.

Improbatur explicite.

Sed reuera hic locus non videtur in primis de iudicibus agere, qui publica autoritate fungebantur, & peccata publica vindicabant: quia satis Gentibus notum erat, quod iudicium Dei euadere nemo posset. Deinde, cum superius taxasset Philosophos, & sapientes, satis iam ipsos iudices, qui vt plurimum non nisi doctrina præstantes constitui solent, suggillauerat, vt non opus esset vlla peculiari iudicum reprehensione.

Rom. 1.

Quales fere creari soleant iudices.

Altera solutio.

Rom. 2.

At hæc cum in his verbis in secunda persona loquatur, & sermonem continuans, inferius subiungat: *Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo*, videtur expressisse, quæ esset illa secunda persona, ad quam loqueretur. Alij vero, vt beatus Chrysostomus, & eius sequaces, & Haymo putant, hunc sermonem Pauli ad vtrumque populum, tam Iudæum quam Gentilem, dirigi, qui interim inflati in alios sese efferebant, & mutuo sese temere iudicabant. Perinde ac si dixisset, Vos Philosophi, & sapientes, qui Iudæos violatæ legis suæ compellatis, & accusatis, eo eodem vos iudicio inuoluitis: nam & eadem facitis, nec ab ignorantia excusationem habebitis. Similiter & vos Iudæi, qui præ vobis omnes alios contemnitis, eandem sententiam, qua Gentiles damnatis vt idolorum cultores, & impios in vos ipsos pronunciatis: quia legis, quam scripto accepistis, nihilo fideliores obseruatores extitistis, quam illi, qui tantum cognita legis naturæ præcepta violarunt. Vnde non est, quod eorum sensu dedignemini. Hic sensus adiuuari potest ex eo, quod ait: *O homo omnis*, vel quicunque iudicas, siue Iudæus sis, siue Gentilis. Et inferius quasi id explicando, scribit: *Iudæo primum, & Græco*. Et videtur hic intellectus probabilis, nec omnino repudiandus, ob autoritatem Patrum & ob rationem assignatam.

Chrys. ser. in hunc locum, ante med. to. 4.

Exod. 19.

Vnde comprobetur hic sensus.

Verum enimuero cum continuato sermone in secunda persona pronuntiauerit: *Si autem tu Iudæus cognominaris*; &, *Qui ergo alium doces, teipsum non doces*. Et in genere dixit: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum*. Et rursus: *Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*; & quia subdit: *Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem*, connumerans se eo verbo cum Iudæis, quibus hoc notum erat per legem; & quoniam Iudæi præcipue duritia cordis, & impœnitentia delictorum laborabant, & quia superbiores erant, & magis aliorum censores: propter has omnes rationes statuendum est, hunc sermonem ad Iudæos directum fuisse: atque ita statuit Augustinus lib. de Spiritu & litera ad Marcellinum, cuius hæc sunt verba: *Inde* (scilicet à Gentibus) *transit ad eos, qui iudicant, & agunt talia, qualia condemnant, nimirum propter Iudæos; qui de lege Dei gloriabantur: quamuis adhuc eos nominatim non exprimat. Et ideo dicit. Ira, & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum, & Græci*. Idem docet epistola ad Sixtum de Iudæis loquens: *Eis quippe dicit: Propterea inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas*. Quam sententiam multi alij merito sequuntur vt solidiorem. Nec obstat vox illa: *O homo omnis*: vel quicunque, & cæt. quia est sensus: Omnis quicunque ille sit, etiam Iudæus, qui legem accepit, & filius Abrahæ, & circumcisionis signaculo insignitus est. Nec obstat etiam, quod infra ait, *Iudæo primum, & Græco*, quasi loqueretur ad vtrumque. Id enim merito facit Apostolus, quia cum dixisset, in omnem animam hominis operantis malum, expressit, per Iudæum, & Græcum, id est, Gentilem, intelligendum omnem hominem. Iuuatur hic etiam sensus ab Augustino assertus illo verbo: *O homo omnis*, id est, etiam tu Iudæe, qui homo esse debuisti ob legis doctrinam: distinguens eum ab aliis Gentibus, quas propterea Scriptura hominis nomine vix dignatur, & sæpe sub ferarum, & bestiarum vocibus eas designat: vt Esai. vndecimo vocabulo leonis, lupi, vrsi, pardi, vituli, agni, hœdi eas denotat: & in linteo ab Apostolo Petro viso ostensæ sunt Gentes sub nomine animalium: & Dominus in Euangelio: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*. Et ex dictis accipere possumus, quid sit illud, *Propter quod*, vel, *Quapropter*,

Eiusdem incommodum.

Tertia solutio huic loco congruentior.

Aug. li. de Spir. & lit. c. 25. sub init. to. 3. longe à med.

Idem epist. 105 ante med. to. 2.

Rom. 4.

Gentes, fere per contemptum homines in Scripturis appellantur. Quib. alijs nominib. designentur.

Act. 10.

Matt. 15.

Propter, vt alij vertunt. Eſt enim ſenſus, teſte Auguſtino: Ob hoc ipſum, quod inexcuſabilis eſt Gentilis veritatem Dei in iniuſtitia detinens: ita tu quoque Iudęe, qui veritatem diuinæ legis notam minime obſeruas. Vel alio modo, vt docet Ambroſius, cum proximis verbis adiunges: Ob hoc, quod nõ ſolum morte dignus eſt perpetrans illa delicta, ſed etiam aliis facientibus mente conſentiens mẽtiris: ita tu quoque Iudæe faciens eadem, quę alij, licet aliis non conſentias, quos iudicas: quia etſi opere externo non pecces, corde tamen, & affectu peccas, quod eſt contra veritatem non tam delinquere. Explicans autem Auguſtinus quis ſit inexcuſabilis ait: *Iſtos Scriptura dicit inexcuſabiles, quos non latet veritas, & in eis perſeuerat iniquitas.* Atque ita latenter, & miro artificio tranſitum facit ab vno populo ad alterum. Siquidem cap. 1. inſectatus fuerat Gentiles, qui plus cæteris ſapere videbantur, & ex illis inſurgit contra Iudæos qui alienæ vitæ cenſores, & iudices erant: oſtendens in primis, illos à Deo legem accepiſſe, & veritatem nouiſſe, nihilq; illis profuiſſe. Deinde de circumciſione idem comprobat ab eo loco: *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues*, in finem vſque capitis: & conſequenter cap. 3. de genere alt, quod nihil ad rem, ſiue ad iuſtificationem faciat. Et ita eandem diſputationem in Iudæos ingreditur Apoſtolus, qua priori capite Gentiles perſtrinxerat. ¶ *In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas.* Id eſt, eo ipſo quo alium iudicas, vel, Hac ipſa de cauſa, vel, Per quod, ſiue, Per quam legem (ita enim verti poteſt illud, *In quo*) Nam de aliquo vniuerſali, verbi gratia fundamentum ſententiæ capis, vt puta: Quicunque mœchatur cum vxore alterius, aut alium occidit, dignus eſt morte. Sed vt alium ponis in minori, ita poteras de teipſo ſubſumere; & eadem erit concluſio, te videlicet morte dignum eſſe. ¶ *Eadem enim agis, quæ iudicas.* Interpres noſter forte legit ἀκείνοις, nos vero modo legimus ὁ κρίνων, id eſt, qui iudicas. Et ſicut can iam excuſationis, id eſt, ignorantiam excluſit; ita modo innocentiam, per quam quis poſſet ſine peccato alios iudicare, etiamſi minime deberet: vel ob hoc ipſum, quod etſi non peccaret, propenſus tamen, & pronus eſſet ad peccatum. Indignus igitur venia eſt, qui de alterius peccato pœnas ſumit, in quo ipſo implicitus eſt. Tales enim virtute ſeipſos condemnant, non ſecus atque Dauid in parabola à Nathan Propheta propoſita, qui in caput ſuum dixit; Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc: & Iudæi operarii vineæ interrogati à Domino de pœna, qua digni eſſent mali operarii; neſcientes quid dicerent, tulere ſententiam in ſeipſos: *Malos male perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis.* Audi iam quid homo ethnicus actione quadã in Verrem ſapienter protulerit: *Legem ſibi ipſi indicunt innocentia, continentia, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ repoſcunt.* Et infra: *Non modo accuſator, ſed ne obiurgator quidem ferendus eſt, qui cum in altero vitium reprehendit, in eo ipſe deprehenditur.* Seneca quoque Philoſophos, qui cum recta docerent, perdite tamen viuerent, in ſuum inquit ipſorum vitium fuiſſe diſertos. Eadem autem agebant Iudæi, quæ Gentes: nã vt hæ idola coluerunt, & in infandis carnis flagitiis ſe contaminarunt; ita Iudæi & fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerũt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum: & Iudæos Iſaias compellat principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ; Ezech. *Iuſtificaſti*, inquit, *ſorores tuas* (Sodomam, & alias ciuitates) *in omnibus abominationibus tuis quas operata es.* ¶ *Scimus enim* (ſiue vt Ambroſius legit, autem) *quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos, qui alia agunt.* Oſtendit illos nõ ſolum inexcuſabiles, ſed aliquando in iudicium adducendos, vt debitas pœnas pendant. Et ait in plurali, Scimus, nos ſcilicet Iudæi inſtructi per legem. Loquitur enim cum maioribus Iudæorum qui legis peritiam habebant: quemadmodum ſuperius cum maioribus Gentium egerat. Et apte ex humano iudicio progreditur ad diuinum; quod non ſolum erit in ſubditos, ſed & in iudices: nec tantum in eos, qui manifeſte peccant; vt Gentes, ſed & in eos, qui occulte, vt Iudæi. Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. ¶ Commendat autem iudicium Dei ex multis: primum à veritate; quia nulla poteſt ſubeſſe fallacia; cum tamen iudicium humanum ſæpe deficiat, quia procedit ex allegatis, & probatis, & plerunque ex præſumptionibus, & cõiecturis leuiſſimis; ſæpe etiam falſæ Scripturę producuntur, & falſi teſtes; & ſæpe etiam iudex non ſine acceptione perſonarum iudicat. Deinde celebrat illud à neceſſitate: quia cum ſæpe humana iudicia per fugam, aut vim aliquis effugere valeat, illud Dei tamen nemo vitare poteſt. Vnde ſubdit: *Exiſtimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* quaſi diceret, Impoſſibile eſt, vt ſæpe poſſibile eſt apud homines. Tertio deſcribit illud à diuturnitate, & beneuolentia iudicis, qui diu nos ad pœnitentiam

August.

Ambr. eo s.

Quis ille alterum iudicans ſit inexcuſabilis, ſecundum Auguſtinum.

Aug. epiſt. 105. paulo ante med.

Venia quibus indebita.

2. Reg. 12.

Matt. 21.

Cicer. orat. 4. in Verr. init.

Seneca.

Iudęi quando eadem quæ Gentes, quas iudicabant, videtur egiſſe.

Exod. 32.

Pſalm. 105.

Eſa. 1.

Ezech. 16.

Ambr. eo s.

1. Reg. 16.

In quibus differat diuinum ab humano iudicium.

I. diſcrimẽ.

II.

III.

expe-

expectat, nec præceps fertur ad vindictam: *An diuitias*, inquit, *bonitatis tuæ, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Qua in re tacitæ obiectioni respondet. Nam obiici poterat: Vbi est hoc iudicium Dei, & quis vnquam illud expertus est? Docet vero, eiusmodi tarditatem à bonitate Dei proficisci, qui vt pareat, ad pœnitentiam nos expectat: qui enim non vult mortem impij, sed vt conuertatur impius à via

Ezech. 33.

sua, & viuat. Quare Sapiens recte admonuit, ne spatio pœnitendi nobis à Deo dato abuteremur, dicens; *Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit triste. Altissimus enim est patiens redditor.* Nec Gentiles hoc ipsum ignorauerunt. Nam Plutarchus libro de sera numinis vindicta multa egregie philosophatur de dicto illo tragici Euripidis: *Cunctatur: tale est enim numinis natura:* & ex Latinis Valerius Maximus, *Iudicij tarditatem, supplicij grauitate compensat.* Postremo commendat illud à magnitudine retributionis cuique, iuxta opera sua debitæ, siue præmium sit, siue supplicium, cum ait: *Qui reddet vnicuique secundum opera eius.*

Supra. 18

Eccli. 5.

Plutarch.

Euripe.

Valer. Max.

Quartum.

Secundi ambiguï solutio Quo modo qui alterum iudicat, seipsum condemnet.

Iam vero vt ad secundum dubium propositum accedamus, nequaquam hoc loco Apostolus iudicium publicæ potestatis, quod ipsemet Dominus constituit, condemnat: de quo per Salomonem ait, Cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis: de quibus: *Noli quærere fieri iudex: nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Quæ verba in Pilatum aptissime torquentur, qui metu amicitiæ Cæsaris amittendæ, innocentissimum, & iustissimum Dominum damnauit: & Dominus, *Nolite*, inquit, *iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Etenim si iudex in eodem mortifero sit peccato, in quo reus est quem iudicat, si delictum sit notum, grauissime delinquit propter scandalum: nam tunc iustitia apud populum in vilipendium venit. Si vero sit secretum, etiamsi grauius sit quam alterius potest sine nouo peccato iudicare, si alioqui non esset alia censura; Ecclesiæ impeditus, quominus posset iudicare. Et iudicando mortiferum saltem delictum non admittit, quia titulum iudicandi habet. Prior vero publicus, & manifestus in scelere iudex posset secreto de peccato conteri, & pœnitentiam agere. Et hæc dixerim de externo iudicio, & à Deo stabilito: Hoc tamen loco de illo non agit, sed de temerarii peccato iudicii, quod de absconditis cogitationibus personarum ferimus ex fallacibus coniecturis, de quo Dominus dixit: *Nolite iudicare, & non iudicabimini*; & Apostolus: *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit.* Stabit autem. Quanquam enim homini rerum, vel actionum iudicium concedatur: radices tamen, quæ in corde hominis delitescunt, intueri, solius est Dei, qui ait: *Prauum est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes*, &, *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Iudicium tamen personarum nobis negatum est, etiamsi maxime iudices simus. Quare Paulus alio loco iudicari à Corinthiis negligebat: *Mihi*, inquit, *pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Et subiunxit: *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*: quasi diceret, corda hominum homines latere, & propterea abstinendum à iudicio temerario. Si vero iudicium, reprehensioque fiat ex officio charitatis, vt seruemus fratrem, modum eius corripiendi præscribit Augustinus libro sermonis Domini in monte, his pulchris verbis: *Pie cauteque vigilandum est, vt cum aliquem reprehendere, vel obiurgare nos necessitas coegerit, primum cogitemus, vtrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse. Si vero habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehensionem, aut obiurgationem non odium, sed misericordia præcedat: vt siue correctionem eius, propter quem id facimus, siue ad peruersionem valuerit (nam incertus est exitus) non tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos inuenerimus in eo esse vitio, in quo est ille, quem reprehendere parabamus; non reprehendamus, neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus: & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter tentandum inuitemus.*

Sap. 6.

Eccli. 7.

Ioan. 7.

Quid sit temerarium iudicium.

Mat. 7.

Rom. 14.

Proprium quid sit.

Ierem. 17.

Psal. 7.

1. Cor. 2.

Infra 4.

Temerarium iudiciũ quare vitãdum, teste Apostolo.

Optima fratrem errantem corripiendi formula ab August. tradita.

Aug. l. 2. de ser. Domini in Monte. c. 20. ante med. et 4. prope fin.

Hactenus ille scite, & eleganter.

(?)



DISPVTATIO XVI.

In illa verba : *Secundum autem duritiam tuam , & impœnitens cor , thesaurizas tibi iram , in die ira , & reuelationis iusti iudicii Dei , qui reddet vnicuique secundum opera eius. Iis quidem , qui secundum patientiam boni operis : gloriam, & honorem, & incorruptionem quarunt, vitam æternam : Iis autem, qui sunt ex contentione* , & cætera , vsque ad illud, *Iudaeo primum, & Graeco.*

QVONIAM hæc Apostoli sententia: *Reddet vnicuique secundum opera eius,*
frequens est in sacris literis,& multis modis
à nostræ ætatis hæreticis exagitata,& in pra
uos sensus detorta,non erit ab re eam lucu-
lentius excutere, quatenus huic loco con-
uenit: multa etiam dubia circa illam exur-
gunt, quæ Catholici proponunt , ac dis-
soluunt, quo eius veritas illustrior redda-
Quæstio prima. tur.
Primum igitur in dubium venit,an me-
rita iustorum meritum æternæ vitæ habe-
ant, vt ipsa verba aperte sonare videntur;
cum tamen manifeste se opponant hæreti-
Esa.64. ci,iactantes illud: *Quasi pannus menstruata v-*
niuersa iustitia nostra , & Apostolicum ver-
Rom.8. bum: *Non sunt condigna passiones huius temporis*
ad futuram gloriam,quæ reuelabitur in nobis.
II. Deinde dubitatur,quomodo ex duobus in
gratia Dei decedentibus alteri minus labo
ranti datur maior gloria secundum opera,
& alteri, qui magis operatus est,datur mi-
Mat.20. nor, etiam secundum opera: vt constat in
parabola operariorum , qui ad vineam co-
III. lendam missi sunt hora prima, & hora vn-
decima,& vtrique pari præmio affecti. Ter
tio ambigitur,quomodo infantibus bapti-
zatis detur gloria secundum opera, & non
IV. baptizatis supplicium secundum opera ,
cum vtrique nihil sint operati. Quarto,cur
V. quidam qui opera non habent, sed passio-
nes pro Christo , dicantur accipere secun-
dum opera. Quinto, quo modo quis reci-
piat secundum opera,eo posito, quod ope-
ra bona sint,mala autem mens , & animus,
siue intentio. quomodo item è contrario
alicuius opera mala cum sint, bona vero
IV. intentio , recipiant secundum opera sua.
Sexto,qua ratione redditur vnicuique iux-
ta opera sua, & dato quod quis per totam
vitam bonorum operum studio vacauerit
& in fine defecerit per peccatum;ex oppo-
sito vero alter totum vitæ tempus prauis
operibus insumpsit,& in fine surgit per pę
nitentiam:nam tunc qui bona operatus est VII.
damnabitur , qui vero mala , saluus erit.Se-
ptimo,quomodo consonum sit diuinæ iu-
stitiæ,vt qui momento temporis peccant,
æterno supplicio plectantur : non enim
hoc iuxta opera fieri videtur,quæ momen-
tanea sunt,at supplicium æternum.Postre- VIII.&vlt.
mo, quomodo dicitur retribuere iuxta o-
pera sua , si iuxta regulam à sacris Theolo-
gis traditam, & bonos remunerat supra cō
dignum,& reprobo : punit infra merita.
¶ Antequam vero his dubitationibus sa- Literæ series.
tisfaciamus, percurrendus est breuiter cō-
textus Apostoli,atque explicandus. Cum
igitur lenitatem, & bonitatem Dei expe-
ctantis ad pœnitentiam proposuisset Pau-
lus , qua corda nostra emolliri, & ex lapi-
deis in carnea conuerti debebant; propo-
nit iam,qua ratione homines tanto Dei be-
neficio abuti soleant. ¶ *Secundum duritiam,*
inquit, *tuam , & impœnitens cor , thesaurizas*
tibi iram in die iræ, Ille enim seruare cum ve-
lit,& duritiam nostram frangere, & pœni-
tentiam conferre statuit , nos è contrario
nosipsos perdimus , & obduramus, & ad Vnde hominis duritia.
cor pœnitere nescium conuertimur. Et be-
ne dixit, *Duritiam tuam*:quia illa est à nobis, Psal.49.
& peccatorum progressu indies augetur ,
vt merito dicatur : *Hodie si vocem eius audieri-* Hebr. 3.
tis,nolite obdurare corda vestra. Et autem cor Eccli.3.
durum, quod male habebit in nouissimo: Durum cor quodnam sit.
quod vel tangenti Deo,& charitatem suam
proponenti , vel beneficiis allicienti, vel
saltem pœnas comminanti cedere non no
uit. Cum tamen omni rei vilissimæ, vel fla-
tui ambitionis,& iracundiæ , vel impulsui
carnis statim cedat. Dicitur autem impœ-
nitens cor, siue vt sic dicam, impœnitibile, Cur dictū cor impœnitens.
quod Gręca vox ἀμετανόητον denotat,quod
ad pœnitentiam de turpissimis, ac defor-
mibus peccatis non flectitur: quod est ve-
nenum intra stomachum receptum, & so-
lo fomitu curabile nolle euomere. Et vi-
detur peccatum in Spiritum sanctum, per
quod nolumus pœnitere,aut veritatem a- Thesaurizandi verbum in sacris literis. & bonæ,& malæ significationis est.
gnitam impugnamus. Et verbum illud, *The*
saurizas,quo etiam Paulus vsus est in Græ-
ca lingua, & quod quidam voluissent ver-
ti per verbum Colligis, satis commodum
est,quare non sunt audiendi , qui aliter do-
cent , quia eiusmodi phrasis thesaurizandi
in malam partem in Scripturis interdum
reperitur. Nam Deuteron. trigesimo se- Deut.32.
cundo, cum de peccatis infundis multa di-
xisset Dominus, subdit : *Nonne hac condita*
sunt apud me, & signata in thesauris meis ? &
Iacobus Apostolus : *Thesaurizastis vobis i-* Iacob.5.
ram in nouissimis diebus. Nam vt solet thesau-

rus te-

rus recondi, aurum auro, & argentum argento cumulando, & magna, ac solicita diligentia seruando, ne quisquam illum deprædetur, vt tandem aliquando sua die detegatur. & illum possidens diues, & beatus habeatur: Ita per contrarium thesaurizamus iram, id est, diuinæ vindictæ meritum, peccata peccatis coercendo, & diligenter illud per impœnitentiam asseruando: ita vt Deus omnium nostrorum delictorum memoriam exactam custodiat, quo tandem aliquando die nouissima detegatur thesaurus malefactorum, vt cum ipso grauissimo punitatis supplicio, & in ignem æternum demergaris, tanquam adulterinæ, & spuriæ monetæ artifex. Porro nouissima dies dicitur iræ dies, quia in ea detegetur vindex Dei iustitia, quæ nunc non apparet; & detegentur etiam occulta nostra delicta, quæ eo die patebunt. Propterea vocat diem reuelationis iusti iudicii Dei. Nec enim nomine iræ morbum animi perturbantis iustitiæ ordinem, intelligeres, continuo subdit, *Iusti iudicij Dei.* Quanquam Græca litera, & Origenes, & Theophylactus tria membra reddant, nimirum, In die iræ, & reuelationis, & iusti iudicii Dei: sed in idem redit. Nam Oecumenius annotat positum, Et, sine, καὶ, ad declarandum, quæ sit illa reuelatio nempe iustum iudicium, per Hepexegesim: Et iustum iudicium dicitur, in quo iudex reddit vnicuique iuxta opera sua. Et vt iudicii dies dicitur, quod in eo occulta, & corda reueleutur, & iustitia Dei omnibus nota, & illustris fiat; ita nox dicitur, quia veniet iudex tanquam fur in nocte, & quia qua hora non putamus Filius hominis veniet. Sicut vita præsens non dicitur, quia per fidem, hoc est, per obscura, & ænigmaticam lucem ambulamus, non per speciem. Dies etiam vocatur, si conferatur cum lege, de qua: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Tempus vero æternæ gloriæ tantum dies erit, nequaquam nox: quia ciuitas illa non eget Sole, vel Luna, quia lucerna eius est agnus. Subdit: *Iis quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam,* &c. Quo loco Apostolus ineffabilis præmii magnitudinem, & terrifica malorum supplicia ob id proponit, vt exponat quod in genere dixerat. Reddet vnicuique secundum opera eius. Et primo quidem loco bonorum remunerationem proponit: sicut etiam Dominus Matth. 25. iustis priori loco præmium proponit, deinde iustum supplicium reprobis. Deinde aduerte, tam ex Græca, quam Latina lingua duplicem colligi posse lectionem. Prior est, vt his qui quærunt, quod Græce est participium ζητοῦσι, nectes accusatiuos proximos ferat, id est, nimirum gloriam, honorem, & incorruptionem: postea Accusatiuus, vitam æternam referatur ad verbum Reddet. Vt sit sensus: Iis quidem, qui quærunt gloriam, & honorem, & incorruptionem reddet vitam æternam; quam lectionem sequuntur Origenes Chrysostomus, & Theophylactus, atque Erasmus. Altera vero lectio est, vt verbum, *Quærentibus*, regat Accusatiuum vitam æternam, alii vero tres regantur à verbo, Reddet, in hunc modum: Iis, qui quærunt æternam vitam, reddet gloriam, honorem, & incorruptionem: & hunc videtur secutus interpres noster: quanquam quidem ex nouis traductoribus eum traducant, vt sententiæ peruersorem, & barbarum. Sed certe neutrum efficienter probari, cum sic legant perplures boni autores, vt Ambrosius, Hieronymus in cap. Esai. 66. Augustinus libro 3. de Doctrina Christiana, cap. 11 Gregorius libr. 18. Moralium, capite 13. & Ruffinus libro 3. de Princip. cap. 1. vertens Origenis libros Periarchon: *Iis quidem*, ait, *qui secundum patientiam boni operis, gloria & incorruptio, scilicet reddetur*: Adhæc Oecumenius Græcus autor ita admonet legendum esse: Iis, qui secundum tolerantiam operis boni quærunt vitam æternam, reddet gloriam, & honorem, ac incorruptionem. Et videtur hic sensus magnificentior, & veritati Pauli propinquior: quia legitima bonorum nostrorum operum intentio in Deum ferri debet, qui obiectum est vitæ æternæ, in quo essentia beatitudinis sita est. Gloria autem, honor & incorruptio illius sunt qualitates. Nec est verisimile, Paulum, Romanos præsertim, qui illustres honoris titulos, & gloriosos immortalitatis honores sitiebant, quærebant, prius admonuisse, vt mentis oculum in gloriam defigerent, quam in vitam æternam; cum contra Dominus dicat: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Item gloriæ, incorruptionis, & honoris congeries explicatio est, & pene descriptio vitæ æternæ. Melius ergo decorum seruatur, si dicamus, quærentibus rei substantiam reddi, quæ inibi continentur, quam si contrarium dicas. Aptior enim est oratio, si de quærente felicitatem dicamus: Obueniet illi incolumitas, honor, & affluentia, quam si à contrario asseramus, quæ rentilla, obuenire felicitatem. Artificiose etiam opponitur, *Ira, & indignatio*, in animam operantis malum: vt etiam declarans inferius, ait: *Gloria, & honor, & pax* (scilicet erit) *omni operanti bonum.* Et ait: *Iis autem, qui sunt*

ex con-

Marginal notes:

Quomodo thesaurizemus iram Dei.

Dies iræ cur vocetur extrema iudicii dies.

Orig. li. 2. sim inc 2. epist. ad Ro. sub init. to. 2
Oecu. ibid.

Iudicium Dei cur iustum dixerit Apostolus.

Dies iudicii cur nox dicta.
Mat. 24.
1. Thess. 2.

Hoc seculum cur veniat etiam appellatione noctis.
1. Cor. 5.
1. Cor. 13.
Rom. 13.
Apoc. 21.

Cur modo Paulus bonorum æternam mercedem & malorum punitionem commemoret.
Matt. 25.

Ordinatio textus

Orig. dicto loco Chrysost. in hunc locum ante med. to. 4. Theophyl. Erasmus.

Ambr. to. 5 Hier. in ca. 66. to. 5 Aug. li. 3. de Doc. Christ. c. 11. to. 3. Greg. li. 27. Moral. c. 13. to. 1. Ruffin. li. 3. de Princ. c. 1. ante dimid. to. 1. circa fin. Oecumen.

Opera nostra cur tantum in Deum referri debeant.

Mat. 6.

ex contentione, hoc est, contentiosis, & pernicacibus. Et vox patientiæ Græce est ὑπομονὴ quæ patientiam denotat, & perseuerantiam. Nam operantem labores consequuntur, & tribulationes, & non nisi in patientia adferunt fructum, vt Dominus dixit, & in patientia sua possident animas suas. Est enim bonum opus in mentem cõscendere, quo non sine difficultate, & sudore ascenditur, & nauigare contra cursum fluminis. Opus est etiam perseuerantia, quia non tantum opus est boni inchoatione, sed etiam consummatione. *Esto*, inquit, *fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. At vero credentibus, siue obedientibus veritati, vita æterna: incredulis autem veritati, siue iis, qui non obtemperant illi, sed iniquitati, *Ira & indignatio*. Hunc locum videtur exposuisse Paulus in posteriori ad Thessalonicenses, cum ait, *Vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*. In hos primo insurgunt ira, id est, vindicta Dei, & indignatio, seu dedignatio, quia iudex (cuius est præmia dare) indignum quempiam reputat vitæ æternæ præmio. Atque ibi punctus ponendus videtur, & inchoanda clausula: *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum*, vt sic respondeat verbo sequenti: *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum*. Est autem tribulatio acutissimus dolor tormentorum gehennæ, à tribula, qua segetes in area conteruntur, vel à tribulo, seu ferreo, seu spineo dicta. Angustia vero à breuissimo loco, vbi res aliqua arctissime constringitur, designatur: inde transfertur ad pressuram animæ perfugium non habentis, vt euadat cruciatus, quia ratio consulta illos damnabit, neque mors poterit succurrere, quia desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Et subiungit: *Iudæi primum & Græci*. Quia grauius punietur Iudæus, quam Gentilis, quia magis ingratus Deo extitit, & maiorem Dei, & diuinæ legis, & venturi Messiæ notitiam habuit. Sunt enim peccata fidelis tanquam mulieris habentis virum; illa vero Gentilis, tanquam mulieris solutæ, & nulli alligatæ coniugi. Ideo Iudæus grauius peccat in eodem genere peccati, & grauius punitur quam Gentilis: quia seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Et subdit: *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Non est enim acceptio personarum, apud Deum*. Pro incorruptione pax retribuitur, quæ summa est & animi, & corporis

Luc. 8.

Infra 19.

Quomodo per patientiam et iam boni operis acquiramus vitã æternam.

Apoc. 2.

2. Thess. 2.

Quid sit tribulatio, & vnde dicatur.

Angustia cur sic dicta

Apoc. 9.

Iudæi, quã Gentiles cur grauius torquebuntur.

Fidelis, & infidelis peccata cõparantur.

Luc. 12.

Ibid.

Quid sit Pax

tranquillitas perpetuo confirmata. Et opera magis dilecti gratiora sunt apud Deum. Est autem acceptio personarum, delictum iustitiæ distributiuæ contrarium: quod tunc cõtingit, cum Rex, vel iudex qualitatem respicit personæ, quæ nihil ponderis adfert ad causam. Vt si quis Sacerdotium indigno conferat, quia consanguineus est, aut quia vile ministerium impendit. Vbi vero quis sua distribueret sine iudicio, aut non indigentes indigentibus præponeret: male quia illa distribueret; sed vitium acceptionis personarum non committeret: quia illud tantũ in his, quæ debita sunt, locum habet.

Personarum acceptio quid.

Quæ iniustitia possit sine personarum acceptione consistere.

His explicatis accingimur ad expediendas propositas dubitationes. Ad primum igitur dicendum est, multa hæreticos mala sentire de bonis operibus, tum de illis quę iustificationem antecedunt; tum de illis, quæ illam comitantur, tum denique de iis quæ illam consequuntur: & ab his vltimis meriti æternæ vitæ rationem adimunt, etsi admittunt alicuius præmii humani, siue corporei esse posse merita. Quæ doctrina falsa omnino est, cum corporis, & fortunæ bona æque bonis, ac malis contingant, iuxta illud: *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos*. Et cum parua, & leuissima sint, non cadunt sub meritum, & pro additamento conferuntur, & adiiciuntur nobis, & iniquis propter peccata non subtrahuntur. Et si solis iustis dantur; cur illis participant facinorosi, & cur Lazarus mendicitate, & vlceribus atteritur? Falsum est ergo quod docuit Apologia Augustana Melanchthonis, bona opera posse promereri corporea, & fortunæ bona in hoc seculo, & futuro: nam quæ (quæso) bona temporaria, aut corporea erunt, cum tunc immortalitate, & æternitate perfruamur? Quod vero meritis bonorum operum respondeat æternę vitæ præmium, vt merces debita, quam plurima ostendũt. Nam & dicitur reddi vt merces, & retribui secundum opera, & corona iustitiæ, siue militantis, & brauium currentis, & denarius operariorum colentium vineam. Dicitur etiam non minus reddi præmium vitæ æternæ iustis, quam iniustis ignis æterni supplicium: at hoc non nisi ex meritis pendet, ergo & prius etiam præmium ex meritis iustitiæ, & debito respondebit. Sed quia de his longiorem alio loco tractationem præparamus, vbi plenius, & vberius rationes meriti discutiuntur, non putaui hoc loco plura esse dicenda. Locus Esaiæ prolatus, si præcedentia, & consequentia verba mature, & sapienter excutiamus, nonnisi

I. solutio quæstionis Quod iustorum bona opera non vitam temporariam, vt hæretici contendunt, sed æternã promereantur.

Mat. 5.

Infra 6.

Luc. 16.

Contra Melanchthonem.

Quam hęc doctrina sit Scripturis consentanea.

Mat. 20.

Prou. 12.

1. Tim. 4.

Supra 2.

1. Cor. 9.

Matt. 10.

Infra 25.

Illud Esaię Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iu-

ſtitiæ noſtræ quomodo verum ſit.

de hominibus extra gratiam poſitis accipiendus eſt. Paulivero ſententia ſpectat ad valorem, quem opera ipſa ex natura ſua habent, ſiue ex ſubſtantia, & vtilitate, quam Deo ipſi, cui operamur, dare poſſumus. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur e? Et iſta ratione vita æterna non eſt pura merces operum, ſed etiam donum: ſecus ſi attendatur Dei pactum, de quo Matth. vigeſimo ſecundo, vel perſonæ operantis dignitas, vel gratia Spiritus, qua perficiuntur.

Non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, vt dicat Apoſtolus. *Rom. 11.* *Matt. 20.*

Ad ſecundam dubitationem reſpondemus, opera ſecundum ſuam ſubſtantiam coram Deo nihil promereri: ideo ad gloriam conſequendam nihil refert, ſi plura, vel pauciora quis adferat: merentur autem quatenus ex gratia, & pacto in Christo inito proficiſcuntur: Ideo ad radicem charitatis maioris, vel minoris reſpiciendum eſt. Poſſunt enim vnius opera magis dilecti, & breuiori tempore perfecta ad malus præmium ſpectare, quam plura minus dilecti: imo eadem omnino opera maiori præmio affici in vno, quam in altero, eo quod ex maiori gratia prodeant: quæ opera ſi in Chriſto ponerentur, eſſent infiniti meriti, & ſatisfactionis. Vnde membra minus laborantia, magis honeſta ſunt, vt docet Apoſtolus: & pater idem obſequium exhibitum à filio, quam à ſeruo gratius habet, & maiori præmio remunerat. Et denique nihil eſt æquitate inæqualius, vt quidam ſapiens dixit. In parabola igitur operariorum oſtenditur, murmur ortum de æquali mercede omnibus operariis reddita, iuſtum eſſe non poſſe: Amice, inquit, non facio tibi iniuriam, & ex mea amicitia habes, quod denarium quem pepigi tecum, poſſis tollere. Vade, contentus eſto, remouere ab hac opinione. Et vnus denarius dicitur dari omnibus: quia omnes beati omnia, quæ ſunt Deus, in Deo vident. Non tamen omnes omnia creata in Deo vident, ſed de his, qui beatiores ſunt, minus beatos illuminant: & ſic tandem omnes eadem vident, ſed non æque intenſe. Completurque hac ratione denarii rotunditas, dum omnes eadem ſciunt, & de omnibus aliis gaudent, fitque vnicum omnium gaudium. Cæteris autem paribus, ſi duo in eodem gradu gratiæ conſiſtant, magis operans, magis etiam remuneratur, iuxta illud: *Vnusquisque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*, &c: *Qui parce ſeminat, parce, & metet.* Quod igitur dicitur: *Reddet vnicuique ſecundum opera eius*: illud, *Secundum*, ad duo referri poteſt: & ad quantitatem, magnitudinis ſcilicet, vel multitudinis; & ad qualitatem, operis ſcilicet, & operantis. Nam cæteris paribus in gratia, qui maiora opera, & magis laborioſa, vel numero plura perfecerit, maius accipiet præmium. Intellige etiam de præmio ſubſtantiali vitæ æternæ cum ait: *Reddet vnicuique*: nam de præmio accidentario certum eſt quod vnus alteri poteſt promereri aliquam gratiam, & pro pœnis quibus expiari debuit in purgatorio, ſatisfacere. Sed ille hoc dum viueret, meruit, vt dignus eſſe poſſet aliorum ſuffragio.

Ad ſecundam dubitationem reſponſio. Opera iuſtorum vnde maioris vel minoris meriti rationem habeant.

1. Cor. 12.

Nihil (Plin. inquit) æqualitate inæqualius.

Matt. 20.

Quid quod operariis in vineam miſſis vnus denarius tantum eſt redditus.

1. Cor. 3. *2. Cor. 9.* Dicti Apoſtolici: Reddet vnicuique ſecundum opera eius: duplex intelligentia.

Mereri alteri quomodo poſſit quiſpiam.

Ad tertium dicendum, ſine dubio vllo paruulis baptizatis dari gloriam ſecundum opera; ſicut & non baptizatis ſupplicium. Sicut enim actus Adæ ſine proprio obfuit ad carentiam Diuinæ viſionis: ita actiones Chriſti cum actibus regenerantium illos applicantium eis proſunt ad ſalutem. Natura enim dictat, vt parentes theſaurizent propriis filiis, & maxime in ſpiritualibus, in eo quod pro illis aſſentiuntur, & ratum habent quod in illorum bonum ceſſurum eſt. Addit etiam Auguſtinus ad Hieronymum de Natura & origine animarum, de infantium paſſionibus, quibus affliguntur *Qui autem nouit quid paruulis, de quorum cruciatibus duritia maiorum contunditur, aut exercetur fides, aut miſericordia probatur? Quis, inquam, ergo nouit quid ipſis paruulis in ſecreto iudiciorum ſuorum bona compenſationis reſeruet Deus? Quoniam quanquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid iſta perpeſſi ſunt. Non enim fruſtra etiam infantes illos, qui cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus necandus ab Herode quæreretur, occiſi ſunt, in honore Martyrum receptos commendat Eccleſia.* Hæc ille. Vel hic locus accipi debet de adultis, qui ad rationis vſum & exercitium adoleuerunt, & opera edere potuerunt: non de infantibus, qui ad iudicium diſcuſſionis venire nõ poſſunt. Sed melior eſt prior ſententia, quod infantibus ſecundum merita Chriſti illis applicata detur gloria.

Tertiæ quæſtionis ſolutio. Cur infantib. baptizatis detur gloria ſecũdum opera non baptizatis autẽ ſuppliciũ, cum nihil vtrique boni egerint. *1. Cor. 12.* Parentes filiis quomodo theſaurizent, iuxta ſpiritum. *Aug. epiſt. 28. aliquanto à med. to. 2. ſub init.* *Matt. 2.*

Altera ſolutio.

Ad quartum dicimus, eos, qui opera nõ habent, habent tamen paſſiones (vt nonnulli martyres, & latro in cruce ad Chriſtum conuerſus) pro illis præmium accipere. Paſſiones enim pro operibus, & quidem perfectis reputantur: quia patientia opus perfectum habet, id eſt, operis perfecti rationem, & præmium.

Ad quartã dubitatio. Quomodo qui tantum patiuntur, nihil operantur pro Chriſto, recipiant ſecundum opera.

Ad quintum reſpondemus, gloriam ex gratia dandam perſeuerantibus in ſtudio bonorum operum, vel laborantibus in vinea vſque ad vltimam horam, id eſt, duodecimam, hoc eſt, finem diei: vel dandam ex miſericordia Dei illis, qui in fine vitæ pœnitentiam egerint. Neque ſufficit bona inten-

Mat. 2. *Luc. 23.* *Iacob 1.* Ad quintũ dubium. Bene operantis mala ope-

ta, & oppo ſite, bona o perant & male, vti à Deo remunerentur.

intentio ad hoc vt bona dicantur opera ſed exigitur vt bona ſint ei, qui operatur. Si enim bona opera ex genere ſuo quis operetur, & finiſtra intentio adhibeatur, pro mala quidem intentione punietur, pro bonis vero operibus non remunerabitur. (nam reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius) quia inutilia reddita ſunt per malam intentionem. Adhæc ſi mala ſint eius opera, non exigitur mala intentio (quæ bona, & mala adeſſe poteſt illis, qui male operantur) & qualiſcunque fuerit intentio, ex quo mala ſunt opera, nocent ei qui fecit ea. In his vero, quæ nec bona, nec mala ex genere ſuo ſunt, ſed media, & adiaphora, iudicium ſecundum intentionem ferendum eſt; nam & ipſa opus quoddam eſt.

Ad operũ bonitatem duo requiruntur. *Gen. 4.*

Ad ſextum dubium. Cuius bona vita exitit, & mors mala & contra cuius vita mala, & mors bona hi quomodo digna factis recipiant. *Mat. 24. Ezech. 18. Ibid. 21.*

Ad ſextum dicendum eſt, opera cuiuſque dici ea, cum quibus ab hac vita recedit, & quæ ſola Dominus remunerat: ea vero bona quæ egit, ſi in fine vitæ ceciderit, mortificantur, & fiunt non ſua per impedimentum ſuperueniens. Ita enim pepigit Deus: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit*: & per Ezechielem: *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, &c. omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur.* Ita etiam ille qui male vixit, & in fine per ſalutarem pœnitentiam ſurrexit, contingit, vt mala quæ fecit, fiant non ſua, quia extinguuntur, quantum attinet ad culpam, & delentur de Dei memoria, iuxta illud: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iuſtitiam; vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor, &c.* Et paullatim ſatisfaciendo etiam quantum ad pœnam temporalem. Nam ſi ab informi pœnitentia procederent, à Deo non acceptarentur. Etſi enim damnati doleent de peccato, quia tamen non ſunt in Dei gratia, vt dolor poſſit eſſe Deo acceptus, ſalutem non aſſequerentur. Remuneratur etiam iuſtus iuxta operum, vel paſſionum merita, quæ in voto habet, & quæ ei Deus accepto fert, Chriſto ei ſua opera communicante: ſicut etiam Rex accepta fert opera, & ſeruitia militantium, qui, ſi bellum occurreret, parati erant pugnare: eo autem non occurrente, non minus eos ſtipendio remunerat. Vnde aliquos non martyres, ad præmia Martyrum vocauit: vt beatos Franciſcum, & Dominicum.

II. ſolutio.

Rom. 4.

Ad ſeptimã dubitationem. Quare tẽporariis delictis pœnę æternæ debeantur.

Ad ſeptimam dubitationem dicendum eſt, pœnam non eſſe commenſurandam ſecundum durationem actus peccati, ſed cũ perſona offenſi, & cum volũtate ipſius qui offendit. Deus enim æternus eſt, & immẽſę bonitatis qui offendit, qui vero offendit, (quantum in ſe fuit) in illud ſe coniecit per impotentiam ſuam, vt perpetuam haberet voluntatem à Deo auerſam: hine merito ad æternam durationem pœnarũ iuſte adiudicatur, vt pote æterni reus delicti. Deinde qui bonum æternum ſpreuerunt, & ei prætulerunt temporarium, & momentaneum bonum, digni redduntur æterno malo. Legiſlatores etiam pro temporario delicto homines plectunt vel morte, vel exilio perpetuo, vel membri mutilatione: quæ actionibus delictorum non commenſurantur.

I. ratio.

Marci. 3.

II. ratio.

Ad octauũ dubium.

Si, vt dicitur, remunerat ſupra merita & punit infra merita Deus, quomodo vnicuique reddit ſecundum opera ſua. *Sap. 1.*

Ad poſtremum facile eſt reſpondere, ſi intelligamus, hic non eſſe comparationem inter meritum, & præmium: ſed eſt ſenſus: Qui plus meruit, amplius accipiet & qui minus, minori etiam afficietur præmio: Quod autem Deus opera remunerare voluerit ampliori præmio quam ipſa opera ex ſeipſis digna exiſtant, diuinæ munificentiæ eſt argumentum. Quod vero minores pœnas taxauerit plectentis delictis, ad eius ſingularem miſericordiam ſpectat. Voluit enim in præmiis exundare, & in punitione malefactorum deficere, quo nobis proponeret ſpectandam ſuam magnificentiſſimam gloriam, quæ non lætatur in perditione viuorum.

DIPVTATIO XIII.

In illa verba: *Quicunque enim ſine Lege peccauerunt, ſine Lege peribunt: & quicunque in Lege peccauerunt, per Legem iudicabuntur. Non enim auditores Legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis iuſtificabuntur.*

.difficultas.

PAVLVS Apoſtolus his verbis videtur ſuæ doctrinæ, quam in vniuerſum de iuſtificatione tradit, contradicere. Cum enim per totam hanc epiſtolam nihil aliud agat, quam docere, iuſtitiam ex fide conſurgare, & non operibus; quomodo igitur affirmat, factores Legis coram Deo iuſtificandos? Præterea dubium eſt, quomodo peccantes ſine Lege aſſerat perituros; & in Legem peccantes ait per Legem iudicãdos at mitius verbum eſt iudicari, quam perire: & qui in Legem peccant, grauius delinquere videntur.

Altera.

Ad hoc dubium melius expediendum, præmittendum eſt, Apoſtolum dixiſſe, Iuſtis reddendam pro meritis ſuorum operũ vitam æternam, iniuſtis vero ignis æterni ſupplicium: atque hoc primum Iudæo, de- inde

Vti verba propoſita ſpe notib[...] connectan tur.

Secundæ difficultatis solutio.

de Græco. Et conclusit, non esse personarum acceptionem apud Deum. Quam sententiam sequenti clausula confirmat, dicendo. *Quicunque enim sine Lege peccauerunt, sine Lege peribunt. & quicunque in Lege peccauerũt, per Legem iudicabuntur*: ostendens Legis notitiam nihil illis profuisse absque bonis operibus. Respondet igitur per hæc verba tacitæ obiectioni, tum Gentium, tum maxime Iudæorum: nam de retributione bonorum operum non metuebat Paulus illos reclamaturos, sed de retributione malorum poterant Ethnici aliquid causari, nempe, non fuisse à Deo vlla Lege instructos, propter cuius transgressionem essent puniendi, Iudæi vero cum Legem Dei, velut familiares, & filii suscepissent, non erat cur Deus illos, veluti gentes profanas, proscriberet, & condemnaret. His occurrens Apostolus, asserit, quod Gentes. quæ sine Lege scripta. (nam talem in his disputationibus accipit Legem teste Augustino: vnde infra ait: *Requiescis in Lege*, &: *Per Legem cognitio peccati, &c.*) peccauerunt, scilicet in Legem naturæ in cordibus impressam, vt infra dicet: *Qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus eorum, sine Lege illa eos damnante peribunt.* Vbi enim, vt Apostolus ait, non est Lex, nec præuaricatio; & rursus. *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ.* Omnes siquidem peccatores aut præuaricantur Legem Naturæ, aut illam positam in Paradiso, aut veterem vel nouam scriptam. Notat ergo hoc verbo Anomæos, hoc est, Exleges, eos videlicet, qui Lege Dei scripta carebant. Tales ergo peccantes in Legem Naturæ, in æternum peribant: quia Lex Naturæ ad mortem æternam arctabat. Iudæi vero, qui in Legem scriptam & notam peccauerunt; tanquam minus excusabiles per Legem iudicabantur. Vbi primum obserua ex doctrina Augustini in dictum Psalmi productum, quosdam ex hac verborum diuersitate errasse, dicentes, eos, qui in Lege & fide deliquissent, iudicandos quidem fore, & castigandos, non autem à regno detrudendos ad perpetua gehennæ supplicia cum de solis exlegibus dicatur quod peribunt, de aliis vero, quod iudicabuntur. Et allegabant illud Pauli ad Corinthios de fideli superædificante lignum, fœnum, & stipulam, quod saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Sed hæc hæresis manifeste reuincitur Domini verbis. Est enim verbum Christi. *Terra Sodomorum remissius erit in die iudicij*, quam scilicet Iudæis recusantibus Euangelium; &: *Seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius; vapulabit multis.* Estne ergo grauius perire quam iudicari? Ita Caietanus hoc loco opinatus est, quod nõ solum est in Paulum, & rationem ipsam, sed etiam contra ipsum Augustinum, & Chrysostomum, & Oecumenium, qui ita habet: *Hoc autem significat acriorem perditionem.* Iudicium enim vocat hic condemnationem, hoc est, indubitatam perditionẽ. Ambrosii etiam commentarius est: *Per Legem iudicabuntur. sub qua vixerunt. Ipsa enim accusante pœnas exoluent. Nam prope grauior Iudæorum causa est apud eos ipsos quam Gentilium. Sicut enim credentes præferuntur, ita & cum diffidunt, priores inueniuntur.* Hæc ille. Est etiam contra rationem; quia Iudæus magis extitit ingratus, & plura accepit gratiæ diuinæ beneficia. Visus est autem hac diuersitate verborum Apostolus: *Peribunt, & iudicabuntur*: quia iudicare, in Euangelio, & etiam in Pauli Epistolis, idem est quod damnare, iuxta illud: *Non enim misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*; & eodem in loco: *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est*, id est, iustam damnationis causam habet. Et rursus: *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerint, in resurrectionem iudicij.* Et Paulus de hæretico vitando: *Sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus* Græce legitur αὐτοκατάκριτος, id est, à seipso iudicatus, hoc est, damnatus. Idem ait: *Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus*, id est, damnabit. Rursus *Vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati* Peccantes ergo in Legem Naturæ, damnantur à conscientia: & sine Lege peribunt, quia nec scripta, nec Moyses accusabit, vel damnabit eos. Delinquentes vero in Legem Moysi, per eam & accusantur, & iudicantur, & damnantur, iuxta illud: *Nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud Patrem. Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.* Subiungit: *Non enim auditores Legis iusti sunt apud Deum; sed factores Legis iustificabuntur.*

Contendit euincere, Iudæis Legem efficacem non fuisse ad iustitiam, & salutem. Et probat quare in Legem peccantes damnantur: quia videlicet non satis est auditu percipere Legem, nisi etiam illam opere præstemus: quia si quis auditor est verbi, & non factor; hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit, nec vllam adhibuit curam extergendi maculas vultus sui. Etsi vero audire, idem sit quod credere audita, iuxta illud: *Fides ex auditu*, &: *Qui credi-*

Margin notes (left): *Exod. 19.* — *Augustin. Rom. 2. Infra 3.* — *Rom. 4.* — *Psalm. 118.* — *Gen. 2.* — Quomodo Paulus sine Lege peccantes perituros Legem vero præuaricantes, quod minus est, per Legem dicat esse iudicandos. — *Aug in Psal. 118. concio. 25. sub init. to. 8.* — Primus sensus quorũdam hæreticorum. — *1. Cor. 3.* — Vnde confutetur. *Mat. 11. Luc. 10. Infra 12.*

Margin notes (right): Contra Caietanũ. — *Aug. ibid. Chrys. ser. 5 in hunc locum. à med. Oecũ. ibid. c. 3. ini. Ambr. ibi. to. 5 à med.* — Alter vers, atque legitimus. Iudicium sæpe Scriptura accipit pro condemnatio. — *Ioan. 3. ibid. Infra 5.* — *Tit. 3.* — *Heb 13. 2. Thess. 2.* — *Ioan 5.* — Legis præuaricatores quare dãnentur. — *Iacob. 1.* — Audire in Euangelio quid.

Rom 10.
Esai.53.
Ioan 6
Quid per Legis auditores nunc significetur.

credidit auditui nostro? Et Christus: *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Ex quo colligitur, non sat esse fidem sine operibus ad salutem: tamen hoc loco auditores dicuntur, qui Legem auditu fidei susceptam moribus non exprimunt. Factores verò, qui Legem obseruant, vnde 1. Machab. 2. Et adducetis ad vos omnes factores Legis, hoc est, obseruatores, & perfectores Legis. Adhæc quoniam factoribus Legis opponit auditores, non est locus amphilologiæ, an videlicet per Legis factores iotelligat Legum conditores, & nomothetas, an eos qui factis Legem ooo implét: quia alio loco factori Legis opponit cōditorem Legis. *Nonne,* inquit, *Moyses dedit vobis Legem, & nemo ex vobis facit Legem?* Aliud ergo est dare Legem, aliud audire Legem, aliud facere Legem.

Factores Legis hoc loco qui proprie.
Infr.7.
Exod. 19.
Rom 3.
Ad secundam difficultatem responsio.

¶ Quod verò subdit: *Factores Legis iustificabuntur;* directè videtur pugnare cum eo quod habetur cap.3. *Quia ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Sed huic dubitationi respōdet Ambrosius in hunc modum: *Hec dicit, quia nō hi iusti sunt qui audiunt Legem, sed qui credunt in Christum, quem Lex promisit, & hoc est facere Legem.* Sed quanquam hoc verum sit, nullum sine fide Christi Legem facere: non tamen facere Legem hoc loco significat, audire Christum: nec opponeret audire Legem, id est, credere, ad facere legem, si facere Legem idem est quod credere in Christum. Et Lex, & fides, in Pauli doctrina opponuntur. Nam ad Galat.3. ait: *Lex nō est ex fide; sed qui fecerit ea (id est, quæ scripta sunt in libro Legis) viuet in illis;* hoc est, Viuet ad præscriptum Legis præmium.

Si factores Legis iustificabuntur, vt hic dicitur, quid igitur negatur ex operibus Legis iustificationem contingere.
Primus sensus Ambros.
Cur minimè probetur.
Gal 3
Longe infr.

Secundo loco B. Augustinus libr. de Spiritu & litera hæc verba interpretans, ait: *Quia enim personarum acceptio non est apud Deum, & non auditores Legis, sed factores iustificantur; ideò siue Iudæus, siue Græcus, hoc est quilibet ex gentibus crediderit, salutem in Euangelio pariter habebit.* Et infra: *Sed sic intelligendum est: Factores Legis iustificabuntur, vt sciamus aliter eos non esse factores Legis, nisi iustificentur: non vt iustificatio factoribus accedat, sed factores Legis iustificatio præcedat.* Et ponit exemplum tale: *Si enim* (inquit) *ita loqueremur, vt diceremus, Homines liberabuntur, hoc vtique intelligeretur, eis qui iam homines essent, accedere liberationem. Si autem diceremus. Homines creabuntur, non vtique intelligeretur eos creari qui iam homines erant, sed ipsa creatione homines fieri. Ita si dictum esset factores Legis honorabuntur, non rectè acciperemus, nisi honorem illis qui iam essent factores Legis, accedere. Cum vero dictum sit, Factores Legis iustificabuntur, quid aliud dictum est, quam, Iusti iustificabuntur; factores enim Legis vtique iusti sunt. At per hoc tantundem est ac si diceretur: Factores legis creabuntur, non quia erant, sed vt sint* Hactenus ille.

Secundus sensus. Augustini
Augu. lib. de spir. & lit. ca 20 circ. med. & 3. longè à medio.
Qualis hæc Pauli sit ratio loquendi secundum Aug.

Sed certè hic non tam proprius, & legitimus est sensus. Nam etsi Deo non sint opera nostra grata, nisi præcedat iustificatio; hic tamen non loquitur de iustificatione, quę est causa bonorum operum, sed de alia, cuius opera sunt causa, de qua erit quæstio in die iudicij, quando reddet cuique iuxta opera sua. Et si illum sensum Paulus spectauisset, non factores Legis iustificabuntur, sed ad vitandam duritiem dicere debuisset, Iustificati operabuntur. Ex quo commodè elici posset ille sensus.

Huic quid obijci possit.

Tertiò ergo alij, vt Faber Stapulensis, & Caietanus interpretantur: Factores Legis iustificabuntur; id est, Per opera Legis ad iustitiam assequendam dispooentur. Sed in huoc sensum nonnulla occurrunt. Et primò quidē, quod per opera Legis Naturæ, siue moralia præcepta sine gratia præstita nemo potest ad iustitiā disponi, nedum illam promereri, vt Paulus, & Patres docent. Deinde hic loquitur Apostolus de factione moralium operum, quæ Lex naturæ dictat: at inter ea continētur illa duo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* &: *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorē eius, &c.* quæ sanè sine Dei gratia impleri nequeunt, etiam quoad substantiam eius, nedum ad mentem & voluntatem præcipientis. Et quanquam omnia alia præstaret mandata, si in his deficeret, factor Legis dici non posset: quia qui deficit io vno præcepto dilectionis, vt exponit Augustinus, factus est omnium reus. Deinde eiusmodi opera hominem coram Deo minimè iustificarent ad accipiendam vitæ æternę coronam, de qua Apostolo hoc loco sermo esse videtur.

Tertius sensus.
Faber Stapulensis.
Caietan.
Impugnatur dupliciter.
Deut 6.
Exod. 20.
Iacob 2.
Aug. serm. 61 de tempore, circa fin & alibi 10.

Quartò, exponunt Lutheraoi: Iustificabuntur, id est, Iusti habebuntur, & iustos se declarabunt, & ostendent per opera iustitiæ coram hominibus. Sed in hunc sensum facit, in primis quia præcesserat: *Non enim auditores Legis iusti sunt apud Deum,* & subiungit cum aduersatiua particula; *Sed factores Legis iustificabuntur:* vbi necessariò supplendum est, apud Deum, vt in præcedenti mēbro habetur, vt plenè & propriè aduersetur. Adhæc est hic sermo de iustitia quæ exigetur in die iudicij: quæ similiter iustificatio in Scripturis dicitur; & consurgit ex Legis impletione ad præmium accipiendum, iuxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* At qui præmium vitæ æternæ à Deo consecuturus est, debet & iustitiæ merita coram Deo facta producere; ac proinde non loquitur de vlla humana iustitia,

Quartus sensus Lutheranorum.
Duo patitur incommoda.
Matth. 19.

Legis factores quando dicantur possint apud homines iustificari, secundum hæreticos.

quæ apud homines tantum splendeat. Negandum tamen non est, factores Legis ita apud Deum iustificari, vt eius sententia absoluantur, & iusti declarentur etiam apud homines, quod erit per sequelam quandã. Quemadmodum sententia Sacerdotis in Sacramento Pœnitentię primò quidẽ peccator absoluitur & iustificatur, & consecutione quadam simul declaratur absolutus, & iustificatus. Miratus autem sum insolentiam Bezæ hæretici, qui interpretans verbũ Iustificabuntur, id est, Insti pronuntiabuntur apud Dei tribunal, subiungit: *Quid igitur superest (dicet Sophista) quominus operibus decidas saltem aliquam iustitiæ partem? Respondeo: hoc ipsum superesse, quod tu nusquam, nisi in vno Christo inuenies, id est, vt in illam iustitiam adferas. Istam si habes, profer, & sanè iustus eris ex Lege. Sed cum non habeas (nisi fortè iustior es quam Abraham, & Apostolus ipse, clamans se non esse sibi conscium, nec tamen in hoc iustificatum) aut tibi, miser sophista, cum tuo merito, bullu, & indulgentijs pereundum est, aut (quod vtinam potius facias) amplectenda tibi est iustitia, & gratia, quæ iustitiam absque Lege tibi imputatam stabiliat.* Hæc ille. Vbi considera, bone Lector, callidi hominis versutiam Pauli sensum deprauantis, quasi homines apud tribunal diuinum iustificandos proponat Apostolus seu rem impossibilem, aut quasi iustitia, & bona merita, quæ ex fide, & gratia proficiscuntur, Christi nõ sint, aut quasi in maiorem eius gloriam non cedant.

Beza Theodori in hunc locũ Apostoli impium & futile commentum.

1 Cor. 4.

Caluini interpretatio haud dissimilis priori.

Sed hæc accepit à magistro suo Caluino, qui in hunc locum scripsit: *Qui hoc loco abutuntur ad erigendam operum iustificationẽ, etiam puerorum cachinnis sunt dignissimi.* Proinde ineptum est, & extra locum, huc longas de iustificatione quæstiones ingerere ad soluendum tam futile cauillum. Tantum enim vrget apud Iudæos Apostolus illud, de quo meminerat Legis iudicium, quod non poterant per Legem iustificari, nisi Legem impleant: si transgrediantur, paratam esse in illis mox maledictionem. Nos verò non negamus, præscribi in Lege absolutam iustitiam; sed quia omnes trãsgressionis conuincuntur, quærendam esse dicimus aliam iustitiam. Quin ex hoc loco argumentari licet, neminem ex operibus iustificari. Si enim soli hi, qui Legem implent, per Legem iustificãtur; sequitur, nullum iustificari, quia nullus reperitur, qui iactare queat Legis complementum. Hæc ille, negans quod Apostolus asseruit, & nolens intelligere, factores Legis nullos alios inueniri æterno præmio dignos, nisi eos, qui ex fide, & gratia Legem obseruarunt; & aliud esse ex ipsius Legis operibus, seu ex vi Legis iustificari sine fide, aliud opera Legis ex vi fidei, vel ex spiritu Dei præstari. Vnde multos iustos legimus extitisse tempore Legis Naturæ, & alios sub Lege Moysi. Sed isti rhetoricantur, vt veritatem inuoluant, & interim tanquam muli se mutuò scabunt.

Hæreticorum ingenium est obscurare veritatem, sibique mutuò contra illam consentire.

Exclusis igitur ijs sensibus, qui Paulinæ literæ parum quadrare videntur, explicandus est iam verus & germanus, & ab Apostolo spectatus sensus. Loquitur enim de secunda iustificatione, quæ consurgit ex operibus, & meritis bonis in fide, & gratia Dei factis, quibus qui iustus est, iustior redditur, aut præmium promissum meretur: quia sermo erat de iudice, qui redditurus est vnicuique secundum opera sua. Est enim triplex iustitia, altera quidem inchoata, quam per fidem consequimur, & per quam quis efficitur candidatus ad æterni brauij cursum, quamque iusti baptizati infantes habent: quam augere debent, & renouare de die in diem. Altera iustitia est completa, & consummata ex viuis operibus gratiæ, non liberi arbitrij, aut naturæ, aut legis scriptę, de qua dicitur: Ne verearis vsque ad mortem iustificari; & Iacobus, Abraham pater noster nõne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? ¶ Quæres, cur non dixit, factores legis iustificantur, sed de futuro, iustificabuntur? Respondeo: præter primã iustificationem, qua quis ex iniusto fit iustus, & secundam, per quam ex iam iusto quis auctior fit in iustitia, iuxta illud: *Qui iustus est, iustificetur adhuc:* quas duas iustificationes, dũ viuimus, attingere & possumus, & debemus; est tertia iustificatio, cum quis sententia iudicis absoluitur, & pronuntiatus iustus: quæ nonnisi post hanc vitam iustis contingit, & ad hanc respiciens Paulus, dixit de futuro, iustificabuntur. Nam superius dixerat Christum redditurum cuique secundum opera sua: & idem inferius subiungit, cum Gentes ait naturaliter ea quæ legis sunt facere. Ad hanc respexit Dominus, cum Mat. 25. proponit se iudicem venturum, & iustis regnum imperiturum. De hoc etiam in alijs locis agit Paulus, vt 1. Corinth. 4. *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque meipsum iudico, Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum*, scilicet illa postrema iustificationis specie, de qua subdit: *Qui autem iudicat me, Dominus est*: qui tunc iustificat, cum præmium vitæ æternæ pendit. Vnde

Quintus, ac postremus sensus.

Triplex iustificatio penes Theologos.

Prima.

Secunda.

Ecclesiast. 18.

Iacob 2.

Gen. 12.

Quare de futuro dictum, iustificabuntur, non autem, iustificantur.

Tertia.

Matth 25.

1. Cor. 4.

Quid illud Apostoli: Sed non in hoc iustificatus sum.

subdit:

subdit: *Igitur nolite ante tempus iudicare; quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscōdita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Loquitur etiam de hac eadem iustificatione, cum 2. Timoth. 4. scribit: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* Sunt igitur in Pauli, & aliorum Apostolorum doctrina tres istæ iustificandi species ante oculos habendæ, si Hæreticorum sophismata, & arguitas euadere velimus: & ita si intelligatur præsens locus, aperta, & dilucida redditur Apostoli sententia, quæ aliter intellecta laborare videretur.

2. Tim. 4.

DISPVTATIO XVIII.

In illa verba: *Cum enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, &c.* vsque ad: *Secundum Euangelium meum per Iesum Christum.*

MAGNIS tenebris hic locus obsitus esse videtur, ex quo talis instituitur disputatio: aut enim hic locus de gratia, & fide Dei destitutis loquitur, & tunc constitueretur dogma Pelagianum, si Gentes naturaliter ea quæ legis sunt, facerent; aut sermo est de Gentibus per Christum regeneratis, ex fide, & gratia legem præstantibus, & tunc verum esse non videtur quod ait de Gentibus, legem non habere: tales enim Euangelica lege non destituuntur, imò legem etiam Mosaicam habere dignoscūtur. Non videtur etiam, quomodo tales facere dicātur, quę nonnisi Spiritu Christi, & gratia eius ornati perficiunt.

Ad huius nodi explicationem, præmittemus quædam, quæ ad rem facere videātur. Et in primis ratio contextus est explicanda. Nam quia dixerat superius: *Quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt,* ne quis putaret quod solum transgredientes Naturæ legem perire possent, quod incongruū videbatur; subiungit, quod ipsæ Gentes non erāt penitus sine [illegible]i lege, quam implendo salutem assequebantur. Sicut ergo siue lege audita peccantes pereunt, ita proculdubio si legis mandata perficiunt etiamsi legem non audierint, mercedem suam non amittēt. Et ita quemadmodum probauit quod qui in lege peccauerūt, sunt iudicandi per legem: ita modo probat secūdum membrum: *Quicunq; enim sine lege peccauerunt:* vt dictum est, &c. Possumus & alia via congruentius fortassis hunc locum contexere cum præcedēti clausula, ad hūc modum: auditus legis scriptæ ita ad iustitiam non sufficit, nisi opera, & fructus legis edas, vt nec audire quidem eandem legem sit necessarium: sed qui sine lege veteri, natura duce, moralia præcepta custodiūt, iusti reputantur apud Deum: qua ratione & cristas Iudæis succidit, & errorem eximit, quo tenebantur, nempè quod extra illam, quam scriptam à Deo susceperant legem, salus hominibus non patebat. Et ita cū superiùs acriori oratione inuectus fuisset in Ethnicos; nunc eorum honorem resarcit, cum legem, quam solo naturali ductu sculptam gerebant in mēte, nihilo segnius obseruauerint quam Iudæi, qui illam, quæ in tabulis expressa fuit, custodierint. Ideò ait: *Gentes, quæ legem non habent,* scilicet Moysis, quæ eis nec erat promulgata, nec eos obligauerat: etsi Gentes ad moralia præcepta arctabantur; non quidem quatenus scripta à Mose in tabulis lapideis, sed quatenus in cordib. scripta erat, vt ipse inferius ait: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus eorum.* Et hæc de contextu.

Duplex horū verborū cōnexio cum præcedentibus. Prima.

Secunda.

Exod. 24. & 34.

Morum præcepta Gentes quatenus obligarent.

Secundò præmittendum est ad intelligētiam huius loci, duplicem nobis erroris scopulum vitandum, & tanquam Scyllam inter & Charybdim enauigandum. Alter est Pelagianorum, asserentium per solam naturam posse nos vniuersa legis mandata sine gratia Dei perficere; atque omnib. Satanæ machinis, & tentationibus, etiam cū victoria occurrere; & gratiam non ad ea præstanda, sed ad ea facilius, & promptius obseruanda dari. In quem pestiferum errorem, & superbiā humanam naturam inflātem, plures & egregios libros conscripsit Augustinus: vt librum De natura, & Gratia, De spiritu & litera, De gratia & libero arbitrio, De Fide & operibus, & libros in Iulianum Pelagianum, & super Ioannem, & in Psalmos. Scriptura etiam illi manifestè repugnat pluribus in locis: Sine me, inquit, nihil potestis facere: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum; Nemo potest dicere, Dominus Iesus; nisi in Spiritu sancto: Sine fide impossibile est placere Deo: Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Aduersus dogma Pelagianum.

Tom. 7.
Tom. 8.
Tom. 7.
Tom. 4. sub initium.
Tom. 7.
Ioan 15.
Supra 6.
1. Cor. 12.
Hebr. 11.
1. Cor. 15.

Alter scopulus vitandus est Manichæorum; affirmantium nos etiam gratia Dei

Contra Manichæorum errorem.

cœlitus hausta, minimè posse legi Dei facere satis, aut concupiscentijs, & tentationib. Satanæ resistere: quibus quam simillima Lutherani nostri temporis Hæretici, si non omnino eadem, dogmatizant. At hoc non minus præcedenti errore est blasphemum, cum Ecclesiæ sensui, & Scripturis apertè sit contrarium. Scriptum est enim: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus, &c. Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Non supra te est, inquit, id est, non supra te gratia mea adiutum. Et Dominus: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue:* quanto ergo minus erit impossibile? Ioannes etiam; *Mandata eius grauia non sunt,* scilicet iusto Deum amant. Hinc Dauid, Ezechias, & Iosias Reges, illa in Sacris literis impleuisse commemorantur. Et Lucas parentes Ioannis Baptistæ inducit tanquam iustos ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. ¶ His ergo vt indobitatis, & omni acceptione dignis positis, iam seriò quærendum est, quænam Gentes illæ sint, quæ naturaliter ea, quæ legis sunt faciũt, de quibus est sermo apud Paulum in hac sententia? Respondent quidam, inter quos sunt Caietanus, & Dominicus à Soto, sermonem esse de Gentibus extra fidem, & gratiam Dei constitutis, quæ legem implere, si non ad mentem Dei præcipientis, saltem quantum ad operum substantiam spectat, potuerunt: non omnia quidem quæ legis sunt, sed aliqua eorum: propterea dictum esse à Paulo, ea, quæ legis sunt, non omnia quæ legis sunt. Muniunt autem hunc sensum Augustini sententia libro De spiritu & litera, quę in hunc modum habet: *Si autem hi, qui naturaliter quæ legis sunt, faciunt, nondũ sunt habendi in numero eorum, quos Christi iustificat gratia; sed in eorum potius, quorum, etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, iusteque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ secundũ iustitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verumetiam meritò, rectèque laudamus: quamquam si discutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur, quæ iustitiæ debitam laudem defensionemue mereantur.* Hæc ille. Sed certè hæc expositio vt minimum dura est, & violenta. Nam vt in primis prætermittã, quod infinita propositio pro vniuersali accipi consueuerit, vt idem sit, facere ea quæ sunt legis, & facere omnẽ legem: tamen nõ verè ille dicitur facere secũdum legem, qui deficit in maiori parte, & illa quidem principaliori, cum tamen frater Domini dixerit: Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Deinde, non dicitur quisquam legem præstare, quam ad mentem legislatoris non obseruat: quin imò illa violatur, etiam dum extra obseruari videtur. Et iuxta Philosophum, non est iustus, aut fortis, qui iusta, aut fortia, sed qui iustè, & fortiter operatur. Tertiò, quia nullum, aut valde exiguum testimonium est, quod reddit conscientia obseruanti hoc modo legem: cum aliunde conscientia dictet alia præcepta esse implenda, aut saltem alio modo implenda, & illud non assequatur. Idcircò Augustinus prædicto loco productus rectè dixit: *Quid eis proderit excusantes cogitationes in die qua iudicabit Deus occulta hominum, nisi fortè vt mitius puniantur? Sicut enim non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.* Quartò, inferius habet Paulus: *Si igitur præputium iustitias legis custodiat; nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?* (quam tamen dixit prodesse, nempè ad salutem) *Et iudicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per literam, & circumcisionem præuaricator legis es.* Et subdit, quod hic est non in litera, sed in spiritu Iudæus, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. ¶ Ex quibus verbis eruimus, Apostolum apertè loqui de Gentili obseruante legem per gratiam coram Deo, & ad mentem eius. Non ergo hic locus de obseruantibus legem ex pura natura, sed etiam ex gratia accipiendus est. Est alius sensus Theodori Bezæ, exponentis: Ea, quæ legis sunt naturaliter facere, id est, honesta iubere, turpia prohibere: veluti cum de religione præcipiunt, & in furta, homicidia, adulteria pœnas statuunt. Nec enim hoc à Paulo dictum est de ipsa legis obseruatione, sed duntaxat de ratione, quam profanæ etiam Gentes in legibus condendis sunt secutæ. Qui sensus omninò falsus est, & à mente Apostoli alienus. Nec enim hic de condendis legibus, quod perpaucis contingit, est sermo, sed de Gentibus, quæ in vniuersum Spiritu Dei adiutæ præstare legem DEI poterant. Nam isti sunt, quos dicit natura ea, quæ legis sunt, facere. Cum igitur, vt ad rem redeamus, duplex p[illegible] esse Gentilis, qui legem Dei custodiat, alius quidem baptismo iam renatus, alius verò Spiritu tantum desuper regenitus; id est, vel Christianus initiatus

Margin notes (left): Deute 30. — Rom. 10. — Matth. 11. — 1. Ioan. 5. — Ecclesiast. 49 — Luc. 1. — Quænam Apostolo sint Gentes, quæ naturaliter ea quæ legis sunt faciunt? Solutio 1. Caietan. Dominic. à Soto. — August. libr. de spirit. & lit. cap. 27 propè fin. tom. 3. — Huius solutionis incommoda. Primum.

Margin notes (right): Iacob. 2. — Secundum. — Aristot. li. 5. Ethic. cap. 10. 9. in princ. Tertium. — August. c. seq. eiusdem libri, circa med. — Quartum. Rom. 2. — Secunda solutio, Theodori Bezæ. — Quæ, et illa nõ possit consistere. — Tertia solutio.

tiatus Sacramento, vel Gentilis ante aduentum Christi Spiritu charitatis ornatus: iam disputatione quærendus est ille, de quo est hoc loco sermo. Ambrosius siquidem de Gentili iam baptizato hunc locum explicat, producens Apostolum capit. vndecim. huius epistolæ, vbi ait: *Vobis dico Gentibus, quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, &c.* Et hic est qui ostendit opus legis scriptum in corde suo, hoc est fidem. Quam expositionem, deserta priori, sequitur Augustinus libro de spiritu & litera, & li. contra Iulianum. Et potest firmari aliis Scripturæ locis. Ait enim capite tertio, Apostolus: *An Iudæorum Deus tantum?* id est Christianorum. Et quod ait, tales habere opus legis scriptum in cordibus eorum; videtur consonare cum verbo Ieremiæ capite 31. de Nouo Testamento: *Dabo*, inquit, *legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam* & quia eiusmodi Gentes paulo inferius tradit habere fructum veræ circumcisionis, & esse non in litera, sed in spiritu Iudæos. His rationibus permotus Augustinus, inclinauit in hunc sensum: & verbum, naturaliter faciunt, exponit: id est, natura seruata, siue reparata per gratiam. Secutus est hunc sensum Diuus Thomas in prima secundæ.

B. Ambr. to. 5. Rom. 11. August. li. De spir. & lit. c. 27. to. 3. Idem l. 4. cont. Iul. c. 3. circa med. to. 7. Rom. 3. Ierem. 31. Rom. 2. B. Tho. qu. 109. art. 4. ad 1. to. 11.

Multis rationibus hic sensus refellitur.

I. ratio. Sed multa, & grauia argumenta occurrunt in hanc interpretationem. Primum, quia tales Gentes non possunt dici legem non habere, cum habeant Euangelium quod complectitur omnem legem. Habent etiam leges Mosaicæ præsidium, quæ cum Christo ad credentes Christianos transiit, de qua Dominus dixit Iudæis: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus eius.* (*Mat. 21.*)

II. Secundum, quomodo verum esse poterit, quod Gentes quæ Christo crediderunt, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, cum scriptum sit: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est:* & alibi, *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum;* &, *Sine me nihil potestis facere?* quæ omnia nudam naturam excludunt. (*2. Cor. 3. 1. Cor. 15. Ioan. 15.*)

III. Quod si dicas, naturaliter, id est, natura reformata per gratiam, præterquam quod violenta est expositio, & Apostolus gratiam opponat naturæ, & Augustinus librum scripserit de Natura, & Gratia, per hoc Iudæi, & Gentilis discrimen non ostenditur: quia non minus boni Iudæi ad Christum conuersi naturaliter ea, quæ sunt legis, faciebant, quam faciebant Gentiles. (*Aug. to. 7.*) Adhæc cum capite primo, locutus esset de Gentium Philosophis, qui ex creaturis ad DEI cognitionem assurrexerant, de quibus paulo ante scripsit: *Quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt*: nondum tamen adhuc de Christianis loqui cœperat; nec loquitur vsquequo perueniat ad illud capite tertio. *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege, & Prophetis*: non ergo opportune poterat de Christianis verbis facere. (*Rom. 3.*)

IV. Quarto, subdit inferius: *Circumcisio quidem prodest, legem obserues.* Et loquitur de statu Circumcisionis pro tempore legis nondum mortuæ, quia tunc prodesse poterat Circumcisio, & lex seruantibus eam: ergo & modo de Gentibus, vt erant sub lege Naturæ, agit Apostolus, quas docuit in multis accidentariis à Iudæo superari; licet in substantialibus, hoc est in Christo, & in gratia sint pares. Et ita capite tertio, dixit: *Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas circumcisionis? Multum per omnem modum.* Non autem verum esset, quod Iudæus præcederet Gentilem, vt ibi asserit: imo hic illum in multis excellit Iudæum, & quæ attinent ad excellentiam cultus, & qualitates. Ex quibus colligimus, eum loqui de Gentili nondum per Sacramentum regenito.

Supra 2. Quando tantum iuxta Apostolum, profuerit Circumcisio. *Infra 3.*

V. Quinto: Durum videtur exponere opus legis, hoc est fidem, quia fides est opus Dei non legis. Vnde Ioannes ait: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.* Et ad Galatas c. 3. *Quoniam ex lege nemo iustificatur, manifestum est, & Lex autem non est ex fide.* Alioqui recte colligeret, hominem ex operibus legis iustificari. (*Ioan. 6. Gal. 3.*)

VI. Sexto: Etsi Euangelium sit scriptum in corde, vt Ieremias, & Apostolus docent: nihilominus tamen lex Naturæ homini indita est à Deo, & scripta in corde, de qua illud intelligere possumus: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: Et ita tandem intellexit Augustinus de lege naturali, & non Euangelica hunc locum: *Quis enim scribit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus? De qua lege Apostolus ait: Cum enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Et in Psalmum 57. initio: *Data est etiam conscripta lex, non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitiuus eras cordis tui, ab illo qui vbique est, comprehenderis, & ad teipsum intro reuocaris. Propterea scripta lex quid clamat eis qui deseruerunt legem scriptam in cordibus suis? Redite præuaricatores ad cor.*

Ierem. 31. Psal. 4. Aug. l. 2. ser. Domini in mon. c. 15. sub init. to. 4. circa fin. Idem to. 8. Esai. 46.

VII. solutio huius loci. His ergo sensibus vt minus propriis expugnatis, superest vera, & germana expo-

posi-

ci maxime propria atque verissima.

Chrys. ser. 5. in ep. ad Rō. to. 4. inst.

B. Anselm. par. 2.

positio, de Gentibus nondum baptismo initiatis, quas Apostolus opponit Iudæis ad eorum superbiam deprimendam. Estque hæc explicatio Chrysostomi in hunc locū, & suorum sectatorum. Ex Latinis etiam Hieronymus in Commentariolis suis (si tamen eius sint) ita interpretatur. Sed beatus Anselmus egregie in hunc modum exponit: *dixeras Gentilem damnari, si male operaretur, & saluari, si bene. Si cum legem non habeat & quasi nesciat quid sit bonum, & quid sit malum, videretur neutrum sibi debere imputari. Contra Apostolus: etsi non habet legem scriptã, habet naturalem, qua intelligit, & sibi conscius est, quid sit bonum, vel malum & ideo credendus est bene, vel male operari, & merito saluari, vel damnari. Quod non est nisi per gratiam, & fidem, quæ renouat naturalem imaginem Dei in homine scriptam.* Hæc ille. Loquitur ergo de Gentibus ante legem Moysi, vel sub legis tempore; quæ etsi legem Moysis non haberet docentem, quid agendum, & quid fugiendum, habebant tamen Naturæ legem inditam, instruentem de bono faciendo & de malo vitando. Talis fuit olim Iob, Melchisedech, & Iethro, & Nahaman Syrus, & Cornelius religiosus, ac timens Deū & Eunuchus Candaces, & mulieres illæ honestæ, de quibus Actorum 17. & illæ aliæ oues quas Christus se dixit habere, quæ nō erant ex Iudaico ouili. Isti enim impleuerūt ea, quæ legis sunt, hoc est moralia præcepta, quæ tradit lex Naturæ. Nam ceremoniæ, & ritus colendi Deum expositio erant primi præcepti Decalogi, quo Deus colendus, & diligendus tradebatur: iudicia vero, explicatio erant præcepti diligendi Proximum. Et quanquam Gentiles illa ignorarent, habebant tamen suas ceremonias, & sua iudicia, quas ratio dictabat, tum vt Deus coleretur, tum vt iustitia & pax mutua inter Proximos fouerentur. Atque hæc quidem seruabant Gentiles non absque fide, vel absque Dei gratia, quia habebant eam fidem, quæ satis eo tempore erat vt quod Deus est, & inquirentibus se remunerator sit. Quæ tamen si nostræ compararetur fidei, ob paruitatem suam ægre fides dicebatur. Vt Apostolus de nostra fide dicat; *Vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo:* insinuans in lege non fuisse fidem, scilicet istam magnam, & explicatam nobis traditã Similiter etiam in statu legis Naturæ, & Moysi nonnulla Dei gratia erat, sine qua nemo saluus extitisset: sed modica erat, si cum nostra conferatur: & ideo obscura, & tecta, vt Apostolus dicat de Nouo Testamento; Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus. Et ita

Fides quid efficiat.

Gen. 1. Lex naturæ quænam illa fuerit Gentibus tradita.

Iob. 1. Gen. 14. Exod. 18. 4 Reg. 5. Act. 10. Supra 8. Infra 17. Ioan. 10.

Exod. 20. & alibi.

Quas olim ceremonias, & iudicia Gentes habuerint.

Hebr. 11.

Gal. 3.

Tit. 2.

quod Apostolus ait: Naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt; exponit per alteram particulam: Quæ legem non habent, & quam replicat. *Eiusmodi legem non habentes:* & iterū: *Ipsi sibi sunt lex:* de qua cognitione superius dixerat: *Deus enim illis manifestauit.* Non autē opponitur gratiæ, vel fidei, sine qua nullum bonum præstare possumus. Ita ergo explicandam illam particulam, Naturaliter, fauet ipse contextus, assentiuntur Patres. Nam Lyranus: *Naturaliter, ait, ea quæ legis sunt, faciunt, id est ex naturali dictamine rationis.* Et Theophylactus: *Natura pro lege vtentes.* Chrysostomus etiam: *Loco siquidem legis est ipse intellectus, & colligendi ratio.* Thomas item reiecta expositione Augustini, ait: *Vel potest dici, naturaliter; id est, per legem naturalem ostendentem eis, quid sit agendum. &c. Et tamen non excluditur, quin necessaria sit gratia ad mouendum affectum.* Fauet & ratio duplex. Altera est: quia exponendo, naturaliter, hoc est natura præstante, & supplente officium legis; recte habet: quoniam legis officium erat docere quid rectum, quid prauum: quid faciendū quid vitandum. Per legem enim cognitio peccati, & recti; non autem abolitio peccati, vel operatio recti. Lex enim Moysis neque conferebat remissionem, peccatorum, neque vires suppeditabat ad legem præstandam, iuxta illud: *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem &c.* Et dicitur natura facere quis opera legis, quatenus pendent ex doctrina: nam omnis actio bona indiget & doctrina dirigente, & virtute adiuuante, qua præstari possit. Primum ergo tradit Apostolus per conscientiam cuiusq; suppleri: de secundo nihil affirmat. Et natura hic non excludit gratiam, sed illa indiget: sicut gratia non est quæ proprie operatur, sed natura: quemadmodum à natura sua, non à sanitate est motus, vel operatio. Altera ratio est: quia hac expositione vterque scopulus, hoc est & Pelagianismus, & Manichæismus vitabitur si dicamus, sine gratia perfici legem nō posse; & falsum esse, cum gratia obseruari non posse. ¶ *Eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex Qui ostendunt opus legis scriptū in cordibus suis:* siue vt Græcus codex habet γραπτὸν hoc est scriptitium: quod potius vim nominis, quam participii habet. Et eius scriptum apud Iurisconsultos maius pondus autoritatis habet, quam quod solo iussu tenetur. Sunt autem sibi lex, id est funguntur officio legis seipsos instruentes: conscientia enim fungitur officio legis. Et Dominus apud Lucam: *Quod autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est?* ¶

Rom. 1. Verbum illud, naturaliter pro naturali rationis lumine esse accipiendū duo comprobant Patres.

Lyran. Theophyl. Chrys. in eodem ser. 5. D. Thom. lect. 3. in c. 2. ad Rom. to. 16. inst.

Rationes Prima.

Rom. 3.

Infra 8. Omne op° bonum duo exigit

Natura & Gratia vt inter se differant.

II.

Duplex ius, scriptū & prolatitium.

Luc. 12.

est? ¶ *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, &c.* Hoc loco Apostolus damnat sententiam eorum Philosophorum, qui dixerunt, bonos mores non tam esse à natura, quam ex placitis hominum, & consuetudine, vt Protagoras dixit, & alii contentiosi: contra quos Cicero 1. De officiis disputat. ¶ Est autem conscientia, agnata quædam scientia, atque assistens de operibus propriis ob inditum naturale lumen, quod vel probat, vel improbat quod agimus. De qua egregie Menander dixit:

Cicer. li. 1. de offic. Conscientia quid sit

Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεός.

Menand. Cicero.

Et Cicero in Catone Maiore: *Conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio iucundiss. est.* De qua Paulus: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*: & Sapiens: *Secura mens, quasi iuge conuiuium.* ¶ *Et inter se inuicem, cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Quæ lectio in Ablatiuo præstantior videtur, & Græcæ literæ conformior: sicut etiam conscientia in Ablatiuo est: & ita legunt Patres, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, & interdum Augustinus, quanquam alii legant in Genitiuo, vt interpres noster vertit. Sed hæc sunt parui momenti, & sensus integer est, quomodocunque legas. Illud annotauit prudenter Oecumenius, quod non dixerit, iustificantibus, aut condemnantibus: sed, accusantibus, & excusantibus: quia cogitationes tantum vt testes accusant, vel defendunt, non iudicant puniendo, aut remunerando, quod est proprium iudicis.

2. Cor. 1. Prou. 15.

Cyprian in expositione Symboli & grat. & mod. Hieron. interpretans, Orig. l. 2. in hanc epist. Ambr. hoc loco te. 3. Oecum. c. 3. Cogitationibus accusant hos, quare non additum fuerit, iustificantibus, secundum Oecumenium.

Subdit: *In die cum iudicabit Deus occulta hominum, secundum Euangelium meum, per Iesum Christum.* Quia cum nostra conscientia offuscari potest perturbationis animi, & damnare quod est defendendum, vt in scrupulosis, & defendere quod accusandum est tanquam malum: vt facit Intemperatus, qui dicit malum bonum, & bonum malum: propterea producit diem iudicii, in qua omnia occulta clara, & dilucida reddentur. Tunc enim multi iniquitati ignorantiam prætexentes conuincentur à cogitatione, quæ accusabat tale opus esse iniquum: & contra multi excusabuntur inuincibili ignoratione, quibus cogitatio persuadebat bonum esse, aut licitum quod faciebant. Nec intelligas nos accusandos, aut defendendos in die iudicii à cogitationibus, quæ tunc erunt. Quando enim corda erunt omnibus patentissima, vel ad gloriam, vel ad dedecus, nulla vacillabit conscientia: sed cogitationes ipsæ, quæ nos modo vel consolantur, vel accusant, superstites tunc erunt, vt in hunc locum annotauit Origenes.

Quorsum nunc Paulus diei iudicii meminerit. Esa. 5. Intemperati hominis conditio.

Orig. l. 2. in ep. ad Rom ante dimid. to. 2.

Secundum Euangelium meum. Id est: vt solco prædicare. Est etiam ipsum Christi supremum iudicium bonis & iustis verum Euangelium: quia in eo iustitiā vniuscuiusque, & merita apparebunt, & peccata, & supplicia eorum, qui oculos Euangelio occluserunt. Et subdit: *Per Iesum Christum.* Tanquam redemptorem, & seruatorem, & iudicem, cui pater omne iudicium dedit. Et melius iungitur cum verbo, Iudicabit, quā cum nomine, Euangelium. Et vocat illud, suum, vt distinctum à pseudoapostolorum Euangelio, & propter eximiam, quam eius habebat cognitionem, & singularem quā in eo prædicando voluptatem percipiebat, & passiones, siue pœnas, quas pro illius amplificatione sustinebat. Ita enim dicere soliti sumus de libris, quibus peculiariter afficimur, ac delectamur. Meus virgilius, meus Cicero. Etsi non inepte exponi possit: Secundum Euangelium meum mihi creditū ad dispensandum: idque per Iesum Christū quia non ab hominibus, neque per hominem illud accepit, sed Iesum Christum. Et hactenus de hac disputatione.

Quid illud Apostoli secundum Euangeliū meum.

Ioan. 5.

Cur suum vocet Euangelium Paulus.

Alter sens.

Gal. 1.

DISPVTATIO XIX.

In illa verba: *Si autem Tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius & Probas vtiliora instructus per legem, confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt: eruditorem insipientium, &c.* vsque in finem cap.

QVANQVAM in his verbis nulla grauis apparebat difficultas, quæ cote disputationis veniat examinanda: quo tamen melius consequentiam Apostolici textus percipiamus, & sententias quasdam dilucidioribus verbis explicemus; non putaui omnino intacta hæc verba relinquere. Primum igitur obserua, tria fuisse Iudæorū cognomenta, in quibus peculiariter gloriabantur. Nam præter beneficium communè legis, qua eos in monte Sina alloqui dignatus est, & de quo Psaltes: *Non fecit taliter omni nationi; & iudicia sua non manifestauit eis* in primis se filios, & semen Abrahæ esse iactabant, vt diceret Ioannes: *Ne velitis dicere intra vos, Patrē habemus Abraham*; & apud Ioan. *Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquā.* Et adeo celebre erat hoc nomen, vt Christo tributū sit in Euāgelio: *Liber*, inquit

Exod. 19. Psal. 147.

Matt 3. Ioan. 8.

Matt.1. *generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abra-*
Genes.32. *ham*. Deinde ab altero patriarcha, hoc est Iacob, qui per fidem auctam præualuit ad Deum, & dictus est Israel, inde se filios Israel, vel Israelitas vocabant: siue Israel interpretetur, Videns Deum, siue quod textus aperte docet, quia fortis, & præualens fuit contra Deum.

Ibid.

Etsi vero Deus illo titulo se denominet plerunque in Scripturis, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: non tamen Iudæi ab Isaac cognomentum aliquod acceperunt, quia nec ille fuit primus, cui factæ sunt promissiones, vt Abrahæ primo factæ sunt: nec soli Israelitæ erant filii Isaac, quia erant & Idumæi filii Esau. Contra vero omnes filii Iacob, etiam ex ancillis nati; computantur in populo Dei; non autem omnes Abrahæ filii, quia nec Ismael eius filius fuit, nec Agareni ex Agar ancilla nati, etiamsi ipsi à Sara vxore primaria Saracenos se vocent, in populo Dei computantur.

Exod.3.

Genes.12.

Tertio dicti sunt Iudæi non à Iuda Machabæo, vt contendunt quidam, eo quod Iudas ille gloriosos eos, & in bello illustres reddiderit: sed potius à Iuda patriarcha filio Iacob, in quo erat Princeps illa tribus inter alias: quia in ea & regni sedes fuit, & sancti Reges nonnulli extitere, vt Dauid, Ezechias, Iosias: & in ea præsertim lex Moysi durauit, & cultus Dei in templo retentus fuit. Cœperuntque Israelitæ vocari Iudæi ab eo tempore, quo illi reuersi de Babylone restaurarunt ciuitatem, & regnum, vt habet Iosephus in lib. 11. Antiquitatum cap. 5. Aliæ vero tribus peculiariter dicebantur regnum Israel, vel Ioseph, vel Ephraim, & prior domus Iuda. Et illa tribus obtinuit regnum à captiuitate simul cum Beniamin, cum quibus erat coniuncta: quod de aliis decem tribubus non legimus. Illa denique tribus est, ex qua Christus descendit secundum carnem: & Christus vocatus est Iudas in figura, delineatæ in illo Messiæ Regis qualitates, & conditiones secundum illud: *Iuda te laudabunt fratres tui*

Genes. 49.

Eccl.49.

Ioseph.

Apoc.5.

Gen 49.

Quia ergo Iudæi in lege accepta, & in cognomento Iudæorum, & in circumcisione à Deo tradita secundum carnem gloriabantur; Pauli scopus est ostendere, eiusmodi de illis iactantiam nihil veræ laudis, aut gloriæ illis peperisse, sed omnibus abusos eos fuisse. Quod ergo paulo ante de legis cognitione, quam præuaricati fuerant, ostēdit, idem iam incipit præstare de superbo Iudæorum cognomento, & de ceremonia circumcisionis, ostendens nihilo plus fructus ex illis accepisse, quam ex lege cognita perceperint. Et hic scopus ante oculos habendus est in subsequentibus. Incipit ergo: *Si autem tu Iudæus cognominaris*, vel vt Græca habent, *Ecce tu Iudæus cognominaris*

Quo tendat hæc Pauli sententia iam proposita.

Quasi diceret, Insignis hoc tantum titulo, & teipsum iactas. Erat enim nomen magnum, & honorificum, veluti nunc est nomen Christianorum: atque illo potissimum nomine erat tunc populus ille notus & Romanis, & Græcis. Et recte dixit, *Cognominaris*: nec enim reuera Iudæus est, nisi compleat legem, vt ait Oecumenius. Ideo non dixit, Nominaris, sed cognominaris. Ita Ioannes ait in Apocalypsi de quibusdam, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur, & sunt Synagoga Satanæ.

Oecum. c.3

Cur Paulus Iudæum non nominari dixerit sed cognominari

Apoc 3.

¶ *Et requiescis in lege.* Ironice loquitur, quasi diceret, Non laboras, vt illi qui sunt extra legem, inquirendo quid sit agendum neq; dubitas de lege, quam nouisti te à Deo accepisse: quies enim nascitur ex comperta veritate. Et prima prærogatiua fuit de generis claritate, secunda de legis frequenti studio per singula Sabbata.

Quid Iudæum in lege requiescere.

¶ *Et gloriaris in Deo.* Legislatore tibi noto, & à te culto, & non sine signis, & portentis ab Aegypti seruitute liberante. Et à lege ascendit ad Deum, de quo Moses dixit: *Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram.* Neque est sermo de gloriatione in Domino; de qua: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, per quam omnia quæ habemus, illi tribuimus: quod est gloriari quasi acceperimus, & de qua Dauid. Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde: sed de vana quadam iactantia, qua se Gentibus præpostere præferebant, & eam sua iustitia accepisse, & impleſſe putabant.

Idem cur gloriaretur in Deo.

Exod 19.

Supra 14. & seq.

Deut 7.

1.Cor.1.

2.Cor.10.

Quando quis in Domino glorietur.

Subdit: *Et nosti voluntatem eius.* Id est: Non solum notitiam ad legem intelligendam, sed etiam ad ea, quæ ex voluntate sola Dei pendent, vt Filii Dei incarnatio, & redemptio per mortem eius, quæ voluit pro sua bonitate operari: quod velit homines in filios adoptare, & similia, quæ erant prorsus ignota.

1.Cor.4.

Duplicem Dei notitiā habuerunt Iudæi.

¶ *Et probas vtiliora instructus per legem.* Hic est quintus gradus: id est, Non tantum nosti bonum à malo discernere, sed etiam bona à melioribus. Vocem Græcam *διαφέροντα* interpretatur Theodoritus differentia: ed quomodo differant inter se, efficit rerum excellentia. Nam quædam sunt perfectionis opera, quæ à viris exiguntur, quædam vero præcepti, quæ à paruulis, & incipientibus. Et subiungit quinque officia, quibus se cæteris nationibus Iudæus præstare putabat, de quibus: *Confidis teipsum ducem esse cæcorum.* Id est, In primis profiteris, & venditas te, etiamsi non sis. ¶ *Ducem cæcorum.* Alludit ad proselytos, qui ex

Theodorit. to.1.init.

Genti-

Gentilitate ad se veniebant, & erudiebant illos,& in legis contubernium excipiebant. Alludit & ad Romanos inter se contendentes: nam in conuersos ad fidem Christi, magisterium sibi vsurpabant. Subdit secundo: *Lumen eorum qui in tenebris sunt.* Cæci sunt, qui non possunt doceri viam, possunt tamē per eam manu duci. Et significat impotentes,& ineptos ad doctrinam recipiendam, etsi apti essent ad ambulandum in via bonorum morum. In tenebris vero sunt, qui lumen intellectus non habent, & eruditione indigent, vt consummatioris sapientiæ participes fiant, accedentes ad legem quæ lucerna est,& lumen. Tertio subdit, *Eruditorem insipientium.* Intellige ius corripiendi,& castigandi alios. Insipienti enim debetur disciplina,& virga. Quarto ait: *Magistrū infantium*, id est insipientiam,& eorum, qui lacte egent, nondum solido cibo. Quinto: *Habentem formam scientiæ & veritatis in lege.* Iuxta Chrysostomum,& Oecumenium, imaginem,& exemplar veritatis, quam opere non eniteris exprimere: Cum Gentes sine tam expresso exemplari ductum naturæ sequentes factis ostendant. Et bene ait: Habentem formam scientiæ,& veritatis in lege; vt digni etiam essent honore summi Sacerdotis, in cuius rationali, & pectore scriptum erat, Doctrina,& Veritas: quo indicabatur, officium Sacerdotis esse & verbo, & opere doctrinæ sacræ veritatem docere. Et ait, Veritatis quæ in lege est. Oportebat enim veram imaginem in conscientia, bonisque operibus sitam esse. Vel accipere possumus, formam habentem veritatis, non autem ipsam veritatem,& scientiam. Vt est illud eiusdem Apostoli, *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Vbi eadem vox & hic,& ibi habetur, nempe μόρφωσις, quæ proprie figuris,& imaginib. adaptatur. Et infert: *Qui ergo alium doces teipsum non doces? qui prædicas non furandum furaris? &c.* Hæc interrogatio vehementiam obiurgandi habet. Et ad literam hæc peccata sunt intelligenda, etiamsi Origenes, & Ambrosius mystice exponant. Iudæi enim furabantur aduentum Christi illum celando,& adulterium admittebant cum Synagoga, relicta Euangelica veritate,& adulterando Scripturas. Abominabantur idola per professionem legis velut sordes, & immunditias: ita vt nec tangere illis liceret idolothyta, vt in Deuteronomio dicitur. Faciebant tamen sacrilegium non tantum in vitulo conflatili, & vitulis aureis Ieroboam, sed etiam in allegandis Sacris lite- &c. ¶ *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est.* Per contentiones enim mutuas, quibus inter se tumultuabantur Romæ, aduentus Christi in carnem, & doctrina eius creditu difficilis reddebatur apud Gentes. Ad eam enim rem producitur testimonium Esaiæ 52. vt testatur Iustinus Martyr in dialogo contra Tryphonem. Nec assignat locum, vbi scriptum sit: quoniam cum doctis,& instructis agebat. Et ait, *per vos*, propter vestram transgressionem legis, & iniqua opera. Et licet, Inter Gentes, non sit in Hebræo, habetur tamen in Septuaginta interpretibus, quos Apostolus frequenter sequitur. Et obserua diligenter, quod non est sine ratione, quo lex suscipiatur, Paulum exigere, vt ab initio ministrorum vita, & proborum morum exemplo lex comprobetur; sed vbi suscepta est, & facta consuetudine firma, nequaquam, vt errant hæretici. Est & vitæ ministrorum sanctitas exigenda: nam legis veritas stare potest cum perdita vita eam profitentium. ¶ *Circumcisio quidem prodest si legem obserues.* Dicendo, *quidem*, non inchoat nouam sententiam, sed propositam noua ratione persequitur. Est enim Græce περιτομὴ μὲν γὰρ hoc est, Circumcisio enim quidem prodest, &c. Est autem Circumcisio, amputatio pelliculæ, qua mēbrum regitur, quæ Latine dicitur præputiū: vel quod pudendis præmineat, vel quod Iudæi præputarent. Græce vero ἀκροβυστία, quæ vox composita est ab ἄκρον, quod est summum,& verbo βύω id est tego, quod summam membri partem pellis illa contegeret. Similiter Hebræis dicitur ערלה id est clausura, à verbo ערל id est clausit, quod illo velut operculo membrum claudatur: vnde & incircumcisum, clausum appellat. De huius ceremoniæ virtute superius dictum est. Tollit ergo fiduciam circumcisionis, sicut supra nominis Iudæi gloriationem; & ostendit quod etsi illa ceremonia olim fuisset vtilis, & profuisset ad extinguendum peccatum originale, & ad castitatem seruandam, debilitatis generationis membris, & ad distinctionem populi Dei à Gentili; ex quo tamen signatum per illam non assequebantur, inutilem illis fuisse redditam. Vnde Ieremias: *Omnes Gentes habent præputium, omnis autem domus Israel in circumcisi sunt corde.* Et iterum: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Iuda & habitatores Ierusalem.* Est ergo circumcisio vana, si non adsit animæ circumcisio, quam illa externa profitetur. Quemadmodum & in Euangelio, baptizati, si legem Euangelicam præuaricentur, nihil vtilitatis ex baptismo acciperent: & monachus religionem violans, nihil fru-

Cæci qui sint, quosque illi denotent.

Quinam esse dicantur in tenebris.

Illud: habētem formā scientiæ,& veritatis in lege, dupliciter intelligitur.

Chrysost. 6. Oecum.

Exod. 28. Leuit. 8.

Alter sens.

2. Tim. 3.

Orig. in c. 2. ep. ad Rom. to. 2.

Amb. ibid. to. 5.

Iudæorum furtum idolorum abominatio,& sacrilegiū quodnam esset.

Deut. 7.

Exod. 32. 3. Reg. 12.

Quomodo per Iudæos nomen Dei blasphemaretur inter Gentes.

Esa. 52.

Iustin. Martyr. to. 2.

Quid sit Circumcisio.

Præputiū vnde sic denominetur.

Tripliciter olim circūcisio Iudæis profuit.

Ierem. 9.

Supr. 4.

Quibus Baptismus, & monastica religio nihil conferant.

ctus perciperet ex professione sua, vel ex habitus cuculla. Contra vero incircumcisus, qui dicitur præputium, quasi res abominanda, si legis iustitias custodiret, præmium circumcisionis haud dubie consequeretur; & verus Iudæus esset in spiritu, si non in litera, & damnabit Iudæum circumcisum tantum in carne. Et hoc in finem vsque capitis probat. Et quia videntur esse manifesta, nõ est quod in eis explicandis plus immoremur,

Rom.2.

Illud tantum operæpretium est commemorare, multa tam à Gentibus, & Poetis & Philosophis, quam ab Hæreticis contumeliose effusa fuisse olim in ceremoniam circumcisionis: contra quos multa ex nostris Origenes, & Ambrosius egregia protulerunt. Quorum prior libro secundo in epistolam ad Romanos in hunc modum loquitur: *Nemo sapiens ea in aliis notat, quæ apud se honesta ducit, & magna: etenim circumcisio apud vos, ô Gentiles, ita magna habetur, vt non passim vulgo ignobili, sed solis Sacerdotibus, & his, qui inter ipsos electioribus studiis mancipati fuerint, credatur. Nam apud Ægyptios, qui in superstitionibus vestris & vetustissimi habentur, & eruditissimi, a quibus prope omnes reliqui ritum sacrorum, & ceremonias mutuati sunt, apud hos, inquam, nullus aut Geometria studebat, aut Astronomia, quæ apud illos præcipua ducitur, nullus certe Astrologia & Geneseos, qua nihil diuinius putant secreta rimabatur, nisi circumcisione suscepta. Sacerdos apud eos, aruspex, aut quorumlibet sacrorum minister vel vt illi appellant, propheta omnis circumcisus est. Literas quoque Sacerdotales veterum Aegyptiorum, quas hieroglyphicas appellant, nemo discebat nisi circumcisus. Omnis hierophantes, omnis vates omnis cœli (vt putant) inferique mystes & conscius apud eos esse non creditur; nisi fuerit circumcisus.*

Orig. in c. 2. ad Rom. circa fin. to 2.

Ea olim Aegyptiis quanto in honore ac pretio habita.

Quinam apud eos solerent circumcidi

Posterior vero epistola ad Constantinũ multa pro circumcisione (in quam oblatrabant Gentiles) loquitur: quod dolorem & periculum mortis inferret accipientibus & interdum infantuli morerentur: pluresque illam religionem potuissent amplecti nisi ipsius periculo, aut opprobrio reuocarentur. Sed egregie respondet: *Qui dicunt, quoniam plures credidissent, si circumcisio non fuisset; ij sibi responsum hoc habeant: quoniam plures crederent, si martyria non essent: sed præstantior est fortitudo paucorum quam remissio plurimorum.* Idem lib. 2. De Abraham: *Denique*, inquit, *Ægyptij quarto decimo anno circumcidunt mares & fœminæ apud eos eodem anno circumcidi feruntur, quod ab eo videlicet anno incipiat flagrare passio virilis, & fœminarum mẽstrua sumant exordia. Legis autem lator æterna signaculum circumcisionis carnalis in solis maribus exigit, eo quod ad mixtionis vsum vir mulierē vehementior sit; & ideo ipsius impetum infringere voluit circumcisionis signaculo. Vel quia viri libere se errare credunt, si solo se abstineant adulterio, meretricios autem vsus tanquam legi naturæ suppetere putant, cum præter coniugium nec viro liceat, nec fœminæ misceri alteri.* Hæc illi Patres satis eleganter.

Amb. li. 9. epist 77. à med. to. 3

Idem c. 11. sub init. to. 3. circa prin cip.

Aegyptii quartodecimo anno

cur mares, & fœminas circumcidant teste Ambrosio. Diuinæ legis latæ mare & non fœminam circumcidẽdi, duplex causa

Manichæi quoque hæretici in Circumcisionem iniurii extiterunt, dicentes, nunquam bonum, & honestum Deum in illo pudendo membro regenerationem Filii sui præsignasse, sed inuentum fuisse mali, turpissimique Dei. Quam blasphemiam August. lib. 6. contra Faustum Manichæum refellit, producens illud Apostoli: *Omnia munda mundis*: quanto magis ergo Deo omnis munditiei fonti? Producit & illud: *Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei*, vt aperte dictum Fausti Manichæi confutetur: ¶ Fuerunt quoque Pelagiani in illum ritum contumeliosi, qui vitium originale non agnoscentes, subinde Sacramẽtum Circumcisionis tanquam peccati remedium abnegabant: non minus isti, quã illi peccantes. Et de his hactenus.

Quid impio Manichæo Circumcisionem à malo Deo pro fectam asserenti, obiecerit magnus Aug. *Aug. to. 6. Tit. 1. Rom. 4.*

Pelagianorum in eãdem circũcisionem contumeliosa.

DISPVTATIO XX.

In illa verba cap. 3 *Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illi eloquia Dei.*

CIRCA proposita verba dubitatur primo, quomodo ex dictis superius colligat Paulus, nullum fuisse inter Iudæum, & Gentilem discrimen, cum potius sæpe Iudæum prætulerit, tam in boni meriti præmio, quam in praui operis supplicio. Vnde dixit: *Iudæo primum, & Græco*? Deinde dubiũ est, quæ fuerint hæc Dei eloquia credita Iudæo, non Gentili; cum Scriptura perinde fuerit communis vtrique populo, non solũ in Nouo Testamento, sed etiam in Veteri? præsertim ex quo illa in Græcum conuersa sermonem fuit per septuaginta duos Interpretes: nam ab eo tempore omnium, etiam Gentilium, manibus teri cœpit.

1. dubitat. *Rom. 2.*

Rom. 10. 11.

His dubitationibus vt faciamus satis, perpende, Apostolum mirabili artificio progredi: siquidem cum primo capite Gentiũ maiores: id est Philosophos, & sapientes, accusasset, & in eis alios omnes, qui eos sequi debe-

Ratio continuationis huius sententiæ.

debebant, minores, eorumque impias Idololatriæ sordes, & abominanda flagitia detexisset, & percensuisset, cœpit secundo ca. in Iudæum insurgere scientia inflatum, vt legis cognitione, & circumcisione & Iudæorũ cognomento abutentem, & nihilo Gentili meliorem, videbatur Paulus Iudæum Gentili in peccatis coæquasse, viam muniens ad generalem propositionem in qua est status totius epistolæ, iustitiæ nimirum, qua quis iustus efficitur coram Deo, ex fide, & non ex operibus contingere: obiicit iam sibi ipsi emergentem ex suis dictis dubitationem: ex cuius solutione aliam rursus proponit, & resoluit, atque ex secunda dissolutione aliam tertio loco proponit.

Pauli ratiocinatio.

Prima ergo obiectio est: Si illa pro vera circumcisione habenda est, quæ spiritu constat, etiamsi citra illam, quæ in litera consistit, ad salutem valet vera legis obseruatio; at citra legis obseruationem circumcisio in carne ad salutem nihil prodest: quid ergo eximii, aut præclari habet Iudæus, quo Gẽtibus præcellat? aut quæ vtilitas circumcisionis? Si enim vtrique legem seruanti datur salus, & neutri, si non seruauerit; quid habet quo vnus alteri præcellat? quasi dicat nihil. Verbum, Quid amplius, Græce est *τὶ περισσὸν*, quod & in bono hic accipitur. Et recte versum fuit, amplius, vel abundantius & Erasmus paraphrastice vertit: *Quid igitur habet, in quo præcellat Iudæus?* Aliquando etiam in malo ponitur, vt ibi: *Quod autem his abundantius est, à malo est.* Respondet ergo: *Multum per omnem modum.* Iudæum donis, & prærogatiuis præcelluisse Gentibus; sed propter incredulitatem suam non fuisse illis donis iustificatos, neque aliis præstantiores, sed vniuersos mortales æqualiter fuisse multis, & magnis peccatis implicitos; imo Iudæos per ingrati animi vitium grauius deliquisse; ac proinde omnes Diuinæ gratiæ ope indigere. Postea vero ab illo loco: *Quia ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram illo*, vsque in finem quarti Capitis, tractatum de hominis reconciliatione, & iustificatione exorditur, quam non ex operibus sed ex fide, & Dei gratia docet esse adipiscendam. Intellige vero, hanc quæstionem proponi ab Apostolo pro eo tempore, quo Christus nondum in mundum venerat: nã tunc locus erat Legi, & Circumcisioni, & honorifico Iudæorum cognomento. Post Christi vero aduentum nullum est inter Iudæum, & Gentilem discrimen: & vtrique populo perinde communia sunt eloquia Dei, tam veteris, quam noui Testamenti. Quod si dicas; Quid hoc ad rem, cum illi, ad quos scriberet, non essent amplius in illo

Vox amplius in Scripturis bono, & malo interdum sensu profertur.

Erasmus.

Matt.5.

Iudæi quando aliquid amplius Gentibus habere deferunt.

Rom.3.

Supra 2.

Cum ad Iudæum iam Christianũ

statu, sed in statu fidei? Respondeo, hoc fecisse Apostolum, ne Gentiles, qui crediderant, in Iudæos, quasi inferiores, superbirẽt. Est ergo illius hæc responsio: *Multum per omnem modum.* Neque multum refert, si iuxta nonnullos textus Græcos legas, Multa p omnem modum, scilicet circumcisionis vtilitas, siue, Multam per omnem modum, vt respondeat verbo, quid ergo amplius Iudæo: quandoquidem in idem redit sensus. Hæc autem videtur Apostolica prudentia inter Iudæos & Græcos decertantes, sic arbitrari, vt vtrumque eatenus laudes, quatenus in alterum inflari, vel iactantiæ ansam arripere nequeat; ac neutrum eo vsque deprimere, vt ius alterius violet. Multum, inquit, per omnem modum. Propter modũ ergo, & non ob essentiam declaratur, illud amplius, siue multum datum Iudæo præ Gentili. Si enim loquamur de tempore ante Euangelium, quod certe affirmandum est, quod ad essentiam spectat, Deus vtriusque populi curam habere dignatus est; nec tantum in corporeis, & temporalibus, sed etiam in spiritualibus, & æternis. Nam tẽporalia omnibus subministrabat ad præsentem vitam tuendam: nam solem suum oriri faciebat super bonos, & malos, & pluebat super iustos, & iniustos. Apostolus quoque Lycaoniis cum dixisset in præteritis generationibus Deum dimisisse omnes Gentes ingredi vias suas, continuo subiunxit: *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, de cœlo dans pluuias, & tempora fructifera implens cibo, & lætitia corda eorum* Et Salomon: *Pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* ¶ Quod attinet ad Spiritum, volebat omnes homines saluos fieri, & neminẽ perire dabatque Angelos salutis ministros, & gratiæ suæ lucem non denegabat, quo & Deum conditorem agnoscere possent, si vellent, & illum glorificarent, eique de beneficiis gratias agerẽt: Ita vt essent inexcusabiles. Hinc inferius subdit: *An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? Imo & Gentium.* At quod attinet ad modum, & qualitatem, fuit quædam excellentia Iudæorum supra Gentiles, & ante Christi aduentum, & post eius apparitionẽ Nam eos è corporali Ægypti seruitute eruerat, sicut & progenitores eorum dilexerat; aluerat signo mannæ de cœlo descendentis protexerat columba nubis & ignis, prolem vsque ad odium & inuidiam inimicorum suorum dederat; Terram præ aliis electam cultam, & munitam contulerat, iuxta illud: *Dedit illis regiones Gentium, & labores populorũ possederunt; vt custodiant iustificationes eius, & Legem eius requirant.* Quod vero in hac parte

& fidelem præsens Pauli sermo dirigatur, quam sit Iudæi cum Gentili idonea, & apta collatio.

Idem Apostolus vtriusque populi, Iudæi & Gentilis contentionem quam sapienter temperauerit.

In quibus æque Iudæis, atque Gentibus olim prospexerit Deus

Mat.5.

Act.14.

Ibid.

Sapient. 6.

Communis eorundem salutis procurãdæ, & consequendæ beneficia.

1 Tim 2.

Rom.1.

Infra 3.

Peculiaria Iudæis præ Gentibus olim munera concessa

Exod.14.

Infra 16.

Supra 13.

Supra 1.

Psal.104.

Bona & fortunæ Iudæorum cur variis tunc expositæ direptionib. Barbarorũ

te tanta illis non impertierit. atque Gentibus, & datam simul terram, & eorum vrbes interdum vastari, & ab hostibus capi permisit; Diuinum fuit beneficium, puniens continuo peccata, & præparans ad paupertatem Euangelicam veniente Christo prædicandam. In spiritualibus etiam contulit illis doctrinam reuelatam per ministerium Moysis & Prophetarum; quam & scripto consignari, & conseruari fecit, ne tot incendiis, & bellorum tumultibus interiret. Tradidit præterea sanctitate, atque doctrina eximios viros, qui in vtroque vt magistri à Deo destinati illos præirent, & gloriarentur cum Dauid: *Non fecit taliter*, vel, Non fecit sic omni nationi. Quo in loco ponderat Clemens Alexandrinus, illud: *Quia alijs Gentibus multa præstiterit, qui Deus est omnium, non tamen dedit, vel fecit sicut cum Iudæis, quibus copiosiorem gratiam per circumcisionem dilargitus est, qua Christi fidem protestabantur. Et hæc omnia propter Christum illis promissum, & ex eis oriturum collata fuere.* ¶ Post Christum vero, quædam etiam priuilegia præ Gentibus acceperunt. Nam pro temporalibus bonis illi primitiui donati sunt Euangelica paupertate: nam in Ecclesia Ierosolymitana erant illis omnia communia, vt Lucas testatur. Pro spiritualibus, illi tempore primi extiterunt, qui agnouerunt Messiam & magnitudine gratiæ præcelluerunt, quia primitias Spiritus acceperunt. Nam & Christum habuerunt ministrum Circumcisionis, qui dicebat: *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Habuerũt & duodecim Apostolos, qui per duodecim annos à Christo in cœlum assumpto viua voce Euangelium signis multis confirmatum tradiderunt: & qui ab eis non recesserunt, donec ab ipsis repellerentur. Vnde Paulus dixit: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes.* Primi igitur acceperunt Spiritum sanctum in igneis linguis ad aliis euangelizandum, & constanter propagandum Iesu Christi nomen. Postremo, primi extitere in possessione æternorum, & cœlestium bonorum, ad quæ & Stephanus, & latro præter Christum, & Virginem vocati sunt. Omnia tamen ista, & similia, ad modum, & qualitatem, non ad essentiam spectant: quandoquidem etiam Gentibus & de temporalibus & spiritualibus satis ad salutem prospexit. Subdit ergo in quo præcellit: *Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Vbi circa voces obserua. Primum, numeraliter acceptum fuisse ab Origene loco: nam etsi nunc eloquia Dei Gentibus etiam credantur; cæterum quia non dixit Apostolus, quia primum credita sunt illis eloquia Dei sed, *Primum quia credita sunt &c.* videtur referendum ad ordinem prærogatiuarum, de quibus per totam epistolam est sermo, sicut superius, cum dixit: *Iudæo primum, & Græco*: id est, præcipue: ita hic cum nihil secundum subiungatur, accipiendum est pro eo quod est præcipuum, & potissimum donum. Et Erasmus vertit, Præcipue, siue præsertim. Et Luc. 15. iussit cito proferri stolam primam, id est præcipuam. Et Petrus dixit: *Hoc primum intelligentes, &c.* id est, præcipue. ¶ Verbum, *Credita*, Erasmus vertit, Commissa: qua voce non satis exprimitur vis verbi Græci ἐπιστεύθησαν, id est, credita, quod amplius quid innuit, quam Commissa. Credere enim alicui rem quampiam, est fidei alterius quasi ad honorem eius, vtpote, cui bene fidimus, & eius fidem habemus compertam, tradere: Committere vero, est alicui simpliciter administrationem dare ad periculum de eo faciendum an satis sit fidelis. Et hunc honorem in verbo, Credita, annotauit Theophylactus, & multo clarius Ambrosius hoc loco; ait enim: *Cum multa sint, quæ ad honorificentiam, & meritum pertineant seminis Abrahæ, hoc solum aperte memorat: quia maxima laudis eorum est, vt legem per quam adduxerunt rectum à peruerso distinguere, digni iudicarentur accipere.* Hæc ille. Porro vsus huius verbi Credendi, in hoc sensu frequens est apud Paulum; vt in his locis: Cum vidissent quod creditum est mihi Euangelium præputii: Prædicatio credita est mihi secundum præceptum Saluatoris nostri Dei: Dispensatio mihi credita est: Quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi: Vt crederetur nobis Euangelium, &c. ¶ *Eloquia Dei.* Græce dicuntur λόγια quæ secundum Hesychiũ proprie significant Oracula Deorũ, siue vaticinia, quæ consulentibus dabant. Et ita proprie pertinerent ad Prophetas. Sed quia illud vocabulum interdum locum propitiatorij, ex quo oracula dabat, significat, & voci Græcæ non perinde in sua plenitudine respondet, nec est tam frequens atque vox eloquii, & Paulus libenter sequitur septuaginta interpretes qui in illa voce generaliter exprimũt quicquid ad Legem Dei spectat; proinde præferendum videtur nomen Eloquii, iuxta illud: *Eloquia Domini, eloquia casta.* & iterum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo?* rursum: *in corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi*: Et similia multa. Et designat non tantum ea, quæ Deus consulentibus ore suo tradit, sed & vniuersa

Psal. 147.
Clemens Alexand. l. Strom. 6.
In dicto Prophetæ: Non fecit taliter omni nationi, quid dignũ obseruatione.
Noua rursus beneficia eidem populo Iudæorum collata.
Act. 4.
Rom. 6.
Infra 15.
Matt. 15.
Apostolorum in Iudæa prædicatio quã diuturna.
Act. 13.
Sup. 2.
Infra 7.
Infra 12.
Luc. 32.
Quales tãtum fuerint iam dictæ Iudæorum prærogatiuæ.
Orig. to. 2.
Ioan. 1.
Infra 2.
Erasmus.
Luc. 15.
2. Pet. 1.
Idem.
Quare Paulus potius credita dixerit Iudæo quam commissa eloquia Dei.
Theophyl. in c. 3. ad Rom. auctor B. Ambr. ibid. t. 5. antemed.
Credere pro Committere seu consignare quam frequenter à Paulo vsurpatum.
Gal. 2.
Tit. 1.
1. Cor. 6.
1. Tim. 1.
1. Thess. 2.
Eloquia Dei quid Hesychio.
Hesychius.
Ratio huius vocis eloquii retinendæ quæ nam sit.
Ps. 11.
Ps. 118.
Ibid.

Alter sens.

Summum omnium eloquiorũ Dei quodnam illud.

Ioan.5.

Ibid.

Rom.10.

Deut.18.

Iudæi olim cur dij vocarentur.

Ioan.10.

Ps.81.

Quis ille notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen ei⁹.

Ps.75.

III. sensus quorundã minime probabilis eloquiorũ Dei.

Orig. in c.3 ad Rom.l.2 to 2.

Verus & optimus eanon intelligẽtiæ Scripturarum.

Cabalæ multiplices defect⁹.

Lib.1. enar vat. Euang.

Prolego.

Amb. in hunc locũ

Orig. ibid.

Theophyl. Ibidem.

Solent Scripturæ magis ad rem ipsam, quã ad verba respicere.

Marc. vlt.

quæ Moyses & Prophetæ Deo committente scripserunt: non tantum circa opera, quę exigit à nobis ad retributionem vel æternæ vitæ, vel æternæ mortis futuram, clarius in eis quam ab ipso Naturæ lumine explicata sed præcipue ea, quæ circa propositum Dei volentis mittere Messiam mundi lucem ad eorum salutem, declarata fuere: quod est præcipuum, & maximum in Scripturis, de quo Dominus: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; & illa sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et infra: *Si crederetis Moysi; crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Et Paulus: *Finis Legis Christus, ad iustitiam omni credenti.* Hoc etiam, antequam eloquia Dei scripto per Mosem consignarentur, patribus Abrahã, Isaac, & Iacob, Ioseph, & aliis reuelatũ fuit & promissum; & hoc est præcipue eloquiũ Dei, non vt Moysis Legislatoris, sed ipsius vt Prophetæ dicentis: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus,* & reliq. quod quidem magnũ fuit, tantum margaritum polliceri. Ex quo illi dii dicebantur: *Si illos,* inquit, *dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, &c.* &: *Notus in Iudæa Deus,* (id est, Christus Deus, & Dei Filius) *in Israel magnum nomen eius:* hoc est, nomen Iesu magnum, quod toti mundo salutem attulit. Quod vero quidam ex sensu Origenis in hunc locum eloquia Dei interpretantur pro spirituali legis sensu, quem Cabalisticis libris aiunt contineri: mihi minime probatur. Nec ergo aliam rationem interpretandi veteres Scripturas probo, quam eam, quam Christus Euangelio & Apostolus in suis epistolis nobis aperuerunt præsertim cum Cabala multa aperte peccet in inuertendis literis, & syllabis, & in accipiendis integris dictionib. pro literis, quæ ab eodem elemento incipiũt, vel ex literis numeros conficit, & iuxta numerum maiorẽ vel minorem alteras lectiones pro alteris ponit: quod est mere ridiculum, & à docto viro minime acceptandum: de quo alibi latius disserui. Pronomen, illis, quia non habetur in Græco; putat Faber expungendum, eum tamen legant Ambrosius, Origenes, & Theophylactus. Nec obstat quod præcessit, Iudæo, in singulari, vt ideo legendum sit, Ei, vel illi: quia Iudæus ibi accipitur pro multitudine Iudæorũ, & familiarissimum est in sacris literis relationem fieri potius ad sensum, quam ad verba: vt cum dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Iam dissoluamus quæ à principio sunt proposita. Ad primum enim respondemus apte collegisse Apostolum illam dubitationem, cum vtriusque populi homines pares extitisse cõprobasset, & Diuinũ iudiciũ vtrique ex æquo respondere: siue in præmio, si seruet Legem; siue in supplicio, si illam transgrediatur: quanquam præmium, vel iudicium Dei semper Iudæo maius extiterit, propter maiorem ingratitudinem.

Ad secundum dicendum, eloquia Dei, id est, promissiones de Messia venturo, proprie factas Iudæis, & non Gentibus, quę ex misericordia Dei Messiam acceperunt: sicut Iudæi ex debito quodam iustitiæ, quod eorum patribus promissus fuisset. Si vero eloquia extendamus ad omnes sacras literas; dicendum est, eiusmodi eloquia primitus fuisse Iudæis reuelata, & illis per suos Prophetas verbo scripto tradita & nonnisi per eos ad Gentiles venisse. Quanquam eorum pontifex Eleazarus Regis Ptolomæi beneuolentia victus, & immensis donis ab eo cumulatus, ad eum desiderantem Legẽ Moysis, & scripta Prophetica, destinauerit septuagintaduos interpretes, senos ex qualibet tribu; homines linguarum Hebraicæ & Græcæ peritissimos, qui nobis Scripturas Hebræas Græce loquẽtes reddiderunt: quod magna Dei prouidentia factum fuisse nemo dubitare debet, fere ante aduentũ Christi per trecentes annos. Nã post Christi aduẽtum Iudæi ob perfidiam Scripturas nobis denegassent, vel corruptas, & non integras tradidissent, vel ob linguæ Hebraicæ ignorationem obiicere possent illas à nobis fuisse deprauatas: quod perinde fuisset atque Scripturas non habere. Idcirco ante tot secula conuersæ in Græcum sermonem, & ab eis probatæ toti orbi communicatæ sunt, quo vitam, & gesta Christi, & signa, & reliqua mysteria confirmare possemus. Et hæc sint satis.

I. dubitationis sol.

Quomodo nunc Paulus Iudæu Genti lem probet æqualem quem ante illi postposuerat.

II. dubitat. solut.

Cum ęque populus Gentilis, ac Iudæus in vtraque Lege partíceps fuerit diuinorum eloquiorũ; quænam fuerint Iudæis tantũ concessa eloquia Dei.

Sub quo Iudæorum Pontifice, cuiusque precibus & hortatu 7a interpretum perfecta fuerit editio.

Illa si facta non fuisset quid incõmodi Christianis accidisset.

DISPVTATIO XXI.

In illa verba: *Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax: Sicut scriptum est: vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas, cum iudicaris.*

Quæstio I.

QVæritur primo, quomodo incredulitas Iudæorum fidem Dei non euacuauerit, cum constet, ea, quæ sub conditione à Deo promittuntur, nonnisi expleta à nobis conditione, vt ster dictis, & promissis

suis

suis Deum attate? Certum etiam fit, magnam Iudæorum partem promissis Dei spoliatam ob infidelitatem fuisse. Deinde quæritur, quomodo, si homo omnis mendax est, is ipse, qui hæc scripsit, cùm homo fuerit, eiusmodi dicto non fuerit mendax? Denique quale sit testimonium illud, quod producit ex Dauide, non integrum, sed diminutum.

II.

III

I. sensus. Paulinæ huios disputationis.

¶ Vt hæc melius dissoluamus, obserua, hanc esse secundam obiectionem natam ex prioris dubitationis resolutione. Volens enim immobilitatem, & firmitatẽ Diuinæ promissionis ostendere, obiicit sibi, quod Iudæi pleríque illis eloquiis seu promissionibus de Christi aduentu fidem non habuerunt, iuxta illud Psalmi: *Non crediderunt Deo, nec sperauerunt in salutari eius.* Prophetis etiam non adhæserunt: *Increduli, inquit, & subuersores sunt tecum, &c.* Et tursus: *Domus Israel nolunt audire te: quia nolunt audire me:* ac per hoc gentem Iudaicam sua prærogatiua spoliatam: Respondet: *Quid enim* (scilicet obest, aut obstat) *Incredulitas quorundam ex illis, quæ ad infringenda Dei promissa satis non fuit?* Et fortassis Gentiles eo argumento nitebantur Iudæorum dignitatem conuellere, eo quod Messiæ non credidissent.

Ps. 77. Ezech. 2. Infra. 3.

Alter sens. congruentior.

Probabilius est tamen, quod Paulus respondeat Iudæis de hac tanta eloquiorum diuinorum sibi creditorum gloria superbientibus. Ita enim apud seipsos desipiebant Iudæi, vt aduentus promissionem factam sibi crederent sub hac stipulatione, si ipsi Iudæi vicissim Deo crederent, & Legem seruassent; & idcirco autorem salutis & gratiæ aduenisse in hunc mundum suis operum meritis iactabant. In quem errorẽ frequenter Apostolus disputat per totam epistolam, asserens Christi venturi promissionem non fuisse factam sub aliqua conditione ex hominum fide, vel voluntate, & ex operibus Legis seruatæ pendente: ad quod indicandum prima aduentus Messiæ promissio facta est Adæ peccatori, & tanta gratia ob recens admissum peccatum indigno. Idem incarnationis mysterium promissum fuit impio Regi Achaz, & signum ad Dei gloriam petere nolenti. Vnde subiungit Propheta: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium.* Recte etiam dixit: *Si quidam illorum non crediderunt*; vt innueret, quorundam perfidiam aliorum fidei officere non debuisse: ob quorum dignitatem, & meritum venit, vt testatur Ambrosius, qui propter nullius merita venit. Nam etiamsi nemo credidisset, aut Legem seruasset, omnino venisset ad liberandam fidem suam. Dixit autem Apostolus, quosdam illorum

Qua ratione Paulus Iudæorum de Messia ipsis tantũ promisso, & suis meritis præstãdo confutet errorem

Gen. 3. Esai. 7. Ibid. Mat. 1.

Amb. to 3. Iudæorum quosdam, & non omnes cur dicat Apostolus non credidisse.

non credidisse, quoniam multi ex Patribus crediderant, & ne Iudæos irritaret, si omnes dixisset, etiamsi magnam Israelitarum partem cæcitas occupasset. Et vt superius inuectus in Iudæos, ostendit illis Gentiles factores Legis extitisse; ita hic indicat, Iudæos quosdam fidem, & Legem seruasse. Illa igitur infidelitas etsi non credentibus nocuerit, nihil tamen imminuit donorum, quibus honestati fuerunt credentes. Fidem Dei hoc loco vocat fidelitatem, constantiam, & in promissis veracitatem, secundum quam dicitur: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis; &* Apostolus: *Fidelis enim est qui repromisit.* Et ex his perspice, eloquia superius accepisse pro Dei promissionibus. Oecumenius tamen aliter hoc loco fidem Dei accepit, nẽpe pro fidei virtute, quæ in quibusdam bonis permansit: quæ quidem fides & à Deo venit, & ad eum tendit. Sed non videtur hoc aut rationi, aut contextui consonum, vt sic accipiatur: quia protinus subiungit de veracitate Dei: est autem Deus verax; omnis autem homo mendax: vbi nihil de fide credentium. Et respondet: *Absit.* Abominantis est, Græce μὴ γένοιτο, id est, Non fiat, vel Non contingat, vt Dei bonitas vnquam à nostra malitia vincatur, aut permutetur. Et subdit: *Est autem Deus verax, omnis homo mendax.* Prima vox Græce est γινέσθω, estq; Imperatiui modi, id est, Sit, vel, Fiat, vel, Esto, sicut credibile interpretem nostrum vertisse; vel sane legit, Est: nam Cyprianus, Ambrosius, & Augustinus indicatiue legũt Est. Et legendum cum emphasi: Est autem Deus verax; hoc est, Statuamus, & sentiamus de Deo, & de nobis quod decet, id est, quod mendaces sumus, ille vero fidelis. Est autem Deus verax, non tam habitu, & consuetudine, quam natura, & negatione potentiæ mentiendi: Deus enim nec falli, nec fallere potest. Causa siquidem falsitatis in verbis alicuius esse solet, aut mens falsa, aut praua voluntas. Et primum homini accidit, quia veritatem à rebus accipit, vt quia ita sunt, tales esse iudicet: in quo sæpe fallitur. Quod esse in Deo nequit, quia veritatem à rebus non sumit, sed ipse potius est causa rerum. At voluntatẽ prauam ex eo habere potest homo vt mentiatur, quia nõ est ipsemet bonitas, nec veritatis regula, ac proinde ab ea potest deflectere. Deus autẽ cuius voluntas & veritatis regula idem sũt non potest obliquam à veritate voluntatem habere. Hinc Paulus ait: *Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Si enim, cũ per se sit ipsamet veritas, veritatẽ declinaret, te

Rom. 11.

Quid per fidem Dei. I. sensus Ambrosii Ps 144. Heb. 10.

Alter Oecumenii, minus probabilis. Oecumen.

Ea negandi formula Absit, quid Paulus significet.

B. Cyprian. in epist. ad Cornel & in ep. ad Clerum Leg. 8. Ambrosius Augustin.

Deus quomodo verax sit.

Falsitas ex duobus pẽdet.

Cur sit homo mendax.

2. Tim. 2.

ipsum

ipsum negaret. Illud vero. *Omnis autem homo mendax*, sumptum videtur ex Psal. 115. vbi habetur: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax*; siue, vt significantius Hæbræa habent, mendacium. Ita enim vocatur ab Spiritu sancto, qui alibi per eundẽ Prophetam dixit: *Vniuersa vanitas omnis homo viuens*, & à filio eius Salomone Vanitas vanitatum nuncupatur, Et ne is homo, qui hæc dixit, mendacii conuinceretur, præmisit. *In excessu meo*, id est, Deus hæc dixit; nõ ego vt homo sum, nisi quatenus lumine cœlesti illustratus, Dei bonitatem, & veritatem participo, vt annotauit Augustin. post Basilium à quo hæc accepit hunc locũ interpretans. Est ergo omnis homo suapte natura, quæ per peccatum corrupta est, mendax, & mẽdacium: tum primum, quia præstare nequit quod promisit, & Diuinis etiam diffidit promissis, vt quidam exponunt. Hinc illa magnifica verba: *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes*. Quibus tamen Dominus obiecit: *Nonne Moyses dedit vobis Legem; & nemo ex vobis facit Legem?* Petrus etiam cum promisisset: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, ter Dominũ abiurauit: Thomas quoque dixit; *Eamus, & nos, & moriamur cum eo*, & tamen Apostoli relicto illo fugerunt omnes. Ad eum modum multi ex Christi cultoribus promissa in baptismo, & in confessione Sacerdoti Christi vicario facta, quis est qui præstet? cum breui in eadem, vel grauiora crimina relabamur. Deinde homo mendax dicitur, quia & fallit, & fallitur frequenter, & indigne de diuinis pronuntiat, & à patre mendacii, & ab Eua parente nostra ab eo seducta mendacium suxit. Adeo, vt etiam propheta alterum seduxerit prophetam loquens in nomine Domini, & inuitans eum ad prandium contra Domini voluntatem. Sicut etiam Nathan de suo spiritu loquens ad Dauidem de ædificando templo, deceptus est. Quemadmodum etiã Philosophi multa mentiti sunt in capita sua, & in physicis, & in ethicis. Nec tam natura, & iudicio, quam vita, & moribus mentimur: quia dum viuimus concupiscentiæ morbo obnoxii sumus. Semper etiam aliquid est latentis hypocriseos, quia quales non sumus, videri volumus; & quales sumus nolumus haberi: & ideo opere mentimur. Imo hoc ipsum est magnum mendacium, putare se sine peccato esse, cum Ioannes dixerit. *Si dixerimus quoniam peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Psal. 115. — Psalm. 38. — Eccl. 1. — Ad secundum dub. Dauid quo modo sit verax, si omnis homo mendax. — B. Basil. in Ps. 115. so 1. Aug. so. 8. — Vnde homines com probentur mendaces. — Exod. 24. — Supra 19. — Ioan. 7. — Matt. 26. — Ibid. — Ioan. 11. — Matt. 26. — II. ratio humani mendacii. — Ioan. 8. — Gen. 3. — 3. Reg. 13. — 2. Reg. 7. — III. ratio. — IV. ac postrema. — 1. Ioan. 1.

Sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis; & vincas, cum iudicaris. Vbi primum obserua, integrum locum Prophetæ Paulum non citasse, sed more suo id tantum, quod ad rem spectabit. Ideo non dixit: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Deinde quod ait: *Et vincas, cum iudicaris*; verbum Hebræum actiuum est, nimirum, Cum iudicas: Græce vero æquiuocum est ad actiuum, & passiuum, ἐν τῷ κρίνεσθαί σε. Est quidem passiua terminatio, at significatio ambigua. Beatus Paulus citauit, vt iacet apud Septuaginta, & interpres noster secutus passiuum significatum.

Ad tertiam dubitatio. — Amans breuitatis Apostolus, integra de veteri Testamento non profert testimonia.

Est autem hoc Dauidis testimonium sententiæ Paulinæ aptissimum. Quia enim Dauid in Deum peccauerat, credebant multi ob eius peccatum irritam Dei reddendam promissionem. Idcirco dum sceleris veniam deprecatur, nulla sua merita ante Dei oculos proponit, sed ipsius tantum qui polliceri solet remissionem crimina sua confessis. Hinc dixit *Tibi soli peccaui*: (omne enim delictum contra Deum est, qui offenditur) *Vt iustificeris in sermonibus tuis*: hoc est, iustus habearis in promissis tuis. Vel de remissione peccati promissa per Nathan Prophetam, vel de promissionibus Dauidi factis per eundem Prophetam, quod eius regnum stabiliretur in æternum, & ex eius sanguine veniret Messias. ¶ *Et vincas, cum iudicaris*. Dupliciter vincit: vel condonando peccata, vel promissa de regno perpetuo dando. Etsi actiue legamus, sensus est: Irreprehensibilis appareas, dum iudicas improbos: si vero passiue, vincas, cum iudicaris ab improbis expostulantibus, ac dicentibus Deum humana non curare, vel ad misericordiam impertiendum facilem non esse, vel ob hominum peccata mutari, non dando, quæ promisit. Sed Deus temeraria hominum iudicia vincit, & litis huius victoriam obtinet: quia misericordia superexaltat iudicio; &, Vbi abundauit delictum superabundauit & gratia. Et obserua: quod si verba Dauidis producta à Paulo coniungantur cum proxima sententia, hoc est, *Tibi soli peccaui*, particula, Vt, coniunctionem denotat, non caussam: si autem iungantur cum superioribus, id est, *Miserere mei Deus*, vel, *Amplius laua me*, &c. tunc particula dicta proprie finem, siue caussam denotat.

Quam apte Paulino proposito locus Prophetæ respondeat. — 2. Reg. 12. — Ezech. 18. — Psal. 50. — Quid significet: Vt iustificeris in sermonib. tuis. — 2. Reg. 12. — Supra 7. — Psal. 88. — Homines Deus vincit dupliciter. — Eius dicti: Et vincas, cum iudicaris, duplex interpretatio. — Iacob. 2. — Rom. 5. — Psal. 50. — Ibid.

Quod ergo primo obiectum fuit de Dei promissionibus, soluitur. Dicimus enim, quędam promisisse Deum absolute, quæ ex merito hominum pendere non voluit, vt fuit Christi aduentus: alia vero sub conditione legis seruatæ, vt dicitur Exo. 20. Deuteronom. 7. & Esa. 1. *Si volueritis*, inquit, *&*

Ad primã dubitat. Quomodo Dei fides non sit euacuata per Iudæorum incredulitatem cum Dei promissa facta sub cõditio. fue-

rint, maledicti, etiam Iudæorum ab illis excidetur.

Exod. 19. Deut. 7. Esai. 19. Psalm 33. Rom. 3.

Comminatoriæ Dei voces quo sint accipiendæ modo.

Iona. 3. Esai. 38. Ierem. 18.

Passio Christi quibus tantum salutaris existat.

Marc. vlt.

Tot homines perditio, vt fiet, omnes homines seruandi cum promissione diuina.

Hæretici circa hunc locum quã turpiter hallucinentur.

audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Ideo priuati fuerunt præmio legis, quia omnes declinauerunt, scilicet à lege. Quædam etiam, quæ comminatorie proferre solet, secundum præsentem iustitiam intelligenda sunt, si scilicet homines in melius non moueantur, aut pœnitentiam non agant. Et ita fecit cum Niniuitis, & Ezechia: & per Ieremiam Dominus dixit: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Et si igitur promissio Christi venituri fuerit absoluta, à nulla conditione pendens, applicatio tamen passionis eius ad salutem nostram, & à Sacramento pendet in paruulis, & in adultis, & à particulari cuiusq; fide & assensu, quia nemo, nisi qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Neq; hac ratione incredulitas hominum fidem Dei enumerat: quis non promisit saluos facere nisi credentes, & in fidem bonis operibus exercentes, & in fidem vsq; vitæ perseuerantes. Quod diligenter contra hæreticos obseruandum est, quia omnia confundunt, & Euangelium volunt nudam esse promissioné, quæ tantum fidem exigat ex parte nostra: quod manifeste dogma est hæreticum, & Euangelicæ, & Apostolicę doctrinæ contrarium.

DISPVTATIO XXII.

In illa verba: *Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus qui infert iram? (secundum hominem dico) Absit: alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit, in gloriam ipsius,* &c.

I. difficultas.

SVBOBSCVRA in primis videtur hæc Pauli disputatio, & non satis ad scopum propositum: deinde infirma est disputandi ratio, quæ ex falsis procedit, nimirum ex hoc, quod iniquitas nostra illustrat Dei iustitiam: nam quomodo peccatum illustrabit

II.

Deum quo ille contemnitur, & debita ei obedientia subtrahitur, & propter quod male audire solet. Deniq; non videtur à ratione alienum, aliquod paruũ malum facere, vt mendacium officiosum, ex quo tamen aliquod magnum bonum cõsequatur vt docuit Plato, & quidam ex nostris, qui eum secuti sunt.

III.

Plato l. 2. de Repub. in fi.

Sed ad hæc intelligenda, explicandus est in primis Apostolicus contextus, deinde dubia proposita expedienda: Principio quidem, vt scopum teneat, obserua, quod cum Apostolus iustitiam, fidelitatemq; Dei merito extulisset, ita vt etiam Deus infidis fidelis sit, & iniquis iustus, & malis bonus; quidam veritatis illusores colligebant, ex Pauli prædicatione, qua docebat bonitaté Dei ex peccatis hominum occasioné sumere gloriæ elicere. Inferebant enim falsam cõclusionem, peccandum scilicet esse, vt gratia Dei illustraretur, qui vel offensus non commouebat in ira sua misericordias suas, & iniquitatem nostram directe, & per se illustrem, & commendabilem Dei iustitiam reddere; ac proinde amplius syllogizantes colligebant; Si peccata nostra magnificant Dei bonitatem, & gloriam eius adaugent, non esse pro peccatis habenda. Imo DEVS qui peccantibus irascitur, & illos punit, iniquus esset; non secus atq; Rex ille iniquus habendus esset, qui eos supplicio afficeret, quos nouisset suæ ipsius gloriæ illustrandæ incũbere. Et subdit: *Secundum hominem dico.* Hoc est, carnalis est hominis hæc cogitatio & ex hominis erratois sensu, & non ex proprio loquor. Soluit vero dicendo. *Absit.* Vbi dubium emergit, an istius hypotheticæ propositionis, hoc est, Si iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quod est antecedens, amplius deneget, an vero antecedéti concesso, consequens illud, Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram, negare videatur. B. Ambrosius, & S. Thomas opinantur, argumenti rationem sumptam ex illa coniunctione Dauidis, *Vt iustificeris,* finalitre intellecta in sensu causali, quasi diceret, *Tibi soli peccaui,* eo animo, vt tu iustificeris sermonibus tuis, & tua iustitia commendabilis reddatur: & propterea nec illum, nec alios peccatores dignos esse ira Dei. Contra quos Paulus docet, illam coniunctionem, Vt non causalem, sed per eam euentum, & consecutioné designari: quod scilicet ex peccatis nostris gloria Dei consequatur, vel misericordis remittentis, vel iusti punientis: nõ enim est causalis: quia peccata gloriam Dei non illustrant, sed potius obscurant: neq; peccatores ex animo peccant, vt Dei glorificetur: in quem modum negaret Paulus antecedens præd. ctæ ratiocinationis.

Scopus Apostoli.

Psal. 76.

Quid hæc significet phrasis Apostolica, Secundum hominem dico.

Ad hęc cõditionalis propositio: Si iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, sit destructio antecedentis an vero affirmatio subsequentis.

Primus sensus.

B. Amb. to. 5. à med. B. Tho. in c. 3. epist. ad Ro. lect. ante med. to. 16. init.

Potest tamen adhiberi alia explicatio huius rationis, vt non neget antecedens, sed potius consequentiam. Nam dicta coniunctio, Vt, ad proximum verbum, Tibi soli peccaui, non est referenda, sed ad primum verbum, Miserere mei Deus, &, Amplius laua me, &c. vt iustificeris in sermonibus

Alter sensus

tuis

tius. Et licet poſſit referri ad verbum proximum, nemo eſt tam hebes, qui ſuſpicari valeat denotare cauſſam, aut ſcopum peccantis, ſed tantum euentum ipſum, qui conſequitur: quia peccata noſtra materia ſunt exercendæ miſericordiæ promiſſæ peccatoribus. Et quanquam Paulus nihil de illa coniunctione ediſſerat, & ſolum intendat concedere, commendari per noſtras iniquitates Dei iuſtitiam: non tamen directe, & per ſe, ſed indirecte, & per accidens, quatenus DEVS ex malis noſtris elicit gloriam ſuam, & promiſſam miſericordiam iniuſtis non denegat. Sed vt grauitas morbi artem medici, & peritiam commendat: ita niſi eſſent peccata, DEI miſericordia peccatoris iuſtificantis non ſplendeſceret. Quod ſi Deo homines fidem ſeruarent, & Deus illis, DEI fidelitas non ita clareſceret, quam DEVS cum fœdifragis fidem ſuam ſeruat: Nec obſtat humana ratio illa: *Frangenti fidem fides frangatur eidem*: quia non docet illa regula, quid ſit omnino faciendum, ſed quid iure fieri poſſit. ¶ Poteſt etiam aptius dici, per verbum, *Abſit*, intelligendum, vel accidens, & tunc conſequens verum eſſet; vel negare illud conſequens, Ergo iniuſtus eſt DEVS puniens, & conſequentiam quia ex vero falſum colligit, & ſecundum etiam conſequens, quod infert: *Faciamus mala, vt veniant bona.* Et dicendo: *Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* probat negationem eius, quod intulerat. Eſt enim extremum mundi iudicium, actus iuſtitiæ ſummi iudicis. Vt ergo in prima, & ſumma veritate non eſt mendacium, nec in ſummo ente accidens, nec in ſumma luce tenebræ: ita nec in ſummo iudice vlla erit iniuſtitia, qua bonum, & virtutem tanquam malum, & vitium puniat; vel malum, & vitium tanquam actiones honeſtas, & bonas remuneret. Ponit ergo hic ſermo extremum iudicium iuſtis iuſtiſſimum futurum & impios illa die damnandos: quæ omnibus Chriſtianis notum erat. Verum tamen eſt, quod iuſtitiæ noſtræ, & benefacta per ſe Deum illuſtrarant, iuxta illud: *Vt videant opera veſtra bona; & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt*: & illud B. Petri; *Vt ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum in die viſitationis.* Atque hoc dubium attingit Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium, explicans, omnia quidem impiorum mala cedere in gloriam DEI: vniuerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad diem malum. Verum non accidit hoc ex animo peccantium, quaſi Dei gloriam ſpectent, aut ex natura peccati, quaſi illud ex ſe valeat ad gloriam DEI

Noſtræ iniquitas vt commendent Dei iuſtitiam.
Simile.

Illud: Frangenti fidē, fides Frangatur eidē, quid proprie ſignificet.
Tertius ſenſus congruentior.

Rom. 3.

Ibid.

Supremi iudicis Ieſu Chriſti eſt ſumma iuſtitia.

Iuſtitiæ noſtræ per ſe diuinam gloriam illuſtrant, & amplificāt.
Mat. 5.

1. Petr. 2.
B. Aug. c. 90. 10. 3 nō valde procul ab init.
Prou. 16.
Quid proprium diuinæ virtutis & ſapientiæ quid vero noſtræ malignitatis.

amplificandam, ſed ex ſapientia, & virtute Dei, qui nouit malis noſtris bene vti quemadmodum nos Dei bonis abuti nouimus. ¶ *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipſius; quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor?* Repetitio eſt ſuperioris rationis, paulo tamen diuerſæ: nam quæſtionem deducit ad abſurda, & eam non tā ſoluit, quam obrumpit: & quia obſcurius eam propoſuerat, illam repetit. Duas ergo facit conſequētias ex illo antecedente, nimirum Si ex mendacio noſtro, id eſt, fidei violatione, veritas Dei extollitur, & illuſtrior efficitur; primum ſequeretur, quod homo fidem Deo non ſeruans non ſit peccator habendus. Secundo ſequeretur, nos facere mala debere, vt inde bona euenirent, id eſt, remiſſiones peccatorum, & condonationes, quaſi in gloriam Dei cederent. Et formatur ratio per apoſtrophen, quia in propria perſona loquitur. Et induit perſonam peccatoris doctrinæ gratia: imo etiam ſimul humilitatis cauſa confitetur ſuam incredulitatem, de qua alibi dixit: *Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes* &, cætera: & ad Timotheum: *Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus. Sed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate* ¶ *Si enim Deus*, inquit, *in meo mendacio abundauit, in gloriam ipſius.*

Quod antecedēs vt certū, & compertum eſt accipiendum. ¶ *Quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor, & condemnor?* Id eſt, nulla ſolida apparet ratio, Et quid non faciamus mala, vt veniant bona? Reliqua vero parentheſi ſunt claudenda: (*Sicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere*) & ita diſtinctam partes oratio tota cōſtabit, & nulla eſt eclipſis, & nullum opus eſt ſubaudire verbum. Hi videntur fuiſſe hoſtes Euangelii, de quib. mentionem facit B. Petrus, cum dixit, & indoctos, & inſtabiles deprauare epiſtolas B Pauli. Quia ergo Paulus cum cæteris Apoſtolis prædicabant per fidei gratiam, & non per vlla merita bonorum operum iuſtitiam, & ſalutem mortalibus eſſe propoſitam, & diuina miſericordia multitudinem, & grauitatem peccatorū abſumi: ita vt quo plura, & grauiora, eo etiam illuſtrior reddatur diuina gloria; & *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*: talem prædicationem irridebāt, quaſi nihil aliud per eam fieret, quam vt homines effuſiſſime peccata perpetrarēt: quæ quidem maledicentia non erat in homines tantum, ſed etiam in Deum. Quare, vt ponderauit Origenes, non dicit, Maledicimur, vel calumniamur, vel male audimus, ſed blaſphemamur. Nam quia Apoſtoli pro Chriſto legatione

Si ex noſtro mendacio Dei veritas abundaret, quæ nam duo incommoda eueniſſēt ſecundum Apoſtolū.

Peccatoris interdum cur Paul. in perſona loquatur.
Tit. 3.

1. Tim. 1.

Ordinatio contextus.

Quorum fuiſſe videatur vox illa: Faciamus mala, vt veniant bona.

2. Pet. vlt.

Rom. 5
Eandem criminatoriam vocē Apoſtolus cur blaſphemiam appellauerit.
Orig. in c. 3. epiſt. ad Ro. non longe à princ. to. 2.
2. Cor. 5.

tione fungebantur; quæ in Christi legatos iactabantur; in eum redundabant, iuxta illud: *Qui vos spernit, me spernit*: vnde & Paulus seipsum blasphemum vocat, quod persecutus sit Ecclesiam Dei. Et blasphemia, materialis saltem erat, si non intelligebant, Christum per Paulum loqui. ¶ Nec est credendum hoc argumentum ab Apostolo insolutum relictum fuisse, sed prima illatione: *Quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor?* supplendum verbum ex superioribus, ἀπὸ κοινοῦ, *Absit*, cum sit eadem illatio cum superiori: vel relicta est ab Apostolo, vt nimis aperte falsa, & mendax. Secundam vero illationem, quod sint facienda mala, vt veniant bona, premit, dicendo: *Quorum damnatio iusta est*. Et relatiuum, *Quorum*, non refert eos, qui eo nomine mala faciebant, vt inde venirent bona; quanquam & illi damnabiles sint, sed blasphemos, & impostores signatus superius per nomen, Quidam, vt Ambros. & Chrysostom. aiunt. Male enim syllogizabant, ac si quis de vero iusto argueret: Patientia viri iusti in eo resplendet, quod multas iniurias præfert, atque condonat; irrogandæ ergo sunt illi contumeliæ: quæ consequentia & sordida est, & nulla.

Luc. 10.

1. Tim. 1.

1. Cor. 13.

Idem Paulus argum eorum qui dicebant, ex humano mendacio diuinā gloriam abundare, quomodo dissoluerit. Quorum hoc loco iusta dicatur esse damnare.

Ambr. in c. 3 ad Ro. §. 2. Chrys ib. ser. 6. sub fi. to 4. init.

Porro in hac secunda illatione nonnulla magni momenti cōsideranda veniunt. Primum est, quod non ait, permittenda mala, vel toleranda, vt veniant bona, vt DEVS quotidie in ipsum facit tolerat enim, vt vel pœnitenti peccata condonentur à Deo, vel vt in eis perseuerans, debito supplicio plectatur. Reges etiam, & Principes multa delicta, maxime interiora: & quæ pacem externam non perturbant, tolerare solem: veluti vsuras, concubinatum, fornicationem & similia, quo maiorum, & grauiorum peccatorum occasiones amputent. Deinde obserua, dictum Apostoli intelligendum de malo culpæ, & peccato; quod cum sit res illicita, nullo honestatis prætextu faciendum est. Quod si id non licet, vel ob hoc non tantum bonum, quod est illustrare Dei gloriam, & bonitatem (quo bono certe nullum excellentius extitit;) recte consequitur, nullo, alio colore inferioris boni id licere. Vt, dare ad vsuram, quo pecuniam colligas ad distribuendum pauperibus. Tertio, etsi non liceat facere malum, vt inde veniat bonum; licet dimittere bona perfectionis ad tempus, vt veniant bona. Et dixi, bona perfectionis: quoniam à bono à Deo præcepto non licet declinare: quia tunc citius scandalum nasci permittitur, quam, vt veritas relinquatur. Bene tamen ab operib. consilii cessandum est, si quis ex illis

Circa illud Non sunt facienda mala, vt veniant bona multa tradūtur documenta non nulla.

Cur à Deo permittantur peccata. Quænam soleant mala à principib tolerari, neque puniri. Alterum documentum.

III. documentum.

B. Greg ho. 7 in Ezech. sub im. to. 2

scandalum sumat, donec plene de veritate instruatur: qua instructione præmissa, non debet quisquam ab opere bono desistere, propter aliorum scandalum: quia tunc esset suo vitio acceptum, & non datum. Quarto accipe non licere facere, vel minimum malum, ad euitandum maius, siue proprium, siue alienum. Verbi gratia; Habitare cum scorto ad vitandum adulterium: & Lot vir sanctus ad declinandum flagitium infandum, quod adolescentibus, qui hospitandi gratia in domum suam diuerterant, intentabatur, si eis suas obtulit Sodomitis ciuibus, vt illis abuterentur. ¶ Nec obstat quod dist. 13. ex Concilio Toletano producitur: *Duo mala licet omnino cautissime sint præcauenda: tamen si periculi necessitas vnum ex his perpetrare compulerit, id debemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligari.* His siquidem verbis præcise admonemur, vt in male promissis etiam iureiurando firmatis fidem rescindamus: vt, qui iurauit hominem occidere, potius frangat iuramentum, quam occidat: quia frangere tunc non est peccatum; sed occidere esset grauissimum delictum. ¶ Consulere autem minus malum, quando alia via non possumus arcere amicum à perniciosiori crimine, licitum est: vt qui suaderet alteri fornicationem, vt vitaret adulterium. Vt enim meretrices, & vsuræ ad tollenda adulteria, & raptus, & incestus tolerantur: ita qui non posset à mœchia cum matronis abarcere, nō peccaret, si ad simplicem fornicationem, qua libidinē expleat, adhortaretur. Ita enim quidam de Catone apud Horatium dixit:

IV. documentum.

Gen. 19.

Ibid.

C. Duo mala Conc. Tolet. 8. c. 2. to. 3. Conc.

III. conclusio. Quod dicitur in Toletano Concilio, ex duob. malis necessario perpetrandis id debere resolui, quod minori nexu noscitur obligari: quo modo accipiendum sit Suaderi minus malum alicui quando licite possit.

Quidam notus homo cum exiret fornice, Macte
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis.
Nam simul ac venas inflauit tetra libido,
Huc iuuenes æquum est descendere, non alienas
Permolere vxores.

Horat li. 1. ser. Satyr. 2. sub init.

Consilium enim non ad malum, sed ad bonum potius refertur, id est ad cauendum quod peius est: quare qui consulit, non eligit minus malum, sed qui facit, ille eligit. Quod colligitur ex eadem dist. cap. Nerui. Quinto aduerte, non licere vel officiose mentiri ob vitam propriam, vel alterius seruandam. Hinc obstetrices mentitæ Pharaoni ob filios Israel, acceperunt tantum domos materiales. Rachel etiā mentita Laban patri suo, quæ deos illius furatura erat. Idem etiam sentiunt præclari Ecclesiæ Doctores; vt August. super illud Psalmi: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, & Gregorius in verba Iob: *Nec lingua mea meditabitur mēdacium.* Non ignoro aliter docuisse Platonem qui lib. 2. de Republica scripsit: *Veritas quoque sectanda magnopere est. Si enim, vt*

V. documentum.

Exod. 1.

Gen. 31.

B Aug. in Ps. 5. to. 8 in prin B. Gr. l. 18. Mora. c. 2. to. 1. Iob. 27.

Plato in si li. productis.

paulo ante rectissime dicebamus, Deo indecens, & inutile mendacium est, hominibus quandoque vtile, vt vtamur eo, quasi condimento, atq; medicamine, nulli dubium est quin huiusmodi licētia medicis danda sit, & ab improbis remouenda. Vera, inquit, asseris. Ergo principes vrbium, si quibus, & alijs hoc conceditur, oportet aliquando mentiri; vel contra hostes, vel pro patria, & ciuibus, ab alijs vero non tētandum. Caeterum si priuatus quispiam suo magistratui mētiatur, hoc etiam maius peccatum dicimus, quam si ęgor medico, luctator gymnasiarcha de corporis sui constitutione vera non dicat: vel si nauarcho de naui, & nautis non vera dicat quemadmodum ipsius, & aliorum nautarum negotium habeat. Hæc ille. Quem secuti sunt ex nostris Origen. li. 6. Strom. qui fere eadem verba vsurpat Platonis. Et Hieronym. edisserens Petrum simulasse, cum se subduceret à mensa superuenientib. Hebræis, & Paulum ficte, & per simulationem restitisse Petro in faciem: quorum vtrumq; negat Augustin. Idem etiam dogma secuti sunt Chrysostomus, & Euseb. lib. de præparatione Euangelica. Sed inter cæteros valde reprehendendi sunt nostri temporis hæretici, quorum princeps Lutherus dixit licitum esse fucis, vel technis promouere Euangelium: sicut Paulus aram IGNOTI DEI detorsit ad negotium Euangelii. Sed certe Deus mendacio nostro non indiget, vt pro eo loquamur: nec torsit Apostolus aram Ignoti Dei ad Christum, sed mira Spiritus sancti prudētia inde occasionem sumpsit docendi illos verum Deum ignorare. Præterquam quod alii tradunt aram illam positam fuisse Athenis, cum Christus pēderet in Cruce, & ita vere illi posita fuisset, nec detorsisset Apostolus, sed explicasset mysterium. In hoc autem præceptum maxime impingunt Lutherani: nam vt tollerent abusus Sacramentorum, ipsa Ecclesiæ mysteria de medio sustulerunt, & virtutem eorum abnegarunt. Et vt tollerent vagos meretricum concubitus, dogmatizarunt omnibus Sacerdotibus, & religiosis habendam esse vxorem grauiora mala pro leuioribus persuadentes.

Licitum quandoq; mendaciū docuit Plato, & quib.

Idem ex Patrib. cū Platone qui senserint.

Orig. Hier. epist. 89 to. 2.

Act. 11.

Gal 2.

Aug. epist. 63 to. 2 in prin. Chrys. hom. 5. de pæn. post med. & alibi to. 5.

Euseb li. 12. de præpar. Euā c. 41. to. to. 1.

In dictum Luther: Licet fucis, & technis promouere Euangelium.

Act. 17.

Iob 13.

Nequaquam Paulum apud Athenienses aram ignoti Dei ad negotium Euangelii detorsisse, vt ille mentitur.

Quam vere, & apposite de hæreticis dici possit, q faciant mala vt inde, veniant bona.

DISPVTATIO XXIII.

In illa verba: *Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam: causati enim sumus Iudæos, & Græcos, omnes sub peccato esse: sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam, non est intelligens: non est requirens Deum, &c.*

I. dubium.

IN his verbis primum dubitamus, quomodo dicat Apostolus, Iudæos Gentibus non præcellere; cum superius dixerit: *Quid ergo amplius est? &c. Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei, &c.* Nec videtur satis esse ad demonstrandū, Iudæos non præcellere Gentibus, probare, vtrosque fuisse sub peccato mortifero: potuit enim euenire, quod hi essent sub maiori peccato, illi vero sub minori: vnde & magis, vel minus indigni ad Euangelicam gratiam suscipiendam. Deinde dubitatur, quomodo verum est, quod ex Scripturis producitur. *Non est iustus quisquam, non est requirens Deum, &c. Non est, qui faciat bonum, nō est vsq; ad vnum.* Legimus siquidem, multos iustos, & sanctos in lege stetisse, vt Abraham, Isaac, Iacob, Mosen, Dauid, & in Euangelio Dominus dixit, *Multi Prophetæ, & iusti cupierunt videre, quæ videtis, &c.* & iterum. *Erant autem ambo iusti ante Deum,* scilicet parentes Præcursoris; & tali titulo iustorum decoratur Abel, Noe & Simeon iustus, Ioseph Sponsus Virginis, & Ioseph ab Arimathæa, qui Dominum tradidit sepulturæ. Habet autem hoc peculiarem difficultatem, ob multitudinem sensuum, qui illis verbis tribuuntur. ¶ Prius tamen quā hæc soluamus, verba textus explanāda sūt. Familiare est Apostolo, ex solutione vnius quæstionis alteram formare: cum ergo superius affirmasset, Iudæum Gentili præstare, etiamsi ille abusus sit sua prærogatiua, iterum interrogat, an Iudæi quoquo pacto illum præcellant? Et respondet negatiue. Quarum responsionum contrarium concordia est hæc, vt habetur in Glossa ordinaria: quod supra esset sermo de Iudæis per legem, & circumcisionem vincentibus Gentiles: nunc autem de Iudæis ad fidē conuersis, vbi vnum est commune omnibus Baptisma, & idem iustificandi modus per fidem. Sed hæc solutio solida non videtur: quia hactenus Apostolus continenter locutus est, de Iudæis, & Gentibus sub aduentum Christi: quos omnes pariter sub peccato concludit, & per Scripturas, quas producit, comprobat, quo doceat, vniuersos DEI gratia indigere. Respondendum igitur aliter est superius sermonem fuisse de beneficiis diuinis, quibus Iudæi proprie erant pre Gentibus à DEO donati; hic vero verba facit de propriis operum meritis: & ad id indicandum, diuersis vsus est verbis. Supra enim non dixit, Iudæos Gentibus præcellere, sed amplius aliquid habuisse vel recepisse: hic vero adimit illis excellentiam illam, quæ ad virtutem propriam, & merita refertur. Hinc superius in tertia persona protulit, cum aliquid laudis illis adscribit: vbi autem eorum crimina

Rom. 3.

II. dub.

Psalm. 13.

Matt. 13.

Luc. 1.

Matt. 25.

Gen. 6.

Luc. 2.

Mat. 2

Luc. 23.

Quomodo hæc cū superiorib. connectantur.

I. solutio, sed incommoda.

Glos. ordin.

Altera cōmodior.

Cur Paulus Iudæos laudans, in tertia persona,

eosdem vituperans, in prima loquatur.

refricat, vt hic facit, humilitatis gratia, & veritatis, quia ipse sub peccato fuerat, & doctrinæ causa melius accipiendæ, in prima persona ait; *Quid ergo? Nos præcellimus eos?* nos scilicet Iudæi, & Gentiles? Et respondet: *Nequaquam: causati enim sumus Iudaeos, & Græcos, omnes sub peccato esse.* Hoc est, Et si in dono eloquiorum Dei excelluerimus, nō tamen in studio sanctitatis, & bonorum operum: & assignat rationem: *Causati enim sumus, omnes sub pecato esse*: quod est dicere, Redditis rationibus, vel causis ostendimus omnes peccasse, tam maiores Iudæorum, quam gentium: ex quibus possumus de minoribus idem coniectare. Græca litera habet προῃτιασάμεθα hoc est, Præcausati sumus. Sed quia illud verbum non erat in Latina lingua vsurpatum, interpres dixit, *Causati sumus.* Quemadmodum Rom. 6. *Quæcunque scripta sunt,* Græce legitur προεγράφη id est, ante, vel prius scripta: interpres tamē vertit per simplex verbum, Scripta sunt. Ita hoc loco, pro ante criminati sumus, vel, prius causati sumus, simplex posuit verbum Causari: quod Græca scholia interpretantur ἠλέγξαμεν, id est, accusauimus, siue reprehēdimus Et subdit: *Sub peccato esse*, id est, ita, & damnatione, quam peccatum promeretur. De personalibus enim peccatis est sermo, siue de voluntariis actionibus, vt tradit Augustinus libro de natura & gratia, & Beatus Thom. hoc loco: non autem loquitur de originali, de quo hactenus nulla mentio ab Apostolo facta est. Ac proinde statuendū, hunc locum non probare, beatam Virginē sub peccato originali conclusam.

Cur dictū ab Interprete, Causati, ac non potius, Præcausati sumus vt fuerat dicendum.

Rom 15.

Quid sit hoc loco, Omnes sub peccato esse.

B. Aug. l. de natu. & grat. c. 45. to 7.

D. Thom. lect. 2. in c. 3 ad Rom propemod. tom. 16. in princ.

Ad primā dubitatio.

Quod vero obiectum fuit, non probari per hoc, Iudæos non præcellere Gentibus quia potuerunt hi grauiora peccare, illi vero minora: nihil euincit. Quia id non agit Paulus, vt quærat, quis populus grauius deliquerit: satis illi est probare, omnes fuisse sub lethali delicto maculatos, dicendo, Omnes sub peccato esse, quasi depressos, vt seruos, & mancipia peccati. Ex quo elicitur, nec hos, nec illos meruisse Dei gratiam, sed pœnam potius æternam: quare si diuinum gratiæ lumen, & cætera dona illis conferantur, hoc non est ex eorum meritis, sed ex sola, & mera Dei bonitate. Non negamus tamen, quod illi, qui sub maiori peccato demergebantur, minus ad gratiam dispositi erant: cum quib. etiam benignius à Deo actum est. Nec videtur ad rem facere, vter maiora peccauerit: nam Iudæo id tribuit Ezechiel cap. 5. & cap. 16. *Iustificasti Sodomam sororem tuam*, &c. Et Dominus in Euāgelio: *Seruus qui cognouit voluntatē domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundū voluntatē eius, vapulabit multis*: hic est Iudæus. *Qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis*: hic est Gentilis.

Quomodo nunc Paulus Iudæum neget excellere Gentili, cum ante oppositum desidierit.

Ezech 5. Infra 16.

Luc 12.

Secundo loco proposita dubitatio fuit, quomodo verum sit, omnes sub peccato actuali extitisse, cum supra dixerit: *Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*; Et iterum: *Si igitur præputium iustitias legis custodiat*, & cætera. Et de Iudæis hoc eodē capite dixit: *Quid enim si quidam illorum non crediderunt*, insinuans, aliquos non credidisse. Adhæc repugnant multis locis Scripturæ, in quibus plures isti celebrantur, & perfecti, & sancti vocantur: quomodo igitur omnes sub peccato sunt? Respondent nonnulli, verbum illud, *Omnes*, intelligi debere non pro omnibus, & singulis, sed pro vtroque populo, tam Iudæorum, quam Gentium, vt capite 12. huius epistolæ dixit; *Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Alii vero, *Omnes*, interpretantur, id est, multos, vt illud, *Omnes prouinciæ veniebant in Aegyptum*, & cætera. Et in Euangelio: *Audiens autem Herodes Rex, turbatus est & omnis Ierosolyma cum illo*, & *Exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem.* Sed huic sensui repugnant probationes, quas de Scripturis diuinis producit Apostolus: *Quia non est iustus quisquam. Non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Deinde alii respondent, dicentes, quod loquitur Apostolus de multitudine & populo peccatorum: vt interdū omnes vocantur multitudo prædestinatorum, vel vocatorum, vel populus electus. Sed hanc expositionem violentam esse iudicat B Thomas. Et dicendo, *Non est iustus quisquam, aut requirens Deum*, videtur de omnibus loqui in vniuersum. Tertio dicunt alii, intelligendum hunc locum de leuiorib. delictis, sine quibus iusti, & sancti non viuunt, dicētes quotidie, Dimitte nobis debita nostra; &, Si dixerimus quoniam peccatum nō habemus, ipsi nos seducimus; & veritas in nobis non est. Sed hoc etsi verū non sit, ad rem tamen videtur spectare. Tum quia causatus erat tam Iudæos, quam Gentes de grauissimis delictis, id est, idololatria sodomia, & de iniustitia. Tum quia sequitur. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt*, &, *Non est iustus quisquam*: at homo ob venialia delicta nō amittit iusti, vel nomen, vel rem, neq; etiam perfectionem, vt Apostoli: neq; potest dici, ob leuia delicta dici inutilis, vel declinasse.

Ad secundam dubit.

Illud: Non est iustus quisquā, & c. quomodo verum sit, cum plerique in Scripturis iusti legantur.

Rom. 2.

Ibid.

I. solutio.

Rom. 11.

Gen 41.

Mat. 2.

Infra 3.

Quid habeat incommodi.

Psalm. 13.

II. minus etiam probabilis.

B Tho supradictus.

III solutio

Mat. 6.

1. Ioan 1.

Cur illa nō probetur.

Rom. 2.

Supra. 2.

His ergo sensibus, vt minus ad rem facientibus prætermissis, pro vero, & germano

sensu

IV. solutio omnium commodissima. sensu Apostoli statuendum primum, quod in illis verbis plus probat, quam proponit Paulus. Proposuit siquidem, vtrumque populum esse reum, & peccatorem coram DEO; & probat, omnes, & singulos vtriusque populi sub peccato concludi. Deinde perspice, Scripturam sæpe loqui de re aliqua secundum vel ipsius naturam, non autem secundum aliquod exterius aduenient. Sic dicitur CHRISTVS redemptor, vel saluator omnium, ex naturali efficacia meritorum suorum. Ita dicitur solus DEVS bonus, id est, suapte natura: solus dicitur immortalis, hoc est, ex se. Vult item omnes, homines saluos fieri, & neminem perire, & illuminat omnem hominem scilicet ex parte sua. Quemadmodum etiam illud, *Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus*, scilicet per essentiam, & naturam. Similia multa sunt, vt illa: *Morieris & non viues*, scilicet ex teipso: & ei quindecim anni vitæ DEI gratia sunt adiuncti, & non spectabant ad suam periodum naturalem; & ita peccatum in Spiritum sanctum non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro, nimirum ex seipso. Item illud; *Nemo carnem suam odio habet*, ex se scilicet: secus ex spiritu, vel stulto errore. Item: *Linguam nullus hominum domare potest*: &, *Nemo potest venire ad me*, & cætera, eodem modo sunt interpretanda. Ad rem nostram, cum tota humana natura peccato fuerit implicita in Adam, & omnes natura simus filii iræ, & habemus peccatum ex se in nobis dominans, & in omnia flagitia sollicitans; bene PAVLVS dixit, omnes, & singulos sub peccato esse, id est, sub dominio, & tyrannide peccati, seu sub concupiscentia dominante: & illud, quod in pluribus est, in vniuersum verum esse dicitur. Et ita ostendit, Iudæis, & Gentibus, omnia, aut multa delicta peccasse. Quod autem in paucis non sit peccatum, vt iustis, quod diximus, à caussa per accidens est, & ab arte minime considerabile. Illi ergo pauci iusti à caussa extrinseca, id est, DEI gratia, & fide sunt, nam suapte natura tales fuissent, quales alii: nec tales iam sunt filii Adæ, seu filii hominum, de quibus dicitur: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum.* Sed filii DEI sunt. Et ita sub peccato, id est, originali, & fructibus eius, scilicet personalibus omnes ex seipsis, nisi Dominus sua gratia singulariter auxilium ferat. Hunc autem sensum, vt solidum, & contextui congruentem comprobat beatus Augustinus in enarratione decimiquarti Psalmi, vbi ait: *Et iste est melior intellectus, vt nemo intelligatur fecisse bonitatem vsque ad CHRISTVM: quia non potest quisquam hominum facere bonitatem, nisi ipse monstrauerit*. Hæc ille. Ad eum modum interpretatur beatus Thomas, & Caietanus præsentem locum, iuxta illud: *Nullus apud te per se innocens est*. Et ita implentur illæ sententiæ: *Facti sumus, vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruata vniuersa iustitia nostra, & cecidimus, quasi folium vniuersi*: *Omnes nos quasi oues errauimus*: *Omnis homo mendax*: *Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi*. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*. Nullus enim præter DEVM, & Iesum Christum ex suæ naturæ conditione iustus vnquam fuit, sed quilibet peccator est, & sub originali detinetur, & ad actualia, & mortifera peccata patranda ex seipso propensus est. Deinde hunc sensum probat scopus Apostoli.

Mos Scripturarum loquendi familiarissimus.

Matt. 19.

1. Tim. 6.

Supra 2. 2. Petr. 3. Ioan. 1.

Esai. 38.

Matt. 12.

Ephes. 5.

Iacob 3. Ioan. 6.

Gen. 3. Rom. 5. Ephes. 2.

Rom. 6. Quid rursus sub peccato esse.

Si qui interdum sine peccato fuerint, vnde id acciderit.

Psalm. 13.

B. Aug. in 13. in princ.

B. Tho. loco prædicto. Caiet. ibid. Exod. 34.

Esa. 64. Supra 53. Psal. 115. Philip. 2. Rom. 3.

II. ratio.

Contendit enim, omnem mundum subiicere vt reum, & obnoxium ex seipso coram DEO, & illius gratia, & fauore indigentem; vt hac humili sui ipsius agnitione iustificetur. Tertio, comprobatur hic sensus à verbis Apostoli, vbi ait: *Sicut scriptum est*. Etsi enim Apostolis non esset opus Scripturis sua dicta comprobare, sicut nec DEO, cuius sunt organa: vtuntur tamen illis exemplo CHRISTI, qui id fecit, & ad elucidandam vtriusque legis consonantiam apud populum illum, qui præter legem suam nihil recipiebat. Et ait, Scriptum est, absolute, non signans locum aliquem: quia ex Psalmo, & Esaia & Ecclesiaste consarcinata sunt ab Apostolo, quæ producit. Habet enim in more Apostolus, vt quandoque ex multis locis vnam conflet consonantiam. Prima autem verba sunt Psalmi decimitertii, vbi habetur: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis*: de cuius Psalmi germana intelligentia multi multa proferunt. Et in primis non est sensus de Nabuchodonosor, & Chaldæis, qui euerterunt Ierusalem, dicentes, DEVM Israel non esse verum DEVM, quia non potuit illos, nec templum suum de manibus illorum liberare: & ideo corrupti sunt, & abominabiles facti. Sic enim interpretatur Rabbinus Salomon satis frigide contra Titulum Psalmi, In finem, qui CHRISTVM legis vniuersæ finem designat, & contra verbum illud etiam: Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, & non tantum super filios Chaldæorum. Deinde Cassiodor. de populo Iudæorum interpretatur, qui in aduentu Domini dixit in corde suo, Christum nō esse Deum, quomodo etiam

III. ratio.

Apostoli cur dicta sua Prophetarum testimonijs cōfirmaret.

Psal. 13. Psalmi 13. multiplex intelligentia. Primus sensus Rab. Salomonis ineptus. *4. Reg. vlt.*

Psalm. 13. Alter sensus Cassiodori parū idoneus.

etiam Arrius Christum Deum esse negauit & ideo incurrit maledictiones omnes huius Psalmi. Sed non videtur, quomodo vno dicente, Non est Deus, alii sint corrupti: & quomodo verum sit quod dicitur: Dominus prospexit super filios hominum, id est, super vniuersos, vt videat, si est, vel vnus intelligens, aut requirens Deum, & nõ dixit tantum, super Iudæos. Adhæc qui hæc dicunt, precantur pro aduentu Messiæ in fine Psalmi: *Quis dabit ex Sion salutare Israel?*

Tertius sensus B. Augustini.

Tertio, beatus Augustinus, vt dictum est, intelligit de Iudæis, & Gentibus, quarum quidam Philosophi negarunt DEVM esse, vt Diagoras; vel eius prouidentiam, vt Epicurus vel eius vnitatem, vt multi, qui multitudinem Deorum colebant. Vnde illo principio negato corrupti sunt. At si veritatẽ amamus, non videtur, quod omnes Philosophi negauerint aut vnũ Deum aut eius prouidentiam, quamquam vnus, aut alter, ex illis eiusmodi errores fuerit amplexus.

Triplex quorundã de Deo Philosophorũ opinio falsissima.

Quartus sensus verbis Pauli maxime cõsentaneus. *Rom.5.*

Melius ergo dicemus cũ Paulo, qui hunc Psalmũ hoc loco videtur exponere, quod est sermo de peccato Adæ, in quo omnes peccauerunt. Nam dixit, omnes homines sub peccato esse, & ille Adam, tanquam insipiens, in corde suo dixit, Non est DEVS: non quidem directe asserendo, sed indirecte, & ex consecutione quadam. Omnis enim malus hoc ipso; quod peccat, in corde suo dicit, DEVM peccatores non videre, aut non puniturum eos, aut forte credit DEVM mendacem: quia dæmon dixerat, *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum, & malum*: quod est, facere Deum mendacem, & inuidum, vel nolentem punire. Præterquam quod Samuel dixit. *Quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere*; & maluit Adam vxori, quam DEO obedire.

Quomodo Adam peccans in corde suo dixerit Nõ est Deus. *Gen. 3.*

1.Reg.15.

Homines per peccatum quare corrupti, & cur facti dicantur abominabiles.

Sicut ergo Dauid vidit in Spiritu peccatum Adæ, ita etiam fructus, & effectus, qui illud consequuntur; quos exprimit, cum ait: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt.* Corrupti quidem, amissa iustitia originali, ob cuius carentiam fit, vt homo obediat sensui, & carni: abominabiles vero facti sunt, amissa gratia, per quam erant DEO chari. Ex amissione vero vtriusque, gratiæ scilicet, & iustitiæ, corpus corruptioni, & morti redditum est obnoxium, & abominabile. Sequitur: *Dominus prospexit super filios hominum.* Vel, super filios Adæ, & ita excluditur CHRISTVS, qui iustus noster, & iustitia nostra, & segregatus à peccatoribus; qui non est Adæ filius, nec hominũ, bene tamen in singulari filius hominis.

Iidem corporum corruptionem & mortalitatem vnde contraxerunt. *Ierem 31. Ibid iuxta Hebr. Heb.7.*

Christus singularis, non etiã cur dictus Filius hominis non filius hominum, vt cæteri homines.

¶ *Super filios hominum*: scilicet post peccatum: quia omnes habuit præsentes in sua æternitate. *Vt videat*, si quis intellectu, vel affectu requirat. Et subdit: *Omnes declinauerunt.* A via iusta, & recta. Considerat enim nos Scriptura, quid ex nostra natura, & conditione sumus: quia qui non declinant, ex gratia DEI id habent. Idcirco primum perspice, nullum sanctorum liberari potuisse ab originali, præter vnicam Virginem, de qua Augustinus ait libro de natura & gratia, cum de peccatis agitur, non esse eam comprehendendam. Secundo perpende ob aliis personalib. peccatis multos, qui iusti dicuntur, per gratiam DEI liberatos esse. Vnde Augustinus libro de sancta virginitate ait; *Nullus iustus debet in se gloriari de sua iustitia, sed de dono Dei, & quasi acceperis.* Tertio obserua iustum, qui nunquam peccauit, magis obligari Deo, quam pœnitẽ tẽ, cui multa peccata sunt dimissa: quia iustis plura sunt dimissa, non quæ actu commiserint, sed quæ perpetrassent, nisi gratia DEI essent præuenti. Hinc virgines scribit Augustinus magis ad amandum DEVM adstringi, quam corruptas: *Quicquid mali ipso custodiente non commisistis, tanquam remissum ab illo deputate, ne modicum vobis existimantes dimissum, modicum diligatis; & tundentes pectora, publicanos ruinosa iactantia contemnatis.* Et Homil. de peccatrice ait: *Nullum est peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo si desit rector, a quo factus est homo.* Et Aristoteles: *Quod omnino factum est, apprehenditur tanquam iam factum, nisi aliquod accidens impediat.* Ita DEVS omnia peccata futura apprehendit, quia talia fuissent nisi gratia sua impediuisset. Et hactenus dictum sit de loci huius intelligentia. Reliqua huius testimonii, verba consulto prætermitto, tũ quia clara, & dilucida reddita sunt ex his, quæ diximus; tum etiam quia ex aliis facile peti possunt.

Soli ex omnibus sanctis Mariæ Virgini concessum præseruationis ab originali beneficiũ, teste Augustino.

B. Aug l. de nat. & gratia c.36. to. 6 circa med.

Idem li. de sancta vir. c.39. & seq. & sæpe alias to.6. in fi.

Iusti, quã lapsi pœnitentes, Deo maiorem amorem cur debeãt.

Idem li. de sanct. Virg. c.3. & c.40.

Idem li.2. Homi homil. 23. circa med. to. 10. inter med. & ini.

Arist. li.8. Physic.to.2

¶ Illud duntaxat aduerte, quod dicitur, *Vsque ad vnum*, Augustinum magis pie, & Catholice exposuisse, excludendo Christum quam solide. Est enim Hebraismus, pro eo, quod est, ne vnus quidem Græce ἕως ἑνός.

Sensus ille Augustini: Non est iustus quisquã vsque ad vnũ scilicet Christum, quatenus probetur.

(?)

DISPV-

DISPVTATIO XIV.

In illa verba: *Scimus autem, quoniam quæcunque Lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.*

1. difficultas.

OBSCVRVM est in primis illud dictũ, Quomodo lex quæcunq; loquitur, iis qui in lege sunt, loquatur, cum tamẽ multa de Gentib. dicantur, vt de Iethro, & Iob, & Regib. Aegyptiorũ, & Assyriorum, & Medorũ, & Persarum; & de Cyro Esaias c. 45. ait: Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram. Deinde non tantum est obscurum, verum etiam valde perplexum, præsertim propter varias Doctorum sententias, quomodo verum sit ex operibus legis, non iustificari omnem carnem coram illo, & quæ sint ista opera, quæ tam constanter ab efficacia iustificandi excluduntur.

Esai. 45.

Altera.

Sed ad hæc obscura illustranda, prius est nobis more solito Textus interpretandus, vt ex illo explicato dubitationem solutio accipiatur: Ait igitur: *Scimus autem quoniam quæcunq; lex loquitur.* Vbi occurrit Apostolus obiectioni, quam poterant facere Iudæi, dicentes, superiora Scripturæ maledicta iactata esse non in seipsos, sed in gentes. Cui occurrit: dicendo, quod lex non loquitur illis, quibus non est apposita, id est, paganis, sed illis, quibus est lata, & promulgata, hoc est, Iudæis. Neq; tamen per hæc negat Apostolus, aliqua esse aduersus Gentes vt, Onus Babylonis, Onus Moab, Onus Damasci, & similia. Vnde Oecumenius ponderat: Caute admodũ hoc posuit. Neq; enim dixit. Dei his qui sunt in lege, sed, *His qui sũt in lege.* Multa siquidem & Babyloniis dicit, Persisq; & Medis, ac Aegyptiis, aliisq; plurimis nationibus. Attamen etiam, quæ de his erant vaticinia, Iudæis afferebat, qui in lege erant, hoc est, sub lege. Ad quos, & propter quos etiam alienarum Gentium peccata, & vindictæ referuntur, vt Sodomæ, Aegypti, Babel: sed tamen tunc Gentes exprimũtur. Quando vero generatim sine speciali nominatione personarum in lege reprehẽsiones inueniuntur, tunc de Iudæis præcipue intelliguntur. Vt illud: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum,* &c. Hæc enim illis fiunt, quibus promisit Christum Saluatorem; & Iudæi illo magis indigebant, quia per legem magis peccatores redditi erant: quia per legem, seu mandatum factum est supra modum peccans peccatum, vt ait Apostolus. Secundario etiam spectat ad Gentes peccatrices, ac proinde Christi salutem indigentes. Et non solum articulus legi Græce appositus, sed & cõtextus ipse, & producti ex Scripturis loci ostendunt, quod non solum de lege naturali, sed de Mosaica hoc loco sit sermo. ¶ Etsi vero interdum vetus Testamẽtum in legem, Psalmos, & Prophetas diuidatur, vt Luc. vlt. interdum in legem, & Prophetas, sub quibus Dauidis Psal. continentur, vt Matth. 13. & alibi, Lex, & Prophetæ, vsq; ad Ioannem; aliquando tamen tota vetus Scriptura dicitur lex, vt patet in hoc testimonio ex Psalmis, & Prophetis cõtexto. Et ita accipitur Matthæi. 5. cum ait Christus: *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Et Ioan. 15. *Vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis.* Non ergo hic accipienda est lex pro lege naturæ, vt Origenes accepit: nam producta testimonia ex lege Mosis sunt deprompta. Et ita solutum est primum dubium. Subiungit autem finem primarium horum testimoniorum: *Vt omnes*, inquit, *os obstruatur.* Hoc est, vt non solum Gentes, sed etiam Iudæi cognitis suis peccatis ora obturent, & nequaquam audeant gloriari, vel confidere in propria iustitia, & iactare sua merita coram Deo, quem offenderunt. Et vt ait Augustinus: *Omne etiam os iustorum obstruatur in laude sua, & aperiatur in laudem Dei, à quo est omne bonum nostrum.* Estq; allusio ad forum iudiciale, vbi reus si quid habet, quo possit crimina obiecta abluere, tempus ad respondendum postulat: sin minus, silens condemnationem expectat. De secundario fine subiungit: *subditus fiat omnis mundus Deo.* Græca vox spondens dictioni, subditus est ὑπόδικος: quæ vox, teste Chrysostomo, eum significat, qui sibiipsi minime sufficit ad defensionem, sed indiget alterius patrocinio, vt salutem adipiscatur. Hoc est, vt omnes agnoscant se irę Dei, & damnationi obnoxios, nisi alter, hoc est, Christus Dominus, patrocinium adferat. Dicitur etiã ὑπόδικος ἀπὸ τῆς δίκης quæ iudiciũ, crimen, causam, vel pœnam denotat. Et quod ait, *Omnis mundus*, Gręce est, πᾶς ὁ κόσμος, potius totus mundus, quia non est nisi vnus mundus. Et complectitur omnes, qui descendunt ex Adam, non tantum Gentes, sed etiam Iudæos: à quibus suo iure exceptus est Christus, qui dixit: *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Excepti etiam sunt omnes fideles, qui per fidem viuam Christo hærent: qui Dei gratia non sunt de hoc mundo, iuxta illud; *Si de mun-*

Quo tendat Apostolus in hoc sermone.
Solutio primæ difficultatis.
Vt verum sit, Legem (scilicet Mosis) iis qui in lege sunt, loqui cum etiam Gentib. loquatur.
Esai. 13.
Infra 15.
Infra 17.
Oec. c. 13. in epist. ad Rom. c. 3.
Esa. 58.
Rom. 7.
Nomine Legis hoc loco quid veniant.
Luc. 16.
Matt. 5.
Ioan. 15.
Psal. 34.
Orig. in ca. ad Rõ. ante med. to. 2.
August.
Mos iudiciorum forensium.
Chrys. ser. 7 in hunc locum sub init. to. 2. princ.
Quis ille omnis mũdus, qui fit subditus Deo.
Ab hac subiectione qui censeantur immunes.
Ioan. 8.

Infra 15.

Responsio ad primam difficultatem.

mundo fuissetis; mundus, quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo; propterea odit vos mundus. Sequitur: *Quia ex operibus legis nõ iustificabitur omnis caro coram illo.* Ne quis enim diceret: Quid, ergo? nihil profuit lex? Respõdet: *Eo quod ex operibus legis non iustificetur omnis caro.* Ac si diceret: profuisset quidem lex, si eam seruassent: sed non seruarunt. Vnde & assistentia legis illis nocuit, non sui natura, sed animo eorum, qui non obseruarunt. Potuissent enim Iudæi responsare, se quidem hæ Dei obnoxios, propter transgressionem legis; verum operibus legis placasse Dei iram, & sibi iustitiam restituisse. Et sicut superius ostendit, legem aut circumcisionem absque operibus non profuisse, vt adultus quis censeatur iustus, modo probare contendit, quod nec legis opera, nec sacrificium causa vnquam fuerint nostræ iustitiæ, aut salutis, sed tantum vna fides, vel gratia Iesu Christi. Et de circumcisione quidem sequenti capit. agit, de lege autem hoc capit. ponens duas assertiones, alteram negatiuam: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo*: alteram vero affirmatiuam: *Arbitrantur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Nã vt alio loco à me dictum est, solet Deus in Scripturis & per affirmationem, & per negationem vnam & eandem sententiam statuere, quo minus variis glossis exposita sit. Primo igitur proponit negatiuam propositionem, quam etsi Chrysostomus suppresserit, in codice suo, non est propterea redundans, aut superflua iudicanda, quia Græci codices, & Origenes, & omnes Latini illam vltra vllum dubium habent. Est autem hæc assertio in speciem particularis, re vera tamen vniuersalis existit, quia sensus eius est: Ex operibus legis nulla caro iustificabitur coram illo. Estque phrasis Hebræa: *Omnium* pro nullo tempore accipere. Exempla sunt: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, id est, nullum; &, *Non fieret salua omnis caro*, id est, nulla caro: *Omne quod dedit mihi Pater non perdam ex eo, &c.* *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet*, significat nullus accedet.

Quomodo verum sit, Ex operib. legis non iustificari omnẽ carnem corã Deo.

Lex quatenus Iudæis obfuerit.

Quæ vna & sola fuerit causa nostræ iustitiæ.

Rom 3.

Ibidem.

Lib 1. explanat Euangel. Prolog.

Chrys. loco præscripto.

Orig. in c. 3. ad Ro &c.

Hebraism.

Luc 1.

Matt. 24.

Ioan. 6.

Leuit. 18.

Cæterum ad hanc sententiã plenius intelligendã, primo loco explicandum, quid sit Iustificari; quid Opera Legis, & quid Omnis caro. Primum autem iustificari, pro loci huius ratione, nihil aliud est quam effici iustum, vel (quod idem est) pronuntiari iustum à Deo ex iniusto, & peccatore. Quod ex eo probatur: quod Gentes, & Iudæos ostẽdit esse peccatores, nec posse delicta eorum per vlla opera expiari, nisi gratuito Dei dono; quod fides impetrat, & apprehendit. Deinde quia dixit: *vt subditus fiat omnis mundus Deo*: & rursus: *Omnis caro*, id est, peccator, filius Adæ: Tertio, quia infertur ait: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, &: *Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Ex quibus accipimus, Iustificandi verbum, etiamsi aliter alibi accipiatur, hoc tamen loco tantum reconciliationem, qua homo est impio pius fit, & ex iniquo iustus, denotare; ne quis obiiciat in contrarium illud, quod superius dixit: *Non enim auditores Legis iusti sunt apud Deum, sed factores Legis iustificabuntur*; & illud Iacobi: *Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, &c.* In quibus, & multis aliis locis aperte iustificatio accipienda est, qua iusti ex fide operantes assequuntur vitam æternam, & de qua: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,*

Iustificari hoc loco quid.

Vnde pendeat iustificatio.

Rom 4.
Isai. 31.

Rom. 4.

Quib. locis iustificatio fidẽ per charitatem operantem significet.

Supra 2.
Iacob. 2.

Matth 19.

Deinde dubium est, quid intelligat per opera Legis, Quidam enim tradunt, Legalia præcepta intelligenda eo nomine, hoc est, iudicia, & ceremonias. Sic enim Ambrosius, Theophylactus, & pleriq; alii docuerunt. Adhęc illa proprie videntur esse ipsius Mosis, quia cum Lege instituta, & cũ Lege terminata sunt: non autem moralia, quæ ante Mosen erant, & post Moysen remanserunt. Idcirco Paulus capite secundo ad Galatas; asserens quod non iustificatur homo ex operibus Legis, reprehendit Petrum, quod nimius esset ceremoniarũ obseruator, & quod ciborũ delectũ seruaret, Capite etiam 4. eiusdem epistolæ contra circumcisionem, tanquam cõtra opus Legis disputat, quod non iustificet: & ita ceremonias vocat infirma & egena elemẽta, & quæ erant vmbra futurorum. Non aũt excludit moralia à iustificando, de quibus ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; & alio loco: *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est sed obseruatio mandatorum Dei.* Quare Orig. ait, latronem, & peccatricem iustificatos sine operibus Legis, id est, circumcisione, neomeniis, & veneratione Sabbati.

Quid opera Legis Apostolo.

Primus sensus

B. Amb. in præsentem locum, 10. 5.
Theoph. ibidem.

Galat. 2.

Hebr 10.

Matth. 19.
1. Cor. 7.

Orig. loco superiore post mediũ.
Luc 23.

Sed contra hæc quædam, & magni momenti occurrunt. Primum, quia Paulus opera Legis excludit à iustificatione, neq; debemus limitare, quod ipse non limitat. Cum autem Decalogus præcipua pars sit Legis; si hæc iustificaret, diceretur principaliter Lex iustificare, etiamsi quędam eius pars minus principalis non iustificaret. Deinde texitur argumentum ex verbis huius loci: quia vbi dixit: *Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram illo* subiungit. *Per legẽ enim cognitio peccati*; at hæc cognitio

Supra 7.

Aliquot rationibus impugnatur hic sensus.

I. Ratio.

II.

moralis

Rom. 7. moralis est, & ad Decalogum spectat, de qua infra cap. 7. *Peccatum non cognoui, nisi per* *Exod. 20.* *Legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces.* Et nisi moralia excluderet Apostolus, possent Iudæi credere *B. Aug. co. 3.* se per illa iustificari. Hinc Augustinus libro de Spiritu & litera, non vno tantum loco, sed pluribus, hoc est, cap. 8 & 13. & in principio 14. Et capit. 29. apertissime vim iustificandi etiam à moralibus præceptis adimit.

III. Tertio, quia 2. Corinthiorum 3. literæ antiquæ Legis, nouæ spiritum opponit, cum *2. Cor. 3.* ait. *Manifestati quod epistola estis, Christi, ministrata à nobis & scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis* *Ibid.* *cordis carnalibus, &c. Litera enim occidit, Spiritus autem viuificat.* ad decem præcepta in ta- *Exod. 32.* bulis lapideis conscripta erant, quę quia nequaquam iustificabant, occidere dicuntur: Secus Spiritus fidei, & dilectionis.

IV. Quarto, quia hęc scribit Apostolus ad populum Romanum, qui ex Iudæis, & Gentibus constabat, qui mutuo de operibus gloriabantur. Vnde absolute dixit: *Non iustificabitur omnis* *Rom. 2.* *caro,* id est, Iudæus, vel Gentilis. Vnde superius Gentes Legis naturalis moralia præcepta adimplentes, factores Legis vocauit.

V. Quinto, Apostolus aliis in locis omnibus omnino operibus detrahere vim iustificandi videtur. Nam ad Tit. 3. habet: *Non ex ope-* *Tit. 3.* *ribus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Et ad E- *Eph. 2.* phe. 2. *Gratia estis saluati per fidem* (& hoc nō ex vobis, Dei enim donum est) *non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Ephesii autem non erant Iudæi, sed Gentiles. Imo plerumque Paulus in hac disputatione omittit verbum *Rom. 4.* Legis, vt cap. 4. *Si Abraham ex operibus iustificatus est.* Et tertius: *Sicut & Dauid dicit beati-* *Ibid.* *tudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus.* Etsi ergo Apostolus omnibus omnino operibus vim coram Deo iustificandi deneget, doceatque gratuitam esse iustificationem; adiecit tamen operib. Genitiuum Legis, propter Iudæos, qui aduersus Gentes gloriabantur (teste Augustino de Lege ipsa; quasi ex Lege ipsa esset iustificatio, aut quasi esset necessaria Gentili ad hoc vt perueniret in gratiam Christi. Vbicunque ergo ait PAVLVS, neminem per opera Legis iustificari; vel gratiam opponit Legi non tātum ceremonias complectitur sed etiam moralia, & vniuersa cuiuscunque generis officia, siue Naturæ, siue scriptæ Legis: nam Legis nomine speciatim scriptam subindicat, & in illa omnes videtur compre- *Rom. 2.* hendere. Et ita non facit hic Paulus differentiam in Legem naturalem, quæ Gen- *Exod. 19.* tibus data est, & scriptam, quæ Iudæis, &

Cor non simpliciter opera, sed opera Legis dicat Apostol. non iustificare *August.*

Euangelicam nostram, si opera ipsa per se spectes; sed inter opera cuiusuis Legis ex vna parte, & inter fidem cum gratia Christi ex altera. Secundo, alii opinantur, vt Anselmus, Hugo de Sancto Victore, & Haymon, per opera Legis, intelligenda esse illa quæ Legis comminantis timore fiunt: quia dicitur: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore.* Sed reuera etsi multa in Lege timore fierent, non tamen omnia. Nam multi voluntarie offerebant Domino pro tabernaculo, & in Lege Naturæ quidam operabātur propter honestum ipsum Neq; omnis timor est alienus à ratione iustificādi: nam initium sapientiæ timor Domini; &, *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Tertio, declarat Augustinus in expositione epistolæ ad Galatas, ex operibus iustificari, esse, cum suis viribus ea quisq; tribuit, & nō gratiæ Dei miserentis: quod etiam suas patitur angustias. Nam si quis gratiæ DEI non fideret, & sua nihilominus opera DEO adscriberet, vtique iustificeretur ex illis, quod verum esse non videtur. Quarto, alii opera Legis interpretātur pro illis, quæ præcedunt iustificationem; non autem pro his, quæ consequuntur iustificatum. Sed quia hic sensus non potest consistere; dicendum est, opera Legis dici illa, quæ ex vi Legis eliciuntur. Nam quod ad substantiam operis attinet, vnum, & idem opus, puta baptismum, aut eleemosynam, possunt præstare vel Pagani, vel Mahumetani, vel Iudæi, vel Christiani. Sed distinguuntur penes hoc, quia Christiani illa præstant, vt Christo obediant, & propositum à Christo præmium assequantur: Pagani vero sunt, qui eandem opem eliciunt, quia ratio, vel honestum præscribit: Mahumetanus vero, vt Mahumeto pareat præcipienti, & promissa ab eo carnalia percipiat Ita Iudæus, qui vt pareat Moysi Legem dati & promissa temporaria pollicenti, opera Legis præstat. Hæc autem cum à principio maiori non oriantur, id est, à fide, & gratia Dei, sed tantum à Lege comminante pœnas temporales, vel alliciente carnalib. promissionibus, hæc sunt, quæ proprie opera Legis dicuntur. Quod satis ex ipsis vocibus constat, & Apostolus ad Galatas confirmat, cum ait: *Quoniam autem in Lege nemo* *Gal. 3.* *iustificatur apud Deum,* manifestum est, quod Lex non est ex fide. Insinuans opera Legis esse, quæ ex virib. naturæ prodeunt, & quæ vel pœnas Legis propositæ, vel præmia promissa exsculpunt. Sunt etiam opera Legis, merita quæcunq;, quæ quisq; ex suo penu deptomit, vt consequatur iustitiā. Meritum enim ante iustificationem nullum

Alter sēsus *B. Ansel. par 2 init. Hugo. de S. Victor in epist. ad Ro. 9. Haymo. Rom. 8.*

Dupliciter improbatur. *Exod. 25.*

Psal. 110. Eccli. 1.

Tertius sensus, qui etiam reiicitur.

Quartus sensus.

Quintus, ac postremus cæteris probabilior.

Christiani cur bene operentur, cur vero Iudæi, & infideles.

Opera Legis vnde proficiscantur.

Quæ rursus dici possint opera Legis.

te tanta illis non impertierit, atque Gentibus, & datam simul terram, & eorum vrbes interdum vastari, & ab hostibus capi permisit; Diuinum fuit beneficium, puniens continuo peccata, & præparans ad paupertatem Euangelicam veniente Christo prædicandam. In spiritualibus etiam contulit illis doctrinam reuelatam per ministerium Moysis & Prophetarum; quam & scripto consignari, & conseruari fecit, ne tot incendiis, & bellorum tumultibus interiret. Tradidit præterea sanctitate, atque doctrina eximios viros, qui in vtroque vt magistri à Deo destinati illos præirent, & gloriarentur cum Dauid: *Non fecit taliter*, vel, Non fecit sic omni nationi. Quo in loco ponderat Clemens Alexandrinus, illud: *Quia aliis Gentibus multa præstiterit, qui Deus est omnium, non tamen dedit, vel fecit sicut cum Iudæis, quibus copiosiorem gratiam per circumcisionem delargitus est, qua Christi fidem protestabantur. Et hæc omnia propter Christum illis promissum, & ex eis oriturum collata sunt.* ¶ Post Christum vero, quædam etiam priuilegia præ Gentibus acceperunt. Nam pro temporalibus bonis illi primitiui donati sunt Euangelica paupertate: nam in Ecclesia Ierosolymitana erant illis omnia communia, vt Lucas testatur. Pro spiritualibus, illi tempore primi extiterunt, qui agnouerunt Messiam & magnitudine gratiæ præcelluerunt, quia primitias Spiritus acceperunt. Nam & Christum habuerunt ministrum Circumcisionis, qui dicebat: *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Habuerũt & duodecim Apostolos, qui per duodecim annos à Christo in cœlum assumpto viua voce Euangelium signis multis confirmatum tradiderunt: & qui ab eis non recesserunt, donec ab ipsis repellerentur. Vnde Paulus dixit: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes.* Primi igitur acceperunt Spiritum sanctum in igneis linguis ad aliis euangelizandum, & constanter propagandum Iesu Christi nomen. Postremo, primi extitere in possessione æternorum, & cœlestium bonorum, ad quæ & Stephanus, & latro præter Christum, & Virginem vocati sunt. Omnia tamen ista, & similia, ad modum, & qualitatem, non ad essentiam spectant: quandoquidem etiam Gentibus & de temporalibus & spiritualibus satis ad salutem prospexit. Subdit ergo in quo præcellit: *Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Vbi circa voces obserua, Primum, numeraliter acceptum fuisse ab Origene loco: nam etsi nunc eloquia Dei Gentibus etiam credantur; cæterum quia non dixit Apostolus, quia primum credita sunt illis eloquia Dei sed, *Primum quia credita sunt &c.* videtur referendum ad ordinem prærogatiuarum, de quibus per totam epistolam est sermo, sicut superius, cum dixit: *Iudæo primum, & Græco*: id est, præcipue: ita hic cum nihil secundum subiungatur, accipiendum est pro eo quod est præcipuum, & potissimum donum. Et Erasmus vertit, Præcipue, siue præsertim. Et Luc. 15. iussit cito proferri stolam primam, id est præcipuam. Et Petrus dixit: *Hoc primum intelligentes, &c.* id est, præcipue. ¶ Verbum, *Credita*, Erasmus vertit, Commissa: qua voce non satis exprimitur vis verbi Græci ἐπιστεύθησαν, id est, credita, quod amplius quid innuit, quam Commissa. Credere enim alicui rem quampiam, est fidei alterius quasi ad honorem eius, vtpote, cui bene fidimus, & eius fidem habemus compertam, tradere: Committere vero, est alicui simpliciter administrationem dare ad periculum de eo faciendum an satis sit fidelis. Et hunc honorem in verbo, Credita, annotauit Theophylactus, & multo clarius Ambrosius hoc loco; ait enim: *Cum multa sint, quæ ad honorificentiam, & meritum pertineant seminis Abrahæ, hoc solum aperte memorat: quia maxima laudis eorum est, vt legem per quam addidicerunt rectum a peruerso distinguere, digni iudicarentur accipere.* Hæc ille. Porro vsus huius verbi Credendi, in hoc sensu frequens est apud Paulum; vt in his locis: Cum vidissent quod creditum est mihi Euangelium præputii: Prædicatio credita est mihi secundum præceptum Saluatoris nostri Dei: Dispensatio mihi credita est: Quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi: Vt crederetur nobis Euangelium, &c. ¶ *Eloquia Dei.* Græce dicuntur λόγια quæ secundum Hesychiũ proprie significant Oracula Deorũ, siue vaticinia, quæ consulentibus dabant. Et ita proprie pertinerent ad Prophetas. Sed quia illud vocabulum interdum locum propitiatorij, ex quo oracula dabat, significat, & voci Græcæ non perinde in sua plenitudine responder, nec est tam frequens atque vox eloquii, & Paulus libenter sequitur septuaginta interpretes qui in illa voce generaliter exprimũt quicquid ad Legem Dei spectat; proinde præferendum videtur nomen Eloquii, iuxta illud: *Eloquia Domini, eloquia casta.* & iterum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo?* rursum: *in corde meo abscondi eloquia mea, vt non peccem tibi*: Et similia multa. Et designat non tantum ea, quæ Deus consultus ore suo tradit, sed & vniuersa

Marginalia (left): *Psal. 147.* — *Clemens Alexand. l. Strom 6.* In dicto Prophetæ: Non fecit taliter omni nationi, quid dignũ obseruatione. — Noua rursus beneficia eidem populo Iudæorum collata. *Act. 4.* *Rom 8.* *Infra 15.* *Matt 15.* Apostolorum in Iudæa prædicatio quã diuturna. — *Act. 13.* — *Sup. 2.* — *Infra 7.* *Infra 12.* *Luc 32.* Quales tãtum fuerint iam dictæ Iudæorum prærogatiuæ. — *Orig. to. 2.*

Marginalia (right): *Ioan. 1.* *Infra 2.* — *Erasmus.* *Luc. 15.* *1. Pet. 1.* *Idem.* Quare Paulus potius credita dixerit Iudæo quam commissa eloquia Dei. — *Theophyl. in c. 3. ad Rom. auctor B. Ambr. ibid. 1. 5. antemed.* Credere pro Committere seu consignare quam frequenter à Paulo vsurpatum. *Gal. 2.* *Tit. 1.* *1. Cor. 6.* *1. Tim. 1.* *1. Thess. 2.* Eloquia Dei quid Hesychio. *Hesychius.* — Ratio huius vocis eloquii retinendæ quænam sit. — *Ps. 11.* *Ps 118.* *Ibid.*

Alter sens⁹

quæ Moyses & Prophetæ Deo committente scripserunt: non tantum circa opera, quę exigit à nobis ad retributionem vel æternæ vitæ, vel æternæ mortis futuram, clarius in eis quam ab ipso Naturæ lumine explicata sed præcipue ea, quæ circa propositum Dei volentis mittere Messiam mundi lucem ad eorum salutem, declarata fuere: quod est præcipuum, & maximum in Scripturis, de quo Dominus: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; & illa sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et infra: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Et Paulus: *Finis Legis Christus, ad iustitiam omni credenti.* Hoc etiam, antequam eloquia Dei scripto per Mosem consignarentur, patribus Abrahã, Isaac, & Iacob, Ioseph, & aliis reuelatũ fuit & promissum; & hoc est præcipue eloquiũ Dei, non vt Moysis Legislatoris, sed ipsius vt Prophetæ dicentis: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus,* & reliq. quod quidem magnũ fuit, tantum margaritum polliceri. Ex quo illi dii dicebantur: *Si illos, inquit, dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, &c.* &: *Notus in Iudæa Deus,* (id est, Christus Deus, & Dei Filius) *in Israel magnum nomen eius:* hoc est, nomen Iesu magnum, quod toti mundo salutem attulit. Quod vero quidam ex sensu Origenis in hunc locum eloquia Dei interpretantur pro spirituali legis sensu, quem Cabalisticis libris aiunt contineri: mihi minime probatur. Nec ergo aliam rationem interpretandi veteres Scripturas probo, quam eam, quam Christus Euangelio & Apostolus in suis epistolis nobis aperuerunt præsertim cum Cabala multa aperte peccet in inuertendis literis, & syllabis, & in accipiendis integris dictionib. pro literis, quæ ab eodem elemento incipiũt, vel ex literis numeros conficit, & iuxta numerum maiorẽ vel minorem alteras lectiones pro alteris ponit: quod est mere ridiculum, & à docto viro minime acceptandum: de quo alibi latius disserui. Pronomen, illis, quia non habetur in Græco; putat Faber expungendum, cum tamen legant Ambrosius, Origenes, & Theophylactus. Nec obstat quod præcessit, Iudæo, in singulari, vt ideo legendum sit, Ei, vel illi: quia Iudæus ibi accipitur pro multitudine Iudæorũ, & familiarissimum est in sacris literis relationem fieri potius ad sensum, quam ad verba: vt cum dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Summum omnium eloquiorũ Dei quodnam illud.

Ioan. 5.

Ibid.

Rom. 10.

Deut. 18.

Iudæi olim cur dii vocarentur.

Ioan. 10.

Ps. 81.

Quis ille notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen ei⁹.

Ps. 75.

III. sensus quorundã minime probabilis eloquiorũ Dei.

Orig. in c. 3 ad Rom. l. 2. c. 2.

Verus & optimus sensus non intelligẽtiæ Scripturarum.

Cabalæ multiplices defect⁹.

Lib. 1. enarrat. Euang. Prolego.

Amb. in hunc locũ

Orig. ibid.

Theophyl. Ibidem.

Solent Scripturæ magis ad rem ipsam, quã ad verba te spicere.

Marc. vlt.

Iam dissoluamus quæ à principio sunt proposita. Ad primum enim respondemus apte collegisse Apostolum illam dubitationem, cum vtriusque populi homines pares extitisse cõprobasset, & Diuinũ iudiciũ vtrique ex æquo respondere: siue in præmio, si seruet Legem; siue in supplicio, si illam transgrediatur: quanquam præmium, vel iudicium Dei semper Iudæo maius extiterit, propter maiorem ingratitudinem.

I. dubitationis sol. Quomodo nunc Paulus Iudæu Genti semprobet æqualem quem anta illi post posuerat.

Ad secundum dicendum, eloquia Dei, id est, promissiones de Messia venturo, proprie factas Iudæis, & non Gentibus, quę ex misericordia Dei Messiam acceperunt: sicut Iudæi ex debito quodam iustitiæ, quod eorum patribus promissus fuisset. Si vero eloquia extendamus ad omnes sacras literas; dicendum est, eiusmodi eloquia primitus fuisse Iudæis reuelata, & illis per suos Prophetas verbo scripto tradita & nonnisi per eos ad Gentiles venisse. Quanquam eorum pontifex Eleazarus Regis Ptolomæi beneuolentia victus, & immensis donis ab eo cumulatus, ad eum desiderantem Legẽ Moysis, & scripta Prophetica, destinauerit septuaginta duos interpretes, senos ex qualibet tribu; homines linguarum Hebraicæ & Græcæ peritissimos, qui nobis Scripturas Hebræas Græce loquẽtes reddiderunt: quod magna Dei prouidentia factum fuisse nemo dubitare debet, fere ante aduentũ Christi per trecentes annos. Nã post Christi aduẽtum Iudæi ob perfidiam Scripturas nobis denegassent, vel corruptas, & non integras tradidissent, vel ob linguæ Hebraicæ ignorationem obiicere possent illas à nobis fuisse deprauatas: quod perinde fuisset atque Scripturas non habere. Idcirco ante tot secula conuersæ in Græcum sermonem, & ab eis probatæ toti orbi communicatæ sunt, quo vitam, & gesta Christi, & signa, & reliqua mysteria confirmare possemus. Et hæc sint satis.

II. dubitat. solut.

Cum æque populus Gentilis, ac Iudæus in vtraque Lege particeps fuerit diuinorum eloquiorũ; quænam fuerint Iudæis tantũ concessa eloquia Dei.

Sub quo Iudæorum Pontifice, cuiusque precibus & hortatu 72 interpretum perfecta fuerit æditio,

Illa si facta non fuisset quid incõmodi Christianis accidisset.

DISPVTATIO XXI.

In illa verba: *Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax: Sicut scriptum est: vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas, cum iudicaris.*

Quæstio I.

QVæritur primo, quomodo incredulitas Iudæorum fidem Dei non euacuauerit, cum constet, ea, quæ sub conditione à Deo promittuntur, nonnisi expleta à nobis conditione, vt stet dictis, & promissis

suis Deum arctate? Certum etiam sit, magnam Iudæorum partem promissis Dei spoliatam ob infidelitatem fuisse. Deinde quæ-

II.

ritur, quomodo, si homo omnis mendax est, is ipse, qui hæc scripsit, cùm homo fuerit, eiusmodi dicto non fuerit mendax? De-

III.

nique quale sit testimonium illud, quod producit ex Dauide, non integrum, sed diminutum. ¶ Vt hæc melius dissoluamus,

I. sensus. Paulinæ huius disputationis.

obserua, hanc esse secundam obiectionem natam ex prioris dubitationis resolutione. Volens enim immobilitatem, & firmitatẽ Diuinæ promissionis ostendere, obiicit sibi, quod Iudæi plerique illis eloquiis seu promissionibus de Christi aduentu fidem non habuerunt, iuxta illud Psalmi: *Non crediderunt Deo, nec sperauerunt in salutari eius.*

Ps. 77.

Prophetis etiam non adhæserunt: *Increduli*, inquit, *& subuersores sunt tecum, &c.* Et rur-

Ezech. 2.

sus: *Domus Israel nolunt audire te: quia nolunt audire me:* ac per hoc gentem Iudaicam sua

Infra. 3.

prærogatiua spoliatam: Respondet: *Quid enim* (scilicet obest, aut obstat) *Incredulitas quorundam ex illis, quæ ad infringenda Dei promissa satis non fuit?* Et fortassis Gentiles eo argumento nitebantur Iudæorum dignitatem conuellere, eo quod Messiæ non credidissent. Probabilius est tamen, quod Paulus respondeat Iudæis de hac tanta eloquiorum diuinorum sibi creditorum gloria superbientibus. Ita enim apud seipsos desipiebant Iudæi, vt aduentus promissionem factam sibi crederent sub hac stipulatione, si ipsi Iudæi vicissim Deo crederent, & Legem seruassent; & idcirco autorem salutis & gratiæ aduenisse in hunc mundum suis operum meritis iactabant. In quem errorẽ frequenter Apostolus disputat per totam epistolam, asserens Christi venturi promissionem non fuisse factam sub aliqua conditione ex hominum fide, vel voluntate, & ex operibus Legis seruatæ pendente: ad quod indicandum prima aduentus Messiæ promissio facta est Adæ peccatori, & tanta gratia ob recens admissum peccatum indigno. Idem incarnationis mysterium promissum fuit impio Regi Achaz, & signum ad Dei gloriam petere nolenti. Vnde subiungit Propheta: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium.* Recte etiam dixit: *Si quidam illorum non crediderunt*; vt innueret, quorundam perfidiam aliorum fidei officere non debuisse: ob quorum dignitatem, & meritum venit, vt testatur Ambrosius, qui propter nullius merita venit. Nam etiamsi nemo credidisset, aut Legem seruasset, omnino venisset ad liberandam fidem suam. Dixit autem Apostolus, quosdam illorum

Alter sens⁹ congruentior.

Qua ratione Paulus Iudæorum de Messia ipsis tantũ promisso, & suis meritis præstãdo confutet errorem

Gen. 3.

Esai. 7.

Ibid.

Mat. 1.

Amb. to. 3. Iudæorum quosdam, & non omnes cur dicat Apostolus non credidisse.

non credidisse, quoniam multi ex Patribus crediderant, & ne Iudæos irritaret, si omnes dixisset, etiamsi magnam Israelitarum partem cæcitas occupasset. Et vt su-

Rom. 11.

perius inuectus in Iudæos, ostendit illis Gentiles factores Legis extitisse; ita hic indicat, Iudæos quosdam fidem, & Legem seruasse. Illa igitur infidelitas etsi non credentibus nocuerit, nihil tamen imminuit donorum, quibus honestati fuerunt credentes. Fidem Dei hoc loco vocat fidelitatem, constantiam, & in promissis veracitatem, secundum quam dicitur: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*; & Apostolus: *Fidelis enim est qui repromisit.* Et ex his perspice, eloquia superius accepisse pro Dei promissionibus. Oecumenius tamen aliter hoc loco fidem Dei accepit, nẽpe pro fidei virtute, quæ in quibusdam bonis permansit: quæ quidem fides & à Deo venit, & ad eum tendit. Sed non videtur hoc aut rationi, aut contextui consonum, vt sic accipiatur: quia protinus subiungit de veracitate Dei: est autem Deus verax; omnis autem homo mendax: vbi nihil de fide credentium. Et respondet: *Absit.* Abominantis est, Græce μὴ γένοιτο, id est, Non fiat, vel Non contingat, vt Dei bonitas vnquam à nostra malitia vincatur, aut permutetur. Et subdit: *Est autem Deus verax, omnis homo mendax.* Prima vox Græce est γινέσθω, estq; Imperatiui modi, id est, Sit, vel, Fiat, vel, Esto, sicut credibile interpretem nostrum vertisse; vel sane legit, Est: nam Cyprianus, Ambrosius, & Augustinus indicatiue legũt Est. Et legendum cum emphasi: Est autem Deus verax; hoc est, Statuamus, & sentiamus de Deo, & de nobis quod decet, id est, quod mendaces sumus, ille vero fidelis. Est autem Deus verax, non tam habitu, & consuetudine, quam natura, & negatione potentiæ mentiendi: Deus enim nec falli, nec fallere potest. Causa siquidem falsitatis in verbis alicuius esse solet, aut mens falsa, aut praua voluntas. Et primum homini accidit, quia veritatem à rebus accipit, vt quia ita sunt, tales esse iudicet: in quo sæpe fallitur. Quod esse in Deo nequit, quia veritatem à rebus non sumit, sed ipse potius est causa rerum. At voluntatẽ prauam ex eo habere potest homo vt mentiatur, quia nõ est ipsemet bonitas, nec veritatis regula, ac proinde ab ea potest deflectere. Deus autẽ cuius voluntas & veritatis regula idem sũt non potest obliquam à veritate voluntatem habere. Hinc Paulus ait: *Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Si enim, cũ ipse sit ipsamet veritas, veritatẽ declinaret, se

Quid per fidem Dei. I. sensus Ambrosii

Ps. 144.

Heb. 10.

Alter Oecumenii, minus probabilis.

Oecumen.

Ea negandi formula Absit, quid Paulus significet.

B. Cyprian. in epist. ad Cornel. & in ep. ad Clerum Legiõ.

Ambrosius

Augustin.

Deus quomodo verax sit.

Falsitas ex duobus pẽdet.

Cur sit homo mendax.

2. Tim. 2.

Psal. 115.

ipsum negaret. Illud vero. *Omnis autem homo mendax*, sumptum videtur ex Psal. 115. vbi habetur: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax*; siue, vt significantius Hæbræa habent, mendacium. Ita enim vocatur ab

Psalm. 38.

Spiritu sancto, qui alibi per eundẽ Prophetam dixit: *Vniuersa vanitas omnis homo viuens*, & à filio eius Salomone Vanitas vanitatum

Eccl. 1.

nuncupatur, Et ne is homo, qui hæc dixit, mendacii conuinceretur, præmisit. *In excessu meo*, id est, Deus hæc dixit; nõ ego vt homo sum, nisi quatenus lumine cœlesti illustratus, Dei bonitatem, & veritatem participio, vt annotauit Augustin. post Basilium à quo hæc accepit hunc locũ interpretans.

Ad secundum dub. Dauid quomodo sit verax, si omnis homo mendax.
B. Basil. in Ps. 115. to. 1. Aug. to. 8.

Est ergo omnis homo suapte natura, quæ per peccatum corrupta est, mendax, & mẽdacium: tum primum, quia præstare nequit quod promisit, & Diuinis etiam diffidit promissis, vt quidam exponunt. Hinc illa magnifica verba: *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.* Quibus tamen Dominus obiecit: *Nonne Moyses dedit vobis Legem; & nemo ex vobis facit Legem?* Petrus etiam cum promisisset: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, ter Dominũ abiurauit: Thomas quoque dixit; *Eamus, & nos, & moriamur cum eo*, & tamen Apostoli relicto illo fugerunt omnes. Ad eum modum multi ex Christi cultoribus promissa in baptismo, & in confessione Sacerdoti Christi vicario facta, quis est qui præstet? cum breui in eadem, vel grauiora crimina relabamur.

Vnde homines comprobentur mendaces.
Exod. 24.
Supra 19.
Ioan. 7.
Matt. 26.
Ibid.
Ioan. 11.
Matt. 26.

II. ratio humani mendacii.

Deinde homo mendax dicitur, quia & fallit, & fallitur frequenter, & indigne de diuinis pronuntiat, & à patre mendacii, & ab Eua parente nostra ab eo seducta mendacium suxit. Adeo, vt etiam propheta alterum seduxerit prophetam loquens in nomine Domini, & inuitans eum ad prandium contra Domini voluntatem. Sicut etiam Nathan de suo spiritu loquens ad Dauidem de ædificando templo, deceptus est.

Ioan. 8.
Gen 3.
3. Reg. 13.
2. Reg. 7.

III. ratio.

Quemadmodum etiã Philosophi multa mentiti sunt in capita sua, & in physicis, & in ethicis. Nec tam natura, & iudicio, quam vita, & moribus mentimur: quia dum viuimus concupiscentiæ morbo obnoxii sumus.

IV. ac postrema.

Semper etiam aliquid est latentis hypocriseos, quia quales non sumus, videri volumus; & quales sumus nolumus haberi: & ideo opere mentimur. Imo hoc ipsum est magnum mendacium, putare se sine peccato esse, cum Ioannes dixerit. *Si dixerimus quoniam peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

1. Ioan. 1.

Ad tertiam dubitatio.

Sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis; & vincas, cum iudicaris. Vbi primum obserua, integrum locum Prophetæ Paulum non citasse, sed more suo id tantum, quod ad rem spectabit. Ideo non dixit: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Deinde quod ait: *Et vincas, cum iudicaris*; verbum Hebræum actiuum est, nimirum, Cum iudicas: Græce vero æquiuocum est ad actiuum, & passiuum, ἐν τῷ κρίνεσθαί σε Est quidem passiua terminatio, at significatio ambigua. Beatus Paulus citauit, vt iacet apud Septuaginta, & interpres noster secutus passiuum significatum.

Amans breuitatis Apostolus, integra de veteri Testamento non profert testimonia.

Est autem hoc Dauidis testimonium sententiæ Paulinæ aptissimum. Quia enim Dauid in Deum peccauerat, credebant multi ob eius peccatum irritam Dei reddendam promissionem. Idcirco dum sceleris veniam deprecatur, nulla sua merita ante Dei oculos proponit, sed ipsius tantum qui polliceri solet remissionem crimina sua confessis. Hinc dixit *Tibi soli peccaui*: (omne enim delictum contra Deum est; qui offenditur) *Vt iustificeris in sermonibus tuis*: hoc est, iustas habearis in promissis tuis. Vel de remissione peccati promissa per Nathan Prophetam, vel de promissionibus Dauidi factis per eundem Prophetam, quod eius regnum stabiliretur in æternum, & ex eius sanguine veniret Messias.

Quam apte Paulino proposito locus Prophetæ respondeat.
2. Reg. 12.
Ezech. 18.
Psal 50.
Quid significet: Vt iustificeris in sermonib. tuis.
2. Reg 12.
Supra 7.
Psal 88.

¶ *Et vincas, cum iudicaris.* Duppliciter vincit: vel condonando peccata, vel promissa de regno perpetuo dando. Etsi actiue legamus, sensus est: Irreprehensibilis appareas, dum iudicas improbos: si vero passiue, vincas, cum iudicaris ab improbis expostulantibus, ac dicentibus Deum humana non curare, vel ad misericordiam impertiendum facilem non esse, vel ob hominum peccata mutari, non dando, quæ promisit. Sed Deus temeraria hominum iudicia vincit, & litis huius victoriam obtinet: quia misericordia superexaltat iudicio; &, Vbi abundauit delictum superabundauit & gratia. Et obserua: quod si verba Dauidis producta à Paulo coniungantur cum proxima sententia, hoc est, *Tibi soli peccaui*, particula, Vt, coniunctionem denotat, non caussam: si autem iungantur cum superioribus, id est, *Miserere mei Deus*. vel, *Amplius laua me*, &c. tunc particula dicta proprie finem, siue caussam denotat.

Homines Deus vincit dupliciter.
Eius dicti: Et vincas, cum iudicaris, duplex interpretatio.
Iacob. 2.
Rom. 5.
Psal. 50.
Ibid.

Ad primã dubitat.
Quomodo Dei fides non sit euacuata per Iudæorum incredulitatem cum Dei promissa facta sub cõditio fue-

Quod ergo primo obiectum fuit de Dei promissionibus, soluitur. Dicimus enim, quędam promisisse Deum absolute, quæ ex merito hominum pendere non voluit, vt fuit Christi aduentus: alia vero sub conditione legis seruatæ, vt dicitur Exo. 20. Deuteronom. 7. & Esa. 1. *Si volueritis*, inquit, &

rint, multi etiam Iudæorum ab illis exciderint.
Exod. 19.
Deut. 7.
Esai. 19.
Psalm 33.
Rom. 3.

audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis. gladius deuorabit vos. Ideò priuati fuerunt præmio legis; quia omnes declinauerunt, scilicet à lege. Quædam etiam, quæ comminatoriè proferre solet, secundum præsentem iustitiam intelligenda sunt, si scilicet homines in melius non mutentur, aut pœnitentiam non agant. Et ita fecit cum Niniuitis, & Ezechia: & per Ieremiam Dominus dixit: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Etsi igitur promissio Christi venturi fuerit absoluta, à nulla conditione pendens, applicatio tamen passionis eius ad salutem nostram, & à Sacramento pendet in paruulis, & in adultis, & à particulari cuiusq; fide & assensu, quia nemo, nisi qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Neq; hac ratione incredulitas hominum fidem Dei enumerat: quia non promisit saluos facere nisi credentes, & in fidem bonis operibus exercentes, & in fidem vsq; vitæ perseuerantes. Quod diligenter contra hæreticos obseruandum est, quia omnia confundunt, & Euangelium volunt nudam esse promissioné, quæ tantum fidem exigat ex parte nostra: quod manifeste dogma est hæreticum, & Euangelicæ, & Apostolicę doctrinæ contrarium.

Comminatoriæ Dei voces quo sint accipiendæ modo.
Iona. 3.
Esai. 38.
Ierem 18.
Passio Christi quibus tantum salutaris existat.
Marc vlt.
Tot hominum perditio, vt stet, omnes homines seruandi cum promissione diuina.
Hæretici circa hunc locum quã turpiter hallucinentur.

DISPVTATIO XXII.

In illa verba: *Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus qui infert iram? (secundum hominem dico) Absit: alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit, in gloriam ipsius*, &c.

I. difficultas.

SVBOBSCVRA in primis videtur hæc Pauli disputatio, & non satis ad scopum propositum: deinde infirma est disputandi ratio, quæ ex falsis procedit, nimirum ex hoc, quod iniquitas nostra illustrat Dei iustitiam: nam quomodo peccatum illustrabit Deum quo ille contemnitur, & debita ei obedientia subtrahitur, & propter quod male audire solet. Deniq; non videtur à ratione alienum, aliquod paruũ malum facere, vt mendacium officiosum, ex quo tamen aliquod magnum bonum cõsequatur vt docuit Plato, & quidam ex nostris, qui eum secuti sunt.

II.

III.

Plato l. 2. de Repub. in f.

Sed ad hæc intelligenda, explicandus est in primis Apostolicus contextus, deinde dubia proposita expedienda: Principio quidem, vt scopum teneat, obserua, quod cum Apostolus iustitiam, fidelitatemq; Dei merito extulisset, ita vt etiam Deus infidis fidelis sit, & iniquis iustus, & malis bonus; quidam veritatis illusores colligebant, ex Pauli prædicatione, qua docebat bonitatẽ Dei ex peccatis hominum occasionẽ suæ gloriæ elicere. Inferebant enim falsam cõclusionem, peccandum scilicet esse, vt gratia Dei illustraretur, qui vel offensus non continebat in ira sua misericordias suas, & iniquitatem nostram directe, & per se illustrem, & commendabilem Dei iustitiam reddere; ac proinde amplius syllogizantes colligebant; Si peccata nostra magnificant Dei bonitatem, & gloriam eius adaugent, non esse pro peccatis habenda. Imo DEVS qui peccantibus irascitur, & illos punit, iniquus esset; non secus atq; Rex ille iniquus habendus esset, qui eos supplicio afficeret, quos nouisset suæ ipsius gloriæ illustrandæ incũbere. Et subdit: *Secundum hominem dico.* Hoc est, carnalis est hominis hæc cogitatio & ex hominis errantis sensu, & non ex proprio loquor. Soluit vero dicendo. *Absit.* Vbi dubium emergit, an istius hypotheticæ propositionis, hoc est, Si iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quod est antecedens, amplius deneget, an vero antecedẽti concesso, consequens illud, Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram, negare videatur. B. Ambrosius, & S. Thomas opinantur, argumenti rationem sumptam ex illa coniunctione Dauidis, *Vt iustificeris*, sinistre intellecta in sensu causali. quasi diceret, *Tibi soli peccaui*, eo animo, vt tu iustificeris sermonibus tuis, & tua iustitia commendabilis reddatur: & propterea nec illum, nec alios peccatores dignos esse ira Dei. Contra quos Paulus docet, illam coniunctionem, Vt non causalem, sed per eam euentum, & consecutionẽ designari: quod scilicet ex peccatis nostris gloria Dei consequatur, vel misericordis remittentis, vel iusti punientis: nõ enim est causalis: quia peccata gloriam Dei non illustrant, sed potius obscurant: neq; peccatores ex animo peccant, vt Dei glorificetur: in quem modum negaret Paulus antecedens prædictæ ratiocinationis.

Scopus Apostoli.

Psal. 76.

Quid hæc significet phrasis Apostolica; Secundum hominem dico.

An hęc cõditionalis propositio: Si iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, sit destructio antecedentis ao vero affirmatio subsequentis.

Primus sensus.

B. Amb. to. 5. à med. B. Tho. in c. 3. epist. ad Ro. lect. ante med. to. 16. init.

Potest tamen adhiberi alia explicatio huius rationis, vt non neget antecedens, sed potius consequentiam. Nam dicta coniunctio, Vt, ad proximum verbum, Tibi soli peccaui, non est referenda, sed ad primum verbum, Miserere mei Deus, &, Amplius laua me, &c. vt iustificeris in sermonibus

Alter sensus.

tuis

tius. Et licet possit referri ad verbum proximum, nemo est tam hebes, qui suspicari valeat denotare caussam, aut scopum peccantis, sed tantum euentum ipsum, qui consequitur: quia peccata nostra materia sunt exercendæ misericordiæ promissæ peccatoribus. Et quanquam Paulus nihil de illa coniunctione edisserat, & solum intendat concedere, commendari per nostras iniquitates Dei iustitiam: non tamen directe, & per se, sed indirecte, & per accidens, quatenus DEVS ex malis nostris elicit gloriam suam, & promissam misericordiam iniustis non denegat. Sed vt grauitas morbi artem medici, & peritiam commendat: ita nisi essent peccata, DEI misericordia peccatoris iustificantis non splendesceret. Quod si Deo homines fidem seruarent, & Deus illis, DEI fidelitas non ita clauesceret, quam DEVS cum fœdifragis fidem suam seruat: Nec obstat humana ratio illa: *Frangenti fidem fides frangatur eidem*: quia non docet illa regula, quid sit omnino faciendum, sed quid iure fieri possit. ¶ Potest etiam aptius dici, per verbum, *Absit*, intelligendum, vel accidens, & tunc consequens verum esset; vel negare illud consequens, Ergo iniustus est DEVS puniens, & consequentiam quia ex vero falsum colligit, & secundum etiam consequens, quod infert: *Faciamus mala, vt veniant bona*. Et dicendo: *Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* probat negationem eius, quod intulerat. Est enim extremum mundi iudicium, actus iustitiæ summi iudicis. Vt ergo in prima, & summa veritate non est mendacium, nec in summo bono accidens, nec in summa luce tenebræ: ita nec in summo iudice vlla erit iniustitia, qua bonum, & virtutem tanquam malum, & vitium puniat; vel malum, & vitium tanquam actiones honestas, & bonas remuneret. Posuit ergo hic sermo extremum iudicium iustis iustissimum futurum & impios illa die damnandos: quæ omnibus Christianis notum erat. Verum tamen est, quod iustitiæ nostræ, & benefacta per se Deum illustrarant, iuxta illud: *Vt videant opera vestra bona; & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*: & illud B. Petri; *Vt ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis*. Atque hoc dubium attingit Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, explicans, omnia quidem impiorum mala cedere in gloriam DEI: vniuersa enim propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum. Verum non accidit hoc ex animo peccantium, quasi Dei gloriam spectent, aut ex natura peccati, quasi illud ex se valeat ad gloriam DEI amplificandam, sed ex sapientia, & virtute Dei, qui nouit malis nostris bene vti quemadmodum nos Dei bonis abuti nouimus.

Nostræ iniquitas vt commendent Dei iustitiam. Simile.

Illud: Frangenti fidē, fides frangatur eidē, quid propriè significet.

Tertius sensus congruentior.

Rom. 3.

Ibid.

Supremi iudicis Iesu Christi est summa iustitia.

Iustitiæ nostræ per se diuinam gloriam illustrant, & amplificāt.

Mat. 5.

1. Petr. 2.

B. Aug. c. 90. to. 3. nō valde procul ab init.

Prou. 16.

Quid proprium diuinæ virtutis & sapientiæ quid vero nostræ malignitatis.

¶ *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius; quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor?* Repetitio est superioris rationis, paulo tamen diuersæ: nam quæstionem deducit ad absurda, & eam non tā soluit, quam obrumpit: & quia obscurius eam proposuerat, illam repetit. Duas ergo facit consequētias ex illo antecedente, nimirum Si ex mendacio nostro, id est, fidei violatione, veritas Dei extollitur, & illustrior efficitur; primum sequeretur, quod homo fidem Deo non seruans non iam peccator habendus. Secundo sequeretur, nos facere mala debere, vt inde bona eueniant, id est, remissiones peccatorum, & condonationes, quasi in gloriam Dei cederent. Et formatur ratio per apostrophen, quia in propria persona loquitur. Et induit personam peccatoris doctrinæ gratia: tolo etiam simul humilitatis causa confitetur suam incredulitatem, de qua alibi dixit: *Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes* &, cætera: & ad Timotheum: *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus. Sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* ¶ *Si enim Deus*, inquit, *in meo mendacio abundauit, in gloriam ipsius.*

Si ex nostro mendacio Dei veritas abundaret, quæ nam duo incommoda euenirēt secundum Apostolū.

Peccatoris interdum cur Paul. in persona loquatur.

Tit. 3.

1 Tim. 1.

Quod antecedēs vt certū, & compertum est accipiendum. ¶ *Quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor, & condemnor?* Id est, nulla solida apparet ratio, Et quid non faciamus mala, vt veniant bona? Reliqua vero parenthesi sunt claudenda: (*Sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere*) & ita distincta in partes oratio tota cōstabit, & nulla est eclipsis, & nullum opus est subaudire verbum. Hi videntur fuisse hostes Euangelii, de quib. mentionem facit B. Petrus, cum dixit, & indoctos, & instabiles deprauare epistolas B. Pauli. Quia ergo Paulus cum cæteris Apostolis prædicabant per fidei gratiam, & non per vlla merita bonorum operum iustitiam, & salutem mortalibus esse propositam, & diuina misericordia multitudinem, & grauitatem peccatorū absumi: ita vt quo plura, & grauiora, eo etiam illustrior reddatur diuina gloria; & *Vbi abundauit delictum superabundauit & gratia*: talem prædicationem irridebāt, quasi nihil aliud per eam fieret, quam vt homines effusissime peccata perpetrarēt: quæ quidem maledicentia non erat in homines tantum, sed etiam in Deum. Quare, vt ponderauit Origenes, non dicit, Maledicimur, vel calumniamur, vel male audimur, sed blasphemamur. Nam quia Apostoli pro Christo lega-

Ordinatio contextus.

Quorum fuisse videatur vox illa: Faciamus mala, vt veniant bona.

2. Pet. vlt.

Rom. 5

Eandem comminatoriam vocē Apostolus cur blasphemiam appellauerit.

Orig. in c. 3. epist. ad Ro. non longe à princ. to. 2.

2. Cor. 5.

tione

Plato in si li. producti.

paulo ante rectissime dicebamus, Deo indecens, & inutile mendacium est, hominibus quandoque vtile, vt vtamur eo, quasi condimento, atq; medicamine, nulli dubium est quin huiusmodi licētia medicis danda sit, & ab improbis remouenda. Vera, inquit, asseris. Ergo principes vrbium, si quibus, & aliis hoc conceditur, oportet aliquando mentiri; vel contra hostes, vel pro patria, & ciuibus, ab alijs vero non tētādum. Caeterum si priuatus quispiam ipso magistratui mēntiatur, hoc etiam maius peccatum dicimus, quam si ager medico, luctator gymnasiarcha de corporis sui constitutione vera non dicat: vel si nauarcho de naui, & nautis non vera dicat quemadmodum ipsius, & aliorum nautarum negotium habeat. Hæc ille. Quem secuti sunt ex nostris Origen. li. 6. Strom. qui fere eadem verba vsurpat Platonis. Et Hieronym. edisserens Petrum simulasse, cum se subduceret à mensa superuenientib. Hebræis, & Paulum ficte, & per simulationem restitisse Petro in faciem: quorum vtrumq; negat Augustin. Idem etiam dogma secuti sunt Chrysostomus, & Euseb. lib. de præparatione Euangelica. Sed inter cæteros valde reprehendendi sunt nostri temporis hæretici, quorum princeps Lutherus dixit licitum esse fucis, vel technis promouere Euangelium: sicut Paulus aram IGNOTI DEI detorsit ad negotium Euangelii. Sed certe Deus mendacio nostro non indiget, vt pro eo loquamur: nec torsit Apostolus aram Ignoti Dei ad Christum, sed mira Spiritus sancti prudētia inde occasionem sumpsit docendi illos verum Deum ignorare. Præterquam quod alii tradunt aram illam positam fuisse Athenis, cum Christus pēderet in Cruce, & ita vere illi posita fuisset, nec detorsisset Apostolus, sed explicasset mysterium. In hoc autem præceptum maxime impingunt Lutherani: nam vt tollerent abusus Sacramentorum, ipsa Ecclesiæ mysteria de medio sustulerunt, & virtutem eorum abnegarunt. Et vt tollerent vagos meretricum concubitus, dogmatizarunt omnibus Sacerdotibus, & religiosis habendam esse vxorem grauiora mala pro leuioribus persuadentes.

Licitum quandoq; mendaciū docuit Plato, & quib.

Idem ex Patrib. cū Platone qui sensērunt.

Orig. Hier. epist. 89 to. 2.

Act. 11.

Gal 2.

Aug. epist. 69 to. 2 in prin. Chrys. hom. 5. de pæn. post med. & alibi to. 5. Euseb li. 12. de prepar. Euād c. 41. to. to. 1.

In dictum Lutheri: Licet fucis, & technis promouere Euangelium,

Act. 17.

Iob 13.

Nequaquam Paulum apud Athenienses aram ignoti Dei ad negotium Euangelii detorsisse, vt ille mentitur.

Quam vere, & apposite de hęreticis dici possit, q faciant mala vt inde, veniant bona.

DISPVTATIO XXIII.

In illa verba: *Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam: causati enim sumus Iudæos, & Græcos, omnes sub peccato esse: sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam, non est intelligens: non est requirens Deum, &c.*

I. dubium.

IN his verbis primum dubitamus, quomodo dicat Apostolus, Iudæos Gentibus non præcellere; cum superius dixerit: *Quid ergo amplius est? &c. Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei, &c.* Nec videtur satis esse ad demonstrandū, Iudæos non præcellere Gentibus, probare, vtrosque fuisse sub peccato mortifero: potuit enim euenire, quod hi essent sub maiori peccato, illi vero sub minori: vnde & magis, vel minus indigni ad Euangelicam gratiam suscipiendam. Deinde dubitatur, quomodo verum est, quod ex Scripturis producitur. *Non est iustus quisquam, non est requirens Deum, &c. Non est, qui faciat bonum, nō est vsq; ad vnum.* Legimus siquidem, multos iustos, & sanctos in lege fuisse, vt Abraham, Isaac, Iacob, Mosen, Dauid, & in Euangelio Dominus dixit, *Multi Prophetæ, & iusti cupierunt videre, quæ videtis. &c.* & iterum. *Erant autem ambo iusti ante Deum,* scilicet parentes Præcursoris; & tali titulo iustorum decoratur Abel, Noe & Simeon iustus, Ioseph Sponsus Virginis, & Ioseph ab Arimathæa, qui Dominum tradidit sepulturæ. Habet autem hoc peculiarem difficultatem, ob multitudinem sensuum, qui illis verbis tribuuntur. ¶ Prius tamen quā hæc soluamus, verba textus explanāda sūt. Familiare est Apostolo, ex solutione vnius quæstionis alteram formare: cum ergo superius affirmasset, Iudæum Gentili præstare, etiamsi ille abusus sit sua prærogatiua, iterum interrogat, an Iudæi quoquo pacto illum præcellant? Et respondet negatiue. Quarum responsionum contrarium concordia est hæc, vt habetur in Glossa ordinaria: quod supra esset sermo de Iudæis per legem, & circumcisionem vincentibus Gentiles: nunc autem de Iudæis ad fidē conuersis, vbi vnum est commune omnibus Baptisma, & idem iustificandi modus per fidem. Sed hæc solutio solida non videtur: quia hactenus Apostolus continenter locutus est, de Iudæis, & Gentibus sub aduentum Christi: quos omnes pariter sub peccato concludit, & per Scripturas, quas producit, comprobat, quo doceat, vniuersos DEI gratia indigere. Respondendum igitur aliter est superius sermonem fuisse de beneficiis diuinis, quibus Iudæi proprie erant pręGentibus à DEO donati; hic vero verba facit de propriis operum meritis: & ad id indicandum, diuersis vsus est verbis. Supra enim non dixit, Iudæos Gentibus præcellere, sed amplius aliquid habuisse vel recepisse: hic vero adimit illis excellentiam illam, quæ ad virtutem propriam, & merita refertur. Hinc superius in tertia persona protulit, cum aliquid laudis illis adscribit: vbi autem eorum crimina

Rom. 3.

II. dub.

Psalm 13.

Matt. 13.

Luc 1.

Matt. 23.

Gen 6.

Luc. 2.

Mat 2

Luc. 23.

Quomodo hæc cū superiorib. connectantur.

I. solutio, sed incommoda.

Glos. ordin.

Altera cōmodior.

Cur Paulus Iudæos laudans, in tertia persona,

eosdem vituperans, io prima loquatur.

refricat, vt hic facit, humilitatis gratia, & veritatis, quia ipse sub peccato fuerat, & doctrinæ causa melius accipiendæ, in prima persona ait; *Quid ergo? Nos præcellimus eos?* nos scilicet Iudæi, & Gentiles? Et respondet: *Nequaquam: causati enim sumus Iudæos, & Græcos, omnes sub peccato esse.* Hoc est, Et si in dono eloquiorum Dei excelluerint, nõ tamen in studio sanctitatis, & bonorum operum: & assignat rationem: *Causati enim sumus, omnes sub pecato esse*: quod est dicere, Redditis rationibus, vel causis ostendimus omnes peccasse, tam maiores Iudæorum, quam gentium: ex quibus possumus de minoribus idem coniectare. Græca litera habet προῃτιασάμεθα hoc est, Præcausati sumus. Sed quia illud verbum non erat in Latina lingua vsurpatum, interpres dixit, *Causati sumus*. Quemadmodum Rom. 6. *Quæcunque scripta sunt*, Græce legitur προεγράφη id est, ante, vel prius scripta: interpres tamẽ vertit per simplex verbum, Scripta sunt. Ita hoc loco, pro ante criminati sumus, vel, prius causati sumus, simplex posuit verbum Causari: quod Græca scholia interpretantur ἠλέγξαμεν, id est, accusauimus, siue reprehẽdimus Et subdit: *Sub peccato esse*, id est, ita, & damnatione, quam peccatum promeretur. De personalibus enim peccatis est sermo, siue de voluntariis actionibus, vt tradit Augustinus libro de natura & gratia, & Beatus Thom. hoc loco: non autem loquitur de originali, de quo hactenus nulla mentio ab Apostolo facta est. Ac proinde statuendũ, hunc locum non probare, beatam Virginẽ sub peccato originali conclusam.

Cur dictũ ab Interprete, Causati, ac non potius, Præcausati sumus vt fuerat dicendum.
Rom 15.
Quid sit hoc loco, Omnes sub peccato esse.
B. Aug. l. de natu. & grat. c. 4. & 7.
D. Thom. lect 2. in c. 3 ad Rom. prope init. tom. 16. in princ.

Ad primã dubitatio.

Quod vero obiectum fuit, non probari per hoc, Iudæos non præcellere Gentibus quia potuerunt hi grauiora peccare, illi vero minora: nihil euincit. Quia id non agit Paulus, vt quærat, quis populus grauis deliquerit: satis illi est probare, omnes fuisse sub lethali delicto maculatos, dicendo, Omnes sub peccato esse, quasi depressos, vt seruos, & mancipia peccati. Ex quo elicitur, nec hos, nec illos meruisse Dei gratiam, sed pœnam potius æternam: quare si diuinum gratiæ lumen, & cætera dona illis conferantur, hoc non est ex eorum meritis, sed ex sola, & mera Dei bonitate. Non negamus tamen, quod illi, qui sub maiori peccato demergebantur, minus ad gratiam dispositi erant: cum quib. etiam benignius à Deo actum est. Nec videtur ad rem facere, vter maiora peccauerit: nam Iudæo id tribuit Ezechiel cap. 5. & cap. 16. *Iustificasti Sodomam sororem tuam*, &c. Et Dominus in Euãgelio: *Seruus qui cognouit voluntatẽ domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundũ voluntatẽ eius, vapulabit multis*: hic est Iudæus. *Qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis*: hic est Gentilis.

Quomodo nõ Paulus Iudæum neget excellere Gentili, cum ante oppositum desiderit.
Ezech 5.
Infra 16.
Luc 12.

Ad secundam dubit.

Secundo loco proposita dubitatio fuit; quomodo verum sit, omnes sub peccato actuali extitisse, cum supra dixerit: *Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*; Et iterum: *Si igitur præputium iustitias legis custodiat*, & cætera. Et de Iudæis hoc eodẽ capite dixit: *Quid enim si quidam illorum non crediderunt*, insinuans, aliquos non credidisse. Ad hæc repugnant multis locis Scripturæ, in quibus plures isti celebrantur, & perfecti, & sancti vocantur: quomodo igitur omnes sub peccato sunt? Respondent nonnulli, verbum illud, *Omnes*, intelligi debere non pro omnibus, & singulis, sed pro vtroque populo, tam Iudæorum, quam Gentium, vt capite 12. huius epistolæ dixit; *Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Alii vero, *Omnes*, interpretantur, id est, multos, vt illud, *Omnes prouinciæ veniebant in Aegyptum*, & cætera. Et in Euangelio: *Audiens autem Herodes Rex, turbatus est & omnis Ierosolyma cum illo*, & *Exibat ad eum Ierosolyma*, *& omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem.* Sed huic sensui repugnant probationes, quas de Scripturis diuinis producit Apostolus: *Quia non est iustus quisquam. Non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Deinde alii respondent, dicentes, quod loquitur Apostolus de multitudine & populo peccatorum: vt interdũ omnes vocantur multitudo prædestinatorum, vel vocatorum, vel populus electus. Sed hanc expositionem violentam esse iudicat B Thomas. Et dicendo, *Non est iustus quisquam, aut requirens Deum*, videtur de omnibus loqui in vniuersum. Tertio dicunt alii, intelligendum hunc locum de leuiorib. delictis, sine quibus iusti, & sancti non viuunt, dicẽtes quotidie, Dimitte nobis debita nostra; &, Si dixerimus quoniam peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus; & veritas in nobis non est. Sed hoc etsi verũ non sit, ad rem tamen videtur spectare. Tum quia causatus erat tam Iudæos, quam Gentes de grauissimis delictis, id est, idololatria sodomia, & de iniustitia. Tum quia sequitur. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt*, &, *Non est iustus quisquam*: at homo ob venalia delicta nõ amittit iusti. vel nomen, vel rem, neq; etiam perfectionem, vt Apostoli: neq; potest dici, ob leuia delicta dici inutilis, vel declinasse.

Illud: Non est iustus quisquã, &c. quomodo verum sit, cum pleriq; in Scripturis iusti legantur.
Rom. 2.
Ibid.
I. solutio.
Rom. 11.
Gen 41.
Mat. 2.
Infra 3.
Quid habeat incommodi.
Psalm. 13.
II. minus etiam probabilis.
B Tho su pradictus.
III solutio
Mat. 6.
1. Ioan. 1.
Cur illa nõ probetur.
Rom 1.
Supra. 1.

His ergo sensibus, vt minus ad rem faciẽtibus prætermissis, pro vero, & germano

sensu

IV. solutio omnium commodissima.

sensu Apostoli statuendum primum, quod in illis verbis plus probat, quam proponit Paulus. Proposuit siquidem, vtrumq; populum esse reum, & peccatorem coram DEO; & probat, omnes, & singulos vtriusque populi sub peccato concludi. Deinde perspice, Scripturam sæpe loqui de re aliqua secundum rei ipsius naturam, non autem secundum aliquod exterius aduenięns. Sic dicitur CHRISTVS redemptor, vel saluator omnium, ex naturali efficacia meritorum suorum. Ita dicitur solus DEVS bonus, id est, suapte natura: solus dicitur immortalis, hoc est, ex se. Vult item omnes, homines saluos fieri, & neminem perire, & illuminat omnem hominem scilicet ex parte sua. Quemadmodum etiam illud, *Tu solus sanctus, tu solus Dominus; tu solus altissimus*. scilicet per essentiam, & naturam. Similia multa sunt, vt illa: *Morieris & non viues*. scilicet ex teipso: & ei quindecim anni vitæ DEI gratia sunt adiuncti, & non spectabant ad suam periodum naturalem; & ita peccatum in Spiritum sanctum non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro, nimirum ex seipso.

Mos Scripturarum loquendi familiarissimus.
Matt. 19.
1. Tim. 6.
Supra 2.
2. Petr 3.
Ioan. 1.
Esai. 38.
Matt. 12.

Item illud; *Nemo carnem suam odio habet*, ex se scilicet: secus ex spiritu, vel stulto errore. Item: *Linguam nullus hominum domare potest*: &, *Nemo potest venire ad me*, & cætera, eodem modo sunt interpretanda. Ad rem nostram, cum tota humana natura peccato fuerit implicita in Adam, & omnes natura simus filii iræ, & habemus peccatum ex se in nobis dominans, & in omnia flagitia sollicitans; bene PAVLVS dixit, omnes, & singulos sub peccato esse, id est, sub dominio, & tyrannide peccati, seu sub concupiscentia dominante: & illud, quod in pluribus est, in vniuersum verum esse dicitur. Et ita ostendit, Iudæis, & Gentibus, omnia, aut multa delicta peccasse. Quod autem in paucis non sit peccatum, vt iustis, quod diximus, à caussa per accidens est, & ab arte minime considerabile. Illi ergo pauci iusti à caussa extrinseca, id est, DEI gratia, & fide fuit, nam suapte natura tales fuissent, quales alii: nec tales iam sunt filii Adæ, seu filii hominum, de quibus dicitur: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum*. Sed filii DEI sunt. Et ita sub peccato, id est, originali, & fructibus eius, scilicet personalibus omnes ex seipsis, nisi Dominus sua gratia singulariter auxilium ferat. Hunc autem sensum, vt solidum, & contextui congruentem comprobat beatus Augustinus in enarratione decimiquarti Psalmi, vbi ait: *Et iste est melior intellectus, vt nemo intelligatur fecisse bonitatem vsque ad CHRISTVM: quia non potest quisquam hominum facere bonitatem, nisi ipse monstrauerit* Hæc ille. Ad eum modum interpretantur beatus Thomas, & Caietanus præsentem locum, iuxta illud: *Nullus apud te per se innocens est*. Et ita implentur illæ sententiæ: *Facti sumus, vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruata vniuersa iustitia nostra, & cecidimus, quasi folium vniuersi*: *Omnes nos quasi oues errauimus*: *Omnis homo mendax*: *Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi*. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*. Nullus enim præter DEVM, & Iesum Christum ex suæ naturæ conditione iustus vnquam fuit, sed quilibet peccator est, & sub originali detinetur, & ad actualia, & mortifera peccata patranda ex seipso propensus est. Deinde hunc sensum probat scopus Apostoli.

Ephes. 5.
Iacob. 3.
Ioan. 6.
Gen. 3.
Rom. 5.
Ephes. 2.
Rom. 6.
Quid rursus sub peccato esse.
Si qui interdum sine peccato fuerint, vnde id acciderit.
Psalm. 13.
B. Aug. in 8. in princ.
B Tho. loco prædicto.
Caiet. ibid.
Exod. 34.
Esa 64.
Supra 53.
Psal. 119.
Philip. 2.
Rom. 3.
II. ratio.

Contendit enim, omnem mundum subiicere vt reum, & obnoxium ex seipso coram DEO, & illius gratia, & fauore indigentem; vt hac humili sui ipsius agnitione iustificetur. Tertio, comprobatur hic sensus à verbis Apostoli, vbi ait: *Sicut scriptum est* Etsi enim Apostolis non esset opus Scripturis sua dicta comprobare, sicut nec DEO, cuius sunt organa: vtuntur tamen illis exemplo CHRISTI, qui id fecit, & ad elucidandam vtriusque legis consonantiam apud populum illum, qui præter legem suam nihil recipiebat. Et ait, Scriptum est, absolute, non signans locum aliquem: quia ex Psalmo, & Esaia & Ecclesiaste consarcinata sunt ab Apostolo, quæ producit. Habet enim in more Apostolus, vt quandoque ex multis locis vnam conflet consonantiam. Prima autem verba sunt Psalmi decimitertii, vbi habetur: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis*: de cuius Psalmi germana intelligentia multi multa proferunt. Et in primis non est sensus de Nabuchodonosor, & Chaldæis, qui euerterunt Ierusalem, dicentes, DEVM Israel non esse verum DEVM, quia non potuit illos, nec templum suum de manibus illorum liberare: & ideo corrupti sunt, & abominabiles facti. Sic enim interpretatur Rabbinus Salomon satis frigide contra Titulum Psalmi, In finem, qui CHRISTVM legis vniuersæ finem designat, & contra verbum illud etiam: Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, & non tantum super filius Chaldæorum. Deinde Cassiodor. de populo Iudæorum interpretatur, qui in aduentu Domini dixit in corde suo, Christum nõ esse Deum, quomodo

III. ratio.
Apostoli cur dicta sua Prophetarum testimonijs cõfirmarent.
Psal. 13.
Psalmi 13. multiplex intelligentia.
Primus sensus Rab. Salomonis ineptus.
4. Reg. vlt.
Psalm. 13.
Alter sensus Cassiodori parũ idoneus.

etiam Arrius Christum Deum esse negauit & ideo incurrit maledictiones omnes huius Psalmi. Sed non videtur, quomodo vno dicente, Non est Deus, alii sint corrupti: & quomodo verum sit quod dicitur: Dominus prospexit super filios hominum, id est, super vniuersos, vt videat, si est, vel vnus intelligens, aut requirens Deum, & nō dixit tantum, super Iudæos, Adhæc qui hæc dicunt, precantur pro aduentu Messię in fine Psalmi: *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Tertio, beatus Augustinus, vt dictum est, intelligit de Iudæis, & Gentibus, quarum quidam Philosophi negarunt DEVM esse, vt Diagoras; vel eius prouidentiam, vt Epicurus vel eius vnitatem, vt multi, qui multitudinem Deorum colebant. Vnde illo principio negato corrupti sunt. At si veritatē amamus, non videtur, quod omnes Philosophi negauerint aut vnū Deum aut eius prouidentiam, quamquam vnus, aut alter, ex illis eiusmodi errores fuerit amplexus.

Tertius sensus B. Augustini.

Triplex quorundā de Deo Philosophorū opinio falsissima.

Melius ergo dicemus cū Paulo, qui hunc Psalmū hoc loco videtur exponere, quod est sermo de peccato Adæ, in quo omnes peccauerunt. Nam dixit, omnes homines sub peccato esse, & ille Adam, tanquam insipiens, in corde suo dixit, Non est DEVS: non quidem directe asserendo, sed indirecte, & ex consecutione quadam. Omnis enim malus hoc ipso; quod peccat, in corde suo dicit, DEVM peccatores non videre, aut non puniturum eos, aut forte credit DEVM mendacem: quia dæmon dixerat, *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum, & malum*: quod est, facere Deum mendacem, & inuidum, vel nolentem punire. Præterquam quod Samuel dixit. *Quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere*; & maluit Adam vxori, quam DEO obedire.

Quartus sensus verbis Pauli maxime cōsentaneus. *Rom. 5.*

Quomodo Adam peccans in corde suo dixerit Nō est Deus. *Gen. 3.*

1. Reg. 15.

Sicut ergo Dauid vidit in Spiritu peccatum Adæ, ita etiam fructus, & effectus, qui illud consequuntur; quos exprimit, cum ait: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt.* Corrupti quidem, amissa iustitia originali, ob cuius carentiam fit, vt homo obediat sensui, & carni: abominabiles vero facti sunt, amissa gratia, per quam erant DEO chari. Ex amissione vero vtriusque, gratiæ scilicet, & iustitiæ, corpus corruptioni, & morti redditum est obnoxium, & abominabile. Sequitur: *Dominus prospexit super filios hominum.* Vel, super filios Adæ, & ita excluditur CHRISTVS, qui iustus noster, & iustitia nostra, & segregatus à peccatoribus; qui non est Adæ filius, nec hominū, bene tamen in singulari filius hominis.

Homines per peccatum quare corrupti, & cur facti dicantur abominabiles.

Iidem corporum corruptionem & mortalitatem vnde contraxerint.

Ierem. 31. Ibid. iuxta Hebr. Heb. 7.

Christus singularis, non cōmuniter dictus filius hominis non filius hominum, vt cæteri homines.

¶ *Super filios hominum*: scilicet post peccatum: quia omnes habuit præsentes in sua æternitate. *Vt videat*, si quis intellectu, vel affectu requirat. Et subdit: *Omnes declinauerunt.* A via iusta, & recta. Considerat enim nos Scriptura, quid ex nostra natura, & conditione sumus: quia qui non declinant, ex gratia DEI id habent. Idcirco primum perspice, nullum sanctorum liberari potuisse ab originali, præter vnicam Virginem, de qua Augustinus ait libro de natura & gratia, cum de peccatis agitur, non esse eam comprehendendam. Secundo perpende ab aliis personalib. peccatis multos, qui iusti dicuntur, per gratiam DEI liberatos esse. Vnde Augustinus libro de sancta virginitate ait; *Nullus iustus debet in se gloriari de sua iustitia, sed de dono Dei, & quasi acceperit.* Tertio obserua iustum, qui nunquam peccauit, magis obligari Deo, quam pœnitentē, cui multa peccata sunt dimissa: quia iustis plura sunt dimissa, non quæ actu commiserint, sed quæ perpetrassent, nisi gratia DEI essent præuenti. Hinc virgines scribit Augustinus magis ad amandum DEVM adstringi, quam corruptas: *Quicquid mali ipso custodiente non commisistis, tanquam remissum ab illo deputate, ne modicum vobis existimantes dimissum, modicum diligatis; & tundentes pectora, publicanos ruinosa iactantia contemnatis.* Et Homil. de peccatrice ait: *Nullum est peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo si desit rector, a quo factus est homo.* Et Aristoteles: *Quod omnino factum est, apprehenditur tanquam iam factum, nisi aliquod accidens impediat.* Ita DEVS omnia peccata futura apprehendit, quia talia fuissent nisi gratia sua impediuisset. Et hactenus dictum sit de loci huius intelligentia. Reliqua huius testimonii, verba consulto prætermitto, tū quia clara, & dilucida reddita sunt ex his, quæ diximus; tum etiam quia ex aliis facile peti possunt.

Soli ex omnibus sanctis Mariæ Virgini concessum priuilegium præseruationis ab originali beneficium, teste Augustino.

B. Aug. l. de nat. & gratia c. 36. to. 6 circa med.

Idem li. de sancta vir. c. 39. & seq. & sæpe alias to. 6. in fi.

Iusti, quā lapsi pœnitentes Deo maiorem amorem cur debeāt.

Idem li. de sanct. Virg. c. 3. & c. 40. Idem lo. 2. Homi ho. mil. 23. circa med. to. 10. inter med. & ini. Arist. li. 2. Physic. to. 2

¶ Illud duntaxat aduerte, quod dicitur, *Vsque ad vnum*, Augustinum magis pie, & Catholice exposuisse, excludendo Christum quam solide. Est enim Hebraismus, pro eo, quod est, ne vnus quidem Græce ἕως ἑνός.

(Y)

Sensus ille Augustini Non est iustus quisquā vsque ad vnū scilicet Christum, quatenus probetur.

DISPVTATIO XIV.

In illa verba: *Scimus autem, quoniam quæcunque Lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.*

I. difficultas.

OBSCVRVM est in primis illud dictũ, Quomodo lex quæcunq; loquitur, iis qui in lege sunt, loquatur, cum tamẽ multa de Gentib. dicantur, vt de Iethro, & Iob, & Regib. Aegyptiorũ, & Assyriorum, & Medorũ, & Persarum; & de Cyro Esaias c. 45. ait: Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram. Deinde non tantum est obscurum, verum etiam valde perplexum, præsertim propter varias Doctorum sententias, quomodo verum sit ex operibus legis, non iustificari omnem carnem coram illo, & quæ sint ista opera, quæ tam constanter ab efficacia iustificandi excluduntur.

Esai. 45.

Altera.

Quo tendat Apostolus in hoc sermone.

Solutio primæ difficultatis.

Vt verum sit, Legem (scilicet Mosis) iis qui in lege sunt, loqui cum etiam Gentib. loquatur.

Sed ad hæc obscura illustranda, prius est nobis more solito Textus interpretandus, vt ex illo explicato dubitationem solutio accipiatur: Ait igitur: *Scimus autem quoniam quæcunq; lex loquitur.* Vbi occurrit Apostolus obiectioni, quam poterant facere Iudæi, dicentes, superiora Scripturæ maledicta iactata esse non in seipsos, sed in gentes. Cui occurrit: dicendo, quod lex non loquitur illis, quibus non est apposita, id est, paganis, sed illis, quibus est lata, & promulgata, hoc est, Iudæis. Neq; tamen per hæc negat Apostolus, aliqua esse aduersus Gentes vt, Onus Babylonis, Onus Moab, Onus Damasci, & similia. Vnde Oecumenius ponderat: Caute admodũ hoc posuit. Neq; enim dixit. Dei his qui sunt in lege, sed, *His qui sũt in lege.* Multa siquidem & Babyloniis dicit, Persisq; & Medis, ac Aegyptiis, aliisq; plurimis nationibus. Attamen etiam, quæ de his erant vaticinia, Iudæis afferebat, qui in lege erant, hoc est, sub lege. Ad quos, & propter quos etiam alienarum Gentium peccata, & vindictæ referuntur, vt Sodomæ, Aegypti, Babel: sed tamen tunc Gentes exprimũtur. Quando vero generatim sine speciali nominatione personarum in lege reprehẽsiones inueniuntur, tunc de Iudæis præcipue intelliguntur. Vt illud: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum,* &c. Hæc enim illis fiunt, quibus promisit Christum Saluatorem; & Iudæi illo magis indigebant, quia per legem magis peccatores redditi erant: quia per legem, seu mandatum factum est supra modum peccans peccatum, vt ait Apostolus. Secundario etiam spectat ad Gentes peccatrices, ac proinde Christi salutem indigentes. Et non solum articulus legi Græce appositus, sed & cõtextus ipse, & producti ex Scripturis loci ostendunt, quod non solum de lege naturali, sed de Mosaica hoc loco sit sermo. ¶ Etsi vero interdum vetus Testamẽtum in legem, Psalmos, & Prophetas diuidatur, vt Luc. vlt. interdum in legem, & Prophetas, sub quibus Dauidis Psal. continentur, vt Matth. 23. & alibi, Lex, & Prophetæ, vsq; ad Ioannem: aliquando tamen tota vetus Scriptura dicitur lex, vt patet in hoc testimonio ex Psalmis, & Prophetis cõtexto. Et ita accipitur Matthæi. 5. cum ait Christus: *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Et Ioan. 15. *Vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis.* Non ergo hic accipienda est lex pro lege naturæ, vt Origenes accepit: nam producta testimonia ex lege Mosis sunt deprompta. Et ita solutum est primum dubium. Subiungit autem finem primarium horum testimoniorum: *Vt omnes*, inquit, *os obseruatur.* Hoc est, vt non solum Gentes, sed etiam Iudæi cognitis suis peccatis ora obturent, & nequaquam audeant gloriari, vel confidere in propria iustitia, & iactare sua merita coram Deo, quem offenderunt. Et vt ait Augustinus: *Omne etiam os iustorum obstruatur in laude sua, & aperiatur in laudem Dei, à quo est omne bonum nostrum.* Estq; allusio ad forum iudiciale, vbi reus si quid habet, quo possit crimina obiecta abluere, tempus ad respondendum postulat: sin minus, silens condemnationem expectat. De secundario fine subiungit: *subdutus fiat omnis mundus Deo.* Græca vox spondens dictioni, subditus est ὑπόδικος: quæ vox, teste Chrysostomo, eum significat, qui sibi ipsi minime sufficit ad defensionem, sed indiget alterius patrocinio, vt salutem adipiscatur. Hoc est, vt omnes agnoscant se iræ Dei, & damnationi obnoxios, nisi alter, hoc est, Christus Dominus, patrocinium adferat. Dicitur etiã ὑπόδικος ἀπὸ τῆς δίκης, quæ iudiciũ, crimen, causam, vel pœnam denotat. Et quod ait, *Omnis mundus*, Græce est, πᾶς ὁ κόσμος, potius totus mundus, quia non est nisi vnus mundus. Et complectitur omnes, qui descendunt ex Adam, non tantum Gentes, sed etiam Iudæos: à quibus suo iure exceptus est Christus, qui dixit: *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Excepti etiam sunt omnes fideles, qui per fidem viuam Christo hærent: qui Dei gratia non sunt de hoc mundo, iuxta illud; *Si de mun-*

Esai. 13.
Infra 15.
Infra 17.
Oec. c. 13. in epist. ad Rom. c. 3.

Esa. 58.

Rom. 7.

Nomine Legis hoc loco quid veniant.

Luc. 16.

Matt. 5.

Ioan. 15.

Psal. 34.
Orig. in ca. ad Rõ. ante med. to. 2.

August.

Mos iudiciorum forensium.

Chrys. ser. 7 in hunc locum sub init. to. 1. princ.

Quis ille omnis mũdus, qui fit subditus Deo.

Ab hac subiectione qui censeantur immunes.

Ioan. 8.

Infra 15.

Responsio ad primam difficultatem.

Quomodo verum sit, Ex operib. legis non iustificari omnē carnem coram Deo.

Lex quatenus Iudæis obfuerit.

mundo fuissetis, mundus, quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo; propterea odit vos mundus. Sequitur: *Quia ex operibus legis nō iustificabitur omnis caro coram illo.* Ne quis enim diceret: Quid, ergo? nihil profuit lex? Respōdet: *Eo quod ex operibus legis non iustificetur omnis caro.* Ac si diceret: profuisset quidem lex, si eam seruassent: sed non seruarunt. Vnde & assistentia legis illis nocuit, non sui natura, sed animo eorum, qui non obseruarunt. Potuissent enim Iudæi responsare, se quidem iræ Dei obnoxios, propter transgressionem legis; verum operibus legis placasse Dei iram, & sibi iustitiam restituisse. Et sicut superius ostendit, legem aut circumcisionem absque operibus non profuisse, vt adultus quis censeatur iustus, modo probare contendit, quod nec legis opera, nec sacrificium causa vnquam fuerint nostræ iustitiæ, aut salutis, sed tantum vna fidei, vel gratia Iesu Christi. Et de circumcisione quidem sequenti capit. agit, de lege autem hoc capit. ponens duas assertiones, alteram negatiuam: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo*: alteram vero affirmatiuam: *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Nā vt alio loco à me dictum est, solet Deus in Scripturis & per affirmationem, & per negationem vnam & eandem sententiam statuere, quo minus variis glossis exposita sit. Primo igitur proponit negatiuam propositionem, quam etsi Chrysostomus suppresserit, in codice suo, non est propterea redundans, aut superflua iudicanda, quia Græci codices, & Origenes, & omnes Latini illam vltra vllum dubium habent. Est autem hæc assertio in speciem particularis, re vera tamen vniuersalis existit, quia sensus eius est: Ex operibus legis nulla caro iustificabitur coram illo. Estque phrasis Hebræa: *Omnium* pro nullo tempore accipere. Exempla sunt: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, id est, nullum; &, *Non fieret salua omnis caro*, id est, nulla caro: *Omne quod dedit mihi Pater non perdam ex eo, &c. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet*, significat nullus accedet.

Quæ vna & sola fuerit causa nostræ iustitiæ.

Rom 3.

Ibidem.

Lib. 1. explanat Euangel. Prolog.

Chrys. loco præscripto.

Orig. in c. 3. ad Ro &c.

Hebraism.

Luc. 1.

Matt. 24.

Ioan. 6.

Leuit. 18.

Iustificari hoc loco quid.

Vnde pendeat iustificatio.

Cæterum ad hanc sententiā plenius intelligendā, primo loco explicandum, quid sit Iustificari; quid Opera Legis, & quid Omnis caro. Primum autem iustificari, pro loci huius ratione, nihil aliud est quam effici iustum, vel (quod idem est) pronuntiari iustum à Deo ex iniusto, & peccatore. Quod ex eo probatur: quod Gentes, & Iudæos ostēdit esse peccatores, nec posse delicta eorum per vlla opera expiari, nisi gratuito Dei dono; quod fides impetrat, & apprehendit. Deinde quia dixit: *vt subditus fiat omnis mundus Deo*: & rursus: *Omnis caro*, id est, peccator, filius Adæ: Tertio, quia inferius ait: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, &: *Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Ex quibus accipimus, Iustificandi verbum, etiamsi aliter alibi accipiatur, hoc tamen loco tantum reconciliationem, qua homo est impio pius fit, & ex iniquo iustus, denotare; ne quis obiiciat in contrarium illud, quod superius dixit: *Non enim auditores Legis iusti sunt apud Deum, sed factores Legis iustificabuntur*; & illud Iacobi: *Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, &c.* In quibus, & multis aliis locis aperte iustificatio accipienda est, qua iusti ex fide operantis assequuntur vitam æternam, & de qua: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,*

Rom. 4.
Isai. 31.

Rom. 4.

Quib. locis iustificatio fidē per charitatem operantem significet.

Supra 2.
Iacob. 2.

Matth 19.

Quid opera Legis Apostolo. Primus sensus

B. Amb. in præsentem locum. io. 5.
Theoph. ibidem.

Deinde dubium est, quid intelligat per opera Legis, Quidam enim tradunt, Legalia præcepta intelligenda eo nomine, hoc est, iudicia, & ceremonias. Sic enim Ambrosius, Theophylactus, & pleriq; alii docuerunt. Adhęc illa proprie videntur esse ipsius Mosis, quia cum Lege instituta, & cū Lege terminata sunt: non autem moralia, quæ ante Mosen erant, & post Moysen remanserunt. Idcirco Paulus capite secundo ad Galatas; asserens quod non iustificatur homo ex operibus Legis, reprehendit Petrum, quod nimius esset ceremoniarū obseruator, & quod ciborū delectū seruaret, Capite etiam 4. eiusdem epistolæ contra circumcisionem, tanquam cōtra opus Legis disputat, quod non iustificet: & ita ceremonias vocat infirma & egena elemēta, & quæ erant vmbra futurorum. Non aūt excludit moralia à iustificando, de quibus ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; & alio loco: *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est sed obseruatio mandatorum Dei.* Quare Orig. ait, latronem, & peccatricem iustificatos sine operibus Legis, id est, circumcisione, neomeniis, & veneratione Sabbati.

Galat. 2.

Hebr 10.

Matth. 19.
1. Cor. 7.

Orig. loco superiori post medi.
Luc. 23.
Supra 7.

Aliquot rationibus impugnatur hic sensus.

I. Ratio.

Sed contra hæc quædam, & magni momenti occurrunt. Primum, quia Paulus opera Legis excludit à iustificatione, neq; debemus limitare, quod ipse non limitat. Cum autem Decalogus præcipua pars sit Legis; si hæc iustificaret, diceretur principaliter Lex iustificare, etiamsi quędam eius pars minus principalis non iustificaret. Deinde texitur argumentum ex verbis huius loci: quia vbi dixit: *Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram illo*: subiungit. *Per legē enim cognitio peccati*; at hæc cognitio

II.

Rom. 7.
Exod. 20.

moralis est, & ad Decalogum spectat, de qua infra cap. 7. *Peccatum non cognoui, nisi per Legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces.* Et nisi moralia excluderet Apostolus, possent Iudæi credere se per alia iustificari. Hinc Augustinus libro de Spiritu & litera, non vno tantum loco, sed pluribus, hoc est, cap. 8 & 13. & in principio 14. Et capit. 29. apertissime vim iustificandi etiam à moralibus præceptis adimit.

B. Aug. to. 3.

III.

Tertio, quia 2. Corinthiorum 3. literæ antiquæ Legis, nouæ spiritum opponit, cum ait. *Manifestati quod epistola estis, Christi, ministrata à nobis & scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, &c. Litera enim occidit, Spiritus autem viuificat.* ad decem præcepta in tabulis lapideis conscripta erant, quæ quia nequaquam iustificabant, occidere dicuntur: Secus Spiritus fidei, & dilectionis.

2. Cor. 3.
Ibid.
Exod. 31.

IV.

Quarto, quia hæc scribit Apostolus ad populum Romanum, qui ex Iudæis, & Gentibus constabat, qui mutuo de operibus gloriabantur. Vnde absolute dixit: *Non iustificabitur omnis caro*, id est, Iudæus, vel Gentilis. Vnde superius Gentes Legis naturalis moralia præcepta adimplentes, factores Legis vocauit.

Rom. 2.

V.

Quinto, Apostolus aliis in locis omnibus omnino operibus detrahere vim iustificandi videtur. Nam ad Tit. 3. habet: *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Et ad Ephe. 2. *Gratia estis saluati per fidem* (& hoc nō ex vobis, Dei enim donum est) *non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Ephesii autem non erant Iudæi, sed Gentiles. Imo plerumque Paulus in hac disputatione omittit verbum Legis, vt cap. 4. *Si Abraham ex operibus iustificatus est.* Et rursus: *Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus.*

Tit. 3.
Eph. 2.
Rom. 4.
Ibid.

Cur non simpliciter opera, sed opera Legis dicat Apostol. non iustificare.
August.

Etsi ergo Apostolus omnibus omnino operibus vim coram Deo iustificandi deneget, doceatque gratuitam esse iustificationem; adiecit tamen operib. Genitiuum Legis, propter Iudæos, qui aduersus Gentes gloriabantur (teste Augustino de Lege ipsa; quasi ex Lege ipsa esset iustificatio, aut quasi esset necessaria Gentili ad hoc vt perueniret in gratiam Christi. Vbicunque ergo ait PAVLVS, neminem per opera Legis iustificari; vel gratiam opponit Legi non tātum ceremonias complectitur sed etiam moralia, & vniuersa cuiuscunque generis officia, siue Naturæ, siue scriptæ Legis: nam Legis nomine speciatim scriptam subindicat, & in illa omnes videtur comprehendere. Et ita non facit hic Paulus differentiam in Legem naturalem, quæ Gentibus data est, & scriptam, quæ Iudæis, & Euangelicam nostram, si opera ipsa per se spectes; sed inter opera cuiusuis Legis ex vna parte, & inter fidem cum gratia Christi ex altera.

Rom. 2.
Exod. 19.

Alter sēsus
B. Ansel. par 2 inst.
Hugo de S. Victor in epist. ad Ro. 9. Haymo.
Rom. 8.

Secundo, alii opinantur, vt Anselmus, Hugo de Sancto Victore, & Haymon, per opera Legis, intelligenda esse illa quæ Legis comminantis timore fiunt: quia dicitur: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore.* Sed tenera etsi multa in Lege timore fierent, non tamen omnia.

Dupliciter improbatur.
Exod. 25.

Nam multi voluntarie offerebant Domino pro tabernaculo, & in Lege Naturæ quidam operabātur propter honestum ipsum. Neq; omnis timor est alienus à ratione iustificādi: nam initium sapientiæ timor Domini; &, *Qui sine timore est, non poterit iustificari.*

Psal. 110.
Eccl. 1.

Tertius sensus, qui etiam reiicitur.

Tertio, declarat Augustinus in expositione epistolæ ad Galatas, ex operibus iustificari, esse, cum suis viribus ea quisq; tribuit, & nō gratiæ Dei miserentis: quod etiam suas patitur angustias. Nam si quis gratiæ DEI non fideret, & sua nihilominus opera DEO adscriberet, vtique iustificeretur ex illis, quod verum esse non videtur.

Quartus sensus.

Quarto, alii opera Legis interpretātur pro illis, quæ præcedunt iustificationem; non autem pro his, quæ consequuntur iustificatum. Sed quia hic sensus non potest consistere; dicendum est, opera Legis dici illa, quæ ex vi Legis eliciuntur.

Quintus, ac postremus cæteris probabilior.

Nam quod ad substantiam operis attinet, vnum, & idem opus, puta baptismum, aut eleemosynam, possunt præstare vel Pagani, vel Mahumetani, vel Iudæi, vel Christiani. Sed distinguuntur penes hoc, quia Christiani illa præstant, vt Christo obediant, & propositum à Christo præmium assequantur: Pagani vero sunt, qui eandem opem eliciunt, quia ratio, vel honestum præscribit: Mahumetanus vero, vt Mahumeto pareat præcipienti, & promissa ab eo carnalia percipiat Ita Iudæus, qui vt pareat Moysi Legem dari & promissa temporaria pollicenti, opera Legis præstat.

Christiani cur bene operentur, cur vero Iudæi, & infideles.

Hæc autem cum à principio maiori non oriantur, id est, à fide, & gratia Dei, sed tantum à Lege comminante pœnas temporales, vel alliciente carnalib. promissionibus, hæc sunt, quæ proprie opera Legis dicuntur. Quod satis ex ipsis vocibus constat, & Apostolus ad Galatas confirmat, cum ait: *Quoniam autem in Lege nemo iustificatur apud Deum*, manifestum est, quod Lex non est ex fide.

Gal. 3.

Insinuans opera Legis esse, quæ ex virib. naturæ prodeunt, & quæ vel pœnas Legis propositæ, vel præmia promissa exsculpunt. Sunt etiam opera Legis, merita quæcunq;, quæ quisq; ex suo penu depromit, vt consequatur iustitiā. Meritum enim ante iustificationem nullum

Opera Legis vnde proficiscantur.
Quæ rursus dici possint opera Legis.

Rom. 4. Gen. 15. esse potest. Nam Paulus capite sequēti docet, Abraham ex operibus non iustificatū, sed fidem imputatam illi esse ad iustitiam, scilicet ex misericordia: nam operanti, id est, merita habenti, merces non imputatur secūdum gratiam, sed secundum debitum. Rom. 11. Ita etiam ca. 11. gratiam opponit operibus: *Si gratia*, inquit, *iam non ex operibus*: alioquin gratia iam non est gratia. Cum igitur gratia operi non opponatur, sed merito, siue debito, & iustitię, repellendo opera Legis à iustitia, repellit vt sunt merita, siue opera iustitiæ, de quibus alibi ait: Tit. 3. *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit*. Et hoc significat Apostolus, cum capit. nono ait, Rom. 9. *Israel sectando Legem iustitiæ, in Legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia nō ex fide, sed quasi ex operibus*: id est, tanquā eam per semetipsos operantes, non in se credentes operari Deum. (Quid illud Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.) Phil. 2. Deus enim est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro sua voluntate. Ex qua iā lōga disputatione habes, opera Legis ex fide non proficisci, sed ex viribus naturæ, & quæ Lex in tabulis terrendo minis, aut alliciendo promissis exprimere potest: vel denique opera, quæ iustitiæ, & meritis innituntur, & quæ iustitiam reddunt, quasi debitam. Quod vero hoc loco potius excludat opera Legis, quam opera absolute, id factum est ob gloriosos Iudæos, qui multa Legi tribuebant, cum Gentiles in suæ naturæ præceptis non tantopere fiderēt. Nihil autem prorsus habet ex hoc loco Lutherus, & sui sequaces, nisi quod opera, quę ex fide non prodeunt, ad iustitiam assequēdam nil conferant: neque posse dici meritæ iustitiæ adipiscendæ. Quædam alia hic subtilius disputanda sunt, quæ suo loco dicentur. (Contra Lutherum eiusque sectatores soli fidei tribuentes iustitiam.)

Miratus sum autem insolentiam Bezæ reprehendentis Originem, quod explicauerit: Omnis caro, id est, homo, qui viuit secundum carnem, non potest iustificari: Rom. 8. quia qui in carne sunt, Deo placere nō possunt. Audi verba hominis maledici: *Certe hoc ausim dicere, si hæc sunt Origenis, cuius titulus præferunt, hunc hominem fuisse selectum diaboli organum, Apostolica doctrinæ funditus euertendæ destinatum*. Cuius sane verba in ipsum mirifice retorquentur, qui nouas iustificādi rationes excogitauit. Ait enim, iustificari, esse, Christi iustitiam nobis imputari: quod nunquam Apostolus dixit. Et quid est, quæso, Omnis caro, nisi homo secundum carnem viuentis, & spiritum Dei nesciens? Nam per omnem carnem hic intelligit hominem, quem superius dixi sub peccato esse, & iterum, obnoxium, & subditum fieri omnem mundum Deo, id est debitorem æternæ pœnæ. Sed tędet me pluribus contra hunc hominem, qui caro est, agere. (Quid omnis caro secundum Origenem.) (Origenes contra Theodorū Bezam defenditur interpretatio.) (Quale genus iustitię Paulo affingere nō vereatur hic magnus nebulo.)

DISPVTATIO XXV.

In illa verba: *Per Legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine Lege iustitia Dei manifesta est: testificata à Lege, & Prophetis.*

Dubium est, quorsum hæc verba Apostolo adferantur, & quomodo cū præcedenti sententia cohæreāt. (Prima ambiguitas.) Nec enim cognitio peccati contraria est Iustificationi, imo illi necessaria, & sine qua illa non contingeret. Deinde qui verū esse potest, per Legem manifestari peccatum, cum Lex Naturæ id abunde porrigeret? (Secunda.) Rom. 1. Ita enim superius dixit: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, &c.* ita vt sint inexcusabiles. Et iterum: Infra 2. *Cum enim Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea quæ Legis sunt faciunt; eiusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex: qui ostendunt opus Legis scriptū in cordibus suis*. Et Cicero libro de Legibus: Cicer. lib. 1. de Legib. remotius à princ. *Lex est ratio summa insita in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria*. Sic Cicero. Tertio dubitatur, quomodo iustitia manifestata sit sine Lege, cum immediate subiungat: (Tertia.) Testificata à lege & Prophetis, & cap. primo, dixerit in Euangelio iustitiam Dei reuelari, id est, sine velo cognosci: at quod nunc detectum est, olim in Lege velatum erat: & non potest dici manifestatum sine Lege, quod Lex, & Prophetæ adumbrarunt, & prædixerunt. Continetur enim in Prophetis Christum esse iustitiam nostram vocandum; Ierem. 23. Esa. 53. Et Esa. *In scientia sua*, (id est, fide siue per fidem) *iustificabit ipse iustus seruos meos multos*. (Primi dubii solut.)

Primæ dubitationi respondemus, hanc clausulam coniungi posse, aut cum verbo proximo de iustificatione, aut cū superiori clausula intermediis quibusdam præcedēte, nimirū: (Quo tēdat hæc Pauli sententia, & quomodo cum superiori cōiungatur.) *Vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo*, cum quibus optime connectitur in hūc modū: Propterea omne os obturandū erit, quia nō poterūt suis delictis aliquam ignorantiæ excusationem obtendere: quia idonee satis per Legē naturæ, & Iudæi per Legem Mosaicā discrimen boni faciendi, & mali vitandi cognouerunt. Et ita interpretatur Chrysosto. qui non legit sententiam intermediam scilicet Chrys. ser. 9 in hunc locum. *Quia ex operibus Legis non iustificabitur, omnis*

caro

caro coram illo. Si vero hæc clauſula adeſſe debeat, vt ſuperius comprobatum reliquimus, poteſt commode ad eam referri quod dicitur: Per legem enim cognitio peccati. Occurrit enim Apoſtolus tacitæ obiectioni, qua dicere poterat Iudæus: *Si non iuſtificatur homo ex Lege, quid vtilitatis habet Lex?* & reſpondet quod nihil maius præſtat Lex, quã vt per ipſam innoteſcat vitium, & peccatũ, quod fugiendum eſt. Quod autem per Legem habeatur cognitio peccati conſtat ex ratione Legis, quæ Latinis dicitur à Legendo, quod ſcilicet extra legatur, & promulgetur: & Græce νόμος, quia diſtribuit cuiq; & facienda, & fugienda: & Hebraice Toran quæ normam, regulam, & inſtructionẽ ſonat. Oſtendit enim peccata quæ Deus odit, & vias, quibus ad officia virtutum dirigamur, & ad ipſum Deum, & ad eius voluntatem perficiendam; quod non ſolum Lex Moyſis præſtitit, ſed etiam Lex Naturæ, de qua accipi poteſt illud: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine,* & Legis definitio allata ea Cicerone. De lege vero Moyſis Dauid ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis,* & rurſus: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Et in Prouerbiis ait Salomon: *Mandatum lucerna eſt, & Lex lux, & via vitæ, &c.* Præterea, peculiariter Lex Moyſi tradebat cognitionem peccati Originalis, ſub quo ſunt omnes; quod Lex Naturæ non adeo oſtendebat: & cognita eſt concupiſcentia vitium eſſe, dicente Paulo: *Concupiſcentiã neſciebam* (ſcilicet, eſſe peccatum) *niſi Lex diceret, Non concupiſces* Atque hoc præſtabat, narrando caſum Adæ primi parentis, & præcipiendo circumciſionem paruulis, & dando Legem humanis viribus impoſſibilem, vt ita ſe infirmum & peccatorem agnoſcere cogeretur, qui iuſtæ Dei Legi non poſſet facere ſatis. Homo autem in Lege Naturæ vt plurimum concupiſcẽtiam putabat eſſe naturalem; quia non poterat non concupiſcere. Mala ergo, & præter naturam eſt concupiſcentia: iubemurque eam opprimere, aut non habere, ſicut nec habere concubinam. Circa peccata vero perſonalia maius lumen attulit Lex Moyſi; quia indicabat in omnibus transgreſſionibus Deum aperte offendi; & ab eo deputari peccantes ad ſupplicium æternum. Et in vtroq; caligabat ratio naturalis, non ita aperte oſtendens in omni delicto Deum offendi, neque propter illud detrudi ad perpetuam gehennam: quanquam aliquid in vtroque ſubodorarentur. Nam propterea quidam Poeta dixit:

Si quoties peccant homines ſua fulmina mittat
Iupiter exiguo tempore inermis erit.

Ad II. dubitationẽ. Quomodo per Legem Moiſis cognitio peccati, cũ Lex Naturæ id ſatis oſtenderet.
I. ratio à Legis triling ui definitione, ſeu denominatione.
Pſalm. 4.
Pſal. 118.
Pſalm. 18.
Prou. 6.
II. ratio.
Rom. 3.
Infra 7.
Exod. 20.
Gen. 3.
Leuit. 12.
Luc. 2.
Legis naturæ defect⁹ in homine
III. ratio.
Alter defectus.
Ouidius.

Expiabant etiam peccata certis ſacrificiis, volentes Deum placare, ac reprimere à debitis ſuppliciis. Conſtituebant præterea inferni barathrum, anguem Ixionis, & ſaxũ Siſyphi, & Iudices Rhadamanthum & Minoa. Sed iſta velut puerorum, & muliercularum terriculamenta deridebant, qui inter eos erant ſapientes, vt Cicero, & Satyricus quidam, qui dicebat:

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna.
Nec pueri credunt, niſi qui nõdum ære lauantur.

Atque ita ſolutum eſt ſecundum dubium. Hinc Theod. egregie dixit: *Lex perfectiorem peccati cognitionem hominibus indidit, & vt ipſũ vehementius accuſaretur, effecit: ad recte autem exercendam virtutem hominibus ſufficere non potuit. Cum ſic oſtendiſſet, Legem eſſe ſolum bonorũ honeſtorumque magiſtram, oſtendit gratia potẽtiam* (*ſcilicet cum ait: Nunc autem ſine Lege iuſtitia Dei, &c.*) Sic Theodoritus.

Quod vero circa primum dictum eſt, illam conſequentiam non valere: Per Legẽ eſt cognitio peccati, ergo non iuſtificatio. Reſpondemus, ſubintelligendam particulam, Tantum, in hunc modum: Per Legem enim tantum cognitio peccati, & virtutis præſtandæ, non autem extinctio, aut abolitio peccati præteriti, aut fuga futuri, nec per illam officii operatio. Et inde aperta primi dubii declaratio detegitur. Si enim tantum Per Legem cognitio peccati, recte colligitur per illã non eſſe iuſtificationem. Verbũ autem Cognitio, Græce dicitur ἐπίγνωσις, id eſt, agnitio: quia, vt eruditi docent, Cognoſcere, eſt intelligentis, agnoſcere vero, grati, & hominis memoria. Siue, Cognoſcimus noua, agnoſcimus vetera. Dicitur ergo per Legẽ agnoſci peccatũ: quia hominẽ prævaricantem ſequitur remorſus conſcientiæ. Et ſicut Adam & Eua, qui poſt peccatum agnouerunt ſe nudos, & Cain poſt peccatũ dixit: *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear;* & Iudas: *Peccaui,* inquit, *tradens ſanguinem iuſtum.* Ita lex Moyſi augens peccatũ faciebat illud agnoſci ſiue recognoſci, non autem tollebat, aut iuſtificabat, quia id ſolus Deus præſtare poterat, de quo ſubdit: *Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt* Lex ergo non iuſtificabat: quia iuſtitia idem eſt quod amicitia cum Deo, & acceptatio ad iuſtitiam, & vitam æternam; quæ ordinem creatæ naturæ excedunt. Eſtque bonum ſupernaturale, quod nec homo integer in Lege Naturæ ſine gratia Dei præſtare poterat: nedum homo lapſus, & filius iræ. ¶ *Nunc autem ſine Lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt.* Hacten⁹ in tota epiſtola viã muniuit ad principalem ſententiam, iuſtitiam Dei ſcilicet eſſe ea fide, in qua ſtatus hu⁹ di-

III. defectus in ſacrificiis.
Cic. Tuſ. 1. ſub init.
Iuuen. ſat. 2.
B. Theodoret. in præſentem Apoſtoli locum par. 2. init.
Illatio illa: Per Legem eſt cognitio peccati ergo non iuſtificatio quomodo conſtet.
Cognoſcere, & agnoſcere quid differant ſecundum Grammaticos.
Cur per Legem habeatur cognitio peccati
Gen. 3.
Infra 4.
Matt. 27.
Rom. 7.
Dei ſolius proprium auferre peccata.
Quale donum Dei ſit iuſtificatio.
Ephеſ. 2.

ſputationis ſitus eſt, & ad quam tãquam ad caput, omnia argumenta referuntur. Atq; hanc iuſtitiam dupliciter comparat ad Legem. Primo quidem, quoniam vt Lex ante Chriſtum incarnatum non iuſtificabat, ita nunc poſt Chriſtum abſque Lege eſt manifeſtata per ipſum, & eius miniſtros. Deinde ait, quod teſtificata eſt à Lege & Propheris Ait ergo: *Nunc autem*: Id eſt, tempore gratiæ & Chriſti, cognito iam peccati morbo ab ægroto medicum implorante, & medicinam deſiderante. Nam quamdiu infans fuit mundus, nec poterat ſumere medicinam non debuit eam recipere, ſed per legẽ debuit agnoſcere infirmitatem ſuam, & fieri docibilis Chriſto venienti, & iam manifeſtato, qui olim fuit abſconditus filiis hominum, id eſt inferioribus, ſeu minoribus: maiores enim eam medicinam pro infantibus ſumebant, in Chriſtum explicite credendo Nam fides implicita hæc duo difficillime inuoluit, Trinitatem, & Incarnationem cum morte Chriſti. Et aduerbiũ illud, *Nũc*, noui Teſtamenti ſolet eſſe ſymbolum apud Paulum, vbi ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. Et c. 7. huius epiſtolæ: *Si autem quod nolo, illud facio; conſentio Legi Dei quoniam bona eſt. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum*. Et c. 8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu* Rurſus cap. 13. *Nunc autem propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus*. Et nomen iuſtitiæ dupliciter accipi poteſt, vt primo capite annotauimus: aut pro ipſo Chriſto, qui ſicut eſt virtus, & ſapientia, & ſanctificatio noſtra, ita etiam iuſtitia noſtra vt teſtantur Ieremias, & Daniel, & per eum vnum iuſti & grati efficimur Deo, iuxta illud. *Gratificauit nos in dilecto Filio ſuo*; Imo efficimur, vt ait Apoſtolus iuſtitia Dei in ipſo Hic ergo Chriſtus, qui olim erat in Lege velatus, & paucis notus, reuelatus eſt omnibus, imo toti mundo, & à ſeipſo doctrina, ſignis, vita, & morte, reſurrectione, & aſcenſione, & ab Apoſtolis, & ab Spiritu ſancto per fidem in cordibus hominum detectus. Et hoc ſine Lege: quia in ipſa Chriſti manifeſtatione ceſſauit Lex Moyſis, ita vt amplius nõ conferat, vel ad ipſam agnoſcẽdam, vel acceptãdam, vel aſſequẽdam iuſtitiã, cũ per illum fuerit euacuata. Lex enim, & Prophetæ, vſque ad Ioannẽ, hoc eſt, Donec veniret Semen promiſſum, qui eſt Chriſtus. Hæc tamen iuſtitia, qui Chriſtus eſt, teſtificata eſt à Lege, & Propheris. Nam de Chriſto locutus eſt Moyſes, & Dominus; *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi; de me enim ille ſcripſit*. Facto etiam non iuſtificandi mittebat homines ad Chriſtum, cui omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Alter ſenſus eſt: vt iuſtitia accipiatur pro dono Dei, quo hominem induit, & coram ſe iuſtum reddit: quemadmodum fides Chriſti proprie non eſt Chriſtus, ſed fides, quia credimus Chriſto, & qua merito Chriſti à Deo donamur, Et quanquam in idem hic, & prior ſenſus redeat; ſuauior tamen eſt ipſe ſecundus, quia ſubdit: *Iuſtitia autem Dei per fidẽ Ieſu Chriſti*; & quia adiungit: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Vbi Chriſtus diſtinguitur à iuſtitia per hoc, quod ipſe illam promeruit vt mediator, & per eam nos coram Deo induit. Et de hac iuſtitia refert quod ſit teſtificata à Lege, & Propheris: à Lege quidem, cum ait: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*. A Propheris vero, tum ab vno eorum dicitur: *Qui crediderit in eum, non confundetur*, & ab altero: *Iuſtus in fide ſua viuet* Hunc ſenſum confirmamus ſententia Auguſtini, grauiſſimi Patris, cuius hæc ſunt verba libr. de ſpiritu, & litera: *Iuſtitia*, inquit *Dei manifeſtata eſt: non dixit: iuſtitia hominis, vel iuſtitia propriæ voluntatis, ſed iuſtitia Dei, non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem, cum iuſtificat impium. Hæc teſtificatur per legem, & Prophetas: Huic quippe teſtimonium perhibent lex, & Prophetæ. Lex quidem hoc ipſo, quod iubendo, & minando, & neminem iuſtificando ſatis indicat dono Dei iuſtificari hominem per adiutorium Spiritus. Prophetæ autem, quia id quod prædixerũt, Chriſti impleuit aduentus. Nã hinc ſequitur & adiungit, dicens: Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti, hoc eſt per fidem, qua creditur in Chriſtum. Sicut autem iſta fides Chriſti dicta eſt, non qua credit Chriſtus ſic & illa iuſtitia Dei, non qua iuſtus eſt Deus: vtrumque enim noſtrum eſt; ſed ideo Dei, & Chriſti dicitur, quod eius nobis largitate donatur*. Et explicans quomodo iuſtitia Dei ſine lege manifeſtata, teſtificata tamen eſt à lege, & Propheris, immediate ſubiunxit: *Iuſtitia ergo Dei ſine lege, non ſine lege manifeſtata eſt. Quomodo enim per legem teſtificata, ſi ſine lege manifeſtata? Sed iuſtitia Dei ſine lege eſt quam Deus per ſpiritum gratiæ credenti confert ſine adiutorio legis, hoc eſt nõ adiutus à lege. Quandoquidem per legem oſtendit homini infirmitatem ſuam, vt ad eius miſericordiam per fidem confugiens, ſanetur*. Hæc Auguſtinus. Ex his apparet tertia dubitatio reſoluta. Siquidem iuſtitia, qua coram Deo iuſtificamur, ſine lege erat: quia nulla parte legis conſtabat Manifeſtata etiã fuit ſine lege quia in ipſa Chriſti manifeſtatione lex ceſſaſſet dignoſcitur; non tamen ſine legis, & prophetarũ teſtimonio fuit. Et de his hactenus.

Fidei iuſtitiam duobus modis Paulus cum Lege componit.

Cur modo & non prius, ſcilicet ante, & poſt Legẽ Moyſis, iuſtitia Dei fuerit manifeſtata
Epheſ. 3.

Quorum in Lege, tũ naturæ, tum Moyſi fuerit fides explicita.
Aduerbiũ Nunc, in Paulo, Noui ſtatum denotat Teſtamenti.
2 Cor. 6.
Rom. 7.
Infra 8.
Infra 13.
Iuſtitia Dei quid. I. ſenſus.
Lib. 1.
1. Cor. 1.
Ierem 23.
Epheſ. 1.
2. Cor. 5.

Quomodo Chriſtus mundo innotuerit, & cur ſine Lege.
Quid illud Lex & Prophetæ, vſque ad Ioannem.
Luc. 16.
Gal. 3.
Ibid.
Gen. 12.

Ioan. 5.
Act. 10.
II. ſenſus, & quidem accommodatior.
Dei iuſtitia quomodo teſtificata ſit à Lege, & Prophetis.
Gen. 15.
Eſa. 29.
Rom. 10.
1. Pet. 2.
Habac. 2.
Rom. 1.
Gal. 3.
Heb. 10.
Aug. l. de ſpir. & lit. c. 9. in prin. to. 3. circa ſ.
Rom 4.
Idem ibid.
Ad III. dubitationẽ. Si ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, quomodo manifeſtata dicitur à lege & Prophetis.

DISPVTATIO XXVI

In illa verba: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.*

I. dubium.

LAborandum est, vt in his paucis verbis bono Lectori paucos eximamus scrupulos. Primus est: Dicit Apostolus, Iustitiã Dei esse per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, & non ex operibus: quæ si vera sunt, nulla ergo alia dispositio ad iustificationem exigitur præter fidem; quod tamen falsum esse constat: quia opus est timore, pœnitentia, & voto Sacramenti, &c.

II. Secundus est: Si fides est in omnes, & super omnes, qui iustificantur gratis per gratiam ipsius, quomodo omnes nõ sunt iusti? Tertius quomodo qui peccarunt, egent gloria Dei; & quæ est ista gloria Dei.

III.

Paulini textus consequentia.

Sed hæ dubitationes in expositione textus facile euacuabuntur: nunc vero ante omnia explicanda est connexionis ratio. Nam cum superius negauerit, iustitiã Dei accipi posse per opera legis, nũc aperit qua via, & ratione haberi possit, nimirũ per fidẽ & simul etiam interpretatur illud 1. capit. dictum: *Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.* Et paulo ante: *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est.* Et adiungit: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, &c.* In primis igitur si Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & Christus dedit semetipsum redemptionem pro omnibus: & alio loco Apostolus, *Per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ.* Et hic dicitur, *iustitiam in omnes, & super omnes qui credunt in eum*: Cur non ergo omnes iustificantur à Deo? Respõsio est: Deũ quidem, quod ad se attinet, omnium Deum esse, & omnium promouere salutem, & omnes ad fidem accipiendam iuuare, vt credentes, & iusti, & salui fiant; cæterum non omniũ est fides, vt ipse Apostolus tradit, quia ad illam accipiẽdam à Deo minime se præparant. Nec enim Dominus quenquam inuitum ad credendum cogit; hinc fit, vt vitio suo homines multi non credant, quia tamen Dei beneficio, si non resisterent Spiritui vocanti crederent. Alterum dubium erat, an sola fides esset idonea: & efficax dispositio ad iustificationem, an vero præter illam aliæ quoq; dispositiones exigantur. Respondeo, reuera multa alia requiri præter fidem. Nam qui sine timore Domini est, non poterit iustificari. Pœnitentia etiam est necessaria: quia Dominus dicebat, *Pœnitemini, & credite Euangelio.* Est etiam Sacramenti necessaria susceptio, vt quis iustus reddatur, siue baptismi, siue pœnitentiæ actum, siue voto. Vnde dictum est: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Denique adferre oportet votum nouæ vitæ, & obedientiæ diuinæ legis. Hos autẽ motus, & similes omnes, fides præcedens excitat; & per fidem valent vt imputentur homini ad iustitiam: siquidem siue hac nequaquam valerent ad iustitiam obtinendam. Et ita accipienda est fides cũ aliis omnibus bonis motibus, quos in pectore peccatoris gignere solet, siue erga Deum, & mediatorem, erga quem fide, & fiducia erigimur; siue contra peccatum pœnitẽtia, & detestatione; siue in futurum, concipiendo spem nouæ vitæ, & votum parendi mandatis Dei, præsertim vero suscipiendi Sacramenta ad salutem necessaria. Hæc autem omnia cum à fide proficiscantur, & excitentur, recte fides appellari possunt. Et in hoc sensu admitti posset illa locutio, quod per solam fidem iustificamur, id est, ad iustitiam accipiendam, quæ gratia, siue charitas est, idonee, & efficaciter disponimur: non quidem, vt iusti esse possimus per fidem, quæ viua non est; sed quod per has velut dispositiones ad ipsam iustitiam, siue charitatem perueniamus. Sũt enim permulti Scripturæ loci, quibus ad fidem concipiendam, qua iusti efficiamur, inuitamur: vt *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator fit.* ¶ Rationes etiam idem demonstrant. Quia enim omne quod non est ex fide, peccatum est; idcirco omne, quod ex fide proficiscitur, ad iustitiam disponit. Adhæc cum Deus sit nostræ iustitiæ autor per Christum crucifixum; primum obsequium nostrum, quod illi præstare possumus, est illi reuelanti, & gratiam suam pollicenti fidem habere. Nec aliter Christus Deus, & homo, & mundi per crucem iustificator apprehendi potest, quam fide. Quemadmodum & fideiussor cum pro debitore pendit creditori, necessum est ratam haberi solutionem à debitore, vt sibi applicetur, & ipse debito absoluatur; & fideiussori deinceps pro beneficio gratias agat, atque illi se addictum, & obnoxium agnoscat. Ita sane Christus non ante nobis sui sanguinis beneficium imputat, quam per fidem credamus eũ nostrum liberatorem, & cui vicissim nos agnoscamus addictos, vtpote seruos suo sãguine redẽptos. Adde, quod ipsa iustitia & Sacramentum nonnisi si ergo dicuntur à

Margin notes (left): Rom. 1 / Infra 3. / 1. Tim. 2. / Ibid. 6. / Tit. 3. / Rom. 5. / II. dubii dissolutio. / Iesu Christi iustitia si in omnes est, & super omnes, cur omnes iusti non sint / 2. Thess. 2. & Ephes. 2 / I. solutio. / Eccl. 1.

Margin notes (right): Mar. 1. / Ioan. 3. / Marc. vlt. / Huiusmodi dispositiones vnde nam prodeant. / Quomodo verum sit nos per fidem solã iustificari. / Gen. 15. / Marc. vlt. / Heb. 11. / Idem rationibus ostẽditur. / Rom. 14. / Christum tantum credentibus sanguinis sui pretiũ applicare quo fiat exemplo perspicuum.

nobis

nobis. Demum, quia finis promissæ iustitiæ ad quem destinati sumus, omnem nostram facultatem humanam excedit, & ad eum ignorantiam intendere, vel referre actiones nostras non possemus: Idcireo tantű lumen fidei necessarium fuit, quo talem finē ostenderet, & spem nostram erigeret, & in laborum patientia nos sustentaret. Est enim fides, vt descripsit Paulus, substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium. Fides igitur, quod ad essentiã eius attinet, assensus intellectus nostri est, percipientis à Deo per se. vel per Ecclesiam reuelata, vel promissa. Neque accipitur in hac disputatione pro fiducia, etiamsi fides illam gignere soleat. Nec enim ex fiducia fides, sed ex fide fiducia oritur. ¶Quod ad originem fidei attinet, fides à Deo est, qui est primus, qui per se instruit, & docet interius vel per Angelum, vel per Doctorem catechizantem exterius. Nostra etiam origine quoniam homo cum Deo suæ saluti cooperatur, & primus actus iustificationis nostræ est fides. Vnde Augustinus lib. Retract. pulchre ait: *Credere & operari, vtrumque nostrum est propter Arbitrium voluntatis: & vtrumque tamen datum est per Spiritum fidei, & charitatis.* Hæc ille. Quod ad subiectum vero, fides in adultis actus est, quo iustificamur, & per eum postea assequimur habitum fidei: secus est de infantibus, qui prius habitum fidei suscipiunt, quam actum.

Heb.11.
Fidei definitio eadē à fiducia quid differat.
Eiusdem origo.
August. l. 1. Retract. c. 23. circa med. & alibi to. 1. in princ.

His igitur de fide explicatis, asserimus, fidem esse, quæ prima apprehendit iustitiam quia in charitatem, & viuam iustitiam terminatur. Fides siquidem dicitur remissionem peccatorum accipere Actor. 10. & 26. Apprehendere iustitiam. Rom. 10. Accipere pollicitationem Spiritus. Si igitur fides haberet iam iustitiam, aut remissionem peccatorum, aut renouationem Spiritus habitantis, iam apprehenderet fides id, quod habebat. Adhæc Apostolus ait, fidem imputari ad iustitiam credenti fides igitur nondum habebat iustitiam, quia non imputaretur ex gratia, sed ex debito. Ait præterea; *Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, &c.* non esset autem amplius impius, si vine per charitatem crederet. Et ad Gal. 3. *Hoc solum à vobis volo discere, ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Et ad Roman. 9. de Israele sectante legem iustitiæ, qui tamē in legem iustitiæ non peruenit? subiungit; *Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus*: & rursus cap. 10. de Iudæis ignorantibus iustitiam Dei, & suam quærentibus statuere, tradit illos iustitiæ Dei non esse subiectos. ¶Ex quibus locis deduco, auditum fidei, siue fidem apprehendere iustitiam, per quam iusti non efficimur, sed sumus: sicut efficimur per fidem, qui nondum sumus. Atque hūc sensum tradit Augustinus lib. de Spiritu & litera. De natura & gratia, & libro de prædestinatione Sanctorum: *Ex fide autem & ideo dicit Iustificari hominem, non ex operibus: quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus iuste viuitur.* Hæc ille eleganter, & acute. Nã quemadmodum apud Ezechielem de agēte pœnitentiam dicitur. *Ipse animam suam viuificabit* (scilicet per fidem, & pœnitentiam) & apud eundem, *Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum*: quod non est intelligendum efficienter, quia solius Dei est id efficere, cui dicimus: *Cor mundum crea in me Deus; & spiritum rectum innoua in visceribus meis*: Neque rursus merito vllo, quod ex viribus humanis proficiscatur, cum tale meritum Iustis tantum Christus contulerit: neque rursus formaliter, quia fides, & pœnitentia non sunt ipsa iustitia, sed gratia, siue charitas. Superest igitur, vt intelligamus, per viã efficacis, & sufficientis dispositionis. Præparat enim se peccator ad vitam, & cor nouum per pœnitentiam, & bonos fidei motus. Ita omnino sentiendum de fide, quæ ex parte nostra efficax est dispositio, & idonea, cui vni datur iustitia, & salus. Ideo sæpe Dominus dicebat: Fides tua te saluum, vel saluam fecit. Cuius sententiæ sensum explicauit nobis Paulus hac sua tam longa disputatione de articulo Iustificationis.

Fidem siue Fidei auditum tantū apprehendere iustitiam, ex Scripturis abunde colligitur.
Act 10.
Infra 26.
Gal. 3.
Rom. 4.
Ibidem. 5.
Gal. 3.
Rom. 9.
Quomodo fides & iustitia distinguãtur.
Aug li De Spir. & lit. c. 9.
Idem de Nat. & gr. c. 11 & infra to. 7. Idem l De prædest Sanctor. c. 7. tom. eod. 10. circa fin.
Ezech. 18.
Ibidem.
Psal. 50.
Verus atque legitimus assignatur.
Marc. 10.
Matth. 9.
Luc. 7.
Infra 17.

Non ignoro quædam esse, quæ supersūt declaranda subtilia quidem: sed alio locò commodius infra dicentur. Sequitur in textu: *In omnes, & super omnes qui credunt in eum* Quidam interpretantur: In omnes, Iudæos quibus promissus fuit Christus: & super omnes Gentiles, quibus ex mera Dei misericordia Christus, & eius iustitia communicata sunt. Melius tamen interpretabimur, si dicamus: In omnes homines, siue Iudæos, siue Gentiles: nam omnibus offertur Christus, & hoc quod attinet ad sufficientiam. Et super oēs, intelligit eos, quib. solis cum efficientia obuenit: qui dicuntur in cū credere. Vnde subdit: *Non est enim distinctio*, videlicet Iudæi, & Græci, sicut olim erat quantum ad legem, quæ sola erat Iudæorű. Nunc autem sicut communis fuit morbus communis debet esse medicina. Et assignãs caussam, ait: *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.* Omnes peccasse dicuntur in Adam; quod apparet in aliis personalibus delictis tanquam fructibus primi peccati nec vllus est, qui possit sibi gloriam arro-

Quid illud Iustitia Dei in omnes & super omnes qui credunt in eum.
I. sensus.
Alter magis accommodatus.
Rom. 5.
Quomodo verum omnes in Adam peccasse.

gare.

III dubii ſolutio.

gare. Et intelligere omnes peccaſſe, quantum eſt ex ſe ipſis, & eorum natura: alioqui multi iam erant in cœlo, nec egebant gloria Dei. Pro quibus Græce habetur ὑστεροῦνται quod verbum quidam vertunt, destituuntur: quidam, priuantur, ſiue carent. Et ſi verbum, Egent, id eſt, alienantur, ſiue priuantur, non male habeat: quia deſtituti dicuntur gratia damnati, ad quam non poſſunt peruenire; Deus autem h e neminem ex ſe deſtituit.

Exemplū.

Et ciuitas obſeſſa, quæ intra mœnia non habet præſidium ſuffic ens, caret quidem, & vacua eſt præſidio; ſi tamen in proximo ſit, qui ſuppetias ferat, deſtituta non dicitur: deſtitutio enim omnimodam derelictionem denotat. Multi item modo carent gratia, ſed non deſtituuntur, cum Deus ſtet ad oſtium, & pulſet.

Apoc. 3. Quid gloria Dei: I. ſenſus.

¶ Deinde nomen gloriæ fere vniuerſi codices Græci, & Lat ni habent, & ita legunt Origenes, Ambroſius, Cyrillus, & reliqui. Quidam tamē ex Patribus interdum legerunt, grat a, vt Chromatius in Diſſertatione in cap. 5. & 6. Matthæi, & Hieronymus lib. 6. in Eſaiam prope finem, apud quos non eſt error textus illorum, quod poſitum ſit gratia, pro gloria: quia alioqui citatio illorum non eſſet ad propoſitum. ſicut & Auguſtinus lib. 1. De peccato. merit. & remiſſ. cap. 27. ante dimidium. Verum iſti patres magis pro duxerunt ſenſum Apoſtoli, quam verba. Vnde plerique gloriam interpretātur pro gratia: quæ per metonymiam dicitur gloria, quia facit vt à nobis De° glorificetur. H nc Sedulius: *Gloria Dei, inquit, id eſt gratia.* Et Gloſſa ordin. *Gloria, inquit, id eſt indulgentia & venia peccatorum*: per quam Deus exaltatur, vt tradunt Ambroſius, & Auguſtinus

Orig. li. 3. à med. to. 5. Ambr. to 3 Cyril li. 1. De recta fide, in Annotatio. ep. ad Rom. to. 3. Chromat. Hier. to. 5. Aug. to. 7. circa med. Sedul. in hunc locū. Gloſ. Ordi. ibid. Ambroſius Auguſtin.

II ſenſus. *Cyril loco citato.*

Deinde ſecundum Cyrillum lib. De recta fide, per gloriam intelligitur Christus, qui eſt gloria Patris, & medicus noſter, de quo ſubditur *iuſtificati gratis per gratiam ipſius.*

III. ſenſus. *Ioan 5. Rom 4. Theophyl. in hunc locum Chryſoſt. ibid ſer 7.*

Tertio, poteſt accipi pro gloria Dei activa, quæ à ſolo Deo eſt, de qua: *Gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis* & contra de iuſtitia humana dicitur quod habet gloriam Abraham, ſed non apud Deum: & hic eſt ſenſus Theophylacti, & Chryſoſtomi: vt gloria Dei ſit illa quam pro vita iuſte acta Deus reponit. Denique vt vno verbo totam rem abſoluam omnes hi ſenſus, eodem videntur recidere, id eſt in gratiam Chriſti, quæ gloria quædā inchoata eſt, ſicut gloria, gratia conſummata. Et ita tertium dubium ſolutum.

DISPVTATIO XXVII.

In illa verba: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem, per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, &c.*

Quæſtio I.

IN His verbis primum circa literam dubitatur, vtrum legendum ſit, Iuſtificati, an iuſtificantur, de præſenti, an de præterito

II.

Deinde quomodo indigent gloria Dei, ſi iuſtificati gratia ſunt; nam in ſpe ſaltem illā gloriam ſunt aſſecuti.

III.

Tertio, quomodo gratis per gratiam ipſius, ſi tanta requirit in præparatione noſtra ad accipiendam gratiam. Voces item illæ duæ, *Gratis, & per gratiam*, idem ſignificare videntur: altera ergo illatum ſuperfluere videtur.

IV.

Quarto, cur Deus per Filii ſui mortem hominem redimere voluerit, cum poſſet vno verbo liberare? Et illud redemptionis pretium cui datum eſt, Deo, an diabolo? nam id à quibuſdam dubitatum eſt. Et quid amplius per aduentum Chriſti fideles aſſecuti ſunt contra diabolum, cum perinde modo atque prius nos tentare videatur? Quæ omnia breuiter ſunt in explanatione textus expedienda.

Ordo contextus.

Cum igitur Apoſtolus iuſtitiam per fidem accipi docuiſſet communiter, & ex æquo ab omnibus, & reddidiſſet cauſam: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei; ſubiungit, quomodo Deus, aut Chriſtus, aut fides, aut gratia ad hanc concurrāt iuſtificationem.

Reſpondetur 1. quæſt.

Quod ergo ait, *Iuſtificati gratis*, Græca habent δικαιούμενοι δωρεὰν, id eſt, Iuſtificantur gratis, de præſenti, vt etiam ex Patribus veteribus quidam legunt, vt Cyprianus li. in Iudæos, & noui interpretes.

B. Cypr. l. 2. in Iudaeos, c. 26.

Eſtq; phraſis Hebræa, qua participia præteriti temporis accipiuntur pro Indicatiuo præſentis.

Hebraiſm.

Supplendum aūt eſt ex Græcis ſcholiis, & ex ratione contextus ſuperioris pronomen *Omnes*, in hunc modum: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: Iuſtificantur autem gratis.*

Omnes eguiſſe gloria Dei, vt etiam iuſtificatione, quomodo verum ſit:

Et declarat quæ ſit illa gloria, de qua dixerat: *Peccatores egent gloria Dei*, quam aſſerit ad nos venire per gratuitam iuſtificationem. Et obſerua, quod vt omnes ex ſe egebant gloria Dei, non quidē ipſo facto, cū multi eſſent iā in cœlo beati, ſed quātum erat in merito ſecūdum ſtatū peccati: ita omnes iuſtificantur, intellige, in merito Chriſti, ex quo habent poteſtatem aſſequendæ iuſtitiæ gratis, & abſque vllis operum ipſorū meritis. Non enim facto ipſo sūt iuſtificati in ſeipſis, ſed in meritis Chriſti, & redē-

Ad II. dub.

p ione eius. Deinde obserua loquendi modum: *Egent gloria Dei: Iustificantur gratis*, non esse dissimilem illi: Indiget sanitate medicina purgatus, id est per medicinam, quæ purgandi vim habet: ita indiget gloria gratis iustificatus, id est, per gratiam, quæ vim habet iustificandi. Adhæc obserua, gratis nobis obuenire iustitiam, non omnino respectu Christi, qui pro nobis meruit reconciliationem, & redemptionem, vt subdit, sed respectu nostri gratis, id est per gratuitum, & indebitum donum; id enim significat aduerbium Græcum δωρεὰν: Quia cum impii essent, in hanc venerunt gratiam sine operibus. ¶ Quod vero Hæretici nostri seculi interpretantur, Gratis, id est Per fidem solam, sine aliis præparationibus præcedentibus, comitantibus, & consequentibus, vt exponit Melanchthon in locis communib. vtrumque falsum est. Nec enim gratis, significat fidem, aut fides idem est quod gratis, cũ diuersæ sint voces, & diuersi significat': & vtrumque hic apponitur tanquam distinctum. Et c. 4. Ideo ex fide; vt secundum gratiam firma sit promissio. Sequitur ergo gratis, & gratia ad fidem, etiamsi non sint idem. Et Ephes. 2. *Gratia estis saluati per fidem* Quod si gratis, & per fidem, esset idem; mera esset nugatio: Gratis estis saluati per gratiam. Et quanquam gratis aliquãdo accipiatur pro eo quod est frustra, vel sine caussa, iuxta illud: *Odio habuerunt me gratis*: &, *Si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est*: proprie tamen Latine gratis fieri dicitur, quod absque pretio, vel debito, vel merito alterius fit, etiamsi qui facit, iubeatur facere. Vt, Sacerdos gratis sacrificat, gratis verbum Dei docet gratis administrat Sacramẽta, etsi ad hoc faciendum lege teneatur iuxta illud: *Gratis accepistis gratis date* Hinc ergo aliquid dicitur fieri gratis, quando is, in cuius gratiam fit, indignus est munere quod accepit, vel dignum pretium non obtulit: qua ratione iustificari gratis, est Iustum fieri à Deo sine vllo debito suo, vel pretio nostro sibi exhibito. Quod sententia Augustini confirmatur libro Hypognosticon: *Audi gratis*, inquit, *& tace de meritis*. Et in Psalm. 30, super id: *In tua iustitia libera me*: *Quis est*, inquit, *qui saluatur gratis? In quo non inuenit Saluator quod coronet, sed quod damnet non inuenit merita bonorũ, sed inuenit merita suppliciorum*. Alterum etiam falsum est: nam præter fidem opus est timore, pœnitentia, fiducia, Sacramento, vel nouæ vitæ voto. Et si gratis, omnia opera excluderet, etiam ipsũ fidei motum, qui opus est, excluderet. Quare in his disputationibus de Iustificatione Gratis non excludit vel fidem, vel alias dispositiones, quæ à fide oriuntur, sed tantũ excludit tum à fide, tum à reliquis præparationibus operum merita. Quod aperte euincitur ex Pauli verbis: *Si gratia*, inquit, *iã non ex operibus*, id est ex meritis: nec enim gratia opponitur operi, sed merito. Et iterum: *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit*. Et Aug. lib. de spiritu & litera: *Gratis, id est, nullis suorum operum præcedentibus meritis: alioquin gratia, non est gratia* Et hæc fuit legitima, & catholica Concilii Tridentini huius aduerbii *Gratis* expositio. Additur in textu: *Per gratiam ipsius*. Quidam volunt hoc fuisse adiectũ ad maiorẽ emphasim, & asseueratiorẽ, vt illud; Nõ sic impii, non sic; ita, gratis, & per gratiam. Alii vero ita distinguunt: Iustificamur gratis, id est sine vllis meritis; & per gratiam ipsius, id est per gratuitam Dei misericordiam, & benignitatẽ, quæ primaria est nostræ iustificationis caussa; non per legem, aut per propriam voluntatem, quamuis non sine eius assensu. Tertia explicatio huius vocis, quæ mihi cæteris probabilior videtur, est: Per gratiam, id est, per gratuitum Spiritus sancti donum, quo à Deo donamur, & iusti iam sumus, nõ efficimur: sicut per fidem efficimur non sumus. Atque hoc donũ aut charitas est, aut gratia, quæ dicitur in nobis esse, & nobiscũ manere, & laborare: quæ Græce dicitur χάρις: *Gratia Dei*, inquit Apostolus, *sum id quod sum. & gratia eius in me vacua non fuit sed abũdantius illis omnibus laboraui non ego autem. sed gratia Dei, mecum*. Et. *Ad iuuantes exhortamur, ne in vacuam gratiam Dei recipiatis*. Est ergo necessario confitendum, donum esse infusum diuinum, quod apprehendens fides, per illud sumus; siue, vt ait Dilectus filii Dei nominamur, & sumus, & de quo Concilium Tridentinum apte definiuit: *Si quis dixerit, gratiam qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei anathema sit*. Est enim donum habitus diuini nobis infusum, & Christi merito partum, vt per illud Christum ipsum apprehendamus, & pro ratione illius magis, aut minus iusti simus coram Deo. Ita vt proprie sit caussa formalis iustificationis. Ita dicimur in illa gratificari in Dilecto filio suo: Iustificari gratis, & gratia saluari: quæ omnia ostendunt non tantum esse fauorem aliquem Dei mouentis, sed diuinum, vt dixi donum cordi infusum per Spiritum sanctum. Sequitur: *Per redemptionem quæ est in Christo Iesu*. Vniuersæ viæ Domini, misericordia, & veritas in omnibus eius operibus splendent: sicut ergo cumulatissima Dei gratia fuit dare nobis Christum reconciliatorem; ita non sine summa iustitia ille nos

sibi

Quid sit gratis iustificari.

Melanchthon.

Rom. 4.

Ephes. 2.

Verbum Gratis quid improprie significet, quid proprie.

Ioan. 15.
Psal 34.
Gal 2.

Mat. 10.
August l 6 Hypogn. ante med. to. 7 in fi
Idem concio. 1. ante med. to. 8. in princ.

Impugnatur & ille sensus Melanchthonis: Gratis id est sine vllis omnino aliis dispositionibus.

Rom. 11.

Tit. 3.

August. li. de spir. & lit. c. 10. tom. 10. 3. procul à comedio.
Rom. 11.
Trid synod ses 6. c. 8.
Ps. 1.

Ad III. dubium.

Si gratis per gratiã Dei iustificamur, cur fides à nobis, & alia requiruntur.

1. Cor. 15.
2. Cor. 6.

Hanc iustitiam non esse tantũ Dei fauorẽ vt Hæretici nugantur.

1 Ioan. 3.
Concil. Trid ses 6. can. 11.

Quibus verbis Paulus idipsũ insinuet.

Ephes. 1.
Rom 5.
Ephes 2,

Rom. 5.
Ps. 24.

Philip. 2.

Hæc redẽptio, quid secundum Origenem

sibi reconciliauit. Nam cum Christus Deus esset, & infinite Patri gratus, per mortem eamque acerbissimam quam pertulit omnia nostra debita Patri etiam supra iustum pendit. Est enim hæc redemptio, quæ Græce ἀπολύτρωσις dicitur, nihil aliud teste Origene, quam pretium, quod solet hostibus pro liberatione captiuorum numerari. Ad eum modum Dominus semetipsum pro nobis redemptionem dedit, quo nos redimeret à captiuitate peccati (nam qui peccatum facit, seruus est peccati) & à tyrannide dæmonis quia à quo quis superatus est, eius & seruus est; & à dominio Dei, quo vt iusto iudici tanquam serui male meriti, & obnoxii ad dandas pœnas tenebamur, de quo Ieremias dixit: *Quia pactum meum irritum fecerũt, ego dominatus sum eorum, dicit Dominus.* Liberauit etiam à timore mortis, quæ regnauit Adam vsque ad Moysen; & à concupiscentiæ seruitute, ne in futurum amplius peccatum nobis dominetur: non enim sumus sub lege, sed sub gratia. Et hoc iuste mortem suam Patri offerẽdo. Nam cum peccatum ausum esset ius accipere, & petere ipsum Christum; merito ius omne, quod habebat super nocentes, ipsa iustitia poscente amisit. Cum etiam mors ausa est in Christum insurgere, & per eam defecit ipsa vita, & mortua est pro nobis: vt hũc ausũ mortis vindicaret, merito imperium perdidit, quod iure in nos habebat. Et ita ille satisfecit & morti & peccato. Satisfecit & ille sanguis effusus diabolo quia illum iniuste sitiit, & per sua organa effudit. Meruit ergo iuste prædam perdere quam habebat. Sed maxime ille sanguis Patri satisfecit, quem Filius ex obedientia in eius gloriam fudit; vt hac sua obedientia inobedientiæ in nobis crimen, & reatũ, quem in patre nostro Adã cõtraxim⁹ dimitteret. ¶ Non pugnant igitur, Redemptio, & Gratis; & Per gratiam, & Per plenã satisfactionem. ¶ Rursus, etsi essent alii modi liberandi hominẽ, hic tamẽ fuit perfectissimus: quia Christus pretium persoluendo tanti sanguinis ostendit quanta, & quam seuera esset Dei iustitia. Simul etiam patefacta est immensitas Diuinæ bonitatis, & amoris aduersus hominem, quem tantopere deamauit, & tanto pretio dignum æstimauit, vt & ipse tanto pretio redemptus seipsum propter Deum magno in pretio habeat, neque interim facile se à diabolo seduci permittat.

Orig. in 3. c. epist. ad Rõ. à med. Tit. 2. Ioan. 8. 2. Petr. 2.

Ierem. 31. Heb. 2. Rom. 5.

Infra 6.

Quam recte Christ⁹ peccatum ac mortem suo imperio, ac dominio spoliauerit.

Idem Christus quomodo diabolo, & patri suo fecerit satis.

Gen. 3. Rom. 5. Colos. 2.

Ad IV. dubium. Cur Deus hominem per Filii sui mortem, cum aliter posset, seruare decreuerit.

Porro pretium hoc Deo datum est, cui debitum erat, & cui nos vt serui adducti eramus: nõ diabolo, qui custos tantum carceris erat: nullaque proinde à nobis iniuria illi facta erat, sed potius ipse homini iniurius extiterat hominem seducendo, & ad peccatum alliciendo. Quod recte explicauit Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Pascha, dicens; *Ecce enim sanguis ille pro nobis exhaustus, & quam ob caussam fusus est, ille inquam magnus & nobilis sanguis Christi & Pontificis, & sacrificij? Nos enim à diabolo detinebamur, vtpote qui venundati essemus sub peccato, ac vitiũ cum voluptate cõmutassemus. Quod si redemptionis pretiũ nõ cuiquam alij quam detinenti persoluitur: quæro, cui tãdem oblatum est, & quam ob caussam? Si diabolo; ô indignam contumeliam, si non à Deo solũ, sed Deum quoque ipsum pro redẽptionis pretio latro accipit, adeoque insigne, & excellens tyrannidis suæ præmium, cuius caussa nobis quoque parci æquum erat. Si autem Patri, primũ quomodo id factum est? nec enim ab ipso tenebamur. Deinde quæ ratio adferri potest, vt vnigeniti sanguine Pater oblectetur, qui nec Isaac quidẽ à Patre oblatum acceperit, sed ariete in rationalis victimæ locum substituto sacrificiũ permutarit. Perspicuum vtique est, Patrem quidem pretium accepisse, nõ tamen quod petierit, aut eo opus habuerit, verum quia Diuina dispensatio ita ferebat & quia per Humanitatem à Deo assumptam hominum sanctitatem afferri oportebat; atque vt tyranno per vim superato nos liberaret, ad seque intermedia Filij opera reduceret, hoc ad Patris honorem cui in omnibus rebus perspicue cedit, dispẽsante.* Hæc ille elegantissime.

Gen. 3. Greg. Naz. Rom. 7.

Quibus proprie pretium redẽptionis debeatur.

Luc. 23. Gen. 22.

Quod vero vltimo dubitatũ fuit, Quid nos vtilitatis ex morte Christi consecuti simus cõtra dæmonem, cum perinde modo tentet, atque prius? Dicendum est: multum per omnem modum. Tum quia non potest tantũ præualere, quantum prius. Tũ quia vires resistẽdi homini datæ sunt: & quo homo fortior ad resistendum, eo dæmon debilior ad impugnandum.

Si à dæmonis per Christũ sumus dominio liberati quid adhuc ille nos tẽtat.

Sequitur: *Quem proposuit Deus propitiatorẽ per fidem in sanguine ipsius.* Explicat cur Christi redemptio sit nostra iustificatio. Et ratio est quia proposuit eum Deus, vt per eum nobis propitiaretur. Nec hoc semel tantũ fecit in Cruce, quando potentia, & merito omnes propitiauit: sed Christi munus est nõ semel nos Deo reconciliare, sed omnem Sanctorum vitam in se tanquam in vite sustentare, & Deo Patri & ipsos, & eorum opera offerre. Quia vero Græce dicitur ἱλαστήριον, quod est propitiatorium, vt vertunt noui interpretes: nã ita propitiatorium vocatur ad Hebr. 9. sed cum articulus illi voci non sit præfixus, videlicet τὸ, vel τὸν, anceps est ad masculinum, & ad neutrum: idcirco Ambrosius, & Origenes notant, Christum esse Pontificem, hostiam, altare, propitiatoriũ, propitiationem, & propitiatorem, nam variis modis à Patribus hic locus citatur. Legunt

Christi redemptio teste Paulo cur sit nostra iustificatio.

Quid proprium Christi.

Ioan. 15. Heb. 9. Ambr. in c. 3. ad Rom. Origen.

Hilar. Ambros. Greg. homil. 6. in Ezech à medio 20. 2. Hesych l. 1. in Leuit. c. 4. inter medium & fi.

guntiu genere fœminino propitiationem. Hilarius in Psal. 64. Ambrosius, siue Prosper De vocatione Gentium, Gregorius in Ezechielem, Hesychius in Leuiticum. Erat autem propitiatorium in lege aptissima figura veritatis. Nam propitiatorium erat lamina aurea, quæ super arcam ponebatur, & habebat vtrinque effigies Cherubim: illine autem sciebat sacra obiens Sacerdos Deum esse propitium. Est igitur propitiatorium verum, ipsa Christi humanitas, quia in ea vt in arca inhabitat plenitudo diuinitatis ad præstandam misericordiam ad illud confugientibus. Est etiam propitiatio: quia per ipsum sic diuinæ indignationis mitigatio, & placatio, iuxta illud: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Est & propitiator, quatenus vt Deus potestatem habet propitiandi sibi quem velit, & misericordia sua afficiendi.

Quid esset in lege propitiatoriũ. Christus vt sit propitiatorium, propitiatio & propitiator. 1. Ioan. 2.

Addit, *Per fidem.* Qu a vana esset redemptio & propitiatio, nisi nobis per fidem eam tantam habentibus applicaretur. Et addit: *In sanguine ipsius*: vt constet alli sio sanguinis ad propitiatorium antiquum, nulla. n. erat remissio sine sanguinis effusione. Est ergo redẽptio, & propitiatio in ipsius sanguine. Et aduerte prudens lector tres caussas sibi inuicẽ ordinatas, ultimum; Per gratiam, Per redemptionem, Per fidem, Apostolũ enumerasse. Deus enim efficiens est, caussa iustitiæ nostræ: meritum, est totum situm in Christi redemptione, & propitiatione per sanguinem: forma nostræ iustitiæ, diuina gratia est, qua iusti, & grati sumus: proxima, & efficax dispositio, fides: finis vero, Dei gloria, & nostra, de qua subdit: *ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.*

Quare per fidem, & cur in sanguine ipsi Christus dicatur propitiatio. Heb. 9.

Amb. hoc loco. Deus Filiũ suũ in mũdum mittẽdo ad nostram redẽptionem, iustitiam suam ostẽdit tripliciter. 1. Pet. 2. Rom 6.

Ambrosius ait: Vt declararet se iustum, & veracẽ in promissis suis; vel, vt patefaceret toti orbi quam ipse probat, & efficit iustitiam; vel quanto odio prosequatur Deus iustus peccatum, pro quo abluendo sanguinem Filii sui fundi voluit. Et dixit, *Præcedentium relictorum*: quia amplius peccatis non est viuendum, sed iustitiæ. Vel præcedentia delicta, vocat peccata quæ præcedunt fidem, & iustitiam hanc Dei, quæ donatur nobis, & præcedunt propitiationem nam quæ sequũtur primam cõciliationem, nõ eodem modo purgantur, vt suo loco dicẽdum est. ¶Ne vero quis conturbari vale at, quomodo Christus fuerit propitiatio pro iis, qui præcesserunt aduentum eius, cum illi videantur mortui in peccatis, nec potuissent de Christi sanguine participare subiũgit: *In sustentatione Dei.* Id est: Deus sustentauit priora delicta præcedentia propitiationis effectum, in eo quod illa in iudicium nõ adduxit, donec venit plenitudo temporis, & fieret propitiatio extẽdens se ad anteriora tempora. Quia Christi merita præuisa retrotractione etiam antiquioribus profuisse, Catholicum dogma est: at fingere Christũ realiter extitisse, non secundum carnem tamen, sed secundum animam, siue mentem passum, vt phanatica quorundam nostri seculi hæresis tradidit, tanquam illusio diabolica est reucienda, & detestanda.

Illud: in sustentatione Dei, quid significet.

Gal. 4.

¶Verbum remissionis, Græce est πάρεσις, & teste Budæo in commentariis lingu. Græcæ significat ipsam desectionem, & languorem virium, corporisque extenuationem, quæ diuturnum morbum consequi solet. Vnde Chrysostomus & Theophylactus accipiũt pro illa tabe animi, & paralysi spirituali: quia nulla erat spes salutis mũdi. Vt sit sensus: Propter illum magnum defectum per peccatum inflictũ Deus misit Filium suum propitiatorem in sanguine. ¶*In sustentatione Dei.* Hebraismus est egẽs relatiuo, in hũc modum: quæ quidem peccata fuerunt in sustentatione Dei: quia præcedentium delicta tolerabat Deus, quousque pretium redemptionis sibi penderetur. Et tolerantia huiusmodi nonnihil de flore gratiæ diminuebat. Qui enim tolerantur, nondum ad omnes amicitiæ numeros peruenerunt: ac perinde res habet, sicuti Princeps reos quospiam nec ad suum omnino conspectũ admitteret, nec omnino damnaret, sed precibus victus ad tempus abstineret lege agere in illos, quousque fieret iniuriarum cõpensatio per alium, à quo sciret satisfactionem sibi impendendam. Et repetit iterum Ad ostensionem iustitiæ suæ in hoc tempore; vt explicet cur tamdiu sustentauerit antiquorum delictum. Et eius sõlo est; vt hoc videlicet præfinito tẽpore patefaceret suã in Christo iustitiam: & quod ipse est nos iustificans, non aũt lex Naturæ, aut lex Moysi. Et hoc tempus opponit tẽpori quo vixerunt illi, de quibus c. 1. & 2. quotum peccata sustentauit Deus. Neque decuit Christum alio tempore mitti quam præsenti; vt homo superbus arbitrio suo per peccatum relictus, luminis naturalis tenuitatem experiretur, ac defectum scientiæ per absurdissimos errores Philosophorum. Deinde vt sub ampliori luce legis Mosaicæ, probaret naturalium virium imbecillitatem, defectumque potentiæ crescente cum peccati cognitione cõcupiscentia; vt fictam legi, quam Naturæ diffusus ad Deum manus attollere, & Christum amplecteretur, qui est in seipso iustus, seruans iustitiam promissam, & iustificans eos, qui se in Christi corpus per fidem inseruerunt, qui secundus est finis.

Remissio hoc loco quid sibi velit. Budæus.

Chrys. ser. 7 in hunc locum. Theophyl. Ibid.

Quam tectè Paulus cel dotũ mundi tolerantiam, Dei sustentationem vocauerit. Quam hęc diuina sustentatio.

Duplex causa asser tur dilatæ incarnationis Filii Dei.

DIS-

DISPVTATIO XXVIII.

In illa verba: *Vbi est ergo gloriatio tua? exclusa est. Per quam legem? factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? Imo & Gentium.*

I. dubitat.

IN Prima hac sententia, qua Apostolus interrogat: Vbi est ergo gloriatio tua? dubium surgit, quem alloquitur, Iudæum, an Gentilem, an vtrumque.

II.

Deinde cur illa lex, factorum dicatur, cum & illa vetus præceptum fidei tenuerit. Dicitur enim: *Crediderunt Domino, & Moysi seruo eius*; &, *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est*: &, *Habentes eundem Spiritum fidei, &c. Et nos credimus, propter quod & loquimur.* Promissum quoque Messiam omnes fide expectabant. Adhæc Euangelica lex non minus exigit opera, quam vetus. Ait enim Christus: *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum* ait etiam Iacobus, *Estote factores verbi, & non auditores tantum.*

Exod. 14.
Deut. 6.
2. Cor. 4.
Mat. 7
Iacob 1.

III.

¶In secunda sententia dubitatur, quomodo hæc doctrina Apostoli, sine operibus, cum illa Apostoli Iacobi conueniat, quæ oppositum docet.

IV.

Deinde quare ex fide sine operibus consurgit iustitia, si adsunt aliæ præparationes cum fide.

V & postrema.

¶In tertia sententia, quorsum illa adfertur, & quid est esse Iudæorum, vel Gentium.

Ad 1. Responsio.

Adhæc omnia dubia sigillatim est respondendum. Atque in primis ex illa Diuinæ iustitiæ manifestatione incipit Iudæorum superbiam deprimere, oraque eorum obturare, qui gloriam suæ iustitiæ arrogabant; illosque Gentibus in Euangelio æquare, qui olim in lege præcellebant, & omnem gloriam Deo soli, cui debetur, transcribere.

Cur loquatur Apostolus per interrogationem.

Porro vtitur interrogatione solita, quo malor sit in verbis eius vehementia, & lector magis excitetur, & attentior reddatur. Et argumentatur à sufficienti partium diuisione. Et quamuis hæc interrogatio nonnullos è Gentibus attingat, quia sibi ex virtutibus comparatis gloriam aliquam adscribere poterant: peculiariter tamen in Iudæos inuehitur; de quibus dixit. Tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege. Et licet Græce non habeatur, tua: nostri tamen habent, vt Ambrosius, & Augustinus libr. De spiritu & litera: vbi docet, hanc gloriationem duplicem esse potuisse, alteram laudabilem, quæ in Domino est, quæ per iustitiã Christi est exclusa, hoc est expressa, declarata, & ostensa: vnde argentarii artifices dicũtur exclusores, hinc illud: Vt excludant eos qui probati sunt argento, hoc est: vt illi emineant, qui eloquio diuino probati sunt, quod velut quoddam est argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

Rom. 2.
Ambr. to. 5
Aug. c. 10. prope fin.
Duplex gloriatio, & de qua hic fit sermo.
Psal. 67.
Psal. 11.

Verum hic sensus non tam videtur esse ad rem. Et ideo sensus verior est, q̃ loquatur de vitiosa gloriatione Iudæorum, quæ de supercilio, & superbia eorum veniebat, & qui gloriabantur quasi non accepissent.

1. Cor. 4.

Quomodo Iudæi in essentialibus gloriarentur contra Gẽtiles, sed falso.

Nam in essentialibus Iudæus se Gentili præferebat, putans non opus esse sibi Dei gratia, sed operibus legis, ex quibus putabat iustificationem consurgere: vel putabat quidem gratiam sibi opus esse, sed illam nõ esse communem Iudæo, & Gentili. Vnde dicebat: *Ergo & Gentib. pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Ideo alibi Paulus pœnitentiam Gentilium ad salutem, vocat Sacramentum quod aliis generationibus non est agnitũ filiis hominum.

Act 11.
Ephes 3.
Eiusdem in accidentariis gloria quænã esset.

In accidentariis autem male gloriabantur, quasi pro suis meritis sibi donata essent illa priuilegia. Ideo in carnali sensu dicebant. *Notus in Iudæa Deus*: &, *Non fecit taliter omni nationi.* Vnde Chrysostomus recte inquit: *Non dicit: Vbi sunt igitur Iudæorum merita? vbi iustitiæ executio? Sed. vbi gloriatio? vbique ostendens illos magnarum rerum iactatores tantũ, quasi qui reliquis plus meriti habeant; cũ tamen nihil interim opere ipso præstent.*

Ps. 75.
Ps. 147.
Chrys. ser. 7 in ep. ad Rõ. inter mod. & initiũ to. 4. in princ.

Iudæorũ gloriatio cur exclusa

Rom. 3.

Et respondet: *Exclusa est.* Non ait: Dissoluta est, sed, exclusa: hoc est, Non habet amplius locum, cum aduentu gratiæ Dei vtrique, tam Iudæi, quam Gentiles inuenti sint peccatores, & egere gloria Dei ad iustitiam. Cum enim gratia Dei apparuisset, & in omnes Gentes diffusa esset cessauit gloriatio Iudæorum. Et subdit: *Per quam legem? factorum? Non; sed per legem fidei.* Id est: est ne lex aliqua, quæ insignia præcipiat opera, & per quam possit homo Deo reconciliari, præstantioraque edere opera, quã ea, quæ sunt Mosaica lege præscripta? Atque hic sensus bonus est assignatus à B. Thom. Non enim per legem intellexit ipsam Mosis legem eo quod Iudæi non putarent gloriationem p̃ suam legem, quæ factorum erat, excludendam, sed per aliam, quæ præstantiora opera requireret. Et respondet non per illam exclusam, sed per legem fidei, per quam peccator accipit à Deo gratuitam remissionem peccatorum.

B Tho. in 3 cap lect. 4. to. 10.

Ad secundum dub. Legem Mosis, legem factorum Paulus cur nominet.

¶In qua aduerte dubium propositum, cur videlicet legem factorum appellet legem Moysi, in qua præcepta fidei non erant ignota. Respondemus enim, per legem factorum non tantum intelligendã

eam partem legis, quæ in ceremoniis, & aliis sacrificiorum ritibus posita erat, sed etiã, teste Augustino, vt complectitur opera moralia, sine quibus nemo iustificatur. Neque constituit differentiam inter legem totam Euangelicam, & legem veterem: nam vt in veteri erant moralia seruanda, ita in noua habemus nostras ceremonias, & Sacramẽta. Illi etiam olim lege fidei tenebantur ad credendum: nam illud Apostoli, *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirẽtibus se remunerator sit*, omnes mundi homines generaliter arctat. Paulus igitur Christi fidem quacunque via cognitã, clare, aut obscure sub quocunque statu naturæ comparat ad opera legis cuiuscunque sine fide: quoniam Iudæi solis operibus nitebantur, de fide Messiæ nihil curantes. Et ita ista oppositio fidei ad opera, inde nata videtur, quod Iudæi fidentes operibus, ac tumentes, fidem negligebant. ¶Est igitur lex factorum, lex qualibet vel externe scripta, vel interne naturali lumine reuelata, quæ vim habet docendi, dirigendi, imperandi, prohibendi quæuis opera, siue ad mores, siue ad ceremonias, siue ad iudicia spectantia; nulla tamen pollet potestate remittendi peccata, neque hominem renouandi, & efficiendi ea, quæ per se Deo placent: vt ideo vere dicatur litera occidẽs. Contra lex fidei est lumen cœlitus à Deo infusum, quod docet vnde petere debeamus opem: qua peccatis liberati, & Deo reconciliati possimus eũ super omnia diligere, & omnia officia erga eum præstare, quæ à nobis lege exiguntur, ita vt in oculis eius sint grata, & accepta. Hinc Augustinus hoc dubium expediens lib. De spiritu & litera, ait: *Quid igitur interest, breuiter dicam. Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo imperat. Illa dicit Non concupisces; ista dicit: Cum scirem quia nemo esse potest continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum, adij Dominum, & deprecatus sum.* Hoc est lex quidem obligare potest ad pœnam, non satis tamen adiuuare ad iustitiam. Hinc lex fidei dicitur lex Spiritus vitæ, & lex scripta in cordibus: lex vero quæcunque dici potest factorum, quia facta præscribit, facienda, vel vitanda, sed non iuuat vt fiant: sicut lex fidei imperat Spiritum, quo fiant quæ lex mandat. ¶Nec est perfectior lege Mosaica ex eo, quod maiora opera monstrat: quia nihil maius amoris Præcepto, aut fidei, quorum vtrumq; est in lege: sed quia ostendit Christum, in quem qui credit, iustificatur, esto quod ante non operatus sit, modo præcepta in Euangelio in futurum custodiat, relicta lege, & operibus eius. Lex vero Euangelica, fidei lex dicitur, non operũ: quia sine fide nullum est opus bonum coram Deo. Deinde dicitur lex f. ctorum, eo quod facere, ad exteriora pertineat, quæ quidem magis sunt in nostra potestate, quàm interiora. Melius enim possumus genua flectere; quam mente pura orare: facilius castigamus corpus, quam purgemus mentem: & promptius est ab æterno opere malo, quam à concupiscentia cauere. Etsi ergo lex & interna, & externa, bona præciperet, & mala vtraque prohiberet; præcipue tamen circa exteriora versabatur: nam bonis præmia, & malis pœnam temporalem taxabat: non ita autem internis actionibus, quia Iudæus paruulus plura portare non poterat. Contra fit in lege noua. Lex autem fidei scripta in corde, actiones interiores præcipue ordinabat: quarum prima est Fides, & Amor, ex quibus cæteræ oriuntur. Tertio dici potest lex factorum: eo quod ad sexcenta & tredecim præcepta pro tenderetur, & longa via erat, vt per illa quis iustus redderetur. Lex autem fidei non dicitur operum quia non requirit externa opera præcedentia iustitiam, nec sequentia in omnibus, vt in paruulis baptizatis, & his qui in extremo vitæ spiritum agunt pœnitentiam. In nullo autem requirit opera legis, vel præcedentia, vel sequentia, id est, opera præcepta à Moyse secundum se, id est facta intuitu præmii à Moyse propositi, vel timore pœnæ ab illo pronuntiatæ. ¶Quod igitur dictum est, in Moyse præceptam fuisse fidem vnius Dei, vt in primo præcepto: non satis est: quia semper opus fuit credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Placuit autem Deo per Messiæ filii sui merita inquirentes se saluare, & remunerare. Et licet dicatur: Crediderunt Domino, & Moysi seruo eius: fides tamen euangelica, quæ iustum facit, credit in Deum Patrem, & in vnigenitum Filium, per quẽ vnum iustificat, siue implicite, siue explicite notum. Vnde Christus dixit: *Creditis in Deum, & in me credite.* Et quanquam fides Iudæorum in genere, esset credere Messiam venturum Saluatorem: Iudæi tamen ex spiritu carnem efficiẽtes, eam fidem suo vitio carnalem reddiderant, expectantes Messiam potentem, opulentum, hostium, domitorem, victorem, & Iudaicæ gentis exaltatorem. Cum tamen Scripturæ aperte eum spiritualem describant: *Ex vsuris*, inquit, *& iniquitate redimet animas eorum: Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eũ redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Ita vt credere in talem Messiam, nihil prorsus ad iustitiam iuuaret, sed

obesset

Marginalia: Aug. li. De spi. & lit. c. 13. — Heb. 11. — Iudæorum gloriationis in operibus legis radix intima. — Quænam sit lex factorum. — 2. Cor. 3. Lex fidei quid. — Aug loco praedicto. — Exod. 20. Rom 7. Sap. 8. — Rom. 8. 2. Cor 3. — Lex noua veteri lege in quo præstantior. Deut. 6. Matt. 22. — II ratio. — 2. Cor. 3. Heb. 5. — III ratio. — Numerus præceptorum legis. — Iudæorum lex quomodo factorũ dicitur: qui tamen in vnum Deũ crediderũt. — Deut 6. Heb. 11. — Exod. 14. — Ioan 14. Iudæorum fides in Messiam qualis fuerit. — Psal. 71. — Psal. 129.

2. Cor. 5. Gal. 3. Veri iusti, & credentes in Veteri Testamẽto, ad Nouum spectarunt.

obesset potius: vt Paulus merito dixerit; *Etsi cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.* Ideo dicitur ad Gal. 3. tempore Messiæ venisse fides, nimirũ hæc explicita, & de æternis bonis. Denique non negamus, plerosque iustos fuisse, & fidem Euangelicam habuisse: sed illi ad Euangelium spectabant. Et contra illos hic non disputat Apostolus: in illos tamen stylum stringit, qui ex operibus legis negata fide gloriari volebant. Et fidei opus, vt cætera ad finem legis terrenis, vel pollicentis obseruabant. Quare Apostolus, vt lumen huius rei exhiberet, & à Iudaica cæcitate liberaret, definiuit, Fidem, substantiam esse rerum sperandarum; id est, de æternis, & spirituali Messia liberante non tantum Iudæos, sed etiam Gentes, & donante non præcipue temporaria bona, & carnalia, sed spiritualia, & æterna. Et replicat superiorem sententiam: *Arbitramur,* inquit, *iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Primũ verbum Græce est λογιζόμεθα, id est, Syllogizamus, Concludimus, siue colligimus ex antedictis, & disputatis nos Apostoli magistri Ecclesiarum, & à Christo instructi plusquam Prophetæ, iustificari hominem quemcunque, siue Iudæum, siue Gentilem, per fidem sine operibus Legis. Quæ sunt opera Legis, superius aperuimus, illa scilicet quæ sine fide nihil ad iustitiam assequendam faciunt, & quæ Gentes ad Christum venientes præstare non cogebantur. Est autem fides, suauis naturæ humanæ, & facilis motus, qui in aliis omnibus negotiis, & scientiis, & contractibus necessaria est: & per eam malã fidem Euæ parentis nostræ, quam præstitit dæmoni, & bonam, quã Deo debebat, resarcimus: & cum Deo, & cum Christo mediatore, & præmio quod tribuit iustificatio, sine fide agere non possumus.

Cur fides ab Apostolo definiatur, substãtia rerum sperandarũ. Heb. 11.

Arbitrari hoc loco, quid.

Fidei tam humanæ, quam diuinæ necessitas, & vtilitas.

Gen. 3. Ad I. I. dubium.

Quomodo Paulus dicat iust. ficari hominem sine operib. Legis, cum Apostolus Iacobus oppositum definierit. Iacob. 1.

Trip. ex solutio hæreticorum impugnatur, Lutheri, Melanchthonis, atq; Caluini. Infra 2.

Quod si quæras, quomodo hæc Apostoli doctrina cum illa Iacobi conueniat? Dicendum est, grauissimè à Luthero fuisse aberratum, qui ob hanc in speciem repugnãtiam, epistolam Iacobi reiecit ex albo Canonicæ scripturæ. At Philippus, & Oecolampadius vt huic obiectioni occurrant, aliter accipi volunt fidem à Paulo, aliter à Iacobo. Nam Paulus, inquiunt, loquitur de vera, & viua fide, Iacobus de mortua. Cum tamen idemmet Apostolus dicat: *Fides sine operibus mortua est.* Hoc autem sine ratione, & magna cum Scripturæ confusione dicitur. Quod vero Caluinus aliter accipiat, ex fide iustificari hominem apud Paulum, scilicet coram Deo, & aliter apud Iacobum scilicet coram hominibus, non coram tribunali Dei: ad eundem lapidem impegit. Falsissimum enim est, iustum non iustificari per opera coram tribunali Dei, vt superius dixit: *Non enim auditores Legis iusti sunt apud Deum; sed factores Legis iustificabuntur.* Et Iacobus inquit: *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius; & ex operibus fides consummata est?* Et impleta est Scriptura dicens: *Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus DEI vocatus est.*

Rom. 2. Iacob. 2. Gen. 22. Supra 15.

His ergo vanis solutionibus dimissis, duplex vera solutio occurrit. Altera, vt Paulus loquatur de iustificatione, qua quis Deo reconciliatur, & remissionem peccatorum assequitur: & sic accepit Augustinus libro Octogintatrium quæstionum, vbi asserit, Apostolum loqui de operibus præcedentibus donum iustificationis, quod fides impetrat, & non opera; Iacobus autem loquitur de operibus consequẽtibus primam iustitiam ad meritum, & assecutionem vitæ æternæ. Et ideo de oblatione filii immolandi loquitur, quæ post primam iustitiam habitam Genesis decimoquinto illi obuenit. Paulus ergo de Abraham peccatore veniente ad primam iustitiam loquitur: Iacobus de Abraham iusto, & suam iustitiam per bona opera promouẽte sermonem habuit.

I. solutio vera atque Catholica. Aug. l. 83 q. q. 67. to. 4. circa med.

Secundo alia ratione à quibusdam soluitur, contendentibus, Apostoli sententiam accipiendam non tantum de prima, sed & de secunda iustificatione: hoc est, non tantum de reconciliatione, sed etiam de iustitia, & iustorum operum merito. Quod probant ex eo, quod capit. quarto, volens hanc Catholicam sententiam ostendere, produxit exemplum Abrahæ iam iustificati, quãdo non est Deo reconciliatus, sed post reconciliationem iuste operatus: eamque iustitiam bonæ vitæ demonstrat fuisse non ex operibus, sed ex fide. Et conciliant Paulũ Iacobo in hũc sensum, quod Iacobus loquatur de operibus factis in fide, Paulus vero de operibus, quæ sine fide exhibentur: quia vt Apostolus dixit, Lex non est ex fide. Prior tamen solutio solidior mihi videtur & Augustini, & Patrum testimonio corroboratur.

Altera sol.

Vtra solut. magis eligenda.

Alterum dubium erat, Quomodo per fidem sine operibus contingat iustitia, cum multi boni motus liberi arbitrii sint necessarii ad ipsam reconciliationis gratiam assequendam. ¶ Sed hoc iam solutum est: nam fides omnes illos motus complectitur, quos excitat, & eius nomine comprehenduntur.

Ad IV. dubitationẽ. Si ex fide, & non ex operibus pẽdet iustitia vt quid non ster ad illã concursus exigitur.

Illud difficilius, quomodo iustificatur

homo sine operibus per fidem, si fides actio est quidam, & operatio intellectus, & voluntatis; & quod attinet ad substantiam eius, à virtute liberi arbitrii prodire possit? Vnde Christus dixit: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.*

Ioan. 6.

Fidem donum Dei esse cur Paulus sæpius inculcet. *Ephes. 2. 2. Thes. 3*

Respondemus, fidem nō posse à solo libero arbitrio humano proficisci, vt per illam ad suscipiendam iustitiam disponatur, nisi à Deo desuper donetur. Et propterea Paulus toties clamat, fidem donum Dei esse, vt ne quis glorietur; & Dominus dixit, hoc esse opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.

Id quomodo accipiendum sit.

Non ita tamen intelligas donum Dei esse, vt solus Deus id faciat: neque nos soli id valemus præstare, sed Deus nobiscum, & nos cum Deo cooperantes coperuenimus vt credamus.

Cur fidem Apostolus excludat ab operib. Legis.

Et propterea fides non recensetur inter opera Legis, quia Iudæi fidem abiecerant, & in illa non gloriabantur, vt in aliis operibus, quæ ex suis viribus se præstare putabant. Fides præterea, alienæ iustitiæ, Christi scilicet nititur, quam apprehendit, & suam sibi facit suis viribus; & meritis diffidens: at opera nituntur virtuti, & iustitiæ operantis, & bonum reddunt habentem, sicut cæteræ virtutes. Et ita distinguitur fides ab operibus.

Respondetur quintæ dubitationi. Cur Paulus dicat Iudæorum non tantum Deum esse sed & Gentium. *Rom. 3.*

Sequitur: *An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium?* Paulus hactenus visus est argumenta petere à nobis ipsis, ostendés nos omnes tam Iudæos, quā gentes peccasse & egere gloria Dei. At ex eiusmodi indigentia non struitur tam solidum argumentum quod essent seruandi, & iustificandi, quam ex benignitate Dei, qui est prima causa efficiens salutis.

Qua id ratione demonstretur. *Rom. 5. 1. Tim. 2.*

Est autem argumentum Pauli tale: Deo proprium est eos iustificare, & saluare, quorum dicitur esse Deus, at constat Deum esse non tantum Iudæorum, sed etiam Gentium; vtrumque ergo populum & iustificat, & saluat: quia vna debet esse causa communis, per quam omnes iustificentur: hæc autem Lex esse non poterat, quæ à Gentibus non participabatur. Fit ergo, vt cum vnus esset morbus peccati, & vnum primum primi parentis delictum, quo omnes inficimur, & vnus Dei, & hominum mediator, & reconciliator, & vnus Deus omnium, per vnam tantum fidem fiat hominum iustificatio.

Altera sol.

Vel, quod in idem recidit, probat, quod iustificatio non fit ex Lege, sed ex fide: quia Lex ad solos Iudæos pertinebat, & ita Deus illis solis salutem procurasset, & Deus non esset Gentium, sed tantum Iudæorum: cum tamen Deus vniuersas gentes creauerit, & vnum Christum redemptorem miserit pro omnibus. Quod si obiicias, Gentes potuisse per Legem Naturæ inditam iustificari; certe hoc Iudæi non admitterent, in quos Paulus disserebat, qui volebant sola Lege, quæ ceremonias complectitur, iustificationem contingere, & sine illarum obseruatione non prodesse Christum, vt Actorum decimoquinto quidam descendentes de Iudæa, docebant fratres.

Legalibus ceremoniis falso iustificationem Iudæi tribuebant. *Actor. 15.*

Quam Augusti fines Iudææ promissæ, teste Hieron. *Hieron. ep. 129. paul. à medio, to. 3.*

At vero quæ fuisset Dei prouidentia, in vnam tantum gentem, & quidem angustam restricta, cùm tota terra Iudææ in longitudine vix ad centum sexaginta milliaria protenderetur, in latitudine vero ab Ioppe ad Bethleem vsque ad quadraginta sex, vt testatur Hieronymus ad Dardanum? Et vtitur interrogatione: *An Iudæorum Deus tantum?* Nam id Iudæi constanter asserebant, quod propter susceptam Legem Deus verus Hebræorum Deus nuncuparetur. & Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, atque ideo putabant sibi solis aduenisse Messiam: à quo errore hac interrogatione percelluntur.

Ps. 75. Exod. 3. Vnde nam rudes ac simplices Iudæi Deū esse tantū Hebræorū non Gentium persuasi.

Nam etsi ob peculiarem Dei cultum inter alias nationes notus Deus in Iudæa sit, erat tamen nihilominus, vt ait Dauid, *Rex omnis terræ Deus*; & apud Ieremiam: *Quis non timebit te, ó Rex Gentium?*

Ps. 75. Ps. 46. Ierem. 10.

Quid Deū sit esse gentis alicuius teste Clem. *Clem. l. 6. Strom.*

Et esse Deum alicuius nationis, est, Deum habere peculiarem prouidentiam, & curam eorum, vt tradit Clemens Alexandrinus. Vnde illud: *Deus noster, Deus saluos faciendi*, & vnus Deus, qui omnes homines vult saluos fieri, vt merito Deus dictus sit ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, id est, à prouidendo: quia non tantum corpori de temporalibus, sed etiam animo de spiritualibus prospicit.

Ps. 67. 1. Tim. 2. Deus Græcè vnde dicatur.

Iudæos Gentilium contemptores, hodie quinam imitari videantur.

Et in hac Pauli reprehensione intelligamus eos omnes tacite redargui, qui zelo quodam suæ Religionis ducti, putant locum salutis non tam esse aliis, quam sibi in sua Religione: vt Sacerdotes de laicis, Religiosi de non Religiosis, & solitarii de Cœnobitis, & Actiui de Contemplatiuis existimare solent. Quibus dicendum est: An solitariorum Deus tantum? nonne & eorum, qui in communi viuunt? An Contemplatiuorum? nonne & eorum, qui in actione sunt: Caue etiam, serue Dei, caue, ne quoscunque imitari non vis, damnare videaris.

Bern. in ep. ad fratres de Monte Dei.

Et subiungit Paulus: *Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Vnus est Deus condens, & gubernans vniuersos, siue Iudæos, siue Gentes, ad æternæ salutis finem, ad quem conditi sumus Vnus, inquit. Contra fabulas Græcorum ponentium polytheiam; & contra Manichæum asserentem duos Deos, alterum noui, alterum veteris Testamenti. Et vbi legi-

In assertores plurium deorum, & contra Manichæos.

mus,

mus qui iustificat, Græce est δικαιῶσει de futuro: sed de præsenti legit Augustinus lib. de spiritu, & litera: & Hilarius libro de Synodis, & in Psalm. sexagesimum sextum. Et ex fide, quæ alienæ iustitiæ nititur, scilicet Christo, & non Legi, quæ propriè adhæret iustitiæ. Et idem est iustificari ea fide, vel per fidem, vt docent hoc loco Hieronymus in Commentariolis, & Augustinus de spiritu & litera, vbi ait esse variam locutionem idem omnino significantem. Et alibi ait de præputio: *Prouidens autem Scriptura, quia ex fide iustificat Gentes Deus &c.* De Iudæis vero testatur: *Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus, peccatores: scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Vbi videre potes commune esse tam Iudæo, quam Gentili, quē hic vocat Circumcisionem, & Præputium, iustificari ea fide, siue per fidem. Si quid vero mysterii in hac diuersitate loquendi inest, Ea, causam remotiorem significat, quia Iudæi à fide exorsi, postea per Legem Deum coluerunt: Per verò, causam denotat proximam, quia Gentes primum ad fidem Christi venientes iustificatæ sunt. Et huc videtur tendere sensus Origenis in hunc locum. Et hactenus euacuata sunt omnia proposita dubia.

Aug. ca. 10 in princ. Hilar. circa fin. Psal.

Hiero. co. 9. Aug. ca. iam dicto.

Galat. 3. Supra 2.

Quenam ratio sit huius varii sermonis Apostolici: fide, & per fidem iustificari.

DISPVTATIO XXIX.

In postremam sententiam tertii Capitis ad Romanos: *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed Legem statuimus.*

Dubium est non paruì momēti, quomodo asserat Apostolus, se Legem per fidem non destruere, sed potius statuere; cum alibi ad Galatas capite secundo scribat: *Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, præuaricatorem me constituo.* Et infra: *Ego enim per Legem, Legi mortuus sum.* Et ad Hebræos: *Translato enim Sacerdotio, necesse est vt & Legis translatio fiat.* Et ad Corinthios gloriam vultus Moysi per gloriam Christi euacuatam insinuat. Si igitur euacuatur gloria Moysis, si per Legem Legi moritur, quomodo Legem non destruxit? Ad hæc quomodo non destruxit Legem, qui propter eius abrogationem tanta à Iudæis per orbem dispersis passus est? Sed ad hæc dissoluenda, perpendamus singula verba. In primis enim hic est occupatio tacitæ obiectionis. Cum enim aperte dixerit, omnem

Prima quæstio.

Gal. 2. Ibidem.

Hebr. 7.

2. Cor. 3.

Altera.

Infra 11.

Paulini textus cōsequentia.

hominem sine operibus Legis iustificari; opponit sibi: Legem ergo destruimus per fidem? id est, irritam, & tanquam inutilem docemus, & vt superuacaneam abolemus? Et respondet more suo, Absit: quod abhorrentis est, & Iudæorum animos sedantis, quos grauiter inde perturbandos esse agnouerat, ex eo quod Legem exprimeret, & fidem exaltaret, quasi fides Legi esset aduersa, & quasi Lex exitiosa res esset, sicut idololatria profanarum Gentium. Per fidem, inquit, id est, per doctrinam fidei quā tradimus, & per quam homines posse iustificari sine operibus docemus. Sed Legem, ait statuimus, id est, confirmamus, & corroboramus. Nam Græce legimus ἱστῶμεν, quod est, firmam, & efficacem statuimus: & opponitur verbo καταργοῦμεν, quod est, otiosam, & ignauam, omnibusque viribus destitutam efficimus. Non ergo destruimus, sed stabilimus, vt stet, & obtineat suum vigorem, & autoritatem. Nam quia sæpe in Lege scriptum erat, & præceptis ceremonialibus in fine additum: Legitimum sempiternum erit vobis, &cæt. idcirco Iudæus Legis abolitionem æquo animo ferre non poterat. Zelabant enim pro Lege Dei, & excitabant in Christianos tumultus non custodientes Sabbatum, & traditiones Iudæorum iuxta suum ipsorum sensum. Vnde etiam Christus coactus fuit dicere: *Non veni Legem soluere, sed adimplere.* Ob hanc ipsam etiam causam beatum Stephanum morte affecerant, quod ille dixerit, Iesum comminatum esse traditionum Legis Moysis interitum. Ita etiam Apostolus hoc loco defendit, Legem per fidem stabiliri, dum suum cuique munus tribuitur, nempe Legi cognitio peccati, & fidei iustificatio.

Quid sibi velit Paulo similis illa responsio Absit.

Ad II. quæstionem.

Legem destruere per fidem quid nam sit, & Legem statuere.

Exod. 28. Leuit. 6. ac sæpe deinceps & alibi.

Vnde Iudæi sibi persuaserint Legē Moysis nunquam penitus abolendā.

Matt. 5.

Act. 7.

Supra 6.

Vt igitur hæc profundius intelligamus, ante constituenda veteris Legis, & nouæ differentia, & quomodo hæc illam non destruat, dispiciendum. ¶ Est igitur in genere Lex, siue Hebraicè Torah, nihil aliud quam doctrina. Et hæc duplex est: altera simpliciter, quæ est vel naturalis indita, vel desuper infusa per Spiritum sanctum. Et vtraque est æterna, & coæua, eo posito, quod Adam in gratia conditus sit: licet prior natura sit Lex naturalis, quam necessarium est Diuinæ illi, & supernaturali substerni. Ad primam spectant præcepta moralia: ad illam gratiæ pertinent præcepta & Fidei, & Spei, & Charitatis. Deinde Lex quoque accipitur pro ea, quæ ad tempus data est, siue sit veteris Testamenti, ad quā pertinent ceremoniæ, & iudicia: quæ etiam scripto populo Iudæorum traditæ

Quid sit lex.

Quotuplex.

ſunt, ſiue Noui Teſtamenti, ad quam pertinent præcepta Baptiſmi, & Euchariſtiæ, & reliquorum Sacramentorum, quæ partim ſcripto, partim quoq; traditione nobis conſignata ſunt.

Exod.14. Infra 34.

Quænam Lex in tabulis ſcripta lapideis, tradita Iudæis.

Deinde obſerua, ſcriptam eſſe Legem in chartis, vel in lapidibus illam, quæ per Moyſen tradita eſt: quæ quidem & iubet, & vetat, quod parua quæ erat ante Chriſti paſſionem charitas dictabat. Paruam vero charitatem voco, quod communis, ante Chriſti Domini aduentum gratia non mereretur dici Gratia, ſicut nec fides Fides, nec Spiritus Spiritus. *Apparuit* inquit *gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus*; & ad Galatas: *Vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo*: & : *Nondum erat ſpiritus datus; quia Ieſus nondum erat glorificatus*: decens enim erat vt copioſius, & abundantius hæc dona poſt mortem Chriſti darentur, quo principiũ, & fons illorum donorum agnoſceretur, & in cordibus hominum glorificaretur. Hic eſt Chriſtus ipſe. Hæc igitur parua Dei gratia in carnali Iudæo non omnia dictabat facienda, vel fugienda, quæ nunc magna fides, & maxima charitas dictant, & quæ homines ex malis ſeruis facit charos, fratres, filios, Deo amicos, & conſanguineos. Secundario autem eſt Scriptura Euangelica, quę præcepta continet conſona magnę illi Dei gratiæ: quæ nobis apparuit poſt Chriſti aduentũ. Et ita tripliciter poſſimus cõparare Legem nouam veteri. Primo quidem fidem fidei, ſeu gratiam gratiæ conferendo. Secundo, Legem gratiæ internam & infuſam, ipſi externæ Moſis componendo. Tertio, Legem ſcriptam Euangelicam cum Lege ſcripta Moyſi committendo. Si ergo loquamur de priori illa collatione dicendum eſt, fidem, vel gratiam noui Teſtamenti, & fidem, vel gratiam veteris non differre ſecundum ſubſtantiam, cum vtraque idonea, & ſufficiens extiterit ad ſalutem, & in vtraq; multi ſint ſeruati. Diſtinguuntur tamen ſecundum maiorem, vel minorem intenſionem, ſeu perfectionem, quia illa reſpectu noſtrę admodum imperfecta erat, ita vt non dicatur fides, vel gratia; nec tantum præberet auxilium contra peccatum, aut ad boni operis perfectionẽ, quantum modo præſtat Euangelica, nec aperiret cœlum pie defunctis vt modo. Sed reuera hoc non eſt conferre Legem Euangelicam cum veteri, ſed potius Euangeliũ tempore Legis, ad Euangelium tempore gratię: quia omni tempore vera eſt illa ſententia: *Lex per Moyſen data eſt gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Ideo ſecundum Auguſtinum, & Thomam, credentes

Illa quid iuberet, & vetaret.
Tit. 2.
Galat. 3.
Ioan. 7.
In ea minus copioſum cur fuerit donũ charitatis, quam in noua.

Gratia & lex Euangelica quid præſtet & præcipiat.

Lex noua cum veteri trib. modis cõponitur.

Prima cõparatio.

In quo cõueniat gratia noui Teſtamẽti cũ gratia veteris.

In quo differat.

Hæc ratio comparationis reiicitur, & Auguſtini. & B. Tho. alia melior aſſignatur.
Ioan. 1.
Auguſtin.
B. Thom.

omnes olim ad nouum Teſtamentum ſpectabãt: quemadmodum etiam omnes, qui tempore Euangelii ob ſpem temporalium bonorum, vel timore ſupplicii temporalis bona operantur, ab Euangelio ad Legem veterem ablegantur. Secunda comparatio erat Euangelii interni cum externa Moyſi Lege, ſicut proprie accepit Paulus 2. Corinthiorum 3. cum facit mentionem ſpiritus, & literæ; & Ioannes, cum ait: *Lex per Moyſen gratia per Chriſtum, &c.* Et Ieremias de Lege ſcripta in tabulis, & de Lege ſcripta in corde. Sic ergo ſi ſumamus collationem, in multis differunt. Primo, quia Lex docebat peccata, Per Legem enim cognitio peccati; at ſola gratia illud tollebat. Nouerunt ergo homines ex vi Legis Naturæ id vitii carni ineſſe, quod cato vinceret ſpiritum: ſed cauſam illius defectus diuinare non poterant, ſcilicet, peccatum naturæ, quod Lex ipſa tandem oſtendit, non tantum narrando caſum Adæ, ſed etiam docendo, Deum iuſtum impoſſibilia præcepta hominibus lapſis, ſuis viribus relictis, præcipere, quæ tamen eius gratia ſeruare poſſent. Hinc illa verba Principis Apoſtolorum: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* & illud Pauli ad Romanos: *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio, donec venit gratia Chriſti, quæ vires ſuppeditat ad præſtandum officium.*

II. comparatio.
2. Cor 3.
Ierem. 31.
Primum diſcrimen.
Rom. 3.
Acto. 15.
Rom. 7.

Deinde afferebat cognitionem Lex illa medici, hoc eſt, Chriſt, non ſolum tecte, ſed etiam ſub figuris agni, petræ, mannæ, ſerpentis, & omnium ſacrificiorum, & promiſſionum: quæ etiam ipſo facto oſtendebat vi iuſtificandi carere, in eo quod, (vt Ioannes Baptiſta) ad Chriſtum ſuos omnes mittebat, qui finis eſt legis ad iuſtitiam omni credenti. Atque in hac oſtenſione, quam Naturæ Lex non præſtabat, Lex erat pædagogus ducens ad Chriſtum, ſuadens illud Eccleſiaſtici: *Honora medicum propter neceſſitatem*, id eſt, Chriſtum Dominum, propter peccati morbum ab eo ſolo curabilem. Lex ergo morbum & medicinam oſtendebat & promittebat, ſed nondũ adhuc cõferebat: ideo deficiebat etiam in his quę ſancte præcipiebat; dum tamen imbecillibus, & carnalibus præciperet, quæ non poterãt cõſummari: & opus erat Lege ſcripta in corde, vt illuminaret, & emolliret ad ſeruandam Legem. Quod ſi quis in Lege hanc haberet; non quidem ex Lege id fuit, quæ tantũ erat inſtar manus cuiuſdam viam claudo oſtendentis, & vires eundi non ſuppeditantis: (& talis fuit Moſes, qui è

Secundum diſcrimen.
Exod. 12.
Num. 20.
Exod. 16.
Num. 21.
Ioan 3.
Rom. 10.
Rom. 3.
Eccl. 38.
Quid illud Honora medicum propter infirmitatem
1. Cor. 1.
Ezech 36.
Qualis olim Lex Moyſi.

monte terram promissam vidit quidem, sed in eam non intrauit) sed ex gratia, quæ nulli seculo defuit, acceperunt. Lex igitur docebat, medicum, quem gratia confert, quia per eam inhabitat in nobis, & inspirat quæ agenda sunt, & ad ea præstanda vires suppeditat. *Quis*, inquit, *me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum*, item: *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, &c.* Tertio, Sacramenta veteris Legis, quæ mere Mosis erant, nostrorum futurorum pura signa erant, & nihil gratiæ conferebant: nostra vero & continent quod significant, vt Eucharistia Christum; reliqua vero Christi merita iam exhibita, & gratiam ex Dei pacto, siue ex vi Sacramenti impertiuntur. Quarto, sacrificia illius populi vim expiandi delicta nullam habebant: nostra autem hostia efficacissima est, & præsentibus, & absentibus, & viuis, & pie defunctis opitulatur, cum sit Christus Dominus, cuius munere, & gratia omnes aliæ nostræ hostiæ efficaces existunt. At vero si conferamus scriptam Euangelicam Legem cum illa veteri etiam scripta, in multis differre inueniuntur.

Rom.7. Ezech.36. Tertium discrimen. Quartum discrimen. Tertia collatio Legis veteris scriptæ cũ noua scripta, multiplex discrimen continet. Prima differentia.

Primo, quia Lex vetus vni tantum populo Iudæorum data est, siquidem moralia præcepta omnibus nota erant, ceremoniæ autem non erant necessariæ ad significandum Gentibus Christum, qui ex illo populo, vt illi putabant, venturus non erat ad salutem omnium: at Euangelium omni creaturæ propalatum est. Deinde Lex Moysi obscure tradebat de Christo credenda, & ea quæ ad spem, & amorẽ excitandum spectabãt: hinc recte de incarnatione Filii Dei morte & resurrectionis gloria loquitur, & non poterant filii Israel intendere in faciẽ Moysi, ita vt indigerent velamine. At in Euangelio clare sunt exhibita, & proposita illa mysteria, & soluta septem signacula libri ab Agno nostro, &: *Annuntiauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt.* Ratio autem harum, & sequentium differentiarum erat: quia Iudæus vt puer, Christianus vero vt vir perfectus à Deo tractatus est. Et vt naturalis cognitio de imperfecto ad perfectum procedit: ita fides eorum velut puerorum confusa fuit, nostra vero aperta, & in suos articulos distincta. Tertio, præmia illius Legis terrena erãt, & temporalia, sed quatenus pueros allicerent, & deducerent ad æterna: in Euangelio autem regnũ cœlorum proponitur, & bona, & præmia spiritualia. Quarto, pœnæ Legis temporales etiam erant, vt pœna talionis, & similes aliæ; ideo Lex timoris dicta est, vt Euangelium Lex amoris; ideo non præsentes, sed futuras pœnas interminatur. Permittit autem, imo vult, vt quemadmodum medici è corpore morbos propellunt, ita politici magistratus munus suum exerceant, tollendo perturbatores Ecclesiæ è medio, vt latrones, & homicidas, immo etiam hæreticos, & schismaticos. Quinto, quod attinet ad cultum Dei, Lex innumeros ritus, & ceremonias quasi folia sine fructu continebat, in quibus puer Iudæus occupabatur, ne peiora operaretur: spectabant etiam tales ad emundationem carnis, & figurabãt nostra. At Euangelium corda per fidem purificat: ceremonias non omnino tollit, quia homo sensibus docetur, & mouetur ad ea, quæ spiritus sunt, easque præsertim in Sacramentis adhibet, & earum formam Ecclesiæ instructioni reliquit, & ne quasi pueri simulacra colerent, prohibebantur imagines, & simulachra habere: nobis vero nihil tale prohibitum est, sed Dei, & Christi, & sanctorum imagines ad doctrinam, & cultum habere possumus, & inuitamur. Nam gladius qui puero interdicitur, viro conceditur. Ideo olim corpus Moysi defuncti inuentum nõ fuit à Iudæis, ne illo ad idololatriam abuterentur: vt etiam de serpente æneo factum fuit. Sexto, quædam ad carnis propagationem præcipiebantur, non solum quia pueri erant, sed præsertim propter Christum ex eis propagandum. Vt quod verbi gratia nullus esset mendicus, neque sterilis. Præcipiebatur etiam de quiete terræ septimo quoq; anno, & de vsu gladii in rebelles, & morigeros, si opus esset. At Euangeliũ vult virgines ad propagationem spiritus, & pauperes spiritu, qui alios secundum mundum diuites locupletare valeant. Interdicit etiam quibusdam, vt religiosis, & Sacerdotibus vsum gladii. Septimo, quædam ad duritiam cordis illicita permissa illi populo fuerunt, vt diuortium, vsura inimicorum odium, bellum etiã cum fraude cordis, multitudo vxorum, vsus concubinarum, vt quidam volunt, incestus etiam quidam nunc prohibiti: quædam etiam cordis peccata, quæ vix habebantur illicita. Dicuntur autem hæc omnia in lege permissa, quatenus peccantes non puniebat. At in Euangelio, post reuelationem venit Spiritus mansuetudinis iubens opposita, & seruans puritatẽ in coniugiis, & iustitiam cum proximis: ita vt Christus Apostolis vindictam expetentibus dixerit; *Nescitis cuius Spiritus estis.* Nec mirum si ea permitterentur, quę nũc aperte vetantur: quia tunc nox erat, nunc dies, teste Apostolo. Octauo, erat lex in quibusdam dura, vt circumcisio: quædam etiam

Marc.vlt. Altera differentia. 2.Cor.3. Exod.34. Apoc.5. Quæ ratio multiplicis huiusce differẽtiæ. Tertia differentia. Quarta differentia. Quinta differentia. Hebr.9. Actor.15. Simulachra Iudęis cur vetita. Exod.20. Quæ Christianis concessa, & quatenus. Deut. vlt. Num.21. Sexta differentia. Deut.15. Exod.23. Leuit.25. Deut.17. Matt.19. 1 Cor.7. Septima differentia. Matt.5. Quædam per se mala Lex Moysi quomodo permitteret. Luc.9. Octaua differentia.

seuerio-

Rom. 13. Gen. 17. Leuit. 12. Hebr. 10. Deut. 19. Num. 5. Leuit. 11. Rom. 8.

feueriora mandabat, quæ nunc ablata funt, vt illud, Irritam quis faciens legem Moyfi; fine vlla miferatione, duobus, vel tribus teftibus moritur: & zelotypiæ lege agebat in eos, qui fufpecti erant de adulterio: quorum vfus nobis extinctus eft. Prohibebat etiam nonnullos cibos, quia lex feruitutis erat; noftra vero eft lex libertatis, non tamen carnalis, fed fpiritualis. Ideo nihil præfcribit Euangelium de ciborum vfu; dedit tamen autoritatem Ecclefiæ, vt leges charitati, & libertati fpiritus deferuientes in ieiuniis, & delectu ciborũ condere valeat.

Ibid.

Nona differentia. Malach. 1. Ibid.

Deniq; tunc Deus erat tantum Dominus cui timor debetur, nũc Pater, cui amor: & cohibet non tantũ manum, vt lex, fed præcipue cor ab omni impuro amore, & maiorem præcipit dilectionem aduerfus inimicos. Neque contentus Christus præceptis adiunxit confilia, volẽtibus perfectiorem viam amplecti. In his igitur quafi accidentariis differebant hæ leges duæ. Nam quod ad fubftantiam, id eft, dilectionem attinet, vna eft lex: finis etiam præcepti eft charitas, & finis legis Chriftus, ad iuftitiam omni credenti. Fides ergo non tollit legẽ, fed conftabilit illam, quia Chriftus imperfecte notus, & amatus in lege perfecte in Euangelio & agnofcitur, & amatur.

Matt. 5. 1. Tim. 1. Rom. 10.

Ad II. dub.

Quod lex Euangeli ca veterem legem non folum non deftruat, fed etiam ftabiliat, & confirmet. I. Ratio. Rom. 5. Ezech 36. II. Ratio.

Moralia etiam præcepta, quæ ad legem naturæ fpectant, integra, & perfecta manent, in Euangelio: & eo magis manent, quo gratia Dei in illa adimplentur. Adhæc fcopus legis erat cognitio peccati; quod Euãgelium non folum non tollit, fed etiam confirmat. Et quod illa non poterat præftare, nempe vt adimpleretur, ipfa fides præftat, per quã impetratur fpiritus, quo perfici poffit. Deinde quod ad ceremonias attinet & iudicia, lex non deftruitur, fed firmatur: per legem fiquidem patefit, quam fuerit in fuis vaticiniis, oraculis, & figuris Deus verax, & fidelis.

Ceremoniæ Mofis, & iudicia quare fublata. Eufeb lib. 1. de Demõft. Euangel. cap 6 & 10. Matt. 5. Quid illud Non veni foluere legem fed adimplere.

Deinde etfi illa ceffauerint, merito factum eft, non folum quia illa obferuari ab omnibus impoffibile erat, vt docet Eufeb. in li. de Demonftratione Euangelica, fed etiam quia illa vfque ad Chriftum tantum tradita erat: vnde adueniente Dominõ per fe ceffare debuerat: quemadmodum adueniente luce ceffat per fe nox. Hinc Dominus dixit: *Non veni foluere legem, fed adimplere*: hoc eft, Non tollo, fed abrogo Legem, fed quia illa edita non eft nifi vfque ad me, per me impletum eft tempus, vt iam abolita cenfeatur. Non ergo fides legem Dei euacuauit; nifi illo modo, de quo Paulus ait: *Cum venerit quod perfectum eft, euacuabitur quod ex parte eft.* Sicut pueritia non tollitur per adolefcentiam, fed ftatuitur potius.

Rom. 5. Simile. 1. Cor. 13.

Tertia rat.

Tertio, confirmatur lex per fidem, quod ad ceremonias attinet, quia remanent in fenfu virili, & perfecto, quanquam ille puerilis, & Iudaicus fenfus ablatus fit, vnde impletur illud, *Os non comminuetis ex eo*, in vero agno Chrifto; & illud, *Non alligabis os bouis triturantis*, in operariis Euangelicis, qui digni funt mercede fua, finem habet. Nos vero Iudæi in fpiritu Deum laudantes, vere fpiritu circuncifi: nos mare rubrum tranfimus per Baptifmum: nos verum Phafe, hoc eft, Chriftũ immolatum celebramus: nos veram Pentecoften accepta lege gratiæ per Spiritum fanctum obferuamus: nos verum feftum Scenopegiæ agitamus, quibus dicitur ab Apoftolo, *Chariffimi obfecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abftinere vos à carnalibus defideriis, quæ militant aduerfus animam*: nos populus vere fabbatizans ab omni opere feruili peccati.

Exod. 12. Ioan. 19. Deut. 25. 1. Cor. 9. Matt. 10. Luc. 10.

Veteris legis in noua quæuam impleat myfteria. 1. Petr. 2.

Amor proximi perfectus.

Remanent ergo illa in fignificatis fuis, & æquipollentibus, & in germano amore proximi omnia fupplente iudicia: quo non folum eum lædere non debemus, verum etiam pro eius falute fanguinem fundere, fi opus fit. Denique tota lex, dum Euangeliũ nobis præfcribit illi fidem adiungere, atq; eam amplecti tanquam à Deo traditam, & eius præceptis, & ceremoniis in fpiritu intellectis vitam noftram Chriftianam inftituere, certe magnopere eo firmatur. Statuitur ergo lex per fidem, dũ impletur per gratiam in eo quod operari non poterat: veritate, in eo quod figurabat, & prædicabat: perfectione, in eo quod deficiebat: quia ignoratio in notitiam, timor in amorem, figura in veritatem, vmbra in corpus, fcripta in lapidibus, lex in legem fcriptam in cordibus venit, folia in fructus, promiffiones temporales in pollicitationes æternas, iugum importabile Mofis in iugũ fuaue Chrifti, feruitus in libertatem filiorum Dei.

Quarta ratio.

Act. 15. Matth. 11. Falfum effe dogma hæreticorum, legẽ deftrui per fidem.

Deniq; expende contra Lutheranos, per fidem nequaquam euerti legem, vt credens nulli fit legi obnoxius, cui debeat parere, fed firmari potius; quia ob id fuperius ab Apoftolo dicta eft lex fidei, non quod tantum præcipiat credere, fed quod omnia opera ex fide proficifci debere, quo diuinæ Maieftati grata fint, doceat. Nam de illa dixit Dominus: *Si potes credere, omnia poffibilia funt credenti.* Vnde aperte cognofci poteft, quam fit languida, & infirma hæreticorum fides, quæ omnem legem, fiue diuinam, fiue naturalem, fiue humanam abhorret.

Legem fidei cur vocet Apoftolus legem Chrifti. Marc. 9. Qualis hæreticorum fides.

Et de his fatis.

(?)

DISPV-

DISPVTATIO XXX.

In illa verba: *Quid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.*

Prima dubitatio. IN hoc textu primo in dubium venit, quorsum hæc Apostolus producat, & quomodo præcedentibus respōdeant. II. Deinde super testimonio ex Genesi producto de Abraham grauis dubitatio est, quomodo Apostolus Abrahæ iam iustificari exēplum produxerit, ad probandum, quod quando quis ex iniusto fit iustus, gratis assequitur remissionem peccatorum? quomodo enim illa iam iusti Abrahæ iustificatio pertinet ad reconciliationem impii? Quod autem extiterit iustus, probatur ex eodem Paulo, qui ad Hebr. 11. ait: *Fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem,* (Hebr. 11. Gen. 12.) Adhæc Gen. 13. legitur, erexisse Domino altare in Hebron, vbi sacrificauit: Et quis negare valeat illum litasse? Et cap. sequenti post cædem quinq; Regum reuersus, decimas omnium (Infra 13.) pendit Melchisedeco Sacerdoti Dei altissimi, à quo benedictus est, & panē, & vinum (Infra 14. Heb 7.) oblatum accepit. Quibus in operibus manifeste ostendit iustitiam, & gratiam, qua à Deo donatus fuerat. III. Tertio dubium est, quomodo fides Abrahæ sancti, & iustificati reputata sit ad iustitiam; non enim dixit, Credidit Abraham Deo, & iustificatus est; sed, *Reputatū est illi ad iustitiam*; volens ostēdere, indebitam fuisse ei illam iustitiam, & mere gratuitam. Quia imputari fidem ad iustitiam, est gratis fide apprehendere iustitiam. At vero illud Abrahæ credere, actio fuit iusti, & ex charitate operantis, & ad promerendum augmentum iustitiæ, sicut & ad comparādam vitam æternam valida, & efficax. IV. Quarto dubitatur, quomodo Apostolus locum ex Scriptura producat de fide, qua quis fit iustus coram Deo; cum tamen Moyses non videatur loqui de fide in Christum, sed de fide tantum, qua expectabat res temporales, nimirum posteros, & semen futurum, & ante eam nullus est sermo de fide, quæ est in Christum, & in sanguinem eius. V. Quintum dubium est, quomodo asserat Paulus, Abraham iustificatum ex fide, & non ex operibus: nam si Abraham, inquit, ex operibus iustificatus est; habet gloriam, sed non apud Deum: at Iacobus Abraham statuit iustificatum ex operibus, offerendo Isaac filium suum super altare, & amicum Dei appellatum. (Iacob. 2. Gen. 22.)

¶ Hęc omnia dubia vt tædia deuorāda sunt, & expedienda hac & sequenti disputationibus, si velimus Pauli sensum de mysterio iustificationis apprehendere.

Solutio I. dubitat. Quomodo hæc Apostoli sententia de iustificatione superiore coniungenda sit. Quantum igitur ad connexionem attinet, docuerat superius Apostolus, Iudæorum gloriationem exclusam, quam à Mosis lege sibi tribuebant, sibique solis viam iustificationis vindicabāt: nunc eam quoque adimere nititur, quæ ab Abraham veniebat, qui eorum pater dicebatur, ac promeruerat circumcisionem accipere, ac benedictionem sibi; ab semini suo promissam. Cum ergo superius dixisset; *Quid ergo amplius Iudæo est* (scilicet à lege) *aut quæ vtilitas circumcisionis*? (Rom. 3. Gen. 17. Rom. 3.) nam in vtroq; materiam glorificandi sib. assumebat. Et cum priorē partem absoluisset, dicens, quod ex operibus legis non iustificatur omnis caro corā Deo; idem ostendit de circumcisione, si per seipsam sola consideretur. Ad hæc cum dixisset, per fidem iustificari præputium, & ex fide circumcisionem sine operibus legis, (Ibidem.) inter quæ non infimum erat circumcisio, ex eo quod ante legem fuit data sancto Abrahę; proprerea de ea peculiariter disserit. Idcirco in persona Abrahæ, cui tantum tribuebant Iudæi, vt efficacius esset argumētum, proponit. (Gen. 17.) Et solutio est, eum ex operibus legis, vel ex circumcisione non iustificatum, sed ex fide: quod probat testimonio Moysis, & altero Dauidis. (Ioan. 7. Rom. 4.) Deinde addit, quorsum acceperit circumcisionis religionem, ab eo loco: *Et signum accepit circumcisionis*. (Ibidem. Ibidem.) Tertio addit, quod nec futuræ benedictionis promissio facta sit per legē, cum promissio non tantum ipsam legem, sed etiam circumcisionem antecesserit. Et hoc ab eo loco: *Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini eius vt hæres esset mundi; sed per iustitiam fidei.* (Ibidem.) Postremo fidem Abrahæ mirifice commendat in finem vsq; capitis quarti.

Altera ratio connexionis. Potest etiam hic tractatus de Abraham cum vltima clausula superiori coniungi. Concluserat enim, legem per fidem non aboleri, sed stabiliri: & probat, quia fides fuit circumcisionis fundamentum: nam & ipse Abraham Pater omnium per fidem iustificatus est, antequā circumcideretur, (Ibidem.) & signum accepit circumcisionis, tanquam signaculum iustitiæ fidei. Si ergo circumcisionem non sustulit, sed posuit potius, ergo neque legem. Et hæc sint satis de hac connexione.

Ob tria potissimum adhibere solet interrogationẽ Apostolus.

Incipit ergo ab interrogatione more solito, vt vehementiam, confidentiam, & perspicuitatem dictis suis addat. ¶ *Quid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secũdum carnem?* Hoc est: Quid vtilitatis inuenit Abraham, si etiam præputium iustificabitur siue circumcisione, vel si iustitia tantum est ex fide, & non ex circumcisione? Et supplendum est verbum, nihil inuenisse etiam per circumcisionem, quia ante eam iam iustificatus extiterat. Et quia Abraham forma, & typus erat eorum, qui consecuti erant fidem, & benedictionem, Apostolus nos ad ipsum Abraham mittit, vt olim Esaias idem conficiebat: *Attendite*, inquit, *ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Vnde doctrinam præsentem, an videlicet quis ex fide, an ex operibus iustificetur, ab ipso addiscendam proponit. Verbum, inuenisse, more Hebræo vsurpauit pro eo, quod est adipisci, iuxta illud Angeli ad Virginem, *Inuenisti gratiam apud Deum*, & Moyses, *Si inueni gratiam in conspectu tuo*; & Dominus in Euangelio, *Inueni ouem meam, quæ perierat.* Et iterum: *Inuenietis requiem animabus vestris.* Rursus Apostolus: *Non inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eum.* Certe verbum Græcum εὑρηκέναι, id quod casu, vel minime sperabatur obtineri, significat. Et quia Græca litera habet, inuenisse secundum carnem, & non, patrem nostrum secundum carnem, vt Textus noster; idcirco iuncta particula, Secundum carnem, cum verbo, inuenisse, duplicẽ efficere potest sensum. Primum, quid inuenit secundum carnem, id est, quamdiu caro, & peccator erat, quomodo ille iustificationem comparauit, alludens ad superiora Apostoli verba: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Alter sensus est beati Ambrosii: *Quid*, inquit, *inuenit Abraham, vel, Quid promeruit Abraham per illam carnis circumcisionem, vel: Quid inuenit pro his, qui secundum carnem ex ipso prodituri erant?* quo modo interpretatur Anselmus. Et videtur in idẽ recidere: nisi quod in illo sensu Ambrosii dicendum fuisset: Quid dicemus inuenisse per carnem, non, secundum carnem, nisi quod, secũdum, interdum accipitur pro, per, vt etiam ibi: *Ascendi Ierosolymam secundum reuelationem*, id est, per reuelationem. Si vero particula illa iungatur cum voce, patrem, vt accipiunt Origenes, & Augustinus, & Græci omnes, ita vt per hyperbaton, siue per traiectionem sensus fit: Quid dicemus inuenisse Abraham, qui secũdum propagationem carnalem pater est omnium nostrum, planior, & suauior esset sensus. Nã & paulo inferius ait Abraham esse patrem omnium credentium per præputium: de cuius fide dixit B. Præcursor; *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Congruit ergo, vt interpretemur, patrem secundum carnem. Apud spirituales enim simpliciter dicuntur spiritualia, carnalia vero κατά τι: contra vero apud carnales carnalia simpliciter esse dicuntur, spiritualia vero secundum quid. Vnde carnaliter dicebant Iudæi; Pater noster Abraham est: quibus obiecit Christus, *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Dixit autem Apostolus: *Patrem nostrum:* non tantum, quod ipse esset proles Abrahæ, sed præ ertim, quod in more haberet hanc humilitatem; vt dum Iudæus deprimere cogitat, seipsum vna cum eis connumeraret. Propositæ ergo interrogationi respondens, ait: Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum: negans in primis, illum inuenisse iustitiam ex operibus. Deinde inferius ait, quod inuenerit signum circumcisionis, quasi signaculum iustitiæ fidei. Et est sensus: Si certe (particula enim, non est causabilis, sed assertiua, vt alias) Abraham ex vllis operibus vel naturæ, vel legis, vel circumcisionis dixeris iustum effectum. aut iustum pronuntiatum: habet certe gloriam, siue gloriationem (id enim proprie verbum Græcum καύχημα significat) apud quos probã, & innocentem vitam gessit; homines namq; cum cor non possint intueri, ex rectis, & bonis operibus de homine pronuntiant: verum gloriationem apud Deum non habent, cui fide impossibile est placere. Et producto exemplo ex Genesi, argumẽtatur à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, hoc modo. Abraham si ex operibus iustificatus est, habet gloriam apud homines, sed non apud Deum, quia credidit, & imputatum est illi ad iustitiam: ergo non ex operibus, sed aliunde, id est, ex fide iustificatus est. ¶ Quo ex loco elicimus, duplicem esse iustitiam: alteram fidei, operum alteram. Iustitia enim non tantum dicitur illa legis scriptę, quam tot seculis antecessit Abraham, sed ex naturali legis opera: & talia habere potuit Abraham. Primo, quod ad veram, & moralem iustitiam non satis sit opera fieri, nisi rectus animus adsit. Etenim cum corda ab hominibus non videantur, sæpe sinistro animo opera exhibita ab hominibus iusta falso dicuntur. Deinde, quoniam etsi eiusmodi opera sola facultate naturali efficiantur iuxta legem, & intẽtione honesti, sine alia praua circunstãtia,

De Abraham exemplũ cur sumpserit.

Esai.51.

Hebræis inuenire idem est sæpe quod consequi.
Luc.1.
Exod 33.
Luc.15.
Matt.11.
Heb.12.
Gen 27.

Lectio illa Græca: Quid inuenit Abraham secundum carnem habet duplicem sensum.
Rom.3.

Ambr. hoc loco, to 5.

Ansel ibid. tom 2. propoinit.
Propositio Secundũ, solet interdum accipi pro, Per.
Galat.2.
Altera sol. Quid inuenit Abraham pater noster secundum carnẽ quid significet.

Orig.li.4. in epi. ad Rom.10.2.
August. in præfat. in Psal 3.10.8.
Rom.4.
Matt.5.
Spiritualia spiritualib. & carnalia carnalibus quomodo dicantur.
Ioan 8.
Ibid.
Paulus cur vocauerit Abraham patrem nostrum.

Rom.4.

Dictio, Enim, non semper causam reddit, sed interdum etiam confirmat.

Hebr.11.

Duplex iustitia, operum, & fidei.

Prior illa quid, & quotuplex

Eadem iustitia apud homines vocatur dupliciter.

etiamsi

etiamsi non sint iusta apud Deum, nec remittāt peccata, nec ab eo magnipendātur. nec simpliciter sint virtutes dicendæ, quia ab infimo principio oriuntur, & ab homine peccatore; sunt tamen suo more ciuiles, & morales actiones, & honoris præmio, qui debetur virtuti, dignæ, & propter quas operantes iusti in externa republica habentur. Et de his dicimus, tales operātes habere occasionem gloriandi apud homines in seipsis, quasi non acceperint. Tamen qui in Domino gloriatur, nō potest gloriari quasi non acceperit; nam dona naturæ debita quasi propria, & non accepta reputamus: quæ vero supra naturā sunt, & gratis à Deo conferuntur, quanquam revera non tantum gratia, sed etiā natura donum Dei sit, & de vtroq; non nisi in Domino gloriandum, & pro illis gratiæ agendæ, ac referendæ. Altera iustitia est Dei, siue fidei, quæ alta est, & à solo Deo spectatur, à peccato liberat, & gloriam apud Deum promeretur. Estque sine comparatione maior, & cedit in maiorem Dei gloriam: ideo à solo Deo quærenda est. Quod adhibetur: *Ex operibus legis*, in Græco non est vox legis: nec videtur adiicienda, quia lex non erat tempore Abrahæ, quæ multo fuit posterior. Et quāquam B. Ambrosius cum illa particula legat, interpretatur tamen etiam de naturali lege. Ad hæc circumcisio quia mansit in lege, & Abrahę data est, posset dici opus legis vt Ioan. 7. Adde quod de Abrahā legimus multas ceremonias obseruasse, de quibus Deus ad Isaac dixit: *Eo quod obedierit Abrahā voci meæ, & custodierit præcepta, & mandata mea, & ceremonias, legesq; seruauerit.* Ex quibus apparet, aliquos ritus legales Abraham obseruasse, & fidem eius opera non ademisse, sed posuisse potius. Obserua etiam diligenter, Paulum hoc loco (quod Augustinus in Psalmum 31. obseruauit) cum ait: *Abraham si ex operibus iustificatus est, habet gloriam apud homines, sed non apud Deum*, sermonem habere de operibus sine fide, sed non de his, quę ex fide prodeunt, quibus Abraham, teste Iacobo, iustificatus est amplius. *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Hoc est, vtrum Abraham habuerit gloriam apud Deum, non apud homines; iustus ne fuerit ex operibus, an ex fide, Scripturam consulamus, quæ eius rei nobis certa testimonia suppeditabit. Postquam enim B. Abraham reuersus à cæde quinq; Regum, cum timeret, eiusmodi victoriam sibi in mercedem dandam; *Factus est*, inquit, *sermo Domini ad Abraham, per visionem, dicens, Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Dixitq; Abraham, Domine Deus, quid dabis mihi?* id est, Quod est perueniendi ad gloriam tuam, quam mercedem magnam vocasti, subsidium, & adiumētum? Erit ne Messias ex semine meo, vel semine Eliezer? dummodo ille veniat, non curo: nam subdit textus Scripturæ: *Ego vadam absq; liberis, & ecce vernaculus meus, scilicet, filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer hæres meus erit. Respondit q; Dominus, Nō erit hic hæres tuus, sed qui egredietur ex vtero tuo*, id est, Messias, qui descendet ex vtero Virginis filiæ tuæ: ideo dixit, De vtero tuo: quo modo etiam Dauidi promisit, cum dixit, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Sequitur in Genesi: *Eduxitq; eum foras, & ait illi, Suspice cælū, & numera stellas, si potes, Et dixit ei, Sic erit semen tuum.* Hebraice dicitur, Hic, scilicet in cœlo, erit semen tuum. Et sequitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Ponderat Apostolus in illa sententia illud verbum: *Et reputatum est illi ad iustitiā*, quod scilicet Dei gratia, & benignitate iustitiā sit adeptus. Perpende etiam Hebraice dici per orationem actiuā ויחשבה לו צדקה id est, imputauit illi ad iustitiam. Et repetendum est ἀυτὸ τῷ αὐτῷ Deus, qui imputauit. Septuaginta vero Interpretes prudenter eam in passiuam orationem conuerterunt (sicut alias sæpe solent facere) ϗ ἐλογίσθη ἀυτῷ εἰς δικαιοσύνην, id est, imputatum est ei ad iustitiam. quos secutus est Apostolus, vt semper solet, quo res planior fieret & apertior. Quanquam quidam extrinsecus aliquid supplent, quo oratio sit perfecta, in hunc modum: Credidit Abraham Deo, & mundus ob eam causam habuit Abraham pro viro probo, & iusto. Sed hoc est addere verbo Dei, & testimonium Apostolicum prorsus euertere. Nec enim mundus, sed Deus imputauit illi ad iustitiam. Voces enim Latinas obserua, reputare, siue imputare, & accepto ferre, & vt alii vertunt, deputare, vni soli voci Græcæ respondere, nēpe λογίζεσθαι quæ in bonam partem, & in malam accipi consueuit. Et imputare, non tantum in malum accipitur, vt solet, vt ibi: *Si aliquid nocuit tibi, aut debet, imputa mihi: Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* id est, Quis vitio vertet? & Paulus; *Omnes me dereliquerunt: non illis imputetur*; &, *Deus erat in Christo mūdum reconcilians, non reputans illis delicta ipsorum.* Et iterum: *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*: apud Iob quoq; dicitur; *Vt non nobis imputetur stultitia.* Quod quidem ob id annotamus, quod interdum etiam in bonum accipiatur: vt quotties ait Apostolus, fidem Abrahæ imputatam ad iustitiam

Quænam opera habeant gloriam apud homines, sed non apud Deū.

1. Cor. 4.

2. Cor. 10.

Donorum naturæ, tū gratiæ, vtra que à Deo proficiscuntur. Fidei iustitia qualis sit.

Ioan. 5.

Lectio illa: Ex operib. legis quare non probetur.

Ambros. hoc loco.

Eadem lectio quatenus tolerari possit.

Ioan. 7.

Gen 26.

Supra 13.

Abraham cū in quit Apostolus ex operib. iustificatū, de quibus operibus loquatur.

August. in præfa. super Psal. 31.

Iacob. 2.

Gen. 15.

Supra 14.

Infra 15.

Hæres Abrahæ ex vtero descendens quinā ille.

Psal. 131.

In hac sententia: Et reputatum est illi ad iustitiam, quædam animaduer sione digna

Iuxta Septuaginta cur Paulus hunc locū protulerit.

Hæretica cuiusdam reiicitur interpretatio.

Imputare in malum, vbi.

Philem.

Sap. 3.

2. Tim. 4.

2. Cor. 5.

Psal 31.

Rom. 4.

Iob. vlt.

Vbi in bonum imputare vsurpetur.

ſtitiam: ita Eraſmus, & interpres noſter vertit. Idem etiam poſſumus autoritate Senecæ comprobare, qui in Conſolatione ad Martiam: *Optime, inquit, de poſteris meruiſti, ad quos perueniet incorrupta rerum fides magno autori ſuo imputata.* Vbi imputata ponitur in bonam partem, & autoritate interpretis noſtri, & Eraſmi, qui verterunt, Imputatum eſt ei ad iuſtitiam, idem confirmatur. Et quia in huius verbi propria ſignificatione totius huius Paulinæ diſputationis neruus, & baſis collocatur, quod attinet ad gratuitam iuſtificationem, perpende, Imputare, nihil aliud eſſe, quam id, in quo aut res, aut perſona deficit, gratis, vel ob cauſam inſitam perinde habere, atque æſtimare, ſiue ad mercedem, ſiue ad vindictam, ac ſi aliud, quod non adfuit, vere adfuiſſet: ſeruata tamen aliqua proportionis lege, vt id núquã aut adſcribatur, aut imputetur, vel ad præmium aſſequendã, vel ad pœnam ſubeundam, quod adeſſe nec debuit, nec potuit. Verbi gratia, vt quis Chriſti membrũ conſtituatur, fidem habere debet: ſed cum infans per ætatem illam habere nequeat, baptizatur, & ipſum Fidei Sacramentum per imputationẽ eſt fides ad regenerationem ſpiritualem imputata: quemadmodum adultis actus ipſe credendi pro fide imputatur ad iuſtitiam. Similimodo quod vni membro fit, capiti ipſi fieri imputatur, iuxta illud: *Quamdiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*, ſicut & iniuria illi facta, ipſi Chriſto fit, iuxta illud: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* & Paulus ad Corinth. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.* Eſt deinde aliud genus imputationis, quo qui non ſunt tales, pro talibus habentur noſtro arbitrio, & voluntate. Ita dixit Iacob ad Ioſeph: *Duo filij tui, qui nati ſunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim, & Manaſſes, ſicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi*; id eſt, tanquam reliqui mei filii partem habebunt in hæreditate, ac ſi non tui filii, ſed mei eſſent. Ita Eſaias loquitur: *Nonne adhuc in modico, & in breui conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in ſaltum imputabitur?* id eſt, Gentes ſignificatæ in monte Libano, habebũtur pro Iudæis veris Dei cultoribus: & Iudæi ſignati in Charmelo reputabuntur vt arbores infructuoſæ. cap. etiam 2. huius epiſtol. dixit Apoſtolus: *Si autem præuaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt, Si autem præputium iuſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur?* quod eſt perinde ac dicere, ſi legem non obſerues, circumciſio tua reputabitur infructuoſa, vt præputium. Contra vero, ſi præputium legis iuſtitias cuſtodiat, eius præputiũ imputabitur ad fructum circumciſionis. Et Salomon in Prouerbiis: *Stultus ſi tacuerit, ſapiens reputabitur*, id eſt, vt ſapiens habebitur. Contra vero ſapiẽs ſi non tacuerit, vt ſtultus habendus erit. Deniq; præter hos modos imputãdi eſt alius, quo vnius hominis factum in maius præmium, quam ex ſe valeat, imputatur: vt viduæ proiicienti duo minuta in Gazophylacium, imputantur à Chriſto pro maiori munere, quam quod alii diuites obtulere. Pauca ergo offerenti in plura ex gratia reputãtur, quaſi re vera plura obtuliſſet, quam alii. Illuſtremus alio loco. Vndecima hora vocatis ad laborandum in vinea, labor vnius horæ ad mercedem imputatur integri diei, hoc eſt, denarium, qui laboranti à prima ad duodecimam horam datur pro labore totius diei. Atque de hoc vltimo imputationis genere eſt hæc fides, de qua agimus. Fidei enim actus, quo credimus in Chriſtũ, vt motus aliti illi coniuncti, propter ipſum Chriſtum pro nobis mortuum, imputatur nobis ad actum maioris pretii, quam illa vere ſit in ſeipſa, nimirum ad iuſtitiam, vt donetur diuinum iuſtitiæ munus, quo poſſimus iuſti apparere coram Deo, & legem totam præſtare, & ex conſequenti ad totius iuſtitiæ mercedẽ: quod non oritur niſi ex benignitate, & miſericordia Dei acceptantis noſtra officia parua, & pro illis maxima præmia præſtantis, quod eſt diuinæ munificentiæ teſtimonium. Atq; hoc expendit Paulus, cum ait: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei.* Vbi Apoſtolus hac argumẽtatione vti videtur: Iuſtitia Abrahæ fuit imputatiua, ergo non fuit ex operibus. Probatur illatio, quia iuſtitia imputatiua eſt indebita & gratuita: ſicut illa, quæ eſt ex operibus, debita eſt, & ſub meritum cadens: ergo illa Abrahæ ex fide fuit, non ex operibus. Et ſubiungit: *Secundum propoſitum gratiæ Dei.* Quæ verba etſi in Græcis codicibus non inueniantur, nec in Græcis eius enarrationibus, habent tamen ea verba Ambroſius, & Hieronymus, & alii; nec per ea quicquam ſentẽtia immutatur, imo apertior redditur: quia ſecundũ ſuum beneplacitum, & benignum decretũ imputat ad iuſtitiam, non autem propter dignitatem ipſius fidei. Ponit autem Apoſtolus duas antitheſes in quatuor vocibus ad ſtabiliendam hãc ratiocinationem. Opponit enim operanti, & non credenti, non

Seneca.

Quid ſit imputare.

Exemplũ.

Matth. 25.

Actor. 9.

1. Cor. 8.

Alia quædã imputatio.

Gen. 42.

Supra 41. Ioſu. 13. & 14. & 18.

Eſai. 29.

Illud Eſaiæ: Nonne adhuc in modico & in breui conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur, quid ſignificet.

Rom. 2.

Prou. 17.

III. genus imputationis.

Luc. 21.

Duplex exemplum

Matt. 20.

Quid proprium Dei munificentiæ.

Rom. 4.

Quomodo Apoſtolus arguat Abrahæ Iuſtitiam nõ eſſe ex operibus, ſed ex fide.

Illa verba: Secundum propoſitũ gratiæ Dei. cur minime reiiciẽda

Ambr. hoc loco.

Hier. ibid. tom. 9.

operan-

Prædictæ argumentationis Apostolicæ ratio explicatur.

operantem, & tamen credentem. Deinde apponit gratiam debitę mercedi. Vocat autem operātem, vt etiam in aliis locis facit, qui iusto aliquo opere facit sibi debitā mercedem: vnde à coniugatis operarii, & mercenarii idem sunt, & opus meritū, cui debetur merces, secundum illud: *Est merces operi tuo*: non operans autem, & credens, ille est, qui nulla legis alicuius opera præstitit, sed fides, quam habet Deo pollicenti, est principium assequendi beneficium. Ita vt sic inferat: Si quis obtineret iustitiam apud Deum tanquam operans, talis iustitia non conferretur ei quasi ex gratia, sed retribueretur ei, vt iusta merces operi suo debita. Si autem impenditur ei, qui nunquam antea operatus est, sed ob hoc solū, quod credidit pollicenti remissionem peccatorum, & iustitiam, certe non redditur ei vt debita, sed gratis ob Dei misericordiam, & benignam voluntatem: at hoc modo efficitur impii iustificatio, igitur gratis credēti contingit, & non redditur tanquam operibus debita.

Ierem. 31.

Filiorum Dei opera vnde proficiscantur.

¶ Ex quibus, si recte pensentur, nemo colligere potest, iustorum merita Apostolum auersari: nam filiorum Dei opera, ex spiritu fidei à membris Christi fiunt, vt non tam sint hominis, quam Christi in eis operantis: recte tamen sequitur, iustos nihil promereri posse apud Deum ex vi iustitiæ, bene autem ex quodam iustitiæ debito, quod diuinæ gratiæ, & misericordiæ nititur, ex pacto Dei cum illis ex gratia sua inito.

Quā falso, & inepte ex propositis Pauli verbis hæretici colligant, nuda esse merita iustorum.

¶ Quod ergo obiiciunt hæretici ex hoc loco argumentantes: Si essent vlla iustorum merita consequeretur, hominem iustificari ex operibus, & saluari ex meritis operum: falso colligitur. Quia ad adeptionem iustitiæ nullum est meritum: ad æternæ vero salutis gloriam comparandam, est quidem meritum, sed misericordiæ, & gratiæ Dei nixum. Et quicquid hic Paulus disputauit de operibus, quę vim merendi habent, intelligit illa non proficisci ex fide, sed vt illi sunt condistincta.

Alter sensus eiusdē Pauli sententiæ parū idoneus.

¶ Quidam tamen intelligunt, Paulum loqui de quibuslibet operibus, & iis, quæ sunt à fide: sed illi aliter interpretantur. Aiunt enim; *Ei, qui operatur opera iustitia ex fide, merces æterna vita non reputatur secundum gratiam tantum, sed etiam secundum debitum*: quod etsi verum sit, simplicius tamen, & germanius exponitur priori modo.

Tertius Origenis germanus, & verus. Orig. lib. 4. tom. 3.

Recte autem hūc locum explicauit Origenes, dicens perfectam fuisse fidem Abrahæ, quæ meretur ad iustitiam reputari: *Quoniam*, inquit, *non ei, qui ex parte, sed ei, qui perfecte credit, fides ad iustitiam imputatur*. Quæ verba deridens Theodorus Beza, mirum in modum in eum stomachatur: quasi Apostolus hanc fidem inferius non extollat, & pulchris verbis amplificet. Nec asserit, quod mereretur eiusmodi fides, sed quod ex bonitate Dei accepta est, quasi pro mereretur ex gratia Dei id, quod non poterat ex natura. Et subiungit Beza: *Non pudet Origenem dicere idem quod fidei accidit, cæteris virtutibus contingere, nimirū misericordia, mansuetudini, humilitati precibus, vt & ipsa ad iustitiam reputentur.*

Illum immerito, & temere dānat, & irridet Beza Theodorus insignis hæreticus. Quænam virtutum officia (præterquam solā fidem) neget ad iustitiam imputari hic nebulo. Istum hominē quæ clament Scripturæ meodacem & impium.

Sed sinamus Bezam rumpi præ zelo suæ sententiæ, & asseramus, nouum non esse in Scripturis, alias virtutes reputari ad iustitiam. Ecce de zelo Phinees quid testetur Dauid: *Et stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio. Et reputatum est illi ad iustitiam.* Vides interfectionem fornicantium zelo à Phinees factam, reputatam ad iustitiam? Et 1. Machab. 2. de oblatione Isaac, quā fecit Abraham, dicitur: *Abraham nonne in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam?*

Psal. 105.
Num. 25.
1. Mach. 2.
Gen. 22.

Simili ratione asserimus, reputatam ad iustitiam humilitatem, & orationem Publicani, lacrymas & pœnitentiam peccatricis, restitutionem in quadruplo, & eleemosynas in pauperes Zachæi, & de Moyse dicitur: *In fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum.* Nam hi omnes, & similes boni motus virtutum ex fide orti disponunt ad iustitiam assequendam, & simul cum ea ad iustitiam imputantur. Reliquas dubitationes disputatio sequens expediet.

Luc. 18.
Supra 2.
Infra 9.
Eccl. 45.

DISPVTATIO XXXI.

In qua propositis dubitationib. circa testimonium ex Genesi productū (scilicet, *Credidit Abraham Deo*, &c.) agitatis, & in medium propositis, respondetur.

Gen. 15.

CVm multa sese nobis obtulerint, quę ad explicationem loci ex Genesi à Paulo producti faciebant, ne longior prodiret illa disputatio, consultum putauimus in hunc locum seruare ea, quæ à principio discutienda, & disputationis eote examinanda proposuimus. Fuit igitur secundo loco dubitatum, quomodo Apostolus actum Abrahę iam iustificati coram Deo assumat, ad probandum iustificationem illā, qua peccator assequitur veniam delictorum, & ex impio pius efficitur? Non enim ex illo credendi actu tunc Abraham iustus ex iniusto constitutus est, cum antea fidei iustitiam per egressum de terra sua, & per alia opera iusta se coram Deo iustum fuisse demon-

II. dubitat. proposita. Quam idonee Paulus ex fide, & non ex operibus impii iustificationem Abrahæ iam iusti probet exemplo.

Qualis hęc Pauli argumentatio videatur.

ſe demonſtrauerit. Fuitq; perinde ac ſi quis iuſtus modo ſuſciperet aliquem articulum Fidei à ſe antea ignotum, quod nunc tamen Eccleſia credendum proponat. Nam qui ſic proponenti fidem haberet, non tunc iuſtitiæ habitum aſſequeretur, ſed actum iuſtitiæ præſtaret, qui dignus eſſet diuina remuneratione.

Prima sol.

Reſpondemus in primis, Apoſtolum capite ſuperiori non tantum egiſſe de impii iuſtificatione, ſed generatim de omni prorſus iuſtificatione, tam prima, quam ſecunda, id ipſum contendiſſe. Dixit enim in genere, *Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*: id eſt, Colligimus hominem ex pio magis pium, & ex iuſto magis iuſtum ex fide ſine operibus, quę fiunt ſine fide per legis doctrinam, ſiue per vires liberi arbitrii: quemadmodum hoc loco accepit opera, cum dixit: *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* Atque ita optime quadrat Scriptura Geneſis: nam ſicut Scriptura loquitur de Abraham iam iuſtificato: ita principalis ſententia loquitur de quanis iuſtificatione. Atque in hac quidem reſponſione id eſt firmum, & ſolidum, Paulum agere de operibus vt prodeunt ſine fide: nam palam diſtinguit fidem ſine operibus: & iuſtitiam operum à iuſtitia fidei. Si ergo non contingit iuſtitia per opera, ergo per fidem.

Rom 3.

Altera sol.

Verum quoniam dubium eſt, an in priori diſputatione Apoſtolus egerit de iuſtificatione ſecunda, qua ex iuſto quis fit iuſtior, & aperte dicat: Credenti in eum, qui iuſtificat impium, & tam accurate vrgeat verbum imputandi in Geneſi poſitum, aperte declarauit, ſe loqui de prima impii iuſtificatione, vt etiam tradit Auguſtinus in li. octoginta trium quæſtionum, & in præfatione Pſalmi 31. quem merito ſequitur B. Thomas: propterea non incommode alio modo dici poſſet, Apoſtolum non inquirere, quando Abraham iuſtificatus eſt coram Deo: cum autem ibi aſſeratur iuſtus ex fide, ſequitur, quod ex fide, & non ex operibus præcedentibus. Vnde illud verbum: *Credidit Abraham Deo*, referri poteſt ad omnes promiſſiones Dei præcedentes, etiam Gen. 12. poſitas, quaſi tunc primo iuſtificatus fuerit: & tamen narratur Geneſ. 15. quaſi per recapitulationem, & ibi aptiſſime appoſita eſt ex fide iuſtificatio Abrahæ. vbi promiſſio de Meſſia venturo ſub ſemine multiplicando, vt ſtellæ cœli, & pollicitatio mercedis æternæ ſub illis verbis: *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis* continentur.

B. Aug. lib. 83 quaſt. q. 70. to. 4. Idem to 8. B Tho. in hūc locum, lect. 1. to. 16.

Gen. 12.

Infra 17.

Quod ſi vrgeas ex Auguſtino in Pſalm. 31. & Theophylacto, hic agi de iuſtificatione, quæ eſt peccatorum remiſſio, vt conſtat ex ante dictis: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*; & ſubdit: *Propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei*: Et poſt locum quem ediſſeruimus, alium producit ex Dauide: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*, & cæt. vbi aperta mentio eſt de prima iuſtificatione; ac proinde ad rem non eſſe teſtimonium de Abraham iuſto, & ampliorem iuſtitiam promerente: Reſpondendum eſt, quod eadem eſt ratio poſterioris atque prioris iuſtitiæ. Nam vt impii iuſtificatio gratuita eſt, & non per legem, vel per vires liberi arbitrii, ſed per fidem diuinæ miſericordiæ in Chriſto promiſſæ efficitur: & ad eum modum iuſtitiæ augmentum per vires liberi arbitrii, vel per doctrinam legis non perficitur, ſed per fidem gratis impetrantem, ſiue merito, quod gratiæ Dei nititur, iuſtitiæ incrementum, & vitam æternam. Ita vt ſicut recte dicitur corona vitæ propter meritum operum, quæ ex fide oriuntur, & diuinæ gratiæ innituntur; ita etiam ſecundum hanc conſiderationem, qua fides reputatur ad iuſtitiam, recte dictum eſt ab eodem Apoſtolo: *Gratia Dei, vita æterna.*

Aug. ibid. Theophyl. Rom. 3. Infra 4.

2. Tim. 4.

Apoc. 2.

Rom. 6.

Tertiæ dubitationis ſolutio. Abrahæ fides quomodo imputata ad iuſtitiam dicatur, cum iam iuſtus eſſet.

Ad tertiam difficultatē dicendum, quod cum Apoſtolus ageret in Iudæos, qui ſuis operibus omnia tribuebant, & nec in impii iuſtificatione, nec in bona vita gratiam agnoſcebant; recte Apoſtolus vtrumq; docet munus eſſe gratuitum: quemadmodum etiam æterna vita modo bonis operibus redditur, modo etiam ex gratia donatur, vt dixit Apoſtolus. Sic etiam bonæ omnes operationes filiorum Dei, & paſſiones huius temporis dicuntur non eſſe condignæ ad futuram gloriam, quæ reuelāda eſt, conſiderando videlicet naturam nudam ſine gratia, & ſine Dei peccato. Modo vero legimus eſſe condignas, & meritorias æternæ mercedis. Hinc illæ voces: *Ambulant mecum in albis, quia digni ſunt*, &c. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui. In reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* Ad eum prorſus modum de iuſtitiæ augmento ſentiendum eſt. Illud enim ſuperius ex operibus fieri dicitur, iuxta illud, *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*, & Iacob. *Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare*, & Ioannes, *Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt.* Et nihilominus vere dicuntur imputari, ſiue reputari, quia à Deo acceptantur ad augmentum ipſius virtutis. Vnde Abraham in tentatione inuentus eſt fidelis, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, vt ſuperius ex libro Machabæorum produximus: *Et Phinees ſtetit*

Rom. 6.

Infra 12.

Paſſiones huius temporis vt nō ſint condignæ ad futuram gloriam in nobis reuelandam.

Apoc. 3. 2. Tim. 4.

Quomodo ex operib. augeatur iuſtitia.

Apoc. vlt. Iacob. 2. Gen 22. 1 Ioan 3. Eccl. 44.

Gen. 15. Psal. 105. Num. 25.

& placauit (scilicet Deum precibus, & sacrificio) *& cessauit quassatio, & reputatum est illi ad iustitiam*; vt intelligas, non solam fidem, sed etiam bona opera ad iustitiā reputari: quia quicquid est in illis vel iustitiæ, vel meriti, totum id nititur vel gratiæ, vel liberalitati diuinæ. Quanquam recte dici possit, Abrahæ fidem reputatam ad meritum aduentus Messiæ, vel ad bonorum temporalium impetrationem, quæ ex sua natura bona opera non promerētur, quia de illis dandis non est pactum in Scripturis. Zelus quoq; Phineæ posset ad tollendam plagam, & ad Sacerdotium legis internæ dici reputatus. Solidius tamen dicimus, ob nudam naturam, cui gratia, & gratiæ incrementum datum comparatur, reputationem vocari.

Altera sol. non inepta.

Euangeliũ cur careat temporalium promissione bonorum.

Ad quartũ dubium. Anapte Apostolus Mosis de Abrahæ fide testimonium hoc loco produxerit.

Ad quartam dubitationem respondemus, fidem, de qua est sermo, non fuisse de re solum mere corporea, & temporali, vt de carnali posteritate, & semine futuro, sed etiam de re mere spirituali, & de vno semine, in quo benedicerētur omnes nationes terræ: de quo Genes. 12. dixit; *Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi*, &c. *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ*. In te, inquit, id est, in semine tuo, vt declarauit Genes. 22. Quare videtur promissio c. 15. de multiplicatione sicut stellæ cœli, intelligēda de posteritate cœlesti felicitate sublimanda, vt explicauit Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei. Omnes enim fideles sunt filii Abrahæ, & Ecclesia vocatur regnum cœlorum. Ex eo etiam ostenditur, quia Chaldaica versio habet: Credidit Abraham in verbo Dei, (id est, in Christo, qui est Dei verbum) & reputatum est illi ad iustitiam. Nam etsi exeundo de Charram, & in erigendo altari, Genes. 13. & dando decimas Melchisedeco, Deo gratus extiterit, & iustus: ante tamen quam ei semen promitteretur, nunquam fidei, vel iustitiæ testimonium habuit in Scripturis antiquis. Tum vt fides quæ ad iustitiam acceptatur: ea esse intelligatur, quæ de Messia est implicite, vel explicite cognito: tum etiam vt nō quælibet fides nuda, sed etiam cum bonis operib. ornata de promisso semine Iesu Christo ad iustitiam inprimis, & deinde ad vitā æternam reputetur.

Gen. 12.

Infra 22. Quænam Abrahæ seminis multiplicatio secundum Aug. B. Aug. ca. 13. tom. 5.

Gen. 12. Act. 7. Infra 13. Infra 14. Hebr. 7.

Quando primum Abraham iusti, vel fidelis nomē habuerit.

Quinti dubii dissol. Si Abrahā ex fide est iustificatus vt Paulus docet, quomodo ex operibus, vt B. Iacob.

Ad quintā difficultatem respondemus, quod cum superius cap. 3. explicata sit, non est quod actum agamus. Nam aperte Apostolus Paulus loquitur de prima iustitia, quæ fide constat, & merita non exigit, vel opera, quæ meriti rationem habent: quanquam & ea non reiiciat, quæ simul cum fide ad iustitiam reputantur. Iacobus vero Apostolus de posteriori loquitur iustificationis genere, quo non tantum incrementum iustitiæ, sed & ipsam mercedem æternæ vitæ promeretur.

Iacob. 2.

Iam paucis verba ponderemus: *Credidit*, inquit, *Abraham*. Sine vllis signis, quę fidem facerent, & sine vllis euidentibus rationibus rem futuram supra sensum, & supra rationem, quod semen eius esset futurum sicut stellæ cœli. Et Deo credidit, id est, veritati primæ loquenti, & rem pręclaram pollicenti. Et quia Hebraice dicitur, in Deo, & Chaldæus interpres habet, in verbo Dei; ostendit, naturam fidei esse niti autoritati dicenti, & fiduciam nostram erigi ad expectandum promissum in Dei fidelitate, & veracitate. Subdit, *Et reputatum est illi ad iustitiam*. Id est, eiusmodi credulitatem, quæ per se non erat sufficiens ad iustitiam, imputauit tamen, id est, gratuito acceptauit, ac si esset opus iusti sufficiens ad promerendam iustitiam. Et non intelligas cum hæreticis, fidem reputari ad iustitiam, quasi fides sit tota iustitia: quia fides via est, & manus quædam, qua assequimur, & apprehendimus iustitiam, non ipsa iustitia. Rursus non intelligas fidem nostram reputari ad iustitiam Christi imputatam, quasi ea quæ Christi fuit iustitia, nostra fuerit, atque eo modo, quo in illo forma fuit, ita sit in nobis: nam si hoc esset, perinde iusti essemus atque ille; & tanta proinde cœlestis præmii remuneratione digni atque ille: quæ vana sunt, & noua: neque in his disputationibus vnquam Paulus meminit iustitiæ Christi imputatæ, nisi quatenus Redemptor fuit, & propitiator, qui promeruit nobis iustitiam, & gloriam. Postremo, non intelligas, fidem reputari ad iustitiam diuinam, qua Deus ipse iustus est, & qua à sua essentia non distinguitur, vt Osiander Grammaticus homo sensit, & nonnullis Scripturis, detortis tamen, comprobare voluit, sed nihil efficit, & seipsum Wittembergensibus Magistris Lutheri discipulis ridendum præbuit. Hos enim, & similes alios errores in illo Pauli verbo, *reputatum est illi ad iustitiam*, affingere non erubuit hæretica pertinacia. Sensus igitur germanus & verus est illius sentētiæ Apostolicæ, Deum pro sua bonitate actum credentis Abrahæ acceptasse, ad induendum illud diuinæ iustitiæ donum, per quod & iustus coram Deo esset, & legi Dei satisfaceret.

(†)

Abraham quomodo crediderit, & quid.

Gen. 15.

Quid sit proprium fidei.

Deũ quid sit Abrahæ fidem ad iustitiam imputasse.

Falsum esse, & hæreticum totā iustitiam in fide sola consistere.

Nequaquam fidē nostram ad Christi iustitiā, quæ propria fuit ipsius, imputari, vt hæretici nugantur.

Qua ratione imputatæ Christi iustitiæ Paulus mentionem faciat.

Quam absurde, & impie diuinam nobis iustitiā imputari dicat Osiander. Eius sensum ceu ridiculum, explosione dignū iudicarūt vel ipsi Vvittembergenses Lutheri sectatores.

DISPVTATIO XXXII.

In illa verba Apostoli: *Sicut & Dauid dicit beatitudinem homini, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*, &c.

I. Dubium. CIrca proposita verba primo in dubiũ venit, quid est, accepto ferre iustitiam, cum hæc locutio parum Latina videatur: II. deinde quorsum citatur ille Dauidis versiculus ad probandam iustificationẽ gratuitam ex fide, cum in hac sententia Dauidis nulla fiat mentio fidei. III. Tertio, si verum est, quod Deus non imputat peccatũ, quid opus est satisfactoriis nostris operibus? Et videtur argumentum conflari ex negatiua. Quia non, inquit, ex operibus; quæ ratio apud Dialecticos parum firma est. ¶ His difficultatibus superatis, facile erit, Apostolicorum verborum intellectum accipere.

Hæc sententia vt superiori connectitur. Sed ante omnia consequentiam Textus expendamus. Contendit Apostolus probare gratuitam remissionem peccatorum, siue iustificationem, ex eo quod Dauid (cuius cum Abraham & Mose sacrosancta erat autoritas) dixit Psal. 31. cum pœnitentiam de peccato in Vriam & eius vxorem admisso ageret, & remissionem peccatorum se assecuturum sperabat: *Beati*, inquit, *quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Instructus siquidem per Spiritum sanctum de iustificationis mysterio, per fidem, & gratuitam pœnitẽtiam docuit peccata remitti, & non ex vllis operum meritis. ¶ Verbum autem, *Accepto ferre*, Græce idem est quod superius λογίσασθαι id est, reputare, vel imputare, seu adscribere. Sunt autem apud Latinos duo verba quam simillima, significatione tamen diuersa: nimirum, Acceptum refero, & Acceptum fero. Dicitur enim quis acceptum aliquid referre, cum confitetur se ab eo id accepisse in expensas, vel in aliud, vt dicit œconomus: quod cum expendit, ait se domino expensum referre. At vero acceptum ferre, est, debitum remittere, & habere pro soluto, quod solutum non est. Hinc vox est Iurisperitorum Acceptilatio, quæ interrogatione, & responsione fit: vt debitor qui nõ est soluendo, dicat creditori, Id omne quod tibi debebam, habesne acceptum? Quo respondente, Habeo, acceptumque fero; tunc debitor à debito absoluitur, & habetur pro solutore, etiamsi nulla interueniat solutio: & ita acceptilatio opponitur iustæ solutioni. In eum modum Deus accepto fert fidem nostram ad iustitiam, & pro accepta ducit, si modo fidem illi pollicenti habeamus. Et clarior, & castior fuisset locutio, si dixisset: Cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus, id est, sine debiti solutione. Et fortassis ita vertit interpres, & librariorum negligentia mutatum fuit in Datiuo. Potest tamen Datiuus ille aduerbialis esse: vt cum Dicimus, Do tibi vestem accommodato: Do tibi pecuniam mutuo; id est, in mutuum, vel in accommodatum: ita, Accepto fero, id est, in acceptum fero: nam nostram lectionem sequuntur veteres Patres, vt Ambrosius in hunc locum, Tertullianus lib. Aduersus Iudæos, & Augustinus libro primo de peccatorum meritis & remissione. Sequitur iam textus Dauidis: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Edidit hunc Psalmum Dauid, postquam verbis Nathan Prophetæ correptus, dixit compunctus, Peccaui Domino. Et ad hanc humilem confessionem respondit illi, Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Et post prædictam filii mortem egit pœnitentiam pro pueri salute, & hunc Psalmum edidit docens modum quo quis per pœnitentiam & confessionem, iustitiam, & delictorum remissionem obtinere valeat. Et recte dixit de omnibus omnino operibus: *Cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus.* Non ait, Legis. Deinde per opera exclusa, non intelligas dispositiones, & alios bonos motus timoris, doloris, & fiduciæ in Diuina bonitate: quia sine his neque Dauid, neque vllus vnquam iustificatus fuit, vt etiam huius Psalmi discursus docet. Nam ait: *Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino* quando dixit ad Nathan: *Peccaui Domino.* Et subdit: *Et tu remisisti impietatem peccati mei*: quãdo Nathan respondit: *Dominus transtulit peccatum tuum.*

Deinde obserua, Prophetas, & Apostolos habere in more, vt peccatores excitent ad pœnitentiam, ad fletum, ad lacrymas, ad opera bona, ad humilitatem, & precandi studium: vt habes Ezech. 18. & Ioel. 2. & in infinitis pene locis. Eiusmodi vero actiones, quibus disponimur ad accipiendam iustitiam, & remissionem peccatorum, non computantur inter opera, quæ Apostolus hoc loco reiicit, id est, quæ sine fide fiunt, & quæ rationem meriti habent. At vero illæ præparationes quas diximus, ex Scripturis, & à fide excitantur, & cum fide-

Marginalia: Abraham. Moyses. & Dauid summum apud Iudæos autoritatis pondus obtinebãt. — 2. Reg. 11. Ibidem. Psal. 31. Ibidem. — Accepto ferre, quid. — Quid, acceptũ aliquid referre. — Acceptilatio quid Iurisperitis. — I. dubii sol. Accepto ferat fidem nostram ad iustitiam quonam Deus modo. — Eadem phrasis quatenus probanda. — Ambr. in 4. Tertull. c. 1. non procul à princ. Aug. in 10. tom. 7. — Psalmus 31. quãdo fuerit editus. — 2. Reg. 12. Ibidem. — Quid ille contineat. Vt verũ sit Deũ accepto ferre iustitiã sine operibus. — Quibus sine dispositionibus animi iust vnquã fuerit nemo. — Prophetæ, & Apostoli quonam ad virtutum officia peccatores soleant adhortari. Ezech. 18. Ioel. 2. — Vnde illæ peccatoris ad iustitiã assequendã dispositiones proficiscantur.

fide ad iustitiam reputantur, & rationem meriti nullam habent: & propterea nemo mirari debet, si Paulus reiiciat à iustificatione quæ sine fide fiunt, aut quæ iustitiam sibi debitam faciunt.

Aug. to. 3.
Nil magnificentius quam iustificare impium, teste August.
Quomodo homo præueniat illam magnificentiã Dei.
Luce 18.
Ibid.
Ephes. 2.
Homo qui tantum operetur iustitiam.
1 Cor. 1.

Hinc Augustinus in Psalmum 110. in illa verba: *Confessio, & magnificentia opus eius. Quid magnificentius, ait, quam iustificare impium? Sed opus fortasse hominis præuenit istam magnificentiam Dei, vt cum fuerit peccata confessus iustificari mereatur. Descendit enim de templo iustificatus Publicanus magis quam ille Pharisæus, quia nec oculos ad cœlum audebat leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens, Deus propitius esto mihi peccatori.* Et infra: *Sed fortasse ex operibus. Non, inquit, Ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo in operibus bonis. Iustitiam enim homo non operatur nisi iustificatus: credens autem in eum qui iustificat impium, à fide incipit, vt bona opera non præcedentia, quod meruit, sed consequentia quod accepit ostendant. Vnde ergo illa confessio? Nondum quidem opus est iustitia, sed delictis improbatio. Sed quomodo se habeat, nec in ipsa de se homo gloriatur, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Quid enim habes quod non accepisti?* Hactenus ille peleganter.

Ad II. dubium.
Prophetæ locus gratuitæ iustificationi peccatoris ex fide cõprobandi vnde deseruiat.

Tertio habes, recte Paulum hunc textũ produxisse ad probandum quod fides reputatur ad iustitiam: quoniam etsi textus aperte nihil dicat de fide eorum, quibus peccata remittuntur; vera tamen pœnitentia necessario illam includit, ita vt sine ea nec vere apprehendatur Deus à nobis offensus, nec rursus nisi cognita eius bonitate, & misericordia placatus non cognoscitur, neq; modos assequendæ Diuinæ gratiæ sine fide ad Deum confugiente innotescere potest. Propterea statuendum est, quoties Scriptura à nobis exigit solũ pœnitentiam, eam, sine qua esse non potest, fidem non excludit, imo includit potius & pro expressa haberi debet, nisi aperte excludatur: vt fuit illa Iudæ pœnitentia, qui de Diuina bonitate diffidens, fidem perdidit; aut saltem cum haberet, non exeruit. Et per contrariũ cum fidem laudat, vel exigit, non excludit pœnitentiam: nam peccatricis commendata non fuit fides sine lacrymis, & pœnitentia.

Pœnitentiam nunquam sine fide, nec fidem sine pœnitentia vnquam à nobis exigit Scriptura. Qualis fuerit Iudę pœnitentia proditoris
Matt. 27.
Luc. 7.

Paulus in præsenti disputatione quasnã de iustificatione loquatur.

Quarto aduerte, sermonem esse de iustificatione impii, quæ est reconciliatio cum Deo, ita vt videatur nouum contexi argumentum, nempe: Iustitia est remissio peccatorum, aut in illa continetur: igitur non ex operibus, sed ex fide per gratiam. Si enim remissio peccatorum fit non imputando peccata ad pœnam his qui deliquerunt; non ergo fit ex dignitate, & merito operum, quod peccator non habet. Dauid etiã non dixit, omnem hominis iustitiam nihil aliud esse, quam remissionem peccati, vt hæretici ex hoc loco colligunt: quia iustitia Christiana præter remissionem peccati renouat totum hominem, adoptat in filium Dei, præstat vim faciendi satis diuinæ Legi & bona eius opera constituit merita æternæ vitæ. De qua iustitia etsi nihil hic attingat Apostolus, alibi tamen plerumque agit. De hac enim dicitur: *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore;* &: *Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis;* &: *Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini.* At vero de prima iustitia, quæ per fidem habetur, hic loquẽs, ait: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatũ.* Et alludit Scriptura ad vulgarem loquendi morem, vt Ambro. insinuare videtur, quo beatum eum vocamus, qui sine vllo labore & dispendio ad aliquem honoris gradum est subuectus. Et perinde est ac si dixisset, Iustus: nam iusti beati sunt in spe, & in iure quod habent ad vitam æternam, & in arrha Spiritus S. quem accipiunt.

Effectus Christianæ iustitiæ quinam illi.
De hac iustitia vbi in Scripturis sit sermo.
Ps. 105.
Ps. 111.
Ps. 118.
B. Amb. to. 5.
Quem vulgus soleat appellare beatum, Iosti cur beati.

Quinto perspice, tria verba, Remittere, Tegere, &, Non imputare, tantundem significare. Idem enim est, Acceptum ferre alicui debitum, seu remittere, & absque solutione condonare: Et vt Esaias ait, Gratis, & sine argento redimere &, Pro nihilo saluos facere, & Paulus; *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos.* Adhæc Deus cum remittit peccata, illa tegit, & non amplius imputat. ¶Possunt tamen tria illa verba ad tres modos delendi peccata referri. Primus est, per pœnitentiam, & satisfactionem, de qua: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Secundus est, tectio peccatorum minorum per opera charitatis: Charitas enim operit multitudinem peccatorum: & vt feruorem charitatis leuia peccata imminuunt, ita per actus charitatis soluuntur, ne amplius à Deo videantur ad pœnam. Tertius modus est, non imputare peccatum originale cum aliis personalibus, tanquam eius fructib. & hoc per fidem cum Sacramento, & aliis dispositionibus, quæ proprie non sunt opera contingit. Et hoc modo vltimum verbum esset, ad propositam Disputationem adductum. Cæterum non est credendum, illo solo vltimo verbo id ostendere voluisse, quia nouit Apostolus ex Scripturis producere quæ ad rem faciunt, neglectis superioribus, & inferioribus: & ita hic fecisset, si in hoc tantum verbo vis argumenti collocata fuisset.

Remittere Tegere, &, Non imputare peccata, idem valet.
Esaia 52.
Ps. 55.
Tit. 3.
Tria eadẽ verba, trib. peccata remittendi modis conueniãt.
Ioan. 20.
1. Pet. 4.
Prou. 10.
Mos Apostoli in veteris Scripturæ testimoniis proferendis.

Tres illæ voces Hebrææ præseno Dauidis testimonio contentæ Peschah, Catah, Hauon, quid significent. *Dan. 9.*

Sexto perpende, tres hic voces esse appositas, quæ delicta significant. Nam Hebraice habentur Peschah, Chatah, Hauon, quæ habentur Dan. 9. & quæ suo aduentu Messias erat ablaturus: *Vt consummetur*, inquit, *præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas*; & prima vox significat transgressiones, præuaricationes, inobedientias, & ἀνομίας quæ Sacramento Pœnitentiæ indigent. Secunda significat communia, & leuia peccata: tertia, originale peccatum, quod non imputatur per fidem, & Sacramentū. Et Hebræa ad literam habent: *Beatus leuatus vel exoneratus transgressione, tectus peccato. Beatus homo Adam, cui non imputauit Dominus peccatum.*

Easdem voces vt voū, & idem peccatum significent. In quolibet peccato tria inueniuntur. Quomodo Deus culpam remittat, tegat peccata, itaque non imputet. *Ezech. 18.* Iustitiarum in die iudicii etiam remissa peccata erunt manifesta et fient. *Ps. 129.* Ad tertiam quæst. Si Deus peccata nō imputat, quid opus est satisfactionis nostris operibus. I. solut. Oecolampadii, & Melanchthonis, sed falsa. Altera sol. vera, & Catholica. *2. Cor. 5.* Satisfactoriæ pœnitētib. pœnæ impositæ quid conferant.

Possumus & alia ratione hæc tria ad vnū & idem peccatum referre, in quo est in primis offensa, siue iniuria Diuina: secundo animæ macula: tertio imputatio ad pœnam æternam. Deus ergo culpam remittit, quæ iniuria est Dei, & de qua in eodem Psalmo: *Tu remisisti impietatem peccati mei*, id est, culpam, non tamen temporariam pœnam. Tegit, seu celat, non tantum animæ maculam tergendo, sed etiam per obliuionem præteriti peccati, iuxta illud: *Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor*, scilicet ad puniendum, etiamsi in die iudicio coram aliis appareant, vt gratia Dei miserentis agnoscatur. Ita dicitur: *Si iniquitates obseruaueris Domine*, nimirum, ad debitis pœnis plectendas. Et sicut obliuiscitur iniquitatum nostrarum ad pœnam sumendam, ita iustitiæ nostræ recordatur ad præmia largienda. Tertio, Deus non imputat condonando pœnam æternam peccato debitam. ¶Agitatur tamen ille locus de non imputando peccato, ab Oecolampadio, & Melanchthone pro præsenti satisfactione, quam pro peccatis nostris pendere, à Sacerdote locum Christi habente iubemur. Remissio, inquiunt, peccati, est non imputatio peccati: igitur non requiritur aliqua iam pœnam satisfactoriam. Nam de quo Deus adhuc pœnam sumit, illi videtur peccatum imputare. Et subdunt, Prophetam non requirere aliud, nisi vt non sit in spiritu eius dolus. ¶Sed hæc vana sunt, & Catholici instructi regulis Apostolicis, iusserunt neminem absolui nisi impositis pœnis satisfactoriis. Et hunc locum de non imputando peccato, & alterum ad Corinthios: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum*, intelligunt de supplicii æterni reatu, nō de temporalis pœnæ solutione, quæ ad peccatum vitandum, & ad disciplinam Ecclesiasticam, & plenam solutionem, quam Deo debet pendere, plurimum valet.

Quare Apostolus in Prophetico testimonio illud omiserit: & non est in spiritu eius dolus. *Aug. in Ps. 3. 10. 8.*

Octauo obserua, non addidisse Paulum partem illam secundi versiculi: *Nec est in spiritu eius dolus*: quia satis erant ea, quæ ad suū propositum stabiliendum produxit de gratuita remissione, & non imputatione peccati: hoc vero spectat ad effectum eius. Nam in tali beato, vt exponit Augustinus, nō est dolus, putando se esse iustum, cum non sit: est enim peccatum, mendacium, siue dolus.

Peccatum quid. An Paulus negatiue, an vero affirmatiue Mosis & Dauidis attulerit testimonia.

Si vero quæras, an argumētetur Apostolus in istis testimoniis, Mosis, & Dauidis ab autoritate negatiue, vt putauit Oecolampadius; Respondemus, nō argumentari Apostolum ex eo quod non fiat mentio operū, sed ex eo quod affirmatiue ait. Beati, quorum remissæ iniquitates, tecta peccata, & non imputantur, &c. quæ verba meræ gratiæ sunt, & misericordiæ, & nō debiti alicuius: nec dixisset Apostolus, Beatus, cui remissæ iniquitates; sed, Beati, qui suis factis peccata sua redemerunt, & soluerunt. Et ita videntur propositæ difficultates euacuatæ. Postremo, ex illis verbis, quibus peccatum tegi, & non imputari à Deo pronuntiatur, asseruerunt quidam ex hæreticis, nullam fieri veram remissionem peccati, siue originale sit, siue personale: ita vt ratio quidem culpæ etsi maneat, nō tamē à Deo imputetur.

Hæreticorum illic sensus, quod Deus vere non tegat peccata, sed tātum non imputet, impugnatur quadruplici ratione. *Sap. 14.*

¶Sed hoc hæreticū est dogma, & plane ipsi Christo est iniurium. Deus enim, vbicunque est peccatum, illud odit, iuxta id: *Odio sunt Deo impius, & impietas eius*. Ad hæc tribunal Dei non vt humanum est, in quo reus plerunque morte dignus absoluitur, & cōtra indignus morte punitur. Præterea si peccatum est Dei offensa, & iniuria, quā ille cō donare, & parcere dicitur, quæ remanet ratio vera peccati, cum sit agnus tollens peccatum mundi? Quod si non imputat, ita vt nō remaneat in spiritu eius dolus, quomodo remanet ratio peccati? Augustinus etiā edisserens illud: *Quorum tecta sunt peccata: Nec sic*, inquit, *intelligatis quod dixit, Peccata cooperta sunt: quasi ibi sint & viuant. Tecta ergo peccata quare dixit? Vt non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire peccata? Vt noueris quia hoc est Dei videre peccata, quod punire peccata, quia ei dicitur. Auerte faciem tuam a peccatis meis.* Et paulo ante: *Cooperta sunt peccata, & tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit aduertere: si noluit aduertere, noluit animaduertere: si noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere, maluit ignoscere.* Et libro de perfectione iustitiæ contra Cœlestium: *Certe iustus est Deus, negari enim non potest. Imputat autem Deus homini omne peccatum. Et hoc quoque confitendum puto, quia neque peccatum est, quicquid*

Ioan. 1.

Aug. ibid.

Ps. 90.

Idem lib. de perfect. iustit. in resp. ad Ratiocinatio. 14. & 7. in fine.

non

Idem tom. 7od. *non imputabitur in peccatum.* Lege eundem libro 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 13. vbi eundem errorem confutat, & negat de peccatis remissis ideaccidere quod de capillis rasis, qui vbi recisi sunt, iterum succrescunt. Denique si Adam vere infecit genus humanum peccato: ne inferior sit secundus Adam Christus; *1. Cor. 15.* debuit veram remissionem peccati cōferre, & non rantum imputatitiam: maxime cum de illo sit dictū *Ioan. 8.* *Si vos Filius liberauerit; vere liberi eritis.* Vere, inquit, non per opinionem, aut per non imputationem. Et hæc sint satis de hoc Pauli testimonio.

DISPVTATIO XXXIII.

In illa verba: *Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est, in Circumcisione, an in præputio? Non in Circumcisione, sed in Præputio. Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei quæ est in præputio: vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam, & sit pater circumcisionis, &c.*

Quæstio I. II. IN his verbis quærendum est primū quo spectet Apostolus; deinde quomodo circumcisioni vim adiungat iustificandi, quam tamen olim pueris adhibebant in remediū peccati originalis, non secus atque nos adhibemus illis Baptismum. III. Tertio, quid est dicere, Signum circumcisionis, & signaculum iustitiæ fidei, & quomodo signum differat à signaculo. IV. Quarto, quæ sit hæc paternitas omnium credentium Abrahæ attributa. Quę dubia etsi non magni momenti esse videantur; eo tamen animo proponuntur, vt contextus Apostolicus explicatior reddatur.

Textus cō sequentia. Cum igitur Apostolus duplici testimonio ex Scripturis producto, iustificationem gratuito Dei munere contingere comprobasset, redit ad Abraham, vt in eo explicet an vlla habuerit opera, quæ per iustitiam sit assecutus. Et ostendit, hanc Abrahæ beatitudinem, siue iustificationem obuenisse illi in præputio ante circumcisionem: ex quo colligit, quod fuit non ex operibus, sed ex fide. *Interrogationis Apostolicæ ratio.* At quod de Abraham legimus, de vniuerso genere humano sentiēdum est: ita vt fideles ex Gentibus non indigeant circūcisione ad iustitiam, sed fide. Et more suo non interrogat claritatis maioris gratia, vt viam solutionis aperiat, dicendo: *Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiā in præputio?* Græca carent illo verbo, Manet. Et reddens rationem interrogationis, ait: *Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an etiam in præputio?* id est, Circumcisio Abrahæ, an præputium adhuc habentis. Et responsio est, quod dum in præputio adhuc esset, iustificatus est per fidem. Quod si vrgeas; Quorsum ergo circumcisus est, si iam iustus erat? & respondet: *Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei.* *I. sensus propositæ sententiæ.* Vbi primum, Et, coniunctio, accipitur pro Quia: vt sit sensus; Vt palam fiat, eum ante circumcisionem iustificatum. Deinde solutio est tacitæ obiectionis Iudæorum, vt annotat Chrysost. *Gen. 17. B. Chrys. ser. 8. to. 1. init.* Nam si tam magnifica accepit Abraham per fidem ante circumcisionem. Et respondet, illam accepisse non iam in rem, quam in signum: nec alterius rei signum, quam iustitiæ fidei, quæ erat in præputio parta. *Ad III. dubium.* Et quemadmodum soliti sumus dicere, virtutem iustitiæ, & Sacramētum baptismi, non intelligentes aliud esse virtutem, aliud iustitiam, sed vnam, & eandem rem, quæ & vno, & duobus verbis exprimitur: & dicimus Sacramentum Eucharistiæ, non intelligentes aliud per verbū Sacramēti, & aliud per Eucharistiam: ita cum dicitur: *Accepit signum circumcisionis,* intellige signum quod est ipsamet circumcisio. *Quomodo dictum sit, signum circumcisionis esse signaculū iustitiæ fidei.* Vnde in nonnullis codicibus Græcis non legitur, σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς. περιτομήν; vt hæc accipias per figuram Appositionis. Quanquam si velis interpretari, Accepit circumcisionē in signū ici fœderis inter Deum & Abraham cum posteritate sua, nihil contrarium Scripturæ dices: nā id Gen. 17. continetur. *Alter sensus.* *Gen. 12.* Quia enim Deus illi amplissimam fuerat prolem pollicitus, & per quam Messias erat venturus, cuius fidei iam ipse virtutem senserat, & iustitiam adeptus fuerat: hoc ab eo obsequium reposcere voluit, vt se, suamque familiam vsque ad aduentum Messiæ perpetuo circūcidat, quo in illo membro generationis administro gestaret notā, characterem, & sigillationem promissæ prolis id enim est quod Latinis signaculum. Paulus vero Græce σφραγῖδα vocat, cum prius vocasset σημεῖον, id est, signum.

Abrahæ circumcisio vt fuerit signaculū iustitiæ fidei. Fuit autem præcisa caro, character siue nota impressa in carne Abrahæ eius iustitię quam fuerat per fidem adeptus. Nam attēde, acute Lector: Egreditur Abraham de terra sua, & de cognatione sua ex obedientia Dei vocantis Genes. 12. *Gen. 12. Ibid.* Promisit illi terram

ram viuentium, & cœlestis fœlicitatis sub symbolo illius Terræ Chanaan. Sed quia eiusmodi hæreditas nemini, nisi per fidem Messiæ qui filius Dei est, obtingere poterat: pollicitus est illi proprium, legitimumque hæredem, ex cuius propagine procreand' erat per Humanitatem assumptam naturalis Dei Filius. At per fidem illius adeunda erat cœlestis hæreditas, nec per aliam patebat ad illam aditus. Hoc mysterium claudebat, & obsignabat ille charaɛter in carne impressus. Nam vt in circumcisione cultro petrino amputabatur quod erat superfluũ illius carnis, ita iustitia illa quæ venit ex fide id in nobis operari debebat, vt veluti culter quidam spiritualis esset, quod decideretur omne peccatum quod est in corde, & omnis fomitis fluxus. Porro annotauit Origenes, vsum sigilli, siue obsignationis, qua in literis dandis vtimur, adhiberi à nobis ad velandum, & claudendum quod volumus, quod tamẽ suo tempore erat aperiendum, & recludandum. Et cum cessarit circumcisio, siue sigillum, detecta sunt mysteria Filii Dei, & symbola circumcisionis patefacta per illum qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit, & reseratæ Scripturæ, & velum templi ablatum, vt cuncta patescerent. Qui vero circumcisionem retinere voluerunt, vt Iudæi, excæcati sunt; & Messiam non agnouerunt, & in Scripturis hallucinantur: & cum legitur Moyses, velamen positum est ante oculos eorum, vt tradit Apostolus. Porro Theophylactus cum Oecumenio aliter accipit signaculi vocabulum; quo videlicet Deus obsignabat Abrahæ iustitiam & tanquam certissimam, & verissimam testificabatur: sicut quod volum' testificari tanquam certum, ac firmum, solem' signo, aut nota aliqua obsignare. Nec ob aliud circumcisus est Abraham, quã vt circumcisionem deferret in signum, ac demonstrationem iustitiæ, quo signo id quod oculis externis spectandum subiiciebatur, intus per Spiritum sanctum fieret & stabiliretur, ne signa sua sint vana, aut mẽdacia. Et ita habes quæ sit differentia inter signum, & signaculum.

Spiritualis circumcisio quænam illa.

Quid signum secũ Origenem. *Orig. l. 4. in ep. ad Rom. Oecum. Ibid.*

Apoc 3.

2. Cor. 3.

Quid signaculum. *Theophyl. hoc loco.*

Ad II. dub.

Neque magnopere hoc loco vrgendum esse censeo, an circumcisio gratiam conferret olim', necne: nam de ea re superiori libro sententiam meam exposui. Sed & Paulus de ea re nõ disserit. Et ratio ipsa satis docet, Abraham primũ per circumcisionem non fuisse iustificatum, sed per fidem. Deinde eadem aperte docet, iustum Abraham circumcisione suscepta, incremẽtum iustitiæ accepisse. Erat enim in difficili, & summa re obedientia, sed in ea primũ iustitiam nactus non fuit, quam per fidem iam assecutus fuit. Sed quia hic disputationem inierat de iustificatione, qua est Dei reconciliatio; idcirco tam Paulus quam etiam Græci Patres, ni fallor, videntur illi adimere virtutẽ iustificandi, vt Irenæus, Epiphanius, Oecumenius, Theodoret. & alii plerique.

Quare Paulus hoc loco circumcisionem negeri iustificare. *Disput. 22. I. ratio, II.*

Iren. l. 3. c. 3? & alibi. Epiphan. hæres. 8. sub init. & sub finem. Oecum. hoc loco c. 3. Theodor. hoc eodem loco & alibi 10. 1.

Ratio vero Legis circumcisionis promulgandæ, & vsus Hebræorum, qui infantulos octauo die circumcidebant nõ sine periculo mortis, quæ interdũ contingebat satis ostendũ: circumcisionẽ adhibitam fuisse in remedium delicti originalis. Vnde hæc Lex potius ad Patres, qui in fide ambulabant, spectabat, quam ad Iudæos, vt Dominus dixit. Et vt a Moise repetita fuit, exerte fateri possumus vim iustificandi non cõtulisse: secus vt à Deo Abrahæ iusto proles, & posteris data: quanquam per illam tanta plenitudo iustitiæ, aut gratiæ non daretur, quanta esset ad mercedem æternæ vitæ tũc accipiendam.

Vnde constet olim circumcisionem Iudæis gratiã contulisse. *Ioan 1.*

Quatenus illa non iustificaret. *Leuit 12.*

Sequitur: *Vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam.* Nota dici: *Credentium per præputium*, pro, in præputio, vt in opposito membro docet & διὰ ponitur pro ἐν vt ibi: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiã*, pro, in prophetia, id est, quia iam habebat charisma prophetiæ. Et alio loco: *Et (vt ita dictum sit) per Abraham & Leui qui decimas accepit, decimatus est*, pro, in Abraham. Iam accipe sensum; quia de vno Abraham dictum erat: In te benedicentur omnes gentes; idcirco sibi, & posteris, id est, omnibus Gentium fidelibus solus Abraham hoc signum circumcisæ carnis accepit. Quod nisi consideres, vix intelliges cur addat Apostolus: Vt sit pater omnium credentium per præputium, vel, in præputio, vt reputetur & illis ad iustitiam; & sit pater circumcisionis, id est, circumcisorum: qui non tantum sunt ex circumcisione, id est, ex carne tãtum circumcisa, vel ex numero circumcisorum, sed etiam qui sectantur vestigia fidei patris Abrahæ, quæ est in præputio. Nam vt de incircumcisis dixit non omnium illorum esse patrẽ, sed credentium, eam distinguendi rationem in Iudæis seruauit. Non enim si opus eius est ostendere, Abraham patrẽ vtriusque gentis, sed ostendere qua ratione sit ver', & spiritualis pater credẽtiũ, siue sint ex circumcisione, siue ex Gentib. Cum ergo dicitur: non iis tantũ qui sunt ex circũcisione, sed & iis qui sectantur vestigia fidei, &c. Græca habent: ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι Sed apertior esset lectio, si articulus Datiui, τοῖς esset expunctus, vel legeretur transpositus hoc modo: ἀλλὰ τοῖς καὶ στοιχοῦσι: nã fieri potuit, vt

1. Tim 4.

Credere per præputium, quid ad literam.

Heb 7.

Cur Paul' dixerit, Abraham esse patrem omnium credentiũ per præputium, &c.

Quid sit, Abraham esse patrem circumcisionis. *Rom 4.*

Quorum ille non sit pater.

errore

Chryſ. hoc loco.ſer.7. Oecum.c.5. à med.

errore aliquo permutarentur illæ voces. Atque ad eum modum, vt dictum eſt, exponunt Chryſoſtomus, & Oecumenius. Cũ igitur propoſuiſſet Apoſtolus: *Quid dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem*; concludit, quod inuenerit paternitatem omnium credentium ſecundũ ſpiritum. Vnde Iudæis iactantibus quod eſſent filij Abrahæ, reſpondit Dominus. Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite, hoc eſt mihi credite: & iterum, Scio quia filij Abrahæ eſtis (ſcilicet ſecundum carnem) ſed quæritis me interficere, quia ſermo meus non capit in vobis: id eſt, non eſtis legitimi, quia ſermonem meum non capitis, vt ille Patris mei cepit: & longe à Dei regno diſtatis, in quo ille cum eſſet, & filiũ occidere ſtatueret in obſequium Dei, vos contra me Dei Filium in infidelitate interficere cogitatis.

Ioan.8. Ioan.37. Gen.22.

IV. Solut. dubitationis. Cur Abraham pater omnium credentiũ nominetur

Eſt igitur Abraham pater, & regula credentium, non Dauid, aut alius ſanctus. Primo quidem, quia typum geſſit ſaluandorum, dum dictum eſt: *Egredere de terra tua*, de qua ipſe per fidem egreſſus eſt, Hebr. 11. quæ egreſſio, initium ſolet eſſe vitæ ſpiritualis. Deinde propter eximiam ſanctitatem: *Ambula*, inquit, *coram me, & eſto perfectus*. Tertio, propter promiſſiones de Chriſto mittendo, in quo benedicendæ erant omnes familiæ terræ. Quarto, quia Adam pacti conditionati pro ſe & tota poſteritate præuaricator extitit: at cum Abraham initum eſt abſolutum pactum, iuramentoque firmatum pro ſe, & poſteris. Ideo vt ille pater omnium fuit ſecundum carnem, ita Abraham pater omnium ſecundum ſpiritum, & fidem. Quinto, quia in illo eximio facto de immolando filio Iſaac, figuram geſſit Dei Patris, qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.

Supra 12. Heb 11. Gen.17. Supra 3. & Ofe 6. Infra 17. Gen.12. Iacob 2. Rom 8.

DISPVTATIO XXXIV.

In illa verba: *Non enim per legem promiſſio Abrahæ aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei. Si enim qui ex lege, hæredes ſunt: exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio. Lex enim iram operatur. Vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.*

I. dubium.

Circa propoſita verba ambigitur primo, quomodo Paulus aſſerat, promiſſiones Abrahæ per iuſtitiam fidei, & nõ per legem factas fuiſſe? nam & ipſe Moſes legislator Chriſtum ſuſcitandum promiſit aliquando Deut. 18. Dauidi quoq; promiſſum fuit: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*.

Deut 18. Pſ.131. 2.Reg.7. Pſ.88.

II. Deinde quænam eſſet illa promiſſio Abrahæ facta, vt hæres eſſet mundi, & quid ſignificat hæc mũdi hæreditas, & quomodo hæc merito fidei facta perhibetur: quia ſi merito fidei, ergo iam non eſt ſola gratia, quomodo etiam à promiſſionis conſecutione auſert omnia opera, cum cœleſtem promiſſionem non aſſequamur niſi p opera fide?

III. In ſequenti vero clauſula: Lex iram operatur? & vbi non eſt lex, nec præuaricatio dubitatur: nam cum lex bona ſit, ira autem, & vindicta malus ſit effectus, quomodo ex bono malũ oritur: quomodo etiã vbi non eſt lex, nec præuaricatio legis eſt: nam vbi non eſt lex ſcripta Moyſi, poſſet eſſe vel naturalis legis, vel euangelicæ præuaricatio. Quod ſi reſpondeas, ſenſum eſſe: vbi non eſt lex, nec legis præuaricatio; eodẽ modo poſſumus argumentari: vbi non eſt Euangelium, nec Euangelij præuaricatio.

Quo tendat Apoſtolus in hac diſputatione.

Cæterum vt his quæſtionibus ſatisfaciamus, explanandus eſt primo literæ Paulinæ contextus. Incipit enim Apoſtolus nouo argumento comprobare, ex legis operibus non eſſe iuſtificationem, ſed ex fide, producendo iterũ Abraham in medium, dicens, quod Abraham ſit pater omnium credentium, & illis imputetur fides ad iuſtitiam, & quod iuſtificatio, ſeu beatificatio non fit ex lege, declarari poteſt ex ipſa promiſſione Abrahæ facta, & ſemini eius, quæ non eſt illi facta, vt per legem impleatur, & per eam effectum ſuum ſortiatur, ſed per fidei iuſtitiam. Ad cuius ſententiæ explicationẽ primo declarandum quid vox promiſſionis ſignificet: & quænam illa fuit, in qua hæres mundi conſtitutus eſt. Et cum ſub illo nomine hæredis mũdi nullibi facta promiſſio inueniatur, & multa Abrahæ extiterint promiſſa: dubium eſt, in qua illarum promiſſionum hæc, de qua agit Apoſtolus, contineatur.

Promiſſio quid hoc loco.

Promiſſio igitur, quæ frequentior eſt in Veteri, quam in Nouo Teſtamento, ſicut in Nouo exhibitiones magis, quam promiſſiones cõtinentur, more Hebræo rem promiſſam ſignificat, præter ipſum pollicitationis actum. Ita enim accipitur ad Gal. 3. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones: & ſemini eius*: & Hebræorum 6. *Qui fide, & patientia hæreditabũt promiſſiones*. Et iterum c. 10. *Vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem*: & Act. 1. *Sed expectaretis*, inquit, *promiſſionem Patris*: hoc eſt quod dicitur Luc. 24 *Mittam promiſſum Patris mei in vos*. Simili enim ratione ſpes dicitur res, quæ ſpe expectatur, iuxta

Gal 3. Heb.6. Act.1. Luc.24.

Spes duo ſignificat.

illud

Tit. 2. Rom. 8. Fides tria dicit.

illud, *Expectantes beatam spem*; & c. 8. huius epistolæ: *Spes autem quæ videtur, non est spes*. Ita etiam fides non tantum est habitus, vel actus credendi, sed et am res credita ita dicitur: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*.

Ephes. 4. Oblatio pro re obla ta.

Et oblatio dicitur res oblata, simili more loquendi. Deinde promissio, de qua hoc loco agit, potest accipi pro illa, quæ immediate facta est illi post adeptam iustitiam: de qua Genes. 15. Alii vero, de promissione quæ facta est Genes. 12. intelligunt, quando primum dictum est illi; In te, vel in semine tuo benedicentur vniuersæ cognationes terræ: quæ facta est antequam pronuntietur iustitiam adeptus. Rursus alii volunt, sub vno promissionis verbo comprehendi omnes promissiones Abrahæ factas, siue præcedant, siue subsequantur iustificationem: quod non videtur vsquequaque improbandum, nec alienum à sensu Pauli, quia omnia in Christo promisso accepit per fidē. Prior sententia niti videtur in eo, quod postquā Paulus produxit testimonium ex Gen. 15. adeptæ iustitiæ, statim adiungitur promissio terræ: sicut etiam hoc loco prius Apostolus disputanit de testimonio quo iustificatus est, deinde de subiuncta promissione, quæ habet: *Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam*. At ille ait, *Domine Deus, vnde scire possum quod possessurus sim eam?* Et cap. 17. *Dabo tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, & omnem terram Chanaan in possessionem æternā, eroque Deus eorum*. Hæc autem promissio vana inueniretur, nisi spiritualiter intelligatur, vt explicauit Stephanus Acto. 7. dicens: *Et non dedit illi hereditatem in ea, nec passum pedis*. Et ipse Apostolus Hebr. 11. idem comprobat: *iuxta fidem*, inquit, *defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini, & hospites sunt super terram*. Qui enim hoc dicunt; significant se patriam inquirere. Ne ergo vana sit illa promissio, cogimur per illam terram intelligere Christum Dominum cū toto corpore suo, quod est Ecclesia, cuius hæres fuit designatus Abraham: & est terra, quæ merito peregrinationis nostræ terra dicitur, quia in ea viatores efficimur tanquam in typo, & exemplo quod nobis imitandum ille reliquit. Nam qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Iu illa siquidem ambulauit Abraham per vestigia bonorum operum, obedientiæ, & patientiæ. Nam illi dictum fuit, *Ambula coram me, & esto perfectus*. Est autem ambulare coram Deo, & Christo, edicta, & opera fidei custodire.

Il. significatus promissionis. Gen. 15.

Prioris sententia fundamentū.

Gen. 15.

Terra Abrahæ promissa quænam illa.

Act. 7. Heb. 11.

Ephes. 1. & Coloss. 1. Illa cur terræ nomen habeat.

1. Ioan. 2. Quomodo in ea fuerit Abraham peregrinatus. Gen. 17.

Potest deinde promissio accipi pro illa promissione facta Gen. 12. & repetita Gen. 22. vbi nationes terræ in Abrahā benedicū tur, quas ipse vt pater in hæreditatem habiturus erat: & hoc magis quadrare videtur Textui præsenti, quasi dixisset, In semine tuo eris hæres mundi, id est, nationum omnium. Sicut etiam de Christo ad Hebræos dicitur: *Quem constituit (Deus) hæredem vniuersorum*: ita Abrahæ promissum est q̄ hæres esset mundi, hoc est, vt pro filiis haberet suis vniuersos totius orbis credentes: nam mundi appellatione vniuersæ veniūt nationes terræ.

Altera opinio admodum probabilis.

Heb. 1. Ad secundum dub.

Simul etiam illud considera, quod nomine hæreditatis apud Hebræos venit, quicquid alicui gratis cedit in possessionē: ac nominatim filii ipsi dicuntur hæreditas, qui patri à Deo dantur. Vnde illud: *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*. Et alibi; *Ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris*. Et Christus dicitur hæres vniuersorum, quia hæreditatem suam accepit à Deo in vniuersis credentibus. Ita nos quoque eadem phrasi dicimur hæredes Dei, quia Dei sumus hæreditas cum Christo. Et ita improprie accipitur nomen hæredis; cum tamen apud Græcos & Latinos, hæredes alicuius eos intelligamus, qui in bona eius post mortem succedunt. ¶ Et quod habet: *Et semini eius*: diligenter interpretandum est. Nunquid enim posteris Abrahæ promissum est quod essent hæredes mundi, & non potius ipsi sunt mundus; & hæredes Abrahæ? Sed ad hoc rectius penetrandum, puto accipiendum ex mutua patrum, & filiorum relatione inter se. Est enim ipsi Abrahæ datum, vt sit pater multarum gentium, quas credētes pro filiis, & hæredibus habet. Est item Gentibus datum, vt sint, & habeantur filii sui parentis Abrahæ. Oecumenius vero interpretatur: Hæredes mundi fore ait iustos (scilicet Paulus) quia impiis de medio sublatis, ac in die iudicii supplicio traditis, vniuersum deinceps mundum habebunt insti innouatum; eorumque erunt cœlestia, terrenaque bona. Sed prior sensus magis implet autem mea. Denique quomodocunque accipiatur promissio Abrahæ, aut semini eius facta, non erat implenda, aut præstanda per legem, quasi legis obseruatæ conditio causa existat accipiendi promissionem. Et probat, quod promissio non sit accipienda per legem, dicendo: *Si enim qui ex lege, hæredes sunt; exinanita est fides, & abolita est promissio*. Infert enim duplex absurdum consequi si ex legis conditione perpendisset promissio. Nam si ad hoc, vt quis in hæreditate Abrahæ censeatur, requiritur legis impletio;

Hebræi quid intelligant per nomen hæreditatis. Ps. 2. Ps. 126.

Hæres vniuersorum est Christus.

Quomodo item Abrahæ semini promissum vt hæres esset mundi.

I. sensus.

Alter Oecumenii. Oecum. c. 5 in ep. ad Rō. mter med. circiter, & finem.

Abrahæ promissio omnino sine lege fuit implenda. Id Paulus ostendit duppliciter. Quid significet: & nam est fides abolita est promissio.

inanis est fides, abolita est promissio; id est, frustra promissioni creditur, & frustra fit promissio, quia nemo illam conditionem implere potuit, cum lex nihil aliud agat, quam hominum peccata coarguere; vitio quidem non legis, sed ipsorum. Et vocat in hac ratione, eos esse ex lege, qui ex legis operib. ius sibi faciunt hæreditatis. Et licet fides possit accipi pro Dei fidelitate, quemadmodum capit. 3. illud intelligitur: *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?* vnum & idem esset, exinanita est fides, abolita est promissio, & ad vnum tantum deduceret inconueniens. Si vero sit sermo de fide Abrahæ reputata ad iustitiam, & quam opponit operibus legis; orationem ad duo absurda deducit. Primum, quod fides Abrahæ, non opera legis, reputata sit ad iustitiam. Deinde quod promissio esset inanis, quia lex à Iudæis non est seruata, & Gentes illā ignorabant: quomodo ergo benedicerentur à Deo, dimissæ sine remedio salutis? Quod si obiicias, Iudæis promissionem hæreditatis non esse factam per modum pacti, & stipulationis, nimirum, Messias quidem mitteretur, si Iudæi legem seruauerint. Verū hoc facile soluitur: quia in promissione nulla de operib. legis apponitur conditio, & quod promissio multis ante seculis antecessit legem. Et quanquam Genes. 22. promittatur Abrahæ benedictio Gentium in semine eius ob eius meritum: sic enim dixit, *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, &c.* Illa tamen tam insignis obedientia, opus legis nō fuit, sed ex magna fide processit. Nam Heb. 11. habetur, *Fide, obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur.* Et infra: *Arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus.* ¶ Præterea perspice, quod cum Apostolus promissioni legem opponit, & operibus legis dari hæreditatē, & iustitiam negat; legem, & opera accipit, vt fiunt sine fide: quomodo solet accipere opera, & legem, quæ opponit fidei; vel iustitiam operum opponit iustitię fidei.

Rom. 3.

Quod nec ex fide Abrahæ ad iustitiam reputata, eiusmodi promissio penderet.

Gen. 22. Abrahæ filium suum immolātis obedientia vnde prodierit. Heb. 11.

Legem cui indebita promissio, & opera, quomodo hic Paulus accipiat.

Ex quo accipimus, Apostolum hic non docere, nullam esse promissionem Euangelicam, quæ pendeat ex studio bonorum operum: & vniuersa promissa Euangelij de gratia, & vita æterna danda, non habere respectum ad bona merita, vt contendunt Lutherani ex hoc loco elicere: quæ aliena sunt à fide Catholica; sed tantum liquet, Apostolum confirmare, Abrahæ benedictionem nō dari per opera legis, quatenus legis sunt & sine fide fiunt. Ex eo tamen non recte colliges, nullam promissionem extare in Euangelio de danda vita æterna propter opera fidei in Spiritu CHRISTI facta.

Si rursus obiicias, Apostolum affirmare non solum promissionem dari ex fide, sed addere, secundum gratiam: subdit enim: Ideo ex fide; vt secundum gratiam firma sit promissio: non ergo ex vllo debito, ac proinde nec ex debito quidem operum ex fide prodeuntiū, vt cogant Apostolū omnibus operib. etiam in fide factis detrahere. Verū hæc falsa sunt, & violenta. Est siquidem duplex genus operum: alterum, quod nullo modo pendet ex conditione, & dignitate operum: & tales sunt promissiones de iustificatione, & remissione peccatorum. Et talis est hæc promissio Abrahæ facta de semine futuro Messiæ: tales enim dantur nō quidem nihil agenti, quia exigunt pœnitentiam veteris vitæ, fidei in Christum motum, votum vitæ melioris, non tamen dantur ob meritum, vel dignitatem talium operum.

Iidem rursus quam inepte ex hoc Pauli loco argumententur contra bonorum operum veritatem. Duplex genus operū.

Alterum genus operum est, quod in Euangelicis promissionibus exigitur, & pendet ex merito, & dignitate operum, & tale genus operum exigitur in præmio vitæ æternę accipiendo. Vtraque quidem promissio in Scripturis continetur, dum docet gratis hominem iustificari per fidem, & vitam æternam reddi iustis propter opera bona. Sunt autem vtraque gratiæ, & Euangelij promissiones, & prior prorsus gratuita, quæ omne debitum excludit: posterior tamen ex operum dignitate constat, & iustitiæ innititur. Etsi alia ratione possit dici gratuita ob opera in gratia Dei facta, vt docet Augustinus lib. De grat. lib. arb.

Quænam promissiones Euangelicæ.

Aug. c. 6. 10. 7.

Vrgebis: Promissiones igitur Euangelij non differunt ab illis legis, per hoc quod istæ operum conditionem habent, non illæ. Sed profecto aliud est discrimen quod assignat Augustinus plerisque in locis: quia Iudaicæ promissiones erant de rebus temporalibus, sub quibus mysteria rerum æternarum velabantur: sed Christianis palam fiūt promissiones de rebus spiritualibus, & æternis.

Quod igitur ab initio in contrarium oppositum fuit, quod promissio Abrahæ includeret Messiam, sicut Dauidi facta Psalm. 131. admittendum est, sed argumentum non est ad rem: & promissio Messiæ non fuit ex vi legis, sed ex mera Dei gratia. Quid autem esset hæres mundi, explicatum est.

Solutio primæ quæst. Psal 131.

Deut. 18.

Excitauit mihi risum expositio quædam Lutheranorum, interpretantium, credētes non tantum esse cœli hæredes, sed & mūdi huius, & nihil esse rerum, quod Deus in humanos vsus non condiderit, vel ad cibum vel ad potum, vel ad vestem, vel ad delectationem.

Sensus Hæreticorum huius loci; Credentes non cœli modo, sed & mundi huius, & omniū quæ

in eo sunt, hæredes ex istere, dupliciter impugnatur. I. ratio. *Act. 7.*

tionem. Et ita non verentur reprehendere religiones, quæ hæc religiosis interdicunt. Sed profecto illi desipere videntur: nam hac ratione promissiones illæ essent terrenæ, & similes illis legis: nec ipse Abraham, cui facta fuit terræ Promissio, vel passum pedis possedit ex ea. Quod si omnia mundi huius bona credentis essent, liceret viris sanctis citra vllum peccatum omnium dominium sibi vsurpare:

II. ratio.

Gen. 2.
Matt. 3.

Ad hæc. Deus omnia condidit non vt fruamur, sed vt vtamur: ita vt mortificantes concupiscentiam, voluntarie à quibusdam abstineamus. Vnde Adam certe arboris esu interdixit: & Ioannes Baptista frustra se macerasset edendo locustas, & mel syluestre; & Dominus dum vixit, à multis abstinuit in exemplum nostrum, qui omnibus non solum sine peccato, sed etiam magno cum merito vti potuit. Sed sane me pudet hæc Hæreticorum somnia longius prosequi.

Si per fidei iustitiam Abrahæ est facta promissio, quomodo illa sit gratuita.

Ad illud vero, quod merito fidei contigerit promissio Abrahæ, vt superius argumentabamur; respondendum est literam non sic esse ordinandam; Promissio facta est per iustitiam fidei: sed promissio facta est Abrahæ, vt esset hæres mundi, consequenda, & possidenda per iustitiam fidei, & non per legis opera. Alioquin dicendum erat, promissionem factam propter iustitiam fidei, & non per iustitiam fidei, si meritum denotare voluisset. Etsi assereremus merito fidei factam promissionẽ, nihil gratiæ Dei detraheretur, quia fides ex gratia est, & ex gratia reputatur ad iustitiam, vt paullo ante diximus, explicantes illud: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me.* ¶ *Lex enim iram operatur.* Probat quod non ex lege sit accipienda hæreditas; quia lex cum perfectam præuaricationem operetur, ac proinde vindictam præuaricationis efficiat, non facit obseruatores, quibus debeatur promissio, sed magis obnoxios iræ Dei, ac proinde caussa potius exhæredationis, quam admissionis ad hæreditatem existit.

Gen. 22.

Cur Paulus ex lege neget hæreditatem capessendam

Ad III. dubium.

Si lex iram operatur, quomodo bona?

Quod vero obiectum fuit de lege, quæ bona est, quomodo malum operetur: Respondemus, id nequaquam legem immediate efficere ex natura, & qualitate sua, tanquam sit caussa efficiẽs, sed per occasionem. Quia si lex non esset data, non esset per legẽ aucta præuaricatio, & pœna: quia tollit omnem excusationis prætextum lex cognita, & per transgressionem violata. Neque mireris de verbo illo operandi: multa enim dicuntur aliqua efficere non per se, sed per occasionem. Vnde & Christus dicitur positus in ruinam multorum in Israel, & in lapidem offensionis, & petram scandali his qui non credunt: & Apostolus non solum est odor vitæ in vitam sed etiam mortis in mortem. Et simili ratione cap. 7. ait. *Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit?* & alio loco: *Virtus vero peccati lex*; quasi lex præciperet peccatum, cum tamen officium præcipiat; & nos occasione sumpta quia nitimur in vetitũ semper, virtutem facimus peccatum. Subdit: *Vbi enim nõ est lex, nec præuaricatio.* Caussam reddit, cur lex iram operetur: quia nimirum diuina vindicta, supplicium solis debetur transgressoribus. Nam transgressio, solutio est eius obligationis, qua teneris aliquid facere at obligatio omnis, à lege est ligante, & arctante.

Luc. 2.
1. Pet. 2.
2. Cor. 3.
Rom. 7.
1. Cor. 15.
Ouid. li. 3. Amorum. eleg. 3.
Cur lex irã operetur teste Paulo.

Quomodo verum sit, vbi non est lex, nec legis præuaricationem existere.

Quod vero obijciebatur: Vbi non est lex, nec legis præuaricatio, Idem etiam posse dici de Euãgelio: vbi non est Euangelium nec Euãgelij præuaricatio: dicẽdũ est, nomine legis Apostolũ intelligere solitũ mandatum, siue legis naturæ, siue legis scriptæ, sine Dei gratia, ex quo sequitur præuaricatio. Euangelium vero intelligit, mandatum cũ gratia Dei iuxta illud; *Spiritum meũ ponam in medio vestri; & faciam vt in præceptis meis ambuletis, &c.* Vbi autem est gratia, ibi est & impletio mandati. Et ita ruunt argumenta Hæreticorum, qui per legẽ hoc loco accipiunt mandata fidelibus ad obseruandum proposita, ita vt velint omnes opus hominis etiã iustificati obnoxium esse iræ Dei tanquam labe contaminatum: cum tamen Augustinus in expositione sententiarum ad Romanos scribat; Hoc quod Apostolus ait, Lex iram operatur, ad illum secundum gradum pertinere, cum est quisq; sub lege. Et alibi. Atque de hac disputatione satis dictum sit.

Ezech. 37.

Aug. c. 13. to. 4. propos. Idẽ. to. 5. Idem. to. 3.

DISPVTATIO XXV.

In illa verba: *Ideo ex fide: vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum (sicut scriptum est, Quia patrem multarum Gentium posui te) ante Deum, cui credidisti, qui viuificat mortuos: & vocat ea quæ nõ sunt, tanquam ea quæ sunt. Qui contra spem in spem credidit, &c.* vsq; in finem c.

ETSI in propositis verbis nihil admodum difficile, aut arduum esse videatur quod ad sensum attinet: dictio tamen in

quibus-

Quæst. prima.

quibusdam pol enda,& elucidanda, & pau cula quædam obiicienda, quo magis Apostoli sensus lectori constare valeat.

Primum igitur cum ait: *Ideo ex fide: vt secundum gratiam firma sit promissio*, videtinde sequi, quod debeam' de nobis credere nos esse filios Dei in gratia constitutos: quod tamen videtur absurdum. Deinde dubium

II.

est, quomodo Paulus Abraham audet constituere patrem multarum Gentium; cum

Matt 23

tamen Christus in Euangelio vetet, quenquam patrem vocare? Etsi id fieri non debeat de patre carnali, multo minus de spiri

III.

tuali. Tertio, cum infra dicat: In promissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, dubium est an sit sermo de promissione illa Gen. 15. cui Pauli verba fauere videntur; an vero de illa Gen. 17. & 18.& 22. quia ista vere fuit repromissio, sicut prior promis-

IV.

sio. Quarto, dubium est in illis verbis: *Plenissime sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere*, quomodo hæc in laudem fidei Abrahæ producatur, cum fides nō habeat meritū, cui humana ratio præbet expe

V.

rimentū? Postremo quomodo ait: *Traditᵉ est propter delicta nostra & resurrexit propter iustificationem nostram*; cum Christus omne meritum sibi comparauerit, ac suscitatus nihil promereri potuerit. ¶ Hæc dubia suis locis

Quorsum hæc Pauli sententia proposita.

plane fient: nunc ad singula verba accedamus. Probauerat Apostolus ex lege, non obuenire vlli hæreditatem promissam, subne ctit. Ideo ex fide; vt certa, & constans sit promissio. Et arguit in hunc modum: Necesse est aut per legem præstari hæreditatē, aut per fidem. Per legem præstari non potest, vt superius probatum est, quia lex irā operatur: ergo per fidem est comparanda. Et suo more gratiam legi opponit, sicut superius meritis & operibus opposuit fidem Gratiam vero vocat Dei liberalitatem, cui nititur fides. Et quod ait: Firma sit promis-

Quid per omne semen, cui dicitur acta promissio.

sio: opponitur alteri sententiæ superius traditæ, abolita est promissio. Et omni, ait, semini, id est, omnibus posteris, non tantum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus in Christū credentibus. Nam si fuisset legi scriptæ alligata promissio, ad Gentes, quæ legem ignorabant, non extenderetur. ¶ Non ergo ei semini solum, quod est ex lege, id est subiectus est legi seruandæ; sed & ei quod ex fide est Abrahæ. Et relatiuum Qui. quod bis dixit Apostolus, post semen, ad sensum rela-

Erasmi & Oecolampadij de duplici Abrahamo, hoc loco inter se com-

tionem facit non ad nomen seminis, cui cō ueniebat relatiuum quod & non qui. Erasmus, Oecolampadius putarunt, Paulum efficere duos Abrahamos (sicut ca. sequenti duos Adamos inuicem committit) vnum iustificatum in præputio per fidem, qui est pater spiritualis Gentium quæ credunt, alterum vero iustificatum per fidem in circū

missio. rei) citur intelli gentia.

cisione, qui duplici nomine pater est Iudæorum credentium; nimirum & carne & spiritu. ¶ Sed nullibi profecto inuenitur mentio facta posterioris istius Abraham: & Paulus aperte diuidit semen Abrahæ in duo membra, vt aditum sibi nouo argumento faciat ex ipsius promissionis formula, quæ di erte facit non vnius, sed multarum Gentium mentionem.

Nec obstat. Abrahæ Gentium positum sine articulo τῶ: quia freqnēter omitti solet Subdit: *Qui pater est omnium nostrum.* Scilicet Gentilium, & Iudæorum ¶ *Sicut scriptum est, Quia patrem multarum Gētium posui te.* De præterito locutus est, posui te, cum nondū haberet filios. Sed vt Prophetæ ob immobilitatē rerum prædictarum, præteritis pro futuris vtuntur. Et his verbis Abraham pater constituitur omnium credentium: hinc

Quomodo Abrahā positus dicatur pater multarum Gentium, cum nondum esset

sirius Abrahæ, in quo filios colligit tanquā pater Lucæ 16. & Matth. 8. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abrahā* &c. & ad Gala. capite 3. *Qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ.* ¶ Ex quibus habemus, omnem iustificatum per fidem habendum pro filio Abrahæ: & omnes credentes debere agnoscere Abraham tanquam parentem.

Luc. 16. *Matt. 8.*

Gal 3. Vnde manifestum sit, omnes credentes esse filios Abrahæ

Et vt ad primum dubium respondeamus non elicitur solide ex hoc loco, quod qui ex fide iustificatur, certus omnino, & firmus esse debeat promissionis Diuinæ id est gratiæ, & amicitiæ cum Deo initæ. Nec obstat illa verba: *Ideo ex fide; vt secundum gratiam firma sit promissio.* Sed hic est sermo de impleta promissione mittendi Saluatorem, & gratiæ in genere per eum effundendæ, quæ quidem ex nullis legis operibus pendebat, sed ex sola constantissima Dei, & fidelissima pollicitatione. Vsque adeo, vt etiamsi (quod fieri non potest) nullus credidisset, Deus mittendo Messiam, suam fidem liberasset. Si autem sermo est de applicatione redemptionis Christi ad singulos qui iustificantur: dicendum est, quod etsi possit esse certa promissio in quibusdam viris magnis aut per fidem, aut quia contestatur Spiritus quod sunt filij Dei, aut quia pacatissimo cōscientiæ testimonio perfruantur, aut quia Sacramenta digne susciplunt: non tamē ad hoc credendum aliquis lege tenetur, quia multi Hæretici, & Catholici, qui secundum carnem viuunt, id de seipsis credentes deci perentur, & fidei subesset falsum, quod esse nequit. Et satis esse debet omnibus fidelib. fiducia, quam de Dei bonitate cōcipiunt, & puritas conscientiæ, & ipsa Sacramentorū pacta, quæ ex se ipsis in cordibus illa digne susci-

Soluitur prima dubitatio.

Quam vocet hic firmam promissionem Apostolus.

In quib. locum habere possit illa sententia

Rom. 8.

Si certo fideles se esse in Dei gratia credere deberent quid inde.

ſuſcipientium firmitatem ingenerant, & placere animos valent.

Solutio ſecundæ quęſtionis.

Ad ſecundum dubium dicendum, quod etſi Chriſtus Matth. 23. interdixerit nobis, ne patrem vocemus ſuper terram; id magis ſpectabat ad vitandam adulationem, & ſpem in carne; & ne id, quod Dei ſolius proprium eſt tribuamus creaturæ, quam vt homini ſuus honor, qui ei ratione generationis competit, denegetur; & vt homines apprehendant, animam à ſolo Deo creari, & in corpus infundi; & in corporis formatione, & membrorum diſtinctione plus operari Deum, quam parentes. Hinc in Scripturis ſæpe parentes ſanctorum virorum aſſignantur, & homines vt filios talium parentum denominant: vt Petrus Bar iona, vt Iacobus Zebedæi, Iacobus Alphæi &c. Hanc tamen Abrahę ſpiritualem paternitatem voluit Deus olim, & in Euangelio miris laudibus celebrari, ac prædicari, tanquam donum, quod per fidem eſt conſecutus. Sequitur. *Ante Deum cui credidiſti, qui viuificat mortuos, &c.* Hæc verba etſi non ſint de textu in Geneſi, putant tamen aliqui addita à Paulo explicationis gratia, vt illud de Iamne & Mambre. Et Hebr. 12. Exterritus ſum, & tremebundus. Et coniungenda ſunt hæc verba cum ſuperioribus; Qui eſt, inquit, pater omnium noſtrum: & reliqua parentheſi ſunt includenda, ab eo loco: *Sicut ſcriptum eſt*, vſque ad verbum, *poſui te.* Illud autem: *Ante Deum cui credidiſti*, aliqui legunt in tertia perſona, ante Deum cui credidit; id eſt, pater eſt cognitione ſpirituali, quæ coram Deo locum habet, & Deo gratos nos reddit. Et licet apud homines, mortuis non iam gignātur filij, nec iam videantur ad illos pertinere, ex quibus non ſunt immediate orti: bene tamen apud Deum, qui parentum fidei ſibi notæ tribuit filios qui oriuntur. Et ita accepit Auguſtinus, dicens: *Quod autem ait: Ante Dominum cui credidiſti: ſignificauit, fidem in interiore homine eſſe in conſpectu Dei, non in oſtentatione hominum, ſicuti eſt carnis circumciſio.*

Quænam ſibi vendicet in hominis creatione Deus.

Matt. 16. Sup. 10.

Literæ ordinatio. *2. Tim. 3. Heb. 12.*

Aug. in expoſitione quarundā propoſitio. epiſt. ad Rō. nu. 24. to. 4. prope fin.

Non eſt tamen negandum, Ambroſium, & Hieronymum legiſſe in ſecunda perſona: *Cui credidiſti*, ſicut & noſter interpres: quanquam nonnulli vetuſti codices legant in tertia. Chryſoſtomus tamen, & Theophylactus cum Scholijs Græcorum, accipiunt verbum illud. *Ante Deum*, quod Græce legitur *κατέναντι Θεοῦ*, pro eo quod eſt, ad exemplar Dei, ſiue ad ſimilitudinem Dei, quod videatur quandam cum Deo ſimilitudinem habere Abraham: quia vt ille eſt pater omnium, & non vnius partis: ita Abraham cunctorum credentium eſt pater, etiam ſi ex ſe illos non proſeminauerit: Hoc tamen oppugnat Beza, eo quod nulli bi in Scripturis oſtendatur tale verbum in eo ſignificatu. Sed non eſt hæc vox ſola quæ in vno tantum loco Scripturæ oſtendatur. Et declarat qualem Deum eſſe crediderit, ſcilicet talem, *Qui viuificat mortuos*, vel ſuſcitando à morte, vel excitando à peccato, quod mors quædam eſt; ſiue effœto, & infœcundo corpori tribuit virtutem generandi. ❡ *Et vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Laudat ergo fidem Abraham, quod de his rebus Deo fidem habuerit, quę non modo multis poſt ſeculis erant euentura, verum etiam excedebant naturæ ordinem: nempe quod ex vtero mortuo Saræ excitaret ſemen, & multiplicaret ſicut ſtellas cœli. In quo & Virginis benedictæ, quæ ſine viro natura ſterilis erat, generatio Meſſiæ præfigurata eſt, & adoptio Gentium ſupernaturalis delineata. Dicitur autem vocare ea quæ non ſunt: quia vno verbo quiduis poteſt ex nihilo efficere: & res dum non ſunt, eodem modo obſequuntur Deo ac ſi eſſent. Ea etiam dicuntur non eſſe, quæ parui momenti, aut pretij ſunt, & quæ præ tenuitate vix eſſe dicuntur. Ea vero vocatione ſua euehit ad excelſum, & ſupremum gradum, cum vult, iuxta illud: *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem; vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui:* & Apoſtolus: *Ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret.* Dicuntur idiotiſmo Hebræa non eſſe, quæ hominum iudicio ita ſunt abiecta, aut contempta, vt nullo loco habeantur: eſſe vero dicuntur, quæcunque excelſa & magnifica, & quæ in magno pretio habentur. Subdit: *Qui contra ſpem in ſpem credidit.* Id eſt: contra ſpem quam natura nullam porrigebat, in ſpem omnipotentiæ Dei credidit, vt ita fieret pater multarum gentium. Quod ſi obiicias, Paulum ſpiritualem Abrahæ paternitatem conſtituiſſe, dicendo, quod eſſet pater omnium noſtrum ante Deum: quomodo ergo ad paternitatem carnalem diuertit, dicens quod contra ſpem in ſpem credidit, quod in Iſaac impletum fuit? Dicimus, Apoſtolum permanere in propoſito. Primo, quia credendo in ſpem contra ſpem, propagandam ſibi ex Iſaac prolem, promeruit pater fieri omnium gentium. Deinde credidit, per Iſaac oriturum ſibi ſemen Meſſiæ, per quem erant homines adſciſcendi in filios Dei. Subdit; *Secundum quod dictū eſt ei, ſic erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ cœli, & arena maris.* Duæ illæ comparationes in quibuſdā Græcis codicibus deſunt, ſicut in nouis inter-

Ambr. hoc loco to. 5. Hier. ibid. to. 9. Chryſ. ibid. ſer. 8. paulo ante med. to. 4. init. Theophyl. ibidem.

Contra Bezam.

Triplex Dei à mortuis ſuſcitatio quænā illa.

Abrahæ fidei præſtantia.

Qua ratione Deus vocet ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.

Pſal. 112.

1. Cor. 1.

Alter ſēſus

Abraham teſte Apoſtolo, quomodo contra ſpem in ſpem crediderit.

Gen. 22.

Supr. 15.

Gemina illa comparatio: ſicut ſtellæ.

preti-

cœli,& are na maris, an sit de tex tu, nec ne. *Orig. hoc lo co.*

pretibus:& fulcitur autoritate Genes. 15. *Sic erit semen tuum*, & nihil aliud additur. Sed dicēdum est, interpretem nostrum in Paulo illas comparationes inuenisse, & illas habet Origenes Græcus : alioqui nulla esset integra sententia, dicere : *Sic erit semen tuum.* Ideo ex præcedentibus verbis erāt supplenda illa. Sicut stellæ: reliquam vero comparationem adiecit ex Genes. 13. *Faciam*, inquit, *semen tuum sicut puluerem terræ.* Et cap. 22. vtrumque ponitur: *Multiplicabo*, inquit, *Semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in litore maris.* Ideo credendum ab aliquo sciolo in Græco codice prætermissa, eo quod in Genesi non haberentur sub illa forma; cum tamen reipsa continerentur. Neque scrupulose interpretari debemus tot esse cœli stellas, quot filios Abrahæ: sed in hunc modum, quod vt stellas cœli, & arenam maris, & puluerem terræ nemo numerare potest, nisi Deus, de quo dictum est: *Qui numerat multitudinem stellarum; & omnibus eis nomina vocat*, ita numerus filiorum Abrahæ præ multitudine à solo Deo cognitus est. Et res multitudine plurimas solet Deus stellis comparare, & arenæ maris. Nam Deuter. 1. legimus : Dominus Deus vester multiplicauit vos, & estis hodie sicut stellæ cœli, plurimi. Et 3. Reg. 4. Iuda, & Israel innumerabiles, sicut arena maris in multitudine, &c.

Gen 13. Infra 22.

Nam cur quidam de textu reiecerint.

Psal. 146.

Deut. 1.

3. Reg. 4.

Electi cur per stellas designentur. *Dan. 12.*

Reprobi cur per arenam maris denotentur.

Possumus & per stellas intelligere prædestinatos, vt sydera ornant cœlum Empyreum : nam viri iusti sunt sicut stellæ fulgentes in perpetuas æternitates, teste Propheta: & arena maris, quæ quatitur fluctibus, & sine calce est dissecta, designantur peccatores, qui variis mundi concupiscentiis premuntur: vt sunt Iudæi, & Hæretici sine calce fidei, & vnitate amoris, qui à Christo, & Ecclesia eius in varias sectas, & opiniones defecerunt. Sequitur : *Et non infirmatus est in fide; nec considerauit corpus suum iā emortuum, cum iam fere centum esset annorum, & emortuam uuluam Saræ*, &c. Commendat robur, & firmitatem fidei Abrahæ, qui cum tot causis desperandi, quas natura suggerebant, torqueretur, non est tamen fide debilitatus aut hæsitationem aliquam concepit, sicut solent sapientes mundi facere. Et nomen Emortuum, præter vulgare significatum, id, quod inualidum, & viribus exhaustum est ad aliquid faciendum, denotat: qua ratione brachium, vel manum mortuam dicimus. Ita effœtam illam significat, quæ frequenti iam partu defecit, cuius virtus est delassata, & calor ad concipiendum euanuit. Sic dicitur emortua vulua, vel matrix Saræ, non solum sterilitate, sed & senio ipso: non enim virtutem attrahendi habebat, & retinendi semen, & muliebria iam illi fieri desierant, quæ ad conceptum valent plurimum, vt Genes. 18. habetur. Et dicitur Abraham fuisse fere 100. annorum quia tantum 99. habebat cum facta est ei per Angelum promissio, vt habes Genes. 17. Quando vero natus est Isaac, compleuit centenarium annum, vt habes Gen. 21.

Gen. 17.

Quid emortuum corpus Abrahæ & emortua seu effœta uulua Saræ ad literam significent.

Gen. 25. Gen. 16.

Sed duo hic dubia explicanda veniunt. Primum, quomodo fuerit corpus Abrahæ emortuum, qui post natum Isaac accepit Ceturam in vxorem, & filios progenuit; sic ut paullo ante ex Agar genuerat Ismaelem? Dicendum est, quod solidor sit necessarius vigor in viro, vt anum grauidam faciat, quam iuueneulam: hinc destitutus erat vi generandi ex Sara, non ex Cetura: & ita respondet Augustinus quæstione 35. libri primi in Genesim. Vel forte melius respondetur, inualuisse in eo per miraculum absumptam virtutem naturalem ad generandum, non solum ex annosa Sara, verum etiam ex Cetura, quia ætas centum annorum generationi amplius apta non erat : atque hæc solutio magnificat magis donum diuinum, vt ait Beat. Thomas.

B. Aug. to. 4. iuxta inīt.

Altera solutio probabilior.

B. Tho. lectura. 3. in hunc locū à med. to. 16. init.

Secundum dubium, Quomodo ait Apostolus, quod Abraham non considerauit corpus suum emortuum, cum Gens. 17. legamus, quod audita prolis promissione, cadens in faciem suam risit in corde suo, dicens, *Putas ne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet*; Ex quo Faustus Manichæus, vt refert Augustinus, Vetus Testamentum falsidicum, & repugnans Nouo vocabat. Respondemus tamen, quod non considerauit corpus suum, vt secundum illam rationem vacillaret de fide Diuinæ omnipotentiæ : vel licet in principio reuelationis hæsitauerit, nō tamen de promissione diuina, sed de sensu verborū, & modo quo esset implenda: quēadmodū B. Virgo percūctata est nō hæsitādo, sed instrui de modo desiderādo, dicens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Idcirco Scriptura ait Deum dixisse, *Sara vxor tua pariet tibi filium*: ac tunc plene, & sine hæsitatione credidit. Et vt pulcherrime annotauit Augustinus quæstione prædicta in Genesim, reprehenditur risus Saræ ab Angelo Gen. 18. non autem reprehenditur risus Abrahæ Gen. 17. qui Abrahæ risus non erat ex dubitatione, vt ille Saræ, sed ex admiratione lætitiæ, & gaudio, quo Deus in cor illius intuens videre potuit.

Gen 17.

Vetus proinde Testamentum Nouo contrarium Manichæus ausus est affirmare. *August.*

Duplex solutio.

Luc. 1.

Gen. 17. August. ibid.

Saræ risum & non Abrahæ cur Angelus reprehenderit teste Augustino.

Chrysostomus homilia 40. in Genesim in huius loci explanatione: *Vides*, inquit, *ex*

B. Chrys. to. 1. sub init.

cellentem promissionem, & magnitudinem eius qui promiserat, cogitans, cecidit in faciem suam, & risit, &c. Idem docet Augustinus lib. 16. De ciuitate Dei, cap. 26. in fine: ait enim risum Abrahae fuisse exultationem gratulantis, non irrisionem diffidentis. Verba quoq; illa: *Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* non dubitantis, sed admirantis fuisse. In dictis tamen verbis Chrysostomi codex quidam Lugduni vetustus in Bibliotheca Sanctis Pagnini, statim post verba producta habet haec, quae in caeteris voluminibus non leguntur: *Deus vero solus sine peccato perm sit aliquando iustos secundum ipsorum arbitrium in peccatum cadere. Vnde & sanctus Abraham in infidelitate peccauit: & poenas ab eo recepit, vt semen eius quadringentis annis seruiret. Moyses quoque non glorificauit Deum, qui ei aquam de petra largitus est ingratus fuit; & Deus dixit illi: Non videbis Terram promissionis, & non intrabis in eam.* Haec ibi habentur. Quae quoniam cum sequenti narratione non cohaerent, quae testantur Abraham non ex Infidelitate, sed ex ingenti gaudio in eas cogitationes, risum, vocesque prorupisse, suspicionem praebent ab aliquo studioso ex Chrysostomo desumpta, primum in praesenti loci margine posita, & incuria scriptorum in contextum postea translata. Eadem enim, aut his quam simillima habet Chrysostomus in fine homiliae sextae de Poenitentia. Hieronymus quoque illi sententiae subscripsit lib. 3. contra Pelagium; ait enim: *Abraham non credidit, quod Deus repromisit, sed risit in corde, putans se celare Deum, & aperte ridere non audens. Deinde causas incredulitatis exponens dicit in corde suo. Quomodo potest fieri, vt centenarius de nonagenaria vxore pariat filium? Vtinam, inquit, Ismael viuat in conspectu tuo, quam semel dedisti. Difficilia non quaero; contentus sum beneficio quod accepi. Quem occulta responsione arguens Deus, ait: Etiam. Et est sensus: Fiet quod existimamus non futurum Sara vxor tua pariet tibi filium; & antequam ista concipiat priusquam ille nascatur, puero nomen imponam. Ex errore enim tuo quod risisti tacitus, filius tuus Isaac risus nomen accipiet.* Haec ille. Cuius sententia videtur refragari Paulo in hoc loco, & Augustino, & Chrysostomo, ac Theophylacto, qui aliter sentiunt. ¶ *In repromissione etiam Dei non haesitauit diffidentia; sed confortatus est fide, &c.* Commendat iterum fidem Abrahae. Et dicendo repromissionem, videtur loqui de secunda repromissione facta per Angelum Genes. 18. dicente, *Habet filium Sara vxor tua*; vel de illa quae facta est Genes. 22. post immolationem filii. Et idem suadere videtur particula, Autem, & id etiam quod sequitur: *Et reputatum est illi ad iustitiam*, atque in praecedenti Gen. 15. sicut etiam immolatio ipsius Isaac super altare, reputata dicitur ad iustitiam 1. Machabae. 11. & Iacob. 12. Graeci tamen simpliciter habent, in promissione, vel, ad promissionem: & ita Chrysostomus, & Oecumenius interpretantur, quod non loquitur de alia promissione ad iustitiam: & vtraque videtur probabilis sententia etsi prior mihi magis arrideat. Et vtriq; verba aptari possunt. Non haesitauit, inquit, diffidentia, vel vt Graeca habent, non disquisiuit, aut diiudicauit aliqua incredulitate, quaerendo quomodo fiet hoc, aut quomodo fiet illud? Quia in hoc honoramus Dominum, & damus illi gloriam, credentes nihil ei esse impossibile, cuius nutui omnia parent, & apud quem nullum verbum est impossibile.

Aug. 10. 5.

Iusti cur interdum à Deo peccare permittantur.

Gen. 15.

Num. 20.

Idem 10. 5.

Hier. 10. 21.

Gen. 16.

Qualis haec Hieron. sententia.

Ad tertiam quaestion.

Quaenam illa repromissio, seu promissio Abrahae facta, de qua nunc loquitur Paulus.

Gen. 10.

Chrys. ser. 8. in hunc locu, paullo à med.

Oecum. ibid. c. 9.

Qua in re diuinam gloriam illustremus.

Sap. 12. & seq.

Luc. 1.

Sequitur: *Plenissime sciens, quia quaecunque promisit Deus, potens est & facere.* Verbum Graecum est, πληροφορηθεὶς, id est, Persuasissimum habens. Est enim πληροφορία; certa persuasio omne dubium remouens, & pacatissimum reddens cor de Dei potentia, qui etiam supra quam cogitare valemus, potest: & de Dei voluntate, qui mendacium horret, & non potest non praestare quod promisit. Quare recte dictum est à Ioanne: *Qui non credit Filio, mendacem facit eum.* Credere vero Dei omnipotentiã, est, habere in promptu, vnde omnia argumenta quae fiunt contra Fidem, dissoluas. Quod vero Abraham crediderit se assecuturum promissa, id inde profectum est: quia peculiaris ei facta fuit à Deo reuelatio. Hoc autem non offuit fidei, vt superius obiectum fuit, quia Apostolus laudat illum Abrahae motum, quia non erat ex ratione humana, sed ex magnae fidei constantia credere illum omnipotẽtem ad omnia quae promittebat, quando vniuersus orbis in cultu daemonum, & simulacrorum errabat. *Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam; sed & propter nos quibus reputabitur credentibus in eum.* Perpende quod etsi quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sint: non tamen omnia, vt imitemur. Viuus est enim sermo Dei, & vt lex, quae semper viuit. Vnde Deus quosdam proposuit vt typos, & exemplaria nostra, vt Adam, Abraham, Christum, Apostolos, & praecipue Petrũ; ad quos sermo Dei dictus non cũ illis extinguitur, sed ad alios, qui in eorũ locũ successerunt, vel in eadem causa versantur, extenditur. Vnde in poenitentiam dicitur omni homini Adae filio. *Puluis es, & in puluerẽ reuerteris.* Et, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*: & foeminae dicitur, *In dolore paries filios, & Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* De Christo legimus. *Aspicientes in autorẽ fidei*

Quanta Dei potentia, & in promissis constantia.

1. Ioan. 5.

Quid credere sit Deum omnipotentem.

Ad tertiũ dubium.

Rom. 15.

Non omnia scripta sunt ad imitationem, licet ad doctrinam nostram.

Heb. 4.

Quos nobis ad imitandum Deus proposuerit maxime.

Gen. 3.

Gen. 16.

Heb. 12.

&

& consummatorem Iesum,& de Apostolis, *Vos qui secuti estis me in regeneratione*,&c. quod ad omnes qui seipsos propter Christum spoliant, spectat. Petro quoq; dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc Petram*,&c. & *Pasce oues meas*. Ita de Abraham dicitur, quod credidit, & reputatum est illi ad iustitiam: & nobis quoque credentibus reputabitur. Et dicendo: *Sed & propter nos*, adæquauit Gentiles ipsi Abrahæ, vt ait Chrysostomus. Et subdit: *Credentibus in eum qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* In fide Abrahæ nulla mentio facta esse redemptoris Christi, bene tamen in filiis Abrahę sequentib. vestigia Abrahæ, concludit fidem haberi de Christo suscitato. Vt enim Abrahæ fides nō considerauit corpus suum mortuum, sed credens in eum qui viuificat mortuos, reputata est ad iustitiam: ita fides credentis in eum, qui Christum suscitauit. Et inter illud quod credidit Abraham, quod Deus viuificat mortuos, continebatur fides Messiæ morituri, & à morte per Deum suscitandi, vt eius morte corporea, mors spiritualis omnium extingueretur; & in eis suscitatione spiritualis vita omnibus peccantib. reddita eius merito crederetur.

Mat. 19. Mat. 16. Ioan. 21. Chrys. ser. 9 in princ.

Abrahæ fides in Deū viuificantē mortuos, Messiæ mortem, & resurrectionem habebat inclusam.

Dicitur autem Christus traditus, nec exprimitur à quo traditus est: nimirum à Patre suo, & à se ipso, quod ad bonum attinet dicitur & traditus à Pilato, & Iudæis quoad id quod vitiosum fuit in illa traditione. Et simpliciter ait traditū ob delicta, nimirum extinguenda; & suscitatus propter iustificationem nostram scilicet dandam. Nam resurrectio Christi, causa fuit salutis nostræ aliter quam mors: nam in hac fuit eius meritum, quod est opus viatoris. Resurrectio vero, triumphus est suscitati. Et necessaria fuit, vt confirmaretur iustitia credentium. Nam si minime resurrexisset, non haberemus idoneum testimonium quod ille Deus fuerit, qui traditus fuit, neq; fidem resurrectionis corporis eius, quæ ad iustitiam necessaria. Hinc Augustin. li. contra Faustum: *Sicut Christus, inquit, resurrexit; ita & nos resurgemus. hæc est fides nostra. Et quoniam sicut testimonium Propheticum Paulus commemorat, Iustus ex fide viuit, hæc est iustificatio nostra, mortuū quippe Christum & Pagani credunt; resurrexisse autem Christum, propria fides est Christianorum* Hæc ille. Et ita euacuatum est argumentum, quod superius fecimus: Christi mors meruit remissionem peccatorum, iustificationem nostram; quorsum ergo dicitur resurrexisse propter iustificationē? Respondemus enim: Etsi vtrumq; merito mortis obtinuerimus, mors tamen figurabat mortem peccatorum nostrorū; sicut eius reditus ad vitam, iustificationem nostram. Et de his satis.

A quo traditus Christus, & quomodo. Mat. 26. Mat. 2. Ad quintū dubium.

Resurrectionis Christi necessitas.

Aug. li. 16. contra Faustum. c. 29. paullo à med. to. 6. Habac. 2. Rom. 1.

DISPVTATIO XXXVI.

In illa Apostoli verba cap. 5. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur, in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed, & gloriamur in tribulationibus, &c.*

STatuenda in primis est ratio, horum verborum cum præcedentibus. Deinde quæstio est, quomodo iustificati habere dicantur pacem erga Deum; cum multi iusti variis scrupulis agitati perpetuam conscientiæ carnificinam experiantur, nescientes se pacem vllam esse consecutos. Secundo dubiū est, quomodo liceat gloriari in spe gloriæ filiorum Dei, cum nullus sit qui seipsū possit agnoscere Dei filium, &: *Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*; & periculum sit, ne à tanto filiorum Dei gradu quis excidat? Tertio dubitatur, quomodo liceat gloriari tribulationibus, quæ amaræ sunt sensui, & insipidæ, nec propter se expetendæ? Quod si dicas, licere gloriari propter illarum fructum, quem ex illis colligimus; possemus obiicere, simili ratione posse nos gloriari in deliciis, & peccatis, ex quibus fructum maioris humilitatis, feruoris, & prudentiæ decerpere consueuimus. Denique dubium est in illis verbis: Patientia operatur probationem, quomodo hoc verum sit, cum Apostolus IACOBVS Capite primo suæ epistolæ oppositum doceat, nempe, quod probatio operatur patientiam? His omnibus dubitationibus præsenti disputatione explicationem reddere conabimur.

I. dubitat. II. 2. Cor. 10. III. IV.

Et quod ad primum attinet, cum hactenus Apostolus necessariam viam adipiscendæ iustitiæ & salutis explicauerit fidem esse iam ipsius fidei iustificantis vim, & effecta persequitur, quo magis illam nobis commendatam relinquat, & notiorem nobis eam ex fructibus reddat. Per eam siquidem obtinetur nostra coram Deo iustificatio, vt duobus postremis capitibus comprobatum reliquit. Deinde per eam pacem, & cōcordiam erga Deum impetrari

Quo tendat Apostolus præsenti Disput.

Fide fructus iustificantis.

declarat. Tertio, gloriationem in ſpe gloriæ filiorum Dei per eam conſequimur. Quarto, gloriationem in præſentibus tribulationibus, quib. nos affligamur. Quinto, per eam quoque gloriationem in Deo adipiſcimur. Sexto, exprimuntur mala, à quibus fides eiuſmodi liberat. Et primum peccatum originale recenſet: de quo ſermo eſt ab eo loco: *Sicut per vnum hominem peccatum hunc mundum intrauit*, in finem vſque Capitis. Septimo, per totum Caput ſextum explicat, quomodo per fidem, & gratiam caueamus in futurum peccatum. Octauo, tradit quomodo nos fides à ſeruitute Legis Moſaicæ exemerit. Nono per totum octauum Caput declarat, qua ratione ab æterna gehennæ damnatione nos fides per CHRISTVM eripiat. Hæc eſt methodus Apoſtolicæ doctrinæ per quatuor Capita ſubiuncta.

Propoſitis in verbis: Iuſtificati ex fide, pacẽ habeã⁹, &c. doceat, an exhortetur Paulus.

De ſecundo igitur, quaſi in compendium diſputata omnia redigens, ait: *Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Hoc eſt: Ex quo reconciliati ſumus, & remiſſionem peccatorum gratis per fidem conſecuti eo peruenimus, vt donum pacis cum Deo adepti ſimus.

Orig. in c. 5. ad Rõ. inte. to. 2. Theo. od. to a. in principio. Chryſ. ſer. 9.

Vbi aduerte, in quibuſdam Græcis codicib. haberi ἔχωμεν, vt legit interpres noſter, & Origenes, & annotarunt plerique Græcæ linguæ doctores, Theodoritus & Chryſoſtomus: quoniam ille dixit, idem eſſe: Pacem habeamus, quod, Pacem conſeruemus. Poſterior vero annotauit, Apoſtolum exhortationem diſputationibus miſcere ſolitum, quo gratiorem reddat orationem, & vt ingeniorum intentum diſputationi paulisper remittat, & iterum affectus ſuo veſcatur cibo. Agnouit hanc lectionem Ambroſius, & Latini recipiunt, & interpretantur. Iuſtificati per fidem, amplius nec peccemus, ſed pacem conſeruemus cum DEO per vitam illi placentem, & acceptam. Si vero legamus ἔχομεν vt multi codices habent, & ſignificat, Habemus, de præſenti, non eſt omnino hæc lectio reſpuenda, quæ ſuis rationum firmamentis non caret. Nam ſtatim ſubiungit; *Per quem acceſſum habemus*, de præſenti. Et ſubdit: *in gratiam iſtam*, in qua ſtamus: & adiungit, *gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Nam ſi exhortaretur, dixiſſet, Gloriemur in ſpe, non, Gloriamur. Præterea addunt, Apoſtolum nondum adhortari, ſed docere, & dogmata tradere vſque ad finem Capitis vndecimi, & à principio duodecimi Apoſtolum inchoare paræneſes ad bonæ vitæ exempla capeſſenda. Et

Doctrinę cur Paul. exhortationẽ ſoleat adiungere teſte Chryſoſtomo. Ambr. ib. 5.

Prioris ſententię probabiles rationes

certe probabilis eſt vtraque ſententia, etiamſi hæc poſterior mihi alteri præcellere videatur.

Et ſiue doceat, ſiue exhortetur, deducimus imprimis, ex fide iuſtificante nos conſecutos maximum, & pretioſum pacis cum Deo munus: & iuſtificationem aliud non eſſe, quam reditum in gratiam Dei, & reſarcitionem veteris amicitiæ; agnoſcimus etiam, Deum nobis fuiſſe inimicum, & infenſum. quoniam iniquitates noſtrę diuiſerunt inter nos, & Deum noſtrum. Quod ſi amicitia cum quocunq; concilianda eſt, & inimicitiæ, & acerbitati animi præferẽda: quãto magis illa cum tanto Principe, & legitimo noſtro Deo, qui & gratis condidit, & benigne ſeruat, & gubernat, ſuisq; nos expenſis alit, & ſine eius beneficio, & gratia ne tantillo quidem temporis puncto conſiſtere poſſumus? Tantoq; magis venit hæc æſtimanda amicitia, quanto nos ſoli noſtro vitio illam abrupimus, & nouis ſceleribus inimicitiam adauximus. Nec expectat vt à nobis rogetur, vt nos expectare ſolemus, cum inimicitias cum aliquo gerimus, ſed prior ipſe rogat, vt in pacem cum eo redeamus, cum tamen bonorum noſtrorũ non egeat. Apponit præterea ipſe de ſuo expenſas ad hanc pacem neceſſarias, dans Filium ſuum mediatorem, cuius ſanguine, & morte placatus eſt, & condignam illatæ iniuriæ compenſationem accepit: & Apoſtolus huius pacis Legatos ad nos alliciendos, & ſibi reconciliandos miſit, illisque Euangelium pacis annuntiare præcepit, & miniſterium reconciliationis in baptiſmo, & Sacramento Pœnitentiæ poſitum, per ipſos nobis commendatiſſimum tradidit, quo poſſint homines, ſi velint, cum Deo in gratiam redire. De hac pace prædixerat Propheta Dauid: *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Per iuſtitiam enim, ſiue per iuſtificationis munus extincta ſunt peccata, quę prius viuebant, & morti æternæ, belloq; gehennę perpetuo nos adiudicabant: at nos illis extinctis, Deo & pace aurea, quæ exuperat omnem ſenſum, perfruimur.

Fidei iuſtificatio diuinum pacis cum Deo bonum cõparauit, & quid ſit hęc iuſtificatio Vnde noſtræ cum Deo inimicitiæ. Eſaia. 59. I. ratio. Cur pacem habere debeamus cum Deo. I ratio. II. ratio.

Pſal. 15.

III. ratio.

2. Cor. 5.

Quinam huius pacis adminiſtri, eiuſq; comparandæ ratio exiſtat.

Pſal. 71.

Philip. 4.

Quod vero quidam perpetuo ſcrupulis agitati crucientur, in illorum imbecillitati eſt tribuendum, non dono iuſtitiæ, quæ in bene diſpoſitis pacem, & vnitatem efficere ſolet. idque à Deo interdum permittitur, iuſto ſuo iudicio, vt ita homines magis à peccatis, ad quæ propenſi ſunt, auertat, & vt quo grauioribus conſcientiæ ſtimulis, & angoribus ſtimulantur, eo ad veriorem & ſolidiorem pacem perueniant, & alios minus expertos in via DEI conſolari valeant. Expeditque ante oculos habere,

Ad primũ dubium. Quam pacem habere dicamur ad Deum, perpetuis animi angoribus & ſcrupulis agitati? Duplex pax à Chriſto nobis oblata.

Ioan.14. Christum duplicem nobis pacē obtulisse: *Pacem*, inquit, *relinquo vobis, pacem meam, do vobis*: alteram imperfectam, & inchoatam, quam primo die resurrectionis protulit, dicens: *Pax vobis*: quæ certe sine aliquo bello carnis reluctantis, aut mundi à Christo deterrentis, & ad se allicientis, aut inuidi dęmonis, qui nobis hanc pacem eripere, aut saltem interturbare contendit, non est.

Supra.16. Vnde Christus dixit: *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis*. In me, inquit, vno, tanquam certi, de victoria. In octaua autem resurrectionis iterum pacem obtulit, quæ pacatam, & omnino tranquillam reddet conscientiam in cœlesti beatitudine, quę per octauam designatur.

Infra 20. Quid octaua Dominicæ resurrectionis significet.

Quare falsus est hæreticorum sensus, qui docent, his verbis significari securam, & omnino certam, & pacatam conscientiam de iustificatione, quæ à sola fide oritur. Nam superius nihil dixit, de conscientia pacata, sed de pace erga DEVM habenda. Et pacata omnino conscientia non proficiscitur à sola fide, quam Matthæi septimo in Prophetis, & malis operarijs, & Matthæi vigesimoquinto, in virginibus impudentibus damnat, (qui fiduciarios istos nobis repræsentant) quam defraudatam præter omnem earum expectationem videmus. Sed conscientia pacata à bona vita, & officijs virtutum, & vsu Sacramentorum, & longo progressu in via spirituali oriri solet. Vnde Apostolus secunda ad Corinthios primo: *Gloria*, inquit, *nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; primo Ioan. tertio: *Si non cor nostrum reprehenderit nos, fiduciam habemus ad* DEVM. Quare friuolum est quod Beza hoc loco splendidis verbis, sed inani sensu effutit: *Incredibilis*, inquit, *& constantissima mentis recreatio, qua fit, vt de beneuolentia DEI securus homo, superatis conscientiæ terroribus clamet: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Hæc ille, cuius oratio minime, vt puto, eius vitæ, & moribus respondebat.

Falso Lutheranos hunc locū Apostoli ad omnimodam conscientię securitatē & pacem detorquere.

Luc.13. Mat.7. Infra 25.

2.Cor.1.

1 Ioan.3.

Notatur Theodori Bezæ, tum doctrina tum vita.

Psal.26.

Subdit: *Per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus*. Proponit mediatorem iustitiæ CHRISTVM per fidem, & pacis autorem per eandem fidem Ipse enim est pax nostra, qui facit vtraque vnū. *Et accessum habemus*, ait, *per fidem in gratiā istam*. Non ergo fides ipsa iustitia est, sed ostium iustitiæ, & via ad eam, & manus apprehendens eam: & rursus per iustitiā perducens ad pacem cum Deo, quia apud Esa. scriptum erat; *Erit opus iustitiæ pax*. Quando enim spiritus obedit carni, est quidem pax, sed non iustitia: quando prioris vitæ incipit pœnitentiam agere, est iustitia, sed nondum pax. At peracta pęnitentia, & per fidem apprehensa iustitia, tunc est iustitia, & pax, & iustitia, & pax osculantur se inuicem in iustificato.

Autor nostræ iustitię & pacis Christus, teste Paulo

Ephes.2.

Initium tātum iustitiæ fides, at charitas perfecta iustitia est.

Esa.32.

Illud Esaię Erit opus iustitiæ pax quando impleatur: Psal.84.

Subdit: *In qua stamus*. Quod ad fidem referri potest, de qua Idem Apostolus infra Capite vndecimo post medium ait: *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time*: vel ad gratiam, de qua PETRVS Apostolorum princeps ait: *Contestans hanc esse veram gratiam DEI, in qua & statis*. Nam iacet omnis peccator, & sola DEI gratia stare possumus: non solum ob statum rectum quem habemus resurgentes à peccato, & ab infimo Adæ statu, sed quia etiam firmi, & perseuerantes sumus in expectatione cœlestium bonorum. Græci codices hoc loco legunt de præterito: Per quem accessum habuimus ad gratiam, in qua stetimus. Verum Hebræis mos est præteritis vti loco præsentium: vt Capite vigesimo Matthæi habens: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi*, pro Sedent. Et apud Ioannem: *Medius vestrum stetit*, pro, Stat. Et rursus: *Vidimus stellam eius in Oriente, & vinimus adorare eum* ἤλθομεν, pro, Venimus de præsenti. Et quam prius dixit iustificationis pacem, nunc vocat gratiam. quia à Deo gratis data est, & gratum hominem Deo facit, & opera eius. Et intelligę gratiam, non actualem, sed habitualem, & immanentem in nobis. In actibus enim transeuntibus stare non possumus, sed in donis permanentibus, quæ sunt habitus Diuini.

Rom.11.

1.Petr.5.

Præteritū pro pręsenti non raro ponitur Hebræorum more.

Matt.20. Ioan.1. Matt.2.

Quænam gratia ista in qua stamus, cur sic dicta: quomodo stemus in illa:

De secundo dono subiungit: *Sed gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI*. Vbi primum pondera, Græce non haberi *Filiorum* nec Græci Patres eius verbi meminerunt, & Ambrosius tantum legit: *In spe gloriæ Dei* & interpretatur, quod nos reddet gloriosos. Tamen, quia Latini codices habent, verisimile est interpretem nostrum in aliquo legisse vocem, Filiorum. Et quia, si diceret, In spe gloriæ DEI, dubium relinqueretur, an de illa, quæ DEI propria est, loquatur; an de nostra in DEO; non male appositum est illud verbum. Vnde & Origenes adiecit: *In spe videndæ Gloriæ Dei*. Et Theophylactus: *In spe bonorum quæ nobis sunt obuentura, ad gloriam Dei*. Vt ita sensus sit, quod gloriamur in spe gloriæ illius futuræ, quam DEVS filijs suis dare disposuit. Præsertim cum infra Capite octauo idem Apostolus dicat: *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum DEI*; & impij admirabun-

Alter fidei fructus.

B.Amb.to.5.à med.

Hęc lectio Gloriamur in spe gloriæ, cum Genitiuo filiorum Dei, cur probanda atque retinenda.

Orig hoc loco to.2. Theoph. Ibid.

Rom 8.

Sapient. 5. Quænam sit gloriatio in spe gloriæ filiorum Dei

bundi de gloria filiorum Dei dicent: *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Est ergo hæc gloriatio non tantum, ea, quæ in cœlo nos manet sed etiam qua in terra fruimur. Nec tantum habemus spem gloriæ, sed etiam gloriationem in tanta, ac tali spe. Et recte sequitur

Solutio secundæ quæstionis.

ad id quod dixerat de pace, quasi diceret: *Non solum nacti sumus pacem rerum præsentiũ, sed & gloriamur in spe futurorum.* Nec enim

Quomodo liceat nobis gloriari in spe gloriæ filiorum Dei, huius diuinæ filiatio nis penitus ignaris?

illicitum est gloriari nisi in seipso: gloriatur vero in seipso ille, qui gloriatur quasi non acceperit. At de Iustis ait David: *Lætamini in Domino & exultate iusti & gloriamini omnes recti corde*, scilicet, in Domino, quod est ex superioribus supplendum. Æterna vero bona etsi h'c nondum accepe rimus, dici tamen, & gloriari possumus nos iam percepisse certa fide, & viua, ac firma spe, ad quã

1. Cor. 4
Psal. 31.

regenerati sumus, & in arrha Spiritus sancti, & in iure charitatis, & bonorum operum, quod nobis comparauimus; in gustu etiam, & prælibatione futurorum bonorum, & in illa captiuitate, quam ascendens in altum, secum duxit; Denique in tot Sanctorum myriadibus, quorum certam gloriam Ecclesia solennibus & statis diebus celebrare solet, in quib. ad eorum preces, & merita, signa, & prodigia contingere solent, spiritus etiam nequam de corporibus truduntur, & multa gratiarum charismata impetrantur.

Læitiæ & bonæ huius gloriationis in futuris bonis & æternis idonea argumenta, quæ suppetant.
Ephes. 1.
Psal. 67.
Ephes. 4.

In quibus proprie gloriemur tantummodo.

Quamobrem etsi exultare, & gloriari nemini detur, nisi de his, quæ iam adeptus est bonis: tamen tam certa reddita est, & firma æternæ spes hæreditatis, vt de illa proprie gloriari in Deo possimus. Per arrhabonem enim Spiritus, spem futuræ immortalitatis, & gloriæ concepimus; & propterea cum Osea moni insultamus. *Vbi est mors, victoria tua? vbi est mors, stimulus tuus?* Nam per viuam fidem spe plenam agnito Filio DEI, deuictus est nobis infernus, prostratus dæmon, stupefactus mundus, & apertum cœlum, ita vt dicere valeamus cum Apostolo: *Conuiuificauit nos in Christo, &c. & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in CHRISTO Iesu.* Expende verba tantæ exultationis, & promissionis.

Osea 13.
1. Cor. 15.
Per viuam fidem & spem in Messiam Dei filium quid afficiuntur fuerimus.
Ephes. 2.

Quod vero oblectum fuit, neminem se posse Filium DEI agnoscere, & certam de futuris bonis gloriationem habere: id si de omnibus asseratur, quia multi sunt peccatores, qui secundum carnem viuunt, verũ est. At aliter sentiendum est de his qui Spiritu Dei aguntur, & qui carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifixerunt: nam tales Christo viuunt, vel potius Christus in eis, & Spiritus testimonium accipiũt, quod

Quomodo verum, sit, hanc suam adoptionem in filium Dei neminem posse constare.
Rom. 8.
Gal. 5.
Rom. 8.

sunt filij Dei. Quod si filii, & hæredes. Hic enim Apostolus non tam denotat, quales homines sint, quanta fide, & spe polleant, sed quanta ex vi gratiæ Euangelicæ pollere deberent. Et mirum non est, homines, qui iam nuntium mundo miserunt, si in futuris, & æternis bonis exultent, & triumphent.

Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Tertium donum recenset eorum qui iustitiæ munus sunt adepti. Nam prætet iam dicta, eo vsq; subnectuntur, vt in laboriosis quoque vitæ huius tribulationibus glorientur. Et quia ignaui solet esse gloriari in præmio, vel in spe præmij, quod per agonem quæritur, non autem in ipso agone, idcirco ostendit, gloriationem in his, quæ perducunt ad talem spem, debere præcedere. Porro Bernardus sermone decimoseptimo in Psalmum. Qui habitat, recte admonet, non esse nouam aliam gloriationem ab illa, quæ est in spe gloriæ. Sic enim ait: *Manifeste aduertere est in his verbis cum præmisisset Apostolus gloriari in spe: nõ aliud aliquid, sed amplius eum addidisse, dicendo: Non solum autem, sed & gloriari in tribulationibus. Non enim altera gloriatio commendatur, sed additur, vbi spes gloria, ibi ipsa spei gloriatio requiratur. Siquidem in tribulatione spes gloria, imo & ipsa in tribulatione gloria continetur: sicut spes fructus in semine, sicut & ipse fructus in semine est.* Hactenus ille. Vnde recte quidam ex nouis interpretibus vertũt: nec id solum, Græce, οὐ μόνον. Detegiturque vehementia spei huius. Nam qui vehementer aliquid sperat, vel amat, libeter pro illo difficilia & amara quæq; fust net: vt infirmus, qui pro sanitate obtinenda nullam ĩ potionem amaram recipit, membrum secari, aut ignem sibi adhiberi patitur: & bono Iacob pastori, septem anni in grege pascendo videbantur pauci præ amoris quo Rachelem prosequebatur magnitudine. Nec satis Apostolo fuit dicere: Labores æquanimiter ferimus ob æternæ v tæ spem, verum etiam, quod maius fuit dicere, Gloriamur, & oblectamur in tribulationibus. Quiquidem gloriatio dilutio maculæ esse videtur, qua quidã Euangelium detur pabant, quod illud profitentes tot mala, & persecutiones paterentur, quas Christiani non solum nõ fugiebãt, sed pro delicijs, & honore, & summa gloria reputabant, iuxta illud: *Ibant gaudentes Apostoli à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu cõtumeliam pati;* &. *Libenter gloriabor in infirmitatib. meis, vt in habitet in me virtus Christi.* Quærebant olim sapientes huius mundi, quomodo suis insti tutis homines quadrato animo vtramque fortu-

Tertius iustificatis effectus. Iustificatos ex fide gloriari in tribulationibus. Paulus cur dixerit oportere.
B. Bern. circa fer. dimidium.
Psal. 90.

Gloriationi in aduersis maxime certitur Christianę spei vis & efficacia.

Gen. 29.

Hac Paulus doctrina in tribulationibus gloriãdi, quibus satisfacere videatur.
Act. 5.
2. Cor 12.
Sola Christi religio facit suos professores in tribulatione gloriari.

fortunam ferent, ne laborum, aut calamitatum incursas, aut voluptatum, & deliciarum affluentia mentem perturbarent: at quod ex pressuris voluptatem, & iocunditatem animi captarent, inauditum fuit mortalibus, & solis Christi sectatoribus seruatum.

Ad tertiā quæstio.

Quare in tribulationib. gloriemur.

Est autem causa gloriandi in tribulationibus, quod ex illis perpessis augmentum præmij sibi homines comparent. Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriȩ pondus operatur in nobis. Deinde in illis ferendis imitamur Christum, qui dixit: *Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt; & vos persequentur*; &: *Nobis absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, qui discipuli eius sumus. Purgant etiam terrā cordis nostri peccatorū spinis, vt fructum plus adferant: adimunt etiā desiderium hic diu manendi: & tanquam fumus offendens oculos, de mundo hoc tanquam de cubiculo expellunt. Et propriū est iustificatorum in tribulationibus gloriari, quando absque suis demeritis patiuntur, nisi ob hoc tantum, quod Christum, & eius Euangelium sectantur. Nam alioqui multi permulta patiuntur in hoc mundo propter peccata sua.

2. Cor 4.
II. ratio.
Ioan. 15.
Gal. 6.
III. ratio.
Ioan. 15.

Quando vere tantū iustificati in tribulationib. glorientur.
1. Petr 2.
Si tribulationib. licet non tamen in malefactis licet gloriari.

Non licet autem gloriari in peccatis admissis, quemadmodum in tribulationibus perpessis, quia ex vtriusq; fructum aliquem colligimus: nam peccata sunt actiones per se malæ, & gloriari in illis nihil aliud esset, quam in illis sibi cōplacere, & oblectari: at tribulationes mediæ per se sunt, & indifferentes, & materia sunt virtutis, cum patienter feruntur, & pro voluntate illas ferentis, aut à peccato electos purgāt, aut reprobos in gehennam detrudunt.

In quibus duntaxat tribulatio patientiam operetur, & quomodo.

Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autē probationem, probatio vero spem. Afflictio suapte natura non effectrix patiētiæ directe, sed impatientiæ potius, & indignationis, & maledicentiæ, vt videamus in incredulis: at in fidelibus est materia, & occasio exercendæ patientiæ, & roborandæ: quemadmodum copia rerū materia est liberalitatis exercendæ. Nam veluti in belli cōflictu augeri solet fortitudo bellantium, ita patientia in fornace tribulationum perficitur. Hinc Bernardus ad Abbatem S. Nicasij *Sicut sanctis, & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit: si. damnandis e contrario tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, & illa interimit.* Hæc ille bonus Pater. Est autem Patientia, teste Augu. virtus, qua æquo animo difficilia, & ardua toleramus. ¶ *Patientia autem probationem* Hoc est, Toleratio afflictionum voluntaria operatur testificationem propriæ virtutis: quia afflictio probatū sibi, & aliis ostendit. Operatur ergo probationē merito: nam ex eo quod amore Dei patimur, & vincimus, probamur à Deo, q Deum mundo præferamus, æterna temporalibus, spiritum carni, & fidē rationi, & sensui. Vnde scriptum est: *Probasti cor meum, & visitasti nocte igne* (scilicet tribulationis) *me examinasti. & non est inuenta in me iniquitas.*

Eccli. 27.
Sap. 3.
B Bern. epist. 32 sub init.

Patientia quid secundum Augustinum.

Aug. li. de Patient & sæpe alibi. to 4. longe à med
Patientia te ste Apostolo cur operetur probation.
Psal. 16.

Ad quantū dubium.

Neq; huic sententiæ obstat quod Iacobus dixit in Catholica sua, quod probatio fidei patientiam operatur, cuius contrarium hic dicitur, quod patientia operatur probationem. Sed facile resoluitur hæc repugnantia, statuendo, vario modo accipi probationem. Nam Iacobus Apostolus actiue accepit probationem pro ipsa tribulatione, & afflictione, qua fides probatur, quæ, vt ait, operatur patientiam, id est, seges est & mater exercendæ patientiæ. & Græce dicitur τὸ δοκίμιον Hic vero passiue capitur vox Grȩce diuersa δοκιμὴ pro notitia ipsa, qua nobis vel aliis innotescimus, & qua explorati, & cogniti euadimus, quod est affectus patientiæ. Beda tamen in epistolam Iacobi aliter soluit, dicendo quod patientia operatur probationem: quia ille cuius patientia non vincitur, perfectus est, & probatur. Et rursus probatio patientiam operatur, quia facit fideles per patientiam exerceri, & per hanc fides eorum, quam sit perfecta, probatur. Subdit: *Probatio vero spem.* Nimirum operatur, & efficienter spei vigorem, & statum: nam qui sibi exploratus est, quod ob spem æternæ vitæ tribulationes præsentes perfert, vehementer in gloriæ cœlestis spē erigitur. Vnde idem Iacob. ait: *Quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Qui enim legitime certauerit, coronabitur*; &: *Vincenti dabitur sedere in throno Christi: sicut ipse vicit; & sedet in throno Patris sui.*

Quomodo hic dicitur patientia probationem operari, cum alibi opposi tō dicatur.
Iacob. 1.
Altera solutio.
Beda to 5. prope finem
Probatio cur spem operetur.
Iacob 1.
2. Tim. 2.
Apoc. 3.

Contra Lutherum & sequaces, fidem per se solam sine operib. ad salutem sufficere.

Vbi ergo sunt, qui per fidem solam sine operibus & tentationibus putant recte sperari æterna præmia, & qui nuda fide certissimi sunt suæ salutis? cum hic Paulus aperte doceat, quod per experimentum tribulationum & operum spes nostra generatur, & alitur.

Verbum operādi in eadem sententia ab Apostolo vsurpatum triplici sensu.

Perpende etiam verbum Operādi, quod in eadem clausula varios continet significatus. Nam tribulatio operatur patientiam indirecte, quatenus est sylua exercendæ patientiæ: patientia operatur probationē per viam meriti: probatio vero operatur spem, per viam efficientiæ. Et ita illud accipe: *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue*

2. Cor 4.

tri-

tribulationis nostræ, operari æternum gloriæ pondus, quod duobus prioribus modis accipiendum est. Et hæc sint satis hoc loco.

DISPVTATIO XXXVII.

In illa verba: *Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

I. dubitatio

AMBIGVITVR primo quomodo, Apostolus doceat, spem non confundere; cum interdum iusti à spe sua cadentes pudefacti, & confusi fuerint. Deinde de qua charitate hoc loco est sermo: an de illa Dei qua nos Deus diligit, an vero de illa, qua nos Deum diligimus, nam vtrinq; patroni non desunt, & rationum momenta pro vtraque parte adsunt. Tertio ambiguitur, an Spiritus sanctus re ipsa distinctus sit à charitate, qua Deum diligimus, an vero sit ipsa nostra dilectio, maxime cum dicatur; *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet*. Augustinus libr. 4. de doctrina Christiana cap. 7. obseruauit, Apostolum vsum fuisse schemate quodam, quod Græci Κλίμακα nos vero Scalam, siue Gradationem vocare possumus non quod Apostolus affectatam eloquentiam sectatus sit, sed potius quod eloquentia vltro comes extiterit sapientiæ. Nequisquam igitur existimaret, inanem esse iustificatorum fidem, & quæ deficere consueuit, vt plerumq; facit spes in hominibus collocata, de qua; *Maledictus homo, qui confidit in homine*; & iterum: *Nolite confidere in principibus, neq; in filijs hominum in quib. non est salus*: ideo ait: *Spes autem non confundit*, siue non pudefacit. Qui enim nec falli, nec fallere potest, nec potestas deest, nec voluntas benefaciendi, is quemquam confundere nequit. Quod his Scripturæ testimonijs comprobatur: *In te, Domine, speraui: non confundar in æternum*: *Respicite filij nationes hominu; & scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est*; & Esaias, *Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui expectant eum*. Quare si Deus se subtraheret, cui per spem nitimur, certe seipsum negarent, & omnia in nihilum redirent, secundum illud; *Auertente faciem, turbabuntur; auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur*.

[Margin: II. dub. — III. dubit. — 1. Ioan. 4. Aug. to. 3. prope init. — Solutio primæ dubit. — Quare Paulus dixerit, spem cõfundere. Ierem. 17. Psal. 14. — Hanc spei diuinæ firmitatem Scripturæ cõtestãtes. Psal. 70. Eccli. 2. Esai. 49. — Si spes confunderet, quid inde. — Psal. 103.]

Quod vero quidam extiterint, qui spe sua depulsi pudefacti sunt. id non est, quod Deus se subtraxerit, sed ex eo tantum, quod à Deo spem suam subtraxerunt: vel spem suam partim in Deo, partim in selpsis collocauerint: vel denique, quod non certam rationem sperandi in Domino secuti sunt, de quibus dici potest: *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis*; & simili ratione fiditis in Deo, & non accipitis, eo quod male fidatis. Sequitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*. Loquitur hoc loco Paulus in vniuersum de omnibus iustis, & non tantum de quibusdam insigniter iustis, & perfectis in quorum cordibus charitas diffunditur, vt putauit Origenes, motus illo verbo diffusionis, quo excellentiam, & exuberantiam denotat. Sed literæ, & rationi magis consonum est, vt de iustificatis omnibus sit sermo.

[Margin: Quomodo, si spes non confundit, quidam spe exciderũt sua — Iacob. 4. — In quos diffusa dicatur charitas Dei. Orig. hoc loco to. 2.]

Cum autem charitas Dei nihil aliud sit, quam amicitia Dei: dubium est, an hic sit sermo de charitate Dei erga nos, an de nostra actiua erga Deum. Et primo priori sententiæ fauet illud; *Deus charitas est*: Et infra: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis*; & Ierem. *In charitate perpetua dilexi te*. De nostra vero dicitur: *Manent fides, spes, charitas, tria hæc*; & Dominus, *Dilectionem Dei non habetis in vobis*. Posset & aliquis cogitare, quod loquitur de vtraq; charitate, iuxta illud: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*: quo modo explicauit Origenes. & de vtraq; dilectione sequitur, quod spes non confundit. Ambrosius tamen, & Chrysostomus priorem sequuntur sententiam. Nam ex eo spes iustorum non pudefacit, quia charitas DEI erga ipsos copiose effundit dona Spiritus sancti in corda ipsorum, quibus cõtestatur, se eis præstiturum quodcunq; promiserit. Quod ergo Deus possit, & nouerit æternam gloriam nobis impertiri, id certum, & indubium est: quod autem velit, ex eius erga nos charitate, qua prior dilexit, & ad amorẽ sui nos solicitauit, & quod sponte sua nullo eum cogente illam pollicitus fuit, colligere possumus.

[Margin: Ad secundam dubit. — Quam hic dicat charitatem Apostolus, Deine erga nos, an nostram erga Deũ, qua à nobis diligitur. — I. opinio. 1. Ioan. 4. Rom. 5. Ierem. 31. 1. Cor. 13. Ioan. 5. — II. opinio. Infra 14. Ambr. to. 5. Chrys. ser. 9 to. 4. init. — 1. Ioan. 4.]

Et dicitur charitas Dei diffusa, ea loquendi ratione, qua causa per effecta diffunditur: quemadmodum principis in ciues liberalitas diffundi dicitur per beneficia, quę supra omne meritum illis communicat.

[Margin: Charitas Dei quomodo diffusa.]

Alius tamen sensus est probabilior, hic esse sermonem de charitate, qua Deum diligimus: ita vt ex eo colligatur spes iustorum non confundere, quia per Spiritum sanctum est communicata charitas iustis, qua Deum diligant, & sua dilectione eum sibi promereantur, & deuinciant, vt non possit ipsis denegare quod promisit. Et vt docet Aristoteles in libro nono Ethicor. non potest DEVS, non benefacere amicis, si mentem colamus. Pater præterea non potest non diligere eum, qui Christum diligit:

[Margin: III. opinio, probabilior. — Arist. to. 3.]

Qui

Ioan.14. *Qui enim diligit me*, inquit, *diligetur à Patre meo.*

B. Aug. to. 3. circa fin. Primasius. Porro hunc sensum Augustinus sæpe sectator, & maxime lib. de Spiritu, & litera, capit. 32. in fine. Ita etiam interpretatur Primasius, & Photius, dicens: *Gloriamur in tribulationibus, quia Deum amamus. Pro eo enim gaudemus aliquid pati, quem vehementer diligimus.*

II. ratio. Deinde charitas Dei in Scripturis in eum sensum fere semper accipitur. Nam c. 8. huius epistolæ ait: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Item illud: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei & communicatio Sancti Spiritus.* Et ad Thessalon. *Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi*, id est, in charitate, qua Deum diligimus, & patientia, quam Christus donat, vt propter eum patiamur. Rursus Dilectus in priori Canonica: *Qui seruat verbum Dei, vere in hoc charitas Dei perfecta est.* Et paulo post: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Et infra: *In hoc est charitas: non, quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Et subdit: *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet & charitas eius in nobis perfecta est.* Idem inferius subiungit: *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.*

Rom. 8. 2. Cor. vlt. 2. Thes. 3. 1. Ioan. 2. Ibid. Infra 4. Ibid. Infra 5.

III. Tertio congruebat, vt post fidem, & spem, mentionem faceret charitatis, vt ait Origenes, sine qua alia dona nihil sunt ad salutem. Illa vero plenitudo legis est & per illam operantes certi coronæ reddimur.

IV. Quarto hæc dicitur diffundi, & effundi in cordibus, id est, voluntate: alias improprie effunderetur: sicut etiam dicitur, Diffusa est gratia in labiis tuis, id est, creata gratia in ore Christi. Ps. 44.

V. Quinto, quia de Spiritu sancto ait: Qui datus est nobis: ergo etiam de charitatis dono nobis communicato est sermo, in quo continetur dilectio Dei erga nos, de qua statim subdit: *Commendat autem charitatem suã Deus in nobis.*

VI. & vlt. Sexto, dogma Lutheranorum euertitur qui negant huiusmodi diuinum habitum charitatis, & asserunt, neminem esse ex sanctis, qui Deum toto corde diligat, & qui non semper in transgressione huius præcepti versetur. Et interpretantur de charitate Dei erga nos, dicentes, nos habere certissimum testimonium, quod Deus diligit nos, & quod Spiritus sanctus perhibet nobis: quod certe non redderet, si essemus in transgressione huius mandati, vt aiunt. Rom. 8.

Vnde constet Dei in nobis charitatem diffundi. 1. Cor. 13. Dicitur autem charitas diffundi in nobis, propter multiplicia eius munia, & officia: nam charitas patiẽs est, benigna est, &c. Spes autem non confundit; quia diligentes Deum non possunt à Deo non diligi, & sperata præmia assequi. Deinde, quia datus est nobis Spiritus sanctus in pignus, & artham hæreditatis. Et hæc de secunda dubitatione dicta sint.

Solut. tertiæ quæst. An Spirit. S. à charitate distinguatur, nec ne. Tertiæ vero vt satisfaciamus, constituendum est, Spiritum sanctum distinctum esse à charitate, quæ virtus Theologica est: qua in re deuiauit Magister sententiarum, negans habitum charitatis, & asserens liberũ arbitrium in Spiritu sancto, qui dicitur charitas, omnes actiones nostræ dilectionis simul operari: quod falsum esse conuincitur. Magist. sẽt. l. 1. dist. 16.

Quod omnino distinguatur. I. ratio. Primo, quia vt formæ est dare esse, & nomen ita diuinæ charitatis opus est, vtrumq; præstare. Ait enim Dilectus: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Ioan. 3.

II. Deinde hic locus ostendit, aliud esse charitatem, aliud Spiritum sanctum: & ad Gal. 5. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia* &c. nunquid ergo est fructus suiipsius. Gal. 5.

III. Tertio charitas dicitur effundi proprie in cordibus: dicitur augeri Philip. 1. minui, seu refrigescere, Matth. 24. contristari: quæ non possunt Spiritui sancto quadrare. Philip. 1. Mat. 24. Ephes. 4. 2. Tim. 1.

IV. Quarto ait Apostolus: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas, quæ nunquam excidit*: at Spiritus sanctus non comparatur fidei, & spei, & non manent actus. Ergo de diuinis Theologicis virtutibus est sermo. Et cui, quæso, dubium erat, quod Spiritus sanctus maior sit donis suis, & quod nunquam excidere posset. 1. Cor. 13. Ibid.

V. Quinto ait Dominus *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*: & paulo post: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: at cum Pater venit, non veniunt nisi aliæ diuinæ personæ. Hinc Augustin. lib. de Spiritu, & litera: *Vnde ista dilectio, id est charitas, per quam fides operatur, nisi vnde illã fides ipsa impetrauit? Neque enim esset in nobis quantacunque sit ex nobis nisi diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et lib. 3. de Doctrina Christiana: *Charitatem voco motum animi ad fruendũ Deo propter ipsum, & se, atque proximo propter Deũ.* Sic Augustinus. Ioan. 14. Ibid. Aug. de Spir. & lit. c. 32. post. 10. 3 iux finem. Idem c. 10. l. 3. de Doct. Christ. sub fi. to. eod. prope init.

Ratione idem euincitur. Ratio quoque idem dogma confirmat: quia etsi Deus possit se solo, aut per auxiliũ speciale omnes actus, qui per habitus fiunt, elicere: tamen quia diuina sapientia disponit omnia suauiter, & cuilibet agenti naturali contulit qualitates, & formas suæ naturæ conuenientes ad fines suos suauiter asse- Sap. 8.

quendos, multo ergo magis suis, quos adoptat in filios, & qui multis impedimentis in debito virtutum exercitio ex fomite, vitiosisq; habitibus, ac dæmone interturbāte retardantur, diuinum charitatis contulit habitum, qui prompte, & cum delectatione, quæ diuinæ electionis sunt, operetur: præsertim cum nullum sit opus perfectum secundum Philosophos, & experientiam, quod ex habitu non procedat. Quare si fidei habitum ad credendum impertitur, & spei donum ad sperandum, cur non donū charitatis creatæ ad diligendum?

Perfecta opera omnia ex habitu proficiscuntur, secundum Philosophos.

Et cum Apostolus ad Corinthios scribit: *Sine charitate nihil sum:* Intellige actum: nam alioqui paruuli baptizati, & fideles somno vacantes, multum sunt, & multum valent apud Deum. Habent ergo charitatis habitum, etsi actum non habeant.

Spiritum S. vna cum donis suis à nobis diffundi, & cōmunicari.

Habes etiam ex hoc loco fidelibus non solum dari Spiritum sanctum, non tantum ex eo, quod dantur dona illius, quemadmodum Sol in radiis suis, & causa in effectis, sed etiā quod ipsemet Spiritus sanctus in persona datur, & in animam illabitur, & eam inhabitat per donum charitatis. Quod vel hic locus satis ostendit, vbi dicitur effundi charitas in cordibus per Spiritum sanctum nobis datum. Deinde quia dari nobis filium, vel ad nos mitti, non fuit tantum eius dona, sed etiam ipsum accipere Cum ergo hic dicatur datus Spiritus, & alibi: *Nondum* inquit, *erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus;* & ad Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra*: Fuit ergo datus, & missus Spiritus præter dona sua. Tertio, multos legimus repletos Spiritu sancto, vt Ioannem Baptistam, Deiparam Virginem, Stephanum, Zachariam, & Elizabet, & Apostolos in die Pentecostes: nullum autem creatum donum creaturam ratione prædictam replere potest: datur ergo ipse Spiritus præter dona sua. Quarto legimus, Spiritum sanctum inhabitare nos: *An nescitis*, inquit, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est & habetis à Deo?* & alibi idem Apostolus: *Propter inhabitantem Spiritum eius in vobis*: & de Simeone dicitur, quod Spiritus sanctus erat in eo, rursus ad Timotheum; *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.* Cum igitur domus non dicatur inhabitari à Principe, propterea, quod serui Principis illam inhabitant. ita nec dicitur Spiritus sanctus habitare corpus per hoc, quod dona illius in eorde sedent. Quinto, multa ab Spiritu sancto in nobis habitante dicuntur, quæ non quadrant donis illius: vt illud, *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius: Quicunq; Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: Si viuimus in Spiritu, Spiritu & ambulemus; Spiritus adiuuat infirmitatem nostram; &, Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;* & paulo superius; *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* Christus etiam, *Non vos*, inquit *estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri:* rursus, *Pater alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: &, Suggeret vobis omnia: &, Docebit vos omnem veritatem.*

I. ratio. — II. — Ioan. 7. — Gal. 4. — III. — Luc. 1. — Act. 6. — Luc. 1. — Ibid. — Act. 2. — IV. — 1 Cor. 6. — Rom. 8. — Luc. 2. — 2. Tim. 1.

Vere Princeps quam domum inhabitet.

V. ratio à testimoniis Euangelicis. Rom. 8.

Ibid. Gal. 5. Rom. 8. Ibid. Ibid. Matth. 10. Ioan. 14. Ibid. Infra 16.

Quare nōs Spiritus S. inhabitet.

¶ Intelligendum est ergo, Spiritum sanctum dari fidelibus præter dona infusa, & nouo quodam modo illos inhabitare in vtilitatem, & dignitatem eorum. Et hæc sint satis hoc loco disputata.

DISPVTATIO XXXVII.

In illa verba: *Vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suā Deus in nobis, quoniam adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est,* &c.

In his verbis primum dubitamus, quis sit scopus Pauli, & quid contendit probare. Deinde quid est, Christum secundum tempus pro nobis mortuū, cum adhuc essemus infirmi. Tertio dubitatur, an Apostolus duas aut tres faciat comparationes inter mori pro iusto, pro quo vix quisquam moritur, &, Mori pro bono, pro quo aliquis forte mori audeat; & Mori pro impiis, & peccatoribus. Adhæc ambiguum est, quomodo dicatur Christus pro impiis, & peccatoribus mortuus, cum alibi tradat Dominus, se pro amicis suis animam ponere Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis

I. dubitatio — II. — III. — IV. — Ioan. 15.

Primum igitur breuiter absoluere possumus. Producit enim Apostolus rationes ad corroborandum spei nostræ soliditatem, & ad ostendendum, quod spes non pudefacit neque frustratur nos, non solum enim habemus Spiritum sanctum in arrham salutis sed etiam charitatem Filii Dei pro nobis incarnati, & pro nobis in cruce mortui, quod præstantissimum est; & fortissimum erigēdæ, & alendæ spei argumentum. Simul etiam declarat causam donationis ipsius Spiritus sancti fuisse Christi incarnationem, & mortem, vt ille tanquam alter Paracletus absentiam suā in terris suppleret, & officium,

Ad I. dubitationem.

Quo spectet Apostolus.

Cuius medio, & virtute nobis Spiritus S. fuerit collatus.

officium, quod ipse suis discipulis præstabat, illo suppleret, *Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem non abiero, mittam eũ ad vos.* — *Ioan. 16.*

Iam Textus explicandus: *Vt quid enim,* Pro qua voce Græce legitur, Ἔτι γὰρ, id est, Quid enim? Tamen, vt multi coniectant, videtur interpres legisse, Εἰς τί γὰρ, id est, Ad quid, vel, Vt quid enim, & ita legunt B. Ambrosius, & Irenæus. Et sensus est idem, & oratio vehementior, & affectu plenior, & Paulo valde consueta. Quod est perinde, ac si dicas, Ad quid Christus Christus voluisset mori pro impiorum iustificatione, nisi simul voluisset, certam esse spem æternæ vitæ consequendæ, saltem in eo quod ad se attinet? Quod si Deus pro inimicis, & peccatoribus vitam & sanguinem dedit, quomodo iam amicis, & reconciliatis promissam nobis dabit gloriam. — *Ambr. hoc loco. Iren. li. 4. c. 18. in fine.*

Cæterum quod ait: *Secundum tempus*, potest aut cum præcedenti particula coniugi: Cum adhuc infirmi essemus: non vt sit excusatio infirmitatis generis humani, ante aduentum Christi, eo quod esset diuino subsidio pro ratione temporis destituta: quia hæc excusatio ad cumulum misericordiæ nihil adderet, quam tamen hic Apostolus commendare intendit: sed potius est argumentum moræ diuini aduentus ad nos, vt prius suam homines imbecillitatem, & scientiæ inopiam experti, dilatum Dei auxilium & tandem oblatum pluris facerent. Dixit enim Apostolus Lycaonis, in præteritis generationibus Deum dimisisse omnes Gẽtes ingredi vias suas. Vt ita infirmos secundum tempus accipias pro ratione ætatis humani generis: nam prius sicut paruuli eramus sub tutorib. & actoribus quousque veniret plenitudo temporis, & puer adolesceret ad accipiendam hæreditatem. — *Hæc lectio: Cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, quid significet.* — *Act. 14.* — *Gal. 4.* — *Hæc altera lectio: Secũdum tempus Christus pro nobis mortuus est, quid sibi velit.*

Potest etiam fortasse melius cum sequẽti verbo iungi, Mortuus est, vt Origenes, & Theophylactus tradunt. Et sic duplex etiã sensus reddi potest: alter Ambrosii; vt sit moderatio quædam verbi illius, *Mortuum.* Non enim in perpetuum, & lege communi, vt alii, sed vsque ad resurrectionem, seu in triduum: sed ita dicendum erat à Paulo, πρὸς καιρὸν, & non κατὰ καιρὸν. Adhæc hic sensus parum pertinere videtur ad scopum Pauli. — *Orig. hoc loco. Theophylact. ibidem.*

Alius sensus est Theophylacti & Origenis interpretantium κατὰ καιρὸν, tempestiue, & opportune, suo tempore suo, & quando maxime opus fuit, non ante, neque post. Non statim post Adæ lapsum, vt peccati grauitas agnosceretur: neque expectauit vsque consũmationem seculorũ, ne nimia despe- — *Theophyl. Origen.* — *Quare Christus in plenitudine temporis, non*

rationis mota animos homines despondẽrent. Et ita deficit expositio Erasmi verteotis, *Iuxta temporis rationem*: retulit que ad præcedens verbum, *Cum essemus.* Et hæc de hac difficultate. — *ante, nec post mori voluerit. Lectio Erasmi reiicitur.*

Iam quæritur quid sit illud: *Cum infirmi essemus*; qua non videtur accipi posse, pro peccati culpa, quia illa potius mors est dicenda, quam infirmitas, iuxta illud ad Ephesios: *Cum essemus mortui peccatis*, & mox idem Paulus subdit de morte peccati: *Aliud est ergo esse infirmos*, siue, ἀσθενεῖς, *aliud peccatores*. Verbi ergo proprietas designat fragiles, languidos, impotentes, vt cum ait; *Infirmum autem in fide assumite*; & alibi: *Quomodo cõuertimini iterum, ad infirma, & egena elemẽta, quibus denuo seruire vultis?* Cum ergo essemus infirmi, id est, insufficientes, & viribus destituti, vt possemus per nosmetipsos in gratiam Dei redire, & assequi æternã; neque essemus viri Israelitæ, id est, cum Deo fortes, sed inopes, & alieni auxilii egentes subdit: *Secundum tempus pro impiis, Christus mortuus est.* Hoc est, innocẽs pro impiis, Dominus pro seruis male meritis, & omni morte dignissimis, denique virtus, & sapiẽtia Dei pro infirmis, & ignorantib. Quod enim pro infirmo quis intermoriatur, aliquam æquitatem habet: at quod quis mortem appetat, vt alium morbo liberet, lõge est præclarius Et si quis vitam daret, vt innocẽtem seruaret, id esset egregium, & commendabile: at quod pro impio iustus moriatur, id est supra omnem hominum captum positum, & valde admirandum. Et subiungit: *Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.* Ponderat iam illud Apostolus, quod Christus sit mortuus pro impiis. Et particula, Enim, siue γὰρ assertiue est explicanda, quia non tam continet probationẽ, quam explicationem superiorum: vt sensus sit: Vix certe pro iusto quis moritur. — *Ad il. quæstionem. Quid sit, Christum pro nobis mortuum, cum adhuc essemus infirmi. Ephes. 2. Rom. 14. Gal. 4. Gen. 32. Rom. 5. Christum mori pro impiis quid. 1. Cor. 11. Ad tertiam quæst. Au mori pro iusto, pro bono, pro impiis, & peccatoribus, triplex sit, an vna, eadem que collatio.*

Cæterum Hieronymus in epistola ad Algasiam de loci huius intelligentia interrogatos, ait, Iustum, & bonum esse capienda in genere neutro, id est, pro re iusta, & bona quemadmodum etiam capit Origenes in hunc modum: *Si quis iuste, aut iusta de causa mortem demeretur sit, vix patienter ferat. Nam pro bono, id est, magna aliqua vtilitate consequenda fortassis aliquis se morti exponeret.* — *1. sensus. B. Hier. ep. 151. q. 8. to. 3 circa med. Origen. hoc loco.*

Verum hæc explicatio non est tam germana, & suauis, propter duo. Alterum est, quod bono, & iusto respondet: *Pro impiis, & peccatoribus*: vbi de personis est sermo, non de causis. Alterum, quia etiam Christus pro re bona mortuus est, nempe pro redimendo genere humano, & pro gloria Dei illustranda. Quare alii volunt, illa duo — *Improbatur duplici ratione. Alter sens.*

duo esse adiectiua nomina, & non substantiue, vel neutraliter accipienda, vt sensus sit secundum aliquos: Mors Christi pro impijs ex eo redditur commendabilis, & illustris, quod vix fit, qui pro iusto aliquo moriatur. Quod quia aliquando contingit, subdit: *Nam pro bonis forsitan, quis audeat mori.* Quare nomine boni & iusti idem significaretur; vt testatur Theophylactus: & ita tantum vna esset comparatio morientis pro bono, & iusto, ad morientem pro impijs.

Theophyl.

III. sensus cæteris planior.

Tertius sensus planior, & meliorem esse videtur, quòd Apostolus hic tres gradus charitatis ad mortem subeundam distinguat; vt primus sit, mori pro iusto: secundus, pro bono: tertius, mori pro impijs. Reliquit autem alias species amoris, vt, mori pro sanguine iunctis, aut pro filiis, aut pro amicis: nam de his Christus Matth. 5. dixerat: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? & si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt.* Ostendēs has dilectionis naturalis species, nisi in Deum referantur, nullius esse apud Deum meriti; ac proinde Apostolus huius infimi gradus mentionem non facit. Ait igitur de primo gradu, quod vix pro iusto quis moritur. Iustus, est vir innocens, & iustitiæ virtute præditus, reddens vnicuique quod suū est, non tamen liberalis, aut supereffundens. Pro tali ergo non deerit, qui verba impendat; at qui facultatis, vel honoris, pro eius liberatione iacturam faciat, rarus: qui vero velit vitam pro eo exponere, vix est, qui hoc præstet. De secundo gradu subdit: *Nam pro bono forsitan quis audeat mori.* Bonus est, qui virtutibus præditus est, & beneficio singulari, vel collato, vel promisso nos ad sui amorem inuitat. Bonum enim est sui ipsius diffusiuum. Vnde, quod dixit, ὑπὲρ ἀγαθοῦ, accepit pro ὑπὲρ ἀγαθοποιοῦ, vt quidam annotant. Et ita bonus excellit iusto, capiendo iustitiam non pro omni virtute, quia sic iusti boni quoque sunt, sed pro particulari, quæ reddit vnicuique ius suū: & de hoc ait, quod aliquis audeat mori, vel se obiicere manifesto mortis periculo. Tales teferuntur fuisse Pilades, & Orestes, & Pythagorici illi Damon, & Pythias, de quibus Cicero l. 2. officiorum.

Pro amicis, vel consanguineis moriendi gradum cur Paulus suppresserit.

Matt.5.

Iustus quis & quid mori pro iusto

Bonus quis & quid mori pro bono

Bonus vt præstet iusto.

Cicero.

Temperat autem sententiam per verbum, *Forsitan*, & per verbum, *Audeat*, ad indicandam difficultatem, & metum mortis exaggerandam. Ait etiam, Audeat, id est, eligat mori; ad differentiam bellantiū, qui pugnant, vt vincant, & euadant mortem. Ad differentiā etiam eorum, quorum animos ægritudo occupauit, qui aut pro seipsis aut pro mundi gloria morti se deouerunt. vt Codrus Atheniensis, & Romani Decij, & Regulus, & alij, de quibus in historijs profanis est sermo. Aliud autem est pro bono virtutis seruando, vel pro liberando amico vitam exponere. Et quod dicitur: Forsitan quis audeat mori, non est interrogatiue legendum, sed asseritiue. Neque Apostolus negat hoc loco, Martyres pro Christo summo bono, & beneficentissimo mortuos esse, & multos paratos esse mori: & se forsitan insinuat talem, qui pro Christo libenter vitam impendat, vt alibi ait: *Ego, inquit, libentiss. me impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris.* Tertius gradus est Mori pro nobis, qui nec iusti, nec boni eramus. Quod enim beneficium conferre potuimus illi, qui bonorum nostrorum non eget; qui peccatores eramus, & infensissimi hostes? Et de hoc tertio gradu subdit: *Commendat autem charitatem suā Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Hoc est: In hoc nobis laudabilem, & amabilem fecit Deus charitatem suam, & spem nostram confirmauit: quod cum inimici eius essemus, & ab ipso primi parentis delicto omni genere flagitiorum inquinati, tamen induere naturam nostram non est dedignatus, & in ea pro nostris diluendis facinoribus non tantum mortem qualemcunque, sed deterrimum mortis genus subire, vt in epistola secunda ad Philippenses ponderauit. Atque in hunc modum humanæ charitatis fines Christus transcendit, quæ tantum pro amicis nouit animam ponere. At Christus nullam inuenit in nobis vel vitæ innocentiam, pro qua tuenda alliceretur ad mortem: neque amicitiam, pro qua fouenda se periculo exponeret: vel bonitatem quam diligeret: sed pro nobis sanguinem fundendo nos omnes, & iustos, & amicos, & bonos effecit, nisi tamen per nos ipsos steterit.

Cur Paul. hac vsus moderatione verborum forsitan, & audeat.
I ratio.
II.
III.

2.Cor.12.

Quid Christum pro peccatoribus mori.

Ps.15.

Quomodo commēdauerit charitatem suā Deus in nob.s.

Philip.2.

Quod igitur à principio obiectum fuit ex Euangelio: Maiorem hac dilectionem, nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis, non tollit, quod Apostolus ponderat, Christum pro impiis, & peccatoribus & inimicis mortuum: quia iidem sunt hostes, & amici, etsi diuersis rationibus: sed hostes quidem re ipsa, qui hostiliter Christum actu persequuntur: iidem sunt amici in potentia, & in merito, & in voluntate Christi. Dilexit enim eos sua voluntate, vt merito suo, ex inimicis amici fierent, &

Sol. III. difficultatis.

Si pro impiis, & peccatoribus Christus mortuus est, cur ipse alibi dicitur pro amicis suis animam posuisse.

ex pec-

ex peccatoribus iusti: & perfecit sua victima in Cruce effusa, vt omnes ad amicitiam Dei, & intimam familiaritatem recipi possent sua die, vbi per fidem illuminati essent

Virtus quo maior, & illustrior appareat.

& Baptismo purificati. Solet autem virtus eo maior, & viuacior esse ex parte subiecti, quo minus fortes rationes ad illam excitantes habet in obiecto: quemadmodum fides commendabilior est ex parte nostra quibus inhæret, quia ex obedientia voluntatis nascitur, tametsi scientiæ habitus, propter obiecti claritatem antecellat. Ita etiam dilectio inimicorum ex maiore hominis fortitudine progreditur, quam sit amici dilectio, quæ obiectum habet fortius, & virtuti, & honesto magis conueniens.

Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Id est: Quid nobis est sperandum illum facturum cum iam sumus per eum reconciliati? Et quid est facilius, efficere inimici reconciliationem, an reconciliatum, & amicum saluare? Item quid est difficilius, reconciliari per mortem, an saluari per vitam. Siquidem omnis habitus præstat priuationi, & vita potentior est morte. Nam vt alibi dici-

2. Cor. vlt. I & II. iustificatio vnde consurgat.

tur: *Etsi crucifixus est ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei.* Si ergo infirmum Deo reconciliare potuit, quid non præstabit vitæ virtus? Nam prima iustificatio ex fide sine meritis, & per mortem Christi, id est, per infirmum eius contingit: secunda vero per vitam, id est, per Iesum in sempiterna secula viuentem, & per conformitatem ad nouam vitam ipsius in operibus fide factis ambulando.

Mortis, & vitæ Christi efficacia.

Hic etiam obserua mortem Christi, peccati extinctionem operari, vitam autem eius gloriosam sempiternam, vt intelligas, etiam homines sine peccato existẽtes Christo mediatore indiguisse ad gloriam adipiscendam. Et ait: *Salui erimus ab ira per ipsum,*

Quomodo verum, iustificatos in sanguine Christi saluos fore ab ipsa per ipsum.

id est, ab æternæ pœnæ vindicta ab agno in die iudicii infligenda. Intellige tamen, si remediis contra peccata præscriptis, id est, Sacramentis Ecclesiæ vtamur; si præcepta Dei obseruemus, si studio Deum assidue deprecandi incubuerimus. Qui igitur Christi charitatem experti sumus in primo aduentu, non est, cur in secundo iram eius extimescamus. Et si hæc Pauli ratiocinatio alicuius est ponderis, similiter videtur inferendum esse: Si Adæ peccatum, & inimicitia hominum propter ipsa contracta cum Deo, non potuit impedire beneficium incarnationis filii Dei in gratiam nostræ redemptionis: multo magis illi homini non peccanti, sed

Pro iis, qui Filium Dei tametsi Adam non peccasset fore incarnandum

Deo per omnia obedienti contulisset, si non ad redemptionem, qua non indigebat natura humana, saltem ad eam nobilitandam, & glorificandam, ne plus videatur Deus diligere peccatores, quam iustos. Et iterum corroborat eandem sententiam: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius.* Resumit argumentum à minori ad maius, opponendo vitam morti, & iustos peccatoribus. Nã si mors potuit inimicos non natura, sed voluntate reconciliare, multo magis vita poterit reconciliatos saluos, & beatos efficere. Potentior namque est vita Christi resurgentis in gloria, quam mors in carne infirma, & seruare amicos, facilius, quam inimicos reconciliare.

ad gloriam generis humani, pie meditantur.

¶ Etsi vero reconciliati ad vitam æternam destinentur: opus tamen fuit tam instructa disputatione ad erigendam, & consolidãdam hominum vacillantium spem. Si quidem cum fides sit substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium: reconciliati hæsitare poterant, an essent pro officiis momentaneis, & paruis laboribus, imo pro duobus minutis, in Gazophylacium missis, & pro calice aquæ frigidæ siti ẽti porrecto, æterna bona recepturi, & pro grauibus admissis criminibus nullum daturi supplicium.

Quare Paulus de Fidei fructibus tam late disseruerit.

Hebr. 11.

Marc. 12.

Matt. 10.

Et nota ex hoc loco, apud Apostolum, pro eodem haberi, Iustificatum esse, & reconciliatum. Qua in re non est cur gloriemur de meritis: nam turpe est inde laudari, quod tam detestabiliter ægrotauerit homo, vt non posset aliter, quam medici morte sanari. Hinc beatus Augustinus in Psalmum 118. *Qui donauit impiis mortem suam, quid seruat iustis nisi vitam suam? Qui promisit, Deus est, & venit, vt promitteret, apparuit hominibus, venit suscipere mortem vestram, promittere vitam suam.* Et infra: *Quid tibi promisit Deus, ô homo mortalis? Quia victurus es in æternum. Non credis? Crede, crede. Plus est iam, quod fecit, quam quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? vt viuas cum illo. Iam quod incredibilius est tenemus.* Hæc ille magnus Augustinus. Est autem insigne beneficium mors Christi pro nobis, quod Angelis concessum non fuit: & vt docet idem August. tractatu 122. in Ioannem, circa finem, nos Angelis excellimus, quibus Christus vt homo, & caput, & Rex extitit; nobis vero præter illa Pontifex, & Redemptor: præterquã quod consanguineus noster fuit. Nusquam enim Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit.

Iustificatio & reconciliatio apud Paulum, idem sunt.

August. 8.

Plus est quod fecit Christus, quã quod promisit, & quomodo, secundum Augustinum.

In quo plus videri possit Christus hominib. quam Angelis detulisse.

Idem tract. 122. in Ioa. circa fi. 10 9

Heb. 2.

Non solum autem, sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum. Tertiam tangit iustificatorum gloriationem. Et est sensus: Non solum gloriamur ob spem gloriæ Dei, & tribulationes perpessas sed etiam gloriamur in Deo, vel de Deo, qui est origo, & principium omnium bonorum nostrorum, & quia prior exultatio, & gloriatio de fonte amoris concupiscentiæ proficiscebatur: an exultare de Deo ipso, ad amorem amicitiæ, & beneuolentiæ spectat, maxime cum erga nos parentis nomen, & rem ipsam, imo & viscera paternæ charitatis induere voluerit. Est enim gloriari in Deo, siue de Deo, ipsum propter seipsum absque vllo nostro respectu omni honore, & amore prosequi. Gloriamur ergo in Deo, per quem regenerati sumus in illam gloriæ spem viuam, & per quem datum tribulationes tolerari. Omnia enim Dei sunt. Ideo in illo debemus gloriari, si velimus inanem gloriationem euadere, & vt impleamus Apostoli verbum: *Qui gloriatur, in Domino glorietur,* id est, Dominum dantem, ac nos ditantem celebret, & illi omnia adscribat. Et quia adiungit: *Per quem nunc reconciliationem accepimus*: sensus est, quod non solum in spe præmii æterni, & tribulationum merito gloriamur, sed in hoc iam percepto beneficio per Christum, id est, in ipsa reconciliatione à peccatis, non per aliquem hominem sanctum, non per Angelum, sed per vnigenitum filium adepta, ita vt non confundamur tantam fuisse iniquitatem nostram, vt nonnisi morte filii Dei aboleri potuerit. Sed in hoc valde gloriamur, quod propterea sese prodant immensæ erga nos charitatis, & amoris argumenta, & testimonia, vt filii facti per mortem Christi, gloriemur de Deo Patre nobis dato, & de Christo Deo, fratre, & primogenito nostro. Et de his hactenus.

Quid sit, iustificatos in Deo per Iesum Christum gloriari.

Quid sit in Deo, siue de Deo gloriari.

1. Cor. 1.

Quid rursus in Domino gloriari, secundum Apostolum.

DISPVTATIO XXXIX.

In illa verba: *Propterea, sicut per vnum hominem peccatum in hunc mūdum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertrāsiit, in quo omnes peccauerunt.*

Quæstio I.

HÆc Apostoli clausula, etsi paucis verbis constet, multas tamen, ac grauissimas complectitur difficultates. Ac primum quidem dubium est, quid sit illud, *Propterea*, & quomodo cum superioribus cohæreat; & quia videtur sententia hæc imperfecta, vt ratio comparationis exigebat, Secundo dubium est, de quo peccato hic II.
sermo, cum ait: *Peccatum intrauit*, &c. an de originali, an de personali, quod ad imitationem primi parentis perpetramus. Tertio III.
ambigitur, cur dicitur, Per vnum hominem, & non, Per vnam mulierem: præsertim, cum ab illa nostræ ruinæ initium prodierit, & illa prima mandatum Dei transgressa sit. Vnde Sapiens: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Quarto similiter ambigitur, quæ IV.
mors per peccatum in mundum intrasse dicitur, an spiritualis, an corporea, an vtraque & an æterna. Quinto, quis est iste mundus, V.
in quem ingressum dicitur peccatum: & quomodo dicitur intrare, & pertransire peccatum, quod accidens est, & per se non subsistit, sed tantum subiecto hæret: imo peccatum, & mors nihil aliud sunt, quam meræ priuationes. Hæc, vbi discusserimus, speramus Dei bonitate lumen aliquod intelligentiæ loci propositi nobis affulsurum.

Gen. 3.

Eccl. 25.

Sed ante omnia de consequentia Text⁹ loquamur. Incipit enim ab hoc loco Apostolus percensere mala, aut malorum occasiones à quibus per fidei gratiam iustificati liberantur. Malum enim fuit peccatum originale; malum quoque fructus eius delictum quandoque personale, de quo per totum quintum caput sermonem facit. Mali occasio extitit lex Moysi, quæ ingressa est, vt abundaret delictum: de qua in fine huius capitis. Paulus igitur pro sua sapientia duos homines inuicem committit: alterum Adamum, per quem omnia mala, quasi hæreditario iure: & propagatione in nos perueniunt; alterum, Christum omnis boni nostri fontem, & originem. Sed sicut omnia Adæ mala in peccatum, & mortem, id est, culpam, & pœnam referuntur: quia appellatione mortis omnia supplicia, & cunctæ miseriæ veniunt: ita Christus autor, & propugnator iustitiæ, & vitæ id est, gratiæ iustificantis, & æternæ vitæ cœlestis, quia præmium est vitæ Christianæ.

Literæ series.

Rom. 6.

Falsum est autem, quod hoc loco Beza docet, Apostolum aggredi caput imputatæ Christi iustitiæ: quasi vt Adam per propagationem nocuit, ita Christus per imputationem suæ iustitiæ nobis profuerit. Et ita donum iustitiæ inhærentis deridet hic nugator, contra sacrosanctam Tridentini Cōcilii autoritatem. Et re vera quicquid hic Paulus agit de Christo, ac de sua obedientia, & iustitia, non est ad imputatam Christi iustitiam, qua ipse, vt sic dicam, formaliter

Refutatur Bezæ hæretici hominis de imputata, & non de inhærente Christi iustitia sensus.

Trid. Syn. ses. 6. Can. 11

inſtus erat, referendum, ſed ad meritnm mortis eius, quæ ratio iuſtitiæ nobilior eſt, & præſtantior cauſa (quia ad efficientem m•gis accedit) quam illa imputatæ iuſtitiæ. Nec enim ex eo, quod interdum Chriſtus dicatur iuſtitia noſtra, vt Ierem. 23. & apnd Paulum, *Qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*, recte protinns colligas, Chriſtum eſſe noſtram iuſtitiã imputatam: ſed ſenſus verus eſt, Chriſtum eſſe autorem noſtræ iuſtitiæ inhærentis, & noſtræ ſapientiæ, ſicut etiam noſtræ ſanctificationis, & redemptionis. Ita enim more Hebræo illa ſubſtantiua explicanda ſunt, quemadmodum & illnd, quod ſcriptum eſt de Noe, *In tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio*, id eſt, autor, ſeu comparator noſtræ reconciliationis. Hæc de connexione.

Ierem. 23.
1. Cor. 1.
Eccl. 44.

Solutio 1. dubitationis. Illud: Propterea ſicut per vnum hominẽ, &c. quomodo ſuperiorib. reſpõdeat.

Quod ad literam attinet, in qua dura videtur eſſe conſtructio, non eſt ignorandnm, Origenem annotaſſe in his verbis eſſe defectiuam locutionem, quia non adiunxit alteram partem comparationis reſpondentem, in hunc modnm: *Propterea ſicut per vnũ hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita per vnum hominem iuſtitia, & per iuſtitiam vita.*

I. Solutio. *Orig. lib. 5. in c. 10. 2.*

Sed huic difficultati reſpondet Origenes, Apoſtolum partem oppoſitam comparationis occulto ſuppreſſiſſe, ne, ſi diceretur, per Chriſtum intraſſe in omnes homines iuſtitiam, & vitam, homines negligentiores redderentur, & in bonis operibus remiſſiores, etiamſi illa vita otioſis non ſit propoſita, ſed officioſis, iuxta illud: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Deinde adiungit, alternm membrum reſpondens poſt multa interiecta verba ab Apoſtolo reponi, nempe illi: Sed non ſicut delictum, ita & donum: vbi propter longũ hyperbaton reſumpſit ipſum primnm verbum, vt cum altero oppoſito conſerret.

Mat. 11.

Quid incommodi habeat hic ſenſus.

Sed re vera videtur longe petita altera comparationis pars, & vix poſt tot ſententias veriſimile ſit, Apoſtolum rediſſe ad implendam illam oppoſitionis partem. Faber vero Stapulenſis, & Eraſmus cenſent, poſteriorem coniunctionem in hac ſententia eſſe expungendam, & comparationem integram conſtare in hunc modnm: Sicut per vnnm hominem peccatnm in hũc mũdnm intrauit, & per peccatum mors: ita in oẽs homines mors pertranſiit. Sed etſi quãdoq; coniunctio, Et, more Hebræo ſuperflua ſit: hoc loco tamen non ſolnm obſtant omnes Græci, & Latini codices, qui illam habent, nempe: *Et ita in omnes homines*, ſed etiam maxime obſtare videtur, quod frigida, & diluta videri poſſet Pauli comparatio. Hic etenim peccatum, & mortem Adæ cõponit cum iuſtitia, & vita Chriſti: quod ex conſequentibus ſit liquidum, non autem conſert peccatum cum morte.

Altera ſol. Fabri Stapulenſis.

Et iſta reiicitur.

Tertia ſol. Bezæ.

Beza vero manifeſtum pntat eſſe anandapodetum, cum altera pars collationis deeſt, & quod facile poſſit excuſari tum ex contrariorum natura, in qua vnum ex altero facile intelligitur, etiamſi non exprimatur, tum etiam, quia vix fieri poterat, vt altera pars exprimeretur, quia ambigua eſſet tota oratio. Nam vt plena, & perfecta eſſet antitheſis, addi oportebat: Ita per vnum hominẽ iuſtitia in mundum introiiſſet, ac per iuſtitiam vita, & ſic in omnes vita peruaſit, in quo omnes iuſtificati ſunt. Quod ſi dixiſſet Apoſtolns, videretur aſſeruiſſe, non minns patere Chriſti iuſtitiæ effectus ad vitam, quam Adami peccatum ad mortem, quod falſum eſt.

Improbatur dupliciter.

Sed mihi placere non poteſt, quod ex natura contrariorum ſuppleatur clauſula tam magna, in qua præſertim ſitum erat totum comparationis pondus. Deinde quia alio loco Apoſtolus plena antitheſi loquitur, vt cum ait: *Sicut in Adam omnes moriũtur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.*

1. Cor. 15.

Quarta ſolutio ſuperioribus longe probabilior.

Quare his ſolutionibns relictis, ſolidius dici poteſt, poſt aduerbium propterea, ponendam eſſe virgnlam, ſicut Græci codices ponunt; & ſupplendum eſſe aliquid ex præcedentibus, quemadmodum facere ſolet poſt adnerbium, Non ſolum autem, vt paulo ante expoſuimus, ſcilicet: Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei, aut, Gloriamur in tribulationibus, ſed etiam in Deo. Eodem modo cum ait: *Propterea*, ſupplendum eſt proxime antecedens, ſcilicet, per Dominum noſtrum reconciliationem accepimus ad iuſtitiam, & ad vitam: & poſtea ſequitur; *Sicut per vnum hominem, &c.* Et ita Græca Scholia apud Oecumenium interpretantur, quæ habent: Propterea, inquit, ſeruabimur. Propter quid? Quia & hoc poſſibile eſt, & rationi conſentaneum ac conſequens. Sed vnde hæc manifeſta fient? A contrario, inquit, Siquidem per vnnm hominem & peccatum introiuit, & mors ipſa.

Oecumen. c. 7. in prin.

Anſelmus hoc ipſum non ignorauit ſcribens in hunc locum: *Nam quia dixerat Apoſtolus, nos eſſe per Chriſtum reconciliatos, pergit oſtendere, quod conuenienter per vnum obedientem ſimus reconciliati, qui per vnum inobedientẽ fueramus à Deo ſeparati. Reconciliationem accepimus per Chriſtum. Propterea, id eſt, quia per illum ſumus reconciliati.* Hæc ille. Et hæc eſt ſolida, & facilis ſolntio.

B. Anſelm. par. 2. in pr.

Soluitur 2. dubium. Quale peccatum illud sit, quod in mundum intrasse hic dicitur, originale an personale. I. sensus Pelagii, & Erasmi.

Ad secundum, de quo peccato sit sermo, dubium est non vulgare ad verũ huius sententiæ sensum. Nam Pelagiani, quos Erasmus hoc loco & suscitare, & defendere conatus est, hunc locum referunt ad peccatũ personale, quod ad exemplum, & imitationem Adæ commiserũt: & eatenus mortui sunt, quatenus illius peccatum sunt imitati. Et eundem sensum Pelagianum sequitur Hieronymus in commentariolis epist. ad Rom. (quæ re vera se prodũt à Pelagiano aliquo edita, non autem esse Hieronymi fœtum) negabant enim Pelagiani, peccatum vllum esse in pueris. Verba Hieronymi sunt: *Sicut Adam primus mandatum Dei prævaricans, exemplum est legem Dei prævaricari volentibus: sic & Christus voluntatem Patris complens, exemplum est imitari eum cupientibus.* Sic ille.

Hiero. to. 9. Quis autor explanationis epist. ad Rom. Hieronymi nomine circũlatæ, fuisse credendus sit. Genes. 3. Cõfutatur hic sensus. Aug. to. 7.

Sed in hunc errorem, & loci interpretationem insurgit Augustinus libro primo de peccatorum meritis & remissionib. cap. 9. & epistola 89. ad Hilarium, quæstione tertia, & in Enchiridio ad Laurentium, capit. 25. & libro 2. Hypognosticon, & libro 4. in Iulianum. Exponebant ergo Pelagiani illud: *In quo omnes peccauerunt*, id est, Quatenus exemplo eius omnes peccauerunt. Contra quod primum est, quia Græce legimus ἐφ᾽ ᾧ ἥμαρτον ad certum, & signatum peccatum designandum, quale fuit illud Adæ; quod ita fuit eius, vt etiam sit cuilibet nostrum proprium: non autem de incerto, & proprio peccato, quod quisque solus admisit, & non alter. Et Apostolus hac voce solet morbum illum hæreditarium denotare. Deinde si sermo est de personali delicto, quod per imitationem intrauit, certe non per hominem intrauit, sed per diabolum, de quo dicitur; *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Et Dilectus cap. 3. suæ epistolæ: *Qui facit peccatum ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat.* Tertio, si imitationem potius intellexisset Apostolus, & non propagationem, in sequẽtibus nõ dixisset: Iudicium quidem ex vno, in condemnationem sicut aperte dixit: Gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Hanc autem rationem egregie vrget Augustinus ad Hilarium. Similiter etiam non dixisset Paulus de ingressu iustitiæ per vnum hominem Christum, sed per plures homines, vt per Abel, per Noe, per Abraham, & per alios introiisse. Nam si tãtum de ingressu peccati per imitationem est sermo, esset etiam de ingressu iustitiæ per imitationem, & exemplum: quod omnino falsum est, & totam doctrinam Pauli euertit.

Idem to. 2. Idem to. 3. Idem to. 7. Idem to. eodem. I Ratio confutationis. II. Sap. 2. Gen. 3. 1 Ioan. 3. III. Rom. 5. Ibidem. Aug to. 2.

IV. Quarto, hic palam comparantur Adam, & Christus, tanquam duo fontes, & principia rerum contrariarum: sed constat, iustitiam, & vitam introiisse per Christum, non solum exemplo, & imitatione sui proposita, sed etiam vt per verum fontem, & causam. Vnde subdit: Sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ: igitur peccatum etiam intrauit per Adam, non solum vt dantem exemplũ peccati, sed vt principium, & causam nostræ corruptionis. Quinto, non potest delictum illud in omnes intrare per imitationem: non enim in omnes pueros, nec in omnes adultos, vt Ioannem Baptistam, & beatam Virginem: at Textus aperte docet, quod mors intrauit in eos, qui non peccauerunt, in similitudinem Adæ. Sexto, multi dum peccant, Adæ exemplum ante oculos non habent, nec in illud respiciunt exemplar: imo multi sunt (vt fideles omnes) qui ne Adæ quidem peccatum nouerunt. Septimo, peccatum alterius imitatione admissum, proprie intrare in mundum, vel pertransire in homines, vel ab aliquo contrahi non dicitur: de illo autem, quod per propagationem deriuatur, congruentius, & magis proprie dicitur intrare, & transire. Postremo, videtur Ecclesia sensum huius loci definiuisse, & non aliter quam de originali peccato interpretata. Ait enim Concilium Mileuitanum Canone secundo, *Item placuit, vt quicunque paruulos ducentes ab vteris matrum negant aut dicunt in remissionem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod in regenerationis lauacro expietur*, &c. *anathema sit.* Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: *Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica vbique diffusa semper intellexit. Idem Canon reperitur in Concilio Africano, capite 77. & demum à Tridentina Synodo sessione quinta, in secundo Canone anathemate percutitur, quisquis asserit, Adæ peccatum sibi soli, & non eius propagationi nocuisse; & Apostolo contradicere, dicenti: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, &c.* Quare mirabilis fuit Erasmi prudentia, qui praue hunc locum ex Græco vertit, peius vero in Paraphrasi sua exponit, & in annotationibus suis in hunc locum, ad peccatum personale detorquet, originale non agnoscens. Nam vide, obsecro, bone Lector, quomodo hũc locum vertit. *Quemadmodum propter vnum*

V. VI. VII. VIII. Concil. Milevi. to. Concil. 2. Conc. Afri. to 1 Conciliorum. circa med. Trid. Cõc. Insignis Erasmi stupiditas. Illius versio hoc loco notatur quadrupliciter.

vnum hominem peccatum hunc mundum introijt, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Vbi quatuor admisit errores. Primum, quia dixit: *Propter vnum hominem*, cum esset dicendum, Per vnum, ne aliter vertendo, Pelagianis fauere videretur: quia illa præpositio, *Propter*, significat occasionem, & non veram causam, quæ rem per se efficiat: & hæretici libenter admittunt, propter Adæ peccatum nos peccare, & mortem nobis dominari; cum tamē Præpositio Græca διὰ cum Genitiuo semper causam denotet, etiam in hoc ipso capite non semel: vt, *Per Dominum nostrum Iesum Christum; Per quem reconciliati sumus; Per mortem Filij eius; Per vnius hominis delictum, Per inobedientiam vnius, & per obedientiam vnius, &c.* etsi negandum non sit eam præpositionem cum Accusandi casu, propter, signare.

Primum vitium.

II. Secundo vertit, Peccauimus; cū Græca litera habeat ἥμαρτον, id est, Peccauerunt, in tertia persona.

III. Tertio, vertit, Mors peruasit: quod verbum magis quadrat personali delicto, quam originali. Nam illud dæmone suadente persuasit, & carne intus impellente committimus: at vero, Pertransiit, magis propagationem & deriuationem denotat. Quod ponderarunt Origenes, & Augustinus, qui sermone quarto de verbis Apostoli, iuxta finem: *Pertransiit, verbum attendite, quod audistis, considerate, videte quid est, Pertransiit. Pertransiit, inde est & paruulus reus, peccatum nondum fecit, sed traxit. Etenim illud peccatum, non in fonte mansit, sed pertransiit, non in illum, aut illum, sed in omnes homines pertransiit. Genuit peccatores morti obnoxios primus peccator, primus præuaricator.* Hæc ille.

Orig. loco dicto.
Aug. to. 10.

IV. Quartus error fuit illud, *In quo omnes peccauerūt*, quod Græce dicitur ἐφ' ᾧ, & ipse vertit, Quatenus, vel, Quandoquidem. vel, In eo quod: quæ expositio præterquam quod fauet Pelagio, est e iam contra omnes Patres: nā Irenæus, & Chrysostomus, & Ambrosius super Lucā, quos citat Augustinus, libro quarto contra Iulianum, ita, intellexerunt, In quo, scilicet Adam, peccauerunt omnes. Origenes vero addidit, idcirco non meminisse prioris delicti seu seductæ Euæ, seu dæmonis seductoris, quia de illo peccato Adę loquitur, ex quo mors in omnes homines pertransierat. Addit eniā quod sicut Paulus Heb. 7. ait, Leui decimatum in lumbis Abrahæ, ita nos peccauimus in lumbis Adæ existentes. Et Augustinus lib. 6. cap. 6. initio, ita Pelagianos vrget: *De illis quoque Apostolicis verbis, in quibus impudentia mirabili, imo dementia resistitis fundatissimæ fidei, vbi ait: Per vnum hominē peccatum intrauit in mundū, &c. in quo omnes peccauerunt, frustra aliū nouū, atque distortum, & a vero abhorrentem mouetis exsculpere, affirmans ea locutione dictum esse, In quo omnes peccauerunt: sicut dictum est, in quo corrigit iunior viam suam: & exponit, per mutationem corrigere.*

Irenæus.
Chrysost.
Ambros.
August. tom. 4.
Quare Paulus in genere tātum Adæ peccatum nominauerit secūdum Orig.
Origen.
Gen. 3.
Idem Orig. Ibidem.
Aug. to 7.
Pelagianorum impudentia mirabilis.

Theophylactus vero ibidē ait: *Quid autem est, In quo omnes peccauerunt? Hoc est, In Adam omnes peccauerunt. Cum enim ille idem cecidisset, etiam ij qui non ederunt de ligno isto, facti sunt ex illo mortales, mortiq́; subiugati. perinde ac si ipsi etiā impegissent, quandoquidem iste impegerit.* Occumenius quoq; eum locum explicans, ait: *Ne quis enim iniustitia Deum accuset, quod cum Adam deliquerit; omnes moriamur, subiungit: in quo omnes peccauerunt: ac si diceret; Ipse quidem principium dedit, & causam, quod omnes ad ipsius similitudinem peccauerimus.*

Theophyl. hoc loco.
Oecum. ca. 7. in epi. ad Rom. prope init.

Porro verbum Græcum ἐφ' ᾧ varie verti potest: vel referendo ad peccatum, vel ad Adam, in quo scilicet Adam, vel causaliter, eo quod, vel in eo quod, vel quando quidem, vel quatenus, vel in quantum. Et prima expositio: In quo, scilicet peccato, tradita est ab Augustino epist. 89. ad Hilarium: sed veritati congruere non potest, quia peccatum Græce est generis fœminini, videlicet, ἁμαρτία, at ἐφ' ᾧ masculini generis est. Vnde Augustinus lib. 1. de peccat. mer. & remis. ca. 10. scribit: *In quo omnes peccauerunt. siue relatiuum referas ad peccatū, siue ad hominem totum genus humanum peccasse in illo homine, & in illo peccato.* Idem tamen libro quarto contra Iulianum, reuocat sententiā suam, & exponit, In quo referendum ad Adam. Deinde In quo, referri potest ad Adamum phrasi Hebræa, id est, Per quem, & consurgit verus, & Catholicus sensus, & Patribus allegatis consentaneus: neq; nouum est Græcis ponere ἐπὶ pro ἐν. Tertio si quis dicat significare, In eo quod, vel, Quandoquidem, etiamsi hoc Pelagiani libenter amplecterētur, potest nihilominus sensus erui Catholicus, in omnes intrasse peccatum, & mortem, eo quod in Adam omnes peccauerunt. Si vero quarto legamus, In quantū, vel, Quatenus, sensus esset, in oēs mortem pertransiisse, non quidem vt in Adam, qui quia peccauit propria volūtate, promeruit secundam mortē; sed quatenus omnes peccauerunt voluntate interpretatiua in patre suo; ac per hoc mors prima, hoc est, priuatio donorum, gloriæ, & iustitiæ originalis, atq; immortalitatis, in vnumquemque Adę filium peruenit: non autem mors gehennæ secunda, quod non solū Adæ peccatū, sed illius occasione nostris personalibus peccatis acquirimus, vt hoc loco aperte testatur Ambrosius. ¶ Etsi ergo text. Pauli oēs has versiones admittere valeat: inter omnes tamē

I. Sensus parum idoneus.
Aug. to. 2.
Idem to. 7.
Idem ibid.
Alter sensus.
III. sensus.
IV. sensus.
Ambr to. 5.
Posterior ille: In quo.

commo-

declarat. Tertio, gloriationem in ſpe gloriæ filiorum DEI per eam conſequimur. Quarto, gloriationem in præſentibus tribulationibus, quibus affligamur. Quinto, per eam quoque gloriationem in Deo adipiſcimur. Sexto, exprimuntur mala, à quibus fides eiuſmodi liberat. Et primum peccatum originale recenſet: de quo ſermo eſt ab eo loco: *Sicut per vnum hominem peccatum hunc mundum intrauit*, in finem vſque Capitis. Septimo, per totum Caput ſextum explicat, quomodo per fidem, & gratiam caueamus in futurum peccatum. Octauo, tradit quomodo nos fides à ſeruitute Legis Moſaicæ exemerit. Nono per totum octauum Caput declarat, qua ratione ab æterna gehennæ damnatione nos fides per CHRISTVM eripiat. Hæc eſt methodus Apoſtolicæ doctrinæ per quatuor Capita ſubiuncta.

Propoſitis in verbis: Iuſtificati ex fide, pacẽ habeã, &c. doceat, an exhortetur Paulus.

De ſecundo igitur, quaſi in compendium diſputata omnia redigens, ait: *Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Hoc eſt: Ex quo reconciliati ſumus, & remiſſionem peccatorum gratis per fidem conſecuti eo peruenimus, vt donum pacis cum Deo adepti ſimus.

Orig. in c. 5. ad Rõ. init. to. 2. Theod. to. 2. in principio. Chryſ. ſer. 9.

Doctrinę cur Paul. exhortationẽ ſoleat adiungere teſte Chryſoſtomo, *Ambr. ib. 5.*

Vbi aduerte, in quibuſdam Græcis codicib. habet ἔχωμεν, vt legit Interpres noſter, & Origenes, & annotarunt plerique Græcæ linguæ doctores, Theodoritus & Chryſoſtomus: quoniam ille dixit, idem eſſe: Pacem habeamus, quod, Pacem conſeruemus. Poſterior vero annotauit, Apoſtolum exhortationem diſputationibus miſcere ſolitum, quo gratiorem reddat orationem, & vt ingenium intentum diſputationi pauliſper remittat, & iterum affectus ſuo veſcatur cibo. Agnouit hanc lectionem Ambroſius, & Latini recipiunt, & interpretantur. Iuſtificati per fidem, amplius nec peccemus, ſed pacem conſeruemus cum DEO per vitam illi placentem, & acceptam.

Prioris ſententię probabiles rationes

Si vero legamus ἔχομεν vt multi codices habent, & ſignificat, Habemus, de præſenti, non eſt omnino hęc lectio reſpuenda, quæ ſuis rationum firmamentis non caret. Nam ſtatim ſubiungit; *Per quem acceſſum habemus*, de præſenti. Et ſubdit: *in gratiam iſtam*, in qua ſtamus: & adiungit, *gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Nam ſi exhortaretur, dixiſſet, Gloriemur in ſpe, non, Gloriamur. Præterea addunt, Apoſtolum nondum adhortari, ſed docere, & dogmata tradere vſque ad finem Capitis vndecimi, & à principio duodecimi Apoſtolum inchoare paræneſes ad bonæ vitæ exempla capeſſenda. Et certe probabilis eſt vtraque ſententia, etiamſi hæc poſterior mihi alteri præcellere videatur.

Fidei iuſtificatio diuinum pacis cum Deo bonum cõparauit, & quid ſit hęc iuſtificatio Vnde noſtræ cum Deo inimicitiæ. *Eſaia 59.*

Et ſiue doceat, ſiue exhortetur, deducimus imprimis, ex fide iuſtificante nos conſecutos maximum, & pretioſum pacis cum Deo munus: & iuſtificationem aliud non eſſe, quam reditum in gratiam Dei, & reſarcitionem veteris amicitiæ; agnoſcimus etiam, Deum nobis fuiſſe inimicum, & infenſum, quoniam iniquitates noſtrę diuiſerunt inter nos, & Deum noſtrum. Quod ſi amicitia cum quocunq; concilianda eſt, & inimicitiæ, & acerbitati animi præferẽda: quãto magis illa cum tanto Principe, & legitimo noſtro Deo, qui & gratis condidit, & benigne ſeruat, & gubernat, ſuisq; nos expenſis alit, & ſine eius beneficio, & gratia ne tantillo quidem temporis puncto conſiſtere poſſumus? Tantoq; magis venit hæc æſtimanda amicitia, quanto nos ſoli noſtro vitio illam abrupimus, & nouis ſceleribus inimicitiam adauximus. Nec expectat vt à nobis rogetur, vt nos expectare ſolemus, cum inimicitias cum aliquo gerimus, ſed prior ipſe rogat, vt in pacem cum eo redeamus, cum tamen bonorum noſtrorũ non egeat. Apponit præterea ipſe de ſuo expenſas ad hanc pacem neceſſarias, dans Filium ſuum mediatorem, cuius ſanguine, & morte placatus eſt, & condignam illatæ iniuriæ compenſationem accepit: & Apoſtolus huius pacis Legatos ad nos alliciendos, & ſibi reconciliandos miſit, illisque Euangelium pacis annuntiare præcepit, & miniſterium reconciliationis in baptiſmo, & Sacramento Pœnitentiæ poſitum, per ipſos nobis commendatiſſimum tradidit, quo poſſint homines, ſi velint, cum Deo in gratiam redire. De hac pace prædixerat Propheta Dauid: *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Per iuſtitiam enim, ſiue per iuſtificationis munus extincta ſunt peccata, quę prius viuebant, & morti æternæ, belloq; gehennę perpetuo nos adiudicabant: at nos illis extinctis, Deo & pace aurea, quæ exuperat omnem ſenſum, perfruimur.

Cur pacem habere debeamus cum Deo. I. ratio. II. ratio. *Pſal. 15.* III. ratio. *2. Cor. 5.* Quinam huius pacis adminiſtri, eiuſq; comparandæ ratio exiſtat. *Pſal. 71.* *Philip. 4.*

Ad primũ dubium. Quam pacem habere dicamur ad Deum, perpetuis animi angoribus & ſcrupulis agitati?

Quod vero quidam perpetuo ſcrupulis agitati crucientur, in illorum imbecillitati eſt tribuendum, non dono iuſtitiæ, quæ in bene diſpoſitis pacem, & vnitatem efficere ſolet. idque à Deo interdum permittitur, iuſto ſuo iudicio, vt ita homines magis à peccatis, ad quæ propenſi ſunt, auertat, & vt quo grauioribus conſcientiæ ſtimulis, & angoribus ſtimulantur, eo ad veriorem & ſolidorem pacem perueniant, & alios minus expertos in via DEI conſolari valeant. Expeditque ante oculos habere,

Duplex pax à Chriſto nobis oblata.

Chri-

Ioan.14.

Christum duplicem nobis pacē obtulisse: *Pacem*, inquit, *relinquo vobis, pacem meam, do vobis*: alteram imperfectam, & inchoatam, quam primo die resurrectionis protulit, dicens: *Pax vobis*: quæ certe sine aliquo bello carnis reluctantis, aut mundi à Christo deterrentis, & ad se allicientis, aut inuidi dęmonis, qui nobis hanc pacem eripere, aut saltem interturbare contendit, non est.

Supra.16.

Vnde Christus dixit: *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis.* In me, inquit, vno, tanquam certi, de victoria. In octaua autem resurrectionis iterum pacem obtulit, quæ pacatam, & omnino tranquillam reddet conscientiam in cœlesti beatitudine, quę per octauam designatur.

Infra 20.
Quid octaua Dominicæ resurrectionis significet.

Quare falsus est hæreticorum sensus, qui docent, his verbis significari securam, & omnino certam, & pacatam conscientiam de iustificatione, quæ à sola fide oritur. Nam superius nihil dixit, de conscientia pacata, sed de pace erga DEVM habenda. Et pacata omnino conscientia non proficiscitur à sola fide, quam Matthæi septimo in Prophetis, & malis operarijs, & Matthæi vigesimoquinto, in virginibus impudentibus damnat, (qui fiduciarios istos nobis repræsentant) quam defraudatam præter omnem earum expectationem videmus. Sed conscientia pacata à bona vita, & offi ijs virtutum, & vsu Sacramentorum, & longo progressu in via spirituali oriri solet. Vnde Apostolus secunda ad Corinthios primo: *Gloria*, inquit, *nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; primo Ioan. tertio: *Si non cor nostrum reprehenderit nos, fiduciam habemus ad* DEVM. Quare friuolum est quod Beza hoc loco splendidis verbis, sed inani sensu effutit: *Incredibilis*, inquit, *& constantissima mentis recreatio, qua fit, vt de beneuolentia DEI securus homo, superatis conscientiæ terroribus clamet: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Hæc ille, cuius oratio minime, vt puto, eius vitæ, & moribus respondebat.

Falso Lutheranos hunc locū Apostoli ad omnimodam conscientię securitatē & pacem detorquere.
Luc.13.
Mat.7.
Infra 25.
2.Cor.1.
1 Ioan.3.
Notatur Theodori Bezæ, tum doctrina tum vita.
Psal.26.

Subdit: *Per Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus.* Proponit mediatorem iustitiæ CHRISTVM per fidem, & pacis autorem per eandem fidem Ipse enim est pax nostra, qui facit vtraq; vnū. *Et accessum habemus*, ait, *per fidem in gratiā istam.* Non ergo fides ipsa iustitia est, sed ostium iustitiæ, & via ad eam, & manus apprehendens eam: & rursus per iustitiā perducens ad pacem cum Deo, quia apud Esā. scriptum erat; *Erit opus iustitiæ pax.* Quando enim spiritus obedit carni, est quidem pax, sed non iustitia: quando prioris vitæ incipit pœnitentiam agere, est iustitia, sed nondum pax. At peracta pęnitentia, & per fidem apprehensa iustitia, tunc est iustitia, & pax, & iustitia, & pax osculantur se inuicem in iustificato.

Autor nostræ iustitię & pacis Christus, teste Paulo
Ephes.2.
Initium tātum iustitiæ fides, at charitas perfecta iustitia est.
Esa.32.
Illud Esaię Erit opus iustitiæ pax quando impleatur.
Psal.84.

Subdit: *In qua stamus.* Quod ad fidem referri potest, de qua Idem Apostolus infra Capite vndecimo post medium ait: *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time*: vel ad gratiam, de qua PETRVS Apostolorum princeps ait: *Contestans hanc esse veram gratiam DEI, in qua & statis.* Nam iacet omnis peccator, & sola DEI gratia stare possumus: non solum ob statum rectum quem habemus resurgentes à peccato, & ab infimo Adæ statu, sed quia etiam firmi, & perseuerantes sumus in expectatione cœlestium bonorum. Græci codices hoc loco legunt de præterito: Per quem accessum habuimus ad gratiam, in qua stetimus. Verum Hebræis mos est præteritis vti loco præsentium: vt Capite vigesimo Matthæi habens: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi*, pro Sedent. Et apud Ioannem: *Medius vestrum stetit*, pro, Stat. Et rursus: *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum* ἤλθομεν. pro, Venimus de præsenti. Et quam prius dixit iustificationis pacem, nunc vocat gratiam, quia à Deo gratis data est, & gratum hominem Deo facit & opera eius. Et intellige gratiam, non actualem, sed habitualem, & immanentem in nobis. In actibus enim transeuntibus stare non possumus, sed in donis permanentibus, quæ sunt habitus Diuini.

Rom.11.
1 Petr.5.
Præteritū pro pręsenti non raro ponitur Hebræorum more.
Matt.20.
Ioan.1.
Matt.2.
Quænam gratia ista in qua stamus, cur sic dicta: quomodo stemus in illa.

De secundo dono subiungit: *Sed gloriamur in spe gloriæ filiorum* DEI. Vbi primum pondera, Græce non haberi *Filiorum* nec Græci Patres eius verbi meminerunt, & Ambrosius tantum legit: *In spe gloriæ Dei* & interpretatur, quod nos reddet gloriosos. Tamen, quia Latini codices habent, verisimile est interpretem nostrum in aliquo legisse vocem, Filiorum. Et quia, si diceret, In spe gloriæ DEI, dubium relinqueretur, an de illa, quæ DEI propria est, loquatur; an de nostra in DEO; non male appositum est illud verbum. Vnde & Origenes adiecit: *In spe videndæ Gloriæ Dei.* Et Theophylactus: *In spe bonorum quæ nobis sunt obuentura, ad gloriam Dei.* Vt ita sensus sit, quod gloriamur in spe gloriæ illius futuræ, quam DEVS filijs suis dare disposuit. Præsertim cum infra Capite octauo idem Apostolus dicat: *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum* DEI; & impij admira-

Alter fidei fructus.
B. Amb. loco à med.
Hęc lectio Gloriamur in spe gloriæ, cum Genitiuo filiorum Dei, cur probanda atque retinenda.
Orig. hoc loco to.2. Theoph.
Ibid.
Rom 8.

bun-

Sapient. 5. Quænam sit gloriatio in spe gloriæ filiorum Dei

bundi de gloria filiorum Dei dicent: *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Est ergo hæc gloriatio non tantum, ea, quæ in cœlo nos manet sed etiam qua in terra fruimur. Nec tantum habemus spem gloriæ, sed etiam gloriationem in tanta, ac tali spe. Et recte sequitur ad id quod dixerat de pace, quasi diceret: *Non solum nacti sumus pacem rerum præsentiũ, sed & gloriamur in spe futurorum.* Nec enim illicitum est gloriari nisi in seipso: gloriatur vero in seipso ille, qui gloriatur quasi non acceperit. At de iustis ait Dauid: *Lætamini in Domino & exultate iusti & gloriamini omnes recti corde,* scilicet, in Domino, quod est ex superioribus supplendum. Æterna vero bona etsi hic nondum acceperimus, dici tamen, & gloriari possumus nos iam percepisse certa fide, & viua, ac firma spe, ad quã regenerati sumus, & in arrha Spiritus sancti, & in iure charitatis, & bonorum operum, quod nobis comparauimus; in gustu etiam, & prælibatione futurorum bonorum, & in illa captiuitate, quam ascendens in altum, secum duxit; Denique in tot Sanctorum myriadibus, quorum certam gloriam Ecclesia solennibus & statis diebus celebrare solet, in quib. ad eorum preces, & merita, signa, & prodigia contingere solent, spiritus etiam nequam de corporibus truduntur, & multa gratiarum charismata impetrantur. Quamobrem etsi exultare, & gloriari nemini detur, nisi de his, quæ iam adeptus est bonis: tamen tam certa reddita est, & firma æternæ spes hæreditatis, vt de illa proprie gloriari in Deo possimus. Per arrhabonem enim Spiritus, spem futuræ immortalitatis, & gloriæ concipimus; & propterea cum Osea morti insultamus. *Vbi est mors, victoria tua? vbi est mors, stimulus tuus?* Nam per viuam fidem spe plenam agnito Filio DEI, deuictus est nobis infernus, prostratus dæmon, superatus mundus, & apertum cœlum, ita vt dicere valeamus cum Apostolo: *Conuiuificauit nos in Christo, &c. & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in CHRISTO Iesu.* Expende verba tantæ exultationis, & promissionis.

Solutio secundæ quæstionis.

Quomodo liceat nobis gloriari in spe gloriæ filiorum Dei, huius diuinæ filiationis penitus ignaris? 1. Cor 4. Psal 31. Licitæ & bonæ huius gloriationis in futuris bonis & æternis idonea argumenta, quæ suppetant. Ephes. 1. Psal. 67. Ephes 4.

In quibus propriegloriemur tantummodo.

Osea 13. 1. Cor 15. Per vnius fidem & spem in Messiam Dei filium quid assecuti fuerimus. Ephes. 2.

Quod vero obiectum fuit, neminem se posse Filium DEI agnoscere, & certam de futuris bonis gloriationem habere: Id si de omnibus asseratur, quia multi sunt peccatores, qui secundum carnem viuunt, verũ est. At aliter sentiendum est de his qui Spiritu Dei aguntur, & qui carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifixerunt: nam tales Christo viuunt, vel potius Christus in eis, & Spiritus testimonium accipiũt, quod sunt filij Dei. Quod si filii, & hæredes. Hic enim Apostolus non tam denotat, quales homines sint, quanta fide, & spe polleant, sed quanta ex vi gratiæ Euangelicæ pollere deberent. Et mirum non est, homines, qui iam nuntium mundo miserunt, si in futuris, & æternis bonis exultent, & triumphent.

Quomodo verum, sit, hanc suam adoptionem in filium Dei nemini posse constare. Rom. 8. Gal 5. Rom 8.

Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Tertium donum recenset eorum qui iustitiæ munus sunt adepti. Nam præter iam dicta, eo vsq; subuehuntur, vt in laboriosis quoque vitæ huius tribulationibus glorientur. Et quia ignaui solet esse gloriari in præmio, vel in spe præmij, quod per agonem quæritur, non autem in ipso agone, idcirco ostendit, gloriationem in his, quæ perducunt ad talem spem, debere præcedere. Porro Bernardus sermone decimoseptimo in Psalmum. Qui habitat, recte admonet, non esse nouam aliam gloriationem ab illa, quæ est in spe gloriæ. Sic enim ait: *Manifeste aduertere est in his verbis cum præmisisset Apostolus gloriari in spe: nõ aliud aliquid, sed amplius eum addidisse, dicendo: Non solum autem, sed & gloriari in tribulationibus. Non enim altera gloriatio commendatur, sed additur, vbi spes gloriæ, vbi ipsa spei gloriatio requiratur. Siquidem in tribulatione spes gloriæ, imo & ipsa in tribulatione gloria continetur: sicut spes fructus in semine, sicut & ipse fructus in semine est.* Hactenus ille. Vnde recte quidam ex nouis interpretibus vertũt: nec id solum, Græce, οὐ μόνον. Detegiturque vehementia spei huius. Nam qui vehementer aliquid sperat, vel amat, libẽter pro illo difficilia & amara quæq; sustinet: vt infirmus, qui pro sanitate obtinenda nullam nõ potionem amaram recipit, membrum secari, aut ignem sibi adhiberi patitur: & bono Iacob pastori, septem anni in grege pascendo videbantur pauci præ amoris quo Rachelem prosequebatur magnitudine. Nec satis Apostolo fuit dicere: Labores æquanimiter ferimus ob æternæ vitę spem, verum etiam, quod maius fuit dicere, Gloriamur, & oblectamur in tribulationibus. Qui quidem gloriatio dilutio maculæ esse videtur, qua quidã Euangelium deturpabant, quod illud profitentes tot mala, & persecutiones paterentur, quas Christiani non solum nõ fugiebãt, sed pro delicijs, & honore, & summa gloria reputabant, iuxta illud: *Ibant gaudentes Apostoli à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu cõtumeliam pati;* &. *Libenter gloriabor in infirmitatib. meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Quærebant olim sapientes huius mundi, quomodo suis institutis homines quadrato animo vtramque fortu-

Tertius iustificatis effectus. Iustificatos ex fide gloriari in tribulationibus. Paulus cur dixerit oportere. B. Bern. circa ser. dimidium. Psal 90.

Gloriationi in aduersis maxime cernitur Christianę spei vis & efficacia.

Gen. 29.

Hac Paulus doctrina in tribulationibus gloriãdi, quibus satisfacere videatur. Act. 5. 2. Cor. 12. Sola Christi religio facit suos professores in tribulatione gloriari.

fortunam ferent, ne laborum, aut calamitatum incursas, aut voluptatum, & deliciarum affluentia mentem perturbarent: at quod ex pressuris voluptatem, & iocunditatem animi captarent, inauditum fuit mortalibus, & solis Christi sectatoribus seruatum.

Ad tertiã quæstio.

Quare in tribulationib. gloriemur.

2. Cor. 4.

Est autem causa gloriandi in tribulationibus, quod ex illis perpessis augmentum præmij sibi homines comparent. Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Deinde in illis ferendis imitamur Christum, qui dixit: *Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt; & vos persequentur*; &: *Nobis absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, cuius discipuli sumus. Purgant etiam terrã cordis nostri peccatorũ spinis, vt fructum plus adferant: adimunt etiã desiderium hic diu manendi: & tanquam fumus offendens oculos, de mundo hoc tanquam de cubiculo expellunt. Et propriũ est iustificatorum in tribulationibus gloriari, quando absque suis demeritis patiuntur, nisi ob hoc tantum, quod Christum, & eius Euangelium sectantur. Nam alioqui multi permulta patiuntur in hoc mundo propter peccata sua.

II. ratio.

Ioan. 15.

Gal. 6.

III. ratio.

Ioan. 15.

Quando vere tantũ iustificati in tribulationib. gloriantur.

1. Petr 2.

Si tribulationib. licet nontamen in malefactis licet gloriari.

Non licet autem gloriari in peccatis admissis, quemadmodum in tribulationibus perpessis, quia ex vtriusq; fructum aliquem colligimus: nam peccata sunt actiones per se malæ, & gloriari in illis nihil aliud esset, quam in illis sibi cõplacere, & oblectari: at tribulationes mediæ per se sunt, & indifferentes, & materia sunt virtutis, cum patienter feruntur, & pro voluntate illas ferentis, aut à peccato electos purgãt, aut reprobos in gehennam detrudunt.

In quibus duntaxat tribulatio patientiam operetur, & quomodo.

Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autẽ probationem, probatio vero spem. Afflictio suapte natura non effectrix patiẽtiæ directe, sed impatientiæ potius, & indignationis, & maledicentiæ, vt videamus in incredulis: at in fidelibus est materia, & occasio exercendæ patientiæ, & roborandæ: quemadmodum copia rerũ materia est liberalitatis exercendæ. Nam veluti in belli cõflictu augeri solet fortitudo bellantium, ita patientia in fornace tribulationum perficitur. Hinc Bernardus ad Abbatem S. Nicasij *Sicut sanctis, & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit: sic damnandis e contrario tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, & illa interimit.* Hæc ille bonus Pater. Est autem Patientia, teste Augu. virtus, qua æquo animo difficilia, & ardua toleramus. ¶ *Patientia autem probationem* Hoc est, Toleratio afflictionum voluntaria operatur testificationem propriæ virtutis: quia afflictio probatũ sibi, & aliis ostendit. Operatur ergo probationẽ merito: nam ex eo quod amore Dei patimur, & vincimus, probamur à Deo, quod Deum mundo præferamus, æterna temporalibus, spiritum carni, & fidẽ rationi, & sensui. Vnde scriptum est: *Probasti cor meum, & visitasti nocte ique* (scilicet tribulationis) *me examinasti. & non est inuenta in me iniquitas.*

Eccli. 27.

Sap. 3.

B. Bern. epist. 32 sub init.

Patientia quid secundum Augustinum.

Aug. li. de Patient. & sæpe alibi. to. 4. longe à med.

Patientia teste Apostolo cur operetur probation.

Psal. 16.

Neq; huic sententiæ obstat quod Iacobus dixit in Catholica sua, quod probatio fidei patientiam operatur, cuius contrarium hic dicitur, quod patientia operatur probationem. Sed facile resoluitur hæc repugnantia, statuendo, vario modo accipi probationem. Nam Iacobus Apostolus actiue accepit probationem pro ipsa tribulatione, & afflictione, qua fides probatur, quæ, vt ait, operatur patientiam, id est, seges est & materia exercendæ patientiæ. & Græce dicitur τὸ δοκίμιον Hic vero passiue capitur vox Græce diuersa δοκιμὴ pro notitia ipsa, qua nobis vel aliis innotescimus, & qua explorati, & cogniti euadimus, quod est affectus patientiæ. Beda tamen in epistolam Iacobi aliter soluit, dicendo quod patientia operatur probationem: quia ille cuius patientia non vincitur, perfectus est, & probatur. Et rursus probatio patientiam operatur, quia facit fideles per patientiam exerceri, & per hanc fides eorum, quam sit perfecta, probatur. Subdit: *Probatio vero spem.* Nimirum operatur, & efficienter spei vigorem, & statum: nam qui sibi exploratus est, quod ob spem æternæ vitæ tribulationes præsentes perfert, vehementer in gloriæ cœlestis spẽ erigitur. Vnde idem Iacob. ait: *Quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Qui enim legitime certauerit, coronabitur*; &: *Vincenti dabitur sedere in throno Christi: sicut ipse vicit, & sedet in throno Patris sui.*

Ad quartũ dubium.

Quomodo hic dicitur patientia probationem operari, cum alibi opposituũ dicatur.

Iacob. 1.

Altera solutio.

Beda to. 5. prope finem

Probatio cur spem operetur.

Iacob. 1.

2. Tim. 2.

Apoc. 3.

Vbi ergo sunt, qui per fidem solam sine operibus & tentationibus putant recte sperari æterna præmia, & qui nuda fide certissimi sunt suæ salutis? cum hic Paulus aperte doceat, quod per experimentum tribulationum & operum spes nostra generatur, & alitur.

Contra Lutherum & sequaces, fidem per se solam sine operib. ad salutem sufficere.

Perpende etiam verbum Operãdi, quod in eadem clausula varios continet significatus. Nam tribulatio operatur patientiam indirecte, quatenus est sylua exercendæ patientiæ: patientia operatur probationẽ per viam meriti: probatio vero operatur spem, per viam efficientiæ. Et ita illud accipe: *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue*

Verbum operandi in eadem sententia ab Apostolo vsurpatum triplici sensu.

2. Cor 4.

tri-

tribulationis nostræ, operatur æternum gloriæ pondus, quod duobus prioribus modis accipiendum est. Et hæc sint satis hoc loco.

DISPVTATIO XXXVII.

In illa verba: *Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

I. dubitatio

AMBIGVITVR primo quomodo, Apostolus doceat, spem non confundere; cum interdum iusti à spe sua cadentes pudefacti, & confusi fuerint.

II. dub.

Deinde de qua charitate hoc loco est sermo: an de illa Dei qua nos Deus diligit, an vero de illa, qua nos Deum diligimus, nam vtrinq; patroni non desunt, & rationum momenta pro vtraque parte adsunt.

III. dubit.

Tertio ambiguitur, an Spiritus sanctus re ipsa distinctus sit à charitate, qua Deum diligimus, an vero sit ipsa nostra dilectio, maxime cum dicatur; *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet.*

1. Ioan. 4. Aug. to. 3. prope init.

Augustinus libr. 4. de doctrina Christiana cap. 7. obseruauit, Apostolum vsum fuisse schemate quodam, quod Græci Κλίμακα nos vero Scalam, siue Gradationem vocare possumus non quod Apostolus affectatam eloquentiam sectatus sit, sed potius quod eloquentia vltro comes extiterit sapientiæ.

Solutio primæ dubit.

Nequisquam igitur existimaret, inanem esse iustificatorum fidem, & quæ deficere consueuit, vt plerumq; facit spes in hominibus collocata, de qua; *Maledictus homo, qui confidit in homine*; & iterum: *Nolite confidere in principibus, neq; in filijs hominum in quib. non est salus*: ideo ait: *Spes autem non confundit*, siue non pudefacit.

Quare Paulus dixerit, spem cōfundere. *Ierem. 17. Psal. 14.* Hanc spei diuinæ firmitatem Scripturæ cōtestātes. *Psal. 70. Eccli. 2. Esa. 49.*

Qui enim nec falli, nec fallere potest, nec potestas deest, nec voluntas benefaciendi, is quemquam confundere nequit. Quod his Scripturæ testimonijs comprobatur: *In te, Domine, speraui: non confundar in æternum: Respicite filij nationes hominū; & scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est*; & Esaias, *Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui expectant eum.*

Si spes confunderet, quid inde.

Quare si Deus se subtraheret, cui per spem nitimur, certe seipsum negarent, & omnia in nihilum redirent, secundum illud; *Auertente faciem, turbabuntur; auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.*

Psal. 103.

Quomodo, si spes non confundit, quidam spe exciderūt sua

Quod vero quidam extiterint, qui spe sua depulsi pudefacti sunt. id non est, quod Deus se subtraxerit, sed ex eo tantum, quod à Deo spem suam subtraxerunt: vel spem suam partim in Deo, partim in seipsis collocauerint: vel denique, quod non certam rationem sperandi in Domino secuti sunt, de quibus dici potest: *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis*; & simili ratione fiditis in Deo, & non accipitis, eo quod male fidatis. *Iacob. 4.*

In quos diffusa dicatur charitas Dei. *Orig. hoc loco to. 2.*

Sequitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Loquitur hoc loco Paulus in vniuersum de omnibus iustis, & non tantum de quibusdam Insigniter iustis, & perfectis in quorum cordibus charitas diffunditur, vt putauit Origenes, motus illo verbo diffusionis, quo excellentiam, & exuberantiam denotat. Sed literæ, & rationi magis consonum est, vt de iustificatis omnibus sit sermo.

Ad secundam dubit.

Cum autem charitas Dei nihil aliud sit, quam amicitia Dei: dubium est, an hic sit sermo de charitate Dei erga nos, an de nostra actiua erga Deum.

Quam hic dicat charitatem Apostolus; Deine erga nos, an nostram erga Deū, quia à nobis diligitur. I. opinio. *1. Ioan. 4. Rom. 5. Ierem. 32. 1. Cor. 13. Ioan. 5.*

Et primo priori sententiæ fauet illud; *Deus charitas est*. Et infra: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis*; & Ierem. *In charitate perpetua dilexi te.* De nostra vero dicitur: *Manent fides, spes, charitas, tria hæc*; & Dominus, *Dilectionem Dei non habetis in vobis.* Posset & aliquis cogitare, quod loquitur de vtraq; charitate, iuxta illud: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*: quomodo explicauit Origenes. & de vtraq; dilectione sequitur, quod spes non confundit.

II. opinio. *Infra 14. Ambr. to. 5. Chrys. ser. 9 to. 4. init.*

Ambrosius tamen, & Chrysostomus priorem sequuntur sententiam. Nam ex eo spes iustorum non pudefacit, quia charitas DEI erga ipsos copiose effundit dona Spiritus sancti in corda ipsorum, quibus cōtestatur, se eis præstiturum quodcunq; promiserit. Quod ergo Deus possit, & nouerit æternam gloriam nobis impertiri, id certum, & indubium est: quod autem velit, ex eius erga nos charitate, qua prior dilexit, & ad amorē sui nos solicitauit, & quod sponte sua nullo eum cogente illam pollicitus fuit, colligere possumus. *1. Ioan. 4.*

Charitas Dei quomodo diffusa.

Et dicitur charitas Dei diffusa, ea loquendi ratione, qua causa per effecta diffunditur: quemadmodum principis in ciues liberalitas diffundi dicitur per beneficia, quę supra omne meritum illis communicat.

III. opinio, probabilior.

Alius tamen sensus est probabilior, hic esse sermonem de charitate, qua Deum diligimus: ita vt ex eo colligatur spes iustorum non confundere, quia per Spiritum sanctum est communicata charitas iustis, qua Deum diligant, & sua dilectione eum sibi promereantur, & deuinciant, vt non possit ipsis denegare quod promisit. Et vt docet Aristoteles in libro nono Ethicor. non potest DEVS, non benefacere amicis, si mentem colamus. Pater præterea non potest non diligere eum, qui Christum diligit: *Arist. to. 3.*

Ioan. 14. *Qui enim diligit me,* inquit, *diligetur à Patre meo.*

B. Aug. to. 3. circa fin. Primasius. Porro hunc sensum Augustinus sæpe sectatur, & maxime lib. de Spiritu, & litera, capit. 32. in fine. Ita etiam interpretatur Primasius, & Photius, dicens: *Gloriamur in tribulationibus, quia Deum amamus. Pro eo enim gaudemus aliquid pati, quem vehementer diligimus.*

II. ratio. Deinde charitas Dei in Scripturis in eum sensum fere semper accipitur. Nam c. 8. huius epistolæ ait: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Item illud: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei & communicatio Sancti Spiritus.* Et ad Thessalon. *Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi,* id est, in charitate, qua Deum diligimus, & patientia, quam Christus donat, vt propter eum patiamur. Rursus Dilectus in priori Canonica: *Qui seruat verbum Dei, vere in hoc charitas Dei perfecta est.* Et paulo post: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Et infra: *In hoc est charitas: non, quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Et subdit: *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet & charitas eius in nobis perfecta est.* Idem inferius subiungit: *Hæc est charitas Dei, vt mādata eius custodiamus.*

Rom. 8. 2. Cor. vlt. 2. Thess. 3. 1. Ioan. 2. Ibid. Infra 4. Ibid. Infra 5.

III. Tertio congruebat, vt post fidem, & spem, mentionem faceret charitatis, vt ait Origenes, sine qua alia dona nihil sunt ad salutem. Illa vero plenitudo legis est & per illam operantes certi coronæ reddimur.

IV. Quarto hæc dicitur diffundi, & effundi in cordibus, id est, voluntate: alias improprie effunderetur: sicut etiam dicitur, *Diffusa est gratia in labiis tuis,* id est, creata gratia in ore Christi.

Ps. 44.

V. Quinto, quia de Spiritu sancto ait: Qui datus est nobis: ergo etiam de charitatis dono nobis communicato est sermo, in quo continetur dilectio Dei erga nos, de qua statim subdit: *Commendat autem charitatem suā Deus in nobis.*

VI. & vlt. Sexto, dogma Lutheranorum euertitur qui negant huiusmodi diuinum habitum charitatis, & asserunt, neminem esse ex sanctis, qui Deum toto corde diligat, & qui non semper in transgressione huius præcepti versetur. Et interpretantur de charitate Dei erga nos, dicentes, nos habere certissimum testimonium, quod Deus diligit nos, & quod Spiritus sanctus perhibet nobis: quod certe non redderet, si essemus in transgressione huius mandati, vt aiunt.

Rom. 8.

Vnde constet Dei in nobis charitatem diffundi. 1. Cor. 13. Dicitur autem charitas diffundi in nobis, propter multiplicia eius munia, & officia: nam charitas patiēs est, benigna est, &c. Spes autem non confundit; quia diligentes Deum non possunt à Deo non diligi, & sperata præmia assequi. Deinde, quia datus est nobis Spiritus sanctus in pignus, & artham hæreditatis. Et hæc de secunda dubitatione dicta sint.

Solut. terriæ quæst. An Spiritus S. à charitate distinguatur, nec ne. Tertiæ vero vt satisfaciamus, constituendum est, Spiritum sanctum distinctum esse à charitate, quæ virtus Theologica est: qua in re deuiauit Magister sententiarum, negans habitum charitatis, & asserens liberū arbitrium in Spiritu sancto, qui dicitur charitas, omnes actiones nostræ dilectionis simul operari: quod falsum esse conuincitur.

Magist. sēt. l. 1. dist. 16. Quod omnino distinguatur. I. ratio. Primo, quia vt formæ est dare esse, & nomen ita diuinæ charitatis opus est, vtrumq; præstare. Ait enim Dilectus: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.*

Ioan. 3.

II. Deinde hic locus ostendit, aliud esse charitatem, aliud Spiritum sanctum: & ad Gal. 5. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia* &c. nunquid ergo est fructus suiipsius.

Gal. 5.

III. Tertio charitas dicitur effundi proprie in cordibus: dicitur augeri Philip. 1. minui, seu refrigescere, Matth. 24. contristari: quæ non possunt Spiritui sancto quadrare.

Philip. 11. Mat. 24. Ephes. 4. 2 Tim. 1.

IV. Quarto ait Apostolus: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas, quæ nunquam excidit:* at Spiritus sanctus non comparatur fidei, & spei, & non manent actus. Ergo de diuinis Theologicis virtutibus est sermo. Et cui, quæso, dubium erat, quod Spiritus sanctus maior sit donis suis, & quod nunquam excidere posset.

1. Cor. 13. Ibid.

V. Quinto ait Dominus *Qui diligit me, diligetur à Patre meo:* & paulo post: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:* at cum Pater venit, non veniunt nisi aliæ diuinæ personæ. Hinc Augustin. lib. de Spiritu, & litera: *Vnde ista dilectio, id est charitas, per quam fides operatur, nisi vnde illā fides ipsa impetrauit? Neque enim esset in nobis quantacunque sit ex nobis, nisi diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et lib. 3. de Doctrin. Christiana: *Charitatem voco motum animi ad fruendū Deo propter ipsum, & se, atque proximo propter Deū.* Sic Augustinus.

Ioan. 14. Ibid. Aug. de Spir. & lit. c. 32. cons. to 3 sub finem. Idem c. 10. l. 3. de Doct. Christ. sub fi. 10. eod. prope init.

Ratione idem euincitur. Ratio quoque idem dogma confirmat: quia etsi Deus possit se solo, aut per auxiliū speciale omnes actus, qui per habitus fiunt, elicere: tamen quia diuina sapientia disponit omnia suauiter, & cuilibet agenti naturali contulit qualitates, & formas suæ naturæ conuenientes ad fines suos suauiter assequendos,

Sap. 8.

officium, quod ipse suis discipulis præstabat, illo suppleret, *Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem non abiero, mittam eũ ad vos.*

Ioan. 16.

Iam Textus explicandus: *Vt quid enim,* Pro qua voce Græce legitur, Ἔτι γὰρ, id est, Quid enim? Tamen, vt multi coniectant, videtur Interpres legisse, Εἰς τί γὰρ, id est, Ad quid, vel, Vt quid enim, & ita legunt B. Ambrosius, & Irenæus. Et sensus est idem, & oratio vehementior, & affectu plenior, & Paulo valde consueta. Quod est perinde, ac si dicas, Ad quid Christus Christus voluisset mori pro impiorum iustificatione, nisi simul voluisser, certam esse spem æternæ vitæ consequendæ, saltem in eo quod ad se attinet? Quod si Deus pro inimicis, & peccatoribus vitam & sanguinem dedit, quomodo iam amicis, & reconciliatis promissam nobis dabit gloriam.

Ambr. hoc loco. Iren. li. 4. c. 18. in fine.

Hæc lectio: Cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, quid significet.

Cæterum quod ait: *Secundum tempus,* potest aut cum præcedenti particula coniũgi; Cum adhuc infirmi essemus: non vt sit excusatio infirmitatis generis humani, ante aduentum Christi, eo quod esset diuino subsidio pro ratione temporis destituta: quia hæc excusatio ad cumulum misericordiæ nihil adderet, quam tamen hic Apostolus commendare intendit: sed potius est argumentum moræ diuini aduentus ad nos, vt prius suam homines imbecillitatem, & sciẽtiæ inopiam experti, dilatum Dei auxilium & tandem oblatum pluris facerent. Dixit enim Apostolus Lycaoniis, in præteritis generationibus Deum dimisisse omnes Gẽtes ingredi vias suas. Vt ita infirmos secundum tempus accipias pro ratione ætatis humani generis: nam prius sicut paruuli eramus sub tutorib. & actoribus. quousque veniret plenitudo temporis, & puer adolesceret ad accipiendam hæreditatem.

Act. 14.

Gal. 4.

Hæc altera lectio: Secũdum tempus Christus pro nobis mortuus est, quid sibi velit.

Potest etiam fortasse melius cum sequẽti verbo iungi, Mortuus est, vt Origenes, & Theophylactus tradunt. Et sic duplex etiã sensus reddi potest: alter Ambrosii; vt sit moderatio quædam verbi illius, *Mortuus.* Non enim in perpetuum, & lege communi, vt alii, sed vsque ad resurrectionem, seu in triduum: sed ita dicendum erat à Paulo, πρὸς καιρὸν, & non κατὰ καιρὸν. Adhæc hic sensus parum pertinere videtur ad scopum Pauli.

Orig. hoc loco. Theophylact. ibidem.

Theophyl. Origen.

Alius sensus est Theophylacti & Origenis interpretantium κατὰ καιρὸν, tempestiue, & opportune, siue tempore suo, & quando maxime opus fuit, non ante, neque post. Non statim post Adæ lapsum, vt peccati grauitas agnosceret: neque expectauit vsq; consũmationem seculorũ, ne nimia desperationis mora animos homines desponderent. Et ita deficit expositio Erasmi vertentis, *Iuxta temporis rationem*: retulitque ad præcedens verbum, *Cum essemus.* Et hæc de hac difficultate.

Quare Christum in plenitudine temporis, non ante, nec post mori voluerit.

Lectio Erasmi reiicitur.

Iam quæritur quid sit illud: *Cum infirmi essemus*; quia non videtur accipi posse, pro peccati culpa, quia illa potius mors est dicenda, quam infirmitas, iuxta illud ad Ephesios: *Cum essemus mortui pro peccatis,* & mox idem Paulus subdit de morte peccati: *Aliud est ergo esse infirmos,* siue, ἀσθενεῖς, *aliud peccatores.* Verbi ergo proprietas designat fragiles, languidos, impotentes, vt cum ait; *Infirmum autem in fide assumite*; & alibi: *Quomodo cõuertimini iterum, ad infirma, & egena elemẽta, quibus denuo seruire vultis?* Cum ergo essemus infirmi, id est, insufficientes, & viribus destituti, vt possemus per nosmetipsos in gratiam Dei redire, & assequi æterna; neque essemus viri Israelitæ, id est, cum Deo fortes, sed inopes, & aleni auxilii egentes subdit: *Secundum tempus pro impiis, Christus mortuus est.* Hoc est, innocẽs pro impiis, Dominus pro seruis male meritis, & omni morte dignissimis, deniq; virtus, & sapiẽtia Dei pro infirmis, & ignorantib. Quod enim pro infirmo quis intimetur, aliquam æquitatem habet: at quod quis mortem appetat, vt alium morbo liberet, lõge est præclarius Et si quis vitam daret, vt innocẽtem seruaret, id esset egregium, & commendabile: at quod pro impio iustus moriatur, id est supra omnem hominum captum positum, & valde admirandum. Et subiungit: *Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.* Ponderat iam illud Apostolus, quod Christus sit mortuus pro impiis. Et particula, Enim, siue γὰρ assertiue est explicanda, quia non tam continet probationẽ, quam explicationem superiorum: vt sensus sit: Vix certe pro iusto quis moritur.

Ad II. quæstionem.

Quid sit, Christum pro nobis mortuum, cum adhuc essemus infirmi.

Ephes. 2.

Rom. 14.

Gal. 4.

Gen. 32.

Rom. 9.

Christum mori pro impiis quid.

2. Cor. 11.

Ad tertiam quæst.

An mori pro iusto, pro bono, pro impiis, & peccatoribus, triplex sit, an vna, eademque collatio.

Cæterum Hieronymus in epistola ad Algasiam de loci huius intelligentia interrogatus, ait, iustum, & bonum esse capienda in genere neutro, id est, pro re iusta, & bona quemadmodum etiam capit Origenes in hunc modum: *Si quis iuste, aut iusta de causa mortem demeritus sit, vix patienter ferat. Nam pro bono, id est, magna aliqua vtilitate consequenda fortassis aliquis se morti exponeret,*

I. sensus. B. Hier. ep. 151. q. 8. to. 3 circa med. Origen. hoc loco.

Verum hæc explicatio non est tam germana, & suauis, propter duo. Alterum est, quod bono, & iusto respondet: *Pro impiis, & peccatoribus*: vbi de personis est sermo, non de causis. Alterum, quia etiam Christus pro re bona mortuus est, nempe pro redimendo genere humano, & pro gloria Dei illustranda. Quare alii volunt, illa

Improbatur duplici ratione.

Alter sens.

ex peccatoribus iusti: & perfecit sua victima in Cruce effusa, vt omnes ad amicitiam Dei, & intimam familiaritatem recipi possent sua die, vbi per fidem illuminati essent & Baptismo purificati. Solet autem virtus eo maior, & viuacior esse ex parte subiecti, quo minus fortes rationes ad illam excitantes habet in obiecto: quemadmodum fides commendabilior est ex parte nostra quibus inhæret, quia ex obedientia voluntatis nascitur, tametsi scientiæ habitus, propter obiecti claritatem antecellat. Ita etiam dilectio inimicorum ex maiore hominis fortitudine progreditur, quam sit amici dilectio, quæ obiectum habet fortius, & virtuti, & honesto magis conueniens.

Virtus quo maior, & illustrior appareat.

Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Id est: Quid nobis est sperandum illum facturum cum iam sumus per eum reconciliati? Et quid est facilius, efficere inimici reconciliationem, an reconciliatum, & amicum saluare? Item quid est difficilius, reconciliari per mortem, an saluari per vitam. Siquidem omnis habitus præstat priuationi, & vita potentior est morte. Nam vt alibi dicitur: *Etsi crucifixus est ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei.* Si ergo infirmum Deo reconciliare potuit, quid non præstabit vitæ virtus? Nam prima iustificatio ex fide sine meritis, & per mortem Christi, id est, per infirmum eius contingit: secunda vero per vitam, id est, per Iesum in sempiterna secula viuentem, & per conformitatem ad nouam vitam ipsius in operibus fide factis ambulando.

2. Cor. vlt. I & II. iustificatio vnde consurgat.

Hic etiam obserua mortem Christi, peccati extinctionem operari, vitam autem eius gloriosam sempiternam, vt intelligas, etiam homines sine peccato existêtes Christo mediatore indiguisse ad gloriam adipiscendam. Erait: *Salui erimus ab ira per ipsum,* id est, ab æternæ pœnæ vindicta ab agno in die iudicii infligenda. Intellige tamen, si remediis contra peccata præscriptis, id est, Sacramentis Ecclesiæ vtamur; si præcepta Dei obseruemus, si studio Deum assidue deprecandi incubuerimus. Qui igitur Christi charitatem experti fuimus in primo aduentu, non est, cur in secundo iram eius extimescamus. Et si hæc Pauli ratiocinatio alicuius est ponderis, similiter videtur inferendum esse: Si Adæ peccatum, & inimicitia hominum propter ipsa contracta cum Deo, non potuit impedire beneficium incarnationis filii Dei in gratiam nostræ redemptionis: multo magis illi homini non peccanti, sed

Mortis, & vitæ Christi efficacia.

Quomodo verum, iustificatos in sanguine Christi saluos fore ab ipso per ipsum.

Pro iis, qui Filium Dei tametsi Adam non peccasset fore incarnandum.

Deo per omnia obedienti contulisset, si non ad redemptionem, qua non indigebat natura humana, saltem ad eam nobilitandam, & glorificandam, ne plus videatur Deus diligere peccatores, quam iustos. Et iterum corroborat eandem sententiam: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius.* Resumit argumentum à minori ad maius, opponendo vitam morti, & iustos peccatoribus. Nã si mors potuit inimicos non natura, sed voluntate reconciliare, multo magis vita poterit reconciliatos saluos, & beatos efficere. Potentior namque est vita Christi resurgentis in gloria, quam mors in carne infirma, & seruare amicos, facilius, quam inimicos reconciliare. ¶ Et si vero reconciliati ad vitam æternam destinentur: opus tamen fuit iam instructa disputatione ad erigendam, & consolidãdam hominum vacillantium spem. Si quidem cum fides sit substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium: reconciliati hæsitare poterant, an essent pro officiis momentaneis, & paruis laboribus, imo pro duobus minutis, in Gazophylacium missis, & pro calice aquæ frigidæ siue ti porrecto, æterna bona recepturi, & pro grauibus admissis criminibus nullum daturi supplicium.

ad gloriam generis humani, pie meditantur.

QuarePaulus de Fidei fructibus tam late disseruerit.

Hebr. 11.

Marc. 12.

Matt. 10.

Et nota ex hoc loco, apud Apostolum, pro eodem haberi, Iustificatum esse, & reconciliatum. Qua in re non est cur glorietur de meritis: nam turpe est inde laudari, quod tam detestabiliter ægrotauerit homo, vt non posset aliter, quam medici morte sanari. Hinc beatus Augustinus in Psalmum 118. *Qui donauit impiis mortem suam, quid seruat iustis nisi vitam suam? Qui promisit, Deus est, & venit, vt promitteret, apparuit hominibus, venit suscipere mortem vestram, promittere vitam suam.* Et infra: *Quid tibi promisit Deus, ô homo mortalis? Quia victurus es in æternum. Non credis? Crede, crede. Plus est iam, quod fecit, quam quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? vt viuas cum illo. Iam quod incredibilius est tenemus.* Hæc ille magnus Augustinus. Est autem insigne beneficium mors Christi pro nobis, quod Angelis concessum non fuit: & vt docet idem August. tractatu 122. in Ioannem, circa finem, nos Angelis excellimus, quibus Christus vt homo, & caput, & Rex extitit; nobis vero præter illa Pontifex, & Redemptor: præterquã quod consanguineus noster fuit. Nusquam enim Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit.

Iustificatio & reconciliatio apud Paulum, idem sunt.

August. 8.

Plus est quod fecit Christus, quam quod promisit, & quomodo, secundum Augustinum.

In quo plus videri possit Christus hominib. quam Angelis detulisse.

Idem tract. 122. in Ioa. circa fi. no.p

Heb. 2.

Quid sit, iustificatos in Deo per Iesum Christum gloriari.

Non solum autem, sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum. Tertiam tangit iustificatorum gloriationem. Et est sensus: Non solum gloriamur ob spem gloriæ Dei, & tribulationes perpessas sed etiam gloriamur in Deo, vel de Deo, qui est origo, & principium omnium bonorum nostrorum, & quia prior exultatio, & gloriatio de fonte amoris concupiscentiæ proficiscebatur: an exultare de Deo ipso, ad amorem amicitiæ, & beneuolentiæ spectat, maxime cum erga nos parentis nomen, & rem ipsam, imo & viscera paternæ charitatis induere voluerit. Est enim gloriari in Deo, siue de Deo, ipsum propter seipsum absque vllo nostro respectu omni honore, & amore prosequi. Gloriamur ergo in Deo, per quem regenerati sumus in illam gloriæ spem viuam, & per quem datum tribulationes tolerari. Omnia enim Dei sunt. Ideo in illo debemus gloriari, si velimus inanem gloriationem euadere, & vt impleamus Apostoli verbum: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, id est, Dominum dantem, ac nos ditantem celebret, & illi omnia adscribat. Et quia adiungit: *Per quem nunc reconciliationem accepimus*: sensus est, quod non solum in spe præmii æterni, & tribulationum merito gloriamur, sed in hoc iam percepto beneficio per Christum, id est, in ipsa reconciliatione à peccatis, non per aliquem hominem sanctum, non per Angelum, sed per vnigenitum filium adepta, ita vt non confundamur tantam fuisse iniquitatem nostram, vt nonnisi morte filii Dei aboleri potuerit. Sed in hoc valde gloriamur, quod propterea sese prodant immensæ erga nos charitatis, & amoris argumenta, & testimonia, vt filii facti per mortem Christi, gloriemur de Deo Patre nobis dato, & de Christo Deo, fratre, & primogenito nostro. Et de his hactenus.

Quid sit in Deo, siue de Deo gloriari.

1. Cor. 1.

Quid rursus in Domino gloriari, secundum Apostolum.

DISPVTATIO XXXIX.

In illa verba: *Propterea, sicut per vnum hominem peccatum in hunc mūdum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertrāsiit, in quo omnes peccauerunt.*

Quæstio I.

HÆc Apostoli clausula, etsi paucis verbis constet, multas tamen, ac grauissimas complectitur difficultates. Ac primum quidem dubium est, quid sit illud, *Propterea*, & quomodo cum superioribus cohæreat; & quia videtur sententia hæc im perfecta, vt ratio comparationis exigebat.

II. Secundo dubium est, de quo peccato hic sermo, cum ait: *Peccatum intrauit*, &c. an de originali, an de personali, quod ad imitationem primi parentis perpetramus.

III. Tertio ambigitur, cur dicitur, Per vnum hominem, & non, Per vnam mulierem: præsertim, cum ab illa nostræ ruinæ initium prodierit, & illa prima mandatum Dei transgressa sit. Vnde Sapiens: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.*

Gen. 3.

Eccl. 25.

IV. Quarto similiter ambigitur, quæ mors per peccatum in mundum intrasse dicitur, an spiritualis, an corporea, an vtraque & an æterna.

V. Quinto, quis est iste mundus, in quem ingressum dicitur peccatum: & quomodo dicitur intrare, & pertransire peccatum, quod accidens est, & per se non subsistit, sed tantum subiecto hæret: imo peccatum, & mors nihil aliud sunt, quam meræ priuationes. Hæc, vbi discusserimus, speramus Dei bonitate lumen aliquod intelligentiæ loci propositi nobis affulsurum.

Sed ante omnia de consequentia Text' loquamur. Incipit enim ab hoc loco Apostolus percensere mala, aut malorum occasiones à quibus per fidei gratiam iustificati liberantur. Malum enim fuit peccatum originale; malum quoque fructus eius delictum quandoque personale, de quo per totum quintum caput sermonem facit. Mali occasio exitit lex Moysi, quæ ingressa est, vt abundaret delictum: de qua in fine huius capitis. Paulus igitur pro sua sapientia duos homines inuicem committit: alterum Adamum, per quem omnia mala, qua si hæreditario iure: & propagatione in nos peruenimus; alterum, Christum omnis boni nostri fontem, & originem. Sed sicut omnia Adæ mala in peccatum, & mortem, id est, culpam, & pœnam referuntur: quia appellatione mortis omnia supplicia, & cunctæ miseriæ veniunt: ita Christus autor, & propugnator iustitiæ, & vitæ id est, gratiæ iustificantis, & æternæ vitæ cœlestis, quia præmium est vitæ Christianæ.

Literæ series.

Rom. 6

Falsum est autem, quod hoc loco Beza docet, Apostolum aggredi caput imputatæ Christi iustitiæ: quasi vt Adam per propagationem nocuit, ita Christus per imputationem suæ iustitiæ nobis profuerit. Et ita donum iustitiæ inhærentis deridet hic nugator, contra sacrosanctam Tridentini Concilii autoritatem. Et re vera quicquid hic Paulus agit de Christo, ac de sua obedientia, & iustitia, non est ad imputatam Christi iustitiam, qua ipse, vt sic dicam, formaliter

Refutatur Bezæ hæretici hominis de imputata, & non de inhærente Christi iustitia sensus.

Trid. Syn. sess. 6. Can. 11

iuſtus erat, referendum, ſed ad meritum mortis eius, quæ ratio iuſtitiæ nobilior eſt, & præſtantior cauſa (quia ad efficientem magis accedit) quam illa imputatæ iuſtitiæ. Nec enim ex eo, quod interdum Chriſtus dicatur iuſtitia noſtra, vt Ierem. 23. & apud Paulum, *Qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*, recte protinus colligas, Chriſtum eſſe noſtram iuſtitiã imputatam: ſed ſenſus verus eſt, Chriſtum eſſe autorem noſtræ iuſtitiæ inhærentis, & noſtræ ſapientiæ, ſicut etiam noſtræ ſanctificationis, & redemptionis. Ita enim more Hebræo illa ſubſtantiua explicanda ſunt, quemadmodum & illud, quod ſcriptum eſt de Noe, *In tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio*, id eſt, autor, ſeu comparator noſtræ reconciliationis. Hæc de connexione.

Ierem. 23.
1. Cor. 1.
Eccl. 44.

Solutio 1. dubitationis. Illud: Propterea ſicut per vnum hominẽ, &c. quomodo ſuperiorib. reſpõdeat.

Quod ad literam attinet, in qua dura videtur eſſe conſtructio, non eſt ignorandum, Origenem annotaſſe in his verbis eſſe defectiuam locutionem, quia non adiunxit alteram partem comparationis reſpondentem, in hunc modum: *Propterea ſicut per vnũ hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita per vnum hominem iuſtitia, & per iuſtitiam vita.*

I. Solutio.
Orig. lib. 5. inst. to. 2.

Sed huic difficultati reſpondet Origenes, Apoſtolum partem oppoſitam comparationis occulto ſuppreſſiſſe, ne, ſi diceretur, per Chriſtum intraſſe in omnes homines iuſtitiam, & vitam, homines negligentiores redderentur, & in bonis operibus remiſſiores, etiamſi illa vita otioſis non ſit propoſita, ſed officioſis, iuxta illud: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Deinde adiungit, alterum membrum reſpondens poſt multa interiecta verba ab Apoſtolo reponi, nempe illi: Sed non ſicut delictum, ita & donum: vbi propter longũ hyperbaton reſumpſit ipſum primum verbum, vt cum altero oppoſito conſerret.

Mat. 11.

Quid incommodi habeat hic ſenſus.

Sed re vera videtur longe petita altera comparationis pars, & vix poſt tot ſententias veriſimile ſit, Apoſtolum rediſſe ad implendam illam oppoſitionis partem. Faber vero Stapulenſis, & Eraſmus cenſent, poſteriorem coniunctionem in hac ſententia eſſe expungendam, & comparationem integram conſtare in hunc modum: Sicut per vnum hominem peccatum in hũc mũdum intrauit, & per peccatum mors: ita in oẽs homines mors pertranſiit. Sed etſi quãdoq; coniunctio, Et, more Hebræo ſuperflua ſit: hoc loco tamen non ſolum obſtant omnes Græci, & Latini codices, qui illam habent, nempe: *Et ita in omnes homines*, ſed etiam maxime obſtare videtur, quod frigida, & diluta videri poſſet Pauli comparatio. Hic etenim peccatum, & mortem Adæ cõponit cum iuſtitia, & vita Chriſti: quod ex conſequentibus fit liquidum, non autem confert peccatum cum morte.

Altera ſol. Fabri Stapulenſis.
Et iſta reiicitur.

Tertia ſol. Bezæ.

Beza vero manifeſtum putat eſſe anantapodotum, cum altera pars collationis deeſt, & quod facile poſſit excuſari tum ex contrariorum natura, in qua vnum ex altero facile intelligitur, etiamſi non exprimatur, tum etiam, quia vix fieri poterat, vt altera pars exprimeretur, quia ambigua eſſet tota oratio. Nam vt plena, & perfecta eſſet antitheſis, addi oportebat: Ita per vnum hominẽ iuſtitia in mundum introiiſſet, ac per iuſtitiam vita, & ſic in omnes vita peruaſit, in quo omnes iuſtificati ſunt. Quod ſi dixiſſet Apoſtolus, videretur aſſeruiſſe, non minus patere Chriſti iuſtitiæ effectus ad vitam, quam Adami peccatum ad mortem, quod falſum eſt.

Improbatur dupliciter.

Sed mihi placere non poteſt, quod ex natura contrariorum ſuppleatur clauſula tam magna, in qua præſertim ſitum erat totum comparationis pondus. Deinde quia alio loco Apoſtolus plena antitheſi loquitur, vt cum ait: *Sicut in Adam omnes moriũtur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur,*

1. Cor. 15.

Quarta ſolutio ſuperioribus longe probabilior.

Quare his ſolutionibus relictis, ſolidius dici poteſt, poſt aduerbium propterea, ponendam eſſe virgulam, ſicut Græci codices ponunt; & ſupplendum eſſe aliquid ex præcedentibus, quemadmodum facere ſolet poſt aduerbium, Non ſolum autem, vt paulo ante expoſuimus, ſcilicet: Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei, aut, Gloriamur in tribulationibus, ſed etiam in Deo. Eodem modo cum ait: *Propterea*, ſupplendum eſt proxime antecedens, ſcilicet, per Dominum noſtrum reconciliationem accepimus ad iuſtitiam, & ad vitam: & poſtea ſequitur; *Sicut per vnum hominem, &c.* Et ita Græca Scholia apud Oecumenium interpretantur, quæ habent: Propterea, inquit, ſeruabimur. Propter quid? Quia & hoc poſſibile eſt, & rationi conſentaneum ac conſequens. Sed vnde hæc manifeſta fient? A contrario, inquit, Siquidem per vnum hominem & peccatum introiuit, & mors ipſa.

Oecumen. c. 7. in prin.

Anſelmus hoc ipſum non ignorauit ſcribens in hunc locum: *Nam quia dixerat Apoſtolus, nos eſſe per Chriſtum reconciliatos, pergit oſtendere, quod conuenienter per vnum obedientem ſimus reconciliati, qui per vnum inobedientẽ fueramus à Deo ſeparati. Reconciliationem accepimus per Chriſtum. Propterea, id eſt, quia per illum ſumus reconciliati.* Hæc ille. Et hæc eſt ſolida, & facilis ſolutio.

B. Anſelm. par. 2. in pr.

Soluitur 2. dubium. Quale peccatum illud sit, quod in mundum iotrâsse hic dicitur, originale an personale.

Ad secundum, de quo peccato sit sermo, dubium est non vulgare ad verũ huius sententiæ sensum. Nam Pelagiani, quos Erasmus hoc loco & suscitare, & defendere conatus est, hunc locum referunt ad peccatũ personale, quod ad exemplum, & imitationem Adæ commisetũt: & eatenus mortui sunt, quatenus illius peccatum sunt imitati. Et eundem sensum Pelagianum sequitur Hieronymus in commentariolis epist. ad Rom. (quæ re vera se produnt à Pelagiano aliquo edita, non autem esse Hieronymi fœtum) negabant enim Pelagiani, peccatum vllum esse in pueris. Verba Hieronymi sunt: *Sicut Adam primus mandatum Dei prauaricans, exemplum est legem Dei prauaricari volentibus: sic & Christus voluntatem Patris complens, exemplum est imitari eum cupientibus.* Sic ille.

I. sensus Pelagii, & Erasmi.
Hiero. to. 9.
Quis autor explanationis epist. ad Rom. Hieronymi nomine circũlatæ, fuisse credendus sit.

Genes 3.
Cõfutatur hic sensus.
Aug. to. 7.

Sed in hunc errorem, & loci interpretationem insurgit Augustinus libro primo de peccatorum meritis & remissionib. cap. 9. & epistola 89. ad Hilarium, quæstione tertia, & in Enchiridio ad Laurentium, capit. 25. & libro 2. Hypognosticon, & libro 4. in Iulianum. Exponebant ergo Pelagiani illud: *In quo omnes peccauerunt*, id est, Quatenus exemplo eius omnes peccauerunt. Contra quod primum est, quia Græce legimus ἡ ἁμαρτία ad certum, & signatum peccatum designandum, quale fuit illud Adæ; quod ita fuit eius, vt etiam sit cuilibet nostrum proprium: non autem de incerto, & proprio peccato, quod quisque solus admisit, & non alter. Et Apostolus hac voce solet morbum illum hæreditarium denotare.

Idem to. 2.
Idem to 3.
Idem to. 7.
Idem to. eodem.
I Ratio confutationis.

II. Deinde si sermo est de personali delicto, quod per imitationem intrauit, certe non per hominem intrauit, sed per diabolum, de quo dicitur; *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Et Dilectus cap. 3. suæ epistolæ: *Qui facit peccatum ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat.*

Sap 2.
Gen. 3.
1 Ioan. 3.

III. Tertio, si imitationem potius intellexisset Apostolus, & non propagationem, in sequẽtibus nõ dixisset: Iudicium quidem ex vno, in condemnationem sicut aperte dixit: Gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Hanc autem rationem egregie vrget Augustinus ad Hilarium. Similiter etiam non dixisset Paulus de ingressu iustitiæ per vnum hominem Christum, sed per plures homines, vt per Abel, per Noe, per Abraham, & per alios introiisse. Nam si tãtum de ingressu peccati per imitationem est sermo, esset etiam de ingressu iustitiæ per imitationem, & exemplum: quod omnino falsum est, & totam doctrinam Pauli euertit.

Rom. 5.
Ibidem.
Aug to. 2.

IV. Quarto, hic palam comparantur Adam, & Christus, tanquam duo fontes, & principia rerum contrariarum: sed constat, iustitiam, & vitam introiisse per Christum, non solum exemplo, & imitatione sui proposita, sed etiam vt per verum fontem, & causam. Vnde subdit: Sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ: igitur peccatum etiam intrauit per Adam, non solum vt dantem exemplũ peccati, sed vt principium, & causam nostræ corruptionis.

V. Quinto, non potest delictum illud in omnes intrare per imitationem: non enim in omnes pueros, nec in omnes adultos, vt Ioannem Baptistam, & beatam Virginem: at Textus aperte docet, quod mors intrauit in eos, qui non peccauerunt, in similitudinem Adæ.

VI. Sexto, multi dum peccant, Adæ exemplum ante oculos non habent, nec in illud respiciunt exemplar: imo multi sunt (vt fideles omnes) qui ne Adæ quidem peccatum nouerunt.

VII. Septimo, peccatum alterius imitatione admissum, proprie intrare in mundum, vel pertransire in homines, vel ab aliquo contrahi non dicitur: de illo autem, quod per propagationem deriuatur, congruentius, & magis proprie dicitur intrare, & transire.

VIII. Postremo, videtur Ecclesia sensum huius loci definiuisse, & non aliter quam de originali peccato interpretata. Ait enim Concilium Mileuitanum Canone secundo, *Item placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum negant aut dicunt in remissionem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod in regenerationis lauacro expietur, &c. anathema sit.* Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: *Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica vbique diffusa semper intellexit. Idem Canon reperitur in Concilio Africano, capite 77. & demum à Tridentina Synodo sessione quinta, in secundo Canone anathemate percutitur, quisquis asserit, Adæ peccatum sibi soli, & non eius propagationi nocuisse; & Apostolo contradicere, dicenti: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, &c.*

Concil. Mileui. to. Concil. 2.
Conc. Afri. to 1 Conciliorum. circa med. Trid. Conc.

Quare mirabilis fuit Erasmi prudentia, qui praue hunc locum ex Græco vertit, peius vero in Paraphrasi sua exponit, & in annotationibus suis in hunc locum, ad peccatum personale detorquet, originale non agnoscens. Nam vide, obsecro, bone Lector, quomodo hũc locum vertit. *Quemadmodum propter vnum*

Insignis Erasmi stupiditas.
Illius versio hoc loco notatur quadrupliciter.

Primum vitium.

vnum hominem peccatum hunc mundum introyt, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors peruaſit, quatenus omnes peccauimus. Vbi quatuor admiſit errores. Primum, quia dixit: *Propter vnum hominem*, cum eſſet dicendum, Per vnum, ne aliter vertendo, Pelagianis fauere videretur: quia illa præpoſitio, *Propter*, ſignificat occaſionem, & non veram cauſam, quæ rem per ſe efficiat: & hæretici libenter admittunt, propter Adæ peccatum nos peccare, & mortem nobis dominari; cum tamẽ Præpoſitio Græca διὰ cum Genitiuo ſemper cauſam denotet, etiam in hoc ipſo capite non ſemel: vt, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; Per quem reconciliati ſumus; Per mortem Filij eius; Per vnius hominis delictum, Per inobedientiam vnius, & per obedientiam vnius, &c.* etſi negandum non ſit eam præpoſitionem cum Accuſandi caſu, propter, ſignare.

II.

Secundo vertit, Peccauimus; cũ Græca altera habeat ἥμαρτον, id eſt, Peccauerunt, in tertia perſona.

III.

Tertio, vertit, Mors peruaſit: quod verbum magis quadrat perſonali delicto, quam originali. Nam illud dæmone ſuadente perſuaſit, & carne intus impeliente committimus: at vero, Pertranſiit, magis propagationem & deriuationem denotat. Quod ponderarunt Origenes, & Auguſtinus, qui ſermone quarto de verbis Apoſtoli, iuxta finem: *Pertranſiit, verbum attendite, quod audiſtis, conſiderate, videte quid eſt, Pertranſiit. Pertranſiit, inde eſt & paruulus reus, peccatum nondum fecit, ſed traxit. Etenim illud peccatum, non in fonte manſit, ſed pertranſiit, non in illum, aut illum, ſed in omnes homines pertranſiit. Genuit peccatores morti obnoxios primus peccator, primus præuaricator.* Hæc ille.

Orig. loco dicto.
Aug. to. 10.

IV.

Quartus error fuit illud, *In quo omnes peccauerũt*, quod Græce dicitur ἐφ' ᾧ, & ipſe vertit, Quatenus, vel, Quandoquidem, vel, In eo quod: quæ expoſitio præterquam quod fauet Pelagio, eſt e iam contra omnes Patres: nã Irenæus, & Chryſoſtomus, & Ambroſius ſuper Lucã, quos citat Auguſtinus, libro quarto contra Iulianum, ita, intellexerunt, In quo, ſcilicet Adam, peccauerunt omnes. Origenes vero addidit, idcirco non meminiſſe prioris delicti ſeu ſeductæ Euæ, ſeu dæmonis ſeductoris, quia de illo peccato Adę loquitur, ex quo mors in omnes homines pertranſierat. Addit etiã quod ſicut Paulus Heb. 7. ait, Leui decimatum in lumbis Abrahæ, ita nos peccauimus in lumbis Adæ exiſtentes. Et Auguſtinus lib. 6. cap. 6. initio, ita Pelagianos vrget: *De illis quoque Apoſtolicis verbis, in quibus impudentia mirabili, imo dementia reſiſtitis fundatiſsima fidei, vbi ait: Per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundũ, &c. in quo omnes peccauerunt, fruſtra aliũ nouũ, atque diſtortum, & à vero abhorrentem moliris exculpere, affirmans ea locutione dictum eſſe, In quo omnes peccauerunt: ſicut dictum eſt, in quo corrigit iunior viam ſuam: & exponis, per imitationem corrigere.*

Irenæus.
Chryſoſt.
Ambroſ.
Auguſt. tom. 4.
Quare Paulus in genere tãtum Adæ peccatum nominauerit ſecũdum Orig.
Origen.
Gen. 3.
Idem Orig.
Ibidem.
Aug. to 7.
Pelagianorum impudentia mirabilis.

Theophylactus vero ibidẽ ait: *Quid autem eſt, In quo omnes peccauerunt? Hoc eſt, In Adam omnes peccauerunt. Cum enim ille idem cecidiſſet, etiam ij qui non ederunt de ligno iſto, facti ſunt ex illo mortales, mortiq́ ſubiugati. perinde ac ſi ipſi etiã impegiſſent, quandoquidem iſte impegerit.* Oecumenius quoq; eum locum explicans, ait: *Ne quis enim iniuſtitia Deum accuſet, quod cum Adam deliquerit; omnes moriamur, ſubiungit: in quo omnes peccauerunt: ac ſi diceret; Ipſe quidem principium dedit, & cauſam, quod omnes ad ipſius ſimilitudinem peccauerimus.*

Theophyl. hoc loco.
Oecum. ca. 7. in epi. ad Rom. prope init.

Porro verbum Græcum ἐφ' ᾧ varie verti poteſt: vel referendo ad peccatum, vel ad Adam, in quo ſcilicet Adam, vel cauſaliter, eo quod, vel in eo quod, vel quando quidem, vel quatenus, vel in quantum. Et prima expoſitio: In quo, ſcilicet peccato, tradita eſt ab Auguſtino epiſt. 89. ad Hilarium: ſed veritati congruere non poteſt, quia peccatum Græce eſt generis fœminini, idem rum, ἁμαρτία, at ἐφ' ᾧ maſculini generis eſt. Vnde Auguſtinus lib. 1. de peccat. mer. & remiſ. ca. 10. ſcribit: *In quo omnes peccauerunt. ſiue relatiuum referas ad peccatũ, ſiue ad hominem totum genus humanum peccaſſe in illo homine, & in illo peccato.* Idem tamen libro quarto contra Iulianum, reuocat ſententiã ſuam, & exponit, In quo referendum ad Adam.

I. Senſus parum idoneus.
Aug. to. 2.
Idem to. 7.
Idem ibid.

Deinde In quo, referri poteſt ad Adamum phraſi Hebræa, id eſt, Per quem, & conſurgit verus, & Catholicus ſenſus, & Patribus allegatis conſentaneus: neq; nouum eſt Græcis ponere ἐπὶ pro ἐν.

Alter ſenſus.

Tertio ſi quis dicat ſignificare, In eo quod, vel, Quandoquidem, etiamſi hoc Pelagiani libenter amplecterẽtur, poteſt nihilominus ſenſus erui Catholicus, in omnes intraſſe peccatum, & mortem, eo quod in Adam omnes peccauerunt.

III. ſenſus.

Si vero quarto legamus, In quantũ, vel, Quatenus, ſenſus eſſet, in oẽs mortem pertranſiiſſe, non quidem vt in Adam, qui quia peccauit propria volũtate, promeruit ſecundam mortẽ; ſed quatenus omnes peccauerunt voluntate interpretatiua in patre ſuo; ac per hoc mors prima, hoc eſt, priuatio donorum, gloriæ, & iuſtitiæ originalis, atq; immortalitatis, in vnumquemque Adę filium peruenit: non autem mors gehennæ ſecunda, quia non ſolũ Adæ peccatũ, ſed illius occaſione noſtris perſonalibus peccatis acquirimus, vt hoc loco aperte teſtatur Ambroſius. ¶ Etſi ergo text. Pauli oẽs has verſiones admittere valeat: inter omnes tamẽ

IV. ſenſus.
Ambr. to. 5.
Poſterior ille: In quo,

commo-

fcil. Adam, &c. cur max me probetur.

commodior, & mag s Catholica est, expli care. In quo, scilicet Adam.

I. Ratio.

Primo ob literam Græcam, quæ ad peccatum ipsam referri non valet, vt etiam dictum suum retractauerit Augustinus.

II.

Deinde ob præpositionem *In*: potius enim de homine dicitur, quam de peccato. Rectius enim loquimur, Peccato, quam, In peccato peccare. Contra vero Regnum peccat in Rege, vel Principe suo, qui nomine publico delinquit.

III.

Tertio, quia subiungit Adam formam esse futuri. Vt enim per Christum iustitiam, & gratiam recuperauimus, ita per Adam amisimus. Et alibi loquitur: *Sunt in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes viuificabuntur.*

1. Cor. 15.

IV.

Quarto, propter tot, & tātos Patres, & Concilia Generalia, quæ hunc loci intellectum nobis tradiderunt. Et ita est euacuatum secundum dubium.

Tertiæ sol. quæstion. Cur Paulus per vnum hominem, & non etiā per vnam mulierem peccatum dicat in hunc mūdū intrasse.

Tertium erat dubium, Quomodo ait, Per vnum hominem, & non, Per vnam fœminam, quæ etiam cooperata fuit peccato? Hieronymus certe in Commentariolis in Epistolas Pauli scribit: *Insaniunt qui dicunt, antequā deciperit diabolus Euam peccatum fuisse in mundo.*

Hiero to. 9

I. Sensus Pelagian', qui refellitur.

Sed certe Apostolus cum hominē primum secundo opponere contendat, nō congruebat Euam Christo comparari, à qua quamdiu vir non peccauit, nondum erat peccatum in mundum ingressum. Quare Augustinus recte hominem solum intellexit libro primo de peccatorum merit. & remiss. cap. 27

II sensus. Aug. to 7.

III. sensus. Orig & Ambr. hoc loco.

Origenes tamen & Ambrosius per vnum hominē intelligunt vtrumque parentem, quod magis congruere videtur, quia in Adam Eua intelligitur, ex cuius costa est fabricata; & vir, & mulier vna caro reputantur.

Gen. 2. Ibidem. Matth. 19.

Ad quartū dubium. Quænam mors per peccatum in mundū intraverit.

Quarto dubitatur, quænam esset hæc mors, quę per peccatum ingressa est in mūdum? Et cum triplex existat mortis species altera corporis, altera animi, quia anima quæ peccauerit ipsa morietur, altera vero æterna in gehenna.

Ezech. 18.

Triplex genus mortis.

Dicendum est, primam quidem hominis mortem hominem incurrisse per subtractionē doni Immortalitatis, & per priuationem eius ligni vitæ, qui vitā porrigebat in æternum: atq; hanc non statim vbi peccauit, incurrit, sed mansit subiectus mortalitati.

Genes. 3.

Illud: In quocunq; die comederis ex ligno, morte morieris, quid significet.

Nā quod dixit Dominus: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, recte Symmachus interpretatus est (cuius etiam interpretationem probat Hierony.) mortalis eris.

Supra 2. Symmach. Hier. lib.

Alteram vero mortem, quę consistit in priuatione gratiæ Dei, & donorum, statim ipso facto incidit. Tertiam vero gehennæ nemo solo Adæ delicto incurrit, nisi propria addat, & personalia delicta, in quæ quisque facile prolabi solet, nisi ab originali peccato liberetur quamprimum.

quæst. in Gen. circa 3. à med.

Ad quintū dubium.

In quem mundum dicatur peccatum intrasse.

Postremo dubio facile est satisfacere, intelligendo per mundum, non hunc corporeum, & sensibilem, qui propter defectum liberi arbitrii peccati capax esse non potest: sed intelligit omnes homines, siue vniuersos Adæ filios. Et hæc non est mea, sed Pauli interpretatio: qui postquam dixit: *Peccatum in hunc mundum intrauit*, protinus explicationis gratia subiecit: *Et ita in omnes homines mors pertransiuit, in quo omnes peccauerunt*: declarans omnes homines esse mundum, Sicut cap. 4. promissio Abrahæ facta aut semini eius, vt hæres esset mundi, explicauit illud Genesis: *In te benedicentur omnes cognationes terræ.* Estque hoc dictum per Metonymiam accipiendum, qua continens pro contento poni consueuit. Sic etiam dicitur apud Paulū: *Deus erat in Christo mundū reconcilians sibi*: & apud Ioannem: *Sic Deus dilexit mundum. &c.*

Rom. 4.

Gen. 12.

2. Cor. 5.

Christus & Maria hoc loco cur mundi appellatione non veniāt

Ex hoc autem mundo suo iure exceptus est Christus, qui non est per vim actiuā de semine Adæ; & B. Virgo sanctissima, quæ ex priuilegio idem donum habet.

Qua ratione peccatum, & mortem Paulus inducat.

Porro peccatum, & mors, etsi accidentia sint, imo priuationes: finguntur tamen ab Apostolo non sine venusta Prosopopœiæ figura, tanquam si essent personæ hostiles & contrariæ, quę nos aggrederentur, & nobiscum bellarent. Ita enim Oratores, & Poetæ interdum ratione docendi, aut vitia insectandi, res inanimatas, & sensu, ac substantia carentes alloquuntur, & illas quasi sensu, & substantia constantes fingunt: vt cum Poeta describit Famam tanquam rem, vel personam malam, tribuit illi mobilitatem, velocitatem, vires eundo acquirere, in auras se attollere, ingredi solo, & caput inter nubila condere: vt hic Paulus & morti tribuit introitū, transitum, regnum.

Virg lib 4. Aeneid. Famæ Virgiliana descriptio.

Et Poeta alius describens Inuidiam, quasi monstrū quoddam horrificum effinxit, cum ait:

Inuidia qualis Ouidio. Ouid lib. 2. Metamor. non procul à fine.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta acies: liuent rubigine dentes:
Pectora felle virent lingua est suffusa veneno.

Postremo subdit:

Carpitq;, & carpitur vna,
Suppliciumq; suum est.

Prosopopœiæ figura interdū in Script. adhibita.

Ita Propheta: *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero: inferne.* Et Apostolus: *Vbi est mors, victoria tua?* Simili loquendi ratione iustitiæ tribuitur ambulatio, & gressus: *Iustitia ante eū ambulabit, & ponet in via gressus suos.* Et Poeta de eadem iustitia:

Osea. 13. 1. Cor. 15. Ibidem. Psal. 84. Virgil 2. Georg. circa fin.

Extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.

Dicitur autem peccatum intrasse, propagatione, & generatione: non quod peccatū

posset

Quomodo peccatum in mundũ intrauerit.

possit carni hęrere quasi subiecto, cũ peccatum sit priuatio quædam spiritualis: sed dicitur propagatione diffundi, eo quod omnes qui propagatione seminãtur ex Adã, cēsentur illud peccatum in origine sua admisisse, & tanquam sub Dei pacto comprehensos fuisse, vt paullo post explicabitur.

Idem qua ratione in omnes transierit.

Dicitur præterea peccatum illud intrasse in mundum, & transiisse in omnes: non quidē quod peccatum Adę, qui actus quidē fuit, qui statim transiit, & esse desiit, in posteros descenderit; sed quia pertransit in macula, & reatu, & cæteris effectibus suis.

Si Deus Adam eduxit à delicto suo, vt ait Salomõ cur in oēs dicatur permãsisse? Sap.10.

Etsi obiicias, illius peccati reatum fuisse à Deo consummatum, ac remissum Adę, vt habes Sap.10. Breuiter respondeo, illũ reatum condonatum fuisse Adæ vt proprium & particulare eius, non autem vt commune erat generi humano. Et ita manent obligati posteri, quibus imputatur, etiamsi Adæ propter pœnitentiam non imputetur. Et peccatum intrauit, vt causa: mors, vt eius effectus, & eius appellatione veniunt vniuersa supplicia, & ærumnæ tum huius vitæ, tum futuræ. Et de hac Apostoli sententia hæc sint satis.

DISPVTATIO XL.

In illa Apostoli verba: *Vsque ad Legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non computabatur cum Lex non esset. Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri.*

I. Dubitatio.

VErsamur in hoc loco obscurissimo, ac difficillimo, tum ob rerum, de quibus agit, profunditatem, tum ob varias & diuersas Catholicorum Patrum sententias, quorum ingēnia in huius loci intelligentia desudasse videntur. In quo primum non satis innotescit quorsum ab Apostolo hæc
II. adferantur. Secundo, de quo præsertim peccato sit sermo præsens accipiendus, de originali, an de personali: & quicquid asse-
III. ramus, vndique sunt angustiæ. Tertio ambigitur, quidnam sit hęc Lex, de qua ait: Vsque ad Legem enim peccatum erat in mũ-
IV. do. Quarto, qui fieri poterat vt peccatum esset in mundo, & non imputaretur, cum Lex non esset? nam quando vnquam fuit mundus sine Lege Naturæ, quæ, vt Capite secundo dixit, testatur vnicuique de malefactis, & de benefactis, per quæ in die iudicii iudicandi sumus. Quinto, quale fuit illud regnũ mortis, quod habuit in eos, qui non peccauerunt vsque ad Mosen, cum etiam modo inter Christianos mors corporis regnet? Hęc certe non tã Thesei filo egent vt explicentur, quã Dei spiritu, & lumine, quo hæc ipsa ab Apostolo conscripta sunt. Quinta.

Soluitur quæstio I.

De Pauli scopo.

Aug. to.7.

Primum igitur facile dissoluitur. Peccati enim vim, & regnum per exaggerationem inducit, vt opulentia, & Diuinę gratiæ magnificentia magis splendescat; & vt ostēdat plus esse per Christum nobis restitutum, quam per Adam fuerat amissum. Particula illa *Enim*, vel causalis est secundum Augustinum libro primo de peccat. merit. & remiss. cap. 10. & ostendit quomodo omnes peccauerunt in Adam, etiam ante Legem latam, sine qua peccatum nec concipi quidem potest, nedum esse. Alii vero, solutionem esse tacitæ obiectionis per particulam illam designatam docent. Poterat enim aliquis obiicere, quomodo peccatũ esset ingressum in mundum eo tempore quo Lex non erat: & respondet, peccatum fuisse in mundo etiam ante Legem latam. Et probat ab effectu mortis: siquidem mors in omnes regnauit. Vbi autem mors ponitur, necessario præcessit peccatum: nam vt superius dixit: *Peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors.* Et hæc de primo.

Ad II. quæstionem.

Quænam illud peccatum quod ante legem erat in mũdo, & non imputabatur.

Ambr. hoc loco. Orig. ibid. Gen.31. 2.Cor.7.

Primus modus nõ imputandi, secundũ Ambr. Infra 39. Infra 40. Exod.2.

Circa secundum, Ambrosius, & Origenes de actuali delicto hęc verba intelligenda tradunt. Verba Ambrosii hæc sunt: *In Adam dicit peccasse, sicut supra memoraui, & vsque ad Legem datam non imputatum esse peccatum. Putabant enim se homines apud Deum impune peccare, sed non apud homines. Nec enim Lex naturalis in totum obtorpuerat, quia non ignorabãt, quia quod pati nolebãt, aliis facere non debebant. Nam vsque adeo non ignotum fuit peccatum inter homines, vt Iacob cum idola sua apud illum quæreret socer eius Laban, in quo inuentum fuisset furtum, morte dignum iudicaret: & Ioseph quamuis per calumniam, tamen quasi reus clausus in carcere est, & pistor, & pincerna Pharaonis ob delictum similiter passi sunt, & Moyses occiso Ægyptio atterritus Lege est. Quomodo ergo non imputabatur peccatum, cum Lex non esset, aut quomodo vindicabatur, nisi Lex sciretur? Lex naturalis semper est, nec ignorabatur aliquando. Sed putabatur ad tempus tantum autoritatem habere, non & apud Deum reos facere. Ignorabatur enim quia iudicaturus est Deus genus humanum, ac per hoc non imputabatur peccatum, quasi peccatum non esset apud Deum; incuriosum Deum asserentes. Vbi autem Lex data est per Mosen manifestatum est curare Deum res humanas, & non impune iis futurum, qui male facientes, quacunque ex causa in præsenti euadunt.* Hactenus ille, quem alii se-

quuntur, aſſerentes, vt eius dicta defendãt, peccata non putari ab hominibus, quia nõ agnoſcebantur eſſe peccata coram Deo, vt ea puniret: licet tatò aliquando ea vindicaret: vt in Sodomis, & in Ægypto fecit. Et videntur notari quidam, quorum Ariſtoteles lib. 5. Eth. mentionem fecit; qui dicebant, nihil eſſe iuſtum: vel iniuſtum natura ſua, ſed ſolum delinqui in Leges humanas.

Gen. 19. Exod. 7. Ariſt to. 3.

Alter modus.

Vel ob id dicitur: Peccatum non imputabatur ab hominibus, eo quod legitimam peccati rationem non attingeret, quæ in auerſione à Dei regula, & voluntate conſiſtit, iuxta illud: *Peccatum non cognoui, niſi per Legem*: idcirco homines non omnia peccata puniebant.

Rom. 7.

Refellitur hic ſenſus triplici ratione. I. Ratio.

Sed in hunc ſenſum faciũt multa magni momenti. Primum eſt, quia Lex Naturæ ſemper agnouit illa eſſe peccata, & Legislatores ea prohibebant, & magiſtratus de iis pœnas ſumebant.

II.

Secundo, quia videtur ſermo eſſe de illo peccato, de quo maxime ante dixit quod intrauit in mundum, & hic ait: *Peccatum erat in mundo*: at hoc originale erat, non perſonale.

III.

Tertio, quia non ſatis eſt dicere, quod etſi à Deo imputaretur, qui puniuit Sodomam, & Onam, qui ſemen fundebat in terram, & Ægyptios, non tamen ab inſipientibus imputabatur.

Gen. 38.

Et vt ſupra dictum eſt: *Qui ſine Lege peccauerunt, ſine Lege peribunt*. Hoc inquam dicere, non valet: tum quia poſt Legem, & modo etiam ab inſipientibus peccatum non imputatur: tum quia ob quoſdam, eoſque inſipientes, non dixiſſet Apoſtolus peccatum non imputari: tum quia, vt conſtat ex Gentium hiſtoriis, homines peccata imputare ſolebãt, & iuſtis pœnis afficere. Lex enim Naturæ dictat: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Imputabatur ergo non tantum à Deo, ſed etiam ab hominibus. Tum denique quia ſubdit: *Peccatum non imputabatur, cum Lex nõ eſſet*. Siue, vt Græca habent: *Peccatum non imputatur, cum Lex non eſt*; vt ſcilicet indicet rei conuenientiam, quæ id poſcit, vt peccatum Lege minime exiſtente, quæ prohibeat, non imputetur.

Rom. 2.

Tob. 4.

Alter ſenſus propri' huius loci.

Verior igitur, & plenior ſentẽtia eſt ſermonem hic eſſe de peccato originali, vt Chryſoſtomus hoc loco, & Auguſtinus interpretantur. Deinde quia peccatum illud dicitur ἁμαρτία, quæ eſt peccatũ originale, vel eſt ipſe concupiſcentiæ fomes, in quo viguit, & viget peccatum illud: & hoc eſt illud quod à nobis ignoratum non imputabatur: de quo Capite 7. ait: *Peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*; &, *Concupiſcentiam neſciebam, niſi Lex diceret: Non concupiſces*.

Chry ſer. 10. Aug. li. 1. de pecc. merit. & remiſſ. ca. 10. to. 7. Rom. 7. Ibidem. Exod. 20. Deut. 5.

Ad tertiam quæſt. Quænã ſit hæc Lex, ante quam peccatum erat in mundo.

Circa tertium dubium, Origenis ſentẽtia eſt, nomine Legis Legem Naturæ venire, & ita in ſingulis hominibus veritatem habet, quod peccatum ſit in mundo vſque ad legem, id eſt, vſque ad vſum rationis: tũ antea peccatum quidẽ erat, ſed veluti mortuum, vt etiam cap. 7. ait: *Sine Lege peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam ſine Lege aliquando*. Sed cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit. Et ideo hoc loco aſſerit non imputari, eo quod ad vſum rationis homo nondum peruenerit; ac proinde extra culpam eſſe, etiam ſi opera vitioſa habeat, quæ à libero arbitrio nondum proficiſcuntur.

I. Senſus. Origenes hoc. loco.

Triplíciter impugnatur hic ſenſus.

Verum contra hũc ſenſum quædam occurrunt. Primum, quia pueri infantes non habent, nec habere poſſunt opera vitioſa. Deinde quia peccatum dicitur eſſe in mundo, id eſt, in omnibus hominibus, & non tantum in pueris, qui vſu rationis carent. Tertio obſtat, quia Lex pro Lege Naturæ non ſolet capi in iſtis Pauli diſputationibus, ſed abſolute pro Lege Moyſis.

Secundus ſenſus parũ idoneus.

Altera ſententia eſt, per Legem intelligi Euangelium Chriſti, qui peccatum hoc ſolus ſuſtulit, & ad eum vſq; duraſſe videtur.

Sed dura eſt hęc expoſitio, cum in Paulo Lex ſignificet Moſaicam, quæ opponitur gratiæ, & Euangelio: ita vt Ioannes dixerit, *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Deinde ipſe Paulus videtur interpretari ſeipſum. Vbi enim dixiſſet: *Vſque ad Legem enim peccatum erat in mundo*, protinus ſubiunxit: *ſed regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen*. Vbi loco Legis poſuit Moyſen, & accipere ſolet eo nomine Legẽ Moſaicam. Et hoc eſt quod Auguſtinus, & Ambroſius dictis locis interpretantur Legem pro Lege Moyſis, incluſa etiam Naturæ Lege, quia neutra potuit peccatum abolere originale, ita vt regnum cœlorum iuſtis pateret: quod nonniſi Chriſtus ſolus præſtare potuit.

Ioan 1.

Auguſtin. Ambroſius.

Tertius ſenſus verus atque legitimus.

Deſcribit igitur Apoſtolus peccati illius originalis naturam, & ingeniũ ſub Lege Naturę: non quod poſtea non fuerit, ſed ne aliquis putaret ante Legem Moſis non extitiſſe, cum Lex non eſſet: quia vbi non eſt Lex, nec pręuaricatio. Et inferius hoc Capite de Lege ſcripta ſubiungit: *Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum*. Senſus ergo eſt: Peccatum hoc quod dixi intraſſe in mundum, & quod vſq; ad Legem erat in mundo, non tamen illud cuiquam imputabatur.

Rom. 4.

A quo non imputaretur peccatũ hoc, ſc. originale.

Sed iam quæſtio eſt, à quo non imputaretur. Reſpondeo, à Deo, qui ſolus eſt, in quẽ admittitur peccatum. & de quo ſcriptum eſt: *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum*; & alibi: *Deus erat in Chriſto mundum*

Pſal. 31. Rom. 4.

recon-

2. Cor. 5.

reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorū. ¶ Si obiicias quomodo non imputaret ad pœnam peccatū originale Deus, cum semper sub eo natos pro filiis iræ habuerit, & pœnis ac morte ipsos punierit? Dicendum est, ad nouum reatum mortis secundæ Deū non imputauisse, bene tamen ad effectum primæ mortis, hoc est, ad donorum illorum, iustitiæ originalis, gratiæ Dei, & immortalitatis priuationem. Homines præterea illud non agnoscentes, ad pœnam vllam non imputabant, quia tenuissima erat, & rarissima originalis labis notitia, nec nisi per Dei reuelationem agnosci poterat vitiosam esse, & contra Legem, cum hominis cuiusq; naturæ insita esset illa interna concupiscentia, quanquam aliquid indecori, & turpis illi naturæ inesse deprehēderetur: & ob id nō imputabatur, quia vbi nō est Lex, nec præuaricatio. At vbi venit Lex, quæ illud peccatum declarauit esse rem malam, & contra Deum, qui dixit in Decalogo: Non concupisces: remediumq; contra illud obtulit, prædicans Messiam, & fidem in eum, & medicamētum circumcisionis, ne simus amplius sub illo: & suppliciis etiam ab illius deterrens fructu, quod Lex Naturæ peccatis obnubilata præstare non potuit, ad nouū peccatum personale cœpit imputari, & ad mortem secundam.

Si non imputabatur illud peccatum, quomodo homines constituebat Dei inimicos, diuinæque vltionis reos. Ephes. 2. Qualis olim ante Legem fuerit originalis culpæ cognitio. Rom. 4. Exod. 20. Deut. 5. Rom 7. Genes. 17. Leuit. 12. Eadem quomodo deleretur.

Quod si rursus obiicias, nonnullos in illo Naturæ lapsæ statu extitisse, vt Abel, Seth, Henos, Noe, Henoch, Abrahā, Iob, & Melchisedec, quibus peccatum illud omnino non fuit ignotū, nec occultus concupiscētiæ fomes: Respondemus, illos non id accepisse à Legis naturalis virtute, sed à Deo, quia spectabant ad Christum, & Nouum Testamentum. Vt enim in noua lege quidam suo vitio inueniuntur Iudæi, & aliqui etiam Pagani: & sub Mose fuerunt Euangelici, & Pagani quidam: ita & in statu naturæ lapsæ fuerunt quidam Euangelici viri, & quidam Iudæi pro metu Dei iuminc, & eorum virtute.

Quibus idem peccatum ante Legem innotuerit, & quatenus.

Quoniam vero opponi poterat etiam eo tempore imputatum fuisse peccatum, quia moriebantur etiam paruuli, nedum ætate grandiores; merito eum aduersatiua particula subiungit: *Sed regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen etiam in eos qui non peccauerunt.* Et sensus est: Dixi non imputari peccatum; ita tamen, vt ad mortem eo quoque tempore imputaretur. Et appellatione mortis non tantum mors corporis venit, quæ etiam sub Mose, & sub Christo manet: imo magis hoc tempore, quanto vita nostra breuior est vita illorū: nisi forte fiat vis in verbu regnādi, eo quod eo tempore, sicut etiam sub Mose, non patebat aditus, nec ingressus in regnum cœlorum: sed sermo est de spiritus morte, id est gratia Dei, & gloria, & aliis donis, quibus priuari inuenimur, & cui morti Paulus in fine capitis opponit iustitiam, dicens; *Vt sicut regnauit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per iustitiam* (id est per exercitium operum iustorum, in quibus viuimus) *in vitam æternam.* Alii vero declarant, esse sermonem Pauli interpretandum de morte spirituali, hoc est de peccatis, & delictis, quæ sunt mors ipsa: idcirco eum regnare diceretur, eo quod homines non reputantes peccatum esse Diuinam offensam, licenter, & perfricta fronte in vitia se præcipitarent. Verum secundum hanc expositionem idem esset peccatum quod mors & non esset diuersum pronunciatū hoc ab illo, quod proxime dixerat de peccato quod erat in mundo: quod videtur vehementer absurdum, etiamsi in regno mortis necessario includeretur multo magis regnare peccatum, quod extitit causa mortis ipsius. Intellige ergo de morte corporali, & priuatione donorum, quę vniuerso orbi tyrannice dominabatur, omnes sua falce demetens, præter paucos, vt Henoch, & Heliam. Et intellige etiā de priuatione illorum donorum Dei, quæ mors prima vocatur.

Quintæ solutio quæstionis Quę etiam illa mors quæ regnauit etiā in eos qui nō peccauerunt. Primus sensus. Rom 5. Alter sensus. Quare nō probetur. Tertius sensus. Gen 5. Apoc. 2.

Porro mors regnare dicitur ab Adam vsque ad Moysen, absq; vlla contradictione, & resistentia, quoniam mundus destitutus erat communi, cognitione illius. Nam sub Mose data lege cœpit agnosci, & per datā circumcisionem expelli: & præcepto illo, Non concupisces, eius regnum imminutū est. Quod vero etiam sub Moyse, & sub Christo regnauerit, id euenit hominum vitio, qui noluerunt, & adhuc etiam nolunt dona Dei agnoscere, & medicamenta contra illud instituta assumere. Et isti pertinent ad statum eorum, qui viuebant in statu naturæ lapsæ: vt ii, qui inter illos fide Messiæ pollebant, spectabant ad Nouum Testamentum.

Mors quomodo regnare dicatur ab Adam vsq; ad Mosen. Leuit. 12. Exod. 20. Eadem etiā sub Mose, cur regnauerit.

Si iterum obiicias, nunc etiā mortem regnare sub Christo. Dicendum est, mortem non tam esse peccati illius pœnam, quam relictam à Deo nobis ad Christi imitationem, & virtutis exercitiū, & amplioris meriti acquisitionē ad celsiorem coronā. Deinde ablatus est iam mortis timor, & flagellum quod vehementer cruciabat, & affligebat, ex eo quod Christus mortuus illam debellauit. Ita enim habes ad Hebr. 2. Vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant seruituti. ¶ Et ita hinc habes,

Cur etiam sub Christo nunc regnet. Hebr. 2.

derelictũ fuisse mũdũ sine doctrina manifesta peccati original. in statu naturę lapsę, ne fieret imputabile: indicatũ vero p legẽ Moysi eius remediũ, & dari cœptũ; at per Euang. nobis perfectum propinatũ est, & exhibitũ.

Peccatum originale in lege Naturæ quomodo tolleretur.

Porro recte velim intelligas quod dico de statu naturę lapsæ, in qua non legitur aliquod remedium à Deo institutum, quod ex opere operato ad peccati expulsionem cõferre: non tamen deerat commune remedium operis operãtis, quo pro eorum filiis oblationem, vel sacrificium aliquod offerebant. Nam etsi circumcisio Abrahæ fuisset collata; non tamen pro aliis, sed pro illis tantum, qui orituri erant ex semine suo, & familia: neque alios cogendi vim habebat circumcisio, sicut habet baptismus.

Genes. 17. Ioan. 7.

Sequitur: *Etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Quę verba periphrasi sunt infantum: qui etsi personaliter per seipsos non peccauerint propria voluntate, quemadmodum Adam peccauit; peccarunt tamen in Adam tanquam in lumbis eius existentes & aliena parentis voluntate. Ne enim quis diceret, peccata personalia esse mortis causam; hæc addidit verba, vt ostendat, non solum actuale peccatum cuiusque mortem sibi accersere, sed etiam solum originale: vt claret in pueris, qui nullum personale peccatũ admiserunt. Ambrosius in hunc locum non legit illam negationem, *non*, & asserit illam in Latinis codicibus minime reperiri, qui tamen ex Græcis conuersi sunt: & ad id confirmandum producit Tertull. Victorinum, & Cypria. & contendit sic esse legendum: Etiã in eos qui peccauerunt. Origen. etiam in hunc locum affirmatiue legit, sicut Ambr. etiãsi negationem in nonnullis codicib. inueniri agnoscat. At August. epist. 89. ad Hilarium, duplicem lectionem huius loci recenset; & neutram reiiciens, propẽdet tamen potius in nostram, affirmãs facilius esse corrumpi Græca, quam Latina exemplaria. Et idem docens li. 1. De peccato. mer. & remiss. c. 11. scribit: *Scio quidem plerosque Latinos codices sic habere: Græcos autem codices, vnde in Latinam linguam interpretatio facta est, aut omnes, aut pæne oẽs, id quod à me primo positum est, habent.* Hæc ille. Est autem Orig. hęc interpretatio: *Mors etsi in omnes pertransiuit, etiam iustos, quos leuiter attigit; regnare tamen non in vniuersos sed in illos qui sicut Adam præuaricantes, tota mente se peccato subiecerũt. Vnde Paulus infra ait: Nõ ergo regnet peccatũ in vestrõ mortali corpore, vt obediatis concupiscẽtiis eius.* Amb. aũt explanatio hęc est; mortẽ in eos duntaxat regnare, qui neglecto creatore seruierũt creaturę, deos sibi constituerunt quos colerẽt, ad iniuriam

Illud: Etiã in eos qui non peccauerunt, affirmatiue, an negatiue legendũ sit.
Ambr. to. 2.
Tertull. Victorin. Cyprian. Origen.
Aug. to. 2.
Idem to. 7.
I. Sensus illius sententiæ: etiã in eos qui non peccauerunt, &c.
Rom. 6.
Alter sensus.
Rom. 5.

Dei. Nã & Thare pater Abrahę, & Nachor, & Laban proprios deos sibi vendicabant.

Gen. 11. Ibid. 27.

Sed hæc eorũ lectio, & interpretatio cõstare non põt: Lectio quidem, quia ponitur peccatũ per imitationem, & nõ per propagationẽ, quod est Pelagianũ. Deinde male apponeretur illa particula: *Etiam in eos qui peccauerunt*: quia cum præcesserit, mortem ab Adam regnasse vsq; ad Moysen, satis erat dicere, In eos qui peccauerunt, & nõ dicere, etiam in eos, &c. Adhęc, quia etiã modo regnat mors in eos, qui sic præuaricati sunt. Postremo, quia dubitari nõ poterat, mortẽ in tales regnasse, at dubiũ erat, vtrum in eos qui non peccauerunt regnauerit, vt Adam. Interpretatio etiam illa destruitur. Primũ, quia si de mortis regno distinguere voluit, ita vt non in vniuersos, sed in quosdã tantũ dominium obtineret, non melius dixisset, quã scribendo, in prædestinatos nõ regnasse: quorũ mors quia transitus est in vitam æternam, dormitioni, & somno in Scripturis assimilatur: regnat aũt in reprobos, qui nec soli sunt idololatræ, nec quidẽ oẽs idololatræ, cũ multi ex illis ab idololatriæ flagitio resipuerint. Deinde non oẽs illi qui damnãtur, nec soli delinquũt in similitudinem Adę: nec eius peccatũ (vt Amb. insinuat) proprie idololatria fuit, sed gula, & superbia; nec ita fuit obstinatus, quia statim pœnitẽtiam egit, ob idq; non regnauit in eo peccatũ, vt obediret eius concupiscentiis, vt monet Paulus: neq; regnauit in eo, vt fuerit Adam damnatus. Inter eos qui similiter peccauerunt, multi inueniri possunt, in quibus aliter regnauit mors quam in ipso Adamo.

Lectio illa: etiam in eos qui peccauerunt tripliciter impugnatur.
Refellitur eiusdem intelligentia duplici ratione.
Psal. 115.
Ambros. ibidem.
Quale fuerit proprie Adæ delictum.

Est ergo legitimus sensus, negatione posita iste. Nam ne de infantiũ morte, in quib. nullũ apparuit personale peccatum argum. sumeretur, q mors ius regnandi nõ acquisiuisset; ait, q illos quoq; mors depascet ppter peccatũ originis, etiamsi nulla lege instar Adę, propriæ voluntatis arbitrio transgrediantur, eo quod oẽs in Adam peccauerũt. Ita vt infantes hoc loco dicãtur in Adã peccasse, & iidẽ non peccasse propria videlicet voluntate, & proprio actu: peccauerũt vero Adæ proprio actu, & voluntate. Estq; hic sensus adeo verus, & germanus, vt etiã illi, qui negationẽ expungũt, ad eundẽ sensum redire cogãtur. Nam Aug. *Scio*, inquit, *plerosq; Latinos codices sic habere: Regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen in eos qui peccauerunt in similitudinẽ præuaricationis Adæ: quod & ipsũ qui ita legunt, ad eundẽ referũt intellectũ, vt in similitudinẽ præuaricationis Adæ peccasse accipiãt, qui in illo peccauerũt, vt ei similes crearentur, sicut ex homine hoẽs, ita ex peccatore peccatores, ex morituro morituri, dãnatoq; damnati.* Sic Aug.

Tertius sensus verus ac solidus.
Psal. 48.
Quã probabilis ille sit.
Aug. li. 1. de pecca. me. & remiss. ca. 11. circa med.

Sequitur

Illud: Qui est forma futuri, dupliciter intelligitur.

Sequitur in textu: *Qui est forma futuri*: Adam enim gerebat typum rei futuræ, id est, peccati, & mortis in omnibus eius posteris: ita vt in illo figurati sint posteri, qui in illo peccasse censentur: vt explicat Augustinus. Sed Origenes. & Ambrosius melius referre videntur ad Christum. Adam enim, typus, siue forma fuit futuri nouissimi Adę, de quo Paulus dixit: *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis*. Et ait, futuri: non respectu Pauli scribētis, quia iam venerat, vel prætererat Christ⁹; sed respectu Adæ primi hominis. Nam ita ad Coloss. 2. dixit Apostolus de die festo, aut neomenia, aut Sabbatis, quæ sunt vmbra futurorum; quæ tamen futura tempore Pauli iam erant præsentia.

Aug. ep. 89. paulo à med. *Orig. Amb.* *1. Cor. 15.* *Genes. 2.* Verbum futuri, quomodo accipiendum sit. *Coloss. 2.* Adam fuit forma & figura Christi quadrupliciter.

Fuit autem Adam typus Christi. Nam vt primus Adam de terra sine patre Diuino munere est plasmatus, ita de virginea terra per Spiritum sanctum obumbrātem Christus cœlestis. Et vt ille caput vitæ animalis, & rationalis extitit; ita hic fons vitæ cœlestis, & spiritualis. Primus Adam factus est in animam viuētem: secundus in Spiritum viuificantem. Vt ibi vxor ex latere Adæ dormientis formata est in officium prolis propagandæ: ita & de Christi dormientis in cruce latere prodiit Sponsa Ecclesia per aquæ, & sanguinis Sacramenta prolem spiritualem progeneratura. Et vt ille de ligno vetito gustando, nos omnes ante natiuitatem immerentes peremit: ita & Christus gustans ex Patris obediētia de amaro Crucis ligno, antequam nasceremur, ex se nos omnes viuificauit. Denique sicut per vitiatam illius seminationem latēte culpa nascimur filii iræ: ita per sacram Christi ablutionem, occulta gratia renascimur filii Dei. Et hæc sint satis de præsenti loco.

Gen. 2. *Luc. 1.* *Genes. 2.* *1. Cor. 15.* *Genes. 2.* *Ioan. 19.* *Infra 3.* *Philip. 2.* *Ephes. 3.*

DISPVTATIO XLI.

In illa verba: *Sed non sicut delictum, ita donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in pluries abundauit, Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum: nam iudicium quidem ex vno, in condemnationem, gratia autem ex multis delictis, in iustificationem, &c.*

I. Dubitatio.

CIrca Proposita verba emergunt graues, & difficiles quæstiones, & prima est: quo his verbis tendat Apostolus, & quomodo hæc cum pręcedentibus connectantur: nam hæc in Apostolo vt vidimus, non parua esse solet dubitatio in rerum, seu verborum consequentia. Deinde quæstio est. Quomodo Christi donum vincat delictum Adæ per hoc quod in plures abundauerit; cum tamen Adę peccatum in vniuersos homines propagatum sit, vt ipsemet Paulus superius dixit. Tertia quæstio est, Quid sit, iudicium quidem esse ex vno, in condemnationem; gratiam autem ex multis delictis, in iustificationem: nam Adæ delictum ad perfectam condemnationem non satis est, nisi etiam personalia delicta sese cum illo adiungant: non igitur videtur qua ratione donum in hac parte excellat delictum.

II.

III.

Solutio I. quæstion. De Pauli proposito, verborūq; ordine.

Quod ad primum attinet, collatio quædam in his verbis fit inter res longe dissimiles: nam Adam primus cum secundo componitur, peccatum cum merito, siue iustitia; mors cum vita. Est enim similitudo in causis, quia vterque Adam fuit velut origo, & fons. Deinde est repugnantia in effectibus: nam alter humanæ culpæ, ac proinde condemnationis, & mortis autor extitit, alter vero gratiæ, iustificationis, & vitæ. Sed in modo profusionis culpę, & gratiæ, inuenitur longissimus excessus. Cum igitur dixisset, Adam esse typum, & exemplar Christi, & non per omnia inter se conuenirent; disparitatem subiungit, & illa in quibus nō conueniunt. Et in primis constituit exuberantiam gratiæ ad expurgandum originale delictum, & personalia peccata diluenda, quæ legis occasione succreuerāt. Proponit autē lucidioris expositionis gratia, quatuor comparationes. In duabus quidem prioribus ostendit in quibus non conueniant delictum Adæ, & meritum Christi in seipsis. Deinde comparat illa & in merito suo, & in facto ipso, quid sint operata in hominibus. In duabus posterioribus simili ratione illa inter se cōfert, tam in merito ipsorum, quā in effectibus. Nam vt eleganter quidam annotauit, volens Apostolus ducis cuiusdam cum altero bellantis, ac illi præualentis vires, & robur iudicare, prius alterius antagonistæ, cū quo pugnat, militaris artis cognitionem, stratagemata, victorias, & strages, quas fecit, commendat, vt hac ratione ducis prioris præstantia, & excellentia enitescat; qui tantum, ac talem superare potuit. Ad eum prope modum Apostolus Adæ demeritum, & vim eius ad nocendum toti orbi, multa oratione exaggerat, vt inde illustrior Christi gloria, & maior potentia destruentis, & vincentis Adæ peccatum elucescat. Ait igitur de prima collatione, in qua non

Qualis videri possit Adæ demeriti cum merito Christi, Apostoli comparatio.

Huius sententiæ: Sed non ficut delictum ita & donū. I. Sensus.

conueniunt: *Sed non ficut delictum, ita & donum*. Hoc est: Non eodem modo donum est causa vitæ, quomodo delictum est causa mortis. Vbi primum obserua, non opponi delictum Adæ, dono inhærenti, quod homines habent per Christum: nam in hac explicatione habet rationem causæ, non effectus. Opponitur ergo delictum Adæ vt causa est, gratiæ Christi, vel dono, quatenus etiam causa est. Et in eo primum innuitur similitudo inter has duas causas: quod prima inuexit in genus humanum reatum vnius mali simplicis, & supplicii, nempe mortis: at gratia Christi conciliauit generi humano copiosam, & exuberantem apud Deum gratiam, & copiosa dona contulit ideo efficacior, & potentior fuit gratia Christi, quam delictum Adæ.

Delictum hoc loco quid.

Vocat autē delictum παράπτωμα, id est, offensam, ex qua emanat ἁμαρτία id est, reatus ille, & corruptio in omnium hominum naturainhærens. Huic opponitur χάρισμα seu δώρημα. id est, Christi obedientia Patri oblata. Obserua etiam, quod illud delictum & donum, si respiciamus ad præcedentia, quæ est forma futuri, posset per metonymiam accipi denominaos pro denominato, hoc modo, sed non sicut delinquens ita donator.

Philip.2.

Alter sensus.

Deinde obserua, quod Apostolus inter gratiam, & donum distinguit, cum ait: Multo magis gratia Dei, & donum, in gratia, sicut per gratiam vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit; & iterum, Multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, &c. Est autem hic altera gratia Dei, altera Christi, quæ constituitur causa gratiæ Dei, quia ait: Gratia Dei, & donum in gratia, vel per gratiam vnius hominis Iesu Christi. Est igitur Dei gratia, gratuitus Dei fauor acceptātis hominem propter Christum: id est, gratuita peccati remissio, & reconciliatio: Donū autem Dei, vel Christi, gratia est Spiritus sancti, per quem mens hominis copiose Diuinis donis perfruitur, quæ ad vitam recte instituēdam pertineot. Ita vt reconciliatio cum Deo, & diuini Spiritus donum nobis non deutur nisi per Christum, siue per Christi gratiam, id est, gratuitam eius vsq; ad mortem Crucis obedientiam, quam Patri pro nobis præstitit: sicut Adæ delictum fuit inobedientia, vt Ipse Paulus inferius explicat. Nonautem ita quadrat, vt effectus inobedientiæ Adæ cum effectu obedientiæ Christi conferatur, hoc est delictum originale cum dono gratiæ, quæ nobis datur, quæ effectus est iustitiæ Christi, sicut peccatum, inobedientiæ Adæ.

Quid gratia Dei, & donum inter se differant.

Philip.2.

Gen.3.

Est igitur tertio sensus: Si vnius hominis culpa multos potuit perdere, & morti damnare; multo magis gratia Dei, & donum in Christi gratia mediatoris in plures exuberare ad vitam poterit.

Tertius sensus.

Quarto obserua, Origenem, & Ambrosium meditatos fuisse excellentiam gratiæ Dei in hac collatione in plures sopita delictū Adæ, explicantes quod mortis regnum non potuit in omnes, sed tantum in idololatras, & obstinatos reprobos, quos solum arbitrantur in similitudinem Adæ peccasse: gratia vero in plures protenditur, qui etiam non eo modo quo Adam, deliquerunt. Sed hæc expositio superius fuit in fundamentis suis eneruata, & certum est quod mors regnauit in vniuersos, qui in Adam peccauerunt; atq; idcirco non sunt plures, qui Christi gratiam receperunt, sed pauciores. Nisi forte quis extet, dere velit Christi meritum ad Angelos, quorum tamen redemptor per sanguinem non fuit, etsi admitti possit, fuisse eorum mediatorem per incarnationis meritum. Ad quod fortassis potuit alludere, si in textu Pauli plures legamus; vel nisi forte asseras, plures esse per Christum saluos, quam illi, qui per Adam fuerint damnati, intelligendo eos, qui præcise pereunt ob solum Adæ peccatum: quia solum paruuli qui præcise damnantur propter Adam, pauciores sint, quam vniuersi qui per Christum saluantur. Fomes enim, qui ex peccato Adę oritur, etsi sit causa peccandi, non tamen necessario exigitur ad peccandum. Nam diabolus, & Adam sine fomite peccauerunt; & infiniti, qui fomite non carent, saluantur. Græca tamen lectio habet, εἰς τοὺς πολλοὺς, id est, in multos, siue in multitudinem illam, de qua superius dicitur. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, qui Græce οἱ πολλοὶ Ita etiam Augustinus legit. Et est sensus, quod sicut illud delictum multis, id est, omnibus nocuit; multo magis, id est, facilius, & efficacius, & copiosius gratia Christi illis multis, vel multitudini ex se prodetit. Comparatur namque ingenium, & vigor delicti, cum natura, & ingenio gratiæ in seipsis, non autem in effectis.

Quartus sensus. *Orig. & Ambros. hoc loco.*

Quid habeat incommodi.

Quomodo gratia Christi etiam in Angelos abundauerit.

Vnde manifestum sit, fomitē non semper peccati causam existere.

Aug li.1. de pecca me. & rem. ca. 11 prope fin. tom.7.

Ait ergo: Multo magis, id est, fortiori ratione. Et quare, dices, fortiori ratione? Respondeo, propter multa. Primum quidem, quia donum est in vnione hypostatica, quæ à Deo est actiue, ac per hoc infiniti est meriti: peccatū vero ab homine est, imo à defectu nostro: quia secundum Dionysium de Diuinis nominibus, Peccatum nō habet causam efficientem, sed deficientem. Est enim delictum, priuatio, sine pura ne-

Ad 2. dub. Quare Christi donū, quā delictum Adæ, in plures abundauerit. I. Ratio. *B. Dion. ca.4. par.3. circa fin.* Peccatum vnde.

gatio

gatio, & non ens: at gratia Christi habitus est, affirmatio, & ens nobilissimum; idcirco valida est, & efficax. Meritum namq; Christi ex parte personæ offerentis, & rei oblatæ, id est, sui ipsius, infinitum fuit; ex parte vero gratiæ quæ talis fuit, vt maior dari, vel creari non posset: quod attinet ad rationem vniuersalis gratiæ (non enim dedit illi Deus Spiritum ad mensuram) suam quoque habuit infinitatem.

Ioan 3.

Si igitur delictum inualidum, & inefficax perdere potuit; quomodo gratia Christi solidissima, & potentissima seruare nos non poterit?

Secunda ratio. *Gen. 3.*

Deinde delictum fuit in vna Adæ transgressione, & inobedientia, quæ in ligni vetiti esu accidit: at meritum Christi ex pluribus, & præstantissimis actionibus, & gloriosis passionibus; & experimento obedientiæ vsque ad mortem crucis comparatum fuit.

Philip. 2. Tertia.

Tertio, peccatum, vnum malum tantum intulit, mortem scilicet temporalem: gratia vero Christi reconciliationem, & vitam æternam, & multo maiora bona, quam fuerant illata mala, attulit.

Quarta.

Quarto, delictum semel tantum influxit in homines per illam in ligno vetito inobedientiam (non enim aliis suis delictis, si quæ habuit, nobis obfuit) gratia vero semper influit in homines ad omnes nostras operationes. Et illud influit vno modo, id est origine, & propagatione, & in vnum tantum peccatū: at gratia multis modis, & per tot Sacramenta, & sine Sacramentis infunditur, & liberat à pluribus peccatis, & maculis.

Quinta.

Quinto, delictum illud tantum redundauit in posteros, & filios insequentes: gratia vero, & gratiæ meritum in præcedentes, præsentes, & insequentes.

Sexta.

Sexto, delictum Adæ nō cooperatur omni peccato nostro: at gratia Christi omni bono operi nostro adest, ac per hos latius patet.

Septima.

Septimo, delictum illud non potuit influere in iustos, si qui fuissent: at Christi meritum & in iustos, & in peccatores diffunditur.

Octaua.

Ad hæc, Adæ delictum nō potuit nocere hominibus, nisi tantum ex Adam propagatis: at Christi meritum ex se valet pro aliis multis, ac diuersis modis, si inueniri possent, propagatis, si à Deo crearentur, & non ex Adam generarentur, atque adeo in Angelos bonos, qui, vt quidā testantur, gratia Christi steterunt; & in malos, quibus datum erat per Christi meritum posse non cadere, si voluissent, in quos tamen Adæ peccatum non peruenit.

Nona ac postrema.

Delictum etiam Adæ ad omnes descendit, quantum ad primam spiritus mortem, & illam corporis: verum Christi meritum etiam in pueros qui damnantur, valet. Nam per illud, & Angelorum custodiam, immortalitatem, & impatibilitatem, qua post iudicium donabuntur, habebunt: & denique in ipsos primos parentes Adam, & Euam, antequam esset eorum delictum patratum, operatum est.

Quare per hanc abūdantiorem Christi iustitiam, iustitiæ originalis, paradisi, immortalitatisq; dona non recipiamus.

Sed obiicies; Quomodo si multo magis, vt hic dicitur, gratia Dei operatur, iustitiam originalem, aut paradisum, aut immortalitatem nobis modo nō restituit; nam etiam modo morti succumbimus. Responsio est: Vt imitari possemus Christum mortalem: & vt fidem exerceremus, & ob maius nobis meritum, luctando cum morte, & suo satellitio, compararemus quā amplius ob Adæ peccatum non sustinemus. Idcirco nec reddita iustitia originalis, pro qua tot contulit Sacramenta; nec paradisum ob lignum vitæ, ne temporalia, vel naturalia à Christo expectare videremur. Per immortalitatem namque, & per iustitiam originalem, quæ naturam ipsam perficiebant, naturalia nos bona recipere putaremus. Idcirco voluit pro iustitia illa originali, quæ stare poterat cum peccato, iustitiam coram Deo reddere; pro paradiso terrestri, cœlestem: & pro illa immortalitate, qua poteramus mori, contulit gloriosam immortalitatem, qua nunquam possemus mori.

Originalis iustitiæ defectum Christi supplēt Sacramenta.

Eorum nobis bonorum iacturā Deus quomodo compensauerit.

Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum: nam iudicium quidem ex vno, in condemnationē. Hæc est secunda pars primæ collationis, in qua declarantur illa, in quibus non conueniunt. Et posset coniunctio, Et, accipi pro, quia, vt sæpe more Hebræo solet. Cū enim dixisset Paulus: multo magis; explicat illum excessum, & qua ratione possit contingere, confirmat dicendo: *Quia non sicut delictum, ita & donum.* Et quod sequitur: *Nam iudiciū quidem ex vno, in condemnationem:* Græce est, & nō sicut per vnum peccantem, vel peccatorem, vel qui peccauit, ita donum: Ἀλλ' ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος τὸ δώρημα. Oratio est ecliptica, quæ in Græcis scholiis sic explicatur, καὶ οὐχ οὕτως φησὶ τὸ δώρημα ὡς ἡ διὰ τοῦ ἑνὸς ἁμαρτήσαντος παράβασις καὶ ἁμαρτία hoc est; Non tale donum est, inquit, quale per vnū peccatorem præuaricatio, & peccatum. Vnde illud: *ita &*, abundat, etsi subintelligi ad maiorem claritatem possit.

Particula, Et, sæpe causalis est apud Hebræos.

Erasmus vero licentius vertit, dicens: *Et non sicut per vnum qui peccauerat, venerat mors, ita & donum:* qua in re non probatur, quod præteritis plusquam perfectis sit vsus, & quod nomē mortis suppleuerit: neq; hæc Antithesis ad hunc articulum pertineat, sed ad proximum potius.

Contra Erasmi versionē.

Chrysostomus quidem, & Augustinus legunt: *Et non sicut per vnum qui peccauit:* sed fortassis hi Patres, sicut interpres noster legerunt, Διὰ ἑνὸς ἁμαρτήματος, non ἁμαρτήσαντος. Et certe nomini

Chrys. hoc loco, ser. 10. Aug. l. 1. de pecc. me. & remiss. c. 12. imt. tom. 7.

peccati congruentius respondet nomē doni, & significantius exprimit ut illud peccatum, in quo fuimus omnes implicati. ¶ *Nam iudicium quidem ex vno, in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Sensus est: Iudicium diuinum mortis, de quo: In quocunque die comederis ex eo, morte morieris: ex vno scilicet delicto (vt interpretatur August. libr. de nupt. & concup.) & supplendum verbum, progressum est in condemnationem: donum vero non ex vno, sed ex multis delictis, in iustificationem, subaudi, deriuatum est ad expiandum non tantum illud Adæ delictum, sed multa alia peccata ab Adæ posteris illi adiuncta: atque ita gratia præstat delicto, quod tantum abstulit gratiam, & vitam æternam, non autem ad pœnam sensus sustinendam attrahit, quæ solis personalibus delictis debetur, à quibus per Christum liberati sumus.

Adj. quæst.

Genes. 2.

Idem lib. 1. de nupt. & concup. ca. 27. circa med. se. aed.

In quo gratia Christi Adæ delicto maior appareat.

Condemnatio ergo, quæ iustificationi opponitur (id est κατάκριμα τῷ δικαιώματι) & quæ nihil aliud est, quam absolutio reum in foro externo; non capitur pro supplicio, vel executione sententiæ, cui opponitur præmium, siue remuneratio, sed pro sententiæ Diuinæ pronuntiatione, qua omnes filii Adæ damnati pronuntiantur, & iure cœlestis hæreditatis eiecti.

Condemnatio hoc loco quid.

Obserua verbum deesse, vt possit quisq; cogitare, merita peccati Adæ, & Christi iustitiæ comparari. Posset tamen suppleri verbū, dimanauit, vel perduxit, vel, vt superius dixi progressum est, deriuatum est. Erit intelligo, quantum est ex se, siue quod ad se attinet, quantum spectat ad iudicium, & ad gratiam.

Quid supplendum in dicta Pauli sententia: Nā iudicium quidem ex vno in cōdemnationem. &c.

Secundo obserua, Augustinum prædicto loco admonuisse, Apostolum de peccato per imitationem non loqui. Minime enim dixisset: Si enim vnius delicto multi mortui sunt, sed potius, ob sua quisque delicta multi mortui sunt: nec hic dixisset, iudiciū ex vno, in condemnationem: quia sicut gratia liberat à multis delictis, ita damnatio esset ob multa delicta cuiusque.

Vnde perspicuum fit de peccato originali, & non de actuali hic esse sermonem.

August. ibidem.

Positis igitur collationibus, in quibus Adam, & Christus non conueniunt, quod ad merita spectat: iam adiungit comparationem, in quo etiam quod ad effectum ipsum attinet, minime conueniunt, dicendo: *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* In qua quidem collatione, quia ait mortem regnasse per vnum, & gratiam accipientes cum Christo regnaturos, videtur hæc clausula perplexior priori reddita, quod ā opponit singula singulis, hoc est causas causis, & effectus effectibus. Facile tamen hic locus componitur ita explicando: Si per vnius Adæ delictum mors regnauit per vnum; multo magis vnius gratia Iesu Christi vita regnabit. Et ita opponuntur peccatum gratiæ, vitę mors, vitæ regnū mortis regno, denique Adæ Christus. Pro gratia tamen, quę opponitur delicto, posuit gratię effectum, siue abundantiam, & donationem iustitiæ: non enim Græce est, abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ, vt legit Ambrosius, & interpres; sed, abundātiam gratiæ, & donationis iustitiæ, vt sint duo membra, non tria: et si res hæc nō multum ad rem ipsam, de qua agitur, faciat.

Quomodo accipiendū illud: Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum. &c.

Ambros.

Deinde cum dixisset, mortem regnare, non subiecit vitę regnū, sed beminum regnum in vita, vt sine tropo explicaret, quod per tropum diceretur vitam regnare. Et vt pro gratia Christi posuit effectus gratiæ Christi: ita si opponas effectus delicti Adę, reddetur hęc comparatio omnibus suis numeris absoluta, in hunc mundum: Si enim vnius Adæ delicto peccatum regnauit, & per peccatum mors: multo magis vnius Christi gratia, gratia Dei, & donum iustificationis regnabit, & per gratiam Dei, & iustificationis donum, vita per vnius Christi mortem regnabit.

Vbi in primis expende illud Multo magis: quia enim mors inflicta per Adam, temporalis est, & illorum etiam donorum priuatio, vita autem per Christum est sempiterna etiam in infantib. ob solum Adæ delictum mortuis: quib. tamen propter Christum vita perpetua restituetur in hoc mundo, licet non beata, & gloriosa, vt multi magni viri merito sentiunt, aeneq non sine ratione definiunt. Si enim tanta vis est inter delicti, & gratię autores, cum alter purus homo sit, alter vero & perfectus Deus, & perfectus homo: si tantum interest inter vim gratiæ, & debiti, quod ex vno peccato inducta est mors, & damnatio, gratia vero non tantum vnum, sed innumerabilia peccata sustulit: cum fructus delicti Adæ sit mors, & gratiæ Christi fructus sit vita, & illa quidem æternitatis tantum interuallum certe inter hæc esse oportet, quātum inter illa priora interfuit; id est, quantum præstat Deus homini, & gratia delicto.

Expenditur illud: Multo magis abundant & gratiæ. &c.

Pueri non baptizati quomodo post iudicium in vita regnabunt.

Adhæc perpende quod ait: Abundantiam gratiæ; illam scilicet quæ est ex opere operato, supra illam, quæ datur ex opere operantis pro dispositione, & meritis cuiusque. Et gratia, est plena remissio; quæ fit per donationem iustitiæ: quæ etiam iustitię donatio referri potest ad auxilium gratiæ, ex ope-

Quænam illa gratiæ abundantia, & vnde consurgat.

cooperantis ad progressum sanctæ, & iustę vitæ.

Cur dictũ de futuro Regnabũt.

Dixit vero per futurum, Regnabunt: quia etsi hic incipiat vita, & regnum cœlorum, est tamen adhuc cum mortalitate ipsa & laboribus luctandum, vt suauius nobis reddatur æternæ vitæ regnum. Non est tamen negandum, quin sancti, & pii viri Christo seruientes, etiam nunc suo modo regnent: nam seruire Deo, vt ait Ecclesia, regnare est. Et vt Ioannes dixit, *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo regnum, & Sacerdotes.* Verum in futura vita consummata erit possessio, quæ nullum habet regni admittendi periculum, quando Christ⁹ tradiderit regnum Deo, & Patri, & erit Rex Regum, & Dominus dominantium. Et iusti quidem inferioribus absque ambitione dominabuntur, superioribus vero suis absque rebellione subditi erunt. Et hæc sufficiant ad verba Apostoli proposita perplexa satis, & intricata.

Apoc. 1. & infra 5.

1. Cor. 15. 1. Tim. 6. Apoc. 17. infra 19.

DISPVTATIO XLII.

In illa verba: *Igitur sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobediẽtiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem, iusti constituentur multi.*

I. dubium.

IN his verbis primo ambigitur, quorsum hæc toties repetita comparatio, & quo spectet.

II.

Deinde in dubium vocatur hæc prima sententia: Sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem; quia videtur comprehendere B. Virginem, quæ & ipsa est filia Adæ; cuius tamen conceptionem, vt immaculatam, & Sacrosanctam, celebrat Ecclesia.

III.

Tertio argumentantur ex his sententiis Lutherani: Si Adam nullo nostro opere nos potuit damnare, Christus igitur sine vllis nostris operibus nos poterit iustos, & saluos reddere: alioqui Christi meritum Adæ delicto non esset potentius, & efficacius.

Ad 1. dub. Quid tam frequens Adæ delicti cum Christi iustitia significet Pauli collatio.

Primo dubio respõdemus, Apostolum positis illis collationibus, in quibus non conueniebant Christus, & Adam; iam duas alias similitudines annectere, vt ostendat in quibus conueniunt; atque hac ratione integrã, & plenam reddat doctrinam suam. Et hæc de scopo. Prima autem sententia spectat ad Christi meritum, & Adæ demeritum in seipsis, ad factũ minime respiciendo.

Ad II.

Ait ergo: Sicut delictum meruit ex se extendi in omnes homines ad totum condemnationem (non autem quod facto ita fuerit) ita gratia, & meritum Christi promeruit omnium iustificationem. Est enim Saluator omnium hominum, maxime fidelium, & qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, & qui dixit, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia, siue omnes, traham ad me ipsum.* Non quidem quod facto ipso omnes fuerunt iustificati, aut tracti, cũ multi se indispositos, & incapaces Dei gratiæ, atque iustitiæ reddiderint: idcirco ad hoc significandum, verbum vllum non adiecit, videlicet transeundi, aut penetrãdi, vt relictum nostræ considerationi intelligamus priuilegium B. Virginis ab omni illius delicti labe præseruatæ. Vnde expositio B. Thomæ in hunc locum deficere videtur, quæ habet delictum in omnes facto ipso trãsiuisse propagatos ab Adam: & ex opposito gratiã Christi transiuisse in omnes regeneratos à Christo: qui sensus si verus esset, angustiorem redderet Christi gratiam Adę delicto. Et similitudo deficere videretur, quia Christus in hoc non esset similis Adæ qui non similiter propagasset iustitiam in omnes, sicut Adam in omnes, filios suos peccatum deriuauit.

1. Tim. 4.

Supra 2. Ioan 12.

Vt in omnes homines peruenerit Christi iustitia.

Hoc Virginis priuilegium qua ratione Paulus insinuasse videatur in hac sententia.

B. Thom. hoc loco. lect. 5. & alibi, 10. 16. initio.

Deinde ex August. doctrina perpende, vniuersos iustos, quotquot ab initio fuerũt nonnisi per eandem Christi fidem esse liberatos, per quam & nos liberamur: quoniam neminem ait effici iustum nisi per Christi iustitiam. Intellige autem per eandem fidẽ Christi explicitam saltem in maioribus, siue implicitam: quia Adæ delictum omnes etiam illud nescientes incurrunt, quia nondum erat eis reuelatũ. Siquidem per fidem quia Deus est, & inquirentibus se remunerator sit, in Christum implicite creditur, & per illam omnes assecuti sunt iustitiam. Alioqui si explicita fides Christi fuisset necessaria, maior vis esset in Adæ delicto, quam in Christi merito posita.

Eadem Christi fide, atque iustitia, qua olim iusti omnes, & nos liberati sumus, vt docet Augustinus.

Aug. pluribus in locis.

Quid per eandem fidem

Heb. 11.

Addit secundam similitudinem: *Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita & per vnius obeditionem, iusti constituentur multi.* Hæc comparatio est Christi & Adæ, quantum attinet ad effectus, quos Christi meritum, & Adæ demeritum efficiunt. Multi enim facto, & re ipsa per Adæ peccatũm perditi sunt: multi etiam per Christi obedientiã seruati: ob quam causam additũ est verbũ de præterito in prima clausula, cõstituti, scilicet sine vllis propriis operibus. In secũda autem de Christo asserit quod iusti cõ-

Quomodo Paulus nunc Adæ inobedientiam comparet cum Christi obedientia.

Cur dictũ de præterito: Peccatores constituti sunt multi: de futuro vero, Iusti cõstituentur multi.

August. nõ raro

stituentur multi: siue quia tunc incipiebat gratia Christi effundi per Euangelii prædicationem, quam etiam spectabant Patres iusti, qui olim in Christum crediderunt teste Augustino; siue quia ad firmandum illos priores satis fuit peccatum Adæ absq; alio eorum facto. Ad firmandum vero nos iustos non satis fuit Christi iustitia, nisi fide, & Sacramento nobis applicata esset: siue denique quia mors pro maiori parte ante legem regnauit vsque ad Christum: at vero post Christum mors suum imperium perdidit. Et ita olim locutus est Esaias; *In scientia sua* (hoc est, in fide) *iustificabit ipse iustus seruos meos multos.*

Esai. 53.

Omnes homines & mortem, & eius caussam originale peccatum incurrunt per Adæ inobedientiam.

Ex quibus omnibus in primis obserua, nos non solum mortem peccati effectum asserere, sed etiam veram rationem peccati contrahere per culpam originalem, quæ in inobedientia consistit, siue quæ ex inobedientia gustati vetiti fructus est consecuta. Et mandatum datum à Deo fuit ad probandam eius obedientiam: *Quia audisti*, inquit, *vocem vxoris tuæ*, & non dixit, vocem meam. Peccatum in pueris nihil est aliud, quam illa Adæ inobedientia.

Gen. 2.
Infra 3.

Anabaptistarum rebaptismus impugnatur.
Aduersus Erasmum.

Deinde perpende, quod cum per Christi obedientiam iusti constituuntur multi; refelluntur tamen Anabaptistæ, negantes baptizandum paruulum, ex eo quod actũ fidei non habeat, neque per ætatem habere possit: & ideo infantes baptizatos rebaptizant: quam etiam sententiam Erasmus secutus est, qui puerorum baptisma voluit differri in ætatem, qua vsu rationis pollerent, vt possint, cum illud suscipiant, actu proprio, vel cõsensu approbare, vel ratum facere baptisma. Lutherus quoque damnatur, qui per oppositum asseruit, pueris in baptismo non deesse fidei motum: quod experientia docet falsum esse. Et vt per solius Adæ inobedientiam circa vllam propriam operationem paruuli vere constituũtur peccatores per solam ex Adam propagationem: ita paruuli per Christi obedientiam, citra vllum fidei motum, vel propriæ voluntatis actionem iusti efficiuntur per solam in Christo regenerationem.

Lutheri quoque de pueris in baptismo actu credẽtibus, dogma refellitur.

Heuæ inobedientiã, & incredulitatem, Mariæ obedientiam, & fides reparauit atque restituit teste Irenæo.
B. Irena.
Gen. 3.

Tertio accipe ex hoc loco, quod sicut inobedientia Adæ per Christi obedientiam soluitur: ita magnum Ecclesiæ lumen Irenæus Episcopus, & martyr, Euæ inobedientiam dixit per B. Virginis obedientiam restaurari. Hæc enim sunt eius verba libr. 3. aduersus Valentinianos cap. 33. *Sicut Eua inobediens facta, & sibi, & vniuerso generi humano caussa facta est mortis: sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen Virgo obediens, & sibi, & vniuerso generi humano caussa facta est salutis.* Et infra: *Sic autem & Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ, quod enim alligauit virgo Eua per incredulitatẽ, hoc virgo Maria soluit per fidem.* Hæc ille. Cuius sententiam vt veram, & omni acceptione dignam, & à magno viro profectam cõmendat Augustinus libr. 1. in Iulianum, ca. 2. ex Irenæo producens: *Quemadmodum astrictum est*, inquit, *morti genus humanum per virginem, soluatur per virginem, æqua lance disposita virginalis inobedientia per virginalem obedientiam.* Sic ille. Adde Epiphanium hæresi 78. in Antidicomarianitas: *Vbi abundauit peccatum; ibi superabundauit & gratia, & vnde illata est mors, inde vita processit, vt vita pro morte fieret, & qui per mulierem vita factus est, mortem ex muliere inductam excluderet; & quoniam illic Eua, cum adhuc esset virgo, per inobedientiam transgressa est è contrario per virginem obedientia gratiæ facta est. annuntiato aduentu in carne de cælo, & vita æterna.* Sic Epiphanius. Vt in vno homine, primo, & secũdo, subaudiamus duas mulieres, & in illorum inobedientia, & obedientia intelligamus Euæ inobedientiam, & B. Deiparæ cõmendabilem obedientiam. Quia enim nõ principales autores peccati, aut obedientiæ extiterunt, sed tantum cooperatrices; idcirco in viris includuntur, & à Paulo earum non fit mentio.

B. Aug. to. 7.

Cur Paul' earum, intet se, Euæ scilicet, & Mariæ omiserit cõparationẽ.
Solutio tertiæ dubit.

Quarto, accipe solutionem illius dubitationis, quam tertio loco in persona Hæreticorum proposuimus. Nam si illa ratio esset alicuius ponderis, merito inferri posset hominem sine vlla fide, vel sine vllo Sacramento seruari, quia fides ipsa, siue Sacramenti susceptio aliquod opus est. Quod si respondeas, requiri fidem ad vitam æternam; non deerit in promptu responsió: ad illam etiam requiri in Scripturis bonorum operum studium. Ad argumentum tamen directe respondemus, quod quicquid Adã suo delicto nobis amisit, illud totum Christus sine vllis nostris operibus, aut meritis restituit, nempe gratiam, & æternæ spem gloriæ. Gloriam autem, quam nunquam habuimus, nobis non amisit: sed vt ipse positus fuit in paradiso voluptatis vt operaretur, & custodiret illum, atque ea ratione sibi vitam æternam compararet: ad eum modum nos per Christum nunc iustificamur sine vllis operibus quæ illam promereantur, vt iustificati bonorum operum meritis possimus contendere ad vitam æternam. Dices; Quare ergo exigitur fides? respondeo: Vt ad hoc quod nobis peccatum Adæ, & iniustitia applicetur, opus est nos esse filios Adæ ex semine eius propagatos; alias illius peccato obnoxii non esse-

Quid in Adam à nobis deperditum, per Christum recuperauimus.

Gen. 2.

Si Christus nos sine nostris meritis iustificat, qui fidem à nobis petit, iuxta Lutheranos.

essemus. Vnde, si quis esset à Deo in puris naturalibus conditus, vel à tali sic condito propagatus, nihil contraheret originalis peccati. Ita adhoc vt nobis applicetur Christi iustitia, fides exigitur in Sacramento: & ad hoc aliena fides, & voluntas pro me protestata suscipitur à Deo magna æquitate, vt etiam peccatum aliena voluntate fuit admissum. Ratio etiam solida non deest: quia regeneratio spiritualis est, non carnalis; & idcirco Deus ad illam exigit quod est hominis, id est voluntatem, & rationis consensum. Et hactenus de Adæ, & Christi collationibus.

DISPVTATIO XLIII.

In illa verba: *Lex autem subintrauit vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Quæst. I.
II.

IN his verbis primum desideramus scopum, & connexionem intelligere. Deinde cum omnis legislator ferendo leges eo tendat, vt bonos ciues efficiat, & ad virtutem sectandam incendat; qui fieri potuit, vt lex à Deo lata non tantum non extinxerit peccata, sed etiam auxerit? Tertio, nonnihil habet scrupuli, quomodo Deus, cui odio sunt impius, & impietas eius, aucta malitia hominũ, nõ grauitate supplicii, quo peccatum dignum est, sed abundantia gratiæ respondere pro sua bonitate voluerit.

III.

Ad I. dub. Quid proponat Apostolus præsenti disputatione.

Primum liquidum, & dilucidum redditur: cum enim Apostolus superius distinxisset duo tempora, alterum peccati, cum dixit: *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo*, de quo hactenus disseruit, alterum vero post datam legem Moysi: iam nunc asserit, quod vt peccatum in mundo ante legem datam fuit, ita etiam fuit sub lege, vsque adeo, vt per legem traditam non sit abolitum. Non quidem vitio Dei imperantis, aut legis ipsius, quæ sancta & spiritualis est, sed hominis ipsius culpa cui innatum est, vt ille dixit, niti semp in vetitum, & negata cupere. Hinc factum est, vt homines originali delicto multa personalia peccata ꝓpria voluntate addiderint. Sed hæc omnia per Christum sanantur, quia vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Et quemadmodum Princeps qui sui militis vires,

Ouid. l. 3. Amorum, eleg. 4.

Quomodo videri possit à Deo lex posita, vt abũdaret delictum.

vellet, non tantum eum cum ferocissimo tauro committit, sed prius audacissimis canibus taurum irritat, vt sæuientem, & irritatam bestiam in furorem agant: haud dissimili modo Deus Christi vim, & gratiæ suæ efficaciam indicare volens, peccatum ipsum velut i legem irritauit, & auctius reddidit, vt Christus Dominus illud vincẽs, gloriosum de eo triumphum reportaret.

Per figuram porro Prosopopeiæ introducit Apostolus peccatum, & sociam mortem ex vna parte, & legem, & gratiam ex altera, tanquam personas quasdam intrasse in mundum. At vero quia præcipue partes erant peccati, & gratiæ, legis vero munus minus præcipuum, & quasi secundarium, non ait ipsam intrasse, sed subintrasse: vt in comœdiis personæ, quæ aut mutæ sunt, aut obiter ad vnum, vel alterum verbum dicẽdum subintrare finguntur. Regnum vero peccati longum valde fuit, & diuturnum, ab Adam videlicet ad Christum vsque: Gratiæ vero regnum à primo Christi aduentu vsque in perpetuum protenditur. Chrysostomus ponderat verbum, Subintrauit, quod Græce dicitur παρεισῆλθεν non ait, data est, sed subintrauit; eo quod non perpetuo, sed ad tempus posita sit. Quod quibusdam solidum non videtur, quia Ioan. 1. habetur: *Lex per Moysen data est*: & capit. 7. *Nonne Moyses dedit vobis legem?* Alii vero vertunt: *Tacite & latenter obrepsit*: quod vix verum existimari possit, quia in monte Sinai tonantibus, & circumfulgurantibus nubibus & buccinæ clangore perstrepente publice promulgata fuit. Porro alii legunt: *Superingressa est*, quia post legem Naturæ superinducta. Ambros. libro 9. epist. 71. *Non fuit*, inquit, *necessaria lex per Moysen, sed subintrauit, quod vtique non ordinarium, sed veluti fortuitũ signare videtur introitum, eo quod in locum naturalis legis intrauerit. Itaque si illa suum seruasset locum, hæc lex scripta nequaquam esset ingressa.* Alii vertunt, *præter aduenit*: quasi nec ad rem, nec ad iustificationem ipsam faciens venerit: quod tamen erat præcipuus Dei scopus, & subintrauit inter primum Adam, & secundum. Origenes inquit: Subintrat illud, quod simul cum alio intrat: bonæ autem legislatoris menti adiuncta est ex hominum vitio occasio peccandi. Et ita obiter subiit, quia obiter fuit peccandi occasio Et subdit: *Subintrauit, vt abundaret delictum.* Non ait: Deus dedit legem, vt abundaret delictum; ne absurdum ingereret sensum de Deo, qui non vult iniquitatem, & intentator malorum est: sed per occasionem venit Deo vidente, & dissimulan-

Cur leg. Paulus dixerit in hũc mundum non intrasse quidem sed subintrasse.

Quandiu peccatum regnauerit Christi gratia diuturnitas qualis.

B. Chrysost. ser. 10. paulo ante medium to. 4. initio.

Ioan. 7.

Exod. 19.

Orig. hoc loco.

Subintrare quid dicatur secundum Origenem.

Ps. 5.

Iacob. 1.

robur, ac animi magnitudinem ostentare te, vt inde gloriæ suæ magnificentiam,

Dictio illa vt (scilicet abundaret delictum) si consecutiua sit, quid significet.

Chrys ibid.
Ambr.10.5.

& nostræ virtutis progressum eliceret. Vnde coniunctio illa, vt, testibus Chrysostomo, & Ambrosio, caussæ, seu finis rationē non habet, quemadmodum in his enunciationibus: eo in forum, vt emam victui necessaria: posuit Deus Adam in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. Hic vero significat euentum, & consecutionem, quemadmodum illud superius ꝓductum: *Vt iustificeris in sermonibus tuis*; & rursus: *Butyrum, & mel comedet; vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Quanquam non desint, qui eā particulam caussaliter sumi posse contendant: vt secundum Haymonem sit sensus; Lex intrauit vt abūdaret delictū id est, vt abundantius delictum cognosceretur: quomodo dicitur res fieri, quando innotescit; vt exinde postea humiliaretur homo, vt illi humiliatio innotesceret magnificentissima Dei gratia.

Gen.2.
Ps 50.
Rom 3.
Esai.7.
Mat.1.
Haymo hoc loco.

Si vero caussalis, qualē sensum efficiat.

Cur dictū ab Apostolo: Vbi, & non, Vbicunque abundauit delictum &c.

Nota etiam, Paulum non dixisse: Vbicū que abundauit delictum, superabundauit & gratia: quia in multis fuerunt peccata, vt in Pharaone, & Iudæis, in quo etsi abundauerit peccatum, non tamen gratia. In multis tamen, in quibus regnauerat peccatum, regnauit & gratia. Est autem animis nostris diuinæ circa mundum prouidentiæ consilium expendendum, vt hæc magis penetremus. Cum enim nondum plenitudo temporis venisset, vt mitteret Deus Filium suum, qui iustitiam gratiæ, quam venire nō decebat, nisi persoluto omni peccati debito, & Christo glorificato: regnabat tamen, & fructificabat peccatum in Gentibus, sed non cognoscebatur quod natura esset corrupta & redemptore indigens. Bonum ergo fuit dari Legem, vt hoc peccatum homo agnosceret, & pronitatē peccandi venisse ex peccato, non ex natura. Deus namque fecerat hominem rectum. Lex ergo data est, non quæ peccatum iuberet, nec rursus quæ peccatum, aut peccati reatum deleret, sed quæ peccatum ipsum demonstraret, tradendo historiam Adæ peccati, & præcipiēdo multa, quæ carnales præstare non poterant. Atque ita Lex contulit ad morbi, & medici, id est, peccati, & Christi cognitionem. Vnde Lex spiritualis, ait Apostolus, & Lex sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum; &, *Moyses pædagogus noster in Christo.* Ex cuius Legis occasione, cum spiritum non daret, quæ carnali homini data esset in tanta præceptorum multitudine, auctum est peccatum: quia animus humanus ardentior est ad vetita. Est enim rebus suapte natura ingenitum, vt vnūquodque in suum contrarium insurgat: & vbi res aliqua voluntati interdicitur, tūc tanquam

Gal.4.

Lex à Deo cur lata.

Rom.3.
Eccles.7.

Ad II. dubium

Lex si bona est, & sāncta, illa augere peccatum vt dicitur.

Gen.3.

Rom 7.
Ibid.
Gal.3.

Vnde fiat vt nitamur in vetitum semper, vt ille dixit. cupiamusque negata

libertati contraria apprehenditur; & eam propugnādo maiori conatu renititur. Quare Augustinus lib. de Spiritu, & litera: *Lex quamuis bona auget prohibendo desiderium malum: sicut aqua impetus si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice opposito, cuius molem cum euicerit, maiore cumulo præcipitatus violentius per prona prouoluitur. Nescio quo enim modo hoc ipsum quod concupiscitur, fit iucundius dum vitatur.* Hæc ille, qui producere poterat testimonium Salomonis dicentis: *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.* Adhæc inferiores animi affectiones quanto magis interius retinentur, nec exterius effunduntur, eo magis incenduntur: vt in iræ, & doloris motibus cernere est. Si autem exterius prodeant, imminuuntur. Prohibitio ergo propter pœnæ timorem cogit, ne concupiscentiam extra producat; & ideo interius intenta magis inflammetur. Quare Lex docens non concupiscere, & ad seruandum non iuuans, nec illam mitigans, augebat per occasionem concupiscentiam. Et ita intelligendæ sunt illæ Pauli sententiæ: *Lex iram operatur: Virtutis peccati, Lex: Litera occidit: Lex propter transgressiones posita est*, & hoc quod hic habemus: *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.*

I. ratio.
Augu li. de Spir. & lit. c.4. in fi. to. 3. sub finem

Eiusmodi retinentiā, ac repugnātiam idoneo Augus. illustrat exēplo.

Prou.9.

II.

Exod.20.
Rom 7.

Supra 4.
1.Cor.15.
Gal.3.

Quæ quidem doctrina duabus Augustini sententiis illustratur: altera in Psalmum 102. dicentis: *Ideo Christus docet datam Legem, vt conuincerentur peccatores, & ad gratiam accipiendam medicum inuocarent. Vnde ille conuictus est, quem in se transfigurat Paulus Apostolus, dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et quid ait, optans pacem, pacem veram, pacem supernam. Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: Vbi enim abundauit peccatum, superabundauit gratia. Vnde autem abundauit peccatum? Lex autem subintrauit, vt abundaret peccatum. Quare Lege subintrante, vt abundaret peccatum. Quia nolebant se confiteri homines peccatores, addita Lege facti sunt & præuaricatores, &c. Ideo ergo data est Lex, vt crescente peccato humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur.* Idem tract.3. super Ioannem: *Lex*, inquit, *minabatur, non opitulabatur: iubebat, nō sanabat: languorem ostendebat, non auferebat: sed illi præparabat medico venturo cum gratia, & veritate: tanquam ad aliquem quem curare vult medicus, mittat primum seruum suum, vt ligatum illum inueniat. Sanus non erat, & sanari nolebat, & ne sanaretur, sanum se esse iactabat. Missa est Lex. Ligauit eum, inuenit se reum, iam clamabat de ligatura. Venit Dominus, curat amaris aliquantum, & acribus medicamentis. Dicit enim ægroto, Ferto: dicit, Tolera: dicit, Noli diligere mundum, habeto patientiam; curet te*

Aug. to. 8 à medio.

Rom 7.

Idem post tractat. di. med to.9. in princ.

Mosaicæ Legis impotentiam pulchre describit Augustinus.

1. Ioan.2.

ignis

ignis continentia, ferrum persecutionum tolerent vulnera tua. Expauescebas qui fuisti ligatus, liber ille, & non ligatus bibit quod tibi dabat: prior passus est vt te consolaretur, tanquam dicens; Quod times pati pro te, prior patior pro te. Hæc est gratia, & magna gratia. Infra: *Per seruum Lex data est, reos fecit: per imperatorem indulgentia data est, reos liberauit.* Hæc ille, non minus acute, quam eleganter. Sequitur in Textu: *Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Hanc superabundantiam gratiæ exprimit Chrysostomus tali exemplo: Sit, inquit, aliquis capitis reus, qui Principis clementia à carcere educatur, deinde vbi eductus est, accipiat vestes splendidas, & pretiosas; adhæc in signum familiaritatis, & amicitiæ in cubiculum Regis introducatur, eiusque mensæ regio munere accumbat; denique quicquid pretiosum habeat, ipsi exhibeatur, atque hæres constituatur: hæc certe parua sunt, si conferantur cum his, quæ Deus cum homine peccatore, & æternæ mortis reo facere consueuit. Respondet etiam Apostolus hac sententia Iudæis illis, qui de clausula proxime præcedenti poterant calumniam in Deum statuere, cur scilicet prudens, & sciens, Legem, eis veluti offendiculum quoddam, vt abundaret delictum, proposuerit. Quibus etsi merito respondere potuisset, non extitisse hoc diuinum propositum, sed vt eos probos faceret, & aduentui futuri Messiæ intentos redderet: præclarius tamen respondit, quod ipsa quoque delictorum abundantia, & multiplex transgressio cesserit in Dei gloriam, quam communicando opes gratiæ suæ splendescere fecit. Nam addendo personalia peccata originali delicto, maiori gratia indiguimus, quemadmodum fortiori morbo efficacior medicina debetur.

Mosis legislatoris cũ Christo collatio.

Gratiæ Christi superabundãtia, abundãtiã Adæ delicti quomodo vincat secundum Chrysost.

Chrysos. ser. 10.

Quo hæc de delicti abundantia & gratiæ superabundantia tendat Pauli doctrina.

I ratio gratiæ Christi superabundantiæ ad Adæ delictum.

II Abundauit etiã gratia ex modo, & qualitate: quia multis donis per Spiritum sanctum, quem effudit in nos abunde nos locupletauit, vt per opera iustitiæ quasi vi cœlo illata, ipsius regno potiremur: muniens nos contra omnia peccata & tentationes, adeo vt scribat Apostolus: *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis; vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.*

2. Cor. 9.

III Ex parte quoque præmii apparuit maior gratia: quia etsi Adæ peccatum iure regni cœlestis nos orbauerit, Christus tamen eandem nobis instaurauit vitam, cuius ingressus maiori cum triumpho nobis per ipsum factus est, quam si status innocentiæ perdurasset, quia pactum durius est, & hostes maiores; ac proinde gloriosior triumphus à labore ad requiem, & à morte ad vitam. Est etiam peccatum hominis, maioris gratiæ occasio, quia causa est maioris humiliationis, & submissionis animi, quæ gratiã sibi suo iure vendicat: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Maior præterea causa puritatis vitæ fuit peccatum, quia cautiores & prudentiores, & minus nobis fidentes in vitando peccato reddidit: maioremque contulit gratiæ Dei cognitionem, & vberiorem syluam gratiarũ actionis. Et subdit: *Vt sicut regnauit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.*

IV. ab vtilitate peccati.

1. Pet. 5.

V. de eodẽ.

Conclusio est totius disputationis de redemptione à peccato, vt excellentia gratiæ ostendatur. Vt enim peccatum est causa mortis, ita regnum peccati, causa est regni mortis. Et vt appellatione peccati & mortis veniunt omnia mala; ita per gratiam, & vitam æternam omnia bona intelligimus. Et peccatum quidem Regis munere fungebatur; mors vero, militis munere, & ministerio, vt ait Theophylactus.

Theophyl.

Et obserua, quod non simpliciter dicit: Gratia regnet in vitam æternam; sed, *Gratia regnet per iustitiam in vitam*; intelligens voce iustitiæ opera iusta & mandatorũ Dei obedientiam, & charitatis officia, de qua dixit: *Nisi abundauerit iustitia vestra;* & : *Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est.* Merito autem posuit, Gratia per iustitiam: quia gratia non simpliciter vitam æternam confert, nisi dando prius merita bona, quibus saltem adulti comparant sibi vitam æternam. Vt ergo est gratia, & iustitia operum, & ex his vita æterna, ita omnia per Iesum Christum reconciliatorem, qui & gratiam, & opera bona, & vitam æternam confert, & sine quo omnis nostra iustitia est tã quam pannus menstruatæ, vt dixit Esaias.

Quænam illa iustitia per quam gratia regnat in vitam æternam.

Mat. 5.

1. Ioan. 3.

Cur gratia dicatur regnare per iustitiam: & cur per Iesum Christum

Esai. 64.

Deinde obserua, quod regnare peccatũ, non est simpliciter peccare: nam etsi consensus in peccatum nõ nullum sit seruitium iuxta illud: *Qui facit peccatum, seruus est peccati*; non est tamen peccati regnum, quod est subditam, ac pene vinctam habere voluntatem ad peccatum. Cum enim homo aut ignorantia, aut repentina aliqua animi perturbatione prolabitur, peccatum non tam Rex est, quam fur, & insidiator: quando autem mente obdurata prudens, & sciens absque vllo stimulo inseruit suis cupiditatibus, vt nec Legis Dei memoria, nec vllo Dei metu tyrannidem peccati valeat excutere, tunc peccatum regnare dicendum est. Hinc Apostolus dixit, in seculo ante Legem fuisse quidem peccatum, sed regnasse mortem. Quia erat adeo tenuis peccati cognitio, vt non satis illi imputaretur,

Regnare peccatum, & peccare, quid inter se differãt.

Ioan. 8.

non

Psal. 102. sed odit. Et alibi: *Ipse cognouit figmentum nostrum*, quod Hebraice dicitur Iczemu.

III. locus. Tertio, Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis*, siue vt Hebræa habent, *In culpa calefecit me mater mea*

IV. Quarto Iob. capit. decimoquarto testatur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Et Cap. vigesimoquinto: *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?* Vbi Septuaginta habent: *Quis mundus à sordibus, etiamsi vnius diei sit infans super terram?*

V. Quinto, Esaias in persona generis humani loquens, ait: *Ecce, tu iratus es* (scilicet primis parentibus, & non tantum illis, sed etiam nobis eius filiis) *&* (propria) *peccauimus; in ipsis fuimus semper* (vel à seculo ex quo Adam peccauit, non solum exemplo illorum, sed in ipsis extitimus) *& saluabimur* (scilicet per Christum) *& facti sumus vt immundi omnes nos* (qui castris excluduntur, immundi sunt, ita nos de vtroque paradiso) *Et quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ* (quo nihil immundius, & ad quod abluendum baptismus institutus est, secundum illud Zachariæ: *Erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.*) *& cecidimus quasi folium vniuersi* (nimirum, arefacta radice, quæ est Adam) *& iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos*; videlicet, de hoc mundo ad inferos: tollebant etiam animas iustorum, quibus non patebat aditus ad paradisum.

Esai. 64. Gen. 3.

Explicatur locus Esai. Ecce, tu iratus es, & peccauimus, &c.

Zach. 13.

VI. locus. Sexto, facile probat ille locus Ieremiæ primo: *Antequam exires de vulua, sanctificaui te*: quod frustra diceretur nullo existente peccato.

Gen. 17. Leuit. 12. Traditio Iudæorum de circumcisione. Et idem confirmat Lex circumcisionis masculis omnibus octauo die adhibenda, vt etiam Traditio Iudæorum docebat.

Osea. 6. Eccli. 25. Oseæ sexto: *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me*; & Eccli. vigesimoquinto; *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.*

VII. locus, ex Euangelio. Ioan. 1. Accedit septimo nouum Testamentum: nam Ioannes prædicabat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: est ergo quoddam peccatum commune toti mundo, quod Græce dicitur in singulari ἡ ἁμαρτία τοῦ κόσμου: quod etiam Theophylactus, & Euthymius annotarunt, imo & Cyprianus, & Ambrosius, cum reliqua peccata propria, & peculiaria sint quibusdam.

Theoph & Euthym. in c. 1. Ioan. Ambr. in Psal. 118. ser. 12. Cypr. li. de duplici martyr. Ephes. 2.

Ait enim Apostolus: *Eramus natura, siue natiuitate, & sorte nascendi, filij iræ, sicut & cæteri*: at nullus est dignus ira, nisi qui peccauit.

VIII. locus. Adde octauo loco præsens testimonium: *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Rursus: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* Et iterum: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi*: Qui loci omnes superius ponderati sunt. Est etiam Christi verbum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest videre, vel introire in regnum Dei.* Ioan. 3. Et Dilectus: *Si dixerimus quoniam non peccauimus; mendacem facimus eum.* 1. Ioan. 1. Et paullo ante: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ibid.

Idem præter Scripturas colligitur certa Ecclesiæ definitione. Habet enim Concilium Mileuitanum Canone 2. *Quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, &c. anathema sit.* Qui Canon repetitur in sexta Synodo Africa. Capit. 77. Patrum sententiæ consulto omittuntur, quia infinitæ sunt, & in re perspicua, & clara versamur. Ecclesiæ traditio. Concil. Mileuit. to. 1. Concil.

Idem etiam rationibus euincimus. Nam si nullus peccati morbus fuit, neque medico vllo indiguimus: & si ex Lege, vel ex natura est iustitia; gratis Christus mortuus est. Idem rationib. euincitur. I. ratio. Gal. 2.

II. Deinde non est Deus pœnæ autor, priusquam homo peccet: cum ergo anima sit immortalis, & corpus mortale, indigne Deus illa inuicem coniunxisset (cum corpus animæ dominetur:) iniuste etiam animam à corpore, cui perpetuo desiderat vniri, separaret. Idcirco dicitur Sapien. 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Sap. 1. Et infra ait: *Impij autem manibus, & verbis accersierunt illam.* Ibid. Et capit. secundo: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Infra 2. Gen. 3.

III. ratio. Tertio, naturaliter inferiora parent superioribus, vt sphæræ inferiores primo mobili, elementa cœlo, & subditi Principibus suis. Cum ergo in homine sit pars superior, quæ est ratio, & inferior, quæ est caro, aut sensus; certe ratio naturaliter dominari deberet, & sensus illi subesse secundum naturam. Quod si aliter contingat, certe contra naturam erit; nec putandum Deum adeo insipientem, vt hominem talem condiderit. Supra 1. Nam si vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, quomodo hominem, præcipuum, & excellentissimum opus, mundi ipsius finem proximum, eiusque vsufructuarium, cæteris pulchriorem non condidisset? Certe vox est Spiritus sancti: *Fecit Deus hominem rectum; & ipse se infinitis miscuit quæstionibus.* Eccles. 2. Si ergo contra naturam est, quod ratio sensui subiiciatur, propter aliquam culpam præcedentem contigisse fatendum est. Cum autem pœna sit omnibus

IV. ratio. Accelerate olim circumcisionis, & nunc baptismi in pueris causa.

communis, fuit & culpa communis. Adhęc infantes recens geniti, & in Euangelio, & in Lege Mosis continuo suscipiebant Sacramenta, tanquam periculum esset in mora; ne, aut non circumcisi, aut non baptizati morian tur. Idem quoque ostenditur à signis. Nã nullus sanctus diem natalis sui celebrauit: imo Sancti, & sapientes illi maledixerunt. Imo omnes auspicantur vitam à fletu, vt etiam Gentiles, & Poetæ, & Philosophi illud subdorati sunt: nam appellabãt naturam homini nouercam, & Cicero libro tertio de Republica hominem animo ad libidinem prono editum. De quo Augustinus libro contra Iulianum testatus est[*]: *Rem vidit, causam nesciuit.*

Quem ampigna præ dictam arguant veritatem. *Iob. 3. Ierem. 20.* Mundi huius sapientes hoc originis peccatum vt nouerant. *Plin. init. Proœm. l. 8. Cicer. li. 3. de Repub. Aug. li. 4. contra Iul. c. 2 à med. & 0 Horat. 1. ser. saty. 3. paullo ante med. Iuuen. sat. 13. circa med.*

Et quidam Poeta:

Nam vitijs nemo sine nascitur, optimus ille est
Qui minimis vrgetur.

Et alius:

Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

Quidam etiam ex Philosophis sentientes hæc absurda, & inconuenientia, finxerunt animas olim peccasse, antequam in corporibus inclusæ punirentur. Vt ergo Gentibus ignotum fuit peccatum originis, ita Ecclesia Dei, siue antiqui, siue noui Testamẽti, peccati huius cognitionem perspicuam, & dilucidam habuit.

Quam olim humanæ ad malum procliuitatis Platonici causam confinxerunt.

DISPVTATIO XLV.

In qua natura, & essentia peccati cuiuslibet traditur: & in illa applicanda peccato originali quosdam minus scopum attigisse, & dixisse esse peccatum originale, quod nõ est.

Peccatum, & pœna in duobus differunt.

ADvenandam substantiam originalis peccati, primum præmittendum esse censuimus, peccatum, siue culpam, rem esse à pœna longe distinctam: nam culpa omnis voluntaria est, & sine voluntate nullum constat peccatum: at pœna omnis inuoluntaria est, & contra hominis militat voluntatem. Deinde culpa omnis, siue peccatum à solo homine ratione prędito proficisci potest, à Deo nequaquam: at pœna omnis, vt talis à Deo est, etiam mors à Deo est, & reatus, & ipsa mors gehennę. Cum igitur disputamus de peccato originali, nihil est pro tali peccato assignandum, quod pœnæ tantum rationem habeat. Quare merito damnandus venit Zuinglius cum suis, negans vllum esse proprium originale, sed

Naturæ vitium quidem esse peccatum originale, non tamen culpa, Zuinglius cũ Pelagio sẽsit.

tantum esse defectum quendam naturæ, vt esse strabum, siue balbum: quod est prorsus Pelagianum.

Peccatum originis rẽ esse per se malam, atque culpabilem.

Secundo præmittimus, originale delictum vere esse peccatum, & culpæ imputabilis rationem habere; vt ita sit pœna peccati. Omne autem quod proprie peccatum est, & culpæ rationem habet, oportet esse actu, & quidem voluntarium. Hinc ex libro Senecæ de Moribus producitur illa sententia: *Omne peccatum actio est, actio autem omnis voluntaria est, tam honesta, quam turpis; ergo voluntarium est omne peccatum. Tolle excusationem, nemo peccat inuitus.* Et Augustinus definiens peccatum li. 22. contra Faustum: *Peccatum est*, inquit *dictum, vel factum, vel concupitum aliquid contra æternam legem.* Et alio loco: *Illud proprie vocatur peccatum, quod libera voluntate, & à sciente committitur:* & loquebatur eo loco in genere, quia quæstionem de peccato originis agitabat. Ambrosius quoque: *Quid est peccatum*, inquit, *nisi præuaricatio legis diuinæ, & cœlestium inobedientia præceptorum.*

Senec. li. de Morib. init. iuxta fin. operis. Aug. to. 6. c. 27 init. Idem. Ambr. l. de Paradiso, c. 8. to. 4.

Peccatum omne esse voluntarium. I. ratio.

Ex quibus infero, peccatum esse actum voluntarium. Et vere ita est, quia qui nihil facit & nihilominus vt peccator punitur, conqueri solet, Quid feci? quid commisi, quid peccaui? Quid debui facere, & non feci? In qua definitione includimus peccatum omissionis, vt docet Beatus Thomas: quia non facere quod debes, est aliquo modo facere. Et negatio, & priuatio sub eodem genere ponuntur, quo affirmatio, & habitus, vt docent Philosophi. Et Iurisperiti inter obligationes facti, ponunt obligationes non faciendi. Pœna quoque peccati, vt pœna est, multum differt ab ipso peccato: quia pœna effectus peccati est, non peccatum: & est à Deo in peccatorem non ab ipso peccatore: & conformis est, & consona legi Dei, non contra eam. Deniq; non est voluntaria, vt culpa, atque patientis est potius, quam agentis. Qui autem peccat aliquid agit.

B. Th. 1. 2. q. 72. ar. 6. & sæpe alibi, to. 9. Omissionẽ commissionis definitione contineri. II. ratio. III. ratio.

His positis, vt veris, & certis, & omni acceptione dignis, colligimus, falsas esse hæreticorum sententias, qui de peccato originali nostro seculo disputarunt: falsas quoque esse, & inconstantes sententias Catholicorum, qui aliter, ac par erat, de huius peccati essentia conscripsere. In primis ergo ruit sententia Cornelii Agrippæ, qui peculiari libro peccatum originale esse dixit, nimium enim vxore concubitum, eamque putat se comprobasse ex eo, quod vbi cognouerunt se nudos, erubuerunt, & foliis pudenda contexerunt; & denique, quia de remedio originalis peccati

Cornelii Agrippæ sententia de originali peccato

pro-

prospexit illis, dando circumcisionem, quę generationis membrum vulneret. Vnde & Augustinus & alij concupiscentiam, quę in illis membris sita videtur, & per illa pe[r]ficitur, vocant originale peccatum. Verum hæc leuia sunt argumenta, & infirma ad tale dogma constituendum. Tum quia ex certa Patrum traditione Adam & Eua a-ctum generationis, dum fuerunt intra paradisum, non exercuerunt, & eius tantum meminit Scriptura, postquam expulsi sunt de paradiso. Si ergo peccatum originale in paradiso non admiserunt, nunquam fuissent propter illud de paradiso eiecti. Deinde erubescentia non tantum est de illis generationis actibus, sed de omni re inhonesta, & contra obedientiam peracta, vt edere carnes in Quadragesima, vel in furto deprehendi à superiore. Hanc præterea cum nuditatis pudendorum erubescentiam sentiamus omnes baptizati, videretur peccatum originis nondum esse Baptismo sublatum. Illud etiam peccatum repeteretur, quotquot nūc immodice vxoribus, aut fœminis vacarent, essetque peccatum originale adhuc in nobis, cum tamen semel ablatum non redeat: sicut nec eius remedium repetitum fuit, quod olim fuit Circumcisio, nunc autem Baptismus. Denique homo probandus erat in re aliqua indifferenti, & media, vt erat in abstinentia certi fructus, non autem in re per se mala: at nimius concubitus per se malus est. Vnde edixit Dominus, *Quacunque hora comederis ex eo, morte morieris*: non autem dixit; Quacunque hora vxori agglutinatus fueris, vel actibus venereis te nimium implicueris, morte morieris. Vnde & subiungit Dominus. *Quis enim indicauit tibi, quod nudus esses, nisi quia de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti*. Est ergo hæc assertio vana, & fortassis ab aliquo Rabbino tradita.

Refutatur.

Gen 2.

Gen.3.

Secundo ruit sententia Illyrici Flacci, qui stultam quandam, & mirabilem opinionem tenuit, asserendo, sicut iustitia originalis, id est, sapientia, fides, charitas, & aliæ virtutes, fuerunt substantialis imago Dei; ita per contrarium peccatum originale esse substantialem imaginem diaboli. Illyricus ergo docet primo, peccatum in genere esse transcendens, ita vt aliqua peccata sint substantia, alia quantitates, alia vbi, alia habitus, &c. Secundo dicit, peccatum originis esse substantiam, id est, imaginem diaboli substantialem. Tertio dicit, animam rationalem, siue summum eius gradum, id est, rationem, per peccatum fuisse totam substantialiter corruptam, & transformatam in imaginem diaboli ex imagine Dei; ita vt sicut in homine mortuo est forma cadaueris loco animæ, ita in homine post peccatum sit forma quædam teterrima substantialis, pro ea, quę antea erat, & quia anima non est composita ex materia & forma, sicut homo, sed est simplex forma, ideo quarto dicit, hanc mutationem nō esse generationem, nec creationem, sed transformationem, quomodo cum vinum vertitur in acetum. Argumenta eius sunt in duplici genere. Alia sumuntur ab autoritate Lutheri, quæ nos relinquemus endanda Chemnicio, & Merlino, & aliis Lutheranis; alia sumuntur à Scriptura, & rationibus, quæ nobis refellenda sunt. Scripsit enim librum longissimum de essentia imaginis Dei & diaboli, item librum de occasione vitandi erroris, totum pro hac re; item alium librum de eximia vtilitate huius doctrinæ; item librum de eadem re, cui titulus est, Nosce te ipsum: ac demum refutationem quorundam cōtrarium sententium: in quibus coaceruauit fere quadraginta argumenta: sed hæc sunt præcipua.

Illyrici sententia de peccato originis.

Illyrici sententia explicatur.

Illyrici argumenta.

Primum. Scriptura in hoc peccato describendo, vel eius purgatione, vtitur verbis substantialibus, ergo, &c. Nam Genes. 6. dicitur, Figmentum cordis humani tantum est malum, id est, nihil est, nisi malum. Hæc .n. sunt verba Hebręa כל-יצרלבורקרע. Item Roman. 6. Vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati: vbi peccatum dicitur vetus homo, & dicitur habere corpus, ergo, &cæt. Item Roman. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis eius: at quod regnat, & concupiscit, non est accidens, sed substantia. Argumentum secundum: Omnes Theologi illud Roman. 7. Quod habitat in me peccatum, exponunt de ipsa anima, vel de parte animæ; sed amplius ibi agit de peccato originis; nam continuat disputationem inchoatam quinto capite: ergo, &c. Tertium argumentum: Peccatum originale est fons omnium vitiorum, vt patet Roman. 7. vbi de peccato dicitur: Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam; at fons omnium malorum in nobis est ipsum cor; nam ex corde exeunt cogitationes malæ; adulteria, furta, &c. Matth. 15. ergo cor ipsum est peccatum originis. Quartum: Peccatum est ἀνομία, 1. Ioan. 3. id est, id omne, quod pugnat cum lege: at ipsum cor pugnat cum lege: nam Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & nomine carnis intelligitur totus homo, nam ibidem numerantur inter opera carnis etiam sectæ, inuidiæ, hæreses, &cæt. & Ioan. 3. dicitur: *Quod natum*

Gen.6.

Rom.6.

Rom.6.

Rom.7.

Matth.15.

1.Ioan.3.

Gal.5.

Ioan.3.

est ex carne, caro est. Quintum: Imago Dei erat substantia ipsa animæ: nam Genes. 1. dicitur homo creatus ad imaginem Dei; & Genes. 5. Adam genuit filium suum ad imaginem suam; & sine dubio non propter accidentia, sed propter naturę similitudinem dicitur filius imago patris, & anima rationalis imago Dei: ergo & imago diaboli deberet esset substantia: nam contrariorum eadem est ratio. Sed homo per peccatum amisit imaginem Dei, & induit imaginem diaboli; nam Colos. 3. dicitur: *Induite nouum hominem, qui renouatur secundum imaginē eius qui creauit eum*: Et Ioan. 8. dicitur: *Vos ex patre diabolo estis*: ergo homo mutauit substantiā animæ, &cæt. Sextum: Iustitia originalis erat substantia: ergo & iniustitia originalis est substantia. Probat antecedens, quia in Angelis, & in mente primi hominis sapientia, iustitia, charitas, & similia substantiæ sunt: tum etiam quia iustitia originalis nihil est aliud, quam imago Dei, vt patet Ephes. 4. Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis; vbi quod dixerat Paulus Coloss. 3. *Secundum imaginem Dei*, hic exposuit, in iustitia, & sanctitate. Septimum, Accidens est id, quod potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem; sed peccatum originis totum corrumpit subiectū: ergo non est accidens, sed substantia. Octauum: Tota anima humana dicitur corrupta per peccatum originale: at corruptio tollit formam substantialem, & introducit aliam ei contrariam: ergo, &c. Nonum argumentum: Iustificatio est creatio noui cordis, Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus*, Ezech. 36. *Auferam cor lapideum, & dabo cor carneum*: ergo, &c. Decimum: Christus dicitur peccatum, 2. Corinth. 5. sed Christus est substantia: ergo peccatum est substantia. Si dicas, Christus impropriè dicitur peccatum, quia fuit hostia pro peccato: Recte, sed non diceretur Christus peccatum; quatenus hostia pro peccato, nisi homo ipse, pro quo Christus mortuus est, vere, & proprie peccatum esset: nam Christus dicitur peccatum, qui fuit mactatus tanquam hostia piacularis vice hominum, qui iure interfici merebantur. Contra hanc sententiam scripserunt multi Lutherani, ac præcipue Ioannes Wighundus alioqui collega Illyrici, in centuriis: item Martinus Chemnicius, Tilemanus Hesusius prolixissime, & Ioachimus Merlinus. Et quidem si ex principiis Theologiæ Lutheranæ res consideranda sit, fortasse meliorem causam habet Illyricus: nec enim satisfaciunt argumentis eius Wighundus, & cęteri: si tamē res absolute consideretur, opinio ista Illyrici, est apertissima hæresis tam in Theologia, quam in Philosophia, & totam fidem Christianam euertit. Quod secundum principia Lutherana Illyricus non male philosophetur, patet: nam Lutherus in cap. 2. Genes. dicit, peccatum originale esse de substantia hominis; Vide, inquit, quid sequitur ex illa sententia, si statuas, iustitiam originalem non fuisse naturæ, sed donum quoddam superfluum superadditum, an non sicut ponis, iustitiam non fuisse de essentia hominis: ita etiam sequeretur, peccatum, quod successit, non esse de essentia hominis. Ipsi etiam qui contra Illyricum scribunt, multa dicunt, ex quibus sequitur conclusio Illyrici: nam Wighundus in propositionibus de peccato originis, propos. 119. dicit, peccatum originis esse rem ream & natura sua dignam mortis æternæ, & damnatam à Deo, nisi per Christum remissio fiat. At esse reum, & dignum morte æterna, nisi remissio fiat, non conuenit qualitati, sed substantiæ: non enim furtum est dignum patibulo, sed fur; nec furto, sed furi potest remissio fieri. Idem propos. 213. dicit, per peccatum totam substantiam hominis deprauatam, & non accidentia eius tantum, vt Sophistæ antea dicebant. At certe si substantia ipsa in se tota corrupta est, & tamen non est annihilata, necesse est, in aliam substantiam esse mutatam, vt Illyricus dicit. Item Hesusius in lib. de hac ipsa quæstione non solum concedit sæpius, totam substantiam hominis esse corruptam, sed etiam imaginem Dei in homine fuisse substantiam, imaginem autem Dei per peccatum amissam non solum ipse, sed omnes Lutherani concedunt: ex quo sequitur, ipsam substantiam periisse, & aliam loco eius successisse. Chemnicius in resolutione de peccato originis dicit, totam massam animæ humanæ corruptam summa, & extrema deprauatione. & in exam. Triden. Concil. sess. 5. dicit, id omne esse vere peccatum, quod in natura rationali pugnat cum lege, siue sit actio siue omissio, siue inclinatio, siue quid aliud. Atque ita enim anima pugnat cum lege aliquo modo: ergo, &cęt. Sed his omissis, quod hęc sententia sit falsissima, probatur, quia est contra Scripturam, contra Symbolum Fidei, contra Patres, & contra rationem. Primo, Scriptura vbicunque de peccato loquitur sine tropo, semper indicat, peccatum esse actionē, ac proinde accidens, non substantiā. 1. Ioan. 3. definitur peccatum, quod sit ἀνομία, id est, contrarietas legis: quid autē sit legi contrariū, patet ex verbis legis Exo. 20. *Non adorabis Deos*

alie-

Margin notes: *Gen. 1. & 5.* — *Coloss. 3.* — *Ephes. 4.* — *Psal. 50.* — *Ezech. 36.* — *2. Cor. 5.* — Lutherani refutant Illyricum, sed infeliciter. — Refutatio Illyrici vera. — Est contra Scripturā. — *Exod. 20.*

alienos, Non aſſumes nomen Dei in vanum: Sabbatum ſanctificabis, Non occides, Non fœraberis, &cæt. non dicit, Non habebis animam, vel cor, vel potentiam, vel habitum, &c. Prætera Exod. 18. deſcribitur iuſtus, qui in montibus non comederit, oculos non leuauerit ad idola, vxorem proximi non violauerit, per vim nihil aripuerit, non dederit ad vſuram, &c. Præterea de ipſo peccato originis loquitur Paulus ſecundum Lutheranos
Rom. 7. cap. 7. ad Roman. vbi ſic legimus: *Scio quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum; non enim quod volo bonum, hoc ago ſed quod odi malum, hoc facio. Si autem, quod odi malum, hoc facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Hic habemus, peccatū quod Lutherani originis peccatum eſſe volunt, non eſſe ipſum hominem, ſed in eo habitare; nec habitare in mente rationali, ſed in carne tantum. Et quod caro hic non ſignificet totum hominem, patet, quia diſtinguitur contra mentem: nam ad mentem pertinet illud, Volo bonum, &, Odi malum. Et clarius inferius: Video aliā legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Et infra: Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Si ignur in Paulo erat peccatum originis, & erat in eodem Paulo mens bona à peccato illo diſtincta, quomodo peccatum eſt ipſa mens? Nec poteſt reſponderi, Paulum fuiſſe iuſtificatum à peccato, nam Lutherani dicunt, peccatum originis non imputari iuſtis, eſſe tamen, & eſſe vere peccatum, & probant ex hoc ipſo loco diui Pauli. Similia habemus
Gal. 5. ad Galat. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum:* & ne dicatur per ſpiritum intelligi Spiritum ſanctum, ſequitur, Vt non quæcunq; vultis, illa faciatis: itaque contra ſpiritum noſtrum, qui vellet bonum, caro concupiſcit: non ergo ſpiritus noſter, ſiue mens eſt peccatum. Secundo pugnat hæc ſententia cum toto Symbolo, ac primum cum primo articulo, *Credo in vnum Deum:* nam ſunt de eſſentia animæ, & mentium Angelicarum ſapientia, iuſtitia, & aliæ virtutes, vt Illyricus dicit: ergo quot ſunt mentes Angelorum, & animæ ſanctorum, tot ſunt Dij: nam non poteſt eſſe ſubſtantia id, quod nobis eſt accidens; niſi in Deo, cuius eſſentia eſt infinita, & continens omnes perfectio-
Eſt contra Symbolū. nes. Præterea id eodem articulo habetur, Creatorem cœli, & terræ, & explicatur in Symbolo Conſtā tinopolitano, Viſibilium
Ioan. 1. omnium, & inuiſibilium, iuxta illud Ioan. 1. *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* At ſi peccatum eſt ſubſtantia, & non eſt factum à Deo, ſed à diabolo, vt Illyricus dicit: ergo diabolus eſt creator: quæ eſt ipſiſſima hæreſi Manichæorum. Reſpondet Illyricus, Deum dici creatorem omnium rerum, quia ipſe creauit hanc animam bonam, quæ nunc verſa eſt in malam: at quæſtio eſt de iſta mala ſubſtantia, quis eam fecerit: nam ſi diabolus, ergo diabolus eſt creator; ſi Deus, ergo Deus eſt cauſa peccati. Reſpondet Illyricus, iſtam ſubſtantiam totam eſſe à Deo; & à diabolo, à Deo quidem, quia ipſe propagat & conſeruat hanc naturam ita vitiatam à diabolo autem, quia ipſe eam ſic vitiauit: & vt ſic dixerim, inquit, penitus cōcacauit & addit, nullam eſſe nouaculam Sophiſtarum ita acutam, vt poſſet diſtinguere in anima peccatoris quid ſit Dei, & quid diaboli. At hæc ſolutio vt vnum errorem tollat, inducit duos: nam in primis ſi Deus propagat, & conſeruat hanc naturam, & hæc natura eſt proprie peccatum: ergo Deus propagat, & conſeruat peccatum Propagare, eſt producere, & cōſeruare, eſt continuare productionem: ergo Deus verus & bonus producit peccatum: quod ne Manichæi quidem dicere auſi ſunt; ipſi enim peccatum in Deum malum, non in Deum bonum retulerunt. Deinde ſi diabolus naturam initio vitiauit, & hæc vitiatio fuit corruptio ſubſtantiæ bonæ, & productio ſubſtantiæ malæ: ergo diabolus eſt creator ſubſtantiæ ſicut Deus. Reſpondet Illyricus ad hoc vltimum, diabolum non eſſe creatorem, quia non creauit ſubſtantiam, ſed ſolum tranſmutauit vnam in aliam; ſicut, inquit, etiam mulierculæ ſciunt mutare lac in caſeum, & butyrum; & vinum in acetum, & tamen nō ſunt creatrices. Et lupus hominem viuum conuertere poteſt in cadauer, ſed nihil attinet ad rem: nam mutationes vini in acetum, & aliæ ſimiles, ſunt naturales corruptiones, ſi quis applicet actiua paſſiuis. At ſubſtantiæ ſpirituales, quæ materia carent, non ſunt generabiles, & corruptibiles per vllas naturales vires, ſed ſolum à Deo poteſt creari, vel annihilari, vel totaliter tranſmutari: quæ omnia requirunt infinitam potentiam. Reſpondet vltimo, non totam ſubſtantiam verti in aliam totam à diabolo, quia non tota anima eſt corrupta, ſed ſolum pars ſuperior, id eſt, ratio. At contra, nam vel ratio eſt re diſtincta ab anima ſenſitiua, & vegetatiua in homine, vel eſt vna & eadem; & ſimiliter ratio ſuperior vel diſtinguitur re ab inferiore, vel non; ſi primum adhuc habemus, totum eſſe mutatū in totum; ſi ſecundum, eſt impoſſibile, vnam ſimplicem eſſentiam, & præcipue ſpecialem partem deſtrui, & partem non deſtrui, cum ſit indiuiſibilis. Et præterea adhuc totum erit verſum in totum: tūc enim

solum totum non vertitur in totum, quia materia remanet, at ille summus gradus animæ caret materia: ergo, &c. Deinde pugnat hæc doctrina cum articulis de incarnatione Domini: nam Fides docet, Christum accepisse naturam humanam eiusdem speciei cum natura, id est, carnem, & animam: at nostra anima est peccatum: ergo Christus vel assumpsit peccatum: quod est absurdissimum: vel non assumpsit naturam nostram, vt Fides habet. Christus enim accepit carnem & animam similem nostræ in specie, vt Leo docet epist. 2. Respondet Illyricus, Christum assumpsisse naturã qualem habuit olim Adam sine peccato, porro illam differre à nostra specie, & genere Physico, non tamen Theologico: nam habuit idem corpus, & eandem animam, excepto illo summo gradu. At ille summus gradus ad speciem Physicam pertinet, inde enim distinguitur à brutis, &c. Pugnat item cum articulo de remissione peccatorum: nam in remissione peccatorum debet fieri regeneratio, & reconciliatio quædam, &c. Vel ergo producitur noua substantia, & destruitur vetus, aut non. Si primum ergo non manet peccatum in regeneratis, contra sententiam communem Lutheranorum, & contra Paulum Roman. 7. Si secundum, ergo ipsum peccatum regeneratur, reconciliatur, & iustificatur; quo nihil absurdius: Pugnat etiam hæc sententia cum articulo de resurrectione: nam vel eadem substantia nostra redibit in die resurrectionis, & omne peccatum ipsum resurget; vel non redibit eadem: & hoc est contra Fidem. Respondet Illyricus, rediturum idem omnino indiuiduum, sed mutata forma essentiali animæ: At quomodo erit idem numero, si non erit idem specie? Pugnat vltimo contra vltimũ articulum, de vita æterna danda bonis, & morte æterna malis: nam secundum sententiam Illyrici non dabitur mors æterna iis qui peccauerunt, sed nouæ substantiæ per peccatum productæ. Tertio pugnat cum sententiis Patrum. Basilius homilia, Quod Deus non est autor malorum, *Non imagineris*, inquit, *propriam aliquam esse substãtiam mali; nam malitia non est aliquid subsistens, &c.* Nazianzenus in oratione in sanctum Baptisma, circa finem: *Credo*, inquit, *nullam esse mali essentiam, neque per se subsistere, nec à Deo creatum* Epiphanius hæres. 37. *Malum*, inquit, *aliquando non erat, neque radix vlla fuit malitia, neque malum est quiddam per se subsistens.* Idem habet de hæresi Manichæorum Ambrosius lib. 1. Hexameron. ca. 8. *Vtique non substantialis, sed accidens est malitia.* Et infra dicit, esse hæresim pestiferam

Est contra Patres.
Basilius.
Nazian.
Epiphan
Ambros.

Valentini, Marcionis, & Manichæi, dicere, malitiam esse naturam aliquam. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, vbi dixerat Manichæos facere duas naturas: *Nunquam*, inquit, *si me audies, dices malam esse naturam.* Augustinus libr. 7. Confess. cap. 12. *Malum*, inquit, *illud, quod quærebam vnde esset non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset*: & in Psal. 68. *Et quæsiui quid esset iniquitas & non inueni substantiam, sed à summa substantia te Deo detortam & infirmam voluntatis peruersionem.* Et libr. 1. in Iulian. cap 3. *Non*, inquit, *resistemus Manichæis, nisi obtineamus nõ esse mala orta, nisi ex bonis. nec ea mala substantiam esse, sed substantiarum vitia creatarum. Denique omnes Patres execrantur Manichæum: hac est autem præcipua ipsius hæresis, quod esset quædam natura mala substantialiter, quam Deus non fecisset. & quæ in bonis ne esset causa omnium eius peccatorum.* Ad hoc Idem Illyricus docet.

Hieron.
Augustin.

Respondet ipse, suam sententiam longissime à Manichæismo discedere, nam Manichæi ponebant duas naturas coæternas, & increatas, vnam bonam alteram malam: se autem non ponere nisi vnam æternam, eamque bonam: nam peccatum postea accessit; & addit, suos fratres Lutheranos vere videri Manichæos; quippe qui ponant in vno homine duas naturas contrarias, vnam bonam, id est, substantiam, & aliam malam, id est, peccatum, quam esse volunt veram, & positiuam qualitatem: se autem non ponere in vno homine, nisi vnam naturam, aut bonam, aut malam. At reuera vtrique videntur Manichæi, & Illyricus, & aduersarii eius Lutherani, sed ipse magis. Illi quidem, dum ponunt, positiuam qualitatem esse formaliter peccatum, coguntur dicere, vel Deum non esse causam illius qualitatis malæ: & hic est error Manichæorum; vel esse causam: & hic est error grauior, quam fuerit Manichæorum. Illyricus autem etiamsi se purgat ab vno errore Manichæorum, quia non ponit malum æternum sine principio: tamen non potest se purgare ab aliis tribus Manichæi erroribus, nimirum quod aliqua substantia sit mala, & à diabolo creata: & quod peccatorum nostrorum non sit causa liberum arbitriũ, sed illa mala substantia: & quod in vno homine sint duæ naturæ, vna bona, alia mala, nam ipse vult non totum hominem esse corruptum, sed tantum cor: ergo reliquæ partes sunt bonæ, & cor est malum. Hos enim fuisse veros Manichæi errores, patet ex D. Epiphanio, Augustino, Theodoro Damasceno, in Catalogo hæreticorum; ex Ambrosio libro 1. Hexam. capit. 8.

Epiphan.
Augustin.
Theodorus Damascen.

B. Hieron. & B. Hieronymo libro primo contra Pelagianos.

Est contra rationem. I. ratio. Vltimo repugnat rationi. Primo, Si peccatum corrumpit substantiam animæ, ergo facit animam rationalem corruptibilem; cum non solum fides, sed etiam ratio doceat eam esse naturaliter incorruptibilem, vt notum est. II. ratio. Secundo, si prior substantia bona periit, ergo impie Deus arguit Adamum, dicens, *Vbi es? & quis tibi indicauit, quod nudus esses: nonne quia comedisti de ligno,* & cætera, *& quia audisti vocem vxoris tuæ,* & cætera. Nam ille Adam, qui comederat de ligno, & audierat vocem vxoris, iam perierat; ille autem, qui postea loquebatur cum Deo, erat alius homo genere differens à priore. III. Tertio si produxit aliam substantiam, ergo fuit antequam esset: nam ante lapsum primi hominis creatæ fuerunt omnes species rerum: ergo peccatum originale, si est species quædam substantiæ, debuit esse ante lapsum, ergo fuit antequam esset. IV. Quarto, peccatum originis est fons omnium malorum, & nihil potest facere nisi malum, vt Illyricus docet: & tamen multa bona facit. nam credit, spectat, diligit, imo etiam innocentissime viuit. Nam Illyrici mens nihil est, nisi peccatum originis, & nihil potest boni facere; & tamē Illyricus credebat Deo, & cohortabatur alios ad fidem, & ipsemet testatur, se vitam honeste, & innocenter duxisse: vt habetur in fine Demōstrationum de essentia imaginis Dei, & diaboli. Vixi, inquit, multos annos Wittembergæ, cuius tempus honeste, innocēterq; actæ vitæ multos fide dignos testes producere possim. V. Quinto, si peccatum originis est anima rationalis, ergo intelligit, iudicat, disputat, scribit etiam cōtra seipsum; habet multa bona, saltem naturalia, & ciuilia, & viuit mortuo corpore. VI. Sexto, si solus summus animæ rationalis gradus est peccatum originis, vt Illyricus dicit in refutatione: ergo non est verum, quod toties repetiuit in Demonstratione essentiæ imaginis Dei, totam essentiam hominis, totumque hominem esse corruptum: nec enim summus ille gradus est totus homo, & omnes clamores eius, quibus vtebatur contra eos, qui extenuabant peccatum originis, & beneficium redemptionis, possunt referri in ipsum. Vt enim ille dicebat, Christum fieri dimidium redemptorem ab illis, qui non confitebantur, totum hominem corruptum: ita nos dicere possumus, Christum ab Illyrico fieri non dimidium, sed vnius tandum gradus animæ redemptorem, quoniam quidem solus vnus gradus fuit corruptus. Argumen. Illyrici iam solutum.

Ad primū respōdetur. Ad primum argumentum dicimus, illud, omne figmentum cordis, non significare ipsam massam cordis, sed cogitationes, quas fingit cor: nam etsi Genes. 8. dicitur simpliciter, Figmentum cordis, tamen Genesis sexto habetur, Figmentum cogitationum cordis eius: sic enim legimus כל-יצר מחשבות לבו non ergo ipsa substantia est mala, sed cogitatio eius, quæ est accidens. Illud autem de homine vetere, & corpore peccati Roman. 7. ineptissime soluitur ab Hesusio, dicit enim, veterem hominem latius patere quam peccatū: quia vetus homo complectitur subiectum & formam, id est, corpus & animam vna cum vitio. At si ita est, ergo cum Paulus iubet nos exuere veterem hominem, Coloss. 3. & Ephes. 4. iubebit nos deponere corpus & animam, id est, interficere nos ipsos. Dico igitur cum omnibus expositoribus Græcis & Latinis, hominem veterem vocari figurate vitam hominis in peccato existentis, sicut è contrario nouus homo dicitur vita noua, quę agitur per virtutem. Quod autem hæc sit figurata locutio, patet: tum quia Apostolus Coloss. 3. & Ephes. 4. iubet nos exuere veterem hominem, & induere nouum: vbi comparat hominem veterem cum indumēto veteri, & nouum cum nouo, &c. tum quia Apostolus 2. Cor. 4. vtitur alia simili phrasi, cum dicit, hominem exteriorem corrumpi, sed interiorem renouari de die in diem: vbi sine dubio non loquitur de homine proprie, sed figurate, vocans hominē exteriorem, vitam corporis, hominem interiorem, vitam spiritualem animæ. Corpus peccati quod sit. Porro corpus peccati dicitur etiam figurate ipsa multitudo malarum actionum: sicut Lucæ 11. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tenebrosum erit,* id est, Si intentio fuerit mala, omnes actiones erunt malæ. Vel dicitur corpus peccati ipsum verum corpus nostrum, quod phrasi Hebraica dicitur peccati, quia est peccato obnoxium, propter legem membrorum in eo habitantem. Dicitur autem destruendum non simpliciter, sed quatenus peccati corp' est: ita exponūt fere omnes veteres. Posset etiā dici corpus peccati regnum, siue pœna peccati, id est, concupiscentiæ: nam Apostolus delectatur phrasibus Hebraicis, & Hebræi eadem voce appellant corpus alicuius rei, & robur, siue fortitudinem, nimirum עצם, & quadrant quæ sequuntur, Vt non vltra seruiamus peccato: & non ergo regnet peccatū in vestro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis eius. Vbi per peccatum intelligitur omnium consensu fomes peccati, qui quidem fomes nec est substantia, sed

accidens, nimirum appetitus concupiscibilis solutus; nec est proprie peccatū, sed metaphorice, vt D. Augustinus docet libro 1. contra duas epistolas Pelagianorum, ca. 13. & alibi. Ad secundum dico, Theologos dicere, hoc peccatū esse partem animæ, id est pœnam quandam animæ: sed nego, peccatum hic accipi proprie. Ad probationem dico, Apostolum cap. 5. loqui de peccato originali, cuius duæ sunt partes, vt postea dicitur, concupiscentia, & auersio à Deo cum macula, & reatu. Deinde omissa vna parte, differit de altera, quæ non est peccatum, nisi materialiter: sed de hoc postea. Ad tertiū dico tria, primo, argumēnum si recte disponatur, esse in secunda figura ex puris affirmatiuis: sic enim disponi debet, Peccatum originale est fons omnium vitiorum: cor est fons omnium vitiorum: ergo, &c. Secundo dico, maiorem esse falsam: nam Adam peccauit antequam haberet peccatū, quod in nobis dicitur originale: & similiter Angeli peccarunt sine originali peccato: ergo non omnium peccatorum est fons originale peccatum. Tertio, peccatum originis esse fontem fere omnium vitiorum, sed alio modo quam cor, nam cor est fons peccatorū per modum principij actiui intrinseci: at peccatum originis si accipiatur pro ca ē ta iustitiæ originalis, est fons vitiorum per modum remouentis prohibens: si pro fomite, qui est in carne, est fons vitiorum per modum causæ extrinsecæ proponentis obiectum voluntati. Ad quartum de ἀνομίᾳ quod contra Chemnicium est demonstratio, respondeo, peccatum non dici rem cōtrariam legi, sed contrarietatem, seu deuiationem à lege. Deuiatio autem nō substantiam, sed priuationem rectitudinis significat: & quoniam hæc deuiatio immediate inhæret in actione prohibita per legem, ideo actiones eiusmodi dicuntur proprie cōtrariæ esse legibus, & peccata materialiter. Substantia autem, quæ est principium talis actionis, nō peccatum, sed peccans, vel peccatrix dicitur. Ad quintum de imagine, quod etiam contra Lutheranos est demonstratio, respondeo, imaginem Dei esse ipsam animæ rationalis naturam: sed nego fuisse amissam per peccatum. Ista enim est hæresis Origenis, vt patet ex Epiphanio hæres. 64. Ad illud Colos. 3. Qui renouatur secūdum imaginem; dico hominē renouari per gratiam in ea parte sui, secundum quam est imago Dei, iuxta illud Ephes. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ*. Hæc autem renouatio spiritus & imaginis significat, eam fuisse obscuratā, non tamen deletam. Sciendum enim est triplicitur esse in homine imaginem Dei, vno modo secundum naturam, alio modo secundum habitum, tertio secundum actum quamquam secundus & tertius modus non sunt imagines diuisæ à prima, sed sunt perfectiones imaginis primo modo consideratæ: sicut imago picta si solum sit delineata, est vera imago, sed si addantur colores, est perfectior imago; etsi adhuc imprimantur omnes musculi, & minutissimę quęque partes, adhuc erit perfectior. Iam ergo per peccatum imago ipsa non est deleta, tamen amisit quasi colorem, & exactam illam similitudinem, quæ cōsistebat in habitu gratiæ, & actibus cogitationis, & amoris; & per horum recuperationem renouari dicitur in Christo: sicut imago picta diceretur renouari, si colores fere extincti iterum adderentur. Ad sextum de iustitia originali, nego illam esse substantiam. Ad argumentum ex Ephes. 4 & Colos. 3. dico, iustitiam originalem non esse imaginem, sed imaginis perfectionem, siue esse imaginem non secundum naturam, sed secūdum habitum, & actum. Et quia homo creatus fuit ad imaginem Dei perfectissime, ideo Apostolus Ephes. 4. dicit, eum creatum in iustitia, & sanctitate, cum vult dicere creatum ad imaginem Dei. Ad septimum de accidente Hesusius non potuit respondere, nisi negando Porphyrii definitionem, pro qua substituit hanc Philippi Melanchthonis, Accidens est, quod per se subsistit; nec est pars substantiæ, sed in alio est mobiliter: quæ definitio ineptissima est, & seipsam destruit: nam si accidens per se subsistit, quomodo est in alio? Et præterea iugulat Hesusium hæc definitio: nam si accidens est id, quod est in alio mobiliter, sequitur, peccatū originale non esse accidens, quia nō est in alio mobiliter, sed immobiliter. Respondeo: Igitur cum dicit Porphyrius, accidens adesse præter subiecti corruptionem, nō vult dicere, accidentibus nō corrumpi substantiam effectiue; sed non repugnare subiecti naturæ præsentiam accidentis, quasi simul esse non possint; nec tamen esse necessariam, quasi sine illa intelligi nequeat: sicut ergo febris lethalis corrumpit subiectum effectiue, & tamen non repugnat eius potentia subiecto, imo subiectum requirit: non tamdiu febris durat, quamdiu homo durat: ita de peccato, &c. Si dicas: Saltem mors repugnat subiecto, & peccatum est mors: ergo, &c. Respondeo, in rebus corporalibus subiectum corruptionis esse materiam, subiectum inquam inhæsionis: quāquam denominationis est ipsum compositum in rebus autem spiritualibus, quæ non corrumpi, sed annihilare possunt, subiectum

ctum annihilationis esset ipsa res quæ annihilatur, dum est in vltimo sui esse: desinunt enim talia intrinsece, quia non per motum. Respondeo igitur argumentum, negando minorem, nam corruptio animæ, quam peccatum inducit, non destruit subiectum: non enim est corruptio proprie, sed metaphorice: non enim tollit vitam naturalem, sed vitam gratiæ: vt enim ipsa gratia dicitur anima, & vita ipsius animæ, propter similitudinem, quam habet cum anima, & vita, respectu corporis: ita, &c.

Ad VIII. Ad octauum patet ex dictis. Ad nonum dico, regenerationem, & nouam creationem cordis, quæ fit in iustificatione, debere intelligi metaphorice pro infusione gratiæ, quę licet sit accidens, tamē magnam habet cum anima similitudinem, & id apparet ex locis allatis: nam Ezechiel. 36. certum est cor lapideum & carneum accipi metaphorice pro corde duro, & molli. Et Psalmo. 50. Cor mundum crea in me Deus, idem est, ac si dixisset, Munda cor meum: sed vti voluit fortasse verbo creandi, ad significandum, hoc esse opus solius Dei.

Ad IX. Ad vltimū dico, Christum vocari peccatum, id est, victimam pro peccato: sed illud, Pro, non significat, Vice, quasi Christus dicatur peccatum, quia subiuit pœnas, quas peccatum, id est, homo merebatur: sed quia immolatus fuit ad placandum DEVM iratum hominum peccatis.

Non esse originalis iustitiæ carentiam peccatum originalis.

His rationibus refutatis, primum colligimus, carentiam originalis iustitiæ ortam cum debito habendi eam, & fomitis concupiscentiam, cum quibus omnes nascimur, non esse proprie, & vere peccata, id est, habentia rationem culpæ, & imputabilitatis, quia desunt cōditiones omnes ad rationem peccati ab omnibus confessæ, & requisitæ.

I. argum. In primis enim ista actus non sunt.

II. argum. Secundo non sunt voluntaria, nec propria, nec alterius voluntate fiunt, nisi valde oblique & remote, quia non inhærent iunitis nobis, nec euitari possunt: quod autem euitari nequit, non est homini imputabile.

III. argum. Adhæc illa carentia, & concupiscentia, pœnæ sunt; & idcirco contra legem æternam non sunt, sed potius ab ipsa æterna lege pro iusta vindicta inflictæ. Deus enim est, qui subtrahit iustitiam ipsam, & gratiam, in peccati pœnam: quod autem est à Deo, impium est vocare peccatum.

IV. argum. Quarto, peculiariter non est hoc peccatum cōcupiscentia actualis, aut actus fomitis: quia alioqui idem esset in nobis peccatum actuale, & originale. Et concupiscentiæ actus intensior est in vno, quam in alios; cum originale peccatum æquale sit in omnibus. Et iam non vnum esset peccatum, sed plura, ob plures actuales concupiscentias.

Quod nec fomes, seu vis concupiscendi sit peccatum originale.

I. ratio. Non enim est originalis labes potentia concupiscentiæ, seu concupiscibilitas ipsa, vt sic dicam, seu propensio ad malum. Primo quidem, quia omnis culpa imputabilis quidam actus est, fomes autem non est actus. Quod si forte excipias hoc originale, eo quod sit habitus, in statu: Nam hic actus vel est à Deo infusus, aut naturalis aut acquisitus. Si primum dicas à Deo esset per se peccatum: Si secundū, iam non esset imputabilis: nihil enim eorum, quæ natura nobis insunt, imputabile est, teste Dionysio cap. 4. libri de diuin. nomin. & Philosopho lib. 2 Moral. cap. 7. qui per naturalia tradit, non esse quenquam aut vituperatione, aut laude dignū. Si tertium dixeris, vrgebo fortiter: quia non est proprio vllo actu acquisitus ille habitus. Nec potest dici fingi malo habitu primi parentis comparatus: quia per hoc non euaditur, quin sit mihi naturalis, ac proinde minime mihi imputabilis, sed ille potius, qui id malum mihi acquisiuit.

Dionys. c. 4. l. de Diuin. nom. par. 3. Arist. lib. 2. Moral. ad eundem, c. 7. prope fin. & alibi, to. 2.

II. ratio. Adhæc si habitus propriis actibus acquisitus culpę rationem nō habet; ne dicatur quis, dum dormit, perpetuo peccare, quia nō habitibus, sed actibus peccamus:

III. quantum minus habitus per alium quæsitus, & mihi innatus culpæ rationem non habebit?

IV. Item, quis vnquam ex alieno actu creari proprie habitum in quolibet posuit, aut somniauit? Præterea habitus est, quo, cum volumus, vtimur: at fomes contra rationem insurgit, & voluntatem.

V. Adde, quod hic habitus (si modo est habitus dicendus) vere à Deo, vt pote pœna, efficitur subtrahente iustitiam: nam actus primi parentis promerendo hoc fecit, vt cum tali habitu nasceremur, iustitiam suam Deo subtrahente: at ille actus culpa fuit, non morbus, qui ex Deo venit iuste puniente illum actum.

VI. Pone etiam aliquem in puris naturalibus à Deo conditum: hic profecto fomitem habebit: nec tamen præterea haberet peccatum originale.

VII. ac postrema. *Rom. 7.* Cum etiam fomes sit in carne, seu in sensu, autore Paulo, non videtur quomodo peccatum esse possit in carne, cum sit in portione hominis superiori.

V. argum. Quinto, si fomes est peccatum originale, male assereretur transfundi: nam primi parentes suum fomitem non transfuderunt, ergo nec suum originale; & sic non esset vnum & idem parentis, & prolis originale peccatum.

Fomitem seu culpabilem, nequaquam à parentib in prolem transfundi vnde perspicuum fit.

Ex fomite etiam parentum intensiori intendi debet filiorum fomes: quod esset absurdum, quia non esset æquale peccatum in omnibus: præsertim si ex libidine parentum inæquali transfundi dicatur, vt quidam asserunt. Et qui

non

non peccaret in cognitione vxoris, vt Abraham non transfunderet peccatum; vel Ieremias, si nuptias contraxisset post sedatum fomitem. Poni enim potest, hunc actum coniugij exerceri posse absq; peccato, vt in multis sanctis accidit, qui ex charitate ad illum accesserunt, propter prolem Deo suscitandam. Durum enim alioqui esset fateri, commixtionem corporum exerceri sine peccato non posse; cum tamen à Deo imperetur. Adhęc baptizati cum originali peccato careant, quomodo ergo illud in prolem transmittunt? Sed in hoc responderi pôt, quod vt ex oleæ semine nascitur oleaster, ex tritico palea, quę manet in fructu: ita mirũ nõ est, si ex mundo immundus nascatur. Dicimus etiam alio modo, quod baptizatus non generat vt baptizatus est, sed quatenus retinet aliquid vetustatis Adę: generare enim, opus est carnis, non spiritualis hominis.

Sancti in vsu copulę coniugalis quare non peccent.

Duplex obiectio in cõtrarium proponitur, ac dissoluitur.

Sed ad hæc obijci posset, qua de causa potius generat vt non baptizatus, quam vt baptizatus; & vt filius Adę potius, quam vt filius Dei? Nam si quis filios ad Dei gloriam generare intendat, magis videretur vt filius Dei? quam vt filius Adæ generare. Item parentes in carnem tantum transfundunt fomitem suum, nõn in animã, quæ à Deo bona creatur: at peccatum in anima, non in carne, vel sensu est. Adam præterea habuit fomitem, & in illo non fuit peccatum, sed pœna peccati (nam post peccatum Adam cognouit se nudum) ergo à Deo fuit iustitiam subtrahente originalem, & in Adam nolentem inflictus. Fomes ergo in nos transfunditur, vt culpa: nam si in Adam pœna fuit, quomodo culpæ rationem in nobis habere potuerit? Eua etiam originale habuit, & non aliud ab illo Adæ: alioqui duo originalia delicta in nos descenderent: ergo ab Adam habuit, & tamen non ex vlla transfusione. Proles quoque hominis suscitati, & hominis in gratia DEI mortui, quique per mortem originalis peccati debitum persoluit, fomitem habet, & tamen non per transfusionem. Sexto, nulla interfectio est in carne parentum magis, quam in sputo, vel in sanguine eorum, vt tradit beatus Anselmus libr. de Conceptione Virginis: inde ergo non transfunditur, cum anima bona sit, caro bona, generationis actus bonus. Nam si corruptio peccati ex carne esset, tunc si Deus ex fructu carnis humanæ absque semine, & miraculo hominem conderet, originale peccatum non haberet: caro ergo non est infecta; quæ magis deberet peccatum transfundere, quam semen. Et licet fingatur morbida qualitas

Anima sedes peccati est.

Gen. 3.

Euæ peccatum originis ex Adã fuit contractum.

VI. argum.

B. Ansel. li. de Concep. Virg. c. 7. & 3.

in carne parentum non tamen migraret de subiecto in subiectum, quod est contra rationem, scilicet à carne generantis in semen, à semine in carnem generati, & à carne geniti in animam, factis interim tot mutationibus. Et caro suapte natura non potest animam attingere, vt Dominus dixit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Et quia peccatum ex Adam descendit, cum Adam non habuerit peccatum originale, sed actuale: ergo hoc quod habuit tantum, nõ quod non habuit, transmisit. Etsi poneres in Adam fuisse vtrumque, & originale, & actuale, & tamen in nos illud, non istud transfundisse; replicari posset, quod secundum omnes Patres primum tantum Adæ peccatum in nos transfunditur, non quodcunque aliud consequens: at primum delictum actuale fuit. Præterea non fuit vlla morbida qualitas positiua ex afflatu serpentis, & ex attractu, & esu pomi in carne Adę & postea in nos transmissa: quia in primis aliorum parentum peccata efficerent qualitates malas in nobis: nec illa qualitas, quæ producta est à pomo comesto, peccatum esse potuit, vt etiam ostendit Augustinus libro quarto, in Iulianum: quia ille ligni fructus ex se malus non erat: & nisi fuisset vetitus, edi potuisset. Deinde morbida qualitas ex afflatu veneni serpentis ob crimen inobedientiæ puniendum, à Dæmone in carnem hominis descendisset; at ista pœna esset peccati, non culpa, & à Deo iniuste inflicta.

Mat. 15.

Gen. 3.

Aug. li. 14. to. 7.

Septimo alij tradiderũt, vt tot argumenta euadant, peccatum originale nihil aliud esse formaliter, quam carentiam, siue priuationem iustitiæ illius primitiuæ, vt tradit Anselmus prædicto libro: quam sententiam etsi plures amplectantur, cortè tamen disputationis venit examinanda: nam suas quoq; angustias pati videtur.

VII. argũ.

Anselmus.

Primum enim non quicquid accepimus etiamsi nostro vitio illud amiserimus, ad peccatum imputatur nobis eius carentia. Accipimus enim sanitates, & diuitias, perdimus nostra negligentia, & improuidentia, & pro illis morbum, & paupertatem incurrimus: attamen morbus ipse, siue paupertas, vel diuitiarum, & sanitatis carentia licet ex peccato veniunt, nõ tamen propriè sunt peccata, nisi ponas, latam esse legem, qua arctemur sanitatem & diuitias perpetuo conseruare, ita vt illis carere sit peccatum. Deinde baptizati obnoxij adhuc essent illi peccato; qui tamen per Baptismum ob originali liberati sunt. Tertio, conditus in natura pura à Deo, certè sine vlla iustitia originali inueniretur, & peccatum haberet

Refellitur opinio, quæ asserit peccatum originale esse carentiam primęuæ iustitię rationem.

II.

III.

&quod plus esset, Christus, & Maria illi peccato subessent, cum originali careant iustitia.

Additio illa: Cum debito habendi eam, item impugnatur.

Ob quas rationes quidam dictæ definitioni addiderunt particulam illam: *Cum debito habendi eam*: & vel sic nondum potest intellectus quiescere. Nam carere illa iustitia, non est ex facto vllo nostro, sed ex inobedientia Adæ. Et idcirco redit vetus querela, quare filij pro paterno delicto puniantur.

I. II.

Deinde nec illud est satis expeditum, quod simus debitores habēdi illam, quam nunquam habuimus iustitiam, quam nec Deus donat, nec nos ex nobis illam habere valemus, nec ille dare eam vult: & nihil nos fecimus, cur dici possit per nos fieri, aut factum esse, quominus eam Deus det.

III. Quis autem iure dicatur obligatus ad impossibile? Adhæc esse obligatum ad habendam iustitiam, nec habere, cum habere non possis nec per te stet, quominus habeas, reatum potius dicit, qui prouenit ex culpa præterita, quam non culpam, vt etiam Durandus in Secundo sententiarum fatetur: at originale peccatum oportet habere rationē culpæ imputabilis, vt recte docet beatus Thomas: etiam illi Durandus rationibus minime solidis se opponat.

Durand. in 3. dist. 30. q. B. Tho. 1. 2. q. 82. ar. 1. 2 & 3. to. 11.

IV. Reatus item cum non sit culpa, ponit tamen culpam præcedentem in eo, in quo reatus ponitur, quia ex aliena culpa nemo ligatur: illa igitur culpa, quę pręcedere ponitur, digna est potius vt originale peccatum vocetur.

V. Præterea vt peccatum culpæ, ita reatus pœnę rationem habere videntur: at debitum habendi eam (quod ponitur ad excipiendum Christum, Beatam virginem, & baptizatos) rationem pœnæ habet, Deusque effectiue, & autoritate sua tollit illam iustitiam à nobis ob demeritum nostrum: sicut & posuit in homine, quando voluit. Aliud ergo peccatum est, quod illam explicationem præcessit.

VI. ratio, à debito quadruplici, quo caret originalis iustitia.

Amplius hoc debitum inquirendum est, quale existerit. Est enim multiplex debitum, nimirum Congruentiæ, Statuti, Præcepti, ac Depositi.

Debitum Congruentiæ.

Et in primis non est debitum Congruentiæ, quia sensus esset; Peccatum originale est carentia iustitiæ originalis, quam congruum est habere: vt omissio eorum, quæ congruunt, peccatum non constituit: vt constat de eo, qui omittit opera consilij, & perfectionis. Item, habere iustitiam originalem, neque decens, neque congruum neque conforme Legi DEI est post peccatum.

Debitum Statuti.

Deinde non est debitum Statuti, quia nullum tale inuenitur in Scripturis expressum: & esset cōtra præceptum DEI punientis tali carentia peccatum nostrum. Et licet esset, adhuc peccatum non esset. Nam statutum, illos, quibus nec fertur, nec ferri potest (vt sunt infantes ante rationis vsum) non ligat: non enim statutum baptismi sic arctat pueros, vt non baptizati nouum peccatum peccent:

Debitum Præcepti.

Tertio, non est debitum Præcepti, quia nullum tale extat: & si extaret, minime pueros vsu liberi arbitrij destitutos obligaret.

Debitum Depositi.

Neç denīq; Depositi debitum est in Adam, qui recipit illam pro se, & pro nobis: nam iustitia originalis, mera gratia fuit, & Dei donum, non depositum. Et vt is, à quo, tanquam à depositario incauto sublata sunt bona à domino eorum, peccat, quia negligenter custodiebat, & dignus fuit à quo dominus sua bona subtraheret: non tamen obligatur restituere domino, qui iam accepit.

VIII. ratio

Postremo, sicut amissio gratiæ sequitur peccatum aliquod, sed peccatum non est: ad hunc modum originalis iustitiæ amissio non est ipsum peccatum, sed culpa originali posterior. Et sic vndique vacillant omnes illæ sētentiæ de peccato originali.

Vere pactum inter Deum & Adam intercessisse, contra Sotum.

Quod vero quidā ex recentioribus Scriptoribus negat, gratiam, & iustitiam prose, & posteris accepisse cum obligatione seruandi illam; ac proinde vllum intercessisse pactum inter Deum & Adam denegat, & fabulam esse tale pactum contendit: *Nam quid, inquit, Deus opus habebat Adæ consensu? sed tantum fuit vnicum præceptum, ne ederet de ligno scientiæ: quoniam citra eius consensum potuit Deus obligare totam naturam humanam.*

Sotus l. 1. de Natu. & grat. c. 10. Ratio Sotus, sed inefficax.

Sic ille. Hoc facile est impugnare, & per ipsummet, qui aliter docuit in Commentariis epistolæ ad Romanos, & passim per sacras literas.

Gen. 2. Alibi Sotus hoc pactum agnouit, atque confessus est.

I. locus ex Scripturis. Hier. to. 3. init.

Dicitur enim Oseæ sexto: *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me.* Vbi Hieronymus ait: *Ipsi imitati sunt Adam, vt quod ille in paradiso fecerat, pactum meum, Legemq; præteriens, isti in terra facerent: & ibi, hoc est, in paradiso, omnes præuaricati sunt in me, in similitudinem præuaricationis Adam. Non enim mirum, si quid in parente præcessit, etiam in filiis condemnetur.* Sic ille.

II. locus. Eccli. 17.

Et Eccli. 17. *Testamentum æternum constituit cum illis*, id est pactum, vel Hebraice berith.

III. locus. Aug. to. 7.

Et Augustinus lib. 2. de nuptiis, & concupisc. cap. 11. illud Genes. 17. *Quia pactum meum irritum fecit*, ad pactum Dei initum cum Adam retulit, cuius violatores inueniuntur pueri non circumcisi.

IV. locus. Gen. 2.

Adhæc Gen. 2. *De ligno sciētiæ boni & mali ne comedas. In quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* Quod si pœna ad omnes extenditur, ergo & pactū in Adam cum omnibus initum fuit.

Confirmatur conclusio definitione peccati originalis, à Scho-

Amplius, Doctores definiunt peccatum originale carentiam iustitiæ originalis cum debito habendi eam: at hæc verba pactum ha-

laicis tradita. habendi eam ponunt: quam si non teneretur habere, cur à nuptiis excluderetur ille arrogans eo solum nomine, quod non haberet vestem nuptialem. Mat.22. V.locus.

Exprimitur etiam Eccl.15. pactum. Habetur enim: *Adiecit mandata, & praecepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam* (id est, quam sponte placuit promittere paciscendo) *seruare* ¶ Ab hoc pacto pendet, cur Adam non tantum sibi, sed etiam nobis omnibus nocuerit suo peccato; & cur potius illo solo peccato comestionis, & non aliis sequentibus, & cur non noceant proximorum parentum peccata. Inde etiam accipimus, quod licet peccauerimus in Adam, non tamen surreximus in eo poenitente: quia Adam vlla sua poenitentia non potuit promereri, vt in eo fieret pactum resurgendi, sed in Christo, cuius non pendenti ab Adam, vel ab alio à se iuxta illud: *Vnusquisque onus suum portabit.* Et lex de puniendis filiis vsque ad quartam generationem, non tollitur per verbum Ezechielis, *Filius non portabit iniquitatem patris*: quia Lex, & Prophetae vsque ad Ioannem: nec etiam per Christum ablata est Lex. Adhaec pactum etiam in causa est, cur Deiparam Virginem dicamus exceptam ab illo peccato originali: quia scilicet non satis est esse Adae filium vt peccatum aliquis trahat, nisi pacto inclusus inueniatur cum causa patris: at pactum ad Beatam Mariam non se extendit, sed vt mater sua praeuisa singulari priuilegio excepta fuit.

I.ratio ad idem comprobandū. II. Gal.6. III.ratio. Exod.20. Ezech.18. IV.

Illa ratio Soti in contrarium: Quid opus fuit Deo Adae consensum, diluitur.

Quomodo ergo dicitur, pactum esse fabulam? Sed subiungit: Quid opus habet Deus nostro consensu? Respondemus: Non quid possit Deus, sed quid egerit, videndum est, qui solitus est per pacta seipsum nobis demittere. Vnde pactum Dei cum Noe de non amplius mittendo diluuio, & cum Abraham de circumcisione, & cum eodem, & Isaac, & populo Iudaeorum de danda Terra; & pactum sacrosanctum Filij Dei initum nobiscum, quod testamētum frequenter appellatur. Et haec nobis dicta sint in opiniones eorum, qui non satis naturam, & essentiam peccati originalis perspicere potuerunt.

Gen.9. Infra 17.

(:)

DISPVTATIO XLVI.

In qua natura, & ratio peccati originalis declaratur, & multis rationibus confirmatur, Adę inobedientiam verum esse, & certum peccatum originale.

VT igitur peccatum quod quaerimus inueniamus, & praedictis omnib. conditionibus praeditum existat, breuiter asserendum est, illud ipsum peccatum, quod fuit in Adam actuale (id est, inobedientiam esu vetiti ligni) in nobis esse originale: quod multis rationibus, & quidem solidis ostendere possumus. Gen.3. Supra 2.

Primum quidem, quia illi peccato conueniunt planius, & suauius omnes peccati proprie accepti conditiones, & proprietates, & nihil absurdi, aut inconuenientis continere deprehenduntur: quod non longe fortius alteri cuicunque sententiae accidat. Ecce enim prima conditio. quia illud Adae peccatum fuit quidam eius actus inobediētiae in edendo de ligno vetito. Fuit etiam concupitum, & factum contra Legem Dei; & idcirco in Scripturis tum à Paulo, tum ab aliis per actum declaratum: vt illud: *In quo omnes peccauerunt*; & id: *Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi.* Et iterum: *Si enim vnius delicto multi mortui sunt*: & Dilectus: *Si dixerimus quoniam non peccauimus; mendacem facimus eum.* Et iterum: *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas.* Et Oseas: *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi praeuaricati sunt in me.* Ecce ergo vbique per actionem exprimitur. Et peccatum nihil est aliud quam actio praua. Et dicitur peccatum intrasse in mundum: & Ioan.1. vocatur peccatum mundi. De nullo vero dicitur quod peccauerit, nisi aliquid ipse fecerit. Aliquid ergo fecimus, sed non per nosmetipsos, ergo per primum parentem. Ideo subiungit: *In quo* (scilicet Adam) *omnes peccauerunt*: quod ad peccatum referri non potest, quia peccatū Graece foeminini generis est, nempe ἁμαρτία, at ἐφ' ᾧ masculini generis est, & cogimur interpretari, In quo Adam, aut vt alii volunt, eo quod omnes peccauerunt, eo scilicet peccante. Quod adiuuatur ex eo Domini verbo: *Qui facit peccatū seruus est peccati.* Estq; sermo de originali delicto: & significatur, nos non tam illud habere, quā fecisse: à quo si nos Filius liberauerit, vere liberi erim'. Si ergo originale est quod fecimus, certe cōcupiscentiam, aut iustitię carentiam nos non fecimus, quia cum

I.argum. Peccatum originale esse factum & concupitum contra Legem aeternam Scripturis demonstratur. Rom 5. Ibid. Ibid. 1.Ioan.1. Infra 3. Osea.6. Rom.5. Ioan.1. Id: In quo omnes peccauerunt, quomodo accipiendum sit. Ioan.8. Ibid. Ibi: Qui facit peccatum, seruus est peccati, de quo peccato Christus loquatur.

vtra-

II. ratio. vtraque nati in lucem fundimur. Deinde, ille actus est voluntatis, quia voluntate Adæ perpetratus fuit; cuius voluntas nostra cuiusque fuit, vt infra declarabitur. Et hæc erat secunda conditio.

III. Tertio, caueri, ac euitari poterat, cum posset homo ille, ac debuisset suasionibus diaboli, & vxoris verbis non consentire. Dixerat enim illis Domin⁹ *Attendite ab omni iniquo.*

Eccl. 17.

IV. Quarto, illud peccatum pœna non fuit, sed solum culpa; & ideo pœna digna extitit, & in eo, qui propria voluntate id commisit, & in nobis.

V. Quinto, non tantum illius personale peccatum fuit sed egressum eius personam, factum est cōmune omnium: ita vt dicatur Peccatum mundi, & vitium naturæ, quia totam naturam læsit. Et ideo recte vocatur originale, quoniam in origine nostra, hoc est, Adam admissum, & ab eo in nos fuit transmissum.

Ioan. 1. Peccatum originale cur huius nominis.

II. argumētum ex Paulo. Rom. 5.

Secundo, probatur ex Scripturis, quod illud Adæ delictum sit nostrum originale. Ait enim Apostolus: *Per vnum hominē mors in mundum intrauit, & per peccatum mors*: Estque ibi sermo de delicto originali, vt omnes patres Catholici interpretantur, & Cōcilium Mileuitanum, & Tridentinum definiunt: & probatur etiam ratione; quia ibi loquitur de peccato, ex quo venit mors, vt eius pœna, & supplicium. At à nullo alio peccato mors profecta est nisi ab eo, quod Adæ fuit actuale, & cui pœnam Deus comminatus dixerat: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Originale ergo, quod in mundum intrauit, est etiam Adæ actuale; per quod etiam mors intrauit, vt illius pœna. Deinde ex eodem loco habetur, quod mors, quam Dominus comminatus est, nō tantum corporis fuit, sed etiam animæ, vt Patres omnes testantur, & autoritate Concilii Arausicani, secundi, & Tridentini comprobatur. Fuit autem mors animę priuatio gratiæ Diuinæ, & originalis illius iustitiæ. Quo stante liquidum est, quod carentia illius iustitiæ, est pœna peccati originalis: nō ergo ipsa carentia gratiæ, vel iustitiæ peccatum est, cū hæc sit potius effectus & pœna illius peccati, quod intrauit in mundum, vt manifestum reddatur aliud esse peccatum originale, vnde venit priuatio gratiæ, & iustitiæ, aliud ipsam iustitiæ, & gratiæ priuationem.

Concil. Mileuit. Can. 2. to. Concilior. 1. Trid Synod. sess. 5 in princ. & sess. 6. c. 1 Gen. 2.

Vnde constet, Adam corporis simul, & animæ mortē incurrisse per suam inobedientiam

Conc. Arausica. 2. Can. 2. to. 1. Concil. Trid. Concil. sess 5. pro peinitium.

Quænam fuerit mors animæ.

III. argum. Tertio, illud dicitur esse meum peccatum, & me illud perpetrasse, per quod ego vere peccator constituor. Sed per illam Adæ inobedientiam peccatores omnes constituti sumus, vt ait Apostolus: ergo peccatum illius inobedientiæ, est meum originale. Siue in hunc modum conficias argumētum: Per originale meum peccatum originaliter peccator constituor: si formaliter, vt aiunt Philosophi, loquamur (alioqui insanum esset dicere, me constitui peccatorē per aliud peccatum, quod non esset meum sed alienum) sed per illam Adæ inobedientiam ergo originaliter peccator constituor vt asserit Apostolus: illa ergo inobedientia peccatum meum est originale. Idcirco Paulus non dixit: Per illam iustitiæ carentiam, aut per illam concupiscentiam Adæ; sed: *Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.* Nam circumscripta illa inobedientia, & dato originalis iustitiæ defectu, nō propterea homo diceretur propriè peccator, si ita in puris naturalibus à Deo conderetur.

Rom. 5. Gen 3.

Hanc doctrinam nequaquam Pelagiano dogmati fauere, dupliciter. Pet. Lombars.

Neque dicere potes, hanc fuisse Pelagianorum mentem, quia illi sic exponebant Paulum, vt ait Magister sentent. in secundo: quam etiam reprehendit. Sed primum dico, quod hæc expositio omnium Catholicorum esse debet. Nam ita aperte locutus est, vt qui ex eius verbis hunc sensum non eliciant, plane delirare videantur.

I. ratio.

II. Deinde hæc sententia non est Pelagianorum, sed illis maxime aduersa: dicebant enim illi, peccatum originale ita fuisse Adæ, vt solum fuerit personale illius, & non nostrum; & idcirco nil nobis nocuisse, nisi & nos similiter peccando parentes nostros imitemur ac per hoc non propagatione transfundi, sed exemplo, & imitatione: quod est tandem negare peccatum originale. Idcirco Pelagiani potius sunt, qui nolunt illud Adæ peccatum esse quouis modo nostrū. Quod si nostrum non est, cur per illud morimur? Sin autem nostrum est, quodnam aliud fuerit nisi originale?

IV. argum. Quarto, si illud Adæ delictum nostrum non est; qua igitur æquitate debuit mihi nocere, & ego debeo sustinere pœnas illius? Nocuit enim nobis illud actuale peccatum Adæ, vt aiunt omnes Catholici, quia & eius pœnas sustinemus: ergo & fatendum est illud fuisse peccatum nostrum: non autem nostrum actuale, sed patris nostri, à quo originem duximus; erit ergo nostrum originale.

Vnde constet nobis originalis peccati pernicies.

V. argum. Quinto, quæro ab his qui secus opinantur, Adam ipse habuit peccatum originale, an non habuit? si non habuit, quomodo ergo illud transmisit? si autem habuit, quodnam illud fuit originale quod transmisit, nisi idē illud actuale, vt ait Paulus? Et B. Thomas asserit, quod illud peccatum primi parentis originaliter in nos traducitur, vt habeamus illud: at illud primū peccatum Adæ fuit actuale; quod etiam dici potest plura peccata, iuxta illud: *Ecce in*

B. Tho. 1. secunda q. 81. art. 1. & 3. & in c. 5. ad Rom. 10. 18. & alibi.

peccatum origin. quomodo plura.

Ps. 50.

iniquitatibus conceptus sum, qui in ea fuerunt plures deformitates, nimirum superbiæ, gulæ, inobedientiæ, & timor magis contristandi suas delicias, quam Deum; illud ergo actuale fuit nostrum originale, quod inde contraximus.

Originalis iustitiæ carentiam, & concupiscentiam esse peccatum asserentes, quo illi deuoluantur.

Si autem dicas, quod carentia iustitiæ, & concupiscentia, sunt vere peccatum, quod in nos Adam transmisit; primo repugnant B. Thomæ, qui illa cōcupiscentia non fuit primum illius peccatum, imo neque proprie peccatum, sed pœna peccati: nec de illa dici posset, quod fuerit in nos transmissa quæ cum illo extincta est.

VI. argum.

Sexto, conflatur tale argumentum: Si habere concupiscentiam, vel originalis iustitiæ carentiam, quouis modo in nondum renatis habet rationem peccati, & culpæ imputabilis, quod multi confitentur, & nos nō negamus; hoc certe habet propter peccatum Adæ actuale, nam propter illud hoc est mihi imputabile, & magis peccatum iuxta regulam topicam: *Propter quod vnumquodque tale & illud magis.*

VII. argum.

Septimo, concupiscentiam hanc, vel iustitiæ carentiam, quam multi tradunt esse peccatum originale, omnes fatentur esse peccati originalis pœnam: non ergo suiipsius, sed alterius peccati pœnam: & non potest fingi aliud, quam illud Adæ actuale, illud ergo est vere mihi originale.

VIII argū.

Octauo, peccatum originale traditur esse vnum secundum Scripturas, & Theologos, & Augustinum. quod ita tamen est vnū, vt sit omnium proprium: sed nō potest vnum numero peccatum fingi commune omnium, præter actuale illud Adæ: illud ergo est originale.

IX.

Nono, nullum peccatum est originale, vt quidam volunt, præter concupiscentiā, & iustitiæ carentiam: & quodcunque non est originale personale est, & cuiusque proprium, id est, non egrediens personam eius qui illud patrauit: omne autem proprium, & personale cuiusque non potest aliis nocere, nec imputabile est: illud autem Adæ nobis nocuit, & imputabile fuit, vt etiam Cōcilia definierunt: non fuit ergo personale Adæ proprium, fuit ergo commune omniū, & consequenter originale, quia nullum aliud fuit vnquam, aut potuit esse commune omnium, quia hæc est vera nota eius, qua ab actualibus discernitur, cum illud sit commune cuique, cætera vero propria, & personalia. Et hæc est sola ratio, cur solum Adæ peccatum fuit omnium commune, & alia eius tantum personalia. Dicendum tamen est, hoc spectare ad rationem pacti Diuini initi cum Adam: nam confirmando ea quæ diximus, nullum peccatum actuale alicuius proprium & nō alterius potest alteri nocere ad mortem, nisi ipsi peccanti, dicente Domino: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris*: per illud autem Adæ actuale peccatum omnes mortui sunt non ergo illius propriū, sed commune omnium fuit, ergo nostrum & non actuale nostrum, ergo originale. Cōmune autem fuit, quia in eo negotio conclusi eramus pacto; quod Adam præuaricante, etiam nos in illo, & cum illo præuaricati sumus. Quare Augustinus libro secundo Hypognost. con. dixit: *Cum Adam peccauit natura in illo tota peccauit.*

Originalis & personalis peccati quæ propria differentia.

Peccatum Adæ originale vnde habeatur quod sit omnium cōmune.

Ezech 18.

Osee 6. Gen. 3. B Aug. to. 7 prope fin.

X. argum.

Decimo argumentor ab Scripturis: Dominus enim præcepit Adæ, ne ex ligno scientiæ boni & mali ederet, addita comminatione: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Quæro iam, an illud soli Adæ præceperit, an vero omnibus, quia in Adam considerauit esse omnes, hoc est, totum genus humanum. Si negatur in eo fuisse omnes, cur ergo Eua dixit, sibi esse à Deo illud præceptum, & cur ipsa quoque reprehenditur de commestione? & cur item ex Adæ comestione ipsa damnata est ad mortem? recepit enim mortis sententiam in Adam, nō in seipsa, vt colligitur ex Scriptura, etsi pauci ad id attendant: nunquam enim erubuit Eua, nisi postquam comedit Adam. Filii vero si qui nati ex illis fuissēt, solo Adam peccante similiter puniti fuissent: quia etsi non essent in Adam quantum ad corpulentam substantiam, erant tamen pacto conclusi, & vt parentes in filiis suis tanquam in portione sui punirentur. Secundo omnes, Adam omnium personam sustinebat, quando dictum est illi, Ne comedas: & si comederis, morte morieris. Vt ergo recipiens præceptum in omnium persona ipse vnus quasi vnus est reputatus, & ita omnes in eo recepisse præceptum credendi sunt, quia eramus in eo: ita & ipso præceptum illud præuaricante per illud actuale Adæ etiam cum illo nos transgressi esse legitima interpretatione existimamur, quia in eo eramus secūdum corpulētam substantiam, & secundum Dei pactum.

Gen 2.

Infra 5. In Adam tantum directe, non in Euam à Deo latam esse mortis sententiam quid ostendat.

Gen. 2. Quomodo nos de ligno vetito non edendi præceptum violauerimus, qui nondum eramus.

XI. argum.

Vndecimo, Deus inferens Adæ incommoda, quæ ex originali proueniunt, procul dubio omnes propagandos ex eo comprehendit: propterea illum alloquens, omnes creditur allocutus: quod qui negat Pelagianus est, non Christianus. Dixit enim illi Deus: *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Si ergo pœnarum genera quæ Deus interminatus est Adæ, ad

Gen 3. Supra 2.

vniuer-

Si peccati originalis tantum eõ munis esset pœna, non culpa, quid consequeretur.

Ad peccati rationem, quæ requirantur.

vniuersos spectant; & ipsa causa horum malorum, quam expressit Dominus, Qu'acomedisti de ligno, ad omnes pertinere debet ne sententia Dei teddatur iniqua, non habens communem causam, nec rationem, quæ ad omnes pertineat, quos tamẽ pœnis complectitur. Et absurdum est, vt pars sermonis Dei directi ad Adam ad omnes spectet, & quod attinet ad causam inflictionis maiorum, non spectet nisi ad solum Adam. Cum ergo tota ratio veri peccati, & imputabilis cuique, habeat ratioñe actus, & in Legem Dei admissi, & quod sit voluntarius, & qui potuerit caueri, & qui ab eo sit patratus, cuius esse dicitur: hæc autem omnia quadrant illi peccato Adæ actuali; illud igitur est nostrum originale.

XII. argu.

Duodecimo, qua ratione actus ille Adæ patratus sit à nobis, non omnes facile capiunt: quia non apprehendo qua veritate ego dici possim aliquid fecisse, eo quod illud pater meus fecerit, idque eo præsertim tempore, cum nondum in rerum natura essem. Sed hi videntur ignorare naturam nostrã, qua fit vt filius portio patris sui censeatur. Ignorant etiam & vim pactorum, & naturale esse, filios etiam in ipsis parentibus obligari; & filios iuste consensum paternum sequi debere, interpretantur Legisperiti in his quæ ad lucrum, vel nõ lucrum spectant vel obnentura sunt eis per parentes. Etsi non fuerit vllus consensus noster tacitus, vel expressus: est tamen legitime interpretatus, siue interpretatiuus, quoniam parentum est filiis thesaurizare secundum naturam. Ignorant denique Dei sapientiam, qua prouide factum est, vt ex illo vno parẽte omnis nostra sors penderet, cum ipse esset immediatum Dei plasma eique charissimum; & idcirco dignum, vt ex illius contẽplatione cuncti qui ex illo procederent, dona acciperent, si tamen stetisset. Sicut ergo si ille stetisset, & nos censiti fuissemus cum illo stetisse: sic illo cadente, & nos cum illo cecidisse dicimur. Vnde Esaias dixit: *Cecidimus quasi folium vniuersi*. Si cecidimus; ergo aliquando stetimus. Et sicut stetimus, quãdo ille stetit, ita eõ cadente, vere cecidimus qui modus loquendi est Scripturarum, & Patrum. Nam ad Hebr. 7. Leui fuit decimatus in lumbis Abrahæ, & decimas dedit Melchisedech: dedit autem procuidubio ille, dante illas Abraham. Sic ego dicor comedisse, comedente Adam. Vt Basilius recte dixerit: *Quia non ieiunauimus, exulamus*. Nec mireris recte dici nos fecisse illud peccatum, cum tamen in rerum natura nondum essemus: quia vt censemur nasci in Adam, vel nasci filij Iræ, qui iam non est in re-

Iurisperitorum regula.

Noster in Adam peccante consensus qualis fuerit.

2. Cor. 12.

Diuini pacti Cur Adam parente generis humani conueniencia.

Esa. 64.

Gen. 14.

Heb. 7.

B. Basil. lib. 1. de laudibus ieiuny sub init. 10. 1.

rum natura; ita & peccasse in eo, cum non eramus. Non mireris etiam, quia ait Apostolus mortem regnasse in eos pueros, qui nõ peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, id est, qui non peccauerunt sicut Adam: vnde videtur quod alio peccato peccauerint. Et cum aliud habere pueri nõ possint, quam originale; videtur quod aliud sit originale, aliud illud Adæ actuale. Sed certe ex hoc argumento nihil aliud solide sequitur, nisi quod vere, non similiter peccauimus, vt Adam, licet eodem actu peccauerimus: quia ipse proprio consensu peccauit, nos alieno, id est, suo, & quatenus eramus in illo. Nihil enim prohibet, idem peccatum committi à pluribus, sed non eodẽ modo: nam agentes, & consentientes idẽ peccatum peccant, sed non eodem modo.

Ephes. 2. Obiectiones quatuor in contrarium proponuntur, ac diluuntur.

Rom. 5.

I. obiectio.

Deinde non valet: Si nostrum peccatum originale est illud Adæ actuale, ergo igni perpetuo cruciandi sunt pueri: quia actualis peccati pœna est ignis æternus. Sed respondemus, argumentum hoc bene concludere, si nos illud peccatum simili modo atque ille, id est, proprio consensu, peccauissemus: vt concludit de Eua, quæ proprio consensu idem peccatũ peccauit. Sed quia non simili modo, nec voluntate propria peccauimus, ergo nec simili pœna plectimur. Nec etiam tertio valet: Si peccatum originale nostrum, esset illud Adæ actuale, non baptismo, sed pœnitentia deleretur. Sed hoc infirmum est, quasi actualia peccata omnia, quæ præcesserunt baptisma, non ipso tollantur baptismo, & quasi Ecclesia non publice decantet: Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.

Altera.

III.

IV.

Denique non valet quod quidam argumentantur ab Scholasticis Doctoribus in hunc modum: Peccatum omne diuiditur in actuale, & originale: si ergo diuisio hæc bona est, originale non potest esse actuale. Sed & hoc facile dissoluitur, asserendo, veram diuisionem esse, si per actuale intelligatur cuiusque proprium, per originale vero actuale, & commune omnibus. Diuisio ergo sic conflanda est. Omne peccatum est actus quidam: sed aliud personale non egrediens personam operantis, aliud actuale originale, quod se extendit ad omnes. Sicut Philosophus in Prædicamento qualitatis de Dispositione loquens, ait: *Dispositio, alia est dispositio alia habitus*.

Arist. 10. 9. unis.

Ex quibus colligimus veras peccati originalis notas, quibus à cæteris peccatis actualib. distingui t. Prima nota est hoc ipsũ nomen, quod dicimus originale, & significat ipsum peccati autorem, in quo peccauimus: quod se extendit ad omnes, quia fuit origo

Hæc præcipua originalis peccati conditio quęnã sit.

origo nostra, quæ illud amisit. Et quia hoc non satis est, eo quod origo nostra alia peccata admiserit, ideo addere oportet, aut declarando restringere, quod peccatum originale est illud quod ipse Adam vt pater noster, & origo nostra commisit, id est, vt principium nostrum, & continens nos ipsos in vi mandati, ac pacti in semetipso. Et hæc nota pulchre pertinet ad illum peccatū, quia cum sit commissum ab illo vt origine nostra; vnum est, & commune omnium quod in nos etiam originaliter, hoc est ab ipsa origine Adamo, propagatione transfertur.

Aliarum ille fons, & origo est.

Aliæ vero notæ peccati originalis ab ista descendunt. Hæc ergo est vera nota, quod cū sit vnum, & ab vno tantum propria ipsius voluntate patratum, est tamen commune omnium: quod vere dici nō potest de mea, vel de alterius concupiscentia, quæ numero plures sunt, & quælibet est personalis cuiusque, non communis omnium: nec transfunditur ex vno in alterum sicut peccatum originale. Inde etiam peccatum naturæ illud solum vocatur: eo quod natura ipsa quodam modo illud visa est admisisse, cum peccauit ille, qui humanam naturam in se ipso sustinebat, & in hoc facto gestabat. Hinc homo ille magna ratione dicitur Adam, id est homo: vt nomē etiam totius speciei esset illi proprium.

Peccatum originale, peccatum naturæ cur dicatur.

Gen. 3.

Quod autem peccatum sit vnum numero, docet Apostolus ad Rom. 5. *Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum: nam iudicium quidem ex vno, in condemnationem; gratia autē ex multis delictis, in iustificationem.* Quod autem hoc vnum numero fuerit omnium, & in omnes sparsum, idem Apostolus ostendit diceudo, quod peccatum intrauit in hunc mundum, & per illud mors. Intrauit autem, non in seipso, quia peccatum actus fuit transiens, sed macula, reatu, & cæteris effectis, quæ illud consecuta sunt.

Peccatum originis vnde certum sit esse vnū numero, & non plura.

Ne vero quisquam dubitare de hac doctrina tanquam minus catholica, aut de nouitate suspecta valeat: dicimus in primis, hanc doctrinam Pauli esse in catholico sensu intellecti, & conciliorum omnium Catholicorum. Deinde constat esse B. Augustini, qui in Enchiridio cap. 44. & 45. vocat manifeste originale illud Adæ actuale, quod vnum fuit; & tamen potest dici numero esse plura propter plures quas habet deformitates. Et hoc idem asserit lib. 3. de libero arbit. c. 19 Et denique quoties docet quod omnes peccauimus illud peccatū Adæ, quia in illo continebamur omnes quasi vnus: Siue, inquit, dicamus, in quo Adam siue in quo peccato, sanum est, quia sicut ab illo homine vno, sic ab illo vno peccato immunes esse non possent. Lege librum De corrept. & grat. ca. 10. & libr 6. in Iulianum. Et l. 4. contra duas epistolas Pelagiano. c. 4. vbi habet: Aut enim in illo homine peccauerunt omnes, & ideo dictum est (Per vnū hominem peccatum intrauit in mundum) quoniam quando ille peccauit, in illo erant omnes, aut in illo peccato peccauerunt omnes, quia generaliter omnium factum est, quod nascentes tracturi erant omnes. Et lib. 3. de peccat. meri. & remiss. c. 7. in fine *Nec illud liquide dici potest, quod peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cum Scriptura dicat In quo omnes peccauerunt. Nec si dicuntur ista aliena peccata, tanquam omnino ad paruulos non pertineant, siquidem in Adam omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura illa insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt: sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quicquid erat in futura propagine, vita vnius hominis continebat.* Basil. etiam homil. 1. De laudibus ieiunii: *Quoniā, inquit, non ieiunauimus, exulamus à paradiso.* Chrysostomus in illud: *Vsque ad legem, enim peccatum in mundo erat*, peccatum eo loco docet non esse legis Mosaicæ transgressionem, sed primi hominis inobedientiam, qui cuncta vastauit. Quib. verbis quid breuius, aut planius, aut illustrius? Bernardus quoque serm. in cœna Domini: *Dixi vobis sæpius, nec mente excidere debet, quoniam in casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super aceruum lapidum, & in luto. vnde non solum inquinati, sed etiam vulnerati, & grauiter quassati sumus.* Hæc ille. Et quid est *in casu Adæ cecidimus omnes*; nisi, illo peccante peccauimus? Adde Thomam, qui prima secunda quæst. 81. art. 1. Secundum fidem, inquit, catholicam est tenendum, quod primum peccatum primi hominis originaliter transit in posteros. Et alia quæst. ait: *Peccatum originale potiori ratione fuit in Adam, quia fuit in illo secundum rationem actualis peccati*: Ex quibus patet, quod Adam habuit originale peccatum; & non certe aliud nisi nostrum, quia reuera non sunt plura originalia peccata. *In hoc tamen differt* (ait Thomas) *originale peccatum, quatenus fuit in Adam, à semetipso quatenus fuit in nobis: quia in illo habuit rationem actualis culpæ, quia illud propria sua voluntate admisit: in nobis autem non ita, quia non propria voluntate, sed parentis dicimur illud commisisse.* Sic ille. At Bonauentura docet: *Contrahimus peccatum originale, quia in Adam peccauimus eo modo, quo in ipso eramus.* Et quāquā hi duo Patres aliter postea definiant, & scribant, dicentes esse originalis iustitiæ carentiam: mirum esse non debet, quia in re obscurissima versabantur. Caietanus certe in

Quam Fidei consona, doctrinæque Patrum consentanea sit peccati originalis tradita definitio.

B. Aug. to. 3.

Idem to. 1. circa fin.

Idem to. 7.

Idem ibid.

Idem ibid.

B. Basil. sub initium ser. 1.

Chrys. ser. 10 in princip. to. 4. enarrat.

B. Bernard.

B. Thomas to. 11. par. 1

Idem q. 83. art. 1. ad 2.

Idem.

B. Bonauent.

Caietan.

c.5.ad Rom. *certum est*, inquit, *quod de peccato A la est sermo. Quod cū fuerit simu' actuale ac origi:ale vtroque modo vtitur hic illo Paulus.* Gaspar Sagerus Minoritanus, vnus inter primos, qui hastam intorsit in Lutherum, In tertia Indagine De bono opere, de peccato Adæ Ira scribit : *Peccatum quod in Adam fuit actuale & in sua potestate originale, est mortale, cōstituens filium ira Dei.* Acceditt Billichius ordinis Carmelitarum Prouincialis minister, qui nostra ætate pro Catholicis in Hæreticos egregie decertauit: qui hanc sententiam ex Pau'i verbis & educit, & tuetur. Ad de præterea Albertum Pighium, qui integram controuersiam in hac sententia propugnanda expendit. Cuius assertioni asséctitur Franciscus Viguerius Granatensis c.17. de Quidditate peccati, sententiam Pighii de pecca:o originali, præferens illi B. Thomæ: & docet quod analogice & impropne nō est peccatum, sed respectu Adæ tantum non autem in seipso absolute. Et certe Pighius quæ iā in sua illa disputatione adduxit contra Augustini doctrinā, quæ Pelagiano errori fauere videntur: & ideo attente, & caute legendus est. Sed nullus neque doctius, neque solidius de hoc articulo disseruit meo iudicio, atque Ambrosius Catharinus: ad quos autores consulendos libenter lectorem huius rei auidum mittimus. Et de his hactenus.

Gaspar Sage.

Billichius.

Alber. Pigh

Franc. Vigue. Alberti Pighii doctrina de peccato originali in quibusdam Pelagianismo fauet.

Ambrosii Catharini laus.

DISPVTATIO XLVII.

In qua disseritur qua ratione concupiscentia dici possit peccatum originale , & quomodo intelligendum sit quod dici solet de transfusione huius peccati in posteros.

QVo Maiori luce ea quæ dicta sunt, & quæ dicenda erant , perfundantur, quædam tanquam certa, & omni acceptione digna præmitto. Primum est, Deum ab initio hominem rectum, & integrum condidisse. Hæc autem integritas aliud non erat, quam gratia, & iustitiis, quibus non solū bene dispositus erat cum Deo ad lucrum æternæ felicitatis supra sui naturam, verum etiam quatenus homo ita erat compositus manu Dei, vt in omnibus partibus suis mira resultaret harmonia, trā quillitas, & pax. Nam pars superior Deo, vt par erat, vniebatur: inferior vero quæ in sensu sita est, menti obediebat; illam à bono non abstraheus neque ad malum trahēs : corpus etiam Dei prouidentia moriturum non erat, si præceptum obseruasset. Ideo in illo statu natura hominis dicebatur integra.

Adam natura integer, & perfectus à Deo conditus fuit.

Eccl. 7. Illa integritas qualis fuerit.

Gen. 2.

Secundum præmitto, Adam eiusmodi dona non pro se tantum accepisse, sed pro vxore, & cunctā posteritate : & ideo obligauit seipsum ad retinendā illa dona, & fructus eorum reddendos tempore suo: quod superius statuimus ex sacris literis, in quib. traditur pactum inter Deum, & Adam initum, tradunt etiam vniuersi Theologi, qui definiunt, peccatum originale esse nihil aliud , quam origina'is iustitiæ carentiam cum debito habendi eam : quod sane debitum sine pacto aliquo intelligi nequit.

Quatenus Adæ, & ei posteris fuerit collata.

Tertium pono, quod cum ego aliquid ex lege Dei obligatus sum habere , & non habeo, sum obligatus sum non habere, & ha beo, non male, neque falso dicor peccate. Hoc enim habere, quod teneris non habere, & è conuerso non habere, quod teneris habere, sonat actum inordinatum contra legem Dei: sicut qui habet concubinam quam iubetur non habere, & qui sine causa dimisit vxorem, quam tenetur habere, vterque peccare merito dicitur. Quod verum est, quando id , quod obligatus sum habere, ob culpam meam non habeo, quia flagitio se expuli à me, & vitio meo. Si autem absque culpa non habeo, quod obligabar habere , aut habeo quod obligabar non habere imputari ad peccatum profecto non debet.

Non habere quod debet per Dei legem vel habere quod non debet, id homini ad peccatum imputari. Hæc doctrina illustratur exē plo.

Quibus tanquam certis , & exploratis præmissis, exorto peccato, & amissis innocentiæ pristinæ donis, ex quo carnis concupiscentia, & dominatus assequitur, asserimus, quod recte, & proprie loquendo, non potest dici de concupiscentia, quod sit peccatum, quia illa actus non est , sed simile quid habitui, de quo rectius dicitur quod sit morbus, & vitium , & languor naturæ, aut aliquid huiusmodi. Habitus enim si boni sunt, non dicuntur peccata, sed vitia , si mali sunt: si boni nō officia, sed virtutes vocantur. Non enim per habitus meremur, aut demeremur, vt docet Thomas, sed actibus , id est agentes aliquid , quod deberemus non agere; vel omittentes quod agere deberemus: nam omissio sub commissionis vitio includitur. Deinde assero, quod homini filio Adæ nondum baptizato, habere istam concupiscentiam , peccatum est, quia debet non habere illam: quod probatur, quia lege Dei tenetur habere iustitiam originalem: quam habendo, concupiscentiam certe non haberet. Illustrabo rem exemplo: Pellex, vel concubina peccatū non est:

I. assertio. Concupiscentiam secundum se & proprie peccatum non esse.

Quid sit.

B Thomas 2. dist 27. art.1. ad 4. & alibi, to. 6.

II. assertio.

Exemplū huius rei.

est: habere tamen pellicem, vel concubinā, peccatum est. Ita concupiscentia per se non est peccatum, sed vitium, vel morbus quidam. Habere tamen illam in nondum renato, equidem peccatum est: quemadmodum & carere iustitia originali, quia hanc obligabor habere, & non habere illam concupiscentiam. Nā qui non habet sua culpa quod habere obligatur: & qui habet suo vitio, quod non habere obligatur, peccatum est illi.

I. obiectio. Quomodo illud verum sit. Si Adæ inobedientia peccatum originale pueri esse defenditur.

Sed instabit aliquis: Si habere concupiscentiam, puero est peccatum, & non actuale, ergo originale: quod si hoc est originale, non fuit ergo illa inobedientia esus ligni vetiti: nec enim sunt duo peccata originalia, sed vnum tantum. Respondemus falsum esse quod habere concupiscentiam, non sit actuale peccatum, etiam in pueto. Sunt enim actus etiam in puero: actus enim eius est habere illud, quod non debet habere.

II. obiectio

Secundo instabis: Non est actus voluntarius in eo. Imo voluntarius aliquo modo, alioqui quomodo ipsi inueniunt peccatum in puero imputabile, quodcunque sit illud, cum omne peccatum sit voluntarium? Vt ergo ipsi docent, quod sit voluntarium voluntate Adæ; Ita ego assero, quod carere iustitia, & sic habere concupiscentiam, computatur inter actus voluntarios voluntate tamen primi parentis admissos. Tertio asse-

III. assertio.

ro, quod habere hanc concupiscentiam puero ideo est peccatum, quia comedit illum fructum vetiti ligni, quod prius illi peccatum fuit; & ideo magis dignum vt peccatum dicatur, & propter hoc habet, vt habere concupiscentiam sit peccatum. Nec propterea sequitur plura esse originalia, etsi pluraliter Scriptura dicat: *Ecce in iniquitatibus cōceptus sum*: quia reuera plura originalia non sunt, sed vnum tantum, ex quo tamen multa mala proueniunt: quorum nonnulla cum rationem peccati, & imputabilitatis secum ferant, sicut est habere hanc concupiscentiam, etiam possunt dici aliquo modo peccata, non ex se, sed propter illud primum: nam propter illud imputatur, vt omnes volunt, vt sic dicantur magis vnum, quam plura. Hinc Augustinus pluralia vocat numero originalia quæ tolluntur peccata. Et lib. 3. de libero arbit. cap. 10. ita scribit: *Illud quod ignorans quisque non recte facit, & quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt: illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod mouemus in ore dum loquimur, sed etiam illud, quod huius membri motum consequitur, id est formam, tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina: sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum libera enim voluntate, & ab sciente committitur; sed etiam illud, quod iā de huius supplicio consequatur necesse est.* Hæc Augustinus.

Hoc si verum est, quomodo possit cum peccati originalis vnitate consistere.

Ps. 50.

Aug. to. 1. circa finem

Exemplū Augustini satis appositum.

III obiect.

Quod si adhuc instes; Si habere concupiscentiam, etsi improprie, peccatum dicitur, ergo habere ignorantiam, quæ ex illo, peccato venit, vt dici possit peccatum; & ita de aliis, vt habere corpus mortale, & corruptibile. Respondeo, Thomam non negare ignorantiam pertinere materialiter ad rationem peccati; reliqua autem mala, quibus tēporaliter plectimur, non ita dicuntur peccata, quia in eis non sic apparet illius peccati malitia, qua amplius reddimur ad peccandum habiles, & propensi, sicut accidit à concupiscentiæ fomite, & à boni ignoratione. Quod Paulus exprimens, dixit: *Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti*: corpus etiam peccati vocauit vniuersum malum, quod sub illo primo peccato comprehenditur: at hæreticum, & blasphemum esset, asserere, baptizatis imputari peccatum originale, aut carentiam originalis iustitiæ, aut concupiscentiæ, quam iusto iam insito, & incorporato in Christo non imputatur ad vllum peccatum. Fit autē baptizato hæc remissio ratione quidē meriti per ipsius Christi obedientiam, quam mihi donat, vt Adæ inobedientia non imputetur amplius: quia non imputata, tedeo in primam gratiam cum Deo, qui per Spiritum sanctum infundit donum charitatis mundantis, & sanctificantis, vt sim per illam quasi per formam coram illo iustus: non autem per illam Christi iustitiam imputatam, vt aiunt Hæretici, sed per infusum charitatis, donum, quo tollitur peccati macula, & reatus, & omne malum, in quantum est illius peccati pœna: vt mors, fomes, ignorantia, quæ manēt tantū ad exercitium, & meritū, & nō amplius peccati pœnā, siue suppliciū.

B. Thom. 1. 2. q. 76. art. 2. & sæpe alias, & 3. par. 1.

Rom. 7.

Supr. 6. Corpus peccati quid Paulo.

Quomodo hæc cōcupiscentia ad peccatū non imputetur. *Rom. 5.*

Contra imputatam Hæreticorum iustitiam.

Iam de altero articulo Transfusionis disseramus. Conflatur enim in primis tale argumentum: Si originale nostrum fuit illud Adæ actuale, certe actus quidam fuit, & nō potuit transfundi, quia accidēs de subiecto in subiectum non migrat. Sed certe hoc argumentum similiter tangit eorum sententiam, qui ponunt, concupiscentiam esse peccatum originale, quæ etiam accidens est & tamen dicitur transmitti, & similiter eos, qui ponunt esse originalis iustitiæ carētiam: de qua quæso doceant nos quomodo possit transfundi. Sed quia absurdum absurdo non tollitur, nec sic argumentum

Negantes Adæ inobedientiā in posteros posse transfundi, quā leui ratione ducantur.

instan-

inſtantiis peremptum reiiciendum, res declaranda venit, quod iuxta modum Sacrarũ litterarum peccatum actuale transfundi dicitur non in ſe, ſed in ſuis effectibus. Hinc enim dixit Domin. ad Cain, *Nonne ſi bene egeris, recipies; ſin autẽ male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit?* Sed quomodo adeſt peccatum in foribus, quod iam actu tranſiit, niſi in effectu maculæ, & reatus, & ſimilibus effectibus? Similiter Dauid precatur: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo mũda me: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco; & peccatum meum contra me eſt ſemper*: Quomodo quæſo à peccato, quod iam pertranſierat, mundari petit: & quomodo erat contra ſe ſemper, niſi quia remanſerat in reatu, & remorſu conſcientiæ? Alio autem modo quærere trãsfuſionem, vanum eſt, & in multos inducit errores, & in inanes diſputationes de qualitate morbida in ſemine, vel in carne generati, vel generantis: quæ à doctis omnibus exploduntur. Actualia etiam peccata tolli, & deleri Baptiſmo, vel Pœnitentia dicuntur: quomodo enim delerentur, ſi in ſuis effectibus non manerent, vt in macula, & reatu, quibus ſublatis, ipſa quoque ſublata dicuntur. Sicut Nathan dixit; *Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum: non morieris.*

Gen. 4.

Quid adeſſe peccatum in foribus, vt Deus inquit.

Pſal. 50.

2. Reg. 12.

Modi vero transfundendi peccati, qui à quibuſdam traduntur, deficiunt, & propoſitum ſcopum non attingũt. Nam in primis exemplum, quod adferri ſolet de podagra, lepra, vel amentia, quia leproſus gignit leproſum, & ita transfundit peccatum, vt aliquando dixit Thomas in ſecundo ſentent. inualidum eſt. Quia etſi vitia parentum redundent in corpus, vel in animam prolis; in illa tamen rationem culpæ nõ habent, quia non ſunt voluntaria. Deinde in quæſtionem merito venire poſſet, cur alia peccata quæ peiora ſunt, & magis inficiunt, quam originale, in filios non redundent?

Proponũtur quatuor transfundendi modi, ac refelliſtur.

I. modus.

B. Tho. in 2. diſt. 31.

Proponit, & alterum exemplum Thomas: nam ex Porphyrio producit, quod participatione ſpeciei plures homines ſunt vnus homo: idcirco illa Adæ voluntas noſtra fuit. Sed in hoc dici poſſet, quod etſi natura communis ſit; non tamen propterea communis malitia eſſe debet, quæ eſt contra naturam, atque ea ratione omnia peccata fierent communia, & Chriſtus de malitia participaſſet, ſicut de natura humana participauit. Adhæc peccatum cuiuſuis alteri eſſet commune, quia omnes ſumus vnus homo, non particularis, ſed communis qui in quolibet pariter inuenitur: & iuxta Logicam, & Metaphyſicam conſiderationẽ. Tertio exemplum Principis, qui quod facit, ab omnibus ciuibus factum eſſe dicitur: quia videlicet actu in Regem, vel in Principem cõſenſerũt, ad rem propoſitam nõ facit: quia hoc de Adam minime fecimus, cum in rerum natura nondum eſſemus: nihil enim illi cõmiſimus. Item peccata Principis, ſubditis, niſi propria voluntate participauerint, non nocent, etiamſi eorum quę ad rem communem ſpectãt ciuitatis iacturam pati poſſint.

Alter modus.

Idem prima ſecunda. q. 81. art. 1. ro. 12. pag. 2.

III. modus.

Quarto deniq; non eſt ad rem, quod de homicidio manu perpetrato adhiberi ſolet: quod quidem dicitur hominis, quia per manum eius perfectum fuit; ita nos tanquam membra Adæ illud peccatum patraſſe. Sed certe in hac cauſa peccatum actuale eſt tam manus, quam hominis, licet valde improprie ſit peccatum manus, quę vt inſtrumentum nihil peccauit, niſi etiam ipſum enſem peccaſſe dicamus: magis autem profecto peccaſſet manus, ſi pro imperio voluntatis actum illum non perfeciſſet. Hinc Mutius Scæuola errore alium, quam quem volebat, interficiens, quaſi erraſſet manus, volam igni tradidit comburendam. Deinde qui homicidium perpetrat, manu, quaſi inſtrumẽto vtitur: at vero Adam nullo noſtrum vſus eſt, quaſi inſtrumento, nondum enim eramus in rerum natura. Alioqui ſi ſolida eſſet vero, idem concluderet de quouis alio peccato aliorum parentum. Ad hęc cum Adam actiuo generationis principio mouit, non peccauit, ſed antea iam peccauerat: quomodo ergo fuimus inſtrumenta Adæ ad peccãdum? Vides igitur quam debilia ſint omnia iſta & rationi minime nixa, & parum ad probandum idonea?

IV. modus.

Mutius Scæuola cur ſe altera manu priuauerit.

Quod igitur non ſine deriſione Pelagiani argutantes proferebant, per quas rimulas hoc peccatum ingreſſum ſit in mundum cum tot eſſent innocentiæ præſidia: cum illi qui generant parentes concumbendo forte non peccauerint, quia rem non illicitam faciunt, imo etiam à Deo imperatam: qui etiã ex charitate, vt filios procreent benedictionis, accedunt: Ille etiam, qui generatur, non peccat, quia generatur, aut dum generatur: Deus etiam, qui animam creat, & creando corpori infundit, non peccet. Reſpondemus, quod his non obſtantibus, quæ facile fatemur, adhuc tamen, qui concipitur, & naſcitur, peccator eſt coram Deo, non propter nouum aliquod pactum, ſed propter illud antiquum, quod quilibet noſtrum peccauit cum patre Adam exiſtens in illo peccante, & comedente. vnde & creditur cum illo comediſſe, & peccaſſe quilibet noſtrum ſecundum pactum, & intellectum Dei, vt explicatum eſt. Vnde Aug. Iuliano eiuſmodi argum. obiicienti reſpondet: *Apoſtolus dicit: Per vnum hominem intrauit peccatũ in mundum:*

Pelagianorum cõtra eandẽ Transfuſionis veritatem argumentis reſpondetur.

Aug. ſerm l. 3. contra Iulia. c. 24. à medio tum alibi tom. 7.

dum: quid quæris apertius? quid quæris inculcatius? quid quæris planius? Quid quæris rimam, vbi habet apertissimam ianuam? Hæc ille. Et huic quæstioni de Transfusione hæc pauca sufficiant.

DISPVTATIO XLVIII.

In qua differitur de incommodis, per originale crimen inuectis, & an pueri hoc solo peccato infecti præter diuinæ visionis carentiam, etiam pœna sensus in gehenna crucientur.

Arist. lib 6. Polit. ca. 4. in fin. 10. 3. I. Incommodum.

VEre dictum est à quodam huius mundi sapiente: Dato vno inconuenienti, plura illud consequuntur. Nam ecce primum illud Adæ peccatum multa mala in genus humanum inuexit: quæ quidem omnia à Paulo vno verbo mortis explicantur, cum ait: Et per peccatum mors: etsi appellatione mortis præcipue veniat subtractio gratiæ, & amissio spei vitæ æternæ, & spoliatio doni iustitiæ originalis, & immortalitatis.
II. Secundum, est ignorantia, & error in his, quæ homo sine vitio ignorare non potest. Nescit enim homo aut finem suum, aut media, per quę illum attingat.
III. Tertium: Consecuta est mentis nostræ ad carnem suã affectio, quia, quod natum est ex carne, caro est: & Nemo suapte natura carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam. *Ioan. 3. Ephes. 5.*
IV. Quartum, est potentia carnis, & dominatus in mentem: *Video*, inquit Apostolus, *aliam legem in membris meis, repugnantẽ legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati.* *Rom. 7.* Et alibi dicitur: *Non est timor Dei ante oculos eorum*, scilicet filiorum Adæ. *Psal. 13.*
V. Quintum, diaboli tyrannis, & vis in corpus, & animam dominans. Nã ingressus in corpus illud obsidet, & cruciat: ingressus vero in animam, illam ad malum solicitat, & in omne teterrimum peccatum præcipitat.
VI. Sextum: exilium paradisi, & omnium creaturarũ, & animalium, quæ seruiebant, rebellio elementa etiam, & cæterę creaturæ ius sibi ad nocẽdum infinitis modis vindicarunt.
VII. Septimum incommodum mors est, & timor mortis discruciãs, & perfecta corporis corruptio, vsq; ad incinerationem.
VIII. Octauum, est diuinæ gloriæ, & visionis, & fruitionis eius in perpetuum carentia: quæ pœna eadem est cum prima, vel illã necessario consequitur. Ac de his pœnis nemo, quod sciam, Catholicus dubitat.

An pueri ob solum originale pœna sensus apud inferos torqueantur, necne.

Cæterum an etiã pueri, qui eo solo peccato tenentur, ad pœnam sensus in gehẽna sustinendam detrudantur, dubium est apud Patres, tum veteres, tum recentiores, qui in varias sententias dissecti sunt: etsi pauciores extiterint, qui id affirment, plures vero, qui id negent. Et quoniam hæc posterior pars mihi semper magis visa est & Scripturis, & Patribus, & pietati Dei magis consentanea, & faciliori negotio, quę obiiciuntur, dissoluere: propterea eam nos sententiã hoc loco & propugnabimus, & constabiliemus.

I. Ratio ab Scripturis.

In primis igitur ratio sit ab Scriptura sacra deprompta: Nunquam illa suppliciũ crucians in gehenna comminatur, nisi pro peccato actuali, siue personali. Nam Ioan. 3. habetur: *Hoc est iudicium* (hoc est damnatio) *quia Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam Lucem.* *Ioan. 3.* In parabola etiam ouium, & hœdorum, in ignem ęternum mittuntur, qui noluerunt opera misericordiæ in proximum exercere: *Matth. 25.* *Ibidem 8.* & in parabola virginum illæ, quæ noluerunt præparare se ad nuptias & non habuerunt oleum secum. Et in parabola ad cœnam, & ad prandium, & ad nuptias filii Regis inuitatorum, venire nolentes, & inuentus in ea sine veste nuptiali, ligati mitti iubẽtur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium. *Luc. 14. 16. & seq. Matt. 22. Matt. 22.* Pueri aũt nec inuitati sunt, nec habere vestem nuptialem potuerunt. Et in parabola talentorum, & minarum, non tantum, qui abutitur, sed etiam qui non vtitur talento, & mina damnatur. *Matth. 25. Luc. 19.* Et in parabola percutientis conseruos suos: & in parabola agricolarum, nonnisi male operantes, & seruos à domino vineæ missos & filium eius occidentes, tandẽ in gehennam puniendi detruduntur. *Supra 18. Infra 20. Matt. 21.* Pharisæis quoque nonnisi pro peccato actuali supplicium æternum comminatur cum in illos iactat, *Væ vobis, væ vobis.* *Infra 23. & seq.* Idem de Epulone asseritur Luc. 16 & in vniuersum Rom. 2. habetur, quod reddet vnicuique secundum opera eius. *Luc. 16. 19. & seq. Rom. 2.* Quæ in pueris locum non habent, quia opera habere non potuerunt. Paulus etiam in posteriori ad Corinth. ait: *Oẽs nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum.* *2. Cor. 5.* Et rursus Apocal. 22. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuiq; secundum opera sua.* *Apoc. vlt.*

II. Ratio.

Secũda ratio sit: Cum duo in peccato inueniantur, alterũ est, auersio à summo bono, alterũ conuersio ad bonum creatũ: duplex proinde pœna peccato debetur. Primo quidem respondet priuatio visionis Dei in æternũ; secundo vero pœna sensibilis, quæ mẽsuratur cũ delectatione habita in peccato, iuxta illud; *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit; tantum date illi tormẽtum, & luctum.* *Supra 18.* Si enim, qui nõ est delectatus, affligeretur, nõ esset tantus luctus, quanta fuit voluptas,

sed

ſed eſſet maior: atqui pueri nullam habuerũt in peccato delectationẽ, nullã ergo ſentire pœnam affligentem debent. Et confirmatur ex eo, quod cum Deus pronior ſit ad miſerendum, quam ad puniendũ: derogar eius bonitati, quod aliquem pro eo, quod vitari non potuit, erucier. Quare actuali peccato, pœna debetur, nõ originali, quod nullã habuit delectationẽ, niſi in illis tantũ, qui propria voluntate deliquerunt, vt primi parentes. Atq; hęc eſt ratio B. Tho. in 2. ſent. Et confirmatur ſent. Deut. 25 *Pro menſura peccati erit & plagarũ modus.* Si ergo pueros innocentes plagis afficeret, pro menſura delicti non eſſet modus plagarum.

Proprium diuinæ bonitatis.

B. Tho. in 2. diſt. 33. q. 2. art. 2. ro 11 p. 1. Deut. 25.

III. Ratio.

Tertia ratio: Omnes in gehennam damnati, qui pœnam ſenſus experiuntur, vellent magis (etſi per accidẽs) non eſſe, quam eſſe: quia vt habet gloſ. in verba illa Iere. 20. Maledicta dies, in qua natus ſum: Melius eſt non eſſe, quã in ſuplicijs eſſe. Imo etiam in hac vita plerunq; videmus nonnullos ad euadendas anguſtias, quas patimur, mortem deſiderare, & plerunq; in vitam abrumpere. Vnde ſępe viri graues, & ſapiẽtes habiti in hoc mũdo, mortem ſibi conſciuerunt, vt in manus hoſtium non venirent, aut vt dolores, quibus premebantur, amputarent: vt M. Cato, & Brutus, & Pompon. Atticus, Adrianus quoq; Imperator epiſtolã ſcripſit, in qua de tarditate mortis queritur; & acerbiſſimos dolores recenſet, quos, diutius mortem expectando quam vellet, ſuſtinebat. Et Chriſtus de Iuda dixit, *Bonum erat ei, ſi natus nõ fuiſſet homo ille.* At tales pueri non appetunt non eſſe, imo illi malunt ſic eſſe, quam non eſſe, vt docet Auguſt. nõ ſunt ergo ita damnati, vt puniantur pœna ſenſus.

Gloſſ. ordi.

Matth. 26.

Aug. l. 3 in Iulia. ca. 8. prope fi. t. 7.

IV. Ratio.

Quarta ratio: Si poſt mortem illi ſolo peccato originali detenti dolebunt de culpa, aut de pœna: ſi primum: erunt iuſti, & amici Dei. Nemo enim vere de culpa aliquam pęnitentiam agit, niſi aliqua Dei gratia præueniens fuerit. Si ſecundum; Cum omnis pœna à Deo inflicta ſit iuſta, tunc ipſi dolebunt de re iuſta, & cõſequenter iniuſti euaderent, & malam haberent voluntatem, & tunc iam non ſolo peccato originali detinerẽtur, ſed etiam actuale impatientiæ crimen incurrerent.

Nulla eſt ſine perueniente gratia Dei vera de peccato pœnitẽtia.

V. Ratio.

Quinta ratio: Pone pueros poſt hanc vitam dolore aliquo affligi: aut hi ſpẽ euadẽdi eum cruciatũ habebunt, aut non habebũt. Primũ dari nõ poteſt, quia ſunt in ſtatu immobili. Si concedatur ſecundũ, iã deſperationis crimine inuoluerẽtur: at deſperatio pęna maxima eſt, nõ ergo ſpectabit ad pueros, qui pœna mitiſſima ſunt plectendi, vt docet Auguſt. in Enchri. Et confirmatur ratione Scoti. Ex diuina namque ordinatione conſtitutum eſt, vt in quocunq; loco ceciderit lignum, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, ibi ſit: non poteſt ergo homo nouã voluntatis diſpoſitionem habere poſt mortem Pueri ergo, qui in vita nullam habuerunt voluntatis deordinationem non poſſunt contriſtari de ſtatu illo, in quo Deus illos eſſe voluit.

Deſperatio magnũ malum, & ſuppliciũ in damnatis.

Aug. c. 93. tom 3. ſub init. Scot. in 2. diſt. 33 q. vnica Eccl. 11.

I. locus.

Quod ad Scripturas attinet: præter ea, quæ ſuperius producta ſunt, in primis occurrit Iob. cap. 3. *Quare non, inquit, in vulua mortuus ſum, egreſſus ex vtero nõ ſtatim perij?* Et infra ſubdit: *Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem.* Vbi liquidum redditur, quod Iob optabat ſe mortuum fuiſſe in vtero matris, ne præſentis vitæ miſerias pati cogeretur. Conſtat vero, quod ſi mortui, poſt mortem cruciarentur æterno igni, tale deſiderium Iobis fuiſſet ſtultum: nulla, quippe huius vitæ pœna æquiparari poteſt gehennæ ſupplicio. Et ob id de Iuda forte dixit Dominus: *Bonum erat ei ſi natus nõ fuiſſet homo ille.* Secundo, eſt textus Matth. 25. vbi qui noluerunt exercere charitatis opera, in ignem mittuntur æternum: qui vero illa præſtiterunt, ibunt in vitam æternam: cum igitur pueri non ſint cum illis connumerandi, qui potuerunt & noluerunt, neq; cum illis qui potuerunt, & voluerunt illa opera præſtare neceſſario dandus eſt medius locus inter illa duo extrema, Gloriæ, & Inferni. Tertio, Daniel. cap. 12. ait: *Multi de his qui dormiunt in terra puluere euigilabunt: alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant ſemper:* cum multos dixerit, non omnes voluit intelligi pueros excluſos, qui nec in vitam ęternã, nec in opprobriũ ſempiternum reſurgent. Quarto, Ezec. 18. vetatur prouerbium illud: *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt:* quod idem eſt, ac ſi dicerent, Parentes noſtri immature vſi ſunt voluntate ſua contra Deum peccantes: at filii paſſi ſunt pœnã ſenſus peccato parentum debitam. Et ſubdit, *Ecce, omnes animæ, meæ ſunt, vt anima patris, ita, & anima filij, mea eſt:* id eſt, Animam filius non accipit à patre ſed à Deo. Et addit: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur;* nimirum morte ſecunda, quia primam mortem, id eſt, priuationem vitæ, & gratiæ, & gloriæ, vnuſquiſq; ab Adam accepit. Subiungit: *Filius non portabit iniquitatẽ patris;* id eſt, pœnam ſenſus peccato patris debitam, quam vnuſquiſq;, vt onus pro altero portaret: quod vt acciperemus de perſonali peccato ſubiecit; Et pater non portabit iniquitatem filij. Secus autem eſt pęna non lucri. Vt enim meritũ Adæ ex pacto eſſet etiã filiorum ſuorum quantum ad lucrum, ſi ille

Iob. 3.

Cur Dominus de Iuda dixerit, Melius illi eſſe, ſi natus non fuiſſet.

Matth. 26.

II. locus.

III. locus. Dan. 12.

IV. locus. Ezech. 18.

Ibidem 4.

Vnde contrahatur mors prima, & vnde mors ſecunda.

Ibidem 20.

ſtetiſ-

stetisset, ita peccatum eius nostrum est quãtum ad amissionem lucri tantum, non lucrum autẽ proprie non dicitur portari: etiamsi alio loco dicatur quod Dominus visitat iniquitatem Patrum in filios, quatenus in eis qui illam pœnam alias promeriti sunt, puniuntur parẽtes. quia filii portio sunt parentum: vel si filii illa pœna digni non erant cedit tamẽ eis in exercitium virtutis, & meritum. Quinto: Dominus Ioan. 3. pronuntiauit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, nõ ait, punietur igne æterno, quia pueri tãtum Dei regno priuantur, non autem aliis sensus pœnis plectũtur. Sexto: Ecclesia ab adultis, qui veniunt ad baptismum, nullã pro peccato originali abolendo requirit pœnitentiam aut satisfactionem, quemadmodũ pro actualibus peccatis exigere solet. Quis enim exhortetur ad pœnitendũ de eo, quod ipse nec commisit, nec committendi causam dedit; vt doleat se natum ab Adam. Ita enim dolere deberet se natum hominem, qui nisi ab illo nasci non potuerit.

Exod 20. Visitet iniquitatem patrum in filios qua ratione Dominus.

V. locus *Ioan. 3. & 5.*

VI. locus ab Ecclesiæ autoritate.

Hæc eadem sententia euincitur Patrum testimoniis. Inprimis est Gregor. Nazianz. oratione in sanctum lauacrum, qui loquens de variè accedentibus ad baptismum, Iacobo Billio interprete, in hunc modum scribit: *Alij enim pecudum omnino, vel ferarum vitam imitantur, prout vel amentia, vel animi peruersitate afficiuntur: quia scilicet ad cætera mala, hoc quoq; adiunxerunt, vt nec baptismum ipsum magnopere venerentur, eoq; animo sint, vt siquidem detur, eum non grauatim accipiãt: sin cu detur, sineq; deq; ferant. Alij baptismi quidem donũ agnoscunt, honoreq; prosequuntur; cæterum moras producunt partim ob ignauiam, partim ob inexplebilem peccandi libidinem. Alij ne accipere quidem possunt, vel propter infantiam fortasse, vel propter inopinatum quendam, & violentum casum, quo efficitur, vt ne cupientibus quidem baptismum consequi liceat.* Et infra vbi duo priorũ genera, quæ supplicia maneant, declarasset, subdit: *At futurum existimo: vt primi quidẽ cum aliorum scelerum, tum etiam baptismi cõtempti, pœnas subeant: alij autem pœnas quidem, leuiores tamen pendant, vt qui non tam animi prauitate, quam stultitia à baptismo aberrarant: Postremi deniq; nec cœlesti gloria, nec suppliciis à iusto iudice afficiantur, vtpote, qui licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant. atque hanc iacturam passi potius fuerint, quam fecerint. Neque enim quisquis dignus supplicio non est, protinus honorem quoque meretur: quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promeretur.* Hæc ille. Quem locum Gregorii interpretans Niceta Serronius in Commentariis super Gregorium:

VII. locus à traditione Patrum. *Gregor. Nazianz.* Non baptizatorũ triplex differentia.

Horum pœnæ cõparatur.

Nicet. Serr. Gregor. Nazian. interpres.

Tres, inquit, vt opinione assequor, gradus existunt: vnus eorum, qui supernis deliciis perfruuntur; alter eorum, qui suppliciis æternis excruciantur; medius eorum, qui nec cœlestis regni voluptates sentiunt, nec pœnis vllis torquentur: in quo & paruuli qui Baptismo perfusi non sunt. & qui cum Baptismum expeterent, violento tamen aliquo casu impediti suscipere non potuerunt, constituentur. Secundus sit Ambrosius in illa verba Apostoli: *Et per peccatum mors: Mors autem*, inquit, *dissolutio corporis est, cum anima à corpore separatur. Est & alia mors, quæ secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, sed eius occasione propriis peccatis acquiritur, à qua boni immunes sunt.* Hæc Ambrosius, etsi libro 2. De vocatione Gentium, cap. 8. aliter tradere videatur: Sed facile est inire cõcordiam: quia ille liber de vocatione Gent. non est Ambrosii, sed Prosperi Aquitani, vt in codice Vaticanæ Bibliothecæ inscribitur: præter styli vtriusq; diuersam rationem. Tertius testis sit August. qui lib. 3. de lib. arbit. c. 23. prope init. *Non enim, inquit, metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam inter rectè factum, atq; peccatum: & sententia iudicis media esse non possit inter præmium atq; suppliciũ.* Et intellige mediam sententiam, illam, quæ inferat damni pœnam, & non sensus. Sic eo loco locutus est Augustinus, etsi ipse constanter aliter definierit, ita vt libr. 1. de anima & eius origine scripserit: *Non baptizatis paruulis nemo promittat inter damnationem regnumq; cœlorum, quietis vel felicitatis cuiuslibet, atq; vbilibet, quasi medium locum. Hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promisit, quia nec damnationem metuit paruulis quos nullum putat habere peccatum, nec sperat eis regnum cœlorum, si non perueniunt ad Baptismatis Sacramentum.* Idem etiam in Ioan. tract. 67. asserit esse cõtra Fidem Catholicam, ponere tertium locum extra regnum cœlorũ pro pueris nondum baptizatis; cum tamen idem lib. 1. Hypognosticon initio aliter aperte decernat. Scribit enim: *Mors igitur ex inuidia diaboli veniens, introiuit in orbem terrarum; & ideo iudicio iusto pro pœna in peccatorem permissa est dominari. Rectè enim perdidit vitam, qui mortem noluit cauere prædictam, ne vitam perderet: tamen verax & misericors Dominus non lætatur in perditione viuorum. Quæ est enim perditio viuorum, nisi mors? Sed viuorum male viuentium, qui in secunda morte peribunt; non viuorum iustorum, id est requirentium Deum, quibus tantum propter peccatũ Adæ aliquod traxere nascentes, mors non secũda sed prima debetur.* Quid ergo his verbis planius, aut apertius pro hac sententia? nisi quis velit librum reiicere, quod Hæreticorum esse solet. Quartus, est Innocen. III. in tit. de baptismo, & eius effe. c. Maior. *Pœna*

Ambr. to 5.

Mors quid sit.

Idem to. 2. sub init. Libros de vocatione Gentium vnde constet Ambrosii non esse.

Aug. to 1. circa fin.

Idem c. 9. sub fin. to 7

Paruulis non baptizatis medium inter cœlorum regnum & damnationem Pelagiani locum cur dabãt teste Augustino

Idem to. 9

Sap. 2.

Supra 2

Quænam perditio viuorum.

Innoc III.

inquit,

inquit, *originalis peccati, eſt carentia viſionis Dei, actualis vero pœna peccati eſt, gehennæ perpetuæ cruciatus* Sic ille. Vltra quam pœnam originalis ſi adiungeretur etiam pœna ſenſus, vt quidam Innocentium interpretantur, nulla eſſet differentia, inter vtrumq; peccatũ. Docte autem Innocentius III. vſus eſt verbo carentiæ, non priuationis: nam priuatio, eſt rei, quam quis aptus eſt habere, & non habet: at pueri per naturam apti non erant gloriam cœleſtem habere, quã excedit, &, eam per actus diſponere non poſſunt. Nec eſt proprie priuatio, ſed carentia: nec de ea contriſtantur, ſicut nec homo queritur, quod vim volandi non habeat; nec ruſticus dolet, quod non ſit ad Pontificatum ſiue ad regnum euectus, ad quæ ſe ineptum eſſe cognoſcit. Quo ſi alii pueri ad gloriam ſine proprio actu euehuntur, hoc eſt gratiæ naturam excedentis.

Pœnam peccati original. Innocent. carentiã, & non priuationem cur dixerit eſſe Diuinæ viſionis.

Quid ſit priuatio.

Pueros baptizatos vnius Chriſti meritũ in cœlum euehit.

Dici etiam poteſt priuatio ſecundũ quid: quia alii ſimiles in ſpecie eam obtinuerunt; & quia in Adam nati erant apti adipiſci, ſi ſtetiſſet. Sed quia propria ipſorum culpa perdita non eſt; ob id de ea amiſſa non triſtantur. Additur etiam Innocentio Eugen. IV. qui in Concilio Florent. bullam edidit eorum, quæ diſputata fuerant, ac definita: inter quę confitetur, omnes morientes tam in actuali, quam in originali peccato, in infernum deſcendere, diſparibus tamen pœnis puniendos. Quid eſt autem dicere diſparibus pœnis plectendos, niſi, qui originaliter delinquunt, & qui perſonaliter non eiſdem, ſed diuerſis ſuppliciis puniri?

Eugen. IV.

Quintus teſtis, eſt tota pene ſchola Theologorum, & pręſertim Magiſtri in ſecundo, diſtinct. 33. & ibidem D. Thomæ, Bonauenturæ, Scoti, & omnium fere, præter vnum Gregorium Ariminenſem, & Vbertinum, de Caſalis in lib. de vi a Saluatoris.

Magi. Sent. D. Tho. q. 2. art. 2. Greg. Ari. Vbert. de Caſalis.

Iam diſſoluenda ſunt quæ in oppoſitum obiiciuntur. Primo igitur ex Apoſtolo illud producitur Roman. 5. *Nam iudicium quidem ex vno, in condemnationem; gratia autem ex multis delictis, in iuſtificationem.* Ecce delictum Adæ in condemnationem. Reſpondeo: Condemnationẽ opponit iuſtificationi vitæ; & ideo condemnatio mortem ſignificat, ſed primam illam, id eſt, expoliationem donorum, & immortalitatis, non autem mortem ſecundam. Ita etiam ex peccato patris dicitur quis damnatus non ſimpliciter, ſed quod attinet ad bona paterna hæreditate conſequenda, ſi pater non deliquiſſet in Rempublicam, propter quod delictum bonis omnibus ſpoliatus eſt. Ita etiam in propoſito vita cœleſti, & ſupernaturali in Adam viuebamus, qua tamen per peccatum Adæ priuati ſumus. Eſt autem præter illam vitam, alia naturalis, & humana: atque hac etiam præter priorem vitam priuat mors gehennæ ſecunda, quę tam naturalem, quam ſupernaturalem beatitudinem tollet. Quod vero mors ſecunda ſit iſta, docet Dilectus Apocal. 20. dicens: *Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda*: permittit ergo hic ſermo, quod quis lædatur à morte prima, non autem corporali, quia per illam vincunt, & non læduntur.

I. Argum. *Rom. 5.*

Voce condemnationis quid veniat apud Paulũ.

Mors ſecunda priuat hominem pacis vita,

Mors gehennæ, quod ſit mors ſecunda.

Deinde Epheſ. 2. habetur, quod omnes natura eramus filii iræ: quare pueri non baptizati igne plectendi ſunt. Reſpondeo Iram eſſe quandam mixtam miſericordia, & paruam, & non ſemper durantem, de qua Zachar. 1. *Ego iratus ſum parum*, & ad Moſen, *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos*; & Dauid, *Nunquid continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* Et iterum, *Nunquid in æternum iraſceris Domine, &c.* Eſt igitur ira perfecti odii, quæ debetur damnatis: eſt & parua, qua punit pueros, qui ſolo Adæ peccato tenentur. Tertio, quia Matth. 25. vt teſtatur Auguſtinus libro de verbis Apoſtoli. Omnes homines iudicandi, vel erũt ad dexteram, vel ad ſiniſtram ſiſtendi, & ita nullus pueris remanet locus medius. Sed vt ſuperius ex Auguſtino produximus libr. 3. de lib. arbit. c. 33. admittit Doctor ille Sanctus mediam ſententiam inter illas duas, ſicut, & vitam mediam inter recte factum, atq; peccatum. Adde, quod illa autoritas nihil cogit, quia illic eſt ſermo de his, qui potuerũt facere opera miſericordiæ, & fecerunt, vel non fecerunt: ideo neutra illarũ ſententiarũ pueros arctare poteſt, qui non potuerũt bene, aut male facere, ſed eſt ſermo de fidelibus, qui bonam vitam, & opera charitatis fidei non adtexerunt ſecundum Aug. li. de Fide, & operibus, c. 15. & Gregorium homil. in illud Euangelium, & Proſperum libr. de vocat Gent. c. 20 Cum enim in illis ſententiis ratio adiungatur: *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*, &c. Vel, *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare*, &c. & neutra poſſit pueris competere: ſequitur, illos eo textu non comprehendi.

II Argum.

Zach. 1. Exod. 32. Pſal. 76.

Pſal. 84. Duplex ira Dei.

III Argu. *Matt. 25. & ſeq. Aug. ſer. 14. ſub init. tom. 10. Idem. to. 2.*

Aug. to. 4. propo init. D. Greg. tom. 2. Proſper. Epiſ. apud B. Ambr. to. 2. in pri.

Quarto, Marc. vlt. habetur: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Cum ergo pueri nõ baptizati non credant, damnabuntur. Reſpõdeo, quod ille locus aperte intelligitur, de non credente Euangelio ſibi pręedicato: vnde illa verba præceſſit: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. vt recte ponderanit Bernardus epiſt. ad Hugonem de S. Victore. Damnatio etiam ob peccatum Adę iam facta eſt, non futura: ab hac aũt damnatione nõ credentium Euangelio, nemo niſi per gratiam

IV. Arg. *Mar. vlt.*

B. Bern. epiſt. 7. ante med.

Chriſti

V. Argum. Ioan. 15. Christi liberatur. Quinto, Ioan. 15. legimus: *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet; & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Vbi non manenti in Christo, duo ſupplicia comminatur Dominus; alterum, quod mittetur foras, quod pęnam damni denotat, alterum, quod mittent in ignem, quod aperte pœnam ſenſus deſignat. Reſpondetur, ibi eſſe ſermonem de iis, quibus cum prædicatũ fuerit, aut credere, aut manere in Christo credito noluerunt: quorum tamen neutrum paruulo conuenire poteſt.

VI. Argu. Sexto, pueri non deberent Christo liberationem à pœnis inferni, ſed tantum à morte ſpiritus, id eſt, ſpoliatione donorum & morte corporis: quod videtur gratiæ Dei derogare.

Pueri non baptizati quatenus fuerint à Christo redempti. Reſpondeo, illos etiam euaſionem ſuppliciorum gehennæ Christo debere, non quidem in re, ſed in cauſa ſua, id eſt, peccato originali: quia ſi illi vixiſſent, perſonalia peccata produxiſſent, quibus gehennam ignis incurrerent. Vnde Paulus Rom. 5. Omnes, ait, peccauerunt: & oſtendit etiam de perſonalibus, & grauiſſimis peccatis, admittẽs iam factum, quod natura futurum erat.

B. Virgo quæ originaliter non peccauit, quomodo redempta. Et vt B. Deipara redempta dicitur à Christo, quamuis nulli culpæ etiam originali actu ſubiecta fuerit: ita iſti dicantur immunes à gehenna ignis, quam viuentes, & destituti gratia Dei per actualia peccata meruiſſent.

VII. Argu. Aug to. 3. circa princ. Septimo, libr. de Fide ad Petrum Auguſtinus, cap. 27. concludit, pueros æterno igni cruciandos: & omnem aliter dogmatizantem fugiendum eſſe, vt hæreticum.

Idem. Et alio tractatu in Ioannem, aſſerit eſſe hæreſim Pelagianam, & contra maiorem traditionem, ponere locum medium. Reſpondeo, quod etſi ille primus liber citatus negari poſſit eſſe Auguſtini ob ſtyli diſſonantiam, & quia de eo in libro Retractationum

Liber de Fide ad Petrum à quo editus. Idem to. 2. init. mentionem non fecit; & non deſint viri docti, qui illum tribuant B. Fulgentio Epiſcopo Ruſpenſi; tamen quia in aliis locis aperte ad hæreſim Pelagii ſpectare aſſeruit, dicimus, illam ſententiam negantem medium locum, Pelagianam non eſſe: tũ quia Gregorius Nazianzen. & Ambroſius cum

Scot. in 2. diſt. 33. quæ vnica ad 1. B. Bonau. ibi. art 3. q. 1. ad 1. Innocentio III. & tota ſchola Theologorum, quæ hanc ſententiam ſequitur, Pelagium ſequerentur. Vnde ab Scoto, & Beat. Bonauentura dicitur Auguſtin. exceſſiſſe, qui etiam de hac re pluries dubitauit.

Aug. ep. 28. paulo à me. Pœnas paruulorum deſcribit Auguſti. Nam in epiſtola ad Hieronymum de origine animæ ait: *Cum ad pœnas ventum eſt paruulorum, magnis, mihi crede, coarctor anguſtiis, nec quid reſpondeam prorſus inuenio: non ſolum eas pœnas dico, quas habet poſt hanc vitam illa damnatio, quo neceſſe eſt trahantur, ſi de corpore exierint ſine Christiano gratiæ Sacramento, ſed eas ipſas, quæ in hac vita dolentibus nobis, verſantur ante oculos, quas enumerare, ſi velim prius tempus, quam exempla deficient: langueſcunt ægritudinibus, torquentur doloribus, fame & ſiti cruciantur, debilitantur membris, priuantur ſenſibus vexantur ab immundis ſpiritibus. Demonſtrandum eſt vtique, quomodo iſta ſine vlla ſua mala cauſa iuſte patiantur. Non enim dici fas eſt, aut iſta ignorante Deo fieri, aut eum non poſſe reſiſtere facientibus, aut iniuſte iſta, vel facere, vel permittere, &c. Doce igitur quid ſentire, quid dicere debeamus.* Hæc ille.

Idem to. 7. Idem libr. 5. contra Iulianum, cap. 8. in fine:

Infantum damnatio leuiſſima, teſte Aug. *Quis dubitauerit, paruulos non baptizatos, qui ſolum habent originale peccatum, nec vllis propriis aggrauantur, in damnatione omnium leuiſſima futuros? Quæ qualis, & quanta erit, quamuis definire non poſſim; non tamen audeo dicere, quod eis, vt nulli eſſent, quam vt ibi eſſent, potius expediret.*

Expenditur dictum tanti Patris. Ex quo habes primum, quod Auguſtinus non loquitur ex traditione, ſi quando de hac re confidentius loquitur. Deinde, quod ſi illis magis expediret ibi eſſe; quam non eſſe, ſequitur, eos pœna ſenſus non plecti.

VIII. Arg. Greg c. 1. tom 1. Octauo, Gregorius lib. 9. Moralium ſuper illa verba Iob capite ſexto. *Multiplicabit vulnera mea etiam ſine cauſa*, aſſerit, pueros ad tormenta peruenire, & tormenta percipere. Cui reſpõdemus, aut tormentum accepiſſe pro priuatione viſionis Dei, aut nixus Auguſtini ſententiæ, per exceſſum eſt locutus.

Infantium vita qualis poſt iudicium futura, atque felicitas. Reſurgent igitur pueri per Christum, & ſuper beatitudinem naturalem, qua quotidie proficient in cognitione operum Dei, & ſubſtantiarum ſeparatarum: viſitationes habebunt Angelicas, & tanquam noſtri ruſtici hanc terram incolent: vt qui medii ſunt inter gloriam, & ſupplicium, ſint etiã medii in loco: & vt appareat magnitudo, &

Rom 8. excellentia felicitatis ſupernaturalis. Hæc autem terra ſuo ornatu nõ priuabitur: quia

Eos terræ incolas futuros vnde ex Script. colligi poſſit. mixta ſimplicibus ſunt perfectiora, & quia omnis creatura ad ſuam perfectionem ingemiſcit, & parturit: & quia ſpecies æternæ ſunt ſecundum Philoſophos; poſt vniuerſalem reſtaurationem permanebunt, licet ab originale vſq; ad iudicii diem modo in limbo detineantur.

Pſal. 113. Et eo fortaſſis aſpexit Dauid, cum dixit: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*;

Epheſ. 1. Et Paulus ad Epheſ. 1. *Placuit Deo inſtaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo*; id eſt, quæ cœleſtem habitationem habebunt, atq; terrenam.

Apoc. 21. Quo alludit Dilectus in Apocalypſi, cum ait: *Vidi cœlum nouum, & terram nouam.* Ergo vt cœlum non nudum & habitatoribus ſpoliatum interpretamur,

ita nec terram sumimus sine incolis suis; nõ tamen vt eam colant seminando, aut plantando, quia vsus nullus erit post diem iudicii: nam cessante cœlestium sphœrarũ motu, cessabit & omnis motus eorum, quæ in terris sunt. Et de his satis.

Ii quomodo terram incolent.

DISPVTATIO XLIX.

In qua de immaculatæ Virginis conceptione disseritur: & primo quidem loco præmittuntur quædam omni conceptione digna, quæ ad huius nodi faciliorem solutionem deseruiunt.

Rationes eorum qui dicunt vanam esse & inutilem hac de re quæstionẽ breuiter proponuntur.

2. Tim. 2.

QVoniam multi sunt doctrina, ac pietate viri præstantes, qui ab huius nodi tractatione censeant esse abstinẽdum; & quod satis sit nosse Christum, & hunc crucifixum; & quod seruum Dei non oportet litigare, sed modestum esse ad omnes; & quod ab hac quæstione multa excitata sint nostro seculo scandala in Ecclesia Christi; Erasmus etiam ausus est dicere, quod sit genealogia interminata; & quod Virgini alii magni tituli non desint, quibus illustretur; alii vero negant hoc Deum Virgini potuisse præstare priuilegium, cum nata sit, & cõcepta via seminali, vt reliqui omnes homines; alii porro prædicent, statum pœnitentiæ æqualem esse, aut maiorem statu innocentiæ; postremo alii per hoc priuilegium Virgini exhibitum affirmant Virginem ipsi Christo in sanctitate æquari; propterea ante quæstionis propositæ tractationem; nonnihil mihi de his quatuor præfari operæ pretium fore existimaui.

Erasmi sententia.

1. Tim. 1.

Triplici ratione Virgineæ huius prærogatiuæ cognitionis ostenditur conuenientia.

Et primum illud ante omnia explicandum, huius priuilegii inuestigationem ad pleniorem, & veriorem spectare Scripturarum explicationem. Certum enim est Scripturas, quæ de sacra Virgine verba faciunt, sublimiorem capere intellectum, si ipsa tanto gratiæ beneficio sublimata fuit. Certe ad certiorem Dei cultum pertinet hæc discussio, vt intelligamus, Ecclesiam nonnisi quæ certa; & fidei pietate tradit, & colit, à nullo posse iure reprehendi. Adhæc, nullus extitit Doctor, aut scriptor à 400. annis qui hanc controuersiam non agitauerit. Denique non desunt nonnulli; qui asserere nõ veriti sunt immunitatem Mariæ ab originali peccato falsam esse, & Fidei aduersam: cur igitur, si fidei aduersatur, suadetur silentiũ? Non enim bonum, aut pium est ibi tacere, aut vbi Fidei veritas periclitatur, vel vbi Ecclesiæ autoritati derogatur, Hæretici etiam insaniunt: nam Caluin. in Harmonia circa primum ca. Lucæ non magnopere laborandum censet, vt Mariam ab omni purgemus vitio, non solum originali, sed etiam actuali, quicquid Augustinus, & alii veteres Patres in contrarium tradant: & Brent. in Tractatu secundo c. Ioan. humani nihil à Maria fuisse alienum, sed eam publico humani generis iudicio contineri, quo peccato & iniustitiæ omnes subiiciuntur. Hæc ille, peccatricem Matrem Dei efficiens. Tilemannus Hessutius sexcentos errores collegit blasphemiis in Deum plenos, quos Romana Ecclesia contra verbum Dei furenter defendit; quorum vnus est, Mariam Virginẽ sine originali peccato fuisse natam, & conceptam. Quod dictum plane est falsum cum hactenus de ea re nihil definierit, & permittit cuiuis tenere quam magis voluerit sententiam. Illud intolerabile, quod Kemnicius opinionem, quæ tradit, Mariam sine originali peccato conceptam, hæresim esse censet. Adde, quod etsi eius contradictoria propositio non sit, vt hæretica damnata; nõ nihil tamen ad fidem spectat, eo, quod in Ecclesia pie receptus est cultus huius sententiæ, & autoritate Pontificis cum fauore Indulgentiarum celebrari mandatus: nonnullis quoque miraculis, & reuelationibus ad seruos, & ancillas Dei factis comprobatus creditur. Quod si sacra Virgo aliis præfulgeat honorificis titulis, non ob id illi est iste subtrahendus: nam simili argutia hæretici olim dicebant. Quod opus est vocare Dei matrem? satis est profiteri Christi matrem.

I. Ratio.

II.

III.

Silentium quodnam malum & impium.

Caluin. atque alii hæretici de tanto mysterio quam temere pronuntiẽt ac definiant.

Brentius.

Tilemann. Hessutius.

Kemnicii sententia in Virginẽ blaspemia, ac impia.

Beatissimę Virgini tametsi aliæ prærogatiuæ vel maximæ tribuãtur, hãnc tamẽ immaculatæ conceptionis immerito denegari.

Nec potest dici hoc donum paruũ; quia, vel ad momentum euadere peccati fœditatem, aut iram Dei, aut diaboli captiuitatem, maximum est priuilegium. Adde, quod etsi paruum esse daremus, magnum tamen esset præstantia donatoris, & singularitate eius, cui donatũ est. Nam vt ex Ethnicis quidam dixit: A magnis Principibus minutilis etiam donis honestari, magnum & fanorabile est. Denique, si, vt magnus ille Augustinus lib. de Assumptione scripsit: *Carnem Mariæ mortuam, pro quouis tempore obnoxiam corruptioni, & vermibus, sine honore non possum cogitare:* quanto magis hoc de eius sanctissima anima cogitandum est, quod videlicet peccato infecta, quod Deo inimica, quod dæmoni subiecta, vel pro quouis momento cogitare sine horrore nemo pius queat? Cæterum hoc, quod ipse exiguum esse deputant, alii tamen, & ipse B. Thomas quasi nimis excelsum, Virgini denegauit, putans per illud adæquari beatam Virginem Iesu Christo.

Magnum esse & singulare Virgineæ præseruationis ab omni peccato beneficiũ Dei contra Lutheranos

Dictum cuiusdam sapientis.

Aug. to. 9. pro. ul à medio.

B. Tho. 3. q. art. 3 & sæpe alib. to. 11. p. c.

D. Thom. Virginem cur dixerit in peccato conceptã. An Deus tantũ Virgini beneficiũ præseruationis cõferre valuerit.

Deinde præmittendum est, hanc controuersiam, qua disseritur, an beata Virgo ab originali peccato immunis extiterit, ex alia præcedenti pendere, an videlicet Deus tantum priuilegium Virgini concedere potuerit: quemadmodum cum disserimus an conueniens fuerit Deum incarnari, aliam quæstionem priorem assumimus, an potuerit Deus carnem humanam assumere. Non enim desunt, qui hoc priuilegium, quod Virgini conceditur, tanquam factu Deo impossibile apprehenderint.

I. opinio negatiua eiusq́; fundamentũ. Barthol. Spina.

Bartholomæus siquidem Spina negauit posse Deũ creare animam, quam in corpus ab Adam originaliter descendens, per viam seminis infundit, & non ipso facto peccato infici. Sed profecto satis admirari nequeo, quod isti tam confidenter, quam ignoranter loquuntur, Deum videlicet pro omnipotẽtia sua in Legibus quas ipse condidit, dispensare non posse;

Illud quã debile sit, & infirmũ exemplo probatur.

cum tamen Reges, & Principes, & Pontifices in omnibus suis decretis dispensare, & priuilegia concedere valeant. Sed quærã. Quis alius Regibus, & Pontificibus hoc tantum ius concesserit, vt valeãt in suis edictis & legibus dispensare, nisi Deus? Qui ergo aliis dedit autoritatem dispensandi, sibi ipsi soli eam præcidit?

Ostẽditur idDeũ potuisse præstare triplicirer.

Etsi igitur B. Virgo via seminaria, vt reliqui, in hunc mundum venerit: potuit Deus nihilominus effectũ infectionis multis modis impedire, si plerunq; causis idoneis positis, & effectum gignere valẽtibus, illum impedire consueuerit:

I. Argum.

siquidem tres pueros in fornace ignis positos, à combustione seruauit: & Danielem in lacum leonum coniectum, ab esu famẽtium leonum defendit: & corporis Petri deambulantis super mare, grauitatem suspendit, & à submersione tueri valuit. Corporis etiam Christi solidi, cum exiuit de matris ventre, & cũ egressus est de sepulchro: & cum intrauit ianuis clausis ad Apostolos, & cœlos, cum illuc ascenderet, penetrauit, repletionem, siue occupationẽ, quam dimensiones quãtitatis efficiunt, suspendere, potenti sua virtute valuit.

Dan. 3. Infra 6. & Infra 14. Matt. 14. Luc. 2. Ioan. 20.

II Argum.

Potuit etiam Deus B. Deiparæ animam creare in gratia, vt Angelos, & primos parentes condidit, & illa gratia omnem peccati labem impediuisset, quæ ad animæ cum corpore vnionem consequi poterat, siue post signum, in quo anima communicat corpori suam viuificandi, & regendi virtutem, vel etiam ante secundum signum, in quo corporis materia suam vim se animæ subiiciendi communicat. Vel etiam hoc admisso, in tertio signo, in quo resultat humanitas, & in quarto, in quo consideratur persona, mundare, & purgare ab omni labe peccati valuit.

III. Argu.

Postremo, potest homo seruum à seruitute suapte natura cõtrahenda, antequam vel concipiatur, vel nascatur, seruare: si videlicet seruum iungat matrimonio cũ serua sua, ea lege, vt primus qui ex illo matrimonio nascatur filius, libere concipiatur, & nascatur. Quidni igitur idẽ posse Deum, qui nullis suis legibus astatur & de quo ait Propheta: *Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, & in mari & in omnibus abyssis*, libere confiteamur? Idẽ ostendit alio exemplo Anselmus dicens: *Si quid originalis peccati in propagatione Matris Dei extitit, illud propagantium, non propagatæ fuit, Deus enim qui castaneæ confert, vt inter spinas, & à spinis remota concipiatur, alatur, formetur, non potuit hoc facere Matri suæ? plane potuit, & voluit: quod si voluit, & fecit.*

Psal. 134.

B. Ansel. Exemplũ Ansel satis idoneum.

B. Virginis impeccantiã ab illa Dei Christiq́; longe lateq́ue differre.

Tertio loco præmittendum est, vt demus, quæ sunt Virginis, Virgini, & quæ Iesu Christo, Iesu Christo, statuẽdam esse, & suis principiis probandam immunitatem, & libertatem à peccato, quæ Virgini cõceditur, & quantum ab illa Dei, & Christi propria discernatur. Neq; quisquam intelligat, per hoc beneficium Virgini collatum, Deo, siue Christo æquatam B. Virginem.

Peccatum esse an mæ mortem.

Accipe ergo, quod id quod solet esse corpori mors hoc idem esse videtur animæ peccatũ. Nam peccatum efficiẽter quædam mors est, nam occidit animam. Et quot modis contingit quempiam immunem, & liberum esse à morte, totidem modis possemus asserere immunem esse à peccato: nam quæ spiritualia sunt, per corporalia commode nobis repræsentantur: & impeccabilitatem solet consequi immortalitas.

Gradus immortalitatis & impeccantiæ quinq; assignãtur.

I. gradus soli Deo competẽs.

Primo igitur, & summo modo dicitur quis immunis à morte, qui non solum non est obnoxius morti, verum etiam qui suapte natura hoc habet, vt quouis modo mori non possit, idque ex sui natura secundum esse proprium tale: & talis est vnus Dominus noster Iesus Christus, quatenus Deus est, de quo simpliciter scribitur: *Viuo ego, dicit Dominus*; hoc est, Nemo viuit præter me, quia habeo vitam in memetipso, imo sum ipsa vita.

Ezech. 18. Deut. 32. Quid illud: Viuo ego, dicit Dominus. Ioan. 14.

Similiter dicitur, quod solus est maxime, & singulariter à peccato liber, solus iustus, bonus, & sanctus: & quod impossibile sit Deum peccare, ipsa peccati ratio non obscure demonstrat.

Quid peccatum sit.

Peccatum enim est, quod contra Legem admittitur; at ipse Deus super omnem Legem est, imo ipse Lex omnium, etiam sui ipsius. Lex enim subditum ponit, cui valeat imperare: Deus autem nulli est subditus, nec sibi ipsi; alioqui idem esset, & maior, & minor, Deus & non Deus, dominus, & seruus: quæ sunt impossibilia. Habet ergo

Dei propriũ soli esse à nulla lege pẽdere, sed omnib. legẽ præscribere.

Deus, vt solus sit ex sua natura prorsus à peccato & morte immunis.

Secundus gradus immortalitatis proprius Angelorum.

Secundo modo dicitur immortalis quis, & à morte liber, qui naturam habet iuxta Dei constitutionem indissolubilem, quia videlicet nec ab intrinseca, nec ab extrinseca vlla causa dissolutioni exponitur, sed à solo Deo tantum: & tales sunt Angeli creaturæ spirituales, quæ non attingunt ad diuinam immortalitatem: tum quia illam ex se non habent, sicut Deus; tum quia nō sunt omnino immutabiles, vt ille. Omnis autem mutabilitas, participatio quædam est corruptionis, & mortis. Idcirco Apostolus dixit de Deo, quod solus habet immortalitatem: Ita etiam dicimus aliquem immunē à peccato, qui sit in eam gratiam euectus, vt non solum ab actu peccandi, sed etiam ab ipsa peccandi potentia fuerit semper immunis: atque in hoc gradu sunt potissimum Christus, qua homo erat in terris agens, & similiter Angeli, & piorum animæ iā æterna beatitudine donati. Quanquam inter Christum & Angelos, & animas beatas aliquod sit discrimen: quia Christus homo habuit istam impeccabilitatis gratiam, quasi omnino debitam suæ naturæ propter summam vnionis gratiam, quæ fecit illum hominem esse Dei filium: qua posita vnione, continuo fuit debita ista impeccabilitatis gratia, non quatenus homo, sed vt homo talis fuit: quod de nulla creatura dici potest. Hinc ipse solus præ cunctis liber & immunis perpetuo à peccato, præ reliquis creaturis dicendus est, cui propter naturam suam debitum fuit.

Deus cur solus habere dicatur immortalitatem. *1. Tim. 6.*

Eorundē impeccātia qualis.

Christus cum esset immortalis cur mori tamē voluerit.

Etsi ergo illi personæ debita fuerint immortalitas, & impeccabilitas: Dei tamē dispensatione ad modicū tempus sublata est immortalitas, suadente hoc diuina misericordia, & ad eius maiorem gloriā per mortem suam nos omnes restituens, vt qui erat creator, esse etiā simul redemptor in quantum homo erat. At Christum esse peccabilem, nulla ratio poterat suadere, quia ad mundi collapsi reparationē necessaria erat gratiæ plenitudo, vt pro nobis legitime satisfaceret, & congruenter mediatoris officio fungeretur. Cui rei esse peccabilem nihil conferebat, sicut esse passibilem, & mortalem. Ideo Christus quatenus homo, recte dicitur impeccabilis suapte natura, quia ille homo erat Filius Dei.

Idem etiā vt homo cur natura impeccabilis esse debuerit.

Tertius gradus Adæ proprius ante peccatum.

Tertio, dicitur immunis à morte ille, qui etsi secundum suæ naturæ principia habeat vt mori possit, imo vt omnino moriatur, ei tamen datū est, vt possit etiam non mori: in quo statu conditus est Adam à principio & merito: quia hoc illi donum quodammodo debebatur, vt corpus perpetuo immortali animæ deseruiret, si tamen ipsa anima sub Deo creatore suo maneret. Similis quoque modus immunitatis à peccato fuit in Angelis, antequam beatificarentur: poterāt enim peccare, & cadere à vita gratiæ, & mori, sicut quibusdam illorum contigit: poterant & stare, sicut multi steterunt. Idem accidit & primis parentibus, iuxta naturam illis præstitutam: potuerunt enim seipsos ab omni peccato prorsus seruare, sicut & à morte, si tamen tentationi serpentis restitissent.

Angeli, & Adam in creatione qualem à Deo habuerint gratiā non peccandi.

Vbi primum cogita, quod creato primo homine, & magnis donis exornato, respexit illum Deus nō solum, sed in eo omnes eius posteros, in quos volebat illa dona, quasi hæreditario iure pertransire, tanquā ex origine, & parente omnium, qui ex eius semine erant processuri, Tulitq; Legem: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, id est, debito, & obligatione mortis tenebris: vt beatus Anselmus, & Diuus Thomas interpretantur. Commendat præterea Hieronymus Symmachi versionem, qui pro illis verbis, Morte morieris, conuertit ex Hebræo, Mortalis eris. Non enim subito mortuus est Adam, neque secundum animam expertus est secundam, & æternam mortem, qua dignus erat. ¶ Originale autem peccatum, tunc primum contrahimus, quando esse incipimus, nimirum in ipsa animæ in corpus suum infusione, quæ priuata inuenitur donis, & gratia promissa in Adam, si Adam permansisset. Deus igitur oculo suo æterno omnia contingentia, & possibilia præuidens, Adæ quoq; peccatum prænouit; ac proinde ex vi Legis omnis sua posteritas concludenda erat in debitum illius mortis: misericordia tamen motus, remedium parauit per Filium suum redemptorem.

Adam immortalitatis originalisque iustitiæ donū pro se, suaque progenie accepit integra tamē Lege diuina. *Gene 2.*

B. Ansel. li. de concept. Virg. ca. 7. to. 3. D. Tho. 22. q. 164. ar. 1. ad octauū & alibi, to. 11. par. 2. B. Hier. li. qu. Hebra. in Gen. init. to. 3.

Quando primum homo originale peccatum incurrat.

Ac duobus quidem modis ab illo debito peccati & mortis liberare potuit; priuilegii vno, altero vero sine priuilegio, sed communi omnibus, qui post contractū peccatum originale, ab eo Dei gratia liberantur. Primus ergo est priuilegii, si qua persona forte in mente Dei ab illa lege excipiatur, & nolit illa adstringi: nec enim vllis legibus arctari valet, qui leges ipsas condidit, & tanto magis, si subsit ratio dispensandi, ne aliqua certa persona ea lege adstringatur, etiam si ex opposito ratio non deesset aliqua, qua constringi deberet, quæ tamen ab illa ratione dispensandi vincatur: vt in proposito factum esse, magnis rationibus creditur. Nam si Rex Assuerus dixit ad Esther: *Non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Accede igitur, & tange*

Dupliciter quis ab eius reatu seruari potest munere diuino.

Esther 15.

Gene. 2.

sceptrum. Quanto magis hæc dispensationis ratio spectabit ad Virginem? Nam etsi ad illam Legem respicientes: *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris*, intelligamus vniuersos æterna lege mortis, & peccati inuolui: voluit tamen Deus ob merita Filii sui præuisa, & præarreptata, eos ab illo debito posse liberari, etsi diuerso modo, vt etiam diuersæ hominum conditiones in mente Dei erant, quibus liberatio decernebatur.

Nonnisi per Christi merita homines ab originalis culpę reatu liberantur.

Et prima prædestinata est B. Virgo Maria Christi mater, & voluit eam ab omni Lege excipere; ne vllo vnquam tempore esset peccato subdita, etsi in patre Adamo considerata, & vt filia, vt cæteri deberet in Legē committere, & Legis conditionibus teneri. Et veluti dixit: Volo vt libera sit, quia Filii mei genitrix, & electa sponsa: voloque, vt hoc illi promereatur Christus filius eius. Quid hic aliquis dicere poterit? Nam affirmare, Deum non potuisse, est negare eius omnipotentiam: asserere vero eum non voluisse, est derogare eius pietati, & misericordiæ.

Deum asserētes aut non valuisse aut nō voluisse B. Virginem à peccato præseruare quid de Deo sentire videantur.

Quartus modus immunitatis est, quo quis à morte omnino incurrenda, & à peccato præseruatur: & hæc est beatæ Virginis immunitas, nō quidem à peccato iam incurso, sed ex debito naturæ incurrendo, quia nata ex semine Adę. Omnes enim peccauimus in Adam, in quo eramus potentia, & ita considerati in mente: non secus atque in arbore sunt fructus in potentia, qui à nobis etiam antequam sint, considerantur, vt etiam de illis disponamus, pro eo tamen tempore quando erunt. Ideo etiam aliquādo venduntur, vel donantur in arbore antequam floreant, aut reuiuiscant. Sed Leui decimatus fuit in Lumbis Abrahæ. Et vt is qui testamentum condit, præbet decretam libertatem filio primo ex seruo, & ancilla nascituro: tunc is qui nascitur, liber nasci censetur à seruitute, cum primum in lucem prodierit. Id autem quomodo contingere potest in eo, qui nunquam fuit seruus, nisi quia futurus erat, nisi donū libertatis præuenisset futuram seruitutem? Ita de Virgine nascitura ex se in peccato, quia comedit in Adam, noluit tamen illam censeri præuaricatricem. Nam etsi fuisset debitrix contrahendi illam labem; non tamen simpliciter contraxit, sed debitrix ex consideratione naturæ fuit: quam quia in illa superauit gratia, non fuit vere & actu contractū peccatum. Hinc Hieronymus cum exaltatam assereret Beatam Virginem super omnes choros Angelorum, adiecit, ne quis admiraretur: *Hoc priuilegium non natura est, sed gratia beatæ Virginis Mariæ, de qua natus est ipse Deus, & homo, Idcirco & ipsa plus est meritis, & non natura, quam virgo, & homo.* Quod nos proposito nostro accommodamus. A debito etiam mortis fuit libera, quod consurgebat ratione illius peccati: sicut Christus Dominus, & baptizati omnes, in quib. extinctum est illud peccatum per baptismū: non enim amplius illud peccatum pœna mortis est, sed est conditio noui Testamēti in Christo, quod nobis cedit in bonum patientiæ, & humilitatis, & meriti comparandi. Estque magnum discrimen, quod ad debitum mortis attinet, inter nos, & Christū, & Mariam. Christus enim ex seipso, vt liber à peccato, ita à debito mortis, (nisi ob obedientiam Patris) vt destrueret mortem, & præcipitaret eam in sempiternum. Maria vero non erat ex seipsa, siue ex naturæ suæ conditione libera à peccato, ac proinde nec à morte, sed ab vtroq; per filium liberata est: ita tamen, vt nec peccato, nec morti, vt est pœna peccati, vnquam fuerit reipsa & actu subiecta, quia ab instanti suæ conceptionis commutata est illi conditio debiti, & facta est debitrix mortis in Christo semper, vt innocens, nunquam vero in Adam vt rea delicti, etsi mortis debitum cōtrahere debuerit rigore iuris considerato. Ipsa ergo Mater Dei mortua est, morte sua mitissima, tanquam ab ipso redempta. Et vt oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam: idem voluit de Virgine, vt confestim resurgeret, non expectans indicii diem; etsi Christus sua virtute surrexerit, & in cœlos conscenderit; Maria vero nonnisi singulari gratia, & innixa super dilectum. Nos vero actu contraximus peccatum, & debitum moriendi in Adam, & nostra die morimur.

IV. gradus immortalitatis, impeccantiæque Virgini conueniens.

Humani generis in Adā existētia qualis.

Hebr. 7.

Mariæ Virgo, vt Adæ filia peccati reatum contraxisset, si per diuinam gratiā non stetisset.

B. Hier. in ser. de Assu. B. M. ante med. to. 4.

Maria Virgo vt culpæ originalis, ita & mortis debitum minime contraxit.

Christi qualis B. Virginis baptizatorumque à morte libertas. *Hebr. 7. 1 Cor. 15. Esai. 25.*

Maria Virgo quatenus morti fuerit obnoxia.

Qualis eius mors extiterit.

Luc. 24. Cur eiusdē accelerata fuerit resurrectio.

Cant. 8.

Quod igitur ex Augustino in Psalm. 34. producitur: *Maria ex Adā mortua propter peccatum Adæ, Adam mortuus est propter peccatum:* dictum est, ne intelligeres ob peccatum suū mortuam. Estq; sensus, quod ab Adæ peccatū à quo est præseruata, ingressa est in pactum nouum, in quo necesse est in Christo mori, vt fecit. Quinta immunitas à peccato & à morte, est eorū, qui postquam peccatū originale contraxerunt, ac proinde mortis debitū, ab eo per gratiam liberantur, siue in vtero matris, vt Ierem. & Ioannes Baptista, sanctificētur, siue in natiuitate ipsa, siue paulo post, siue multo post tempore, siue maiori, siue minori gratia, iuxta Christi donū, permundentur: quia in omnib. extincta est originalis labes, & reatus eius, & mors, & pœnæ reliquę in exercitium relinquuntur. Ex quibus omnib. facile est percipere, quāto interuallo distet immunitas Iesu Christi à peccato, & à morte, ab illa B. Virginis.

Eam ob Adæ peccatū mortuam cur dixerit August. *Aug. conc. 2. ante med. to. 8.*

Quinta, ac postrema à peccato, & morte liberatio. *Ierem. 1. Luc. 1.*

Perfectionem esse statum innocentiæ, statu pœnitentiæ secundum Patres.
D.Tho.P. part. q.20 ar.4 ad 4. com 9.

Quarto præmittendum ex B. Thomæ doctrina, innocentiam, cæteris paribus, digniorem esse, & cariorem pœnitentia: quod etiam ex Augustino super Genesim comprobatur, qui habet: *Maior gratia fit ei, qui conseruatur in innocentia, quam cui remittitur culpa.* Patres etiam asserentes, pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium, idem insinuare videntur. Ex quibus deducitur, redemptionem subleuantem à lapsu, inferiorem esse præseruante; quia simpliciter melius est, & magis eligendum ex Dei munere, nunquam indignationem, vel irā Dei incurrisse, & nunquam cū Satana amicitiam contraxisse, quam cum maiori gratia & feruore resurgere, & amicitiam cum Deo resarcire. Est igitur simpliciter ipsi, cui beneficium confertur, præseruatio maior, quam subleuatio: at ex parte conferentis, maius est beneficium subleuatio, quia maiorem liberalitatem exercet, & inimico, & rebelli parcit, & Diuino lumini resistētem, ad gratiam suam admittit. Veruntamen doni magnitudo, & gratiæ collatæ B. Virgini per modum persecutionis, quasi in immensum excedit donum, quod contulisset ipsi pec āti per modum subleuationis. Vnde tam ex parte Dei seruantis ob doni magnitudinem, quam etiam ex parte Virginis, excellentior multo fuit subleuatione præseruatio. Adde, quod ad hoc vt aliquis vere dicatur redemptus, non opus est, vt reipsa prius fuerit captiuus, sed satis est, quod ex se fuerit obnoxius captiuitati, & ab illa necessario incurrenda seruetur: quod genus redemptionis tanto est melius, vt tradunt Iurisconsulti, quanto melius ante casum occurrere, quam post causam vulneratam adhibere remedium. Adhæc, si nullus vere redemptus, nisi qui prius peccauit; minus erit redemptus, ac saluatus, ac per hoc min⁹ Christo obligatus. At beata Maria ne venialiter quidem vnquam peccauit, minus ergo erit saluata, & minus Christo obligata: cum tamen, qui minus peccat, magis dicatur redemptus; ac per hoc qui nihil omnino delicti habuit, dicetur, & erit excellentissime redemptus: vt beata Virgo. Philosophi quoq; docent, hominem bene fortunatum dicendum eum, qui ab imminēti quopiam malo, & insperato liberatus est: & hoc est, quia malum illud imminens, atque propinquum intellectus apprehendit, ac si iam esset, vt erat in causa. Contra, male fortunatum, qui magnū aliquod bonū assequi prohibetur ꝙ prope iam erat. Ita dicitur benedicta Virgo fortunatissima quod malū euasit, in quod ex se erat ruitura, excellentius seruata à casu, quam subleuata post casum.

Quod melior sit redemptio à casu præseruans, quam ab eodē subleuans.

Ratio. I.

Beatissima Virg. quāto felicius fuerit à peccato præseruata, quam ab eodē postea seruata, atque redempta.

II. Ratio à conditione ipsius redemptionis.

ca. In quib. causis, c. si. mali, & c. quando licet, l.1.

III. Ratio.

Qui magis Christo censeantur obnoxii.

IV. Ratio.

Bene fortunatus quis secūdum Philosophos.

Iidē male fortunatū quem definiant.

Sed aiunt quidam: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Libēter sane admittimus: non sunt tamen inter bene valentes computandi, qui ex seipsis morbidi sunt, nisi præsens medela morbum propelleret. Hinc Augustinus libr. de vera innocentia: *Sicut duo sunt efficia medicinæ, vnum, quo sanatur infirmitas, aliud, quo custoditur sanitas: ita duo dona sunt gratiæ: vnum, quod aufert carnis cupiditatem; aliud, quod facit animam perseuerare virtutē.* Et li. de natura & gratia: *Duobus modis etiā in corpore cauetur morbi malum: & vt non accidat, & vt si acciderit, cito sanetur.* Adde Caietanum, qui in prima secundæ, *Non solum,* inquit, *redemptione eget actualiter captiuus, sed etiā obnoxius captiuitati. Et hæc bene notabis tu Thomista, ne nimio zelo, non secundum scientiam, accensus, erronea dicas, quæ erronea non sunt, cum de Beatissimæ Virginis conceptione disputas, aut prædicas;* In quē Franciscus Ferrarien. Ordinis Dominicani Generalis Magister insurgens, in Summa contra Gentiles scribit: *Præterea ista obligatio habendi peccatum non potest conuenire homini, nisi quando est: tum quia quod non est, ad nihil obligatur, tum quia à sua origine, & natiuitate dicitur homo contrahere peccatum originale. sine esse peccato obnoxius. Constat autem, quod à sua natiuitate homo habet esse: aut ergo est ad habendum in illo instanti in quo anima infunditur corpori, & in quo homo primo esse dicitur, aut post. Si ad habendum in illo instanti, in quo generatur, & primo est; ergo si quis per gratiam non incurrat in illo instanti peccatum, in illo instanti non erit obligatus. Si enim tibi teneor soluere centum aureos die crastina, & illos mihi donas, & non vis vt die crastina restituam, non ero tibi amplius debitor die crastina: non ergo talis, qui ex gratia non incurrit peccatum, habet ex sua generatione debitum habendi peccatum, vt isti dicunt. Si autem ista obligatio est ad habendum peccatum post instans conceptionis, siue infusionis animæ, ergo in primo instanti conceptionis suæ homo non contrahit peccatum originale, quo inficitur à sua generatione: quod est contra sanctum Thomam de Ma. quæstione quarta, articulo sexto. & alibi, & omnes alios dicentes, quod in ipsa animæ infusione peccatum originale contrahitur ab his, in quibus originale peccatum ponitur.* Hæc ille. Respondemus tamen, falsum esse, quod ait, non posse dici peccato obnoxium, qui nondum sit in rerum natura. Nam quod Ambrosius ait, quod Adam obligauit totam posteritatem, & quod eiecti sumus de paradiso in Adam: quando id fecit Adam, nisi quasdo peccauit? & tamen nos tunc non eramus in rerum natura. Dicimur etiam eiecti de paradiso, quia ille locus nobis paratus erat. Item ad Rom. 5. ait Apostolus: *In quo omnes pecca-*

Matt 9.
Illud: Nō est opus valentibus medicus, sed male habentib. vt in Virgine locū habeat.
B. Aug. de innoc. vera ca 191. to 3. in fin.
Vt medicina, ita etiā gratia duo præstat teste August.
Idem li. de Nat. & Gratia, c. 67. sub initio 7. circa med.
Caiet. 1.2. q.81. art.3. co.11 p 1.
Ecce Caietano pro Conceptionis priuilegio contra Thomist. egregie decertantem.
F. Ferrar. li. 4. contra Gen. c. 50. paulo ante med. to. 9. prope finem.
Qua ratione hic autor Di. Virginem, antequam esset, negat vnquam obnoxiam fuisse peccato.
Exemplū eiusdem.
Refellitur eius ratio multipliciter.
Ambr. in cap 5. ad Rom. to. 5.
Quomodo eiecti nos de

paradiso, cũ nondũ essemus. *Hebr. 7.*

B. Thom. 3. part. 2.

peccauerunt: at quomodo peccauerunt, qui nondum erant? & Leui nondum genitus, quomodo dicitur in lumbis Abrahæ decimatus? & B. Thomas 3 par. q. 31. quomodo dicit carnem Christi peccato obnoxiam in Patribus fuisse, cum nondum esset caro Christi. Ad eum ergo modum Maria dicitur obnoxia peccato, cum nondum erat, saltem in apprehensione Dei, & Angelorũ.

Vana eiusdem argumentatio.

Arist. 10. 1.

Nec valet consequentia de tertio adiacenti ad secundum adiacens, teste Aristotele in lib. Periherm. vt Homerus est Poeta, ergo Homerus est: ita non valet, Maria erat peccato obnoxia, ergo Maria erat. Peccat etiam hoc argumentum per fallaciam, quæ est, accipere simpliciter id, quod est secundum quid. Non enim simpliciter fatemur, Mariam fuisse peccato obnoxiam, sed ex se, & suapte natura. Adde verba Durandi in 3. sent. qui habet, longe aptabiliorem redemptionem esse, qua captiuitas prohibetur, quam sit illa, quæ iam inuersa soluitur (etiam si Durandi aliam sententiam sequatur in articulo de Conceptione Virginis) dicens: *Cum ergo Beata Virgo esset seruituti peccati originalis obnoxia in sua radice, scilicet in parentibus; si fuit impeditum virtute diuina, ne in seruitutem hanc incurreret, vt esset conuenientior mater Saluatoris, vere potest dici, quod indiguit beneficio redemptionis, & tanto magis, & familiaris fuit redemptio, quanto redemptio fuit in ipsa celerius inchoata.* Et infra: *Puto tamen*, ait, *quod si Beata Virgo peccatum originale non contraxisset, potuisset tamen dici vere redempta à Deo pro eo, quod in radice sua ex natura sua conceptionis obligata erat ad incurrendum peccatũ, nisi fuisset à Deo præseruata*, Hæc ille perdocte. Et Anselmus: *Indiguit Beata Virgo redemptione, & Christi passione, non propter peccatum quod in fuerit, sed propter quod infuisset nisi ipsemet speciali priuilegio eam præseruasset.* Hæc ille fere.

Durand. in 3. dist. 3. q. 1. n. 7.

Agnouit Durandus in Virgine esse potuisse redemptionem præseruantẽ, & quare.

Ibid. nu 14.

B. Anselm.

Capreol in 3. dist.

Illa ratio Capreoli: Maria idcirco non potest dici peccatum incurrisse, quia debuit incurrere: quam leuis, & infirma.

Pulchrum illud profecto, quod Capreolus docet, Mariam idcirco non posse dici peccatum incurrisse, quia debuit incurrere: sicut nec potest dici, Iudam non prodidisse eo quod debuit non prodere. Sed fallacia est in verbo, *Debuit*, quod aliter & aliter accipiendum est. Nam cum dicimus, Maria debuit incurrere illud peccatum, non significat, quod esset obligata ad id peccatum committẽdum, sed passiue ad suscipiendũ, quoniam passiue ex se non poterat non incurrere: at Iudas debuit actiue non prodere Dominum; id est, debuit à proditione Domini abstinere, quod ex se facere poterat. Et sicut Abraham debuit ex iussu Angeli filio non parcere, sed occidere: Scriptura tamen docet, quod non pepercit ei, quia quantum in se fuit, nõ pepercit, sed ab Angelo, vt causa extrinseca, iussus est parcere: ita Mariam recte dicemus, peccatum hoc incurrisse ex se, quia quod non incurrerit, ab extrinseco, id est, à Deo factum. Et de his, quæ præmittenda erant, hæc sufficiant.

Aliter Maria peccatũ debuit incurrere, aliter debuit Christum non prodere Iudas. *Matth. 26.* *Gen. 22.*

Ibidem. Abraham non pepercisse filio suo Isaac, quẽ tamen nõ occidit, quomodo verum.

DISPVTATIO L.

In qua argumenta, quæ contra immaculatam Virginis Conceptionem fiunt, tum ex Scripturis, tum ex Patribus, & rationum momentis dissoluuntur plane, ac refelluntur.

SVperiori disputatione prælibauimus, quædam præsenti dissertationi non incommoda, nec inutilia: animus est in ea resoluere argumenta, quæ cõtra hoc Virginis priuilegium proferũtur: sicut futura disputatione nostram sententiam & Scripturarũ, & Patrum testimoniis, & aliis solidis argumentis confirmare enitemur.

Scripturarum argumenta dissoluuntur.

Qui igitur pro sacris literis zelant, in hũc modum multipliciter argumentantur. Et in primis, quia in Scripturis solus Christus dicitur innocens, solus sine peccato, & qui venit tollere peccatũ mundi, & similes loci. Verum quæ in Scripturis de Christo dicuntur, vt bonitas, iustitia, pietas, sanctitas, & munditia, eminenter & singulariter ita illi conueniunt, vt nemini alteri, iuxta id: *Nemo bonus, nisi solus Deus: Ego sum pastor bonus*, id est, mea natura, & ex me sum talis. Etsi alii dicãtur boni, & pastores boni, nõ tamen tales ex se, & sua natura. Sic etiam eminẽter dicitur Iustus noster, & iustitia sempiterna; cum tamen alii etiã sint iusti. Dicitur substantiue: *Et quod nascetur ex te sanctum*; & tamen alii etiam sancti dicuntur, sicut ipse. Et Ioann. in Apocal. *Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es.* Ita dicitur sanctus sanctorum: *Tu solus Dominus*; & solus de puro, & mundo conceptus semine, id est de eo, quod mundatione non egebat; vt illud, ex quo Maria cõcepta fuit; & Iob: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* Et quanquam alii sint Dei filii, ipse tamen excellenter, & in singulari dicitur Filius Dei dilectus, in quo sibi complacuit; &, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* De aliis vero dicitur: *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.* Et iterum: *Quoniam complacuisti in eis.* Solus item appellatur lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum; & ipse de se: *Ego sum*

1. Argum. *1. Ioan. 1.* Christi propria secundum naturam, eadẽ sanctis eius ex gratia tribuuntur ex vsu Scripturarum. *Luc. 18.* *Ioan. 10.* Quænam essent illa. *Iere 36 iuxta Hebraũ.* *Dan. 9.* *Luc. 1.* *Leuit. 1.* *Leuit. 12.* *Apoc 15.* *Iob. 14.* Quid sit, Christũ de mũdo esse conceptũ semine. *Matt. 3.* *Infra 27.* *Psalm. 2.* *Psal 81.* *Ioan 20.* *Psal. 43.*

Ioan. 1. Infra 8. Infra 9. Matt. 5. Ephes. 5. Matt. 23.

sum lux mundi : cum de aliis per gratiam assumptis dicat; *Vos estis lux mundi* : & lux in Domino, id est, qui eius comparatione sunt tenebræ, in quibus tamen Dominus elucet. Ita dicitur : *Vnus est magister vester, Christus*: cum tamen alii, & sint, & dicantur magistri, & doctores. Vt igitur ista omnia passim in Scripturis inueniuntur, ita, & ipse singulariter vocatur sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus : quia excellentius quam cæteri, & ex debito suæ naturæ filius est. De cæteris vero dicitur : Nullus apud te per se innocens est, nedum conceptus, sed etiam natus, & viuens, & moriens. Idcirco solus Christus non solum est longe ab actu peccandi, sed etiam ab omni potentia. Qua re longe excedit Virginem, in qua fuit potentia, & debitum contrahendi peccatum. De qua Anselmus libro de Conceptu Virginali ait : *Nempe decens erat, vt ea puritate, qua mater sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum &c. ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris, & Virginis filius.* Quæ verba exponens Beatus Thomas ait: *Puritas intenditur per recessum à contrario; & ideo potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis si nulla contagione peccati inquinatus sit : & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit. fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potestas ad peccatum.* Ad hæc Christus quomodo fuisset plenus gratia, si modus sanctificandi ipsi defuisset, vt vel non valuerit quasi minus potens, vel noluerit quasi minus bonus suæ Matri impendere, quod tamen ad suum spectabat honorem magis quam Matris.

Heb. 7.

Exod. 34.

B. Anselm. li. de Concep Virg. c. 18. to. 2.

Mariæ puritas, secundum Anselmum, cui maxima sub Deo teste Thoma

B. Thomas 1. sent. dist. 44. q. 3. sortell. co. 3.

Ioan. 1.

Permultum igitur differt B. Virginis Immaculata conceptio, & natiuitas, sanctificatio à conceptione, natiuitate, & sanctificatione Christi : quemadmodum etiam in vita, morte, resurrectione : ascensione ad dexteram Christi, Maria Virgo longe differt, ab eisdem mysteriis, quæ in Christo fuerunt.

Christus si ex gratia, non natura, esset impeccabilis quid inde

Obiicies fortasse : Si Christus est natura impeccabilis, ergo non ex gratia. Respondetur, quod si Christus negatur natura impeccabilis, contineretur etiam sub illa sententia: Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri: quod est blasphemum de Filio Dei asserere. Dicitur ergo natura impeccabilis ex modo & conditione suæ conceptionis: quia non solum non est conceptus ex semine, quod satis esset ad non contrahendum originale : vt si quis v. g. conderetur à Deo in puris naturalibus; sed etiam quia conceptus est de Spiritu sancto. Sed nec hoc satis fuit ad reddendum Christum impeccabilem, sed quia ex ipsa conceptione factum est per naturatum vnionem, vt ille homo esset filius Dei natura, non adoptione, ac per hoc omnis est illi naturæ à peccato libertas concedenda, vt vere dicatur natura liber. Qua de re eleganter Augustinus in Enchiridio ad Laurentium: *Modus*, inquit, *iste, quo natus est, Christus de Spiritu sancto non sicut filius, & de Maria Virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei: qua homo nullis præcedentibus meritis in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis qui filius Dei: ac si in natura humana susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere.* Et Cyrillus in Ioannem. *Illud non abre dixerim. Si enim amicitia filij, qui serui natura sunt ad liberam amicorum dignitatem perducit, quomodo ipse vt creatura saluus erit, vt quidam ex imperitia dicunt ? An aliis poterit libertatem largiri, cuius ipse natura expers ? Minime. Sed sanctis quidem Apostolis, cæterisque fidelibus, qui ad amicitiam suam ascenderunt, extrinsecus honoris gratia libertatis accedit dignitas ; ipse vero natura liber est: quod enim aduentitium est, ab insito, & naturali distinguitur. Libertas vero nostra cum aduentitia sit per gratiam habita, alia est certe ab eius libertate.* Hæc Cyrillus. Si rursus vrgeas: Si talis est Christi immunitas à peccato intelligenda, poterit de quouis hominum dici, quod sit ab originali peccato præseruatus; nec perinde lædentur Scripturæ, quæ in Christo singularem à peccato libertatem dicunt.

Ephes. 2.

Christo natura esse impeccabilem, conuenit propter tria.

Luc. 1.

Mat. 1.

B. Augu c. 40 Enchir to. 1. subsinet.

Christum natum esse de Spiritu S. quid significet.

Mag. Cyril l 10. in Ioã. c. 23. iuxta princ. to. 1.

Sanctorũ est tantum gratuita, Christi vero naturalis libertas, teste Cyrillo.

Si natura est impeccabilis Christus, vt vere est, tales esse sanctos ex gratia, à labeque originali immunes, & quidni liceat affirmare.

Respondemus : Posset sane Christus, si vellet, & sic etiam soli Christo constaret sua immunitas, quia permultæ Scripturæ in cunctis hominibus conuincunt non tãtum debitum, sed & actum peccati : non licebit tamen illud dicere, nisi tantum de Deipara, excipientes à generali regula. Si vero Scripturæ de Christi immunitate à peccato loquentes, de illa, quæ ex priuilegio B. Virgini tribuitur, intelligendæ essent, certe Christo maxime derogaretur, & ipsum natura peccatorem, & redemptione indigentem constituerent.

Aliter Scripturæ Mariam aliter Christum ab omni labe tradunt immunem

Deinde producuntur multi Scripturarum loci: vt Rom. 3. *Causati sumus Iudæos, & Græcos, omnes sub peccato esse: & Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, &c. In quo omnes peccauerunt.* Et Rursus : *Sicut per vnius delictum, in omnes in condemnationem, &c.* Ad primum datur responsio, Apostolum præaccusatum fuisse de actualibus, siue personalibus peccatis tam Iudæos, quam Gentes, vt etiam exponit Caietanus : quam de

II. argum. Rom. 3. Ibidem. Infra 5. Ibid.

Solutio.

Rom. 3.

Caietanus hoc loco.

illis nonnisi ob originale, à quo omnia fluunt peccata: ergo hoc si verum est, plus diceret ille locus, quam volunt argumentantes. Probaret enim, Mariam sub actualibus peccatis, & quidem atrocissimis fuisse, vt producit in Psalmo 13. idem Apostolus. Ideo Augustinus in illum Psal. scribens, cum videret dictum esse absurdum (siquidem multi inueniuntur iusti) interpretans ait: *Iste est melior intellectus, vt nemo intelligatur fecisse bonum vsque ad Christum: quia non potest quisque hominum facere bonitatem, nisi ipse mōstrauerit.* Et Thomas eo loco apud Paulum: *Nullus est iustus in seipso, sed ex se quilibet est peccator, ex solo autem Deo habet iustitiam.* Exod. 24 *Dominator Domine Deus misericors, & clemens, qui aufers iniquitatem, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est.* Hæc illi Patres.

B. Aug. to. 8 in princ. *D. Thom. lect. 2 sub initio. 16. in princ.* *Exod. 34.*

Omnes peccauerunt, ait Apostolus, nimirum alii actu, alii aūt merito & reatu tātum, vt recte quidā interpretantur.

Sensus ergo Apostoli est: Omnes peccauerunt, etiam actualiter, quoniam pro facto accipitur, quod ex ipsa rei natura futurum erat, nisi extrinsecus impediretur, & omnes ex sua natura tales sunt, & talis quoq; fuisset Virgo ex sua natura. Multæ similes in Scripturis inueniuntur enuntiationes, quæ sic etiam veniunt interpretandæ, vt illæ: *Omnes quotquot (ante me) venerunt, fures sunt, & latrones*; intellige, ex sua natura: quia in Adam fure, qui rapuit quæ non exoluit, apti nati redditi sunt ad furandum. Ita etiam accipe illud: *Ego à te debeo baptizari.* Etsi enim sanctificatus in vtero, & sanctior Prophetis natus; qui tamen illud ex se non habebat, à Deo conseruari indigebat, quod erat assidue baptizari. Ob id etiam dicitur: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*, id est, in originali, in quo virtute sunt omnia alia actualia quæ censetur homo ex seipso fecisse. In ipsa etiam nostra conceptione contrahimus mortem animæ, non quod reipsa vnquam vitæ gratiam habuerimus, quia non habuimus, sed quæ debita erat, si Adam stetisset, postea vero debita succedit spoliatio. ¶ Sicut igitur mortui dicuntur omnes filii Adæ vitæ gratiæ, quam re vera non habuerunt, sed hoc solo, quod decreti erant habere: ita restituta potest dici B. Virgini, & liberata à morte, & redempta, licet nunquam illa vita caruerit, & mortem illam non gustauerit. Sed hoc solo, quia caritura erat vita illa, & consequenter mortem gustatura. Sic homines dicuntur cæci nati, non quia admisisse visum dicuntur, quem habuerunt nunquā, sed quem apti nati erant natura habere.

Quænam aliæ sententiæ pari modo veniant explicandæ. *Ioan. 10.* *Ps. 68.* *Gen. 3.* *Matt. 3.* *Luc. 1.* II. locus. III. *Ps. 50.* Quare concepti in iniquitatib. dicamur.

Cæci nati qui.

Interpretationem iā dictam à quibusdā immerito reprehēdi.

¶ Nec valet quod à quibusdam obiicitur, illam expositionem: Omnes peccauerunt, id est, aliqui facto ipso, aliqui debito, vel merito; bonam esse. Sed certe Turrecremata asserit, intelligi de originali, & actualibus: & quod de originali intelligatur in omnibus, de actualibus vero in multis. Sic etiam dicuntur omnia opera Domino benedicere; & tamen alia sensu, alia intellectu benedicunt. Dicit enim Scriptura: Quoniam omnia seruiunt tibi. Sed certe aliter seruiunt dæmones, aliter iusti, aliter irrationalia: nimirum si sit differentia de domina, & seruis.

Turrecremata. *Ps. 118.*

In illa etiam sententia: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, & illa: *Et ita in omnes homines mors pertransiit*; &, *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur*, quorundam etiam ex priuilegio fiunt exceptiones. & tamen B. Thomas docet illam sententiam veritatem habere in multis, qui non moriuntur ex priuilegio, vt insinuat Apostolus 1. Thessalon. 4. vt interpretatur Hieronymus epistola ad Minerium, Alexandrum. Habet tamen illa sententia veritatem propter reatum, id est, debitum contrahendæ mortis. Vbi etiam Caietanus eleganter annotat, ad Fidem Catholicam spectare, quod omnes præter vnum Christum solum, contrahunt peccatum originale, id est, necessitatem, & debitum habendi illud, & moriendi. Et sicut non spectat ad Fidem, an aliquis moriatur, necne, & satis est habere debitum moriendi: ita ad fidem Catholicam non spectat, an aliquis ex peculiari gratia, & priuilegio non incurrat actu originale peccatum. De vtro enim simul inquit Apostolus ad Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Hæc fere Caietanus. illud ergo, *Morte morieris*, Adæ dictum, debitum, & meritum principaliter vtriusque mortis significat, & quod ipso facto ad plures extenditur ex merito peccati: at quod in aliquam personam non extendatur, causa est alia maior priuilegii, & dispensationis. Sic dictum est Ezechiæ: *Morieris, & non viues* & tamen non fuit mortuus: sed sensus est, Morieris, quantum est ex natura ægritudinis.

Gen. 3. *Rom. 5.* *Ps. 88.* *2. Reg. 14.* *B. Tho. 1. 2. q. 81. ar. 3. ad 1.* *Hier. ep. 152 per totum* *Caiet. in 2. 2. q. 81. ar. 3 to. 11. par. 1.* *Gen. 2.* Quis sensus illius sententiæ: Morte morieris *Esa. 38.*

Præterea ad Hebr. 11. dicitur: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem*: postea subdit *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti*, intellige, præter Henoc, quem nominauerat: & satis est, quod habuerit debitum, & meritum moriendi, etsi actu non habuerit, priuilegio seruatus. In illa etiam sententia: *Sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem; sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ*, nō ad effectum, sed ad meritum vtriusque respexit. Sicut autem meritis iustitiæ Christi multi obicem ponunt, & ideo actu non iustificantur: ita

Heb. 11. *Gen. 5.* *Heb. 11.* *Rom. 5.* Illud Apostoli; Sicut per vnius delictum in omnes homines, in condemnationem, &c. quomodo accipiendum sit.

nihil

nihil prohibet, Christum pro matre sua meritis Adæ obicem posuisse, ne illam eius peccati, labes attingeret. Et quia Paulus non perfectam reddidit orationem, sed opus est omnino aliquid supplere; reliquit in hoc exponendi locum, & supplendi ipsam rei dignitatem, & meritum. Ac si dixisset: Sicut per vnius peccatum dignum fuit irasci Deũ ad cõdemnationem in omnes, ita per vnius iustitiam dignum fuit placari illũ ad iustificationem omnium. Et ita explicauit Caietanus: *Suapte natura*, inquit, *iustificatio Christi in cruce fuit in omnes homines: quoniam ipse est caput totius Ecclesiæ à principio mundi vsque ad finem. Et propterea meritum ipsius est suapte natura meritum omnium, quantum ad sufficientiam.* Et Ambrosius eo loco ait: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, &c. Hoc est: Sicut per vnius delictum omnes condemnationem meruerunt, similiter peccantes, ita & in iustitia vnius omnes iustificabuntur credentes. Si qui autem condemnationem hanc generalem esse putant, simili modo & iustificationem generalem accipient. Sed non est verum, quia non omnes credunt.* Hæc Ambrosius.

Caiet. in c. 5. ad Rom.
Colos. 1. & Ephes. 1.
B. Amb. in 5. à medio.

Mirum autem est, hanc interpretandi rationem, quæ passim recipitur in Scriptura, cum pro B. Virginis priuilegio affertur, repudiari, quasi torqueat Scripturas, & nõ permittunt nos dicere, Adam ex merito suo peremptorem, & perditorem fuisse B. Virginis Deiparæ, licet actu ipso non fuerit perempta, nec perdita. Ita etiam dicimus, Beat. Virginem peccata actualia commisisse non actu, sed merito. Ideo, vt est verisimile, orabat; *Dimitte nobis debita nostra*: quod non de originali, sed de personalibus intelligendum docet Augustinus: non ea quæ actu admisit, sed quæ amisisset gratia non præuenta, & à Deo præseruata. Sic etiam puerũ dicimus baptizari in remissionem peccatorum; cum tamen vnum actu originale peccatum tantum habeat, in quo alia virtute contenta poterat admittere.

Maria Virgo quomodo potuerit illud dicere, Dimitte nobis debita nostra.
Matt. 7.
Augustin. multis locis.
Puer vt Baptizetur in remissionẽ peccatorũ, qui tantũ tamen originaliter peccauit.

Si quis vero inferat: Ergo alii etiam poterant, salua Scripturæ veritate, immunes ab omni peccato fuisse: non valet eiusmodi illatio: quia si fuit, debitum ergo & factum: & vt quis ostendat non fuisse factum, opus est ostendere priuilegium, vt nos de Virgine ostendimus. Iniquum autem est, in causis priuilegiorum seruos æquare velle matri: quia vna est Sponsa, electa ex millibus, amica, & genitrix charissima.

Inepte colligi: Si Maria nulli peccato fuerit obnoxia integra Scriptura, nec nos vnquã in Adam peccasse.
Cant. 6.

Et vt Scripturæ sunt saluæ, dicentes omnes esse sub personali peccato, cum tamen in ipsis excipiant Beat. Virginem; ita etiam Scripturæ dicentes, omnes esse sub originali, consistent, salua præseruatione Virginis ab illo peccato. Nam si non obstante illa sententia: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris; & Puluis es, & in puluerem reuerteris*, & tamen tradunt eam ab omnibus his sententiis exemptam, cur non ergo ab illa sententia, quæ tradit omnes peccasse in Adam?

B. Virgini cum aliæ tribuantur hanc etiã à peccato immunitatẽ debere cõcedi.
Gen. 3.
Ibidem.

Adhæc obiicitur illud 2. Cor. 5. *Si vnus pro nobis mortuus est* (Christus) *ergo omnes mortui sunt*. scilicet morte gratiæ: mortuum autem fuisse Christum pro Maria parente non est dubium: ergo & ipsa mortua fuit eo genere mortis, iuxta illud: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Responsio talis adhibetur, illum locum Pauli, testibus Augustino, & Thoma, intelligẽdum de morte peccati, qua omnes mortui sumus in Christo, in quo vetus homo noster crucifixus est. Quod declarat subiungẽs *Et pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit*: de qua etiam ad Colos. 3 dixit, *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo.* Sed siue de morte peccati loquatur ibi Paulus, siue de morte gratiæ, probatur similiter, quod in Adam omnes sumus mortui gratiæ, sed eo modo, sicut omnes mortui sumus peccato in Christo hoc est, secundum meritum, non ipso facto Quod probatur autoritate Pauli: *Eramus*, inquit, *natura filij iræ, sicut & cæteri*, vt hæc duo singularia insinuaret, alterum pro Christo, qui nullo modo censetur filius iræ cum natura non fuerit talis, cum esset filius Dei, & non humano more per semen, sed de Spiritu S. processerit: alterum pro matre, quam non simpliciter dicere licet iræ filiam, sed cum hoc adiuncto, Natura suæ originis, & natura suæ conditionis inspecta, vtpote quæ via seminis processerit, vt cæteri, non autem Christi adueniente gratia considerata, secundum quam gratiam quod mirabile est, potuit, scilicet sine semine concipere. Quare inferre recte non licet, Maria natura est filia iræ, ergo simpliciter est iræ filia. Sicut nec ex illo: Adam est natura mortalis, ergo erat natura mortalis, cum dono Dei haberet, ne mori posset.

III. argum.
2. Cor. 5.
1. Cor. 15.
Solutio.
Aug. l. 20. de Ciuit. Dei c. 7. prope init. to. 1.
D. Thom.
Illud: Si vnus pro nobis mortuus est, ergo omnes mortui sũt: quomodo accipiendũ sit.
Coloss. 3.
Ephes. 2.
Proprium Christi.
Maria Virgo vt filia sit iræ.

Affertur & ille locus Eccles. 7. *Virum de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni*, id est, vnus vir solus Christus est à peccato liber. Respondemus, Hieronymum multis modis illud interpretari, & tamen istum sensum de peccato originali non attigisse. Quod si cogant ad peccatum referre, recte fatemur, quod solus vir prorsus à peccato suapte natura liber fuit Iesus Christus; non sic autem Beata Maria, sed solum ex gratia. Ideo ipse solus agnus immaculatus: so-

IV. argum.
Eccl. 7.
Hier. to. 7.
Quis sensus illius sententiæ: Virum de mille vnũ reperi mulierem ex omnib. nõ inueni.

lus i-

1. Pet. 1. Ps. 87.

lus ipse suapte natura inter mortuos, liber.

V. argum. Exod 40. In eo quod operuit nubes tabernaculum testimonii, & gloria Domini impleuit illud, postquam omnia perfecta sunt, quid fuerit adumbratum.

Illud vero, quod ex mystico sensu à libro Exodi adferunt, quod operuit nubes tabernaculum testimonii, & gloria Domini impleuit illud, postquam omnia perfecta sunt vt prius fuerit Virgo, quam nube Spiritus sancti sanctificantis operta, parum solidum videtur. Quia hic locus figura est secundæ sanctificationis, quando concepit Filium Dei: tunc enim venit super eam Spiritus sanctus, & gloria Domini impleuit eam, id est Christus, vt exponit ipse Thomas. Ad hæc nihil prohibet prius esse, quam sanctificatum esse: sed priua natura, non tempore.

Luc 1. B. Thomas in 3. dist. q. 1. art. 10. 7. tract. VI. argum.

Solent etiam argumentari, qui aliter sentiunt, in hunc modum: Maria Virgo caruit Iustitia originali, habuit fomitem, & mortua est; hæc autem sunt reliquiæ, & effectus peccati originalis: ergo & ipsum peccatum originale habuit. Sed hæc illatio non bene concludit: nam si hæc connexio inefficax esset, euinceret Christum fuisse sub originali peccato, eo quod iustitia originali destitutus fuerit. Sed & qui per Baptismum sanctificati sunt, similiter subiacerent peccato, quia carerent illa iustitia. Nam gratia quæ datur Baptismo sanctificatis, sufficit, vt quis dicatur non esse sub peccato. Cum ergo Maria nunquam sine gratia Dei inueniatur, nunquam potuit intelligi esse sub peccato.

Solutio.

Per solam gratiam Baptismatis potest aliquis non subiacere peccato.

Autores Christum asserentes originalē habuisse iustitiam.

Et hæc dixerim eo posito, quod Christus caruerit iustitia originali, quam tamen quidā ex Scholasticis illi tribuunt, vt Ioannes Gerson, & Ioannes Maioris: etsi prior sententia mihi magis arrideat. Ad illud secundum de fomite respondemus, negantes vllum fuisse in B. Virgine propter gratiæ plenitudinem, vt etiam asserit Ioannes Gerson in sermone de Assumptione. ¶Quod si quis ex Paulo iustificato, & dicente: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, argumentetur pertinere ad sanctam virginem; respondebimus, quod id quod proxime connectitur, ad eundem pertinere deberet, nempe, Et captiuitatem me in lege peccati: nullus tamen Catholicus illam sub fomite captiuam fuisse asseruit, cum ipsi qui in B. Virgine fomitem ponunt, ligatum fuisse asserant, ne in effectum concupiscentiæ prodiret. At si spiritus fomitem in effectum prodire nolebat, quid magis expeditum, quam prohibere ne esset? Nam huiusmod fomitis ligaturas ignorant Scripturæ & illas gratiæ plenitudo iam Ecclesiæ meli' nota non admittit. Nam ponentibus eam in peccato, opus erat etiam fomitem ponere: at vero cum eam vere profiteantur liberam à peccato, non opus est ponere in ea villum ligamen.

Ioan Gersō. Io. Maioris. Mariam nullum fomitem habuisse. Ioan. Gersō. Rom 7. Illud Apostoli: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, cur Virgini quadrare non possit. Arguuntur dicentes non quidē extinctum sed ligatū fuisse fomitem in Maria.

Nec tamen ob id æquatur Christo Maria, vt quidam obiectant. Nam sunt quædā quæ soli Christo vt sibi conuenientia debētur, quæ si creaturæ tribuerentur, blasphemia incurreretur: at esse sine fomite, non est tale, vt creaturæ conuenire non possit: quia constat primos parentes ab initio sine fomite conditos: imo & tales omnes fuissemus, si illi stetissent. Fecit enim Deus hominem rectum. Quid ergo magni est tribuere Mariæ ex singulari Christi pro ea merito, quod quilibet suo iure habuisset, si Adam non peccasset. ¶Deinde, aliquem habere aliquid quod alius habet, non arguit inter eos æqualitatē, etiam circa idem, si modo vnus id habeat suo iure, alius vero precario, & ex priuilegio. Quare vt recte docet Thomas in tertio, credentes Virginem cum corpore resurrexisse, & in cœlum ascendisse, non propterea eam Christo æquant: quia quod Maria resurrexerit vt Christus, non habuit ex debito naturæ, sed ex priuilegio; Christus autem id suo iure accepit, de quo scriptum est: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Nam & impossibile erat eum infernis doloribus teneri.* Quare ar rogare potius Christi gloriæ, quam detrahi videtur, quando ea quæ non sunt ipsius Dei propria, per Christum Matri eius tribuimus, etiamsi magna sint: quia ipsa de se in Spiritu sancto cecinit: *Quia fecit mihi magna*, (siue magnalia) *qui potens est.* Sicut nec Apostoli Christo æquantur propter eadem signa, vel interdum maiora quæ edebant. quia Christus propria autoritate, Apostoli vero nonnisi Christi virtute faciebant. Ita Maria quicquid habuit, post Christum, & propter Christum, & per Christum habuit.

Mariam eo quod fomitem non haberet, nequaquam tamen per hoc cum Christo cōferri. I. ratio. Eccl. 7.

II.

B. Thom. in 3. dist. 22. q. 3. art 3. ad 3.

Ps. 15. Act. 2. Ibid.

Virginis Matris prærogatiuæ Christo cōmunes. Christi gloriam illustrabāt magis. Luc. 1. Signa Apostolorum, signa Christi erant, maioremque eius ob honorē fiebant.

Denique Thomas in 3. sententiarum opinatur, nullum aspicere potuisse Mariam cum praua concupiscentia; cur non ergo dicemus in ipsa extinctum fomitem, cuius gratia in aliis extinguebatur.

Tertia ratio. B. Thom. 3. dist 3. q. 1. art. 2. qu. 1. ad 4. to. 7.

Ad tertium de morte dicendum, quod mortis pœna fuit in Christo, nec tamen vlla culpa maculatus. Quod si quis dicat fuisse culpam in Christo, non propriam, sed nostram, iuxta id; *Posuit Dominus in eo iniquitatē omnium nostrum*; quid dicent de his, qui baptizati sunt, in quibus nulla remanet culpa, & tamen à morte, & aliis pœnis non liberantur? Quidquid ergo probabilius ipsi dixerint, vt hoc soluant, & nos dicemus ad dissoluenda eorum argumenta. Sed si volunt audire, hæc est vera Augustini sententia Pœnas, quæ ante peccatorum remissionem erant supplicia, post remissionem esse iustorum certamina, & exercitationes. Et ideireo licet B. Virgo non fuit præseruata à mor-

Maria qua ratione mortua: Esa. 53. Reliquiæ mortis, ait August. cedunt in bonum electis. Aug. L. 13. de Trinit. c. 16 to. 3. Idem l. 2. de pec. mer. & remiss. c. 4. to. 7.

te; sub

Maria cur mortua, quæ nullũ habuit peccatum. *Luc 24.*

te fuit tamen à peccato seruata: quia non licebat sub capite spinoso inueniri membra delicata. Et vt Maria tolleret suspicionem, quod Christus ab ea non susceperit verum corpus, sed cœleste. Et sicut Christum, ita Mariam oportuit pati, vt intraret in gloriã suam.

An Maria si Christo præmortua fuisset, ante illum cœlum intrasset. *Gerson.*

Obiectabis: Hoc posito quod Maria ante Christum decessisset, euolasset ne in paradisum, an non? Si affirmamus, Christus non fuisset primogenitus mortuorum. Si negamus, quid obstitisset intrare, cum sine vllo prorsus peccato esset? Dicendum, quod nõ intrasset in gloriam ante Christum (quicquid Gerson, & alii dicant) quia Dei decretum erat, ne quis in gloriam ante Primogenitum intraret. Satis quippe constat, eos qui erant in lymbo, à peccato expiatos, non tamen intrasse, nec ipsum quidem Ioannem Baptistam in vtero Spiritu sancto repletum sed per multa secula coactos Christi in cœlos ingressum expectare.

Hunc Mariæ ante Christum cœlestem ingressum quid impediuisset, quæ nunquam peccauerat.

¶Dices, Fuit seruata à peccato, nihil ergo obstabat quo minus intraret. Imo hoc in ipso per contrarium obstabat, scilicet fuisse seruatam à peccato. Quia enim per Christum seruata est, non congruebat eam ante Seruatorem, vel præseruatorem suum glorificari. Nec est absurdum, ea omnia, quæ meriti statui non repugnant, multos ante Christum secundũ tempus accepisse, vt quælibet dona gratię, & virtutes, quæ ad salutem faciunt: at ipsum præmium perfectum non decuit quenquam accipere ante Christum præmii autorem, vt sic ipse primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ. *Apoc. 1.*

DISPVTATIO LI.

In qua respondetur ad sententias sanctorum Patrum, quæ à quibusdam proferuntur contra immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis priuilegium.

SVmunt deinde patrocinium, qui aliter sentiunt ex veterum Patrum, & præsertim B. Augustini testimoniis, vt inde inferant, Virginem præseruatam à peccato non fuisse: præsertim quod omnes non solum id priuilegium non attigerint, sed etiam denegasse videantur. Sed quo distinctior sit eorum obiectio, ex multis capitibus eos argumentari solitos ostendemus.

I locus à traditione Patrum.

Primo quidem agunt multitudine Doctorum, quos errare in re tanti momenti non est facile admittendum.

Huic argumento opponuntur quinque.

¶Respondemus tamen ex Augustini libro 1. de Morib. Eccles. c. 2. tum ex B. Thomæ doctrina, locum ab autoritate esse infirmum: quia ordo docendi est (vt ibi tradit Augustinus) vt cum aliquid discimus, rationem præcedat autoritas. Nam infirma ratio videri potest, quæ cum reddita fuerit, autoritatem postea, per quam formetur, assumit. E conuerso enim est, vt infirmitatem autoritatis confirmet ratio. Et c. 25 eiusdem libri, nihil in Ecclesia Catholica tradit salubrius fieri, quam vt rationem præcedat autoritas. Idem libr. de vera religione c. 23. Autoritas fidem flagitat, & rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum, cognitionemque perducit.

Aug. to. 1. prope fin. Thom. par. 1 q. 1. ar. 8. to 11. Ordo doctrinæ ab Augustino traditus.

Idem eod. to. circa fi. II. obiect.

Deinde illi multitudini Doctorum, opponimus aliam multitudinem, vt clauus clauo trudatur. III. Tertio, rationum efficaciã, quæ omni autoritati præstare dignoscitur, in contrarium obiicimus. IV. Quarto vniuersæ pene Ecclesiæ consensum opponimus, & vniuersitatum omnium concordem sententiam, præsertim eius quæ primaria est. Nam in celeberrima Parisiorum academia nullus Magistri in Theologia titulo dignus habetur, qui primus etiam iurisiurandi religione non se adstrinxerit ad hoc Virginis priuilegium tuendum, & propugnandum.

Sacræ doctrinæ professores Parisiis nulli creantur, quin prius in Virgineę huius prærogatiuæ defensionẽ iurent.

Quare si autorum numero decertare velint procul dubio absorbebuntur. Nam ex quo ista quæstio discuti cœpit, pene omnes in Theologia magistri, omnes verbi Dei præcones, omnes Reges, & Principes, omnes Respublicæ, cunctique populi, omnes Pontifices, & pastores, & religiosi, vna & illa quidem ex parte tantum excepta Religione, in hanc sententiam conuenerunt: quam & cultu diuino celebrant, vt dicere possimus: *Plures nobiscum sunt, quam cum illis.* Et certe, vt prudens quidam Pastor dixit: *Pauperis est numerare pecus.*

Mira totius Christiani populi in doctrinã puræ immaculatæque Conceptionis cõfessio, & fides. *Ordo Religiosorum B Dominici.* *4 Reg. 6.*

Quidam enim illorum cõputant ducentos Patres, alii, vt Bandellus, ad fere 300. Caietanus vero quindecim, & illos quidem, vt ait, irrefragabiles. Cum tamen quidam ex illis, vt Ambrosius, & Augustinus falso citentur, multos etiam in suam sententiam, vel inuitos cogant, vt Scotum, & Parisiensem vniuersitatem iuxta antiquã definitionem, vt Robertum Olkoth, & Vbertinum de Casalis, & B. Illefonsum Ecclesiæ Toleta. Archiepiscopum.

Eisdem autorum testimonia congerentibus, quid merito obiectari valeat. Numerus testimoniorum per Bandellum quendam, & Caietanum collectus. Notatur ille tripliciter.

At illiberalis videtur esse disputatio, & non longe ab illa Sophistarum, falsis, & technis agere, cum per illa veritas defendi nequeat. Quidam etiam ex eis quos producunt, exoletæ sunt autoritatis, & vix memoria digni; alii vero etiam indigni, qui in Theologicam palestram adducantur. Recte namque per B. Thomam dictum est libro contra impugnantes Religionem: *Canonistarum glossulas inter, sacra doctrina professores interserere,* *B. Thomas opusc. 19. to. 17.*

Angelici Doctoris de Canonistis iudicium

inconsonum, & derisibile est. Accidit etiam interdum, vt ab vno quopiam doctore, præsertim si illustris sit, opinantium multitudo procedat; & quidam pio, & humili timore correpti malint aliena contra stomachum probare, quam quicquam noui ex proprio ingenio depromere, ne quid insolens in Ecclesiam inuehere videantur: quorum vt laudanda est humilitas, ita aliorum non est vituperanda fiducia, qui veritatis amore non verentur etiam meliora introducere. Nam ecce Hierony. in serm. de Assump. (si tamen eius est illat) asserere timuit, Deiparā in cœlum cum corpore assumptam: idque magis desiderio pio esse opinandum censet, quam inconsulte definiendum. At Augustinus felicius id ausus est asseuerare, & multis argumentis statuere: ex quo ausu id luctata est Ecclesia, vt rationibus eius persuasa id credi derit, & in cultu suo celebrare obtinuerit. Denique contra hanc quam obiectant multitudinem, respondemus verbo Dei Exod. 23. *In iudicio plurimorum non acquiesces sententia, vt à vero deuies.* Nam cum Donatistæ in auctorum multitudine gloriarentur; respondit Augustinus, signum esse causæ à veritatis neruo destitutæ, quæ soli multorum auctoritati, qui errare possunt, innititur.

B. Hier. to. 4.

Vnius Augustini doctrina Assumptionis B. Deiparæ cultum in Ecclesiam introduxit.

V. obiectio in aduersarios.

Exod 23.

Quid olim Donatistis copiosam suæ perfidiæ nubē testium obiectantib. obiecerit magnus Augustin.

B Aug. l. cō tra Donatistas.

Secundo, argumenta petunt ex eo, quod non sit verisimile, vt sui deuoti, amici, & familiari religione diuam Virginem complectentes, vt Bernardus, Bonauentura, Thomas, & alii, hanc eius prærogatiuam ignorauerint; cum tamen Dominus dicat, *Vos dixi amicos; quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, & iterum; *Qui diligit me diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*: Respondemus in primis, totam deuotionem erga Dei genitricē non consistere in Bernardo, Bonauentura, & aliis Patribus: multos habuit illa, & adhuc habet sibi magis quam mundo notos, quibus nostra hæc sententia magis placet, quam cō traria. Deinde Bernardus epistola ad Lugdunenses fatetur, sibi incertam esse hanc rē, vt magis opinando, quam definiendo loquatur, paratus iudicio recti us sentientis, atque adeo Ecclesiæ, dictum suum corrigere. Sed & Bonauentura aliter sensit, vt inferius suo loco dicetur. Sed cur tam leui argumento persuadentur? Nam Helisæus Propheta Dei amicus erat, in quo duplex spiritus Heliæ requierat, qui tamen dixit: *Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* Helias quoque sanctus erat, ac deuotus, qui tamen cum se solum relictum arbitraretur, responsum est ei: *Derelinquam mihi septem millia virorum in Israel, quorū genua non sunt incuruata ante Baal* Nathan quoq; Dei Prophetia fuit, qui tamē

Secundus locus à probabili sanctorum, qui Virginem vnice coluerunt, testimonio

Ioan 15.

Sup. 14.

Solutio.

B. Bern ep. 174.

Prophetis, & sanctis Deus non omnia reuelat: cuius rei multa proferū tur exempla.

4. Reg. 2.

Infra 4.

3. Reg. 19.

2. Reg. 7.

de spiritu suo loquens Dauidi non vera vaticinatus est de fabricando templo 2. Regū 7 Multi quoque iusti, ac proinde amici Reges, & Prophetæ extiterunt, qui Christum cupierunt videre, & audire, & tamen non audierunt, nec viderunt. Deuoti quoque, & amici Christi erant Apostoli, quibus tamen dictum est: *Non est vestrum nosse tempora, vel momēta, quæ Pater posuit in potestate sua.* Amicus & Petrus, qui tamen errare permittitur, vt non ambulet, ad veritatem Euangelii, Deuotus & Cyprianus Christi fuit, & tamen iterabat Baptismum in baptizatis ab hæreticis, contra Apostolicam doctrinam: Non omnibus omnia dedit Deus, vt quælibet ætas suis gaudeat veritatib. quas prior ætas ignorauit. Vt & in hoc B. Virgo similis sit Filio suo, cuius mysteria paulatim detecta sunt, vt ex contradictorio examine illustrior veritas appareat: vt sit & ipsa Virgo cum Filio suo in signum cui cōtradicetur.

Matt. 13.

Luc. 10.

Act. 1.

Gal. 2.

Error B. Cypriani.

Habet vnū quodque seculum peculiares reuelationes diuinas.

Vt Christi, ita & Virginis Matris mysteria iudicio contradictionis fuerunt obnoxia.

Luc. 2.

Tertio, argumenta petunt à Doctorum antiquitate, cui semper maior honor est habitus, quam nouitatibus. Respondetur, quā libet ætatem antiquitati semper detulisse: & Quilibet senex, vt quidam Poeta dixit, laudator tēporis acti. Sed illud asserimus: quo iuniores, eo perspicaciores esse Doctores: ita vt Aristoteles dixerit, per incrementa tēporum perfectiores esse artes, & disciplinas & apud Danielem: *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, & multiplex erit sciētia.*

III. locus ab antiquitate Patrū, Iosolutio.

Horat. in Arte.

Arist. 1 Et hic 7 & Metaph. 1 c. 4. 5 to. 3.

Artium incrementa tempore facta sunt, vt Philosophus.

Deinde dicimus, quod etsi homines errant, & ipsi vere sub originali peccati tenebris detenti, vt possent errare; tamen per incrementa temporum nota facta sunt diuina mysteria, quæ tamen antea multos latuerunt: ita vt hoc loco nosse, beneficium sit tēporis, non quod nos meliores sumus, quā Patres nostri. Sed age qui sint isti antiqui: nunquid Apostoli? nunquid Ambrosius, aut Hieronymus, aut Augustinus? Sed nullus eorum ex proposito hanc controuersiā discussit, nisi quod obiter contra hæreticos disputantibus aliquid circa hoc potuit excidere, quod ab aliis modo in hanc partem, modo in illam trahitur.

Altera solutio.

Dan 12.

Cur maior nunc, quā olim fuerit huius notitia veritatis.

Antiquos Patres nihil expressisse de hoc differuisse mysterio.

Quarto argumentantur à præstanti doctrina B. Augustini, & B. Thomæ, qui excellentes in Ecclesia Dei Doctores habentur. Respondeo, omnem Augustini doctrinam quod ad hoc negotium spectat, consistere in notitia erroris Pelagiani, & contrariæ Catholicæ veritatis. Cum enim illi assererent peccatum Adæ naturam humanam non vitiasse, sed integram permansisse, posseque

IV. locus ab Augustini dictis.

Pelagianæ summa doctrinæ.

Dei

Dei præcepta perficere, & assequi gratiam, quam iuxta merita dari dicebāt, & per eam vitam æternam comparari, nullumque hominum peccatum cōtrahere, vel maculam, vel reatum, vel pœnam in sua conceptione: mortem autem, & carnis repugnantiam, & cætera quæ conceptionis sunt, naturalia esse, secundum conditionem naturæ: & ideo Adam etsi non peccasset, moriturum. Ex quibus omnibus colligebāt, Christum gratis mortuum esse, nec mūdi redemptorem extitisse, nec Baptismum vllum expiare peccatum. Contra hos errores Augustinus totis eloquentiæ viribus, & ingenii neruis insurgit, docens, peccatum illud suo merito totam vitiasse naturam, Deique gratia priuasse, nisi per Christum redimeretur, in quo solo vitiari non potuit natura, quia Deo coniuncta erat: cæteri autem omnes, qui cōcipiuntur, nascuntur viuunt & moriuntur, absque peccato esse non possunt.

Gal 2.

Augustini eiusdē confutatio.

Cur Patres præter vnū Christum omnes dixerint in Adam peccasse.

Cum ergo Augustinus, & vniuersi Patres hoc clamant, atque constanter doceant, atque ipsa B.Deipara nec nata sit in peccato, nec in illo vixerit, imo etiam Ioannes Baptista, atque Ieremias in vtero sanctificati in sacris literis recenseantur: sequitur, mentem, & sensum illorum Patrum ad illud respexisse, quod erat ex natura sua, & conditione natorum præter Christum, qui solus ex modo generationis (quia de Spiritu sancto fuit conceptus) sanctus semper fuit. Vnde omnes, qui aliter concipiuntur, etiam ipsa B. Virgo, ex suæ conditione naturę cū aliis potest dici in peccato cōcepta, & in peccato nata, vt aiū: Patres, etiamsi reuera fuerit præseruata singulari Christi beneficio. Quod vero vniuersi Patres, & Augustinus hoc dicāt, inde probatur: Ambrosius enim contra Nouatianum scripsit: *Omnes homines sub peccato nascuntur, quorum ipse ortus vitio est, sicut habes lectum, dicente Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ecce de natiuitate, & cōceptione. Sic enim Hilarius. & Gregorius cum Ambrosio legūt, Peperit, cum Septuaginta Interpretibus. Et rursus Ambrosius in commentariis in Luc. cap. 2. *Solus per omnia ex natis de fœmina Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non senserit, & cœlesti maiestate depulerit.* Hos Ambrosii locus recitat Augustinus libro 2. contra Pelagianos. Et subiungit: *Peccatum ergo protoplasti omnes contrahimus, non morum imitatione, sed seminu conceptione.* Additur Hieronymus in Psalmum 50. *Concipitur, ait, & nascitur in originali peccato quod ex Adam trahitur.* Vbi si exponas, Nascitur, id

Luc. 1.
Ioan. 1.

Luc. 1.
Matt. 1.

Ambr. li. 1. de pœnit. c. 2. à med. to. 1.
Psal 50.

Hilar in Ps. 118. in fin. Gre li. 13. Moral. c. 35. circa med. to. 1. Amb. li. 2. in Luc. c. 20. de Circumc. Salm. to 5. sub ini. B Aug to. 7 prope fin. Hier to 8.

Nasci in peccato, & concipi in peccato, aliud esse probatur.

est, concipitur, vt quidam faciunt, nugatoria esset oratio: diceret enim, Concipitur, & cōcipitur. Quare Augustinus in libris contra Iulianum sæpe hanc inculcat sententiā: *Non hominum præter Christum est sine peccato infantilis ætatis accessu, etiamsi vnius diei sit super terram.* Idem docet lib. 3. de peccat. merit. & remis. cap. 5. & libr. de Perfectio. iustitiæ, & passim. At hoc falsum esset iuxta omnium sententiam in B. Virgine, quam asserunt in vtero sanctificatam, & ab omni peccato immunem venisse in mundum, quæ non tantum diem vnum super terram, sed totam reliquam vitā duxit immaculatam. Imo Regius Psaltes totius humani generis confessionem faciens non modo dixit: *Ecce in iniquitatibus cōceptus sum*; sed addit: *Et in peccatis peperit me mater mea*: quæ lectio Septuaginta est, vt vidimus & multorum Patrum, etiam Hieronymi, & elegantior illa vulgata & communi, quæ habet: *Et in peccatis concepit me mater mea*: quia videretur idem super. flue repeti, nisi forte Spiritus sanctus duos conceptionis modos innuere voluerit; videlicet cum fœtus primum concipitur, & cum postea anima rationali fœtus animatur. Alibi quoque Augustinus libr. 5. Hypognosticon sententiam hanc confirmat autoritate Ecclesiastici, capite 40. *Graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum*, & cætera: quod ad originale peccatum accommodat, in quo omnes, inquit nascimur. Vbi Glossa illa deficit, cum expresse dicat; *A die exitus de ventre matris*, & non à die ingressus in ventrem. Item quoque ait Concilium Mileuitanum capite 2. *Placuit*, inquit, *vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, & nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur, anathema sit.* Denique ipsemet Augustinus ora omnium obstruens, aperte epistola ad Durandum scribit: *Hoc ergo excepto lapide angulari, non video quomodo assistentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse antequam nati.* Et paulo post: *Quod si quisquam dicit iam esse natum hominem, etiam cum adhuc est in vtero matris, testimoniumque adhibet ex Euangelio, quia dictum est ad Ioseph de prægnante Virgine Domini matre: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: Nunquid iam huic natiuitati accedit secunda natiuitas? alioquin non erit iam secunda sed tertia. Dominus autem cum hinc loqueretur: Nisi quis, inquit, renatus fuerit denuo, eam scilicet computans primam natiuitatem, qua fit matre pariente, non concipiente, atque prægnante, qua fit ex ea, non qua fit in ea. Neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit, tan-*

Aug to. 7 l. 3. in Iulian. 1. 9. Esa. 15. iuxta Septuaginta. Idem ibid. in fine.

Lectio illa Septuaginta: Et in peccatis meis peperit me mater mea, vulgatæ lectioni Concepit, cur præstare videtur

Hier. in sua vers. to. 8.

Duplex cōceptio eiusdem verbis vulgatæ lectionis, insinuata, qualis.

Aug to. 7. in fin.
Eccl. 40.

Concil. Mileuit. to. 1. Conc.

Aug. epist. 57 non procul à fi. to. 2

Matt. 1.

Ioan. 3.

Duplex natiuitas.

Mat. 2.
Mich. 5.
Luc. 2.

quam iterum natus sit, qui iam semel natus fuerat in vtero. Sed ista natiuitate non computatur qua grauidam facit, natus dicitur homo partu, vt possit renasci ex aqua, & Spiritu. Secundū quam ex matre natiuitatē etiam ipse Dominus in Bethleem Iuda dicitur natus. Hæc ille, perspicue aperiens, Glossam illam accipientium natiuitatem pro conceptione, falsam esse, & ab ipso reprobatam.

Aug. c. 9. subf. to. 7.

Manet igitur Augustinus sententia, & antiquorum Patrum comprobata, quod omnes sub originali ex vtero nascuntur, imo etiam quod omnes sub actuali peccato præter vnum Christum vixerunt. Scribit namque Augustinus li. 5. contra Iulianum: *Nullus est hominum præter Christum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu: quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantiliis ætatis excessu.* Et rursus: *In carne sine peccato viuere, solius est Redemptoris.* Et lib. de sancta virginitate: *Ille vnus vir* (scilicet Christus) *non tantum fideles mente, & corpore virgines sed omnes omnino Christianos ab spiritualibus vsque ad carnales, ab Apostolis vsque ad vltimos, tanquam à summis cælorum vsq; ad terminos eorum docuit orare, & in ipsa oratione dicere admonuit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et infra: *Cum vero hanc orationem baptizati, orant, præpositi, & plebes, pastores, & greges, satis ostenditur in hac vita quæ tota tentatio est, neminem se tanquam ab omnibus peccatis immunem debere gloriari.* Idem ad Marcellum: *Solus ille etiam homo factus manens Deus, peccatum nullum habuit vnquam, nec sumpsit carnem peccati, quamuis de natura carnis peccati.* Et iterum: *Teneamus ergo indeclinabilem Fidei confessionem: Solus vnus est qui sine peccato natus est, in similitudine carnis peccati; sine peccato vixit inter aliena peccata sine peccato mortuus est propter nostra peccata.* Et libro de Fide ad Petrum Diaconum, tria hæc similia perstringit: *Solum Christum conceptum, natum & mortuum sine peccato: sicut etiam Concilium Florentinum firmiter credit & profitetur, & docet sancta Romana Ecclesia, neminem vnquam ex viro fœminaq; conceptum à diaboli dominatu liberatū, nisi per mediatorem Dei & hominum Iesum Christum Dominū nostrum, qui sine peccato conceptus, natus, & mortuus humani generis peccatum delendo solus sua morte prostrauit.*

Idem.

Idem c. 40 to. 6. prope fin.

Matt. 6.

Iob 7.

Idem li. 1. de pecca. & mer. & re mis. per multa capita, & alibi, to. 7. Ca. 35. li. de sancta virginitate, init.

Rom. 8.

Idem li. de Fide ad Petrum, c. 2. per totum, to. 3. circa princ. Cōc. Floren. in Bulla Eugenij.

1. Tim. 2.

De peccato originali contra Pelagianos quatuor docet Augustinus.

Augustinus ergo in Pelagianos disputans, qui originale peccatum negabant nō solum obtinere voluit peccatum in conceptione hominis, sed etiam in natiuitate: nec hoc tantum, sed etiam in tota vita: quod necessarium est euenire illis omnibus, qui adhuc primæuo illo peccato tenētur simplici, needum in Christo renati. Nec id satis fuit obtinere, sed adiecit, nec ipsos renatos, imo Sanctos post sanctitatem adeptam prorsus à peccato fuisse immunes. Etsi enim iusti, & sancti essent, non ita tamen perfecti, vt saltem venialiter, vel leuiter non peccauerint. Ex quod colligebat originale peccatū, nam hanc peccati necessitatem in sanctis, & iustis ab originali peccato promanare considerabat, quoniam à reliquiis eius, id est, à concupiscentia, & illecebris, non penitus liberantur Sancti.

Sanctos etiam vitā venialibus esse peccatis obnoxiam cur asserat.

Hoc in beata Virgine cur locum habere non possit.

At quoniam hæc sententia durior visa est, nec tam contra Pelagianos militare, quam contra Christi gratiam, & ipsum Spiritum sanctum, qui nulla regula ligari potest, quin spiret vbi vult, quomodo, & quantum vult; ad perfectam peccati illius extinctionem, saltem in aliqua electa persona exhibuit seipsum circa hunc articulum. Etsi enim in plerisque locis videatur asserere, nullum, etiam sanctam, præter Christum solum, inueniri hanc vitam viuere sine peccato, quia sic viderentur sonare Scripturarum sententiæ: (vt. *Non est iustus quisquam, Non est intelligens, non est requirens Deum: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum: Omnis homo mendax: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Non intres in iudicium cū seruo tuo quia nō iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato? Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: In multis offendimus omnes: Si dixerimus quoniam peccatum nō habemus, ipsi nos seducimus*, & similia multa:) Sæpe tamen Augustinus testatus est se nolle dogma contrariū suæ sententiæ, quasi hæreticum damnare, cum nō sit contra Fidei fundamentum, neque per hoc negetur originale peccatum, sed gratia maior contra illud asseratur, Et concludit ille magnus Pater: *Si Scripturis quæ innuere oppositum videtur, congrue responderetur, pietatis esse, atque beneuolentia illud potius recipere, quod magis Dei gratiam, ac misericordiam extollit.* Nam impeccantia, siue impeccabilitas quæcunque ponatur, modo non detur naturæ, vt Pelagiani volebāt, hæreticis nihil fauebat. Cum que teste Augustino libr. de Natura & Gratia cap. 42. negaret Pelagius ad quæstionem pertinere an omnes actu peccauerint, quia id poterat cōtingere sua ipsorum socordia, ac nequitia, sed an potuerint non peccare, quod ipse natura fieri posse contendebat; Augustinus respondit: *Nam neque illud nimis curo, vtrum fuerint hic aliqui, vel sint, vel esse possint, qui perfectam, cui nihil addendum esset, habuerint, vel habeant, vel habituri sint charita-*

Ioan. 3.

Omnes in peccato cōceptos, & natos præter vnum Christum, quænam Scripturæ testentur ad literam

Rom. 3.
Psal. 13.
Psal. 115.
Psal. 129.
Psal. 142.
Prou. 20.
Eccl. 7.
3. Reg. 8.
2. Paral. 6.
Rom. 3.
Iacob. 3.
1. Ioan. 1.

Immunitatem Virginis ab omni peccato dummodo Scripturis illa non repugnet, tenentes, magnificennius de Dei gratia, & misericordia sentire, ait Aug. Pelagiani naturæ humanam impeccabilē asserebant.

Aug. to. 7. circa med.

Quænam sit perfecta plenaque iustitia.

tem

tem Dei: ipsa est enim verissima plenissima, perfectissima iustitia, quoniam id quod voluntate hominis adiuta per Dei gratiam fieri posse confiteor, & defendo, quando, vel vbi, vel in quo fiat, nimiū certare non debeo. Neq; de ipsa possibilitate contendo, cum sanata, & adiuta hominis voluntate possibilitas ipsa simul cum effectu in Sanctis prouenit, dum charitas Dei quantum plenissime natura nostra sana atq; purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Rom 5.

Melius itaq; Dei causa agitur, quam se iste agēdo dicit defensare naturam cum & creator, & Saluator agnoscitur; quam cum defensa velut sana, viribusq; integris creatura, oppugnatio Saluatoris inanitur. Hęc ille. & idem repetit capit. 44. Et infra ait: *De qua re cum istis tota vertitur quæstio, ne gratiam Dei, quæ est in Christo Domino nostro peruersa naturæ defensione frustremus:* Vnde exclamans ait: *Pro gratia Christi clamo, sine qua nemo iustificatur &c.*

Idem c. 67 in fine.

Idem c. 62.

Idem l. 2. de Peccat. merit. & remiss. c. 6. in princ.

Rursus alibi ait: *Qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuo incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negauerimus, & hominis libero arbitrio qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adiuuando efficit, derogabimus?* Et libro de Perfectione iustitiæ in fine, testatur se scire quosdam Catholicos viros tenere, in hac vita esse posse hominē sine peccato per gratiam, atque adiutorium Dei, neque audere illos reprehendere. *Sed plane quisquis negat,* inquit, *nos orare debere ne intremus in tentationem: negat autem hoc ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola Lege accepta humanam sufficere voluntatem, ab auribus omnium remouendum, et ore omnium anathematizandum non dubito.* Et libro de Spiritu & litera: *Quin etiam si nemo est, aut fuit, aut erit, quod magis credo, tali puritate perfectus, & tamen esse, aut fuisse, aut fore defenditur, & putatur, quantum ego iudicare possum, nō multum erratur, nec perniciose, cum quadam quisq; beneuolentia fallitur: si tamen qui hoc putat, seipsum talem esse non putet, nisi reuera ac liquido talem se esse perspexerit. Sed illis acerrime, ac vehementissime resistendum est, qui putant sine adiutorio Dei per seipsam vim voluntatis humanæ vel iustitiam posse perficere, vel ad eam tendendo proficere.* Hæc ille. Dum ergo ponit omnes sub peccato originali, vt actuali in conceptu, natiuitate, morte; hoc intellexit secundum conditionem naturæ lapsę, & seclusa Christi gratia, pro qua clamare se ait, & cum iis dexteram iungere, qui Dei gratia id assererent: & tanto magis dexteram iungeret cum his, qui tenent hāc immaculatæ Virginis sententiam, quam cum aduersariis, quanto illi magnificentius quam isti Christi gratiam erga matrem charissimam

Idem in fi. 7. tom.

Matth. 6.

Idem Aug. li. de Spir. & lit. c. 2. paulo ante dimid. to. 3. longe à med.

Quæ mēs sit Augustini, omnes in peccato conceptos natos, & mortuos, asserentis.

prædicant: & hoc ipsum egregie docuit Caietanus, qui etsi sententiam oppositam tueatur; tamen in Prima secundæ quæstione 81. articul. tertio; (est autem validum testimonium quod ab aduersariis vi veritatis cogente excutitur) hæc quæ sequuntur, scripsit: *Est igitur necessarium secundum Catholicam fidem credere, quod omnis vtriusq; sexus ab Adam secūdum rationem seminalem proueniens, ex ipsa sua generatione sit obnoxius peccato originali. Et contra Pelagianos dicentes oppositum, Augustinus differit, & diffinit.* Hæc ille. Non ergo fidei aduersatur, si ponatur aliqua electa persona ab eo debito gratia præseruationis redempta, vt ponitur beata Virgo, de qua ipse Augustinus agens in Pelagium scripsit: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccati agitur, habere esse quæstionem. Vnde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac ergo Virgine excepta si omnes illos Sanctos, (quos ille enumerat) & sanctas cum hic viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus: vtrum hoc quod iste dicit (Pelagianus scilicet) an quo Ioannes Apostolus? Rogo vos quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Hæc ille libro de Natura, & Gratia, c. 36.

Caiet. in tractat. de Concept. Virginis.

Idem.

Firmum testimonii genus quod.

Aug. to. 7.

Nullus Sāctorum, excepta B. Virgine, sine peccato ait August.

1. Ioan. 1.

Cæterum qui secus sentiunt, multa affingunt sententiæ Augustini. Nam in primis illud: *Cum de peccatis agitur,* restringunt ad peccata personalia; cum tamen vniuersale sit pronuntiatum. Et adiecit: *Nullam prorsus habere volo quæstionem.* Et rationem adiiciens: *Vnde enim,* inquit, *scimus quod plus gratiæ collatum fuerit?* Non dixit: Opinor, vel Scio; sed, Scimus: innuens communem debere esse omnium Catholicorum sensum. Et declarans vnde hoc sciret, subdit: *Quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Necessario Augustini dictum de solo originali intelligendum esse, ex eius verbis colligitur, contra aduersarios.

Sed iam vrgeamus eos: Quomodo putatis Augustinum solum de peccatis actualibus locutum? Nam cum dicat: Quem constat nullum habuisse peccatum, non loquitur tantum de actualibus, sed etiam de originali: quare etiam taliter vtrumque per eius gratiam à matre exclusum intelligimus. Nam si ideo immunis ab actuali fuit, quia illum concipere, & parere meruit, qui venit tollere peccatum actuale; cur non ab originali immunis dicatur, cum illum meruerit concipere, & parere, qui debuit tolle-

Acrius adhuc ac vehementius aduersarij perstringūtur.

II. ratio.

re etiam originale, imo ipsum maxime, quia causa aliorum? Adhæc cum ait: *Propter honorem Domini nullum prorsus volo habere quæstionem*, elicimus, ad honorem Domini pertinere immunitatem beatæ Virginis à peccato: quomodo igitur qui secus opinantur, non verentur prædicare, hoc ipsum honori Domini aduersari? Nam si ad honorem Saluatoris pertinet saluare; magis etiam saluare, ad eius honorē spectabit, cum res digna maiori salute proponitur. Et quis dubitet constituere, beatam Virginem per Filii merita ab omni genere delicti immunē esse, magis illum & illam honorare, quam si constituatur ab vno tantum immunis? Et quis negabit, Matrem Dei dignam fuisse summo saluationis gradu?

Dicentes Virginem in peccato conceptā, Christum inhonorāt vt ionuit Augustin. Eorundem obiectio diluitur de peccatis personalib. Augustino esse sermonem nugantium.

Quod vero quidam contendunt, susceptam ibi fuisse disputationem cum Pelagianis de actualibus tantum peccatis: falsum est omnino. Siquidem prima, & maxima, cum illis quæstio erat de originali peccato, nam de actualibus obiter propter ipsum originale attigit: quod peccatum hæreticus negabat. Et cum obiiciunt, Sanctos nō posse dici originale habere peccatum, cum iā essent ab illo per gratiam liberati; plane ostendunt, se morem Scripturarū, & Patrum non considerasse, qui reliquias eius peccati post gratiam, etiam in Sanctis, peccatū vocare solent, vt Paulus ca. 6. & 7. huius epistolæ: & illud Ioannis: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus*, si omnes homines complectitur, vt vult Augustin. etiam pueros, non de actualibus solum peccatis verum redditur, sed & de originali. Imo propter ipsius originalis reliquias illud est dictum: nam sine actuali peccato potest homo, testibus Hieronymo, Augustino, & B. Thoma, pro aliquo saltem tempore immunis esse, & posset pro illo tempore dicere aliquis, Peccatum non habeo: & sic illa sententia falsa redderetur. Ideo in originali peccato saluatur eius veritas, sicut in quibusdā locis docet Augustinus, & alii. Neq; verum est quod isti aiunt, nobis iam aduersus hoc peccatum nullam esse pugnam. Imo aduersus illud assidua est nobis colluctatio, donec destruatur.

Quomodo adhuc sancti originale peccatum habere dicantur contra eosdem. *1. Ioan. 1. B. Aug. ser. 31. de verb. Apost. to. 10 & sæpe alibi Hier. l. 1. Dial. ad uers. Pelag. init. to. 2. à med. Aug. li. 2. de peccat. merit. & remis. c. 6. to. 7. & alibi. B. Th. 1. secunda q. 109. art. 8. to. 11 par. 1 & alibi.* Falsum esse, nobis iā cum originali peccato nihil esse certaminis, vt illi contendūt.

Quod vero Magister sententiarum Augustini sentētiam interpretatur esse veram ab eo tempore quo Filium Dei concepit: à multis non recipitur, neque est recipienda quia violat literā Augustini; & Christi gratiam erga eam coarctat, si de actualibus loqueretur. Ideo simpliciter est de omnibus intelligenda, non solū respectu omnis temporis, sed etiam respectu omnis peccati, vt tenet etiam Magister.

Magistri sentētiar. sensus reijcitur: Mariam tantum à cōceptu Filij Dei nullū habuisse peccatum. *Mag. sent. in 3. dist. 3.*

Est & alia Augustini ratio, qua beata Virgo ab omni originali peccato defenditur: nam libro quint. in Iulianum scribens, ait: *Illud sane magnum verumque dixisti, cum posuiss. s testimonium Petri Apostoli dicentis: Qui peccatum non fecit, notandum esse quod iudicauerit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatū, quia dixit nullum cum fecisse peccatum: vt doceret, inquit, quia qui non fecit habere non potuit. Omnino verissimum est. Profecto enim peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset: nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu; quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit infantilis ætatis exortu.* Hæc Augustinus Ex qua regula recte colligo, quod sicut Christus suapte natura peccatum actuale nō fecit, ita etiam suapte natura originale nō contraxit: at vero quia Beat. Virgo ex gratia, & priuilegio peccatum vllum vel minimum, & veniale non fecit; ideo ex eadem gratia & priuilegio originali peccato minime contaminata fuit.

Aliud Augustin. argumentū pro immaculata conceptione. *Aug. c. 15. in fi. to 7. 1. Petr. 2.* Illud B. Petri: Qui peccatū nō fecit, quomodo teste Augustino intelligeret Iulianus.

Mariam eo ipso quod sine peccato fuit, sine originali fuisse.

Ex qua sana, & Catholica regula recte iterum inducitur: Si sub originali fuit, ergo sub actuali fuit; ergo à destructione consequentis recte colligimus destructionem antecedentis. Nam quia Maria non fuit sub actuali, vt ipsi concedunt, ergo nec sub originali fuit. Huius vim argumenti sentiens Gregorius Ariminensis, & nesciens illud propulsare; cōfessus est quod Maria sub fuit actuali: & Capreolus exponit, peccatum fecisse, id est, fomitem habuisse. Quasi vero, habere fomitem, sit peccatum facere; aut quasi necessum sit ad habendum fomitem, expectare grandiorem ætatem. Ibi etiam Petrus, cum dixit: *Qui peccatum non fecit*, de actuali peccato loquebatur, vt indicant subiuncta verba: *Nec dolus inuentus est in ore eius*, non autem de fomite. Agnouit etiam Ambrosius hanc regulam super Lucam: *Ideo abstinuit à peccato Christus (scilicet actuali, à quo solo abstinere possumus, & à fomite) quia ex Spiritu sancto natus est. Seruatum est igitur, vt ex viro & muliere conceptus nemo videatur expers delicti.* Sic ille.

Greg. Arim. 3. sent. dist. 3. Capreol. ibid. art. 3. In dictum Capreoli: Mariā sub actuali fuit, id est, fomitem habuit. *Esai. 53. 1. Petr. 2. D. Ambr.*

Quod vero Sancti dum solum Christum à peccato excipiunt, illum habeant intellectum de præcipua, ac Diuina immunitate, quam nec Angelis, nec ipsi Virgini damus, vel ex iis testimoniis, quæ ab aduersariis, inducuntur, probari potest. Ait enim Ambrosius in Lucam: *Solus per omnia ex natis de fœmina sanctus Dominus Iesus, qui terrena contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non senserit, & cœlesti maiestate depulerit.* Sic ille; qui

Christum solum esse impeccabilem, suo iure videlicet & natura tantum intellexisse Patres. *Idem li. 2. in Luc. c. 2. to. 5.*

Mat. 1.

qui dicēdo, Per omnia, intellexit Chriſtum neque facto, neque vllo ex merito maculam vllam ſenſiſſe: idque ob immaculati partus nouitatem, quia per Spiritum ſanctum conceptus, & natus. Etſi cœleſti maieſtate ſua potuit depellere hæc contagia, quanto magis à Matre ſua? Gregorius item in illud: *Non adaquabitur ei topazium de Aethiopia*, ſcriptum reliquit: *Nullus Sanctorum quibuslibet virtutibus plenus, ex iſta tamen nigredine mundi collectus, aquari ei potuit; de quo ſcriptum eſt: Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Nos quippe etſi ſancti efficimur, non tamen ſancti naſcimur: quia ipſa natura corruptibilis conditione conſtringimur, vt cum propheta dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis peperit me mater mea. Ille autem ſolus veraciter ſanctus natus eſt qui vt ipſam conditionem natura corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copula conceptus non eſt.*

B. Greg. li. 18. Moral. ca. 33 circa med. to. 2.

Luca 1.

Natiuitatis Chriſti, & noſtræ diſcrimen.

Pſal. 50.

Expende, bone Lector, verba: Nos ſancti efficimur, non tamen ſancti naſcimur: non dixit, Non concipimur, vt hi volunt, ſed, Non naſcimur, altiorem ſenſum reddens: & accepit quaſi oppoſita, effici ſanctum, & naſci ſanctum: & hoc ſecundum proprium eſt Chriſti, prius vero proprium eſt cæteris. Iuxta quem priorem ſenſum nequaquam dicere licebit, Virginem natam ſanctam, cum reuera effecta ſit ſancta: nec de Chriſti licebit dicere, quod effectus ſit ſanctus, ſed natus: quia naſci ſanctum, non ſignificat extrinſecus accepiſſe ſanctitatem, ſed ex ſeipſo illam habuiſſe cum natura cōiunctam, quia de Spiritu ſancto conceptus eſt, vt fieret Deus homo; & ita naſcendo Deus prodiret.

Gregorii dictum expenditur.

Maria dicitur ſancta effecta, non nata.

Quid ſit naſci ſanctum.

Et infra ſubdit Gregorius: *Aliud eſt enim natos homines gratiam adoptionis accipere; aliud vnū ſingulariter per diuinitatis potentiam Deum ex ipſo conceptu prodiiſſe. Nec aquari poteſt gloria vnigeniti habita per naturam, alijs accepta per gratiam.* Et Athanaſius loquens de Domini ſanctitate; in illud Lucæ: *Scio te quia ſis ſanctus Dei: non dicebat* (ſcilicet dæmon) *vnum ſanctum Dei, quaſi alius ſanctis ſimilis, ſed quaſi eo ſingulariter ſancto exiſtēte cum articuli adiectione. Ipſe eſt enim naturaliter ſanctus, cuius participatione omnes alij ſancti vocantur.* Hæc etiam verba à quibuſdam Athanaſii nomine producſitur: *Chriſtus* inquit *naturaliter ſanctus erat, & in hoc ab alijs ſanctis ſanctitate diſſimilis, quia ſanctitatem ſimul cum natura ſuſcepit. Quid eſt, Simul cum natura ſuſcepit, niſi quod illi connaturalis facta eſt ſanctitas.* Item libro de corporali Chriſti aduentu his ſimilia tradit. Et Gregorius Niſſenus ſermone de ſancta Chriſti Natiuitate vt producitur in Catena Aurea: *Solus hic partus maſculinus ſpiritua*

Idem in ſi. Capitis.

Mag. Athan. à B. Th. in Cat. Aurea citatus in ca. Luc. 4. procul à med. to. 3.

Idem to. 2.

Greg. Nyſſ. apud eundē Thom. in c. 2. Luca.

lis eſſe conſpicitur, quia nil de fœminitate culpa portauit.

Partus ergo omnium aliorum, etiam ipſius beatæ Virginis, de fœminitate culpæ ſuapte natura aliquid ſecum portauit vt pura DEI creatura: & ſaltem potentia; vt ait Thomas: à peccato non immunis. Vnde eguit per gratiam mundari, vt Angeli coram Deo luce ſua, & calore purgātur, qui tamen natura nunquam debito peccati fuerūt obnoxij, vt nos. Chryſoſtomus quoq; expendens confeſſionem dæmonis, *Scio te qui ſis, ſanctus Dei,* ait: *Sanctum dicit Deum, non vnum de pluribus, quia & ſanctus erat vnuſquiſque Prophetarum; ſed vnum eſſe denunciat.*

B Tho. 1. ſentēt. diſt. 44 art. 3. ad tertium to. 6.

D Chryſ. in Caten. aurea D. Tho. in c. 4. to 6. Luca 4.

Hieronymus quoque ad Damaſum, illud: *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens,* ſic interpretatur: *Non ait, Non iuſtificabitur omnis homo; ſed, Omnis viuens, id eſt, Non Euangeliſta, non Apoſtolus; non Propheta. Ad maiora conſcendo: non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Poteſtates, cateraq; virtutes. Solus Deus eſt, in quem peccatum non cadit: catera cum ſint liberi arbitrij: iuxta quod & homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt, in vtramque partem poſſunt ſuam flectere voluntatem.* Infra: *Vnde & ab Apoſtolo ſolus iuſtus, ſolus dicitur immortalis; non quod Angeli ſint iniuſti & mortales, ſed quod ipſe ſit immortalis, & iuſtus, cui collata vniuerſa iuſtitia, iniquitas inuenitur.*

Pſal. 142.

B. Hier. epiſt. 146. prope ſi. qua incipit: Beatitud. tua interrogatio. 3.

Quid illud Pſal. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, teſte Hieron.

Gen. 1.

1. Tim.

Albertus etiam Magnus in illud Lucæ 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum,* non ad conceptionē, ſed ad natiuitatem eſſe referendum quæ etiam ſingulariter ſancta fuit in Chriſto, admonet. ¶ Patres itaque veteres nullam differentiam fecerunt inter natiuitatem, & conceptionem, quod attinet ad peccati immunitatem: quare mirum non eſt, ſi præ iſta Chriſti natiuitate etiam cæteri, qui nati ſunt ſancti, non abſq; illo peccato nati dicantur, à quo non ex ſe liberi, ſed ab alio nati proceſſerunt. Et beatus Anſelmus permittit ſuum diſcipulum dicere, Beatam Virginem nedum conceptam, verum etiam natam in peccato originali. Quam ſententiam, qui ſecus ſentiunt, in nos obiectant; cum pariter in eos retorqueri valeat, in eo quod illam ſine peccato natam confitentur: nos tamen illam in ſenſu vero recipimus.

Alb. Mag. Luca 1.

Sancti Doctores ſi naſci & concipi ſine peccato, pro eodem vſurpauerunt non eſſe miranndum.

B Anſel. li. 2 Cur Deus ho c. 13. init. to. 3. circa prin.

Obiectionis dicentium Chriſtum ab omni peccato ſolum immunem prima ſolutio.

Cum ergo obiicitur, quod ſolus Chriſtus excipitur à peccato; duplex reſponſio adhiberi poteſt. Altera, quod in ipſo Chriſto excepto, ipſa quoque mater intelligatur excepta. Nec immerito. quia contra opponētes, peccatum intraſſe per duos homines in mundum, Adam, & Euam, reſpondet Auguſtinus in libro Hypognoſticon: *Si cordu*

Rom. 5.

Gen. 3.

Aug. li. 2. Hypognoſt. paulo ante med. to 7. prope fin.

Matt. 19. Gen. 2.

oculos non amisisti; attendite dictum esse; Iam non sunt duo, sed vna caro. Et iterum: *Erunt duo in carne vna. Nam ideo, Per vnum hominem, dixit Apostolus: quia cum in viro suo mulier vna sit caro, in feminis progenies imputatur.*

Altera solutio longe præstātior.

¶ Sed præter hanc, est alia excellētior solutionis via. Assero enim, solum Christum à peccato liberum eminentissimo modo, id est, conditione naturæ; cæteri vero, etiam ipsa beata Virgo, inspecta conditione naturæ, fuerunt omni peccato obnoxii; non autem inspecta gratia, quæ superauit naturam, præseruim in Virgine, præseruando eā ab omni labe peccati, ne vllo vnquam momento temporis actu esset sub peccato.

Rom. 5.

Sanctorū Patrū quæ opponuntur, testimoniis respondetur.

Sed iam superest, paucas Patrum sententias, quas in nos obiiciunt, explicare. Primo producitur Augustinus super Psalmum trigesimumoctauum, in illud: *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio: Maria ex Adam mortua propter peccatum)* supprimūt adnet satil verbum sequēs, *Adæ) Adam mortuus est propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata.*

I. locus. Aug conc. 2. ante de mo 10 8. Psal. 34.

Respōdemus, hoc nihil obstare eius præseruationi à peccato, etiamsi à morte non fuerit præseruata: quemadmodum etiam Christus cum liber esset ab omni peccato, mortuus est tamen. Deinde Augustinus libro decimo super Genesim ad literam: *Caro Christi non fuit caro peccati, sed bene caro Mariæ.* Et libro quinto in Iulianum capite nono: *Quisquis carnem Christi ita carni comparat nascentium hominum cæterorum, vt asserat vtramque esse puritatis æqualis, detestandus hæreticus inuenitur.* Sed hoc nihil cōtra nos. Imo qui illud pertinaciter audeant asserere, detestandi sunt, cum talem assertionem sub anathemate reprobauerit Ecclesia. Et ideo, esse carnem peccati, nihil esse aliud, quam esse propagatā ex peccatoribus, non ex Spiritu sancto. Non enim significat, peccatum esse in carne, caro enim non est peccati subiectum, sed anima: nec esse carnem peccati, necessario fert secum, animam esse coinquinatā peccato, cum omnis caro per gratiam mundata adhuc dicatur caro peccati, vt pote de peccatore propagata. Quod autem hæc sit Augustini mens, patet ex proxime præcedentibus: *Quid est ergo,* inquit, *carnis similitudo, si nulla est caro peccati? Sed hanc Apostolicam sententiam me non intellexisse dixisti, nec eam tamen exposuisti, vt te doctore nossemus, quod aliqua res possit esse similis ei rei, quæ nō est. Quod si dementis est dicere, & sine dubio, caro Christi est caro peccati; quid restat vt intelligamus, nisi ea excepta, omnem reliquam humanam carnem esse peccati? Et hinc apparet per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali: quia Maria corpus quāuis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit.* Sic ille.

II. locus.

Idem c 19. & seq to. 3. à med idē to. 7. post med.

Augustin. carnē Virginis Mariæ cur dixerit carnē esse peccati Augu. per August. explicatur. Rom. 8.

Sola Christi caro non est caro peccati & quare.

III. locus. Ambr. ser. seu ser. 6. vers. 3 paulo ante medi, to. 4. 2. Cor 5.

Tertio producitur Ambrosius super Psalmum 118. *Venit Dominus Iesus in carne, quæ peccato in matre fuerat obnoxia.* Sed veritas textus Ambrosii habet: *Venit Dominus Iesus, & in carne* (non est, illud, In matre, vt illi affingunt) *peccato obnoxia militiam virtutis exercuit.* Non ergo dicit, In carne Mariæ, sed in carne quæ fuerat peccato obnoxia, quia reatum omnem peccati in se contraxit. Vnde Apostolus Christum factum peccatum dixit. Et licet diceret. In matre, adhuc nihil ad rem diceret: quia illa caro Mariæ erat ex se, & ex conditione naturæ peccato obnoxia.

Caro Mariæ fuit sua natura peccati.

IV locus. Damasc. c. 15.

Quarto, Damascenus libro quarto de Fide orthodoxa testatur, quod superueniens Spiritus sanctus in eam, purgans eam, scilicet à fomitis reliquiis, vt illi interpretantur. ¶ Sed illa interpretatio vera non est. Fuit enim purgata eo modo quo Angeli purgantur, iuxta Dionysii doctrinam libro de Ecclesiastica hierarchia; non quidem à peccato vllo quod habeant, sed à nesciētia, vt fulgorem maiestatis accipiant. Ita intellige Ambrosii verba in illud Lucæ: *Spiritus sanctus superueniet in te; Spiritus sanctus,* inquit, *superueniens in eam, ab omnibus vetiorum sorde castificauit: quoniam omnis creatura, præsertim mortalis, etsi munda, tamen dici potest sordescere, composita ad inaccessibilem illam lucem.*

Quomodo Spiritus sanctus in virginem superueniens eam purgauerit vt Damasc. dixit. B. Dionij c. 6 E. cl. hierar. par 3. à med. Luca 1. B. Ambr. à Tho. citatus in 3. dif. 3. q 1. ar. 2. q. 2. to 6. Creatura omnis cum Deo collata, qualis merito videatur. 1. Tim. 6.

Quinto, Chrysostomus super Matthæū opponitur: dixit enim: *Quamuis Christus non esset peccator, naturam tamen humanam de peccatrice habet.* Intellige de ea, quæ ex se, & naturæ debito erat peccatrix. Thom. ait, quod excessiue sit locutus Chrysost. quia illam etiam sub actuali constituit. Vel quod commentarii qui circumferuntur, eius non sint vel illa esse adiectitia propter multas aniles fabulas, quas continet, dum cōstituit illam se excusantem etiam iureiurādo de conceptu ex Spiritu sancto apud Ioseph: vel si vere eius sint, cū bona pace, & gratia tanti viri respuenda sunt.

V. locus. D. Chrys. ho. 42 in Mat to 2. B. Th. to. 3. p. q. 27 ar. 4 ad 4. to. 12. Matt. 1.

Neque mirum esse debet, illum, & Bernardum, & Thomam, & Bonauenturam, Alexandrum de Hales, Albertum, Durandum, & Aegidium, denique maiorem partē, illam opinionem secutos fuisse: tū quia homines erant: tum quia per incrementa temporum mysteria noua reuelantur. Dubitauit enim aliquando Augustinus an anima esset ex traduce: Damascenus, & Theodoritus tradunt Spiritum sanctum procedere ex solo Patre. Cyprianus cum tribus Conciliis Carthaginensibus tradunt, ba-

Augustini, Damasc. & Cypriani dogmata quædam minus Christianæ fidei cōsētanea. Aug. li. de l. arbit. & de orig animæ & sæpe alibi Damasc. li. 1. de orthod. fide, ca. 10 & 11. per totum. Theod. li. 5. diuin. decr. c. de sancto Spi-

ritu,to.2.à med. Pſal.11. B.Tho.art. 26.ad 1.10. 8.in fin. Clem.VI.

Illud VI Clementis Quicunq; B.Thomæ doctrinam impugnat, ſemper fuit de veritate ſuſpectus: quomodo accipi debeat.

Apoc. 16. D.Tho.1. ſentent. diſt.46 ar. 3 ad 3.to.6. Idem opuſ. 8.to.18 ſub init.

ptizatos ab hæreticis, rebaptizandos. Et quanquam ſancti fuerint, tamen dum viuerent, vt non excuſamus eos à leuib. culpis, ita nec à quibuſdam erroribus, vel neſcientiis: præ ertim cum ſcriptum ſit: *Diminuta ſunt veritates à filiis hominum*: Vt enim vitæ ſanctitas neminem à peccato purgat, ita nullum ab erroris periculo vendicat. Quare Thomas Quodlibeto 12. ſanctos non fuiſſe ſemper ab Spiritu directos docet.

Dicet quis, Pontificem ſummũ de Thoma tuliſſe teſtimonium, quod quicunque B.Thomæ doctrinam impugnat, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Sed ille dicitur impugnare doctrinam, qui eam in vniuerſum vt falſam, & erroneam impugnat: vt Lutherus, qui vocat Thomã vnam ex phialis iræ Dei: At in vno aliquo ab eo, cum multis aliis Doctoribus, vel cum Eccleſia diſſentire, non eſt eius doctrinam euertere, & Thomas ipſe aliquando aliter & ſenſit, & ſcripſit, vt ſuperius produxit. Et in expoſitione Salutationis Angelicæ: *Ipſa enim*, inquit, *puriſſima fuit quãtum ad culpam quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit*. Ita in multis codicibus antiquis communiter legebatur. Et Turrecremata non eſt auſus illud immutare, ſed ſub illis verbis produeit eum. Adde, quod cum facit eã ab omni peccato actuali immunem, hanc ſolam rationem producit: *Alioquin non fuiſſet* inquit, *idonea mater Chriſti*.

Turrecrẽ. B.Tho.3.p. q.27. art. 4.to 12.

Illud etiam Cantic.4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*; applicatum eſt illi ab Eccleſia ad immunitatem ab originali ſignificandam. Ad hæc ratiocinatio Thomæ in 3. parte, qua Virginem ſub originali peccato cõcludit, inualida eſt, arguit enim: Non fuit ſanctificata ante animationem; ergo poſt illam. Non eſt autem hæc illatio ſolida, vt notauit Caietanus, quia datur medium, videlicet in ipſa animatione: etſi idem excuſet Thomam.

Idem ibid. art.2.

Caiet. ibid.

Soluitur etiam illud: Quando concipiebatur Virgo, non erat mater Dei.

Sed aiunt: Quando concipiebatur Virgo, non erat mater Dei. Quaſi vero eſſet mater Dei, cum in vtero ſanctificaretur, vt ipſi dicunt: quod non ob aliud ipſi tribuũt, niſi quia erat futura Dei mater: cur non etiam deuenit tantæ Matri præſeruationem? At, inquiunt, Iuſtitia exigebat, vt in peccato conciperetur. Admittimus & nos. & aſſerimus: Iuſtitia Dei exigebat vt ſancta naſceretur. Si iuſtitia quæritur; & nos iuſtitia nitimur, quia Chriſtus hanc tam ſublimem prærogatiuam pro ea meruit, & iuſte poterat hoc priuilegium ſuis meritis imputare. B.Bonauentura propę mortem recantauit ſententiam, vt dicitur & idem fecit Alexander Halenſis teſte Magiſtro Gulielmo in tertio ſententiarum, & eius de hac re libellum refert oſtenſum fuiſſe Toloſæ. Et de his hactenus.

Quod tertio obiciunt aduerſarii. Iuſtitia exigebat vt Maria Virgo in peccato conciperetur, in ipſos met aptiſſime retorquetur.

Magiſt Gulielm.

DISPVTATIO LII.

Atque poſtrema: In qua multis, grauibus ac ſolidis vijs ac rationibus immaculatæ Conceptionis Virginis veritas confirmatur maxime, & conſtabilitur.

Aſſerentiũ Virginem in peccato cõceptam, improbatur doctrina, tripliciter.

PRo Corroboranda ſententia Immaculatæ Conceptionis, habemus plurimos doctrina, & grauitate præſtantes Doctores. Nam qui aliter opinati ſunt, plane ſunt deſerendi: tum quia opinione ſua derogare Chriſti gloriæ, & honori Matris ſuæ videntur; deinde quia declinant à ſenſu Eccleſiæ, quæ hoc priuilegium in cultu Dei proteſtatur. Tertio, quia ſi ſequeremur eos, videremur eorum probare rationes, quę iam nullius ponderis eſſe monſtratæ ſunt, vt illa præcipue, quod Chriſtus eius negaretur redemptor; cum tamẽ nobilior ſit redemptio præſeruãs, quam à peccato ſubleuans, vt ſupra comprobatum reliqui. Addo etiam Patrum quorundam egregias ſententias. Et primo occurrit Chryſoſtomus ab aduerſariis pro ſua ſententia productus ſuper Matthæum dicens: *Cum igitur omnes in iniquitatibus concepti ſint; neminem vnum mortalium intra materna viſcera ſanctificatum legimus, præter Ioannem Baptiſtam, & Ieremiam, Quanquam de ſingulari Virgine nulla ſit ambiguitas, quin ipſa de maternis viſceribus ſublimiori ſanctificationis genere mandata ſit.* Si ergo alio genere ſublimiori, ergo tale eſt quod non eſt cum cæteris commune. Non enim dixit, copioſiore ſanctificatione, ſed, ſublimiori genere ſanctificationis: at ſupra ſanctificationem communem poſt incurſum peccatum non eſt aliud genus ſublimius niſi præſeruatio. Cyprianus ſerm. De natiuitat. Domin. *Nec ſuſtinebat*, inquit, *iuſtitia, vt illud vas electionis communibus laſſaretur iniuriis, quoniam plurimum à cæteris differens natura communicabat, non culpa.* Et Origenes tractatu diuerſarum homiliarum, homil.1. *Audite*, inquit, *quod Virgo in vtero accipiet, non ex deſiderio partum concipiens, quia neque perſuaſione ſerpentis decepta eſt, neque eius afflatibus venenoſis infecta.* Hæc illi de B. Virgine ſermonem habentes.

Largum huius veritatis à Sanctorum teſtimoniis, atque Doctorum.

Chryſ.to 2.

Idiota plus, & doctus, qui, vt fertur, vixit ante annos octingentos, libr. contemplationum de Virgine Maria, alioquens eã,

Idiota vetus autor.

Idem. cap. 1. ita scribit: *Trahe me post te, ô benedicta Virgo Maria, benedicta ante ortum, in ortu, & post ortum: ante seculum, in seculo, & post seculũ,* &c. Et cap. 2. *Tota pulchra es in anima per virtutum, & charismatum omnium perfectam pulchritudinem: tota pulchra es in tua conceptione, ad hoc solum effecta, vt esses templum Dei altissimi.* *Idem.* Et infra: *Tota pulchra es non in parte sed in tota: & macula peccati siue mortalis siue venialis siue originalis, non est in te nec vnquam fuit, nec erit.* *Idem.* Et cap. 6. *Inuenisti Virgo Maria gratiam cœlestem, quia fuerunt in te ab originis labe præseruatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti superuentio,* &c. Hæc ille bonus Pater. *D. Basil.* Accedit Basilius in Liturgia, frequenter vocans sanctissimam, & intemeratam Virginem: & *B. Chrys. to. 5. in fine.* Chrysostomus in sua Liturgia sanctissimã, & incontaminatam, & super omnes benedictã non raro vocat. *Orig. hom. 1. in Matt. sub init. to. 2.* Origenes super Matthæum, Mariam appellat matrem Dei, immaculatam sancti immaculati. *VI. Syno. to. Concil. 2.* In 6. Synodo Act. 5. probatur liber Sophrooii Abbatis, in quo beatiss. Virgo nominatur ab omni contagione corporis, & animæ, & intellectus liberata, quę excellentiorem habent sensum: & in maiorem Christi, & Mariæ ipsius gloriã spectant, si de liberatione præseruante intelliganiur, quam si de subleuatione tantum. *B. Bernar.* Bernardus quoq; in sermone quodam: *Caro Maria ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit.* Interpretantur aliqui per maculas, peccata actualia. Quasi vero illæ sint maculæ Adæ, cum sint personales. *Idem ante ser. dimid.* Item in alio sermone qui incipit: *Signum magnum apparuit in cœlo: Si id parum videtur, addo quod generationi illi ob singulare priuilegium sanctitas diuinitus noscitur esse concessa.* Perpende verba, *Generationi eius* sanctitatem concessam: atquomodo, nisi quod in ea sancta fuit: & quomodo sancta, nisi præseruata à peccato? *Idem ante med. serm.* Idem sermo. in natiuitate B. Mariæ: *Aduocatum habere vis ad Iesum? ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ.* Quarto, quę est ista pura singularitas naturæ aliud quam sanctitas in eius generatione concessa? *Vincen. li. 7. histor. c. 121. init.* B. Ildefonsus, vt recitat Vincentius in suo historiali, sic scripsit: *Nullu quando nata est delictu subiacuit, nec originale peccatum in vtero sanctificata contraxit.* *B. Ansel.* Præterea Anselmus in epist. ad Episcopos Angliæ: *Non puto amatorem esse Virginis, qui celebrare respuit Festum suæ Conceptionis.* Narrat etiam ibidem miracula sub eo nomine à Deo edita: etiamsi quidam sine ratione, Anselmi libros non esse audeant dicere. *Idem.* Idem alibi ait: *Indiguit B. Virgo redemptione et Christi passione, non propter peccatum quod infuerit, sed propter quod infuisset, nisi ipse speciali priuilegio eam præseruasset. Et si quid originalis peccati in propagatione Matris Dei fuit, illud propagantium, non propagata fuit. Deus enim qui castanea confert, vt inter spinas, & à spinis remota concipiatur, alatur, formetur, nõ potuit hoc facere matri suæ? Plane potuit, & voluit: quod si voluit, & fecit.* *Idem. to. 3.* Et lib. De conceptu virginali cap. 18. Decuit Mariam ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequeat intelligi. Atcerte maior esset puritas Angelorum, vt primorum parentum Adæ, & Heuæ, qui sine vllo peccato conditi sunt. *Idem ibid. circa fin.* Idem lib. De excellentia B. Virginis Mariæ ca. 12. initio: *Rogamus te Domina per ipsam gratiam qua te pius, & omnipotens Deus sic exaltauit, & omnia tibi secum possibilia esse donauit, quatenus id apud ipsum impetres, & obtineas,* &c. Hæc verba beneficium immacolatæ conceptionis continent, si omnia possibilia, & quæ Matrem decens filiam Adæ, & non tantum communem cum aliis conceptionem docent. *Robert. Olkot.* Robertus Olkot ordinis Dominicani, super libros Sapientiæ: *Sicut lignum plantatum in terra, solidat terram ex omni parte, & per radices suas colligit, & constringit ne defluat: ita Christus plantatus in Virgine benedicta matre sua, eam solidauit virtutib. & gratiis sic adstrinxit, quod nunquam defluere potuit per mortale, vel veniale. Fuit enim sanctificata in vtero, ita quod mundata à peccato originali, & in ea fomes ligatus sit, quod nũquam eam ad peccandum impegit. Et hæc fuit prima sanctificatio in vtero matris sua, & ista sanctificatio fuit vera eius conceptio. Nam quam cito fuit B. Virgo in vtero tam cito fuit sancta. Non enim potuit esse sancta antequam esset. Vera ergo Conceptio B. Virginis attenditur, ac sumitur penes infusionem animæ in corpus sufficienter, & debito modo organizatum, nec non ab omni qualitate inordinata, quam constrinxerat ratione propagationis seminalis, purgatum, et emundatum. Et sic patet, quod isto modo capiendo nomen conceptionis stricte, & proprie Virgo nõ fuit concepta in peccato originali.* Hæc ille: vt vetusti habent codices, etiamsi secus citet Turrecremata in lib. suo De Conceptione. *Turrecrẽ. B. Domin.* S. item Dominicus lib. De Sacramento Eucharistiæ: *Sicut primus Adam fuit ex terra immaculata formatus, ita decuit in secundo Adam fieri.* *Gen. 2.* Quam rationem B. Andreas, & Math. Apostoli prædicabant (vt refertur in eorũ vita apud Lippomanũ.) his fere verbis: *Quia de immaculata terra factus fuit præuaricator, congruum fuit vt de immaculata Virgine nasceretur reconciliator.* *Episc. Lippom. par. 2. circa fin.* Eandem rationem Ambros. epist. ad Sabinum insinuat. *Ambr. li. 6. epist. 42. to. 3. sub fin.* Scotus in 3. sentent. qui primus pro gloria Virginis decertare cępit, illud probabilius cẽsuit esse tenendum, quod est excellẽtius pro gloria Matris, si Scripturæ, aut autoritati Ecclesiæ *Scotus in 3. dist. 3. q. 1. in responsio*

Christi, & Virginis pulcherrima cõparatio.

Mariæ Virginis accelerata sanctitas.

Quando primum illa concepta sine peccato.

Doctrinā sanctæ Cōceptionis Ecclesiæ minime repugnare, vt falso opponitur.

non repugnauerit. Subinferunt aduersarii sed repugnat Scripturis, & autoritati Ecclesiæ, ergo sub originali fuit. Sed quomodo pugnat cum autoritate Ecclesiæ, quæ illam cultu prosequitur? Omitto iam quam plurimos alios Doctores, vt Richardum de S. Victore, Dionysium Carthusianū in 3. Sent. distinct. 3. Nicolaum de Cussa li. 8. Citationum, Robertū Episcopum Linconiensem, Ioannem Gersonem, Vbertinum de Casalis, Petrum Aoreolum, Thomam Argentinen. Iacobum de Valentia in psa. 13. & super Magnificat, Gabrielem Biel, Roffensem martyrem, Iacobum Chlictoueum in Commentariis super Damascenum, & super Cyrillum in Ioannem lib. 6. c. 15. Ioannem Maioris, Albertum Carpensem in Erasmum, Rudolphum Agricolam, Ludouicum Viues Hispanum, Ioannem Dryedonem, Ioannem Ekium. Federicum Nauseā Episcopum Abulen. super Matth. & alios qui vix numerari possunt. Adiungam duos Poetas, sed antiquos, & Christianos: alterū Sedulium, qui à communi peccato B. Virginem intactam his versibus cecinit:

Puræ, immaculatæque Conceptionis assertores quinam.

Sedul. li. 2.

Qualis Virgo Maria.

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens; matrēq; obscurat honore:
Sic Eua de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiqua facinus noua Virgo piaret.

Alter est Arator li. 1. in Acta Apost.

Arator poeta.

Porta Maria Dei genitrix intacta creantis
A nato formata suo: mala criminis Eua
Virgo secunda fugat: nulla est iniuria sexus.

II. argum. ab vniuersitatum decretis.

Secunda via fit à determinationibus multarum Vniuersitatum; quarum testimoniū tanto est grauius, quanto collectus animorum consensus fortior est quam dispersus. Adde etiam diuturnitatem temporis, quo perdurauit eorum statutum in Galliis, & in Hispaniis: at veritas, vt eloquentissimus Orator dixit, filia temporis est. Et vt dixit Gamaliel, *Si ex Deo non esset consilium hoc, tam diu dissolutum fuisset*: Nec opus est dicere, Academias has vsurpasse sibi officium, quod ad eas non spectabat. Admittimus enim, res fidei definiri autoritate, quę omnes cogat, & premat ad recipiendum, solum ad Pontificem Rom. & ad Concilium vniuersale pertinere: possunt tamen eiusmodi Academiæ tanquam magistri, & Doctores, determinare aliqua ad sedanda schismata, & scandala regnorum, maxime Pontificibus non solum non reclamantibus, sed potius suo silentio illorum definitiones approbātibus.

M. Tul. l. 2. de Orato.

Act. 5.

III. argum. à duobus Conciliis generalib.

Concil. Basileen.

Tertio, accedit definitio Concilii Basiliensis, quod sess. 36. hanc sententiam tanquam Fidei, & rationi, & dictis Sanctorum probabiliorem, & magis consonam approbauit: cuius Concilii acta Eugenius recepit & Nicolaus V. multa probauit, quæ scilicet conciliariter erant facta. Est etiam Concilium Tridentinum quod duas extrauagantes Sixti IV. comprobauit, & quatenus opus est renouauit: in quarum tamen altera, quæ incipit, Graue nimis, festum Conceptionis instituitur quotannis solenniter celebrandum: & de thesauro indulgentiarum celebrantibus gratiæ quamplurimæ dispensatæ sunt.

Concil. Tridont. sess. 5. canon. 5. in fin.

IV. argum. à testimonio populorum, & approbatione.

Quarto, est pro hac sententia populorū concursus, & piorum hominum consensus quorum aures sine horrore oppositum ferre non valent. Nec est ad rem quod Caiet. respondet; probabile apparens contra sapientiorum sententiam prævalere non debere. Sed hoc infirmum est: ipsi enim sibi ipsis sapientiæ testimonium ferunt & iniuria fit toti orbi, & tot viris doctissimis, qui aliter senserunt. Et vereor audire vocem illam Euangelicam: *Nunquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt.* Atque hoc argumento ex multitudine collecto, agit Augustinus contra Cresconium Grammaticum, qui de paucitate gloriabatur.

Caiet. in tractat. de Concep. c. 3.

Ioan. 7.

B. Aug. l. 4. contra Cresc. Grammat. c. 54. to. 7 circa princ.

V. argum. à constructione Templorum & Altarium huius nominis, Sodalitatumque institutione.

Quinto: Plurimæ aræ, sacella, & confraternitates erectæ, & constructæ sunt sub hoc titulo Cōceptionis per totum orbem. Quod si falsum esset, superstitio fuisset introducta, & species idololatriæ: & quę nam facies Fidei exposita ludibrio Paganis? Et vbi esset Dei prouidentia? & vbi promissio de Spiritu sancto docturo omnem veritatem? Et quomodo dixisset Dominus; *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate?*

Ioan. 16.

Supra 14.

Suprà 4.

VI. argum. ab Ecclesię cultu.

Sexto: Grauissimi ponderis est autoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ sub nomine sanctę Conceptionis celebrat, sicut & omnis orbis, id est omnes Episcopi Catholici, & fere omnes religiones. In quo quidem cultu si errare posset Ecclesia Sponsa Christi, vbi Spiritus adiuuans infirmitatem nostram, & docens orare? Cultus esset mendax, & perniciosus: quis enim ferat orantem ad Deum mentiri? vt dixit Innocentius Primus: & Augustinus ad probandum purgatorium, ex ea consuetudine argumentatur, qua Ecclesia precatur pro defunctis.

Hic si falsus esset, quid inde.

Rom. 8.

Innocen. I. vt habetur in Concil. Milenit. c. 8

B. Aug. in l. De cura pro mortu. is geren. c. 1. en fine. 4. inter med. & fin.

Quod si contra hanc rationem aliqui obiiciant; Nobis quoque Ecclesię autoritate concessum celebrare de sanctificatione: at sanctificatio peccatum ponit; non minus ergo nostra positio vera est quam vestra. Dicendum est: Nomen Conceptionis priuilegiū Præseruationis apertius indicat; & sanctam Conceptionē fuisse docet. Nemo ergo credat contrarium celebrari ab aliis

cele-

celebrantibus de sanctificatione, atque ab Ecclesia Romana celebratur: alioqui esset schisma horrendum, & intolerabile. Nec semper sanctificatio ponit peccatum, vt in Christo, de quo, *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum*, & de nobis dicitur: *Qui iustus est, iustificetur adhuc*. Et alio loco: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis*.

Ioan. 10. Apoc vlt. 1 Cor 6.

Quid sit propriè sanctificatio.

Est ergo propriè sanctificatio: sancti effectio, siue ille sit in peccato, siue non: quemadmodum in hac celebratione de sanctificatione accipiendum est, ne repugnet nomini sanctæ Conceptionis, quæ vnum, & idem est. Nec refert, si quis ex B. Dominici familia dicat: *Ego in corde meo credo, & in ea ego de sanctificatione quæ tollit peccatum*. Sed nihil facit ad rem interna opinio tua, dum modo verbis illam nō profitearis. Quemadmodum & qui baptizat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, etsi credat Patrem maiorem Filio, & Filium maiorem Spiritu sancto, verum baptismum confert, nec nocet internus error illi, qui suscipit Sacramentum, ne sit minus idonee baptizatus. At vero si verbo aliquo externo formam vitiaret, & sensum internum indicaret, vt dicendo: In nomine Patris, & filii minoris, & Spiritus sancti serui, nullum Sacramentum administraret.

Mat. vlt. Solo formæ mutatio, non ministri intentio, vitiat Sacramentum.

Septimò: Sunt reuelationes è cœlo factæ nonnullis viris & ancillis Dei exploratæ sanctitatis, & præsertim B Birgittæ pluribus in locis, & maxime libr. 6. cap. 55 vbi & rationem reddit, cur tanto tempore hoc mysterium delituerit in Ecclesia Dei. Caietanus respondet, B. Birgittam canonizatam in Concilio Constantiensi à Benedicto IX. dum schisma esset. Sed quid hoc ad rem? cū multa redderentur suspecta illius Concilii acta, quæ totus orbis suscepit, & præsertim illius canonizatio plausibiliter recepta est, specialiter tamen à Martino Pontifice legitimo ibi electo, sub interminatione indignationis Dei, & Petri, & Pauli Apostolorum, qui talem Decreti sententiam conaretur infringere. Reuelationes quoque illius in iudicio cōtradictionis probatæ sunt, Turrecremata earum patrocinium suscipiente. De aliis vero reuelationibus respondet, quod fiunt per Angelum Satanæ, transformatum in Angelum lucis. Hæc ille, non ex consilio Apostoli, qui ait: *Prophetias nolite spernere. Omnia probate: quod bonum est tenete*: &, *Charitas omnia credit*. Non sic S. Bonauentura, qui in 3. senten. dicit: *Non audeo reprehendere sanctam Conceptionem: quia, & quidam dicunt, hac solemnitas celebrari non cœpit humana inuentione, sed Diuina reuelatione*. Hæc ille. Verum hic apponunt S. Catherinæ Senensis reuelationem factam de opposito. Quod tamē nullibi vere inuenitur, nec in vita eius, quam conscripsit Raimundus Magister Ordinis, & confessor, & eius assiduus comes: neque Antoninus in Chronicis eius vitam cō scribens, eius meminit.

VII. argū. à reuelationib. diuinis. B Birgit.

Solutio Caietani. Caietan. lo co prædicto. Quam leuis, & infirma.

Caietan. eod loco. Huiusmodi reuelationes non esse Satanæ illusiones, vt vult Caietan. 1. Cor. 12. 1. Thes. 5. 1. Cor 13. B Bonauēt. dist. 3 q. 2. ad 3.

Raimund.

B. Anton.

Verum aiunt quidam, mulierculaurum esse has reuelationes. Sed profectò qui sic loquuntur ad sobrietatem non sapiunt. Ecce mulierculis Dominus dignatus est ostendere se, cum resurrexit: & duritiam discipulorum, qui illarum verba putarunt esse deliramenta, increpauit: *Quia his*, inquit, *qui viderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderunt*. Adde Cyprianum libr. 4. epist. 4. vbi narrat sibi reuelationem quandam factam de punitione irridentium Sacerdotes: & ait quosdam dicere solitos de talibus visionibus, *Ecce somniator venit*: & tamen postea euenit quod prædixit.

Parum soli de, & pie, reuelationes mulierculæ dici à quibusdam. Rom 12. Luc. 24. Marc. vlt.

B. Cypria.

Octauo: Est attestatio miraculorum de cœlo ad commendandam hanc veritatem. Sed nihil pendit Caietanus, dicitque, esse ea figmenta pro mulierculis, non pro sacra Synodo. Et producunt quidā historiam B. Martini de latrone quodā qui credebatur martyr à Paganis, ad cuius sepulcrum infirmi sanabantur: quo cum venisset Martinus, omnia destruxit. Sed hoc ille fecit prudenter, quia nullum verbum in historia de miraculis, vel votis, vel imaginibus inuenit: nam si vera fuissent, attestata essent sanctitati, & martyrio. Non sic aūt est de Virg ne sacra.

Gen 37. VIII. argū. à miraculis Caiet. ibid. Ridicula Caietani responsio.

Seuer. Sulp. c. 11. vita S. Martini. Altera quorundam solutio audax & temeraria.

Sed ait quidam, quod etsi fiat vnum vel ū non mirum, sed miraculū expressè coram ipsa Romana Ecclesia, non deberet determinare summus Pontifex aliquā Fidei ambiguitatem. Et ratio est, quia habemus ordinariam viam decretorum Dei, in tantum vt si Angelus de cœlo oppositum diceret, non esset ei credendum, vt ait Apostolus. Sed quæso quid hoc est nisi tētare Spiritum sanctum, & petere signum de cœlo? Et quāta determinauit Ecclesia propter miracula quæ non sunt facta coram ea? Nā Pius Pontif. 1. Paschæ celebrationem die Dominica ab omnibus obseruari, Apostolis à autoritate instituit: quoniā Hermes doctor fidei, & Scripturarum, ita se admonitum fuisse ab Angelo in habitu pastoris sibi apparente testatus est.

Gal. 1.

Nono: Habemus testimonium ab inferis: nam pater mendacii Satanas multis modis suadere conatus est Mariam sub peccato conceptam, vt indicat Bernense flagitiū contra Virginis Conceptionem excogitatum: cuius tragœdiæ autores meritas luerunt pœnas. Est etiam illa vox Lutheri summi hæresiarchæ, dicentis: *Nullum Festum magis*

IX. argū. à cacodæmone impugnatore huius tantæ veritatis. Ioan. 8. Lutheri hæreticorum principis impietas.

odi,

odi, quam festum Conceptionis, & corporis Christi. Quo igitur odio Lutherus persequebatur veritatem corporis Christi, ita etiam hanc piam de B. Virginis Conceptione sententiam. Quanquam sui immemor aliter ipse definiisset in sermone de Conceptione Virginis. *Conceptio,* inquit, *Mariæ pie creditur sine originali peccato facta esse, vt scilicet in ipsa animæ infusione, vna etiam ab originali peccato fuerit purificata, diuinis donis redimita ad accipiendam diuinam sanctam animam à Deo ipso infusam: atque in primo momento cum viuere inciperet, omnis peccati expers erat.* Hæc ille, qui festum Conceptionis sæpe obseruauit.

X. argum. à quibusdã rationibus Augustini. *Aug. to. 9.* I. Ratio. Decimo: Sumuntur argumenta à rationibus. Quarum omnium radix est, quod Augustinus in sermone de Assumpt. dixit, vt probat Mariam seruatam à corruptione, & incineratione, nimirũ: Deus potuit hoc priuilegium Mariæ concedere, quod nullus negat: Si ergo potuit, proculdubio & fecit, quia ad benignitatem Dei id facere pertinebat. Aut rationes adferant cur id minime deceat, aut cur noluerit. II. Ratio. Adiungit & aliam rationem: Mariæ gratia debuit superare naturam. Diuinitatis enim sunt opera quæ dicimus, & ideo possibilia, quia sunt ab omnipotentia. Ita ille in sensu. Sed magis debuit seruari à peccati labe, quam corpus à corruptione. III. ratio. Tertio ait; Istud sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, & diuinam naturam humanæ vniuit, escam vermibus traditum, incommuni sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non valeo, dicere pertimesco. Similiter & nos dicimus, animam Virginis, quæ coniunctissima fuit cũ illa Christi, & corpus eius sanctum, quod vnum fuit cum Christi corpore, diaboli fuisse escam, quia sentire nequeo, dicere perhorresco. Nec pertinuit Augustinus ab illis Scripturæ sententijs: *Puluis es, & in puluerem reuerteris;* &, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem:* quia existimabat priuilegia Christi communia esse cum matre: vt regula Iuris habet: *Princeps est solutus legibus. Augusta quidem non est soluta, ipse tamen Princeps eadem illi priuilegia tribuit quæ ipse habet.* (*Gen 3. Psal 15. & Act. 8.*)

Illa argũ. Si Virgo est sine peccato concepta, ergo & mater eius erit sine peccato concipiens infirmatur Anna quã to inferior Dei Virgine matre.

Nec valet, si quis dicat: Si Virgo inuenitur sine peccato concepta, dabitur alia mulier sine peccato concipiens, videlicet Anna mater eius; & ita non erit singulare Virginis gloriosę priuilegium sine peccato cõcepisse. Et cum Anna Virgini æquetur, quæ æqualis est Christo; erit etiam Anna æqualis Christo. Respondemus, longe distare Annam à B. Virgine. Nam Anna non fuit immunis ab originali, vt Virgo, nec concepit Deum, nec ex Spiritu sancto, sed ex semine: nec mater fuit eius, qui natura peccato originali non subdebatur, vt fuit Christus Dominus. Non ergo adæquamus redemptori redemptam, nec præseruatæ nõ præseruatam, longe ergo est beata Virgo à Christo, & S. Anna à B. Deipara.

Aliis multis rationibus confirmatur puræ Conceptionis opinio.

I. ratio ab actualis peccati carentia. *Aug. li. 5. contra Iuli. c 9. in fi & alibi, to. 7.*

Iam vero colligamus aliquot rationes, quibus comprobemus veritatem præfatã. Et prima sit: quia omnes qui sub originali fuerunt, grandioris ætatis accessu, persona le peccatum contraxerunt; vt supra ex Augustino probatum est: Quę ergo nunquam subiecta fuit actuali peccato, vt B. Deipara, ergo nec sub originali fuit. Etsi Christus in Maria peccatum personale non permisit, cum tamen ipse personam non assumpserit humanam: quomodo potuit in ea ferre peccatum naturæ humanæ, quam assumpsit?

II. ratio. *B. Ber. epist. 174. circa med.* Secunda sit: B. Bernardus tribuit illi pręseruationem ab omni actuali delicto Nam epistola ad Lugdunenses scribit: *Puto quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem: quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum.* Thomas etiam 3. part. illud ei tribuit: *Quia alioqui si alicui peccato succubuisset, non fuisset idonea Christi mater. Primo, quia sicut gloria filiorum est gloria parẽtum; ita è conuerso ignominia parentum redundat in prolem. Ergo ignominia matris peccatricis redundasset in filium Iesum, si fuisset originale, siue personale peccatum.* Deinde quia, vt ait Apostolus, quæ conuentio Christi ad Belial? Et certe peccatum originale, per quod quis est priuatus gratia Dei, & captiuus sub imperio Satanę tenetur, magis iungit cum Belial, quam veniale peccatum, quod nec à Deo alienat, nec cum diabolo coniungit, & vno interdum suspirio deletur. Tertio, quia scriptum est: In maleuolam animam nõ introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: at certe non veniale, sed originale facit animã maleuolam, & corpus peccato subiectum. Quarto, quia, vt ait Thomas, non impleretur illud Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te,* si vel venialiter Maria peccasset: multo igitur magis, si originaliter deliquisset. Si ergo hæ rationes B. Thomæ solidæ sunt, & euincunt in Virgine veniale peccatum non extitisse; multo magis comprobant nec originaliter deliquisse in Adam.

D. Tho. 3 p. q. 27. ar. 4. to. 12. Rationes quatuor, cur Maria debuerit omni actu li carere delicto, à Thoma assignatæ. I. II. III. *Sap. 1.* IV. *Tho. ibid.*

III. ratio à multiplici pœnarum Adæ criminis immunitate.

Tertia ratio. B. Virgo præseruata est ab omni pœna illius peccati opprobriosa, quę venerit siue in mares, siue in fœminas. Primo à fomitis cõcupiscentia, quæ in illa fuit *Iacob. 1.*

extin-

II. extincta, & ab omni peccato actuali, quod concupiscentia cum cõceperit, parit: quod consummatum generat mortem. Secundo, secura est à multitudine ærumnarum, & conceptuum: quia vno conceptu felicissimo fuit contenta, vt facta sit omnium viuentium mater: ab ærumnis etiam mulie bribus, quia in ea nihil sordidum, nihil immundum, nihil muliebre, quia est virago de viro sumpta. Tertio, immunis fuit à dolore partus: quia peperit exultabunda, & laudans; & quia prius quam parturiret peperit. Quarto, liberata est à viri subiectione, vt ait Thomas in tertia parte. & probat ex Augustino sermone De Assumptione. Et illi Ioseph vir eius obsequebatur in omnibus: quare ergo isti nolunt Deiparam fuisse sub potestate dæmonis, quam Deus non permisit esse sub potestate viri? Quinto, præseruata est ab illa sententia: Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulus germinabit tibi, id est cum labore & sudore reddit ura est fructus suos. Vnde homines pro vita carnis sustentanda, à Diuinis contemplationibus impediuntur: at ab hoc libera fuit beata Virgo assiduis contemplationibus pasta, & suspensa, conuersationem habens in cœlo, & experta illud; *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Sexto, ab illa sententia: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Virginem liberat beatus Thomas, opusculo 8. sub finem, tomo 17. in expositione Salutationis Angelicæ, dicens: *Ab hac pœna immunis fuit: quia, vt dicit Apostolus, Virgines solutæ sunt à cura huius mundi, & soli Deo vacant*. Septimo, ab illo verbo; *Donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, excepta fuit sacra Virgo.

Gen. 2. | *III immunitas.* | *Luc. 2.* | *IV* | *Tho. 3 p. q. 30 ar. 2. ad 2. Aug. to. 9* | *V.* | *Gen. 3.* | *Mat. 4. & Deut. 8.* | *Gen. 3.* | *1 Cor. 7.* | *B. Thom.* | *VII.* | *Gen. 3.*

Illud Adæ dictum: Puluis es, & in puluerē reuerteris, Matri Christi non possé conueni re, tripliciter. Mortua est Maria *B. Aug. to. 9.*

Ex quo verbo collige tria. Primum necessitatem moriendi; à qua tamen libera extitit, quia peccatum Adæ non incurrit: quanquam ab ea non abhorruit Maria, vt similis esset Christo, qui similiter in Adam non peccauit. Secundum, est incineratio, & corruptio: quod de B. Virgine dicere Augustinus in dicto sermone pertimescit. Tertium, est expectatio communis resurrectionis, quæ contingit die Iudicii: à qua liberata est Dei Mater, vt indicat festum Assumptionis. Si igitur ab omnib. effectis peccati originalis est immunis, ergo & ab ipso peccato.

IV. ratio ab honore parentum. *Gal. 4. Mat. 15. Exod. 20.*

Quarta ratio ducitur ab honore, quem matri suæ debet eius filius, à qua quidem lege Christus non excipitur, quia voluit sponte sub lege fieri, vt redimeret eos, Honor vero parentibus debitus, principalis, vt declarauit Dominus, in subueniendo, & succurrendo illorum necessitatibus consistit, etsi fieri etiam potest: propulsandu, & præueniendo ne veniant. Cum ergo sancta Virgo quatenus Adæ filia est, futura esset diabol præda ex delicto parentum, & inde in dignationem Dei incursura. iustum erat filii munus, cum id facere posset, occurrere dæmoni, & succurrere Matri. Quod si non fecit, quomodo impleuit legem cum matre, qui in cæteris omnibus eam diligentissime ob eruauit & dixerat: *Non veni soluere legem, sed adimplere, &, Erat Iesus subditus illi*. Dices fortasse; Non detulit huuc honorem Iesus Matri suæ, quia necdum erat mater sua. Sed instabo; Saltem nouerat futuram, quia ante matrem erat qui dixit: Antequam Abraham fieret, ego sum. Cum ergo ignominiam futuræ matris nosset, quæ etiam perpetuo comitaretur eam; co etiam tempore, quo mater erat futura, eum semper posset à diabolo obiectari: Tu Dei Mater aliquando præda mea cum cæteris fuisti? Et vt hoc opprobrium præcludatur, certum est multa priuilegia Mariam habuisse, etiam antequam mater esset, ob istam gratiam, quia iam erat in Matrem Dei electa, vt Augustinus, Hieronymus, & Thomas docent. Vnde ab Angelo antequam mater esset, gratia plena salutatur & à Patribus sãctificata traditur in vtero, & nata sancta. Si ergo ignominia parẽtum redundat in prolem, vt ait Thomas, tanto magis, quanto per ipsam prolem prohiberi potuit tale dedecus, & non fuit prohibitum, idcirco à matre tollendum est, ne adscribi possit Filio, qui cum potuit, non abstulit.

In quo maxime patet honorem. *Ephes. 2* | *Mat. 5.* | *Ioan. 8.* | Si matri filius hunc honorem negasset, quantum illa dedecus incurrisset. *Aug li. de Assump. o. Hier ser de Assumpt. is 4. B Tho lo co citato.*

V. ratio.

Quinta ratio sit, à pœna serpenti debita, & instita: cum enim serpens primam fœminam mendaciis, & fraude superasset, in huius vindictam facinoris in illum pronuntiauit; *Quia fecisti hoc* (id est decepisti mulierem) *inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum*. Hoc est, Quia vicisti fraude mulierem, hæc sit tibi pœna, sæpe be, vt vincatur à muliere vincatis. Et sicut tu eam pe. fecte fecisti, nunquam ab illa superatus: talis ergo debet esse mulier pro pœna tua, quæ te vincat, nunquam abs te superata; quod esse verum non posset, si hanc mulierem peccati originalis ream sub dominatu habuisset suo. Quod enim ius, aut quæ iustitia fuisset, si ab eu victa præliaretur cum victore? Hæc igitur mulier, quæ testibus Hieronymo, & Bernardo, est B. Virgo, semper inimica dæmonis fuit. Nam ob id probat Paulus Abraham iustificatum ex fide, & non ex circumcisione; quia Scriptura prius illi

Gen. 3. | *Ibid 14.* | Explicatur illa sententia Inimicitias ponam inter te, & mulierem, &c. | *Hier. dicto loco. Bern ser in natiuit. B Mariæ, & sæpe alibi*

tri-

Vnde Apostolus Abraham ex fide, & non ex circumcisione docet iustificatum. Rom. 4. & seq. B. August.

tribuit iustificationem ex fide, quam narret circumcisionem. Ita hæc prius nominatur inimica dæmonis, quæ duelli contra eum & victoriæ in eo partæ autor fuit. Et vt Augustinus docet super Genes. subiectum esse peccato originali, est caput diaboli, quia per illud in omnes potestatem habet. Nec obstat, quod tam Hebraice, quam Græce pronomen, Ipsa, ad semen ipsum referatur: nam si teste Paulo, omnes Christiani Christi gratia conterunt Satanam sub pedibus suis; & Christus Ipse Apostolus dixit, *Ecce, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones & super omnem virtutem inimici; & nihil vobis nocebit*: quanto magis hoc habuit B. Virgo?

Rom. vlt.

Luc. 10.

Ratio VI. à diuina sapientia. Gen. 1.

Sexta ratio: Pertinet ad sapientiam Dei, ne quis rerum gradus deesset in vniuerso: nam vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Vnde præter Angelicam naturam pure spiritualem, & præter eam quæ pure corporea est omni spiritu spoliata, tertiam ex vtroque constantem, nempe hominem condidit. Si ergo in ordine naturalium nihil deest perfectioni vniuersi, & omnes rerum, & productionum gradus in ea inueniuntur: cur non similiter & in ordine spiritualium, & redemptionis creaturarum rationalium idem inueniatur? Ecce, Christus reuera fuit omnium redemptor: in hac autem redemptione sunt plures gradus, inter quos & minimus, & maximus inueniri debet. Minimus est eorum, qui redempti sūt tantum in merito Christi sibi minime applicato, vt sunt infideles, siue negatiue, siue priuatiue accipias. Hinc Paulus ait, quod Christus est Saluator omnium hominum maxime fidelium. Infidelium ergo aliquo modo est Saluator, nempe in merito tantū. Maximum ergo esse oportuit saluationis gradum, & ad aliquem pertinere, qui nullo modo cum effectu permitteretur in peccatum labi, vt sic redimeretur. Quod si quis hunc gradum excogitabilem dicat minime inueniri, stupidus sit, vel proteruus necesse est: quia perfectissimus mediator modum perfectissimum redimendi, quem reuera meruit erga neminem exercuisset, & sic corpus Christi esset mutilum, & mancū, quia caruisset perfectissimo membro, quod perfectiori modo redemptum esset. Hoc autē membrum quale aliud esse potuit nisi collum, quod reliquum corpus capiti connectit: at collū vt nudum amabilem & iocundum præbet conspectum, vtpote nullis indigens vestibus, vt alia membra, quæ quo ignobiliora sunt, vt ait Apostolus, tanto abūdantiorem illis honorem præstamus. Solent etiam adhiberi collo ornamenta auri, & gemmatum, & ita in vno collo B. Virginis pretiosam hanc redemptionis speciem exercuit. Quod si dicas, Cur non in alios etiam hoc beneficium præseruationis contulit? Respondeo: nō decebat esse plura colla, sed vnum tantum: sicut & Lunæ comparatur, quia vna tantum est. Et Cant. 6. dicitur: *Vna est columba mea, vna est amica mea*. Et absurdum est in materia priuilegiorum, vt diximus, æquare seruos, aut consanguineos matri, aut sponsæ.

Triplex grad° creaturarum.

Duplex gradus redemptionis, scilicet, summus, & infimus.

1 Tim. 4.

Gradum illum maximum, Virginis proprium, necessario statuendum esse.

1. Cor. 2.

Cur sola Christi matter ab omni labe tueri immunis.

Cant. 6.

Potest etiam hęc ratio aliter conflari. Sex enim sunt redimendi modi. Primus, cum quis à peccato mortifero, & personali, in quod ceciderat, liberatur: qui cōmunis est omnibus. Secundus, cum quis ab eodem peccato præseruatur: quomodo Apostoli post acceptum Spiritum sanctum seruati sunt. Tertius, cum quis à veniali peccato redimitur: qui etiam à iustis vix vitari potest. Quartus, cum ab eodem peccato præseruatur: qui gradus tribuitur à quibusdam Ioanni Baptistę, & quibusdam aliis eminentibus sanctis, saltem ad aliquod magnum tempus. Quintus, cum quis ab originali peccato iā contracto eripitur: quo modo omnes per baptismum redimuntur. Sextus, cum quis ab ipso originali peccato seruatur: qua ratione sola B. Virgo ex omnibus naturali propagatione genitis redempta est: alioqui nec genus humanum perfecte fuisset redemptum, nec Christus fuisset perfectus Redēptor.

Eadem ratio clarius formatur à sex redimēdi modis. I. II. III. IV. V. VI.

VII. ratio à communi Christi cū matre humanæ redemptionis officio.

Septima ratio sit à munere, ad quod obeundum est electa sacra Virgo. Hoc enim datum est ei, vt esset cooperatrix ad redemptionem nostram, & adiutoriū simile Christo: non quod Christus egeret, qui sufficientissimus per se est; sed hoc bonum, & decēs erat, vt propter conuenientiam antidoti, sicut à muliere cœpit initium mortis, ita & ab ea esset vitæ initium. Quod etiam confirmatur autoritate Irenæi li. 3. quam superius in hoc libro produximus. Fuerunt enim Adam, & Heua in prima coniugatione ad perdēdum. Et prima quidem inobedientia sua excitauit Adam ad comedendum, ex quo Adam destructor principalis nostri generis ortus est. In secunda coniugatione habemus Mariam & Iesum. Sed vt mulier sua obedientia excitauit virum, dicens, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* hinc excitatus vir, id est Christus, & factus obediens vsque ad mortē, & factus est principalis Redemptor, & Saluator, etiam Mariæ matris suæ, sicut Adam fuerat principalis destructor, etiam Heuæ. Et vt prima colligatio nocens inuenta est, ita & secundam coniugationem oportuit esse innocentem separa-

Gen. 3. Eccles. 25. D. Irenæ c. 22.

Adæ, & Heuæ cum Iesu & Maria comparatio.

Luc. 1.

Maria quales esse debuerit.

separatam à contagio primæ colligationis: alioqui minus esset idonea ad dissoluendam primam, & minus esset decens antidotum. Vnde Paulus de Christo magnifice sentiens dixit: *Talis decebat vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Quod si hoc de fide ratum est in Christo, vt idoneus esset redemptor: simili ratione socia illius operis Maria, ne coniugatio claudicaret, & idonea esset mediatrix, & viro suo auxiliatrix, innocens fuit. Quod quidem non solum nihil derogat Christo, verumetiam permultum arrogat, quia ea Christi meritis hoc habuit Maria, vt ipsa talis prodiret, quæ hoc opus præstare posset. Vnde Bern. in sermon. qui incipit: *Signum magnum apparuit in cælo,* initio ait: *Vehementer quidem nobis dilectissimus, vir vnus, & mulier vna nocuere sed gratias Deo per vnum nihilominus virum, & mulierem vnam omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum prudentissimus, & clementissimus artifex, quod quassatum fuerat, non confregit, sed vtilius omnino refecit, vt videlicet nobis nouum formaret Adam & Heuam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus. Siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est; sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis vt adesset nostræ reparationi sexus vterque quorum corruptioni neuter defuisset.* Hæc ille satis eleganter.

Heb. 7.
Quod illa cum Christo communicet in opere redemptionis, ad maiorem Christi gloriam pertinete.
B. Bern.
Apoc. 12.
Rom. 5.
Esai. 42. & Matth. 12.
Gen 2.
2. Cor. 5.

Nec mireris in hac ratione, Virginem dici adiutorium Christi: quia vt ait Paulus; *Omnes Dei adiutores sumus.* Nec quod sociam Christi appellauerimus Virginem: quia Apostolus omnib. fidelib. tribuit hoc nomen *Fidelis,* inquit, *Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius:* & Dilectus, *Quod vidimus, & testamur, annuntiamus vobis. vt & vos societatem habeatis nobiscum; & societas nostra sit cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo.*

Non inepte Virginem dici adiutorium Christi.
1. Cor. 3.
Supra 1.
1. Ioan 1.

Octaua ratio sic. Prædestinata fuit B. Virgo, vt esset Angelorum Regina, ac domina: non autem decebat exaltari super omnes, quæ aliquando corrupta fuisset, & sub diaboli potestate, præsertim cum ipsi perpetua puritate enituerint. Est autem iam in Ecclesia receptum, exaltatam esse Dei Genitricem super omnes choros Angelorum. Quod vt testis est Hieron. serm. de Assumptio. (si tamen ei tribuendus sit (de nullo altero Sanctorum fas est dicere. Quod si aliquando vllo peccato maculata fuisset, iure datam sibi occasionem conquerendi, & murmurandi asserere possent, quod eam sibi præpositam venerari, ac suspicere iuberentur, quã tamẽ peccato, & diabolo aliquando fuisse subiectam merito cogitare possent: & ipsa humili pudore confunderetur, cum se conspiceret per spiritus illos perpetuo puros, gratiæ gloria superari: quo recte absurdo offuscaretur gloria paradisi. Et vbi essent illæ voces Bern August. Anselmi, & Hieron. & aliorũ, quod Maria vincit Angelos puritate? Et Thomas in expositione Salutationis Angelicæ ait: *Sic plena est gratia B. Virgo, & quantum ad boni operationem, & quantum ad mali euitationem:* quæ certe verba originale excludunt.

VIII ratio.
B. Hier. to. 4. ante med.
Sanctissima Virgo Christi mater si vlla vnquam ratione peccasset, Angelos quid fuisse facturos.
B Tho. opusc. 8. paulo ante dimid. to. 17.

Sed hic quidam audent dicere: intensiue hoc verum est. Sed cur non etiam extensiue Quis det integram, & perfectam puritatem nisi & perpetuam, & qualis fuit in Angelis? Quia ergo B. Virgo ascendit ad locum non peccatoris alicuius, sed ad sedem altiorem, & à qua nullus Angelus ceciderat, congruũ fuit nullum peccatum habuisse Quidam B. Ioan. Bapt. sedem tribuunt Luciferi superbissimi, & maximi peccatoris: sed ipse humilis, & Prophetis omnib. sanctior, ad illam sedem euectus fuit, eo quod ille honorem, & gloriam Messiæ debitam vsurpare tentauerit, quam tamen Ioannes sponte sibi à populo oblatam constanter, & modeste refutauerit. Sed de rationibus satis sit. Pauculos tantum locos ea Scripturis producam, & finem disputationi imponam. Matthæus enarrans genealogiam Christi, de parentibus Virginis verbum fecit nullum: sed cum peruenit ad Ioseph, subiunxit: *Virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus:* vt intelligas, Mariam non esse à nobis considerandam vt à peccatoribus prodictam, qua ratione debitum habuit peccatum originale incurrendi, sed vt Christi matrem electam ac proinde exemptam ab omni peccato. Describitur ergo sine matre, & sine patre, & sine genealogia, sicut de Melchisedech testatur Paulus: vt sicut in illo aliam personam intelligimus, id est Christum in Melchisedec figuratum, ita B. Deipara cogitanda est à nobis sine patre, & matre, vt liberam intelligamus ab omni labe peccati. Dicitur etiã plena gratia, siue Græce κεχαριτωμένη, id est singulariter gratiosa: at quomodo plena gratia erit, si desit ista gratia, quæ dari poterat, & quam Christus promeruit, vt in aliquem illam dispensaret: at in quam personam magis quam in matrem, quæ tam honorifice ab Angelo salutata est, vt in eam nulla peccati excommunicatio à Deo fuerit intorta? Subdit: *Benedicta tu in mulieribus.* At quomodo nisi vincat omnes illas priuilegio Præseruationis ab originali: quia subdit: *Et* (pro quia) *benedictus fructus ventris tui,* vt benedictio iure suæ naturæ competat Christo, vt immunis sit ab omni peccati, etiam originalis

Superbi Luciferi sedem secundum aliquos occupat humilis Domini Præcursor.
Ioan. 1.
Eadem S. Conceptionis veritas quibusdam Scripturæ locis non obscure insinuari videatur.
I. locus.
Matth. 1. & seq.
Heb. 7.
Elegans Christi typus Melchisedec
II. locus.
Luc 1.
III. locus.

IV locus. Ibid. 40. V. locus. Prou. vlt. Explicatur illud: Mulierem fortem quis inueniet, &c.

nali, sacræ vero Virgini ex gratia, & beneficio competat. Dixit etiam: *Quia fecit mihi magna* (siue magnalia) *qui potens est*: at quæ essent ista magna, siue magnalia, si essent communia cum aliis? Prou. 31. *Mulierem*, inquit *fortem quis inueniet?* ac si rem difficilem proponeret, non tamen impossibilem. Quia enim vir, & mulier sua imbecillitate nos perdiderant, & congruum antidotum desiderabatur, vir autem idoneus erat, & in promptu solũ deficere mulier videbatur: respõdet que eam adesse, & quidem fortem, quia redempta meliori modo, vt nũquã rueret. Ideo subdit: Procul, & de vltimis finib. pretiũ eius, id est de supremo charitatis gradu, & de vltimo pretii valore, vt amica, & terribilis vir ago, ac per hoc idonea ad tantum opus.

Gen. 3. Rom. 5.

VI. locus. Cant. 1. Quid significet dictũ: Nigra sum sed formosa.

Et Cant. 1. *Nigra sum* (pœnis videlicet, & luctu) *sed formosa*, hoc est cum pulchritudine innocentiæ. Perinde ac si diceret; Nolite putare, ex eo quod fusca sum, ideo me minus esse formosam, &c, Nolite in me quærere aliquam nigredinis caussam, id est peccatum ex eo quod decolorauit me Sol iustitiæ, ita vt à vobis peccatrix iudicer: sed fere formosa sum, sed non decebat, obscurato Sole, Lunam splendescere. Et adiecit: *Sicut tabernacula Cedar*, id est, sicut quilibet viator in terra, quem culpa, & pœna peccati attigere. *Et sicut pelles Salomonis*: id est, sicut humanitas veri Regis pacifici Christi, in qua probatus est vir dolorum, & sciens infirmitatem. Et ca. 2.

Esai. 53.

VII. locus. Cant. 2.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Id est: Quam omnes qui propagati sunt ex Adam, spinæ sint, & tribuli subiecti peccato, & erroribus: hæc tamen sola excipitur, vt amica singularis, quæ vt lilium & rosa inter alias animas à peccato subleuatas, & Deo dilectas seruata est. Et ipsa par pari referens, ait: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Non omnes agrestes, insuaues & steriles, igni, aut securi digni: solus Christus malus est dulcis, & fructuosa, Et c. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus* (id est reproborum) *vna est columba mea* (quæ sine felle nascitur) *perfecta mea: vna est matri suæ electa genetrici suæ*: id est Heuæ parenti præposita ad reparandum, & subleuandum eius casum: & Heua de Virgine dicere posset: *Quæ post me venit, ante me facta est, quia prior me erat.* Et profecto numero senario perfectæ animæ significantur, sicut octonario minus perfectæ, sed quæ tamen attingunt ad beatitudinẽ. Quod si ad sensum mysticũ oculos attollamus multa, & præclara symbola habet. Est enim ille limus terræ, ex quo formatus est Adam, antequã terra esset maledicta. Est paradisus voluntatis à Deo ab

Id: sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias, quid sibi velit.

Quales nos simus præ Virgine Domini matre.

VIII. Cant. 6.

Ioan. 1.

Gen. 2.

initio plantata ad Orientẽ: quia semper ab oriente filio respecta fuit: & continet lignũ vitæ, vt nunquam à vita exciderit. Est terra illa promissa Hebræis, lacte, & melle manãs humanitate, & diuinita e Christi. Est rosa in Iericho plantata, boni odoris. Est palma Cades, quæ victoriæ est symbolum: aurora quæ non caret lumine: Sol tenebras pellens. Est scala Iacob stans, & tangens cœlum: quia nũquam peccauit, cum cæteri omnes ceciderint. Summitati vero scalæ innititur Dominus, qui de ea natus est. Est rubus ille incombustus, quem videns Moses obstupuit: quia magno miraculo seruata à Deo in ipsa flamma peccati. Est velius Gedeonis opertum rore Spiritus S. omni terra arida remanente quia per Spiritum S. præseruata fuit, vbi reliqui omnes aridi, & peccatores remanserunt. Denique in omnibus sanctis, & illustribus fœminis designata fuit, vt in Heua, Sara, Rebecca, Lia, Rachele, Maria sorore Moysi, & reliquis, præcipue tamẽ in Iudith fortissima, & Esther pulcherrima præfigurata. Illa enim caput Holofernis præcidit, quod idem est quod conterere caput serpẽtis, & de qua dicitur: *Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor.* Et ipsa post victoriam agnoscens Dei donum fuisse, magnifica illa verba protulit; *Viuit ipse Dominus quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem: & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra.* Vbi magnus campus patet pie contemplanti, agno scẽdi singularia beneficia, & priuilegia Virginis. Et vt illa cõmunem totius populi in imminenti periculo existẽtis salutem est adepta: Ita etiam Esther formosissima, quæ repudiata Vasthi ab Assuero Rege deligitur ad instaurationem nuptiarum, propter quã sit omnibus regale conuiuium, & literas mortis Iudæorum annulo Regis subsignatas contra totam generationem Iudæorum gratia sua, qua apud Assuerum valebat reuocare promeruit. In qua historia multa splẽdent, quæ priuilegium Virginis ab omni peccato præseruatæ, & ad reparandam humani generis ruinam quasi digito indicare videntur. Sed hæc piis meditatoribus contemplanda relinquimus, quo ea quæ sanctis cogitationibus, & meditationibus inuenerint, dulcius sapiant, & vberiorem proferant fructum. Et hactenus de hac disputatione.

Ibid. 9.

Eccl. 24. Cant. 6. Gen. 28.

Ibid. 13. Matt. 1. Exod. 3.

Iudic. 6.

Mulieres quæque Veteris Testamenti præstantes Mariam Virginem adumbrabant ac delinearunt. Iudith. 13. Gen. 3. Iudith. 14. Fortissima Iudith quã apte illam repræsentauerit.

Nobilis Esther quã elegans Mariæ Virginis typus.

LIBRI SECVNDI FINIS.

TERTII LIBRI DISPVTATIONVM IN EPISTOLAM B. PAVLI AD ROMANOS.

PRAEFATIO.

Huius & sequentis librorum scribendorum causæ.

NE prioris libri prolixitas, prudens Lector, molestior tibi aliqua ratione redderetur, commodum, & opportunum esse duximus, cætera quæ in hac epistola disputantur, in præsentem & alium sequentem reiicere; vt quo in plures libros distinctior disputationum series contexitur, iocundior, & gratior fiat eius lectio.

Simile.

Nam vt stomachus naturalis caloris vigore imminutus fortia & multa alimenta nonnisi grauate & cum tædio concoquere valet: ita sane nos, qui infra mediocritatem sapimus, magnarum ac difficilium quæstionũ syluam haud facile mente capere possumus, neque lucido, aut commodo sermone expedire, nisi in varia membra, & articulos illam distribuamus.

Superioris argumentum libri.

Cum igitur in superiori libro multas, ac perobscuras difficultates enodauerimus, nẽpe de natura humanæ viribus, de Mosaicæ Legis potestate, de fide qua iustificationem adipiscimur, denique de peccato originali, & de incommodis, quæ in mundum inuexit, & an Beatam Deiparam attigerit, disputauerimus in finem vsque quinti capitis: Iam de eadem fide quatenus à peccatis futuris, & à damnatione æterna præseruat, & ab importabili legis iugo liberat, in sequentibus agendum est.

Huius libri argum.

Vbi sane obscurissimas statuum differentias, in Adam scilicet, in Moyse, & in Christo; & grauissimas prædestinationis, & reprobationis Diuinæ difficultates, si Pauli verba intelligere volumus, necessario explicare cogemur.

Diuini Spiritus ad sacrarum intelligentiã Scripturarum afflatus necessitas.

Ad has vero cum fructu expediendas accingimur nonnisi humili & submisso animo, ac diuini in primis Spiritus ope, & patrocinio implorato, qui vnus vt sacrarum literarum fuit primus autor, ita est & summus, & primarius interpres, textus ipse atque glossa: vt non incommode propterea ipsum in forma linguæ igneæ Apostolis apparuisse intelligeremus, quod ipse sit qui locutus est per Prophetas, & qui aperuit sensus Apostolorum, vt Propheticos libros explicarent, & quid indies sanctorum Patrum ac doctorum animos illustrauit, quo tam veteris, quam noui Testamenti codices dilucidos & apertos redderet. (2. Pet. 4. Luc. vlt.)

Eo sine Scripturarum interpretes quid assequantur.

Quamobrem qui omnibus aliis humanis præsidiis fultus, sacra volumina interpretari vellet, illo vno neglecto Christi Spiritu, qui cælitus in pectora, quæ ipse & condidit, & præparauit, effunditur, oleum sane & operam perderet, & in sacris arcanis euoluendis plane rudis, & infantissimus inueniretur. Quod autem de interprete dixi, idem quoque de Lectore intelligi volo, qui hæc nostra, qualiacunque sint, videndi studio tenebitur.

Non minus lectorem, quam doctorem sacrarum literarum Diuino Spiritu instructum esse oportere.

Nam debet de eodem Spiritu potare, vt ei spirituales Dei cogitationes explicata, à quocunque illa proficiscantur; magis sapiant. Nam vt fidem orthodoxam constanter profiteri contra aliena dogmata, Catholicus quisque Lege Dei tenetur: ita prudẽtiæ est ab omnibus opinationibus (quæ meræ sunt opiniones, & nondum pro Catholica fide in Ecclesia definitæ) affectum suum exuere, ne aliqua sententia minus probabili præoccupatus animus, à pura veritate percipienda aut impediatur, aut retardetur. Bene vale, candide Lector, & nostram hanc admonitionem boni consulito.

DISPVTATIO I.

In illa verba cap. 6. *Quid ergò dicemus? Manebimus in peccato vt gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus, &c.*

IN his verbis, cognitio in primis eorum scopo, primum dubium emergit, quorsum hoc Apostolus proponat, cum superius ca. 3. idem tractaret, cum dixit: *Sicut aiunt quidam nos dicere, Faciamus mala, vt veniant bona: quorum damnatio iusta est.* Secundo ambigitur, quid sit in peccato permanere, & quale sit illud peccatum. Tertio dubitatur

Quæstio I.

Rom. 3.

II.

III.

IV.

quid sit in Christo, & quid in morte eius baptizari. Quarto, quæ sint illa peccata quæ in baptismo remittuntur. Cum enim non possint esse nisi præterita (nam de futuris nullus adhuc est reus) nec de eis pœnitentiam agere possit quæ nondum patrauit, & altero reconciliationis Sacramento absoluantur, quomodo Augustinus dixit, non tantum præterita, sed etiam futura in baptismo remitti?

Aug. infra citandus.

Ad I. quæstionem. Quid propositum Paulo in hac disputatione, eaque quomodo cum superiori cohæreat. *Rom. 5.*

Quod ad scopum attinet, non est difficile illum venari. Cum enim dixisset: *Lex subintrauit, vt abundaret delictum, vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia*, ex illis verbis colligebant quidam carnis, & genii patrocinium suscipientes, perseuerandũ esse in peccato, vt quo copiosius gratia Dei in nos effunditur, eo illustrior, ac gloriosior reddatur. Cæterum etsi de hoc dubio capite 5. nonnihil attigisset; quia tamen obiter, ac leuiter, atque tantum dicendo, Quorum damnatio iusta est; & quia alio properabat Paulus, vt Legis infirmitatem confirmaret non potuit longius progredi. Nunc autem serio, & plene per totum præsens caput de hoc articulo differit, in quo diuinæ gratiæ vires ad cauendum, & superandum omne peccatum apertis rationibus, & aptis similitudinibus ostẽdit. Et profecto multum ad Christi gloriam illustrandum, & ad nostram salutem promouendam attinebat, vt Apostolus statum fidei, qualis esset, nobis exprimeret, in quo non esset amplius peccandũ, sed sanctæ vitæ studiis, & officiis incumbẽdum, ne frustra nos à peccato liberasse indicaret. Nã quæ quæso gloria Christo foret, si à peccatis baptismo sanctificati, necessario iterum esset ad illa redeundum, & in illis viuendum? Quis itẽ fructus esset salutis, si in illa perstare nulla ratione possemus? Essemus enim vt canis reuersus ad vomitum, & vt sus lota reuersa ex aqua ad volutabrum luti. Recte enim dixit Sapiens: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? Sic homo qui ieiunat à peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?* Maxime aũt hoc repugnaret Christi gloriæ, de quo alio in loco testatur Apostolus: *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum?* at quomodo esset acceptabilis, & bonorum operum sectator, si nihil aliud proferret quã peccata: Et hactenus remanet euacuatum primum dubium.

Propositæ Pauli doctrinæ tradendæ necessitas, & vtilitas.

Prou. 26. 2 Pet. 2. Eccl. 34. Perseuerantes in peccato quales illi teste Scriptura.

Tit. 2.

Solutur II dubitatio. Quid sit in peccato permanere

Ait ergo Paulus: *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato vt gratia abundet? Absit.* Permanere in peccato, vt secundum expediamus, non est aliud, quã aut de peccato præterito pœnitentiam non agere, sed adhuc sibi in eo cõplacere, aut, quod peius est, noua antiquis adiungere, iuxta illud: *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Quod si peccatum hoc loco pro concupiscentia fomitis, vt quidam interpretantur, & inferiora aperte docent, accipiatur, permanere in peccato, est sub dominatu, & tyrannide concupiscentiæ in omnia flagitia & peccata cogentis degere: in qua quia regnat dæmon, non essemus in Christo, nec Christus in nobis, vt par est, regnaret, sed Satanas potius. Et dicendo, *Absit*, ostendit hoc esse absurdissimum. Non enim delicta, materia directa, & propria existunt incrementi gratiæ Dei, vt officia, & virtutum studia. Et subdit: *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Peccato, Datiui casus est, estq; solutio propositæ obiectionis, duo membra complectẽs. Primũ est: Vetus illa, ac vitiosa natura quam ab Adam contraximus, est iam per baptismum mortua in nobis; quomodo ergo baptizati eius cupiditatibus, & motibus obtemperare debemus? Alterum est, in baptizatis noua quædam creatura per gratiam effecta est, & noua vita induta: quomodo igitur baptizati operari poterunt ea quæ non sunt nouæ creaturæ, & vitæ consentanea, sed quæ sunt Adæ veteris? Posset que talis conflari syllogismus: Qui mortui sunt peccato, amplius nõ debent in eo viuere: nos tali gratia donati sumus, vt illi moreremur: non est ergo nobis in illo amplius viuendum. Qui enim in bono statu existunt, ad malum non debent intendere, nec in tale aliquid quod sit personale, & ex quo animæ mors cõsequatur, vitam suam accommodare. Postquam ergo venit gratia, & reddita est per medicum, & medicinam sanitas, quo gratia abundet, nõ est peccandum: sicut nec à principio cum esset natura integra, peccatũ hominis Deus intendit, quo gratia sua illustraretur. Nec vllus peritus, aut fidelis medicus sano, & bene valenti cõsuleret, vt sese crapulæ & libidini dedat, ægritudinemque sponte incurrat, quo suæ in eum artis exercendæ materiam præbeat: ac si quis in grauem morbum propria culpa inciderit, quædam ei indulgebit, imo etiam præscribet, quæ per se noxia essent, quia medicina, quam tradere cogitat, non tam facile per vomitum stomachum euacuaret, nisi multa essent prius congesta: recepta vero sanitate, instãter prohibet, ne in priorem recidat morbum. Ita Christus hanc prudentiam nos docuit, cum adulteræ dixit: *Vade, & iam amplius noli peccare*; & paralytico sanato, & in templo inuento: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi*

Apoc. vlt.

Quale sit illud peccatum.

In illo permanere quam miserum.

I. ratio Apostolica non permanendi in peccato.

Gen. 5.

II.

Qualis videatur Pauli argumentatio.

Humanæ naturæ medicus Christus est, eius gratia medicinæ.

Non esse peccandũ vt gratia Dei abundet, quo fiat medici exemplo perspicuũ.

Ioan. 8.

Supra 5.

Recidiui morbi fere grauiores & periculosiores existunt.

aliquid contingat: quia recidentes in morbu, periculosius laborare solent. Quæ omnia hæretici prorsus ignorare videntur, dum negant, vllam sanitatem per baptismum recipi, aut vllum Spiritus sancti donum præter quandam vanam peccatorum non imputationem.

Contra imputatiuæ assertatores iustitiæ.

Præcipuũ erga nos diuinæ prouidentiæ speculum Christus est, & quare.

Probat autem nos mortuos esse peccato per ea quæ subiũgit: *An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Dei prouidentia circa nos maxime in Christo, tanquam in typo spectanda est: nam quæ ipse pro nobis pertulit, repræsentari voluit in symbolis, siue in Sacramentis, quibus sanctificationem nostram operari dignatur. Ecce in baptismo mortem, sepulturam, ac resurrectionẽ nobis proponit: ex quibus ceremoniis argumenta ducit Apostolus nostræ Christianæ vitæ instituendæ. Vt alibi Apostolus argumentatur ex ceremoniis Legis ipsius, & signatis illarum: *Quorum*, inquit, *animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem; horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes.* Et ab Ecclesiæ consuetudine etiam sumit arma id aduersarios, cum scribit: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus; neque Ecclesia Dei.*

Heb 13.
Leuit.6.
2.Cor.11.

Quid hęc Pauli ratio loquendi significet: An ignoratis fratres.

Ait ergo: *An ignoratis fratres.* Id est, Rem scitu dignam, & à multis eorum vitio ignoratam propono. Erat enim eius rei publica prædicatio, & forsitan in Catechismo tradita fidelibus, in Renascentiæ Sacramento neminẽ Christo posse regenerari, nisi prius Adæ priori mortuus fuerit. Nam immersio hoc significabat, suffocationem scilicet peccati, & veteris hominis, qui quasi sub aquis sepeliebantur. emersio vero nouam vitam, quam regenerati ducere debẽt, denotabat. Nam vt ille moriens extinxit delicta nostra, & surrexit in nouam vitam, ita nos in baptismo extincto peccato ad vitam sanctá viuificamur.

Immersionis Baptismi, & emersionis mysteria.

Circa literam, quod dicitur: *Baptizati sumus in Christo, & in morte ipsius*, Græce in Accusatiuo habetur; *In Christum*. & in mortem ipsius. Sed Græca præpositio εἰς, non tantum motum ad locum, sed etiam locum significat, vt Latinis *In*; & ita tam Auferendi, quam Accusandi casum regit. Baptizari vero in Christo Iesu, non est baptizari alia forma, quam Patris, & Filii & Spiritus sancti, quam ipse instituit Matth. 28. non autem quod in forma Christi siue expressa Trinitate baptismus conferretur. Denotat ergo se loqui de baptismo Christi, & non de illo Ioannis, qui peccata non remittebat; & quod in merito, & virtute Christi, cui inseruntur, & incorporantur baptizati. Quod vero subiungit: *In morte ipsius baptizati sumus* id significat, quod in assimilationem mortis eius, & configurationem sepulturæ ipsi' baptizamur. Nam ita Græci omnes exponunt, imo ipsemet Paulus, qui subiungit in quo sita sit illa similitudo: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, &c.* id est, per baptismi ceremoniam, in qua mors & sepultura Chr sti, ac resurrectio repræsentantur: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Vbi primum obserua, quod etsi baptismus multis modis celebretur, nimirum intinctione, aspersione, immersione, & ablutione; præcipue tamen vt ipsa vox Græca denotat, immersione, & emersione fiebat, vt Ambrosius hoc loco, & Damascenus animaduerterunt: & si aliquando fieret vna simplici immersione, non solum ad designandum vnum Deum, sed ad vnicam Christi mortem repræsentandam. Aliquando vero triplicis immersionis vsus in Ecclesia fuit, vt posset denotare trinitatem Personarum in qua baptizamur & triduum illud mortis Christi. Deinde perpende, post mortem addidisse sepulturam, vt mortis rationem augeret. Omnes siquidem antequam sepulturæ tradantur, moriuntur: quemadmodum nos sepelimur subtus aquam.

Ad III. quæst.

In Christo Iesu baptizati quid.

Matt. vlt.

Supra 3.

Quid in morte ipsi' baptizari.

Varii baptismatis conferendi ritus, quique ex illis magis sint in vsu.

B. Amb. hoc loco.
S. à medio Ioan.
Dam. l.4.c. 10.

Quid trina olim immersio in Ecclesia significaret.

Cur etiam sepulturæ hoc Paulus meminerit.

Tertio aduerte quod ait: *Ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Quia nullæ prioris vitæ reliquiæ remanent, hinc omnes pœnæ peccato debitæ per baptismum tolluntur; quod nulli alteri Sacramẽto accidit, in quo semper aliquid nobis inẽdum relinquitur. Quamobrem fomes & mors non tam sunt veteris delicti effectus post baptismũ, quã exercitium humilitatis, patientiæ, & fidei, & meriti comparandi occasio. Nam secluso Adæ pacto illa fuisset naturæ conditio, habere scilicet fomitem, & morti esse obnoxium. Quod vero fomes & mors interdum dicantur à Patribus pœnæ peccati, inde est, quia olim ante ingressum in Christum fuerunt tales, & modo sunt in nondum renatis, & quia nobis insunt occasione illius antiqui peccati.

Baptismi discrimen ab aliis Sacramentis ab eodem assignatum.

Baptismus nobis fomitis, mortis pœnas cur minime tollat.

Addit etiam: *Resurrexit per gloriam Patris.* Vbi præpositio διὰ ponitur, vt quidam volunt, pro εἰς, id est, in gloriam Patris, vt fidem denotet, siue pro, Propter, vt aliis placet, quod in idem recidit. Potest etiam exponi, Per gloriam Patris, id est, Per diuinam Patris potentiam in suscitando Christo, & in quo Pater maxime glorificatur, vt ita

Quod dicitur Christum resurrexisse per gloriam Patris, tripliciter intelligitur.

incipiat

Diuinarũ attributa personarũ.

incipiat supponere Christo inimicos eius, etiam mortem, & peccatum ipsum: & more Scripturæ quæ Patri adscribit, quæ sunt potentiæ, sicut Filio, quæ sunt sapientiæ; Idcirco Patri Christum suscitandi à mortuis virtutem, cum tamen ipse se etiam à mortuis suscitauerit, & Spiritus sanctus idẽ præstiterit, vt habes Rom. 8. Subdit; *Ita* (tenuis est similitudo suscitari cum Christo) *& nos in nouitate vitæ ambulemus*. Proficientes de virtute in virtutem. Sicut Christus resurrexit in vita noua, & incorruptibili, vt in multis argumentis apparendo discipulis, & loquendo de regno Dei per dies 40. & postea ascendit in cœlum, ita nos per dies quadraginta, id est, toto tempore vitæ nostræ in decem Præceptis cum perfectione vitæ Euangelicæ, quæ in quatuor Euangeliis consistit; vt ita promereamur conscendere in regnum cœleste.

Rom. 8. Quomodo in nouitate vitæ ambulem⁹. *Psal. 83.* *Actor. 1.* *Ibidem.*

Ad 4. dubium. Quænam baptismo peccata remittantur. *Aug. to. 6.* *Ephes. 5.* Illud Apostoli: Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lauacro aquæ, quomodo iuxta Aug. accipiendum sit.

Quartæ dubitationi dicendum est, Baptismo non tantum præterita, sed etiam futura peccata remitti, vt docet Augustinus libr. de Nupt. & concupis. cap. 33. Explicans enim illud: *Christus dilexit Ecclesiam, &c. mũdans eam lauacro aquæ*, ita habet: *Sic accipiendum est, vt eodem lauacro regenerationis, & verbo sanctificationis omnia prorsus mala omnium regeneratorum mundentur, atque sanentur, non solum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur, non vt baptisma quotiens peccatur, totiens repetatur, sed quia ipso quod semel datur, fit, vt non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodesset vel ante baptismum pœnitẽtia, nisi baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet? In ipsa quoq; Dominica oratione, quæ quotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur: Dimitte nobis debita nostra, nisi ab iis qui baptizati sunt, diceretur? Itemq; eleemosynarum largitate, & beneficentia quantalibet cui tandem ad dimittenda sua peccata prodesset, si baptizatus non esset.* Hæc ille. Quod intellige, nõ solum quia in eo gratia maxima confertur, qua futura peccata caueantur, qui optimus est remissionis modus; sed vt etiam post hoc susceptum Sacramẽtum facilius admissa deleantur. Est enim insitus Christus vt ei resipiscẽti vere peccata remittantur. Et nequaquam illud ferendum quod hæretici dicunt, omnia post baptismum crimina non imputari. Quod si verum esset, nullus vnquam baptizatus periret.

Dominica precatio quid Aug. *Matt. 6.*

Augustini quod etiã futura per baptismũ peccata remittantur, quomodo accipienda doctrina. Hæreticos nulla peccata imputari baptizatis asserentes aperte mentiri. Baptismi Sacramen-

Quinto expende, Baptismum non tantum esse iustificationis signum, quæ vel per fidem præcedentem fit impetrata, vel per fidei motum in baptismo obtinetur, sed etiam esse instrumentum quoddam diuinitus institutum, per quod remissionem peccatorum operari dignatur: quã fidei, aut pœnitentiæ motus vt plurimum efficere, vel impetrare nõ potuisset. Ex quo aperta redditur baptismi efficacia, qua Christo configuramur, commorimur, & incorporamur. Quare Augustinus, Ambrosius, & alii Patres, non dubitarunt asserere, iustificationẽ fieri in Baptismo, non per fidei motum, qui infantibus inesse nequit, sed per virtutem ipsius Sacramenti, vt Augustin. lib. de Symbolo ad Catechumenos, & Ambrosius lib. de iis qui mysteriis initiantur capit. 4. Confirmatur etiam vsu Ecclesiæ, non solum baptizantis paruulos, sed etiam catechumenos morbo oppressos qui credere nequeũt. Idem tradit Augustin. libr. 2. de Adulterinis coniug. cap. 16. 17. 18.

& signum esse, & instrumentũ Diuinæ iustificationis.

Eius vis & efficacia. *Aug. li. 1. de Symb. c. 6. tom. to. 9. circa fin. Amb. to. 4. circa med. Aug. to. 6. prope fin.*

Quod igitur hæreticorum antesignani Lutherus & Oecolampadius producunt Tertullianum li. de Pœnitentia dicentem: *Non ideo abluimur, vt delinquere desinamus, sed quia desiimus, quoniam iam corde loti sumus. Ceterum si ab aquis peccare desistimus, necessitate, non sponte innocentiam induimus*: ita accipiendum est, vt ablui cor ante baptismum dicatur, quia Catechismus auertit animam à peccatis, non autem quod ante Baptismum fiat eorum remissio. ¶ Et quod dicitur baptizari nos in mortem Christi, per similitudinẽ videlicet, & repræsentationẽ mortis Christi, non intelligemus baptismum esse tantũ signum, vt diximus, mortis Christi, sed quod nos facit commori Christo, & per nostram mortem repræsentat Christi mortem: neque sententiæ Apostolicæ inter se dissentiunt, quæ tradunt iustificationem, & reconciliationem nostram cũ Deo, ipsi fidei, interdum vero Baptismo, interdum etiam & Pœnitentiæ tribuunt, iuxta illud: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum.* Non enim quilibet fidei motus, aut qualibet peccatoris pœnitentia ad impetrandam remissionem peccatorum satis est. Nam rogantibus Iudæis Petrum: *Quid faciemus viri fratres?* respondit verba iam supra allegata: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum*: & Paulus Actorum vigesimo secundo se docet iustificatum, quando baptizatus est ab Anania. Ait enim: *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipsius.* Constat autem tam ex Capite nono, quam vigesimosexto Actorum, Paulum antea pœnitentiam concepisse, & Deum orasse: & Capite 8. Eunucho petenti baptismum, respondit Philip. *Si credis ex toto corde, licet*: quasi non

Tertull. paulo ante libri dimidium.

Quid baptizari in similitudinẽ mortis Christi significet.

Non leuiter neque inconstanter à Paulo nunc fidei, nunc baptismo, & Pœnitentiæ iustificationem assignari. *Actor. 2. Ibidem. 37.*

Supra 9.

Supra 8.

Tertull.

esset satis credere ex toto corde. Simili ratione Tertullianus libr. de Pœnitentia, docet pœnitendam pœnitentiam baptismo, sed donū iustificationis non dari nisi in Baptismo. Etsi ergo motus fidei, & pœnitentiæ per se insufficiax sit ad iustificandū, mentem tamē idoneē disponit ad remissionem peccatorum accipiendam. Potest tamen tāta esse fides, cum pœnitētia perfecta, vt ante Sacramentum a shibitum remissionem peccatorum consequatur; vt Augustinus docet libr. quarto de Baptismo contra Donatistas cap. 20. 21. & 22. & ostendit hoc aperte ex Cornelio Cēturione Actorum 10. qui ante fuit iustificatus, quam baptizatus. Similiter & latro qui assistebat Christo in cruce posito, sine baptismo per fidem, & pœnitentiam cordis accepit iustitiam. Et de his satis.

Fides & pœnitēua peccatori ante baptismū quid conferant. Eiusmodi motus per se hominē quando iustificent. B. Aug. to. 7. Actor 10. Luc 23. Idin quib. locum habuerit.

DISPVTATIO II.

In illa verba: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato, &c.*

IN hac Pauli sententia non sunt neq; multæ, neque graues difficultates: nam hæc videntur esse præcedentis exhortationis confirmatio, quod videlicet debeamus in nouitate vitæ ambulare: idq; repetit aliam similitudinem superiori cognatam ostendere nititur. Ne tamen nihil dubitare videamur, primo possēt quis ambigere, quæ sit ista complantatio, & à quo facta sit. Deinde dubitari posset, quis iste vetus homo, qui dicitur crucifixus cum Christo: & quomodo potuit crucifigi vetus homo noster, cū nos in rerum natura Christo patiente nondum essemus: quomodo item crucifixus cū adhuc viuat in iustificatis, in quorum persona ait Apostolus; *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Tertio, quod est illud corpus peccati, quod destruendum esse in iustificato tradit Apostolus. Quarto, quid est illud: *Qui autē mortuus est, iustificatus est à peccato.* Hæc enim omnia & in verbis, & in sensu nonnihil habere difficultatis videntur.

I. dubitatio.

II.

Rom. 7.

III.

Ad primū dubitat.

Ad primum dicimus, participiū, Complantati, Græce nomen esse, nimirum σύμφυτοι. Et potest verti, Complantati, siue consititii, quia Græco nomini magis respondet, etiam si sensus sit idem. Et exprimit id, quod quotidie ab agricolis fieri videmus, qui in arboribus minus nobilibus solēt inserere surculos, & plantas nobiliores, quo fructum reddant generosiorem. Omnis enim fructus insitæ arboris præstantior est eo, qui à stirpe insitia producitur. Est ergo planta nobilissima Christus viris, nos vero palmiter, & insiti. Et vt insitus ramus humorē excipit de arbore, per quam in eādem coalescit naturam, & hyeme arbore moriente, ramus quoq; ei commoritur; illa Vere rursus accedēte reuiuiscit, & simul cum ea surculus insertus: ad eum plane modum, aut certe quam simillimum nobis contingit. Est enim Christus vna arbor moriens semel, quantum attinet ad corpus, & plantata in cruce, & in sepulchro, vt inde germinaret, iuxta illud: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et alio loco; *Insipiens, tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur.* Postea tamē germinans per resurrectionem à mortuis, & exercens opera nouæ vitæ, & immortalis. Animæ vero nostræ sunt surculi insiti Christo, commoriūtur peccato, & velut in hyemis sepultura delitescunt: quemadmodum Christus se exinaniuit, & abscōdit: & in eodem Christo per gratiam excitati quasi in Vere viuimus vitā nouam, proferentes bonorum operum fructus. Et dixit, *Similitudini mortis*, non, morti Christi: nec enim per omnia similitudo currit. Nam ipse peccato mortuus non fuit, qui peccatum non fecit; quemadmodum nos: nec nos corpore mortui fuimus, vt ipse, aut sepulti, sed peccato morimur, & in aqua sepelimur Baptismo. Idcirco dixit: *Similitudini mortis*, id est, per assimilationem ad corporeā Christi mortem, quæ similis fuit spirituali morti, qua Christus in seipso occidit peccatum: quæ mors spiritualis fructum reddidit occidendo peccatum, & nos ad nouam vitam vocādo. Hinc Cyrillus citatus ab Scholiis Græcanicis; *Similitudo mortis, erat Christi mors, eo quod non permaneret ipse in morte, sed tertio die reuiuisceret, resurgeretque.* Et Oecumenius; *Vide Dei bonitatem: Morte quidem Domini quasi per similitudinem mortui sumus, resurrectionem autem vere participamus.* Sic illi. Et cum ait Apostolus: *Simul & resurrectionis erimus.* Intellige, quātum est ex virtute ipsius insitionis, vt videlicet ipse insitus sua culpa ab insitione non ciderit: quia multi ab ea exciderunt, vt ait Apostolus ad Hebr. 6. & ad Romanos 11. Quod si non excidamus, du-

Quæ sit ista complātatio similitudini mortis Christi. Radix huius metaphoræ. Insitæ arbores fructus meliores. Ioan. 15.

Mystica arbor Christus quādo fuerit plantata.

Supra ca.

Eius arboris rami quinā sint.

Cur dicā, similitudini mortis, & nō morti Christi, nos debere cōplantari. Esai. 53. 1. Pet. 2.

B. Cyril. apud Oecumenium. Oecum. c. 6. in hunc locum, sub init.

Quomodo verum, resurrectionis Christi nos fore participes.

A quo fit ista complantatio.

cet nos quam primum ad resurrectionem spiritus, & inde sua die ad resurrectionem earnis. Autor vero primarius huius insitionis, siue complantationis, est ille, de quo Christus dixit; *Pater meus agricola est*, etiamsi ipse ministerio hominū vtatur, qui docent, & baptizant.

Ioan. 15.

1 Cor. 3. Dictum Apostoli: Neq; qui plantat, est aliquid, neque qui rigat. &c. quid sibi velit.

Sed quia, vt Apostolus dixit, *Neque qui plantat est aliquid, neq; qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus*, id est, qui interius operatur, & efficit id, quod externa signa adhibita denotant, idcirco merito hæc agricolæ cœlesti tribuenda sunt, qui inserit nos contra naturā in oliuam bonam, cum essemus oliuaster. ¶ *Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra iam non seruiamus peccato.* Vetus homo, qui nouo opponitur, natura humana est, à veteris Adæ peccato vitiata, & ad peccatum inclinata, siue sit pars rationis superior, vt recte colligit Augustinus lib. quarto de Trinit. c. 3. ex sententia Apostoli 2. Cor. 4. vbi habet; *Interior homo si vtique renouatur de die in diem, profecto vetus est, antequam renouetur*, & reliqua. Hoc autem cum iam renatis, & iustificatis proponatur ponit, eos veteri homine non carere. Et ad Galat. 5. ait: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cū vitijs, & concupiscentijs.* Remanet ergo aliquid veteris hominis in baptizato, id est, fomes: sed fine reatu, & dominatu, & est conditio existentis in Christo.

Ad 2. dubium. Quis ille vetus homo noster simul crucifixus cū Christo, Aug. to 3. 2. Cor. 4.

Galat. 5.

Reliquiæ veteris hominis quęnam.

Quomodo sit ille crucifixus.

Deinde tradit, hunc veterem hominem crucifixum, hoc est, debilitatū, & fractum Dei gratia. Et non intelligas actu, quia nos non eramus in rerum natura, vbi Christus crucifixus fuit: nec opus esset baptismo, si actu id contigisset, sed accipiendū est in potentia, & in merito: quemadmodum dicitur fecisse stante Adam, & in illo cadente cecidisse. Sed sicut hunc casum experimur, cum primum esse incipimus, id est, infunditur anima corpori, tunc enim incurrimus originale peccatum: ita id quod Christus nobis promeruit morte sua, applicatur nobis in Baptismo, quo illi inserimur: tunc enim dicitur vetus homo noster crucifixus. Et ita habes secundum dubium euacuatum.

Esai. 64. Genes. 3. Rom. 5.

Rom. 7. Qua ratione mēbrorum lex legē mentis captiuet in legem peccati.

Quod ergo lex in membris existens repugnet legi mentis, & captiuet in legē peccati, suo loco à nobis explicabitur. Non enim actu, & reipsa captiuat e intelligēda est, sed quod apta nata sit captiuare, nisi quis ope Dei adiutus resistat.

Tria præstat Baptismus.

Perpende etiam hoc loco gradus gratiæ in Baptismo collatæ. Primo enim abluimur in peccati extinctione, id est, maculę, & reatus. Deinde germinamus bonæ vitæ opera. Tertio incumbimus in fomitis mortificationem. Et vt superius mortem amplificauit per sepulturā, ita modo complantationem per hoc amplificat, q insitus ramus sic emoritur, vt nulla ei supersit propria virtus præter arboris virtutem. Atq; hæc est insitio nostra in Christo, vt non solum peccato, id est, culpæ moriamur, sed etiam vniuersas radices peccandi relinquamus quasi Christi cruci confixas. Hinc Augustinus in expositione epist. ad Gal. *Non igitur mirum, si de maledicto vicit maledictū, qui vicit de morte mortem, & de peccato peccatum, de serpente serpentem. Maledicta autem mors maledictum peccatū, maledictus serpens: & hæc omnia in cruce triumphata sunt.* Hæc ille.

Nostra in Christo insitio vnde pendeat.

Aug in expos. 3 ca. circa med. to. 2. propo fin.

Quod vero subdit de destruendo peccati corpore, recte intelligendum est. Quidā enim accipiūt per corpus peccati ipsum uostrum corpus, quatenus est peccati fomentum, & ad illud propensum: quemadmodum etiam dicitur corpus peccati hoc loco, & capite sequenti corpus mortis. Sed si hæc expositio bona esset, concurreret & corpus peccati cum veteri homine. Idcirco alii per corpus intelligunt consistentiam, & robur peccati: quod paulatim destruendum est. Sed sane præstat Ambrosii interpretatio, qui per corpus peccati intelligit peccatorū actualium congeriem, quæ est in veteri homine: cuius corporis caput est fomes, & radix peccatum originale: sicut etiam corpus humanum ex congerie constat cum capite suo. Vt igitur Christus quantum ad omnia sui corporis membra fuit crucifixus, ita nos debemus omnem peccatorum congeriem destruere, quæ prius erat in veteri homine inclusa per Dei gratiam, sicut & homo nouus suum bonorum operum corpus habet: de quo Dominus dixit; *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum* (id est, bonorum fructuum aggregatum) *lucidum erit.* Quæ conclusio est principalis in hoc capite, in quo probat, baptizatos ab omni peccato abstinere debere. Cæterum, quoniam dixerat, veterem hominem crucifixum, corpus peccati destruendum, declarat non omnino destructum, nisi tantum quod attinet ad regnum, & dominium eius, vt vltra non seruiamus peccato quasi tyranno, & Regi, de quo infra ait: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*: ne quis obiiciat, quomodo dicitur peccati corpus destrui, cum adhuc bellum sit nobis cum carne, & ipse queratur, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Paulus enim tantum hic definit gratiæ Dei vigorem, & naturam, quæ nos ea armatos, & munitos eo impellit, vt possimus concupiscentiæ mo-

Ad 4. dubium. Quodnā iustificatis destruendum sit corpus peccati. Supra 7.

I. sensus.

Alter longe probabilior. Ambr. to. 5.

Quid illud totum corpus tuum lucidum erit. Matt 6. Fructus doctrinæ Apostolicæ in hoc capite est fuga peccati.

Corpus peccati destructum quatenus doceat Apostolus.

Rom. 7. Quomodo à nobis destruendum sit corpus peccati.

Cum hac destructione leuia possunt peccata consistere.

tiæ motus comprimere: ad quod opus est studio, & conatu assiduo, & vigilantia. Nec enim carnis naturam sustulit, aut libertatẽ nobis ademit: propterea dixit; Vt destruatur corpus peccati. Nec dixit: Vt statim destruatur, neque, Vt non amplius peccemus, quod rarum est; sed, ne amplius seruiamus peccato vt domino. Neq; obstant peccata venialia, quæ caueri non possunt; & ideo gratiæ Dei non repugnant: nec etiam Satan tentans officit, quia illum propulsare possumus Dei gratia.

I. sensus huius sententiæ: Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.

Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Locus est hic non admodum apertus. Sed aduerte, Christum, qui se pro nostris peccatis reum constituit, vbi primum per mortem corporis sui debitum nostrum exoluit, iustificatum dici à peccato, vt amplius ad soluendum nulla lege teneatur, sed vt iustus iam factus Deo viuit. Ad eum modum qui in illo baptizatus inuenitur, & si illo mortuus, dicitur etiam à peccato iustificatus, quoniam nullum ius in eo habet dominandi peccatum.

Alter.

Alii vero sic explicant: Quemadmodum mors quempiam ab hac vita soluens, ab omnibus vitæ huius officiis liberat; ita qui mortui sumus peccato, ab omnibus peccati actionibus cessare debemus.

Peccatum aliter in Christum, aliter in nos habuit potestatẽ.

Peccatum enim ius habuit in Christum, & in nos. In Christum quidem, ipso volente, ius habuit eum morte afficiendi, vt interim ipse pro peccatis nostris satisfaceret: in nos vero, velimus, nolimus, imperat, vt teneret sibi obnoxios ad fructificandum, donec Christus integre pro nobis satisfecit, & reddidit nos à peccato iustificatos, vel ei vltra seruire non debeamus.

Quis ille mortuos, qui iustificatus est à peccato.

Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cũ illo. Explicat quis sit ille mortuus iustificatus à peccato, nimirum Christus, qui extra debitum omne erat, & nihil ab eo exigẽdum fuerat, sed pro nobis debitũ pendit.

Mortis Christi, & resurrectionis efficacia.

Vnde iustum est credere, quod sicut ex vi mortis eius assecuti sumus mortem peccati, ita ex vi suæ resurrectionis assequemur nouitatem, & perfectionem vitæ. Et intellige ex se, nisi nos obicem ponamus.

Qua etiã ratione peccatum cauere debeamus, secundum Apostolũ.

Idẽ tandẽ: quomodò ꝓbet nobis esse ambulãdũ in nouitate vitæ.

Et ita nouam rationem producit ad præscribendam renatis abstinentiam à peccato. Et rursus vrgens, subdit: *Scientes quod Christus resurgens ex mortuis iam nõ moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Postrema corroboratio est præcipuæ assertionis, qua vehementer persuadet, perseuerandum esse in noua vita, ex eo quod non nisi semel mortuus sit Christus, & post suscitationẽ non est amplius mortuus. Et addit, *Scientes*, id est, scire debentes, nimirum per fidem, sicut supra diximus: Credimus quia simul etiam viuemus cum Christo. Et verbum, Resurgens, Græce est præteriti temporis ἐγερθεὶς, hoc est, excitatus, vel qui surrexit. Et confirmans, subdit: *Mors illi vltra non dominabitur*, siue dominatur, vt Græce habent.

Mors cur Christo nõ ampli⁹ dominetur.

Cum enim Christus dotem habeat immortalitatis, mori nequit, neque per satellites suos, vt miserias, dolores, morbos, & cætera; & ideo quoties immolatur in Eucharistia, non moritur, sed recolitur illa antiqua mors, & Deo pro salute nostra offertur.

Ei quaten⁹ olim dominata fuerit.

Et dixit, amplius, aut vltra: non quod aliquando ius in eum habuerit absolutum; nisi quod Filius Dei vltro ad nostram se demisit naturam, quam decuit secundum sua principia patibilẽ permittere; & ideo sponte mortis dominatui se subiecit, quẽ postea resurgendo reiecit.

Lectio illa: Quod .n. (i. corp⁹) mortuũ est peccato, &c. quare nõ ꝓbetur. Fab. Stap. Hila. circa libri princ.

Duplicem in Christo personam olim Nestori⁹ somniabat.

Subdit: *Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem viuit, Deo viuit.* Quidam, vt Faber, & olim Hilarius libro nono de Trinitate, ita legũt, & volunt illud, Quod, esse relatiuum, & vertendum: *Quod enim mortuum est peccato, mortuus est semel*: vt referatur ad corpus. Sed hæc lectio, quæ Nestorianis fauere videtur, nostræ posthabenda est. Etsi enim Christus vt Deus nec mori, nec resurgere potuerit; tamen idem quatenus homo, & mortuus est, resurrexit. Alioqui non posset morte sua mortificare peccatum, nec resurrectione sua possemus Deo viuificari.

Vera lectio, ac interpretatio Orig. hoc loco. li. 5. Cyril. lib. 9. in Ioan. c. 20. to. 7.

Videtur igitur præstare nostra lectio, &, quod, aduerbialiter accipiendum, vt etiam veteres Patres accipiunt, maxime Origenes, & Cyrillus in Ioannem, & Ambrosius, & Augustinus libro sexto contra Iulianum Pelagianum, capite primo, *Quod enim mortuus est*, & ibi comma ponendum.

Quare mortu⁹ sit Christus. Rom. 4. 1. Petr 3.

Subdit: *Peccato mortuus est semel*: non quod naturæ mortalis esset, aut necessitatem moriendi haberet; sed quia traditus est propter peccata nostra; Petrus quoque, *Quia & Christus semel*, inquit, *pro peccatis nostris mortuus est.*

Quid sit dicere Christum esse mortuum semel. Hebr. 10.

Quod vero ait, Semel, siue Græce ἐφάπαξ, perinde est, ac si dixisset, vna vice pro omnibus mortuus est. Ita in epistola ad Hebræos, vna hostia Christi, & vna oblatio opponitur hostiis Leuiticis, quæ repetuntur.

Aliter Christus, aliter iusti viuũt Deo.

¶ *Quod autem viuit, Deo viuit*, hoc est, Immortalis, ad gloriam, & obsequium Dei. Iusti vero in hoc seculo non sic, quia non toti viunt Deo, quia non carne, sed spiritu tantum.

His verbis Apostoli: Quod aũt viuit, viuit Deo, quænã hæresis damnetur.

Ex his porro verbis confutatur error eorũ, quos Origenes testatur asseruisse, Christum seculis venturis iterato moriturum, vt liberentur hi, quos in præsenti non sanauit.

Con-

Orig. hoc loco to. 2. Quando iusti mortui sint peccato, viuāt autē Deo.

Concludit Paulus: *Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu.* Quibus verbis applicat doctrinam de Christo iustis, qui existimare debent, hoc est, fixam, & firmam habere persuasionem, quod sicut Christus semel est mortuus, ita & nos & moribus præstare debemus, vt nulla in nobis appareat peccati figura, sed vt nostra constantia, & perseuerantia vitę illius immortalis, quam Christus viuit Deo, Imago resplendeat, vt talis sit à peccati morte cautio, vt soli Deo viuere videamur.

DISPVTATIO III.

In illa verba: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. Sed neq; exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra, arma iustitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia.*

Quo tēdat hæc Pauli disputatio.

VBI nos Apostolus de statu gratiæ, in quo per Baptismum cōstituti sumus, erudiuit, ac mortuos nos esse peccato in Christo dixit, & sepultos, & insitos, & complantatos in Christo, & ad edendos nouæ vitę fructus suscitatos, ita vt non debeamus vltro, ac sponte ad peccatum desiruere, assurgit in exhortatoriam quandā apostrophen, ostendens, quā strenue, ac serio contra peccatum decertare cōueniat, ne regnet in nobis, alludens ad ea, quæ cap. 5. dixit: *Vt sicut regnauit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per iustitiam in vitā æternam.* (*Rom. 5.*) Qua in parte nonnulla grauis momenti dubia insurgunt. Primum enumerandæ sunt significationes huius vocis, Peccatum, & quærenda illa, quæ maxime huic loco quadrat. (I dubitatio.) Deinde dubitatur, an fomes sit vere peccatum, vt contendunt Lutherani, & soluenda, quę in contrarium obiiciunt. (II.) Tertio, quomodo verum sit, peccatum dominari in corpore nostro mortali, quia non sumus sub lege, sed sub gratia: quia nullus Christianus sine lege est, & in multis, qui pessime viuūt, peccatum etiam non dominatur. (III.) Contra in lege multi Prophetæ, & iusti extiterunt, qui ad legem non pertinebant, nec sub lege erant, qui prauos concupiscentiæ motus reprimebant.

Primæ quæstionis solutio.

¶ Ad primum dubium euacuandum, dicimus in genere, peccatum esse & in natura, & in arte, & in moribus: & significat defectum à regula, quam præscribit ratio. Peccat enim natura, cum generatur homo sex digitos habens in manibus. Ars vero fabricandi peccat, cum murum facit obliquum. In moribus vero, quicunque deflectit à lege: & delictum est, cū non fiunt, quæ fieri debent, quasi delinquium: peccatum, cum fiunt, quæ fieri non debent. At Græca vox *ἁμαρτία*, noua voce à Tertulliano reddita est libro de resurrect. carnis, vbi vocat eam delinquentiam. Peccatum ergo, proprie, & maxime culpam esse asserimus, siue originalem, siue actualem, quæ actus quidam deformis est, & imputabilis.

Vbi sit peccatū: quid significet.

Delictū, & peccatum vt differāt.

Tertull.

Secundo, accipitur pro concupiscentia fomitis vitiosa, & pro eius actibus per metonymiam. (Secundus significatus.) Tertio, sumi solet pro macula, & reatu, qui transeunte peccati actu remanet in peccatoribus, in quibus dicitur permanere, & remitti postea per Baptismum, aut per pœnitentiam. (Tertius.) Quarto, sumitur interdum pro sacrificio, & oblatione pro peccato, iuxta illud; *Sacerdotes peccata populi mei comedent.* (Quartus. *Osea 4.*) Neque Apostolo ignota fuit hæc significatio, cum dixit: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* (*2. Cor. 5.*) Quinto, vsurpatur pro carne habente similitudinem peccati, de quo capit. 7. *De peccato damnauit peccatum.* (Quintus. *Rom. 8.*) Sexto, pro pœna peccatis debita, iuxta illud Leuitici: *Portabant ambo peccatum suum, & Christus portauit peccata nostra super lignum in corpore suo;* &, *Sancta, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur,* id est, à pœnis peccatorum. (Sexta. *Leuit. 20.* *1. Petr. 2.* *2. Mach. 12.*) Septimo, accipitur, vt quidam volunt, pro diabolo peccati autore: quæ acceptio etsi saluari possit per figuram Metonymiæ, quæ causa ponitur pro affectu, in Scripturis tamen non est vsitata, neque tam probabilis. (Septima.) Est enim diabolus naturæ intellectualis in bonitate à Deo conditus, sed suo vitio malæ, & odio habens Deum, & hominem: & potius dæmon pro peccato accipitur, nun è contrario. (Diabolum impropriè dici peccatum ex tribus cōstat.) Imo potius non nisi valde mystice diabolus ponitur pro peccato, iuxta illud: *Filia mea male à dæmonio vexatur*: quo mystice significat, peccatum vexare conscientiam. (*Matth. 15.* Illud: Filia mea male dæmonio vexatur, quid mystice.) Deinde dæmon non regnat in nostro mortali corpore, nisi dum obsidet: etsi quandoque dicatur intrasse in Iudam, aut in cor Iudæ per nouam rationem in eum dominandi. (*Ioan. 13.*) Dæmon etiam in corde baptizatorum non regnat, vnde iam expulsus est, neq; etiam plerunque in corpore: & vt externus tantum pugnat, vt in Christum, & in primum Adā olim pugnauit. (*Genes. 3.*)

Alter

Peccatum in hoc loco quid Augustino
B.Aug.t 9.
Idem to. 7.
Idem to.10.

Alter sensus est, vt peccatum accipiatur pro fomitis concupiscentia, secundum Augustinum, tract.41.in Ioan.& libr.2.de peccat.merit.& remiss.cap.28.& ser.13.de verb. Apost. quæ quidem concupiscentia remanet in renatis ad luctam, quia & ex peccato est, & ad peccatum stimulat. Ideo Apostolus non dixit, Non sit in vestro mortali corpore peccatum; sed, *Non regnet*. Et Chrysostomus ponderat, Apostolum non dixisse, Caro non viuat, neque operetur; sed, *Peccatum*, inquit, *non regnet*. Non enim naturam tollere, sed voluntatem corrigere venit. Et ita cõcupiscentia metaphorice dicitur peccatum. Origenes vero in hunc locum egregie scripsit: *Nisi esset in nostra potestate, vt non regnaret in nobis peccatum, præceptum vtiq; non dedisset. Quomodo ergo possibile est, vt peccatum in carne nostra non regnet? Si faciamus illud, quod idem Apostolus dicit: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, & si semper mortem Christi in corpore nostro circumferamus*. Et paullo post: *Vnde apparet, mediam quodammodo esse animam inter carnem, & spiritum: & si quidem iunxit se carni ad obediendum desiderijs peccati, efficitur vnum corpus cũ ea. Si vero iunxit se Deo efficitur cum eo vnus spiritus*. Hinc Bernardus in lib.de libero arbitrio accipit, spiritum esse in summitate montis, in infimo loco carnem, in medio vero animam, quæ pro sua voluntate, aut à carne, aut spiritu trahitur.

D.Chrys. ser.11.in hunc locũ, to.4 init.

Orig l.6.in princ. to. 2.
Quomodo fieri possit, vt peccatum in carne nõ regnet, secundum Orig.
Coloss.3.
2.Cor.4.
Anima hominis media est inter carnem & spiritũ.
1.Cor.6.
B.Bernard.

Deinde ex hoc loco confunduntur Lutherani, qui negãt, originale peccatum per Baptismum sublatum, & in renatis etiam adhuc dominari, vt non valeamus nõ damnabiliter peccare, nisi gratia Dei nobis peccatum non imputaretur. Sed hoc falsum est, & ex Apostolica doctrina colligitur alius Christiani status, in quo vita sancta, & pura exigitur: quam si præstare renatus nõ valeret, esset hic status deterior priori, in quo peccati abundantia superabundãtiam gratiæ inuenit. At hæc gratiæ Dei abundãtia præuaricanti in hoc nouo statu nõ promittitur. Non ergo regnet, etiamsi pugnet, etiamsi valeat, non tamen in spiritũ præualebit: nam non esse, impossibile est, iuxta illud; *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in vobis non est.* Etsi ergo impossibile est, vt non pugnat: at vero ne expugnet, in nobis per Dei gratiam positũ est. Gratia siquidẽ Dei omnibus cõceditur. Est autem apud Paulum verbum βασιλεύειν, siue regnare, idem quod summum imperium tenere, ita vt nullus se opponat, aut si quis obsistat, frustra hoc faciat: in quo sensu Apostolus ad Corinthios dixit, *Sine nobis regnatis, & vtinam regnetis*. Et ita vsurpabat Cicero, cum dicebat, se in foro regnare, id est, principem locum inter Oratores obtinere.

Peccatum originis vere tolli Baptismo, nobisque amplius non dominari, contra Lutheranos.
Rom.5.
Quibus gratiæ Dei abundãtia denegetur.
1.Ioan.1.
Peccatum vitari à nobis omnino non potest, vinci tamen Dei gratia potest.
Verbo regnãdi quid Paulus significet.
1.Cor.4.
Cic.l.7.epi. 2.initio.

Et ait: *In vestro mortali corpore*, designans locum, in quo malum hoc domicilium habet: de quo Apostolus, *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum*. Et subiungit modum regnandi, cum ait: *Vt obediatis concupiscentijs eius*, per consensum mentis credendo nutibus, & motibus concupiscẽtiæ, secundum illud beati Apostoli Iacobi: *Vnusquisque tentatur à propria concupiscentia abstractus, & illectus*. Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Et licet quocunq; absoluto consensu migremus in regnum peccati: tamen non imperat nobis peccantibus ex ignorãtia, & subreptione, aut repentino aliquo casu, quia tunc quasi per insidias occupamur à peccato, vel si quando quoquo pacto repugnantes vincimur. Sed tunc tantum ingredimur in regnum peccati, quando subiecti in desiderio carnis sponte imus post concupiscentias nostras. Et pronomen Eius referendum est ad corpus: quia Græce Genitiuus αὐτῦ non potest referri ad ἁμαρτίαν fœminini generis, sed vocẽ σώματος. In illis tamen corporis concupiscentijs includuntur etiam illę spiritus, vt superbiæ, inuidiæ, hæresis, &c. quamuis & hæ opera carnis dicantur ad Gal.5. Non ergo regnet peccatum in vobis, qui adhuc mortale corpus geritis, quod ex peccato Adę morti est subiectum, ac peccabile per fomitem; ac proinde ad secundam mortem propensum. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam. Et pulcre hoc loco annotauit Chrysostomus: *Adam quidem mortale nondum corpus habens, cecidit: tu vero licet acceperis, quod morti sit obnoxium, coronari tamen poteris*. Hæc ille.

Vbi regnet peccatũ in homine.
Rom.7.
Quomodo regnet
Iacob.1.
Quando vel peccãtibus nobis minime illud regnet.
In nobis quando incipiat regnare peccatum.
Eccl.18.
Quænam sint concupiscentiæ spiritus.
Gal.5.
Gene 3.
Rom 8.
Mortale cur corpus nostrum.
Chry.ser.10 Gene.3.

Expediendum est iam secundum dubiũ, an hic fomes veram habeat rationem peccati, an non. Et breuiter quidem, atque Catholice asserendum est, proprie & vere peccatum non esse. Primo, quia nihil veræ culpæ imputabilis rationem habet, quod non est voluntariũ, & non possit euitari: adhæc concupiscentia nec volũtaria est, nec vitari potest; quomodo igitur peccatum erit? Quod si dicas: Fuit voluntaria voluntate Adæ, Respondeo, renatos non esse in Adam, sed in Christo, iuxta illud: *Quicunque baptizati estis, Christum induistis*. Deinde cõmunis est omnium cõceptio, omnia peccata Baptismo penitus tolli, iuxta illud; *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*: &, *Confiteor*

Ad 2 quęst. An fomes sit vere peccatum.
I.Ratio quod non sit.
Soluitur illud Concupiscentia in nobis voluntaria est voluntate Adæ.
Gal.3.
II.Ratio.
Ezech.37.

vnum

vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Iniuria ergo esset Baptismi, si hoc nōdum abstulisset. Tertio. gratiæ, & beneficio Christi multum derogaretur alias: quia maior gratia est, quę non imputat peccatum, & ipsum etiam tollit, quam quæ solum imputat, & non tollit. Quarto, Apostolus ad Roman. 5. opponit delicto Adæ Christi donū, quod omnino excedit vim delicti: at quomodo id contingeret, nisi omnino delictum absorberetur per donum? Quinto, fatuum est ponere peccatum in carne, siue in sensu, nullo voluntatis, & rationis adiecto consensu: quia in cunctis inueniretur peccatū. Et si per carnem intelligunt totum hominem; responderi posset, quod qui natus est ex spiritu, spiritus est, & non caro. Sexto, quicquid coinquinat hominem, peccatum est, & nihil coinquinat, vt Dominus ait, nisi quod exit de corde: non ergo concupiscentia in renatis peccatum est, quia neque actus est, nec inter ea inuenitur quæ exeūt de corde. Septimo, quocunq; nobis ex Dei prouidentia, & pacto inest, vocare peccatum, impium est: at in renatis concupiscētia ista relinquitur ordinatione Dei, & pacto nobiscum inito, ad certamen, & meritum, vt ait Beatus Augustinus libro secundo de peccat. merit. & remis. cap. 4. quare impium erit putare, esse proprie peccatum. Postremo, si fomes peccatum est, & pueri in Christo renati peccatores dicuntur, profecto defuncti infantes statim in cœlum nō euolarent, vt communis Fides habet, & Christus esset peccati minister, contra Paulum, ad Gal. 2.

(Margin: Ratio. — IV. Rom. 5. — V. — Iacob. 3. — VI. — Matth. 15. — VII. Cur adhuc fomitē habeamus. — Aug l. 2. de pec. mer. & remis. c. 3. in pr. & sæpe alibi. 10. 7. — VIII. — Gal. 2.)

Sed obiiciunt hæretici multa. Primum, quia Apostolus fomitem vocat peccatum capite præsenti, & sequenti. Sed si stricte dicatur peccatum fomes, ita vt proprie sit, & vere peccatum, euinceretur, Christum Dominum verum esse peccatum, & maledictū, quia sic illum Apostolus vocat, & sacrificia ab Spiritu sancto improprie peccata vocantur, iuxta illud: *Sacerdotes peccata populi mei comedent.*

(Margin: Hæreticorum in cōtrarium argumēta proponuntur, atque soluuntur. I. Argum. Rom. 8. 2. Cor. 5. Galat. 3. Osea 4.)

Porro dicitur fomes peccatum, quia à peccato descendit: sicut sermo dicitur lingua, quia à lingua formatur. Vnde quis dicitur doctus in lingua Hebræa, Græca, & Latina; & Scriptura dicitur manus, quia manu scribitur. Quod si obiicias, huius peccati alias esse pœnas dicendas peccata; Respōdeo, dici etiam fomitem peccatum alia ratione: nam ille stimulat ad peccatum, quia in eo est radix passionum. Quod si arguas, præter hæc duo, alia ratione dici peccatum ab Augustino, qui libro in Iulianum habet: *Concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Respondemus, ibi Augustinum improprie vocare peccatum, sicut & ipse aliis in locis sæpe declarat. Impossibile est enim, sub ratione peccati contineri concupiscentiam, nisi æquiuoce, & secundum analogiam, cum non sit actus, sed potius habitus, & mala quædam dispositio. Porro actus, & habitus sub diuersis generibus ponuntur: vnde non possunt vniuoce, & sub vna ratione comprehendi. Et dixi, concupiscentiam causam esse, secundum analogiam quandam, vt ipse declarauit: quemadmodum sanum proprie dicitur de animali, analogice de cibo, vel de medicina, quia sanitatem efficiunt: de colore vero, & vrina, dicimus esse sana, quatenus sanitatis symbolum sunt. Quod si contendas, Augustinum proprie accepisse concupiscentiam esse peccatum, protinus inferebant Pelagiani, quod Baptismo non concederetur omnimoda peccatorum indulgentia, sed magis radi peccata Baptismo, non tolli: quod ille tanquam falsum, & Pelagianum impugnat libro primo contra secundas epistolas Pelagianorum, cap. 13. vbi expresse negat, proprie esse peccatum.

(Margin: Cur fomes dicitur peccatum. Aug. l. 3. de liber. arbit. c. 19. 10 1. circa fin. — Alia ratio. — Aug. li. 5. in Iulia. c. 3. nō procul à pr. 10. eod. — Gal. 5. Fomitem Augustin. cur dixerit esse peccatum. — Concupiscentia causa peccati ab eodem cur dicta. — Concupiscentia Augustino si vere & proprie peccatum esset, quid inde. — Idem to eo.)

Secundo instant hæretici: Quodcunque nos Deus iubet odio habere, peccatum est: sed iubet odio habere istā concupiscētiam, &c. Sed hoc argumento similiter probatur, quod anima, & pater, & mater, & filius peccata essent, quod odio haberi iubeantur in Euangelio. Sed re vera no iubemur odio proprie habere carnem, vel animam, nisi quatenus illa Deo præferimus, aut à bono opere impediunt.

(Margin: II. Argum. — Luc. 14. — Ibidem.)

Tertio: Omnes tenentur dicere: *Dimitte nobis debita nostra*, ob concupiscentiam istam; ergo peccatum est, etiamsi nulla sint peccata actualia. Respondeo, aliter docere Augustinum libro primo contra secundas epistolas Pelagianorum, capit. 13 videl. non dici, *Dimitte nobis debita nostra*, ob concupiscentiam, sed ob consensum mentis. Hæc sunt eius verba: Non propter ipsam (scilicet concupiscētiam) cuius iam reatus lauacro regenerationis assumptus est, dicūt in oratione baptizati: *Dimitte nobis debita nostra*, & cætera; sed propter peccata quæ fiūt, siue in eius consensionib. cum ab eo quodlibet vincitur, quod placet, siue cum per ignorātiam malum quasi bonum placet. Et alibi: *Si desideriis concupiscentiæ carnis illicita voluntatis inclinatione consensimus, ad hoc sanandum dicimus: Dimitte nobis debita nostra.*

(Margin: III. Argu. — B. August. — Cur illud dicere iubeamur: Dimitte nobis debita nostra. Matt. 6. — Idem l. 2. de pec. mer. & remis. ca. 3. sub fin.)

IV. Argu.

Quarto: Concupiscentia malum est, ergo peccatum. Sed malum est pœnæ, non culpæ. Et multæ aliæ pœnæ remanent post baptismum in baptizato, vt docet sæpe Augustinus: & libro secundo de peccat. merit. & remiss. aperte renatos liberos ait, non tamen ab omni malo, ob concupiscentiæ huius inobedientiam.

V. Argum. — Sap. 2. Quæ tantum oderit contraria Deus. Infra 14. Fructus concupiscentiæ quid sint propriè. Mala voluntas sola radix peccati est.

Quinto, diligit spiritum Deus, ergo odit carnem, quia sunt contraria. Quod argumentum si quicquam valeret, posset inferri; Deus diligit ignem, ergo odit aquam, quia sibi inuicem aduersantur. Sed de Deo scriptum est: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Non enim odit Deus aliquid contrarium, nisi quod est contrarium sibi, vt peccator, & peccatum. Neque valet: Odit fructus concupiscentiæ, qui sunt peccata, ergo ipsam concupiscentiam. Respondeo enim: Fructus concupiscentiæ non sunt peccata, sed illecebræ potius & incitamenta peccati, quæ Deus ordinauit, vt per illa exerceremur. Primi ergo motus non sunt odibiles. Radix autem vera peccati mala voluntas est, quæ carni assentitur: & hæc displicet Deo: at hæc in renatis non est, nisi ipsi sponte sibi faciant eam.

VI Argu. — Iac. 1. Quomodo Deus intentator malorum sit. 2. Cor. 12.

Sexto, Concupiscentia hæc non est à Deo, quia stimulat ad peccatum: Deus autem intentator malorum est. Respondetur, quod Deus est intentator vere malorum: ipse siquidem non intendit vt vere peccatum: & concupiscentia ista à Deo est, quia à natura carnis oritur, quæ à Deo est nobis relicta, non vt stimulati ab ea peccemus, sed vt resistamus, & resistentes coronemur. Vnde non magis est hæc peccatum, quam stimulus carnis datus Paulo, vt in humilitate seruaretur.

VII. Argu. — Phil. 2. 2. Cor. 5. Magna Dei sapientia in renatis fomitem, atque concupiscentiam remanere. Reliquiæ fomitis illæ quantũ probent.

Septimo, quærens, cur non restituit nobis Deus iustitiam originalem per Christum, & sine isto defectu? Respondemus. Quare Deus misit Filiũ suum in forma serui? nonne aliqua deordinatio est, eum, qui non nouerat peccatum, sed sui natura impollutus erat, & verus Deus, sicillum mittere exinanitum, & peccatum fecisse.

Dicent illi: Hæc deordinatio placuit Deo pro tempore ad reordinandum inordinata propter peccatum, ita dicemus, Deum hanc deordinationem nobis reliquisse in hoc tempore, ad restituendum ordinem post peccatum, ad humiliandum hominem, & præbendum materiam cogitandi, quod si nos Christum deordinauimus, nil mirum, si & nos ad tempus sustineamus huiusmodi deordinationem, non ad peccata, nec pœnas peccati sublati, sed ad exercitium, & meritum.

VIII. Arg. — Exod. 20. Rom. 7. Falsum esse, præceptum non concupiscendi impleri à nobis non posse. B. August. Idem cap. vlt. to. 2. circa fin. Pars hominis superior soli præcepti capax est, non inferior. Eccl. 18.

Octauo, per hanc concupiscentiam fit, vt non possimus implere præceptum illud legis: *Non concupisces*; ergo erit peccatum. Sed profecto iniuria Deo irrogaretur, si quis dicat, illum nobis impossibilia præcepisse. Quod ergo præcepit nobis Deus, ne concupiscamus, possumus recte non concupiscere: quod si non possumus non concupiscere, vt aliquando Augustinus dixit, non est præceptum in lege gratiæ non concupiscere: contra quod tamen ipse Augustinus scribit libro de spiritu, & litera. At certe inopinabile videtur, quod Deus in lege sua præcipiat carni, ne concupiscat, quia præceptum sit homini secundum partem superiorem præcepti capacem, non autem carni legis incapaci: nam & ipsa raro habet potius (vt sic loquar) contrarium Dei præceptum, videlicet, vt concupiscat: etsi non propriè dicatur præceptum, nisi illud tantum, quod spectat ad partem rationalem. Ideo idem est homini dicere, Ne consentias, neque ambules secundum tuas concupiscentias.

IX. Argu. — Adam, & in Christo renati quatenus impeccabiles. Dei solius proprium est, non posse peccare.

Nono, Si Deus nihil odit in renatis, ergo sunt impeccabiles. Sed negatur consequentia: quia in Adam ante peccatum nil odio dignum erat, & tamen impeccabilis non erat, nisi quatenus poterat non peccare: sicut renati possunt Dei gratia non peccare. Non igitur valet, Hoc est peccabile, ergo odio dignum: nam esse peccabile, est proprium creaturæ, quæ vt talis non est odio digna. Et solus Deus natura est impeccabilis, vere talis ex seipso.

X. Argu. — Baptizatus cur carne seruire dicatur legi peccati. Gal. 5. Rom. 7.

Decimo, Apostolus ait: *Mente seruio legi, carne autem lege peccati*: ergo caro odiosa est. Respondeo, Homo renatus dicitur carne seruire legi peccati, quia habet carnem pronam ad terram, & ad vitia; mente vero legi Dei, quia habet mentem erectam ad cœlum, & virtutes: vt si declinet à mente, & ambulet secundum carnem, morte moriatur: si autem secundum spiritum, maxime viuat. Quod si caro pugnet aduersus spiritũ, & ratio ipsa renitatur eius motibus, potest homo se excusare, dicendo; *iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

XI. Argu. — 1. Cor. 15. Quid caro illa, & sanguis quæ regnum Dei non possidebũt vt ait Apostolus. Deó carnẽ nostrã ma-

Vndecimo arguunt ex Apostolo: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Sed nomine carnis, & sanguinis intelliguntur peccatores. Caro autem intrabit in regnum Dei: quæ etsi hic displicet propter inordinationem concupiscentiæ, placet tamen propter agonem, & in cœlo placebit propter triumphum. Nam quæ decent in vno statu, dedecent in alio: & quæ decent in militia, in triumpho non decerent: & quæ decent in nocte, non decent in die. Si autem

caro

nime displicere quæ comprobent. 1.Cor.7. *Matth.* 10.

caro nostra displiceret Deo, cur sanctorum reliquias veneramur, si caro esse sancta non potest? Cur ait Paulus: Mulier innupta, & virgo cogitat ea, quæ Domini sunt; vt sit sancta corpore, & spiritu. Et Christus: Vestri capilli capiti, omnes numerati sunt.

Dicent, quod loquuntur de carne viua, non mortua. Quasi Deus minus diligat carnem viri sancti viuam, quam mortuam, & factam puluerem, & cadauer.

XII. Argu. *Rom* 8.

Duodecimo, Apostolus ait: *Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta; nec enim potest.* Sed perpende, quod prudentia peccati, non caro, ideo inimica, quæ includit mentem. Nam ob id præcessit; *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt,* id est, probant, & amplectuntur.

Sapientia carnis inimica cur Deo.

XIII. Arg.

Decimotertio instant: In Baptismo homo, non perfecte renouatur, neque totus homo, id est, secundum spiritum, & secundum carnem, sed adoptatur tantum secundum spiritum. Respondemus, quod hæc renouatio non est continuo perfecta, non quod totus homo non innouetur, & adoptetur, & fiat noua creatura secundum mentem, & carnem, quia ipse asserit, se totum hominem sanasse, sed non in totum, & ad perfectum: non tamen propterea sequitur, esse peccatum istam concupiscentiam, sed solum non esse hominem perfectum, & adiacere illi malum in parte carnis. Quemadmodum enim à puero non exigitur vt sit vir, sed hoc tantum, si non curet effici vir: ita homo nouus in iustitia iam rectus est, & sine peccato, nō tamen iam perfectus, iuxta illud; *Qui iustus est, iustificetur adhuc*: quod si negligat, sine peccato non erit. Quare ridiculum est dicere, quod homo adoptatur secundum spiritum, non secūdum carnem, quia adoptio suppositi est: & spiritus, vel caro nō adoptatur, sed totus homo, & quælibet pars diligitur à Deo, quatenus suæ dilectionis capax est. Et quod dicitur à Domino, Filii huius seculi nubunt, & traduntur ad nuptias, etiam ad renatos attinet, vt iidem sint filii Dei, & filii huius seculi. Sed hoc intelligitur respectu adoptionis futuræ in regeneratione perfecta, quando redēptionem corporis nostri obtinebimus. Itaque comparatione perfectæ huius adoptionis in alio seculo, nunc fiunt huius seculi possumus dici, & præsertim in opere carnalis generationis, de quo Dominus ibi eleganter ait: *Illi vero, qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores: neque vltra mori poterunt, æquales enim Angelis sunt; & filij sunt Dei cum sint filij resurrectionis.* Vides igitur, quod respectu illius adoptionis futuræ hæc spiritualis generatio non reputatur, quasi non censeantur filii resurrectionis, etsi tales filii tenebrarum, aut filii Adam peccatoris dici non possint. Et cum loquimur de ista concupiscentia, non est sermo de illa spirituali, de qua Propheta: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas*: neque de illa naturali cibi, & potus, quæ fuit in Adam antè peccatum: sed de illa carnis inordinata concupiscentia, quæ ad peccatum impellit, quam renatum habere, conditio est noui pacti in Christo ad exercitium; at nondum renatum peccatum est illam habere, propter culpæ reatum necdum ablatum; sicut & carere iustitia originali, vt superius, cum de originali peccato tractaremus, late expositum est. Et de his hactenus: nam reliqua, quæ proposita sunt, sequenti disputatione expedientur.

Hominis renatio in Baptismo qualis habeatur. *Ioan.* 7.

Perfectam in renatis innouationē requirere quid sit.

Apoc. vlt.

Quid propriè adoptetur tantummodo

Luc. 20.

Illud: Filii huius seculi nubunt, & traduntur ad nuptias, in renatis quomodo verum sit. *Rom* 8. *Luc.* 20.

Qualis præsens sit præfectura, adoptio filiorum Dei.

Quotuplex præsens sit cōcupiscētia, & de qua hoc loco sit sermo. *Psal* 118.

Quibus concupiscentia ad peccatum imputetur, & quibus non imputetur. *Lib* 2. *Disput.*

DISPVTATIO IV.

In eadem verba proposita.

ADiungit Apostolus: *Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes; & membra vestra, arma iustitiæ Deo.* Quibus in verbis ad vehementiam exhortationis propositæ accessionem facit: regnū enim peccati in interna voluntatis assensione constituitur, sed per membra humana tanquam verbis, & operibus foras proditur. Vbi igitur adhortatus est, ne regno peccati assensum præbeamus internum; iā commonefacit, ne membra nostra illi mācipemus, quæ fiant arma iniquitatis. Vbi egregie docet, non modo iniquitatem armatam à nobis esse propulsatam, verumetiam, quod cum ipsa nihil in nos possit, nos ipsam contra nosmetipsos obarmamus, neque aliis armis, quam nostris ipsorum membris, quibus nos Deus ad naturales vsus ad gloriam suam exornauit. Et quanquam Græce ὅπλα, & Latine arma, pro instrumentis quibusuis accipiātur: melius tamen hoc loco seruiret metaphoræ tyrannorum, qui suos habent satellites, & apparitores. Ita enim habetur in Genesi: *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia.* ¶Possunt tamen hæc ad membra externa, & corporea extendi, vt aures caueant, ab scurrilibus audiendis; oculi auertantur, ne videant vanitatem; manus contineantur, ne rapiant: pedes, ne currant ad effundendum sanguinem; lingua, ne loquatur dolū; fel, vt iracundia careat cor, ne cupiditatibus, & prauis desideriis æstuet. ¶Possunt

Vbi regnū peccati positum sit.

I. sensus.

Genes. 49.

II.

Psal 118.

Psal. 33.

[Tertius sensus.]

etiam extendi membra ad Passiones, quas Græci πάθη vocant, ad animæ facultates, & vires, quibus velut per organa peccata perpetrantur, consentiendo videlicet, & operando. Nam portio superior solet indulgere carnis affectibus, & voluptatibus, quasi blandiculæ vxori, vel pellici.

[Quid nos doceat armorum metaphora. Ephes. 6.]

Admonet igitur nos vxor amorum, perpetui belli, quod contra spirituales potestates gerimus: & ostendit, diabolum non nisi nostris armis expugnari. Et hæc sunt arma illa, de quibus apud Ezechielem dicitur; *Descenderunt ad inferos cum armis suis.* Quod si ciuis hostem patriæ vel armis instruat, vel intra mœnia recipiat proditor reipublicæ iure pronunciatur: quanto magis qui se ipsum hostem Dei admittit, vt inde Deum expellat, quomodo non teterrimæ proditionis reus erit?

[Ezech. 32. Hostes reipubl. & proditores, qui.]

[Quid sit, exhibere membra nostra.]

Est autem exhibere, vel accommodare, non magna vi nobis illata nostra membra sponte præbere, & dedere ¶ *Sed exhibete vos,* inquit, *Deo, tanquam ex mortuis viuentes.* Quemadmodum prius de peccato duo dixerat: primum, ne præberemus ei regnum per assensum; deinde, ne illi membra porrigeremus ad malum: ita etiam de Deo, quem opponit peccato, duo, admonet. Primum, *Exhibete vos Deo,* per consensum, tradentes illi voluntatem, quæ inter animæ virtutes regina est: deinde, vt foris etiam membra in obsequium instituæ Deo, à quo vno ex nihilo conditi, & à peccato reformati sumus eius vera mancipia. Ideo ait: *Tanquam ex mortuis viuentes, sicut Christus:* hoc est, Sic decet eos, qui ex mortuis sunt suscitati ad vitam. Et significat magnam alacritatem: quemadmodum illi, qui ex carcere liberantur, non lento gressu procedunt. Subdit: *Et membra vestra, arma iustitiæ Deo.* De his armis Apostolus alibi non semel meminit. Nam capit. 13. inferius ait; *Induamur arma lucis;* & Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei:* & explicat, *Loricam iustitiæ, & galeam spei, & scutum fidei.* Et pondera verbum: *Exhibete,* h c & superius; vt plane perspicias liberi arbitrii nostri facultatem. Et ait in Datiuo, *Deo:* quia vti membris nostris ipsi militamus, siue quod ipsa membra administremus, quibus pro nobis pugnet. Armat enim nos, virtutes infundendo, & ad earum exercitium impellendo. Quodammodo etiam nos ipsos vicissim armamus in nostram salutem, dum libere fruimur eisdem virtutibus, quibus nos ipse vt milites suos in pugnam deducit; quos postea vincentes in gloria sua coronat. ¶ *Peccatum enim in vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Ne quisquam causari posset,

[Quomodo exhibeamus nos Deo.]

[1. Cor. 16. Quomodo etiam tanquam ex mortuis viuentes. Rom. 13.]

[Ephes. 6.]

[Liberum hominis arbitrium à Paulo insinuatum.]

[Cur exhibenda membra nostra, arma iustitiæ Deo.]

[Armet nos Deus quo modo, & nos ipsos armemus. Adj. dubiu. Quomodo verum]

acerrimam esse carnis pugnam, ac viribus nostris impossibilem; præoccupat, ac repellit illud; asserens, post gratiam Baptismi, vbi peccatum crucifixum, mortuum & sepultum est, peccatum valdum non esse ad dominandum renatis. Dixit enim de statu innocentiæ verba faciens Ecclesiasticus: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui:* & post peccatum dictum est Cain: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius;* & Dauid: *Dirige meos gressus secundum eloquium tuum & non dominetur mei omnis iniustitia,* id est, nulla iniustitia: Dominus etiam. *Si vos,* inquit, *Filius liberauerit, vere liberi eritis;* & Paulus, *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Ex quibus testimonijs euincitur, peccatum nullum in nobis habere dominium, nisi nos ipsi sponte cedamus illi, & nos in potestatem eius dedamus.

[sit, peccatum in baptizatis non dominari: quia non sunt sub lege, sed gratia, cum secus appareat.]

[Eccl. 15. Gen. 4. Infra 4. Psal. 118.]

[Ioan. 8. 1. Cor. 10.]

Et recte ait: *In vobis non dominabitur;* qui scilicet exhibetis vos Deo, & membra vestra, arma iustitiæ. Non dominabitur, inquam, licet sit, & oppugnet, & bellum moueat. ¶ *Non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Proponendi sunt huius sententiæ plures sensus, & verus, & germanus cæteris præferendus. Primum igitur Lutherani quidam intelligunt, Christianos per Christum renatos non esse sub lege, sed sub gratia: quia quamuis legem non impleant, non potest tamen lex eos condemnare, quia gratia eos liberat, vt peccatum habentes, eis non imputetur. Sed si hoc verum esset, profecto nullus baptizatorum periret & Paulus frustra timeret reprobus effici, cum nõ posset dubitari de salute sua, neque Christus Apostolis præciperet, vt baptizatis traderent præcepta seruanda: & illorum transgressores punirent Matth. 28. Apostolus ait; *Neque fures, neque auari, neque ebriosi, &c regnum Dei possidebunt:* & Christus ipse non venit sine lege Dei, & mandato. Deinde non apparet, de qua lege sit hoc loco sermo, an de omni lege in genere, & ita falsum esset, quod Christianus non sit sub lege, cum ad vtramque tabulam seruandam Dei præcepto arctetur; an vero de lege Moysi. Et ita Pauli argumentum verum esse non videtur, quia multi olim fuerunt sub lege, in quos non est dominatum peccatum: è contrario vero multi sunt modo in Euangelio, quibus suo ipsorum vitio peccatum dominatur.

[Quid significet: Non enim sub lege estis, sed sub gratia. I. sensus hæreticorum.]

[Impugnatur.]

[1. Cor. 9.]

[Matt. vlt.]

[Supra 25. 1. Cor. 6. Ioan. 12 & Infra 14. Alter sensus.]

[Exod. 20.]

Origenes de lege membrorum, hoc est, de peccato, interpretatur illud, Esse sub lege. Sed certe legis voce absolute sumpta non solet illa venire, nisi quippiam adijciatur, ex quo illud posset intelligi: at hæc de

[III. sensus, parum idoneus. Orig. hoc loco, to. 2.]

ceremo-

ceremoniis accipi commode non poſſunt, aut de politicis legibus hominum.

IV. ſenſus.

Quare dicendum, quod loquitur de omni Lege, etiam morali, quæ eſt ſine gratia, & quæ opponitur gratiæ: & ita eſſe ſub Lege, idem eſſet quod iacere inimicitia Dei ſine vlla gratia: quemadmodum eſſe in gratia, eſt eſſe in Dei amicitia. Et ad hoc videtur inclinare Ambroſius, dicens, Iis dominari peccatum qui peccant: quia qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, & neceſſe eſt quod ſit ſub Lege, quamdiu remiſſa nō accipit. Peccatum enim autoritate Legis reū facit peccatorem; ac per hoc cui data remiſſio eſt, & cuſtodit ſe ne de cætero peccet, neque peccatum dominabitur, neque ſub Lege eſt. Ceſſat enim circa eum autoritas Legis, qui liberatus eſt à peccato. Hæc Ambroſius egregie.

B. Ambroſ. tom. 5.
Ioan. 8.

Huic quid obiici valeat.

Sed videri poſſet, quod Apoſtolus non tam perſonas perſonis, quam ſtatum ſtatui, & tempus tempori contra ponit. Loquitur enim non tantum illis, qui tunc erant in gratia, ſed vniuerſis qui tunc gratiam Baptiſmi acceperant, quâ excuſſerant Legis iugum. Eſt ergo Pauli ſermo de Lege Moyſi; & eſſe ſub illa Lege, eſt teneri ad eius obſeruantiam, etſi Christus qui minime tenebatur, ſponte factus ſit ſub Lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret. Idcirco nos ſub illa Lege non ſumus, quia etſi teneamur ad Decalogum, non tamen ob poteſtatem illius Legis Moſaicæ, vt Capite ſequenti docet. Quod ergo ait, Sub gratia, non intelligit eo pacto quo ſinguli iuſti ſunt in gratia, ſed eo modo quo Legem Euangelicam, vocamus Legem gratiæ. Cum igitur illo ſeculo Christus nondum autor gratiæ veniſſet, aut pretium ſalutis perſoluiſſet, nec fores cœli pateſcerent, nec fides illius populi tam eſſet aperta, & Legis illius Sacramenta efficacia non eſſent ad conferendum fauorem, aut gratiam qua Legem præſtarent; aut eius mandata, quæ & numero, & pondere ſuo grauia erant: vnde & à Petro dicitur Iugum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus; neceſſario in eo ſtatu dominabitur peccatum, imo augebatur: nec Lex illa dicebatur gratia, ſicut nec Lex naturæ, quæ illam præceſſit. At Lex noſtra, Lex gratiæ vocatur, quia ab ipſo autore gratiæ lata eſt, & redemptionis ſuæ ſanguine rubricata, & Deum nobis reconciliatum docet; apertior fides docens diuinum fauorem inuocare; adhibita Sacramenta gratiæ in ſubſidium Legis præſtandæ; deniq; Lex, cuius tempore Christus eſt operatus myſterium gratiæ, & ſeras regni cœlorum aperuit. Hinc Ioannes dixit: *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Sic Patres hunc locum abſoluunt: Chryſoſtomus enim ait: *Nos non legem habemus, quæ tantummodo præcipiat, ſed gratiam, quæ præterquam quod priora dimittit, ad futura quoque cauenda munitae.* Auguſtinus vero libro de Natura, & Gratia, expendens illud ad Galat. 5. *Quod ſi Spiritu ducimini; non eſtis ſub Lege,* inquit: *Sub Lege eſt, qui timore ſupplicij quod Lex minatur, no amore iuſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi: in ipſa enim voluntate reus eſt, quâ mallet ſi fieri poſſet, non eſſe quod timeat, vt libere faciat quod occulte deſiderat. Ergo ſi Spiritu, inquit, ducimini, non adhuc eſtis ſub Lege. v- tiq; Lege, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem, quæ charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per Legis literam, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Addo Oecumenium qui habet: *Sub Lege erant qui ipſius dominium ſuſtinebant tempore Legis: quæ denuntiabat quidem peccati actionem, no tamen addebat vires, vt illud vincerent, ac ſuperarẽt. Nos vero ſub gratia ſumus, quæ non ſolum illa ſuadet ac ſtatuit quæ oportet, ſed & vires addit, & ad illorum actionem auxilio eſt: nec id tantum, ſed & perpetrata a nobis antea peccata delet. Quod eſt autem peccatum quod non dominabitur, illud videlicet quod præceſſit baptiſma, & a Christi gratia deletur. Hoc autem Lex facere non potuit. Nō ergò eſtis, inquit, ſub Lege, quæ liberare non poterat, ſed pœnas magis inferebat.* Hęc ille ſatis eleganter. Eodem modo interpretatur Theophylactus.

V. ſenſus proprius ac germanus.

Chriſtus cur factus ſub lege teſte Paulo. Gal. 4.
Chriſtiani quatenus ſub Lege ſint decem mandatorum Dei.

Qua ratione Paulus dicat renatos eſſe ſub gratia.

Sub Lege exiſtentiū quā miſera conditio. Act. 15.

Lex Euangelica cur Lex gratiæ nuncupetur.

Ioann. 1.

Chryſoſt. circa med. to. 4. moi.
Aug lib. de Natura & Grat. c. 57. to. 7. circa med.
Gal. 5.
Quid eſſe ſub lege ſecundum Auguſt. & Patres.
Rom. 5.
Oecumen. cap. 8.
Quid eſſe ſub gratia.
Theophylact.

Gratia igitur non tantum ſignificat gratuitum Dei amorem erga nos, vel gratiam Spiritus ſancti infuſam in cordibus noſtris ſed ipſam Legem Euangelicam, quæ talem gratiam præſtat, & quæ facit, vt ſuperata concupiſcentia peccati, voluntas amore iuſtitiæ Legi ſubiiciatur, illam diligat, & ſpōte amplectatur, ac dicat cum Dauide: *Legem pone mihi Domine, viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper;* & ruſius: *Pax multa diligentibus Legem tuam, & non eſt illis ſcandalū.* Quod ſi qui olim iuſti fuerunt, ad hanc Legem ſpectabant, ſicut qui ſuo vitio tempore gratiæ ad terrena tantum & bona temporalia ſpectantes operantur, ad Legem Moyſi pertinere cenſendi ſunt.

Gratia denotat triaa.
Iuſti olim ſub noua lege fuerunt, qui contra modo ſint ſub lege veter.
Pſal. 118.
Ibidem.

Et de his Hactenus.

DISPVTATIO V.

In illa verba: *Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub Lege, sed sub Lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? &c.* in finem vsque Capitis.

I. dubium.

PRimum ambigitur in hac verborum serie, quorsum hanc interrogationem repetat Apostolus, quam à principio Capitis proposuerat? Solet autem repetitio eiusdē quæstionis & solutionis molesta esse, ac sine fructu. Deinde dubitatur, quid sit illud: *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ.* Solet enim multis modis accipi. Tertio, quomodo dicantur liberati à peccato, & simul serui facti iustitiæ? repugnat enim libertati omnis seruitus. Quarto, qua ratione stipendium peccati sit mors, gratia autem Dei vita æterna: non enim videntur apte illa duo membra opponi, quia vt peccato debita est mors, ita gratiæ Dei debetur vita æterna: maxime cum merita per gratiā collata debitam sibi reddant vitam æternam, tanquam coronam iustitiæ, vt dixit Apostolus.

II. — III. — IV. — 2.Tim.4.

Solutio I. quæstionis.

Ad primum dicimus, quod vt supra ex illa sententia: Vbi abundauit delictum superabundauit & gratia, propositam pseudoapostolorum obiectionem, dicentium manendum esse in peccato vt gratia abundaret, resoluit: ita hoc loco ex eo quod dixerat peccatum nobis non dominaturum, eo quod non sumus sub Lege, dicere potuissent carnales, Apostolum facere copiā explendæ carnis cupiditatis: quia vbi nō est Lex, nec præuaricatio.

Quænam ratio Apostoli sit huius repetitæ quæstionis: Quid ergo? Rom 5. Infra 6. Supra 4.

Et aduerte, impios Libertinos, & Danidistas, & nonnullos ex Lutheranis Carpocratianorum successores, eandem nobis obiicere solitos sententiam; declarantes, illud, Sub lege non esse, idem significare quod suo arbitrio viuere, & quiduis quod libeat, audere. Sub gratia vero esse, tantundêm significare, ac non posse damnari quos secuti sunt Begardi in Clementina. Ad nostram, de hæreticis qui asserebant, nos per gratiam in eum perfectionis gradum assurgere, vt vllo legis vinculo non teneamur.

Quorundam hæreticorum huius sententiæ: Non enim sub lege estis, sed sub gratia, peruersa intelligentia. Begardorum error.

More autem suo propositam quæstioné dissoluit, dicendo: *Absit*: quasi diceret. Non est existimādum baptizatos, ita esse liberatos, vt nulla deinceps lege teneantur: quinimo per ipsum baptismum quo exuimus veterem hominem, & vitam nouam induim' legi quoq; nouæ addicimur. Vt enim olim de circumcisione ait Apostolus: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ Legis faciendæ.* Ita ait modo: *An nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam?* Probat, Christianos nō esse omni lege solutos, hoc modo: Quicunque se ad obediendum exhibuit, siue iustitiæ, siue peccato, seruus est eius, cui obedit; at Christiani seruos se exhibent ad obediendum Euangelicæ iustitiæ; ergo & eius serui existunt. Maiorem probat propositionem per interrogationē, vt oratio sit vehementior: An nescitis, inquit, quod in maiori sitis obligatione serui iustitiæ, cui vos in baptismo exhibuistis, quam peccati fueritis sub lege antiqua? quia peccatum per tyrannidem homini qui ratione viget, dominatur, iustitia vero legitimo iure?

Ephes 4. Gal.3. Infra 5.

Qua ratione Paulus Christianos ostendat aliqua lege teneri.

Proponit igitur duos Reges, peccatum, & obeditionem diuinæ legis: opponit & duos fines, peccati in mortem, & obedientiæ ad iustitiam.

Obiicies; Melius opposuisset iniustitiæ inobedientiam, & obedientiæ iustitiam; vel peccati ad mortem, & iustitiæ ad vitam, vt fecit cap.5. vt singula singulis redderet. Sed Paulus magis circa rerum, quam circa verborum seriem solicitus fuit. Dixit enim: *Peccati ad mortem*, quia superius dixit: *Vt sicut regnauit peccatum in mortem, &c.* Dixit: *Obeditionis ad iustitiam*: nam obedientia opponitur transgressioni peccati, vt finem proximum obedientiæ exprimeret, qui est exercitium in operibus iustis, per quod progreditur ad vitam æternam. Et sic superius dixit: Ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.

I. Ratio, cur Paulus peccatum morti opposuerit & obeditionē iustitiæ.

Rom 5.

Possumus etiam aliter dicere: Ideo opponit peccatum inobedientiæ; quia omne peccatum inobedientia est: morti vero iustitiam ex aduerso ponit, id est, iustificationem, quia de morte animæ est sermo, cui recta opponitur vita iusti. Minorem propositionem subsumit: *Gratias autem Deo quod fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eā formam doctrinæ in qua traditi estis.* Hoc est: Qui se deuouit iustitiæ, adstrictus est illi vt seruus domino: quod ne quisquam sibi arrogaret, sed vt Deo acceptum referret, subdit: *Gratias ago Deo, quod cum serui essetis, &c.* sicut in principio epistolæ dixit: *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra, &c.* Nā etsi Græce in singulari dicatur, Χάρις τῷ Θεῷ, scil. sit; interpres tamen per Accusandi casum vertit scilicet

Altera ratio

Idem seruitutem iustitiæ vt innuat esse donū Dei.

Sap.1.

Deo gratias Christianorum vsitata hęc formula precandi.

Agimus:

Agimus: qui modus loquendi Christianis consuetus erat, & in Diuinis officiis solid sumus dicere, Deo gratias. De quo verbo August. in epistol. ad Aurelium: *Quid melius* inquit, *& animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quam, Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri latius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.* Hæc ille ita plerunque solet vertere interpres, vt 1. Corin. 15. & 2. Corin. 2. *Deo autem gratias*, inquit, *qui semper triumphat nos in Christo Iesu.* Gentiles vero, Est Diis gratia. Nos vero, vni soli Deo & propter distinctionem Personarum in plurali dicimus, Deo gratias. Et gratiarum actio non ferri debet in proximā clausulam, nimirum, Quód fuistis serui peccati, sed in sequentem, Quod in vllam gratiā, & iustitiam fuerint per Diuinam misericordiam translati. Et cumulatur ratio gratias agendi, quod peccato abdicati adoptati sunt in filios Dei. Addit: *Ex corde*; quia non timore pœnæ à peccato foris abstinuerunt, sed cor intrinsecus auellendo à peccato, & Deo sponte coniungendo. Et subdit: *In eam formam doctrinæ, in quam traditi estis.* Quod non satis accurate vertit Erasmus, dicendo: *In quam traducti estis*: quia παραδίδοται, non significat traducere, sed, tradere.

Peius vero Faber, & Castellio dixerunt: *Quæ vobis tradita est*: quia hoc lōge diuersum est cum Græce legamus εἰς ὃν παρεδόθητε quæ emphasim suam habet. Est enim Euangelica doctrina typi cuiusdam instar, cui veluti innitimur, & conformamur, vt alibi dixit; *Nos vero omnes reuelata facie, gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* Theophylactus vero interpretatur; A Deo producti estis, vt scilicet iusti habeamini, & induamini iuxta formam doctrinæ quæ principatum, & dominium habet in homines eám profitentes. Fuit enim hic typus doctrinæ Christus Dominus, qui dixit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*; & : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Et huius maioris, & minoris conclusionem subiungit, dicendo: *Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Verbum, Iustitiæ, Dandi casus est, & significat: Emancipati facti estis à peccato, & mancipati facti estis iustitiæ. Simul etiam rationem reddit cur egerit Deo gratias: quia istud, quod liberati estis à peccato, & serui facti iustitiæ, nō vos estis, qui fecistis, sed Deus, qui tanto vos dono affecit. ¶ Nemo igitur sibi somniet legem baptizatum non ligare, vt olim in pestilenti libro de Libertate Christiana scripsit Lutherus per solam fidem hominem

Aug. ep. 77. init. to. 2.

1. Cor. 15. 2. Cor. 2.

Est Diis gratia: consueta ethnicorum precatio.

Eius verbi Deo gratias, duo inclusa mysteria.

Obedire ex corde quid.

Eius sententiæ: In eam formam doctrinæ in quam traditi estis duplex interpretatio reiicitur.

Qualis Euangelica doctrina.

2. Cor 3.

Theophyl. hoc loco.

Forma doctrinæ in quam fideles Romani traditi erant quæ mystice.

Ioan. 13. Matt. 17.

Hoc loco Apostolus egit gratias de Romanis Deo ageret.

Sola Christianos peccati seruitute liberatos contra Lu-

ab omni lege solui; quod olim Iouinianus sensit, cum diceret neminem post Baptismum peccare posse: vt docet Augustinus libro de hæresibus. Nam cum peccatum nihil sit aliud, quam Legis transgressio: vbi non est Lex, nec præuaricatio, nec peccatū. Et tamen Christus factus est sub Lege & mādatum habuit, & dedit nobis: sicut Adam in statu Innocentiæ Lege non caruit; & vt ait Apostolus, circumcisio nihil est, & præputium nihil est; sed obseruatio mandatorum Dei.

Erasmus vertit: Manumissi à peccato: quod nequaquā quadrat, quia proprie manumittit, qui libere, & sponte seruum à debito seruitutis absoluit, manu emittendo, vt moris est. At hic verbum est ἐλευθερωθέντες, quod est liberare, seu in libertatem asserere nō tātum sponte, sed etiam violenter. Sicut Deus liberauit filios Israel de Aegypto, reclamante Pharaone, & persequentibus Aegyptiis: ita nos seruos à peccato liberauit, reclamante diabolo.

Sequitur: *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ.* Exaggeratio est, & amplificatio præsentis beneficii, & exhortationis, ne exhibeant membra iniquitatis peccato, sed arma potius iustitiæ Deo.

Ac primo quidem præmittit excusationem, quæ plurimum habet acrimoniæ, & ponderis ad commouendos animos: quasi diceret: Non audeo vobis pro rei dignitate significare, quanta cura ac diligentia deberetis exhibere membra vestra Deo. Id ergo: Humanum dico, sic quidam interpretantur: hoc est, Libenter me vestro captui ac commodo, cum de rebus cœlestibus edisse ro. Et similitudines istas seruitutis, & libertatis, ex mutuis hominum commerciis assumo, quo melius mea dicta percipiatis. Sed profecto hoc non tam ad rem dictum esse videtur, saltem hoc loco.

Alii vero explanant in alium modum, nimirum; In hac exhortatione demisse loquor, vt hominibus, & me imbecillitati carnis vestræ, & fragilitati accommodo ad id, quod portare potestis; id est, Non ago summo iure vobiscum: nec extremum requiro: aliquid plus dicendum erat. Quid enim nō debemus Christo pro nobis passo? sed spectans ad infirmitatem vestram, hortor tantum, vt saltem quantum peccato seruistis, eandem operam & iustitiæ præstetis, etsi possem exigere cum Propheta Baruch; Sicut fuit sensus vester vt erraretis à Deo; decies tantum iterum conuertētes requiretis eum. Hieronymus epistola ad Algasiam, hoc dicendi genus, ex more, & idiomate Cilicum ait esse vsurpatum. Et Augustinus

therum et iusque sectatores.

August. ca. 82. to. 6. in princ.

Peccatum quid

Gal. 4. Ioan. 12. Infra 14. Gen. 2. 1. Cor. 7.

Erasmi versio: Manumissi à peccato, reiicitur.

Exod. 14.

Quam potens Christianorum à peccati seruitute Diuina liberatio.

Præoccupationis vtilitas.

Ad II. dub. Quid significet: Humanum dico, propter infirmitatē carnis vestræ.

I. sensus, sed improprius.

Alter sens non ineptus.

Baruch. 4.

B. Hier. ep. 1. q. 10. sub init. to. 3.

August. ep. 144. parum à med. to. 2.

Quantum quisque peccatum oderit, teste August.

epistola ad Anastasium: *Tantum porro quisque peccatum odit, quantum iustitiam diligit quod non poterit Lege terrente per literam, sed spiritu sanante per gratiam. Et his verbis propositu subdit: Quid enim est sicut illud, ita & hoc nisi, Quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, sed ipsius libido, voluptasque peccati, sic vos ad iuste viuendum non vos supplicij metus vrgeat, sed ducat delectatio, charitasque iustitiæ? Et hæc quidem, quantum mihi videtur, nondum est perfecta, sed quodammodo adulta iustitia. Neque enim frustra permitteret, Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ, nisi quia plus aliquid dicendũ fuit, si iam illi ferre potuissent. Plus quippe seruitutis debetur iustitiæ quam peccato solent homines exhibere* Hæc ille, quibus quædam alia egregie adiungit.

III. sensus & ipse probabilis.

Tertio, à quibusdam hoc interpretatur, dicentibus, Apostolum noluisse hæc in eorum proprium vituperium obiectare; & ideo rem humanam vocauit: non quin sit in se turpis, sed quod communis ex naturæ vitio, & omni homini contingit. Nam si cui non contigit, supra hominem, & ex gratia fuit: quod autem hominis est, non videtur adeo fore culpabile. Idcirco excusationem habet hæc seruitus propter ægrotationem carnis vestræ (sic enim habet litera Græca) quæ voluntatem trahit in obsequium suũ. Ita Terentianus ille dicebat: *Homo sum, humani nihil à me alienum puto.*

Quid proprium imbecillitatis humanæ.

Terentius.

Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem Exhibere, est operam suam alicui addicere: vt agricola campo, vinitor vineæ, artifex addictus opificio. Et ait: iniquitati ad iniquitatem quasi diceret, à concepta, & interna iniquitate ad externam exercendam; vel ab actu iniustitiæ ad habitum comparandum. Et ita dicendum de exhibendis membris iustitiæ ad sanctificationem, id est, ad habitum charitatis comparandum, & augendum: quæ nos ad Dei visionem perducunt.

Exhibere quid.

Quid seruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatẽ.

Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ Iustitiæ, Dandi casus est, & explicat adhuc comparationem allatam, discernendo inter tria, seruitutem peccati, & seruitutem iustitiæ; inter fructum peccati, & fructum iustitiæ, & inter fines vtriusque. Est autem Prosperi sententia: quod vt nemo potest duobus dominis seruire, ita nec esse potest absque domino: nec libertas esse potest respectu vnius, quin sit seruitus respectu alterius Ideo ait: *Cum serui essetis peccati, liber fuistis iustitiæ.* Et respondet præcedenti verbo *Liberati autẽ à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Et idioma Domini est, iniquos appellare seruos peccati: quia qui facit peccatum, seruus est peccati. Quod idioma Apostoli post ea celebrarunt in odium Gentium, qui pro libertate ducebant animo obsequi suo, & illius inseruire cupiditatibus, & definiebant libertatem esse, viuere vt quisque vellet.

Membra nostra, vt seruiant iustitiæ in sanctificationem.

Prosper.

Matt. 6. Vnde colligi valeat, absque domino esse neminem posse.

Ioan. 8.

Apostoli illud Christi de impiis: Qui facit peccatum, seruus est peccati, cur Gentibus obiectarent.

Actus igitur peccati, qui in macula, & reatu remanet, & in fomitis dominatu, ita, vt nequeat homo suis viribus illum à se excutere, potestatem habet iterum trahendi, in peccatum: nec possumus ei reniti, saltem Christiane. Primo, quia decipit visio pro oculi qualitate, sicut radius Solis pro vitri colore. Deinde, quia continuo allicit ad peccatum. Tertio, quia vim habet cogendi, dum amore affligit sentientem. Quarto, quia repente, & subito adoritur hominem. Postremo, quia nati in peccati Adæ seruitute, iure etiam belli capti sumus: quia à quo quis superatus est, eius seruus efficitur. Adde, quod iure emptionis nostri non sumus qui sponte in Adam, pro pomo nos ipsos vendidimus.

Peccatum cur nobis dominetur. I. ratio. II. III. IV. V.

2. Pet. 2. Sexta & vltima.

¶ *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est.* Vides hic peccati fructum, & finem. Et fructus seruituti peccati, confusio est, & pudor, qui non est nisi de re turpi nec est aliud turpe quam peccatum. Adde quod hic fructus non est, nisi per Antiphrasin à contrario sensu. Et vtitur interrogatione familiari sibi, & fructum tacere se simulat, licet illa interrogatione insinuet responsum negatiuum: nullus est enim peccati fructus, nisi ille, quem in verbo erubescendi designat. Erubescentia enim omne peccatum consequitur, vt patet in prima Adæ, & Euæ præuaricatione, qui præ pudore ad folia ficus confugerunt; & Dauid: *Erubescant impij, & deducantur in infernum.* Et delectatio quidem peccati flos est tamdiu durans, quamdiu actus peccati permanet. Fructus vero tempore status peccati, gratiæ Dei priuatio, & dolor conscientiæ pungentis est. In statu vero gratiæ, fructus peccati est pœnitentia, pudor, & confessio. Gellius libro decimosexto Noctium Atticarum, cap. 1. ex Græcorum prouerbio producit illud: *Si per laborem honesti quippiam egeris; labor abit, honestum manet. Si per voluptatem turpe feceris quippiam; quod suaue est, abit; quod turpe est, manet.*

1 Cor 6.

Gen 3. Fructus peccati quis.

Improprie fructum appellari, vnde constet.

Gen. 3.

Ps 30. Ille quamdiu duret.

Quem fructum habeant perseuerantes, in peccato quem vero iam ab illo per gratiã liberati.

Gell. ex Musonio Philosopho.

Perpende etiam illa duo, *Tunc, & Nunc.* Tunc quidem, id est, tempore tenebrarum peccati; nunc vero, tempus lucis gratiæ denotat. ¶ *Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam.* Quemadmodũ superius seruituti peccati assignauit fructum erubescentiam, & finẽ mortẽ; ita nunc seruituti iustitiæ fructum statuit

Pulchre dictum.

Aduerbiũ. Tunc vetus Testamenti, Nũc vero nouum statũ designat in Paulo.

sancti-

sanctificationem, finem vero vitam æternam. Nihil autem in hac clausula difficultatis video, nisi quod docte singula singulis opponit.

Ad III. dubium. Libertas à peccato vt stet cum seruitute iustitiæ. Duplex libertas.

Illud magnopere expendendum, quod libertatem à peccato coniungit cum seruitute Dei, siue iustitiæ. Est autem libertas in Deo omnimoda ab omni subiectione liberatio, quia nullum habet superiorem, & cuius sola voluntas est omnis Lex. In creaturis vero libertas Christiana, est liberatio à seruitute inhonesta, & turpi, Deo se, & Legi eius subiiciendo: quæ quidem nobilis est quia cũ Deo eximitur, cuius est cõsors) ab omni seruitute peccati, ac fomitis, vt pœna est, & deniq; ab illa Dei, qua Dominus noster est nobis infensus, & peccatorum vindex, vt habetur Ieremiæ 31. Hæc autem Euangelica libertas est charitas, qua anima Deo subdita propriam possidet voluntatem, & intellectum, credendo, & alias potentias organicas, maxime Irascentem, & Concupiscentem: qua denique charitate omnibus propter Deum se subdit: quia, vbi vnum propter aliud, ibi tantum est vnum. *Cum essem*, inquit, *liber ex omnibus, omnium seruum me feci*. Porro hæc libertas Euangelica, quę summum bonum nostrum est, fundamentum habet in libero arbitrio, per quod à brutis differimus, & à coactione liberamur. Est etiam fundamentum libertatis à miseria, qua qui premitur, minime liber est. Concludit Apostolus: *Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Quis de morte, & vita videri posset æqua ratione loentus; hoc animaduertens, subiungit, non prorsus eadem ratione iniquos sibi mortem consciscere, vt comparent sibi vitam æternam. Est enim stipendium peccati mors. Id est, serui peccati proprio marte stipendium faciunt mortis. Et fingit eos veluti militantes sub vexillis peccati, qui suis propriis cupiditatibus, quæ veri sunt morbi, & ægritudines, conquirunt sibi mortis mercedem. Et hoc, quia superius fecit mentionem regni, & armorum, vt ait Chrysostomus Qui vero per gratiam Dei iustitiæ sunt milites per extrema opera fidem ferrantes & cursum consummantes, ut erentur quidẽ æternæ vitæ coronam; ita tamen, vt: d non debeant ad proprias vires referre, sed ad diuinam gratiam, per quam in acie deelarauerunt. & vicerunt. Verbum, Stipendia, quod Græce dicitur: ὀψώνια, Erasmus, & Oecolampadius non satis proprie, auctoritamenta vetterunt; cum tamen auctoritamẽtum sit illud, quod penditur, vt quis se militiæ adscribat, & obliget. Sic Cicero dixit,

Ierem. 31. Quid liber tas Euangelica.

Axioma Dialecticorum.

1. Cor. 9. Illa libertas in dubius consistit.

Ad IV. dubium.

Quid significet: Stipẽdia peccati mors.

Veri morbi, & ægritudines quænam.

Chrysost. 12. sub init. to. 4. in prin cip. 2. Tim 4. Contra illam Erasmi & Oecolampadii versionem: Auctoritamenta peccati, mors. Quid sit auctoritamentum.

seruis ipsam mercedem esse seruitutis auctoritamentum, quoniam spe mercedis ob ligant se ad seruiendum. Et Seneca dixit: *Nullum sine auctoritamento malum est*: quia omne peccatum pollicetur aliquid. Nam vt subdit: *Auaritia pecuniam promittit. Luxuria multas, ac varias voluptates, ambitio purpuram & plausum, & ex hoc potentiam, & quicquid potentia potest.* Et ita mors non potest dici auctoritamentum: nemo enim peccat, vt adipiscatur mortem: cõtra vero peccatum dici potest authoritamentum mortis. Sæpe tamen interpretes illam vocem obsonii per stipendium vertit, vt Luc. 3. & 1. Cor. 9. Milites siquidem olim alliciebantur cibariis, & donatiuis. Et Gregor. Naz. ad Iulianũ obsonia declarat, esse regium commeatum, & dona quæ ex lege magistratibus tribuebantur. Erat autem viuissima merces: tantum enim pro victu militabant, & erant obsonia loco stipendii: Hinc Tertul. libr. De carnis resurrectione legit: *Stipendia enim delinquentia mors, donatiuum autem Dei vita æterna.* Porro donatiuum, donum est, quod ab Imperatore militibus donatur.

Tull. offic. à med. Senec. li 9. ep. 70

Quam vero tum illud Senecæ, Nullum sine auctoritamento malum est.

Peccati au ctoritamẽtum cur mors dici nequeat.

Gregor. Nazianz. Obsonia quid propie.

Optime vero dixit, Peccati obsonium esse mortem; vt insinuet nobis peccatores leuissimo emolumento impelli ad malum; vt Esau, qui pro lenticula vendidit primogenita sua; & Adam suam, & nostram dignitatẽ vendidit, & Iudas mercede terreni lucri in buccella intincta designata, se perdidit: quam proiiciens, & desperans, commutauit cum suspendio.

Gen. 25. Heb. 12. Ioan 13.

Gratiæ vero tribuitur vita æterna, quia sine gratia Dei comparari nullo pacto potest. Quæ vita æterna etsi reuera merces sit operariorum, & corona iustitiæ, & corona vitæ repromissa, brauium, depositum, & μισθαποδοσία, & dicatur reddi secundum opera, & retribui secundum laborem, & repẽdi laborantibus, vt denarius in vinea: dicitur tamen hoc loco donum, siue χάρισμα, quia, vt Augustinus ait epistola ad Sixtum, & libro de libero arbitrio, rependitur operibus nostris, aut meritis. Sed bona opera aut merita non sunt, nisi ex gratia, & dono Dei. Docte etiam Chrysostomus hoc considerauit: *Non dicit*, inquit, *Merces benefactorum vestrarum, vita æterna, sed, Donum Dei, vita æterna; vt ostenderet, quod non ex propriis viribus, virtutibusque liberati sint; neque debitum, aut mercedem aut laborum sit retributio, sed omnia illa ex diuino munere gratuito acceperint.* Quod ergo dicitur: *Cum coronat Deus merita nostra; non coronat, nisi dona sua*: non intelligas pura dona, vt sunt habitus fidei, spei, & charitatis, quos Deus infundit; sed dona vocat opera bona, quæ nos Deo compatante

Matt. 27. Gratiæ Dei stipendiũ cur sit vita æterna. Supra 20. 2 Tim 4. Apoc. 2. & Iacob. 1. 1. Cor. 9.

Aug ep. 105 to. 2.

Idem l. de libero arbi. à c. 6. ad 11. vsque to. 1. longe à medio Chrysost. loco prædicto. Aug. in Ps. 93. circa medium & in Ps. 102. parum remote à princ. to. 8.

persi-

Prosper l.2. de voca. Gent.c.2. à med.to.2.operum Ambrosii sub init.

perficimus. Hinc prosper lib. De vocatione Gentium: *Datur vnicuique sine merito vnde tendat ad meritum, & datur ante vllum laborem, vnde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem.* Hæc ille eleganter satis.

1.Cor.3. Cur merito gratia non repugnet. *Rom.5. Infra 11.*

Quamuis autem meritum pugnet cum Dei gratia, vt c.4. ad Rom. & cap. 12. illa velut contraria opponit: non tamen opponitur merito, quod ortum habet ex gratia. Idcirco, iustificatio quidem dicitur semper donum, & gratia respectu nostri (etsi respectu Christi sit iustitia) gloria vero cœlestis interdum dicitur gratia, & donum, vt hoc loco. Tum quia in immensum excedit valorem operum, si secundum suam substantiã considerentur. Tum deinde, quia meritis tribuitur, quæ ex gratia proficiscuntur. Interdum vero appellatur merces, corona stipendium, & præmium, Ita vt Augustin. docte concedat, quod si Apostolus dixisset vitam æternam stipendium iustitiæ, non errasset, quanquam, vt diximus illis operibus tribuatur, quæ à Dei gratiã virtutem habent iuxta illum versiculum:

Eadem quib. aliis nominib exprimatur interdũ *August.*

Eam phrasim Vita æterna stipẽdium iustitiæ, admittit Augst.

Quicquid habes meriti, præueniens gratia donat.
Nil Deus in nobis præter sua dona coronat.

DISPVTATIO VI.

In illa verba, ca. 7. *An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quamdiu viuit? Nam quæ sub viro est mulier viuente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri:*

Huius capitis obscuritas.

Difficile Admodum, & perobscurum omnibus visum fuit, hoc Paul. caput septimum, quod varias & diuersas expositiones suscipere potest. Danda tamen opera est, vt nodi pro nostra tenuitate dissoluãtur, & imperuia aperiantur, & obscura quoad eius fieri poterit, illustrentur. Primum

I. dubitatio

igitur dubium est, quo tendat Apostolus hac similitudine, & quomodo cum præcedentibus coniungatur. Deinde cum ait, legem dominari homini quanto tempore

II.

viuit, ad quam legem aspexit Apostolus: an ad moralem quam Romani nouerant, an ad veterem legem Moysi illis ignotam? Tertio quomodo dicat Apostolus viuente viro, mulierem esse alligatam legi viri, cum & in veteri lege repudiata vxore liceret alteram ducere, & in noua coniux innocens possit alteri debitum denegare ob eius vitium, id est, propter adulterium. Quarto,

III.

cum Dauid, & alii iusti viuere lege in alium virum, id est Christum crediderint, & per eum iustificari desiderauerint, quomodo non sint cum adulteris computãdi, quia fuerunt cum alio viro viuente priori? IV.

Ad 1.quæst. de Pauli scopo.

Prima interrogatio facile absoluitur, si dicamus, quod cum hactenus Apostolus ostenderit renatos à futuro peccato liberatos per Christi gratiam, iam docet quomodo per eandem gratiam à lege Moysis soluti simus. Erat siquidem inter alios multos Iudæorum errores vnus hic præcipuus, quod lex Moysis à Deo data in perpetuum esset duratura, & per Euangelicam legem nequaquam antiquanda. ¶ Cohærent vero hæc cum his, quæ proxime dixit præcedenti capite; *Peccatum vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Et quia sermonem interpellauit propter nouã illam quæstionem: *Quid ergo? Manebimus in peccato, quia non sumus sub lege?* nunc reuertitur ad priorem illam de lege tractationem soluendam, & explicandam. Et ostendendo quidem Christianum non esse sub lege, consequenter indicauit non esse sub peccato dominante, sed mortuum peccato, & legi, quandoquidem lex peccatum alit. ¶ Tria autem in hoc capite præstat. Primum, renatos baptismo mortuos cum Christo absolui à lege Mosis: atque hoc pulchro quodam, & apposito exemplo ex matrimonio petito. Nam absoluitur mulier à lege, qua est subdita viro suo si contingat virum mori: quia tunc libere potest cum alio esse, & nubere. Secundo diluit obiectionem; ne quis propterea colligeret, malam fuisse, & iniustam, eiusmodi legem. Tertio, probat, legem fuisse bonam, ab eo loco; Itaque lex quidem sancta, & mãdatum sanctum, & iustum, & bonum.

Lex Moysi æterna secundum Iudæos

Ratio connexionis.

Rom.6.

Ibid 1.

Capitis diuisio trimẽbris.

Nouæ legis inducẽdæ, & veteris abrogãdæ ratio à Paulo tradita.

Quo igitur sequentia faciliorem, & illustriorem percipiant interpretationem, perspice, Apostolum contendere, vt probet statum eius, qui est sub gratia, nouum esse, & diuersum ab eo statu, qui dicitur sub lege; & alia huic statui, quam alteri conuenire, vt non miremur, si qua facta sit de lege mutatio. Ponit vero quempiam sub dominatu legis esse, quando ille est eius præuaricator. Et hoc necessario est obseruandum: fere enim semper sic est accipiendũ (nisi de Christo dicitur, quod sua sponte factus est sub lege) nam opus tunc erat, vel erumpere cõtra legẽ, vel solis minis, & terroribus in officio contineri; quod nõ est implere legem, quæ ex Dei amore dilectionẽ præcipit. Nã qui timore pœnæ à malo abstinet, seruiliter operatur, & nõ secundum virtutẽ. Esse vero sub gratia, nihil est aliud, quam liberatũ esse à peccato per legem charitatis internam, &

Sub dominatu legis esse, quid.

Quid esse sub gratia.

sic ha-

Rom. 3. Vtrúque statum, Mo. saic. & E. uangelic. affirmemus vnde.

sic habere facultatem seruiendi Deo. In primum statum ventum est per lege u, quo agnoscitur peccatum, sed non sanatur volútas; quæ ob hoc peccatum catens fræno institiæ non potest libere seruire Deo. In secundum statum ingressi sumus per Christú in quo sanatur volun as, & libenter se exercet in operibus iustitiæ. Et ita dicimus esse in Christo nouo homine, sicut de priori statu, dicimus esse in Adam veteri: vt quandiu peccatum in homine dominetur, tamdiu lex eiusmodi homini data dominatur. Cú vero seruus peccati per nouum hominem à tali seruitu e liberatur, Ita vt lex illi vlterius nisi propria culpa non dominetur, hoc per Indutum hominem nouum fit. Nam quodcunque erat legis ad seruitutem, vel addo minatum pertinens, extinctum est, hoc est, impotent a 'eruandi eam, & odium legis.

Duo per nouum legis abíata veteris legis incómoda.

Ad quod probádum assumit, hoc per se notum ex lege: quod lex tam diu dominatur, quanto tempore viuit homo, cui dominatur: nulla enim est in mortuum dominatio. Et hominis appellatione in Scripturis venire plerunque solet is, qui seruus est peccati, & qui citra vl am repugnantiam mouetur ad omnem nutum concupiscentiæ, cum sit carnalis, & caro: cui merito data est lex iubés ei contraria, id est sancta, & spiritualia, quæ nó potest perficere, vt sic dominetur ei lex. At si talis homo legis præuaricator, aut fernilite operans mortuus fuerit, nó amplius peccato viuens, sed ab illo liberatus, confestim e iam liberatur à legis iugo, & dominatu. Moritur autem vita veteris hominis cú quis Christo renascitur, vt iam ei placeant, quæ sunt legis bona, & spiritualia. Hæc sunt quæ cupit non ignorari ab his, qui cognitio nem legis profitentur. Ait ergo: *An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor.* Nam turpe est ignorare ius, in quo quis versatur. Vnde Dom. dixit ad Nicodemum; *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Quia solemne est Apostolo per figuram erotematis decompertis finis loqui. Et videtur in his primis verbis quædam implicatio: quomodo enim ignorant, si sciunt, aut quomodo sciunt, si ignorant? Sed sane scientes, vocat eos, qui se scire profitebantur, & non desinunt esse nescientes legis, qui aliquid legis ne sciút. Et sæpe est scientia in principiis, & in vniuersali, nó autê in particulari, & in conclusionibus, quæ ex illis deducútur. Quasi diceret Apostolus; Si nódú intelligitis Christianos peccare non debere, id ostédá per ré vobis notissimam. Et legis sciétiam illis tribuédo; beneuolos redd. t in re d fficillima, & odiosa: quia credere non poterant alteri legi locú esse post Mosaicam, in qua gloriabantur.

Propter carnem homo legem accepit.

Frequens Paulo erotematis figura. Ioan. 3.

Iudæi quo modo dicú tur scire legem, quá ignorant.

Rom. 2.

Sed iam secundum occurrit dubium, de qua lege hoc loco sit sermo, an de naturæ lege, & ciuilibus, quæ ex ea constant: & hanc sententiam sequitur Ambrosius, quod magna pars in Eccles. Romana Gentiles essent & Mosaicam ignorarent; legem autem naturæ nouerant. an vero de lege Moysis. quá sententiam eo nomine alii præferunt, quod illam antiquorum esse vult demonstrare: id quod & ipsa parenthesis docet, quæ non omnibus, sed certis hominibus, scientibus scilicet, quadrare videtur. Denotat etiam, Christianos in lege fuisse excitatos, vel saltem naturam legis non ignorasse, & quantum illa obstringat. Nam quamdiu lex durat in sui vigore, vim habet obligandi. Vnde & legem à ligando dictam volunt, iuxta illud.

Solut Secú dæ quæst. De qua lege homini quamdiu viuit domi natur hoc loco sit ser. I. sensus. B. Ambr. hoc loco to. 5. Alter.

Nec verba minacia collo

Aere ligabantur.

Legis deno minatio.

Ouid. l. 1. Metamor.

Nam ex Iudæis conuersi ad Christum multi erant Romæ, cum quibus peculiariter ré habebat Apostolus. Et ideo teste Origene, vocauit eos fratres in agnitione legis. Lex etiam matrimonii non erat Gentibus perinde cognita atque Iudæ s. Illud vero: *Quanto tempore viuit*, quod Græce dicitur. ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ, id est quandiu viuit, & subauditur, dum est homo, testibus Chrysostomo & Augustino, Origen. & Ambrosius interpretantur, quanto tempore viuit lex. Sed prior præstat intelligentia, quia etiam præcesserat, in homine dominatur. Et verbum κυριεύει quod interpres vertit, dominatur, significat ius, & autoritatem habere obligandi.

Romanos nonne Paulus vocat fratres nominet. Orig. hoc loco to. 2.

Ambr. ibid to. 1. August.

¶ *Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri.* Vbi circa literam primum perpende, Græce significanter dic: ὕπανδρος, & significari viro obnoxiam, & subditam, iuxta illud; Sub viri potestate eris. Et hæc vi é te viro alligata est legi cóiugii: quæ lex dicitur viri quia per eam subest viro: quod Græca eleganter exprimunt τῷ ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ, id est, viuenti viro alligata est legi Ex quo etiam illud patet, quod superius dixi, viuit, referendum esse ad hominem, nó ad legem. opponit enim Apostolus, Alligari legi viri mulierem viuente viro, & solutá lege viri mortuo viro.

Ambros.

Gen. 3.

Lex viri cur sic dicta.

Quod si obicias, Quomodo verum est, quod mulier sit alligata viro secundum legem, quádiu viuit vir eius, cum in lege esset facultas repudiandi? & præterea mulier à lege viri liberatur, si vir commiserit adulterium; saltê non tenetur viro circa deb. tum coniugii. Dicendum est, Apostolú hic considerasse id, quod est ex natura ipsa coniugii & quod etiá erat generali regula traditú, &

Solutio tertiæ dubitationis.

Matth. 5.

præce-

præceptum, non autem exceptiones, siue dispensationes, quas olim, siue modo hæc lex habuerit. Nuptiæ siquidem sunt bona mortalium ad perpetuandam speciem: & ideo in resurrectione, neque nubent, neque nubentur: & vtrius coniugum præmoriatur alter sit lege matrimonii liber, vt possit ad noua vota, si velit, transire. Quod vsq; adeo verum est, vt si defunctus aliquis, vt Lazarus, miraculo postea suscitatus viueret, vidua, quæ prius erat eius vxor, prioris matrimonii vinculo non adstringitur. Quod verò legitur ad Heb. 11. Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos, non intelligas viros, quasi resumat eos ad instaurandum matrimonium, sed quod Prophetarum miraculo matres susceperint mortuos filios, vt legimus, de Helia, & Heliseo. Sensus igitur huius similitudinis apertus est, quod mulier subdita est legi viri dum viuit ille, ita vt vocetur (desit, vt alibi fa. e) adultera, si alteri copuletur. Eo vero mortuo, libera est, & potest nubere cui vult.

Finis nuptiarum.

Luc 20.

Ioan. 11.

3. Reg 17.
4 Reg. 4.

Vocari pro esse, more scripturæ.

Superest hanc similitudinem ita veritati applicare, vt recte cohæreat, & qui sit vir, quæ mulier, & quæ lex viri; quis item fructus ex illis matrimonii s oriatur, explicare: nam alteri Patres, aliter vero Heretici hoc in loco differunt. Origenes siquidem cum Ambrosio, & Chrysostomo, virum priorem, quo mortuo libera est vxor, interpretantur veterem legem, vxorem vero Iudæam, à qua per baptismum soluitur, & iungitur nouo vero Christo. Sed profecto tunc non quadraret similitudo per omnia. Dixit enim Apostolus, per mortem viri liberari mulierem à lege matrimonii: in applicatione vero contrarium fit, quia homo moritur per baptismum, lex vetus non moritur. Vnde subdit: *Et vos mortificati estis legi per corpus Christi.* Origenes autem tradit, mortuam legem antiquam nobis per baptismum; mortuam, inquam, quod attinet ad sensum literalē. Ambrosius vero (quod in idem recidit) mortuam docet, quantum ad iudicia, & ceremonias. Quod etsi verum sit, Paulus tamen nihil hic de morte legis, sed de cessatione legis per mortem spiritualem hominis. Ideireo Chrysostomus putat argumentum esse à minori ad maius, nempe: Si mulier defuncto viro soluta est à lege matrimonii, pari, aut maiori ratione soluitur per sua n ipsius mortem, quā mulier te præsentat in Baptismo.

I. sensus allatæ similitudinis.

Orig to. 2.
Ambr to 5.
Chrys. ser. 12.

Quid ineō modi habeat.

Orig.

Ambros.

At vero August. libro. Octoginta trium quæst. qu. 66. & in expositione epist. ad Roman. propositione 36. aliter hanc similitudinem explicat, docens: in ea obseruanda esse quatuor, nimirum, virpriot, mulier, lex viri, vir nouus, & secundus cum lege noua. Ita etiam quatuor in applicatione terminanda sunt, nimirum, peccatum, vel passiones peccatorum, quæ sunt prior vir, vetus homo, siue fomes, qui est mulier; lex Moysis, quæ est lex viri; nouus vir, & secundus est Christus; ex quo vt legitimo viro despōso optimo, & pulchros bonorum operum partus anima producit; sicut ex veteri homine monstrosos partus, & opera carnis proferebat.

Alter sensus.
B. Aug. to. 4. paulo ante med.

Idem ibid. circa fin.

Deinde annotat Augustinus, differentiam esse inter similitudinem & rem propositam: quod in similitudine vir dicitur mori quo mortuo fit mulieri libertas nubendi: in re proposita, homo, seu anima describitur moriens, introducitur peccatum mori, vel vetus homo; vt explicat Apostolus hominis viuentis sub gratia statum. Qui enim per gratiam Christi est regeneratus, mortuus est pecca o, viuit tamen in eo fomes, siue peccatum, & manet nibus in eo illecebris, & desideriis ad peccandum, quibus tamen constituti in gratia, non obediunt. Moneretur autem hic vetus homo, cum reformatio corporum facta fuerit in resurrectione.

Dicta similitudo, & res propositæ, vt differant secundum Augustinum.

Rom 8.

Tertio, perpende in hac conclusione, peccatum, vel veterem hominem virum ge rere mariti, non quod proprie sit maritus homo vetus, cuius lege sit obligata anima; magis enim est adulter, quam vir. Dicitur tamen vir, propter tyrannidem, qua subdit sibi hominem. Sed profecto, si verum amamus hæc explicatio non tam apta est, neq; per omnia respondet similitudo rei ipsi propositæ. Dicam igitur quid mihi alius, & simplicius mihi videtur, eo posito, quod vnua & idem homo secundum varios status, aut legis, aut gratiæ est alius atque alius, id est, vetus in Adam, nouus in Christo: mortuus per concupiscentiam carnis, viuus per calorem spiritus, & charitatis. Diuidit etiam Apostolus hominem in interiorem secundū partem superiorem mentis, quæ vocatur vir; & in exteriorem secundum partem inferiorem, id est carnem, & sensum, quem vocat mulierem. Ille ergo vir interior legem habebat, quæ subigebat mulierem, id est carnem; at hæc lex erat Mosis, qui terrore, & minis sensus omnes, & carnis motus cōprimebat. Sed mortuus vir ille, qui vetus erat, & factus nouus est in Baptismo Christo; à quo nouam legem accepit, cui mulier illa, id est caro, quæ propter remanentem fomitem non est adhuc mortua, & vir eius, copulari iam potest, & subdita fieri viro nouo; ac per hoc seruare legem noui viri

Vetus homo cur vir nomen habeat.

Duplex homo, interior, & exterior, secundum Apostolum.

Interioris hominis prior vir, & posterior quis.

Quęnam ratio. egit.

per quem donatur gratia Dei. Lex siquidem illa est, quæ conuenit ei vt honeste se habeat. Et vt in priori statu erat lex Moysi quæ imperabat carni contraria; ita in posteriori statu suscipit legem posterioris viri, id est, alteri viro conuenientem: ita vt inueniatur prius nouus homo mortificatur legi, & eius dominatui. Inuenitur ergo mulier liber à primo viro defuncto, & consequẽter ab eius lege: & inuenitur copula alteri viro, qui est homo interior, cuius vita est Christus: & inuenitur subiecta legi noui viri, cui non dominatur lex, vt dominabatur priori viro. Hoc vero, quod mulier liberetur à prioris viri lege, non potest dici factũ cum adulterio, cum sit mortuus vir ille prior.

Quando primum illa posteriori viro, id est interiori coniuncta fuerit, & quidem legitime.

Quod si non videatur recte hoc priori dicto coaptari, in quo à morte eius, cui dominatur lex, arguitur, & concluditur extinctio dominationis: in exemplo vero proposito è contrario à morte viri, qui dominatur mulieri, concluditur liberatio mulieris à lege eius: si tamen recte inspiciatur in idem recidit: & solum quiddam adiicitur, quod nõdum erat superius declaratum. Erat enim ibi consideratus homo secũdum partem superiorem, quæ moritur, & nunc hic additur mulier, id est caro, quę non moritur, vt seruiat Deo per baptismum, sed viuit. Vnde videbatur saltem quantum ad mulierem, legem illam antiquam debere adhuc viuere. Sed veritas ita non habet, quia mulier per ipsum verum recipit legem. Et ita si vir mortuus est, cõsequenter & legi est mortuus, ita vt dominatum non habeat in virum mortuum, ac proinde nec in eius mulierem, quæ mortuo viro nouam legem accipit: quo mortuo libera facta est à lege viri. Et quoniam legitime coniuncta est alteri viro, sine vllo adulterio alterius viri legem suscipere debet: quæ lex nouo viro non dominatur, qui nolens ipsi se legi subiecit. Est enim lex spiritus vitæ, lex amoris, & perfectæ libertatis. Vnde ipse potius per illam legẽ dominatur vxori, id est, carni, vt par & æquum est, non autem vxor viro, vt in priori statu dominatur.

Tertiæ huius applicationis incommodũ quod præ se ferre videtur, adimitur.

Rom. 8. Iacob 1.

Porro filii prioris coniugii peccata erãt, & transgressiones legis ad explendam carnis cupiditatem. Secundi vero matrimonii fructus, officia sunt virtutum, obedientia diuinæ legis, & dilectio, qua erigitur, & adoptatur spiritus. Hæretici autem verbis nobiscum conuenientes, in sensu dissentiunt. Aiunt enim, credentes mortificatos esse legi, quod attinet ad cõdemnationem, & maledictionem; & per Christi gratiam legem esse abolitam, quantum ad ius, & potestatem condemnandi. Et intelligunt, legem non habere ius condemnandi renatos, etiã si eorum obedientia sit imperfecta, & contaminata, id est, etiamsi non sint impletores legis, sed in singulis suis operibus sint legis præuaricatores. Propter Christi enim gratiam explicant, Deum nolle imperfectã nostram legis iustitiam, quam secundum iustitiæ rigorem punire posset. ¶ Sed hoc omnino falsum est: quia post condonata peccata præterita, donatur Spiritus sanctus qui per charitatem facit impletores legis. Nec in singulis operibus iustus peccat, vt aiunt: quanquam recte dicat, credentes mortificatos esse, quantum ad condemnationem: vt docet Augustin. lib. 1. quæst. ad Simplicianum: *Sub lege esse dicuntur, quibus dominatur. Eis autem dominatur, quos punit. Punit autem præuaricationes omnes. Porro, qui acceperunt legem, præuaricantur eam, nisi per gratiam consequantur posse, quod iubet: Ita fit, vt nõ dominetur eis, qui iam sub gratia sunt, implentibus eam per gratiam, qui erant sub eius timore damnati.* Hæc ille. Applicat Apostolus propositam similitudinem, dicendo. *Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit vt fructificaretis Deo.* Acerbum verbum erat Iudæis extinctionem legis audire; ideo lenit sermonem, dicendo, fratres mei. Et vocat illos, mortificatos legi, quod attinet ad augmentum peccati, quod occasione legis proueniebat, & in eo, quod eos tenebat reos & supplicio æterno dignos; quia per baptismũ remissa sunt præterita peccata, & quã tum ad vim etiam obligandi, non tantum ob ceremonias, & iudicia, sed etiam ob moralia: quæ quatenus à Mose præcepta sunt nos non arctant, nisi quatenus à CHRISTO repetita, & commendata. Et exponit Ambrosius per corpus CHRISTI, id est, per corporis eius victimam in Cruce, in qua mortem peccati peremit, & vitam gratiæ nobis impertiuit. Et sumus iam alterius viri noui, qui legi nouæ, ac suaui nos reddidit ad hoc, vt fructificemus DEO, & non carni, aut peccato, permanens in superiori metaphora plantationis.

Veteris hominis proles quænã, & hominis noui.

Illorum sensus geminæ falsitatis arguitur.

Aug. q. 1. à med. to. 4.

Quib. non dominetur lex Moysi.

Iudæos Apostolus cur vocet fratres, & eos mortificatos legi.

Ceremoniæ legis & iudicia Christianis quatenus seruanda.

B. Ambr. to. 5.

Quid corpus Christi hoc loco intelligat Ambrosium.

Hæc fortassis adumbrata fuerunt in lege antiqua, quæ iubebat mortuo priore viro, de quo semen non susceperat, fratri eius nubere. Spiritus enim legis, qui est CHRISTVS, frater erat illius sensus literalis, qui morte ipsius CHRISTI abolitus est. Cui quidem Spiritui, quæ nupserint animæ longam sobolem procreabunt. Et quia Iudæi hoc coniugium repudiarunt, Gentilitas, quæ prius erat sterilis, in illud credens, ingressa est, & impletum est illud

Deut. 25. Matth. 22. Spiritus legis Christus.

Gentiũ fecunditas vnde ac Iudæorum sterilitas.

Esai.54. *Gal.4.* Esaiæ: *Lauda sterilis, quæ non paris.* Et subdit: *Quoniam multi filij desertæ magis quam eius, quæ habebat virum.*

Ad V. dub. Quod vero Prophetæ sancti, & iusti Veteris Testamenti à lege Mosis defecerint, & in Christum crediderint, & per eum iustitiam assecuti fuerint, & cum adulterio factũ non est: quia prius fuit in illis extinctus prior vir, id est, mens peccato addicta per gratiam antequam CHRISTVM, nouum virum induerent, cuius legem spiritualem sequerentur. *Heb. vlt.* CHRISTVS enim heri & hodie; ipse & in secula. Et cum lex pædagogus esset in CHRISTO, vt ait Apostolus, *Gal. 3.* *Rom. 10.* & finis eius ad iustitiam, siue id olim peculiari munere contigerit, siue postea communiter cum baptismo id omnib. concedatur, nullum adulterium verum inueniri potest.

Iudæorum Apostolus cur nunc in persona loquatur. *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti.* Quia Paulus Iudæus erat, se cum illis connumerat in prima persona, vt melius suscipiatur doctrina. Et confirmat sententiam, explicans quomodo gratia eruisset eos à lege. Etsi vero in corpore esset dum scriberet, sicut sunt omnes iusti, & beati suscitati erunt in resurrectione: dicit tamen, Cum essemus in Carne. Caro in Scripturis bifariam accipitur. Caro interdum dicitur pars hominis, id est corpus: interdum vero per Synecdochen totus homo, iuxta illud: *Verbum caro factum est*: *Ioan. 8.* &, *Videbit omnis caro salutare Dei.* Quid hoc loco significet. Hoc tamen loco caro est vetus homo, & sensus, qui spiritui aduersatur, nudatus iustitia originali, radix, & fomentum peccatorum. *Rom. 7.* Et modo insinuat se Apostolus in carne non esse, vt olim, sed in spiritu; qui tamen inferius non negat se habere *Ibid. 18.* Esse in carne quid. carnem repugnantem legi mentis: Et, *Scio*, inquit, *quia non habitat in me hoc est, in carne mea, bonum.* Esse ergo in carne; nihil est aliud, quam sub potestate carnis iacere: quomodo mens, & ratio superior addicta erat carni tanquam viro, qui male suadæ, ac blandæ mulieri auscultans adulterium committit. *Gen 3.* Nam primus homo cecidit, magis mulieris voci, quam Dei obediens. In membris igitur huius hominis corrupti, id est, in omnibus instrumentis, & facultatibus, quibus operatur, passiones peccatorum, id est cupiditatum, & affectionum, quas lex ipsa prohibendo excitabat, inueniens carnem contumacem, operabantur efficaciter in omnem lapsum externæ concupiscentiæ. *Rom. 8.* Ratio cur lex vetus lex mortis dicatur. Vnde morti fructificabant, & propterea lex mortis nuncupabatur, non sine causa, quia frequenter pœnam mortis comminabatur propter transgressiones: ad quam tamen nullum præceptum Euangelicum obligat. Secus lex Naturæ, quam Euangelium, non impedit à functione sua. II. Deinde dicitur lex mortis, quia non poterat introducere in vitam æternam: secus est de noua, in qua CHRISTVS valuas cœli aperuit. III. Tertio, erat lex illa moritura, ac *1. Cor. 13.* morti obnoxia, secus nostra, cuius charitas IV. nunquam excidit. Quarto, erat occasio *2. Cor. 3.* mortis, agens peccatum, & vires implendi V. non tribuens. Quinto, quia litera occidit, & sensus ille literalis iam mortuus est, neque prodest sine Spiritu viuificante. Denique, quia CHRISTI morte mortua reddita est: VI. ac postrema. imo post prædicationem Apostolorum, eam seruantibus etiam mortem adferebat postquam vetus homo Christi morte mortuus est & extinctus, soluti sumus à lege illa mortis, in qua detinebamur olim: Quando soluti sim' à lege mortis. id est, in cuius legis dominatione ceu capti detinebamur, quasi legis suppliciorum rei. Et in hunc finem soluti sumus ab ea lege, vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate. Vocat vetustatem literæ, quia interire debet, quia Vetustas literæ cur sic dicta. quod antiquatur, & senescit, prope interitum est. *Hebr. 8.* Et interire debet, quod attinet ad pœnas, & præmia carnalia, ceremonias, & figuras, quæ adueniente charitate Spiritus, qui æterna spectat, & nouitate CHRISTI, qui apparuit in mundo, cessare, & euanescere debuerunt: *1. Ioan. 4.* nam perfecta charitas foras mittit timorem: veritas abstulit figuras, & Legem Euangelicam cur Paulus vocet nouitatem spiritus. libertas spiritus vincula seruorum. Nouitatem autem Spiritus, quam opponit vetustati literæ, legem nouam Christi, quæ in charitate, id est, in amore Dei, & Proximi sita est, significauit; ne quisquam existimare valeat, se nullius legis vinculo teneri. Et de his hactenus.

DISPSVTATIO VII.

In illa verba: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit Sed peccatum non cognoui nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.*

EXplicandum in primis, vnde huius nouæ dubitationis ratio oritur. I. dubium. Deinde II. quomodo verum sit, per legem agnitum peccatum, cum ante Mosen naturæ lumen satis porrigeret, quid virtus, & quid vitium Tertio, quærendum in illo mandato, Non III. concupisces, quam intelligat Apostolus concupiscentiam? an vim, & facultatem *Exod 20.* concupiscentiæ, an primos motus, an secun-

cundos internos, an illos etiam, qui opere externo complentur: quia vndiq; absurda consequuntur. Et cur prohibet Deus, quod nemo vitare vnquam potuit?

Ad I. Cur denuo Paulus nunc dubitet.

Primę dubitationi respondemus, quod cum pseudoapostoli Pauli verba captarent & illum criminari possent tanquã in Deum legis autorem blasphemum, & in legem Mosis iniurium, quod eam appellauerit legem mortis, & superius dixerit iram operari, & subintrasse ad abundantiam delicti, seruos constituisse peccati, & carnis, & concitasse peccatorum passiones. quod que morti fructificaret, essetque illam nobis per CHRISTVM abrogatam, & extinctam, seu potius nos illi mortuos esse, cum tamen à DEO fuerit edita, & signis in monte promulgata, & à patribus tanquam diuina suscepta, & à filiis eorum, & à Prophetis per multa secula culta, & seruata: ambis, & similibus Pauli sententiis Manichæi legem vituperabant, & proscribebant ad fulc endam suam blasphemiam, quod videlicet lex mala esset, & commento mali DEI vtebantur: idcirco Apostolus quærit, *Quid ergo dicemus?* aut quid colligemus ex dictis? nunquid legem ex se ipsa, & natura sua malam esse, aut eius institutio, aut eius obseruatio peccatum erat, aut per metonymiam caussa peccati? Paulus enim sub grauiori forma qua potuit, eam quæstionem proponit. Et respondet suo more, Absit: quod abominantis est, & execrantis responsum, quo omnes amputat rationes, quibus aut macula, aut culpa aliqua legi ipsi vel legislatori, vel eius obseruatoribus impingi poterat. Absit ergo, quia tam DEVS ipse, quam lex eiusmodi transgressiones non intendebat, sed hæc erat eius mens, vt superbus homo, qui dicenti non crederet, morbum saltem experientia cognosceret, & medicum quæreret, & medicinam, qua sanaretur, hoc est gratiam fidei perciperet. ¶ *Sed peccatum non cognoui, nisi per legem.* Exaggerat & amplificat legis defensionem. Et primo loco explicat, quodnam esset eius ingenium, seu institutum: deinde quodnam detrimentum ab illa per accidens, seu ex eius occasione homines suo vitio accepe int. Est enim primarium legis officium, non ducere homines ad peccatum, neque docere quomodo sit peccandum, sed quid rectum, quidue prauum sit, patefacere. Est enim rationis norma, viam aperire voluntati, qua rectas actiones suas dirigat, & prauas declinet. Quocirca Prouerb. 6. Lucerna dicitur, & lux, & via & Psaltes, *Præceptum Domini lucidum, illuminãs oculos.* Et quia omnis iusta lex, splendor quidam est, & scintilla legis æternæ, cuius autoritati lex omnis creata innititur, secundum illud, quod ait Sapientia; *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*: hinc est, vt legum conditor Christus, qui orbi vniuerso illuxit, nunc se lucem mundi, nunc viam, veritatem, & vitam se nominet. Bene ergo ait, *Peccatum non cognoui, nisi per legem*: quia nec excogitabile quidem est peccatum, nisi sit contra legem: nec Adam ante legem propositam peccauit: quemadmodum obliquum non agnoscitur, nisi in ordine ad certam regulam. Ideo recte dictum est à Philosopho, quod rectum iudex est sui, & obliqui.

Rom. 4.
Infra 5.
Exod. 19.
Infra 20.
Manichæi in legem veterem debacchandi vnde sumpserint occasionem ex parte.
Vis illius verbi respõsoria. Absit.
Legis Moseos præcipuæ functiones.
Prou. 6.
Psal. 18.
Legum omnium fõs lex Dei æterna.
Prou. 8.
Ioan. 8.
Infra 14.
Arist. li. 1. De anim. tex 85. to. 2.

Hic ergo obseruata nonnulla. Primum, quod Paulus absque vlla controuersia Iudæi carnalis induit personam, & in ea loquitur gratia doctrinæ: sicut etiam quædam alia loquitur in persona hominis existentis extra legem, vt cum ait; *Ego autem viuebam sine lege aliquando.* Alias vero loquitur in persona iustificati, & instaurati: quod diligentissime annotandum est, quia ex eo pendet, totius capitis vera intelligentia.

Rom. 7.
Per quam legem, Mosi, an Naturæ, sit cognitio peccati.

Secundo loco obserua, dubium esse, de qua lege hic sit sermo. Nam Hieronymus ad Algasiam, & Origenes hoc loco hæc de lege Naturæ accipiunt: siquidem ante legem scriptam Adam, Cain, Pharao, Sodomitæ, & Gentes bonum à malo discernebant: alias autem minime fuissent puniti. Sed his non obstantibus certo statuendum est, Paulum hic loqui de ea lege, quam viderі poterat hactenus reprehendisse: hæc autem lex, vetus est per Moysen data. Nec enim de lege naturæ, quæ in mentibus hominum est impressa, dixisset, quod subintrauit, quod verbum temporariam legem significat: neque diceret nos mortuos illi fuisse, vel quod ab eius dominatu fuimus liberati, vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ quod vetustatis epitheton legi veteri quadrat: neq; induceret exemplum, Non concupisces, quod nonum & decimum præceptum est decalogi, Exod. 20. quemadmodum Chrysostomus, & alii Patres indicarunt.

Hier. epist. 151. q. 8. to. 3 circa med.
Orig. to 2.
Alter sensus magis probabilis.
Ioan. 1.
Rom. 7.
Exod. 20.
B. Chrys hoc loco ser. 12. to. 4.
Ad II. dub.

Tertio loco, accipe rationem quomodo facta sit cognitio peccati; cum tamen Ethnici, & Gentes illud cognoscerent. Et quale est hoc peccatum ignotum homini, nisi per legem explicetur? Dicendum est, Naturæ lege Gentes illustratas rationem peccati attigisse, hanc videlicet innatam esse omni peccato deformitatem, per quam sit à ratione distortum, & alienum. Cognouerunt

Lex naturę triplicem pec-

cati cognitionem suppeditatur.

Tob. 4.

etiam, scelera quædam pacem, & tranquillitatem Reipublicæ perturbare, quæ procul dubio natura illo præcepto cauit: *Ne facias aliis quod tibi fieri non vis.* Quare in vrbes ciuium, vt homicidium, adulterium, furtum, vbiq; Gentes vindicabant. Adhæc eo progressi sunt, vt cognouerint coniecturis quibusdam, malefactis hominum iram deorum irritari. quos ideo placare, & propitiare sacrificiis & orationibus curabant. Nam ille radius, quo Deus per creaturas cognoscebatur omnium rerum causa esse, supremus que ac naturalis finis, satis fuit, vt Ethnici intelligerent seruitium illi pendendum esse, latriæq; cultum: nec tantum pœnas sceleratos in hac vita pendere, sed etiam in futuro seculo, philosophando sunt assecuti.

Rom. 1.

Cognitio illa peccati duplicem habuit defectum.

B. Aug. lib. 22. contra Faustum, c. 27. in ini. To. 6.

§ At cum natura Deus non possit agnosci vt finis supernaturalis, in cuius conspectu vera consistit felicitas, legitimam peccandi rationem non sunt adepti, illam videlicet, de qua Augustinus ait: *Peccatum, est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem*: ob quod indignus fit homo regno cœlorum, & perpetuis gehennæ cruciatibus dignus. Et est sermo de Gentibus in genere: nam secus est, si quibus altiori suæ sapientiæ lumine Deus affulserit, vt fecit cum Noe, Abraham, Ioseph, Iob & similibus. Adhæc interna peccata, quæ intus cogitatione perpetrantur, non satis nouerant peccata esse, vt concupiscentias interiores: nec quidem omnia externa peccata, quæ in opere consistunt citra damnum alterius, vt est libera fornicationis venus, quæ Actorum decimoquinto, ab Apostolis, Gentibus prohibetur: fomitem etiam habere non reputabant malum, sed naturale. Hæc autem omnia lex explicate docuit; & propterea recte ait: Peccatum non cognoui, nisi per legem; &, Concupiscentiam nesciebam, scilicet esse peccatum, & rem illicitam. Alias enim absque lege sentitur concupiscentiæ illecebra, etiam à belluis, nedum ab hominibus. § *Nisi lex diceret, Non concupisces.* Circa quod præceptum nonnulla necessario disputanda sunt.

Quænam Gentes peccata pro talib. non agnoscerẽt.

Act. 15.

Eandem peccati notitiam lex Moysi præstitit, tamẽ sine vllo defectu.

Primum dubium est: quia hoc præceptum iuris naturæ est, & non tantum legis Mosaicæ. Sed non negamus, legis naturæ fuisse præceptum: at quamdiu non fuit scriptum in tabulis Mosis, sed tantum in mentibus hominum, non omnino innotuit, quantæ obligationis esset. Tum quia Gentes credere poterant, in sola cogitatione, vel desiderio, sine opere, quod in damnum alterius non prodiret, nullum inueniri peccatum. Deinde, etsi talis ratio peccati fuisset nota lumine naturæ, illo seculo tamen, quo data est lex Moysis, obliterata prope modum erat lex Naturæ, vt non censeretur peccatum concupiscentia mali: in quo crasso errore versabantur Iudæi etiam data lege: quos Dominus reprehendit. Matth. 5. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Et Ioseph. libr. 12. Antiqu. cap. 13. eodem errore detentus, scribit: *Demiror Polybium Megapolitanum, qui vir alioqui probus ait, hunc Antiochum periisse, quod conatus sit Dianæ templi thesauros, ac donaria diripere: voluisse enim tantum, ac non etiam perfecisse sacrilegium, nõ videretur res digna supplicio.* Hæc ille. Tertio, etsi ratio naturalis dictet, non esse concupiscendum; Humanæ tamẽ leges, quales tunc solæ erant scriptæ, actum interiorem nõ prohibebant, nec vindicabant: quæ ratio potissima esse videtur, cur huius præcepti exemplo vsus sit Apostolus, & non furti, vel homicidii, quæ notissima crimina in lure Naturæ erant. Quanquam aliam huius rei causam allegat Augustinus in gl. Ordinaria: nempe, quod elegerit hoc generale præceptũ Apostolus: quia omne peccatum ex concupiscentia oritur. Hæc sunt eius verba: *Bona lex, quæ dum concupiscentiam prohibet, omnia prohibet.* Et libr. De perfectione iustitiæ ad ratiocinationem 11. ait. *Forte generalis prohibitio est, Non concupisces; & generalis iussio Diliges.* Hæc ille. Idẽ sentire videtur Hieronymus, quæstion. 8. ad Algasiam, dicens; *Nos autem per concupiscẽtiam omnes perturbationes animæ significatas putamus, quibus mœremus, & gaudemus; timemus, & concupiscimus.* Et Ambr. in verba illa inferiora: *Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam: Omnem dicens concupiscentiam cuncta peccata significat. Supra enim cõcupiscentiam iuxta legem memorat, cur nunc cætera addens vitia, omnem dixit concupiscentiam.* Videtur ergo nõ generale aliquod Decalogi præceptum attulisse, vel extremum præceptum reliqua omnia complecti. Et ita non constabit numerus decem præceptorum.

Lex Moysi non autem lex naturæ cur dicatur prohibere concupiscẽtiam cum hoc & illa præstaret. I ratio.

II. ratio.

Mat. 5.

Ioseph. hist.

III. ratio.

Quare Paulus, Non concupiscendi potius quã aliud exemplum produxerit.

Altera ratio ab Aug. tradita.

B. Aug.

Idem to. 7. in fin.

D. Hier. epist. 151. to. 3.

B. Ambr.

Verum non sic intelligendus est Augustinus, præceptum hoc vocasse generale, quod ad omnium peccatorum concupiscẽtiam sit protensum. Est enim concupiscentia gloriæ, famæ, vindictæ, cibi, potus, & vestimentorum, & imperii: quæ in illo præcepto non sunt inclusa. Est enim speciale mandatum in nonum, & decimum decalogi præceptum distributum: & illis præceptis sexto, & septimo de Non mœchando, & furando appensum, vt habes Exodi. 20. & Deuteron. 5. quæ quidem concupiscentis peculiariter, præter ipsum opus, est prohibita. In his duabus materiis, ob singularem

Generale præceptum Non concupiscendi cur dixerit Augustin.

volu-

voluptatem, quæ etiam sola cogitatione capitur de re venerea, & de re vili. Augustinus vero concupiscentiam ob id generale peccatum vocauit, quia radix omnium malorum est cupiditas; vt dixit Apostolus ad Timotheum. Concupiscentia etiam carnis omnia peccata parere solet: quemadmodum etiam rerum opulentia, & luxus, fomentum est, & adminiculum omnium cupiditatum. Quanquam propter autoritatem prædictorum Patrum, dici posset, nullum certum præceptum, sed generalem legem pertinentem ad vniuersæ vitæ hominis actiones, & summatim amplectentem, quicquid distinctis mandatis decalogus cō plectitur Paulum produxisse; perinde ac si allegasset, Non peccabis, vel declina à malo nam idem sensus est Apostolicus, siue hoc, siue priori modo exponas.

1. Tim. 6.

Idem præceptum generale esse, non particulare, vnde & merito dici posset.

Psal. 33. *1. Petr. 3.*

Non autem produxit in exemplum aliquod ceremoniale, aut iudiciale præceptū: quia erat ponendum exemplum rei, quæ esset mala, sed nesciebatur esse mala: at ceremoniæ & iudicia ex se nec bona, nec mala sunt. Ideo non solum ostendebat, sed etiam constituebat ea talia esse. Secundo aduerte hoc præceptum Non concupiscendi, diuidi in nonum, & decimum mandatum: & intelligitur duplex concupiscentia prohibita vxoris alienæ, & rei alienæ: & vt vtrumq; significaret, in genere dixit, Non concupisces. Et prohibetur interna cupiditas tum vxoris, tum rei alienæ: quos motus homines perspicere nequeunt. Quare alia est diuinæ legis ratio & autoritas, alia humanarum legū. Nam diuina lex de secretis quoq; motibus cordis præscribit, ac vitiosos prohibet, & punit. Deus igitur iustus præcipiebat Iudæo non concupiscere: quod præstare per se non poterat, quo ita agnosceret malum esse in seipso, non in Deo, nec in lege, sed in natura hominis, quodque esset res indigna, & innaturalis secundum diuinæ prouidentiæ ordinem, vt quod est natura superius, subdatur inferiori, id est, mens carni. In hoc ergo Gentilis deficiebat, qui destitutus lege DEI, ignorabat vnde veniret ista ordinis peruersio, & cogebatur ignorare turpitudinem suæ concupiscentiæ, & fateri non esse indecoram homini; vel si maiori luce rationis illustraretur, incusare naturam, quod nonnulli ex philosophis mundi sapientibus ausi sunt facere. Iudæus vero melioris erat conditionis, quia prohibente Domino concupiscentiam, vt peccatum, & experientia videns ille se non concupiscere, cogebatur agnoscere vitium in natura, & humiliatus medicum implorare.

Quare Paulus non de ceremoniis aliquod, aut de iudiciis legalibus exemplum produxerit.

Diuinæ legis, & humanæ discrimen.

Quid minus haberet Gentilis Iudæo in concupiscentiæ contra spiritum dominatu superando.

Iam dubium est, quem sensum faciant illa verba: *Non concupisces.* Et in primis falsus est Hæreticorum sensus, qui explicant his duobus præceptis vitiosam hominis naturam accusari, & damnari, quasi sensus esset, Non erit in te natura concupiscentiæ vitio fomitis subiecta sed erit in te prorsus natura recta, & integra, & qualis à Deo condita est. Vnde docent, illam etiam in pueris ante vsum rationis peccatum esse, post baptismum vero proprie peccatum esse, & hominem Deo exosum reddere: non tamen credentem damnari propter fidem in Christum. Dicendum tamen est, hanc interpretationem falsam esse per omnia. Nam etsi habere concupiscentiam in nondum renatis, peccatum sit tantum imputabile, quantum ipsum originale, ex quo oritur: quia peccatum est habere, quod non debes habere; vt si habeas concubinam: quemadmodum etiam peccatum est, non habere, quod debes, vt si vxorem legitimam, quam sine caussa repudiasti, non habeas: quomodo non habere iustitiam originalem, peccatum est: vnde & definitur à quibusdam Doctoribus scholasticis, peccatum originale esse carentiam iustitiæ originalis cum debito habendi eam. Istis tamen præceptis nihil tale significatur, quale est, quod somniāt Hæretici. Primo, quia ibi habetur, *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem eius, non seruum nō ancillam, non bouē, &c:* quibus verbis constat liquido nō naturam sed motus vitiosos voluntatis prohibitos significari. Deinde ex prædictis verbis colligitur, præceptum non ad quosuis motus vitiosos referendum, quibus appetitur res, vel vxor aliena, sed tantum ad humanos, id est, ad voluntarios. Nam secundum doctrinam Apostoli in hoc capite, secundū motus carnis inuoluntarios homo non dicitur cō cupiscere, sed caro, vel peccatum, iuxta illud; *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Et, *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Vt enim in quinto præcepto, *Non occides,* non quæuis hominis cædes prohibita intelligitur, vt ea, quæ fit ab homine dormiente, vel rationis iudicio nō intenta, aut denique aliena vi impulso, sed ea tantum, quę est voluntaria, vel humana: ita lex, Non cōcupisces, inhonestos cordis motus, hoc est voluntarios, & humanos vetat, non autem turpes, & inuoluntarias cupiditates: quam tales inuoluntarias Patres aperte confitentur esse inhonestas, & innaturales, vt Iulianus Pelagianus volebat. Sed non propterea peccata dicenda sunt, vt volunt Hæretici, & pro quibus sit Deus oratione placandus. Cum ergo dicitur, *Non concupisces,*

Ad III. dubit.

I. sensus hæreticorum dānabilis.

Concupiscentia in nondum renatis quam sit imputabilis.

Peccatum originale quid secundū aliquos

Exod. 20.

I. ratio confutationis.

II. ratio.

Rom. 7.

Gal. 5. *Exod. 20.*

Illud: Non occides, in quib. locū nō habeat.

Concupiscentia spiritus quænam.

Gal.5. Psal.83. Psal.118. III. sensus.

non vetatur concupiscentia spiritus, quæ bona est, de qua; Spiritus concupiscit aduersus carnem; &, *Fili concupiscens sapientiam, serua iustitiam*: *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*: &, *Concupiui desiderare, iustificationes tuas in omni tempore.* Deinde, non prohibet concupiscentiam naturalem, quę bona est, & à Deo nobis natura plantata: qua appetimus cibum, potum, somnum, domum, vestē, & reliqua necessaria: nam & hæc etiā in brutis est fuisset etiā in statu innocentiæ, ante peccatū.

Naturalis concupiscētia quid.

Tertio, non prohibet vim, & facultatem concupiscendi carni inditā: quia de actu ait, *Non concupisces*, interdicens actum, non facultatē, & quia illa nobis à natiuitate est ingenita simul cum peccato originali, & quia carni, rei nempe brutæ, non datur præceptum, sed voluntati tantum.

IV. sensus.

Quarto, non prohibet actus concupiscentiæ inuoluntarios, qui rationem præueniunt, seu quos vocant primos motus: eo quod illi sint in pueris ante vsum rationis, qui tamen nō peccant: insunt etiam nobis dormientibus, imo etiam belluis; Imo quod plus est, insunt nobis vigilantibus, non solum illos nolentibus, sed etiam resistentibus, vt B. Paulo datus fuit stimulus carnis.

V. sensus.

Quinto, præceptum non ponitur carni rationis experti, & legis incapaci, sed homini, seu voluntati. Ita vt ex hac tam prolixa disputatione inferamus, *Non concupisces*, perinde esse ac dicere, voluntate non assentiere motibus carnis, seu, Non negliges illos per rationē perimere, seu quod

Eccl.18.

Spiritus sanctus alio loco dixit, Post concupiscentias tuas, ne eas, & voluntate tua (scilicet carnali) auerte.

Gen.4.

Ita dictum fuit Cain fratricidæ; *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Non ait, Nullus insurget motus, sed dominaberis illis, si velis: & Apostolus superius dixerat: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius*, & alio loco, *Spiritu ambulate; & desideria carnis non perficietis.*

Rom.6.

Gal.5.

Atq; hic est sensus legitimus, & germanus illius præcepti. Carere vero omni concupiscentiæ motu, fructus est hominis suscitati in cœlesti gloria.

B. Amb.

Hoc recte docuit Ambrosius: *Non sensus illiciti, sed consensus illiciti peccatum est.*

August. hoc præceptum: Nō cōcupisces ab illo: Post concup. scētias tuas ne eas, quo modo distinguat.

Superest illud dissoluere, quod ex Augustino obiicitur. Nam ille discrimen posuit inter hæc duo mandata, Non concupisces; &, Post concupiscentias tuas non eas: docens posterius tūc fieri, & obseruari, si quis concupiscentiis à carne suscitatis cōsensum non adhibeat, sed potius eis viriliter repugnet: tametsi eas inuitus sentire cogatur. Prius vero illud non fieri, nisi anima prorsus omnium illicitarum concupiscētiarum & earum, quibus minime consensit, expers sit. Nam lib. 1. De nupt. & concup.

B. Aug. c. 23. to 7.

Ipsa quidem concupiscentia iam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atq; vt ea perpetrent, à regina mēte membra non dantur, vt si non fit, quod scriptum est, Non concupisces; fiat saltem, quod alibi legitur, Post concupiscentias tuas non eas.

Exod 20. Eccl 18.

Idem lib. De spiritu, & lit. cap 36. asserit, in hac vita non impleri: *Non concupisces*; sed illud; *Post concupiscentias tuas non eas.*

Idem to. 3. longe à med.

¶ Quibus testimoniis exultat Lutherus, volens omnem concupiscentiam aduersus spiritum, ante assensum quoque, & negligentiam rationis peccatū esse. Idem docet in Epistola ad Asselicum Episcopum.

Idem epist. 120. to. 2.

Dicendum tamen est ad hæc tribus modis intelligi posse hominem concupiscere.

Triplex cō cupiscentię gradus in hominis.

Primo, dum consensum adhibet concupiscentiæ. Deinde, dum non consentit palam, sed per negligentiam patitur obrepere motus fomitis. Tertio, dum citra omnem assensionem, & voluntatis negligentiam ex carne concupiscentia oritur: & tunc magis caro, vel peccatum habitans, in carne dicendum est concupiscere, quam homo. Et Augustinus sic aliquando disseruit de Lege illa non concupiscendi, vt intelligeret singulos horū trium modorum hoc præcepto esse comprehensos. Vnde aperte in illis ipsis locis tradit, eiusmodi desideria, quibus nullus adhibetur consensus reum hominem, non efficere illius transgressionis, nec propter illa desideria precandum esse:

Matth.6.

Dimitte nobis debita nostra, vt aperte in prædicta epistola ad Asselicum confirmat. Et eatenus est homini viatori datum illud præceptum, non, vt reus constituatur, si illud non obseruet, sed vt præscribat homini, quo contendere, & conari debeat. Hinc ipsemet Augustinus libro primo de Nuptiis, & Concupisc. Capite vigesimonono:

Idem.

Ad hoc, inquit, *dixit Lex, Non concupisces; vt nos in morbo iacere inuenientes, medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto sciremus, & quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & quo possit à nobis illa immortalitate beatissima perueniri: nisi enim quādoque perficiendum esset, nunquam iubendum esset.*

Idem.

Idem in libro de Spiritu & litera, Capite vltimo de præcepto Dilectionis ex toto corde, tradit, nempe, vt licet nunc non plene impleamus, sciamus tamen ad quam perfectionem nobis sit tendendum.

Deut.6. Matth.22.

(:)

DISPVTATIO VIII.

In illa verba: *Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine Lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam ſine Lege aliquando. Sed cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus ſum. Et inuentum eſt, mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem*, vſque ad illud, *Itaq; Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, &c.*

Propoſitæ Diſputationis difficultas euacuanda.

HÆc cum coniuncta ſint cum ſuperioribus, & ab illis pendeant, non habent multas dubitationes, quas cogamur diſſoluere. Tantum illud in quæſtionem venit, quando Apoſtolus doctrinæ gratia diuerſas induit perſonas, aſſignare, quando videlicet ſuſtineat perſonam Iudæi; vbi eius qui extra Legem eſt, Pagani; vbi in perſona renati: & per Chriſtum inſtaurati loquatur: quemadmodum ex nulla alia re, ſi aperte, & commode fiat, intelligentia eorũ quæ ſuperſunt in hoc Capite, aperitur.

Quo tendat hæc Pauli ſententia.

Quod ad ſcopum attinet; enim hactenus declaraſſet, mentem Legis fuiſſe peccatum detegere. & virtutem, & honeſtum indicare; nunc id quod Legi caſu accidit, quomodo ſcilicet ex ea occaſionem peccandi acceperint homines vitio ſuæ naturæ, & corruptione, & ex peccato magis noto, & ex multitudine præceptorum, & ex imbecillitate ſubiecti etiam anſam augendi peccata, ediſſerit. Eſt enim ita natura comparatum, vt omne contrarium renitatur ſuo contrario: & quo libertas pluribus prohibitionibus arctatur, impetuoſius fertur in vetita. Nitimur enim in vetitum ſemper, cupimuſq; negata; & ſententia Græcorum habet: *Qui quod licet, minus deſideratur*: ergo quicquid non licet, fomentum accipit deſiderii. Et Tullius de parricidarum ſuppliciis negat vllam legem ſcripſiſſe Solonem, ne non tam prohibere, quam commonere videretur: vt habet Hieronymus ad Algaſiam. Nec culpa eſt in Deum Legislatorem refundenda magis, quam ob id quod ſenſus dederit nobis, quibus noſtra culpa abutimur, vel magis quam in medicum qui teſte Chryſoſtomo, febricitanti noxiam aquam interdicit, ex quo accenſa peius ſitis ægrotum vincit, vt periculoſius bibat: maxime quia Deus fidelis eſt, qui nihil præcipit, niſi quod homo præſtare poteſt, ni ta men ſua velit abuti libertate. Hine homines in legibus ferendis Deum imitari debent, ne Legum numero, occaſionem offerant facilius peccandi. Hoc ergo quod ait, occaſione accepta, ſignificat: Non Lege operante; aut dante cauſam aliquam.

Contrariorum inter ſe repugnantia naturalis.
Ouid lib. 3. Amor. eleg. 4.
Græcorũ prouerbiũ.
Tull. in orat. pro Roſcio Amer.
Hier. q. 8. sub init.
Dominatus concupiſcentiæ, vt & quinque ſenſuũ abuſus homini tantum, & nõ Deo ſunt adſcribẽda.
Chryſ. ſer. 12. to 4.
1. Cor. 10.

Legum conditores quid cauere debeant

Peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam: Voce peccati, Ambroſius intelligit dæmonem, qui homini cauſa fuit, & initium peccati. Sed reuera hæc ſignificatio longe à ſua proprietate vocem diſtrahit. Quare Auguſtinus rectius libro primo contra duas epiſtolas Pelagianorum, Capite duodecimo. Et libro primo de nuptiis, & concupiſc. ca. vigeſimotertio fomitem intelligit, ſeu habitualem concupiſcentiam in carne hominis habitantem, quæ inordinate tendit ad bonum delectabile ſecundum ſenſum, & mundum, & ad omne malum impellit.

Peccatum operari omnem concupiſcentiã quodnam illud.
B. Ambr. hoc loco, to. 5.
Gen. 9.
B. Aug. t. 7.

Quod vero ſecundo ait: *Per mandatum*; idem eſt ac ſi dixiſſet, per Legem: nam mandatum Lex quædam eſt. Et alludit ad nonũ Præceptum, Non concupiſces. Et optime iungi poteſt, cum, *Occaſione accepta*. Sicut etiam 1. Cor. 15. habetur: *Virtus vero peccati Lex*; & ſupra: *Paſſiones peccatorum quæ per Legem erant, operabantur in membris noſtris*: quẽadmodum etiam de Lege Euangelica admonet Chryſoſtomus, ſecluſa Dei gratia, occaſionem eſſe peccati perditis hominibus. Imo conſilia, & monita perfectionis ingratis, & vitioſis materiam, & occaſionẽ præbent delinquendi. *Si non veniſſem*, inquit, *& locutus fuiſſem eis, peccatum non haberẽt nunc autem excuſationem non habẽt de peccato ſuo*. Quinimo ſanctæ ipſæ cogitationes, & animi motus nonnunquam habenti ſunt offendiculo: non ſolum quod bonis operibus inſidietur vana gloria, ſed quod cum fortis armatus conſpicit domum ornatam, & ſcopis mundatam, maiori inſtructus ſatellitio inſtaurat pugnam. Non ergo operatum eſt peccatum per mandatum quaſi per inſtrumentum, aut per medium aliquid, ſed vt per contrarium depellendum ſibi proximum. Nam præceptum vetans concupiſcere, eſt velut contrariũ parti hominis concupiſcentis annexum. Quarto vero dixit; *Omnem concupiſcentiam*, id eſt, omnimodam, & perfectam, & morte ſecunda dignã quæ eſt contra Legem eam prohibentem, & non ignotam: & Iacobus Apoſtolus ait, *Concupiſcentia generat mortem* Poſſumus etiam interpretari omnes ſpecies concupiſcentiæ ſeptenario numero comprehenſas *Non concupiſces*, inquit, *domum proximi tui; nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt*.

Peccatum operari per mãdatum, quid.
Exod. 20.
1. Cor. 15.
Chryſ. ibid.
Ioan 15.
Bonæ interdum cogitationes hominis duplex mali exiſtunt occaſio.
Mat. 12.
Quid per omnem concupiſcentiam.
Iac. 1.
Alter ſẽſus
Exod. 20.

III sensus. 1. Ioan. 2.

Omnem etiam concupiscentiam, id est, triplicem illam, carnis, oculorum, & superbię vitæ; de quibus Ioannes in Catholica sua. Omnem etiam, in cogitatione, delectatione, consensu, operatione, & consuetudine permanentem. ¶ *Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam sine Lege aliquando.* Causam reddit eius quod dixerat, Legem occasionem fuisse augendi peccati: vt causalis illa coniunctio, Enim, indicat.

Cur lex peccatum augeret teste Apost.

Et explicando discernit inter duo tempora quæ habuit peccatum: alterum absque Lege, alterum sub Lege; primum, in quo peccatum iacebat, & homo viuebat: posterius in quo peccatum reuixit, & homo mortuus est. Et apertissime Apostolus personam induit Gentilis, & existentis in natura lapsa ante Legem, cum ipse Paulus nunquam fuerit sine lege, sed more suo doctrinæ gratia, modo in Gentilis, modo in Iudæi, modo in CHRISTIANI personam seipsum transfert.

Quando sine Lege peccatum mortuum erat.

Perpende ergo, quod mortuum peccatum dicitur id, quod nullum est, seu quod iam est remissum. Dicitur præterea Latinis mortuum id quod emarcuit, aut quauis ratione debile est & elanguidum, secundum suam naturam: quomodo superius corpus Abrahæ emortuum, & emortuam vuluam Saræ dixit. Et iuxta hos duos significatus exponi potest hic textus. Primo siquidem Origenes hæc refert ad Leges naturæ, & ad singulos mortales, qui ante vsum rationis sine lege quæ nos obliget, viuimus quo tempore actuale peccatum in nobis mortuum est. Alioqui, inquit, quomodo verum esset quod dixit se aliquando sine lege vixisse, qui in peccato originali, & sub lege Moysis natus est? Verum profecto Paulus de lege Moysis locutus est hactenus: & nomine humani generis continenter loqui videtur, postquam ad rationis vsum peruenit.

Rom. 4.

Orig. hoc loco, to. 2.

I. sensus. Ille quid in commodi habeat.

Aliter sensus minus & ipse probabilis. Caietan. Gen. 2. Infra 3.

Quare alii locum hunc de Adam protoplaste interpretantur, inter quos est Caietanus: nam Adam tandiu per in paradiso sine Lege positiua vixit: quo tempore peccatum fuit mortuum, id est, nullum. Sed præcepto dato excitatus est appetitus, atq; adeo suasione serpentis patratum peccatum. Verum quoniam Apostolus ex professo de lege Moysis, eiusque abrogatione est locutus, non est credibile aliorsum sermonem deflexisse, quemadmodum Chrysostomus contra hanc opinionem insurgit, potissimũ quia persistit Apostolus in explanatione eius, dicens, *Concupiscẽtiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces:* quod non primo parenti, sed populo Mosaico positum fuit, Ad

B. Chry. ser. 12. to. 4. pro priust.

Exod. 20.

hæc capite 5. dixerat: *Vsque ad Legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum Lex non esset.* Porro hæc sententia eadem illi prorsus est, siue illius explanatio.

Rom. 5.

III. sensus longe cæteris præferendus.

Non ergo recedendum ab Ambrosij, Augustini, & Chrysostomi sententia, qui hæc de lege Moysis prorsus interpretanda censent.

B. Ambr. hoc loco to. 5. Aug. in epist. ad Roman. prope 37. & 38. to. 4. prope fin. Chrysost. ser. 11.

Ait igitur, homini sine Lege existenti peccatum esse mortuum; quia homo sine lege non habebat huius vitii notitiam, & non excitabatur per Legem prohibentem non concupiscere, ad concupiscendum: Et idcirco in eos, qui sine Lege erant, non habebat suam efficaciam perfectam mortem proferendi: qua ratione homo viuebat, sed non incurrebat quasi Legis præuaricator mortem secundam, quia non imputabatur & per ignorantiam excusabatur, & superius dixerat: *Lex iram operatur*; & *Vbi non est Lex, nec præuaricatio,* scilicet perfecta: quia etsi peccatum erat in mundo, non imputabatur tamen, cum lex ista non esset: *Non cõcupisces.* Quare secundum Augustinum lib. 83. quęstionum peccatum vocatur mortuum, quia non imputabatur, siue quia nõ satis Lex Naturæ peccati rationem aperiebat, siue quod id temporis obnubilata esset lex Naturæ. ¶ *Ego autem viuebam sine Lege aliquando.* Ego aũt, Ἐγὼ δὲ, pro Ἐγὼ γὰρ, id est Ego. n. nam δὲ pro γὰρ sæpe accipitur, vt annotat Budæus. Et sensus est: Ego mortalis videbar mihi viuere, dum sine vllo mandato sequebar concupiscentias, nulla Legis comminatione territus. Ita Augustinus lib. 1. scripsit ad Bonifacium, licet asserat loqui Apostolum in persona propria pro ætate infantili; & Ambrosius, de se quando erat Pharisæus: quod tamen non adeo congruit. Alii vero interpretantur: Viuebam, scilicet sine Lege, vita spirituali, quando nondum erat lex: quemadmodum confestim vitę peccati opponitur mors hominis. Dicebatur vero tunc secundum horum sententiam, homo viuere, qua ratione peccatum erat mortuum. Cum enim non satis cognosceretur, non adeo vigebat ad interficiendum hominem. Verum mens Pauli eo non videtur tendere, cum ait: Ego autem viuebam, sine Lege aliquando, hoc est, Destitutus lege vitam degebam, vt reddat rationem dicti prioris, quasi diceret; Ideo sine lege, peccatum mortuum erat; quia ego aliquando eram sine Lege. Quod si obiicias, ignorantiam facti, vel iuris positiui, hominem excusare, non autem iuris naturalis: quare etsi obscurata esset Lex naturæ, non excusabatur illius

Rom. 4.

Ibid. B. Aug. l. 1.

Budæus in Comment. lingua Græca.

Ambr.

Eius dicti Apostoli: Ego autem viuebam sine lege aliquando; duo sẽsus parum idonei.

Quomodo sine Lege peccatum mortuum erat, quia Paulus aliquãdo erat sine Le-

ge, cum ignorantia iuris naturalis hominem non excusat. Solutio. *Rom.1.*

prævaricatores: imo acerbius inde incusandi: quia quo culpa ex libidinis vehementia magis ignoratur, eo ob affectatam ignorationem grauatur magis. Cur ergo peccatum dicetur mortuum? Respondeo, Paulum illos tunc mortales non excusasse, imo et idololatras, atque alios turpiter agentes ex Gentibus, acriter reprehendisse, eo quod cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt. Et cap. 2. *Qui sine Lege peccauerunt, sine Lege peribunt.*

Infra 2.

Att tamen peccatum fuisse mortuum in cognitione hominum; qui præterquam quod multa ignorabant esse peccata, quæ vere erant, legitima quoque peccati ratio eis celata erat: idcirco peccatum in sua existimatione elanguidum erat, & inualidum ad deterrendos eos.

Voluntaria etiam ignorantia quando peccatum imminuat.

Adde, quod etsi ignorantia affectata non excuset, quando tamen tractu temporis in aliqua natione propter corruptos eius mores lumen naturæ obscuratur, tunc etsi criminum capitalium ignoratio neminem excuset, obliuio aliorum minorum tamen, quæ etiam contra ius naturæ sunt, vel minuit, vel forte absorbet culpam, præsertim si totus fere orbis tali ignoratione excæcetur. Quare mortuum dicitur peccatum tunc, id est, exile, & tenue, si cõferatur eum tempore Legis scriptæ.

Quando veniente mandato, peccatum reuixerit, & Paulus, vt ipse ait, mortuus sit.

§ *Sed cum venisset mandatum, peccatum reuixit, & ego mortuus sum.* Iam induit personam Iudæi & ponit alteram differentiam temporis. Accedente namque diuina Lege, qua mentes hominum sunt illustratæ, peccatum reuiuiscens hominem coniecit in mortem secundam. Et ita declarat id quod sæpe dixit, Legem vetando illud quod lubet, libidinem augere: & manifestando peccatum, excusationem adimere: quod præsertim facit Lex Diuina, quæ docet peccatum Deo aduersari, & felicitate Diuina priuare, & supplicio æterno afficere.

Quid potissimum præster lex diuina.

Et qua ratione peccatum mortuum erat, quia videlicet non satis agnoscebatur, eadem quoque ratione moritur homo reuiuiscente peccato, quod cognoscit se peccare: vt in eadem quæstione sexagesimasexta libri propositi docet Augustinus.

August.

At Origenes, qui hæc refert ad vsum rationis illucescentis; & alii quia commodant ad statum primorum parentum, non possunt proprie explicare, Mortuum erat, & reuixit: quod enim nunquam vixit, non potest dici mortuum: ob idque in statu innocẽtiæ peccatum mortuum non erat, nec proprie reuixit, quod ante non vixerat. Et idem dicendum de puero ante vsum rationis.

Duo sensus minus idonei, ac proprii. *Orig. hoc loco, to. 2.*

Peccatum quomodo veniente mandato reuixit.

§ Lex igitur peccato vitam dedit: nam vita peccati ad inducendam mortem, est cognitio peccati; nam qui ignorat Dei voluntatem, faciens contra illam, non perficit peccatum. Quare volenti Iudæo carnali in Lege permanere, Lex mortem operabatur æternam, quia fecit peccatum reuiuiscere, cum prius esset ignotum.

Paulus vt mortuum seduxerit per mandatum, cuius tamen nunquam extitit prævaricator.

§ Quod vero se Paulus prævaricatorem constituat, non est propterea dictum quod ita fuerit: multi enim in Lege viri sancti, & perfecti, & iusti fuerunt: sed pro eo quod ex natura rei esse debebat.

I. ratio, cur peccatum reuixisse dicatur.

Significanter autem dixit, Reuixit: vel quia in statu innocentiæ homo plenam habuit cognitionem peccati, licet non per experientiam;

II. *1. Cor. 15.* III.

siue quia data Lege aucta est peccati virtus; siue quia peccatum quod in mundi primordiis viuebat, vigente Lege naturæ mortuum erat prope ante diluuiũ; & post tempore Abrahæ, vbi idololatria, & alia flagitia grassabantur, obscurabat mentes humanas, ita vt vix esset vlla cognitio peccati: reuixit tamen data Lege scripta.

Est ergo sensus: Data Lege mortuus sum, id est, Cognoui me mortuum, vel magis morti obnoxium, quam ante. Ne quisquam autem hoc putaret vitio Legis accidisse, subiungit. *Et inuentum est, mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.*

Paulo etiã tanquam Iudæo vt inuentum sit mandatum, quod erat ad vitã hoc esse ad mortem.

Perpende loqui Apostolum in persona Iudæi: Mihi, inquit, Iudæo carnali, & volenti manere sub Lege, inuentum est tanquam de improuiso, non ex ipsius mandati natura, vel ingenio: nam illa aperiens enormitatem peccati, & supplicium illius, viuifica ex se erat, hominum tamen vitio trahebat ad mortem, & ad maiorem damnationis cumulum. § *Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.* Repetit conclusionem propositam, qua dixerat; Peccatum occasione accepta per mãdatum, operatum est in me omnem concupiscentiam: modo vero ait, seduxit, & occidit.

Quid hoc loco peccatum seduxe-rit, & quomodo illud occiderit per mãdatum.

Peccatum ergo (quod proprie hoc loco est fomes) seduxit me, hoc est, in peccatum induxit; & per illud occidit, quia per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.

Rom. 5.

Alter sensus horum verborum haud contemnẽdus. *Gen. 3.* *B. August.*

Quanquam vero hoc videatur illis fauere, qui hoc exponunt de serpente, qui seduxit Euam, & in mortem induxit intentatam: potest tamen cõmodissime ad tempus Legis referri teste Augustino quæst. sexagesimasexta libri citati.

Eius prima ratio, scilicet, de Lege scripta. II. ratio.

Et hoc quidem dupliciter. Primo, quia delectationis suasio vehementior est, dum adest prohibitio: quemadmodũ in adulterio magis quam in legitimo matrimonio. Deinde, quoniam quę homo facit secundũ iusta Legis, sibi solet attribuere, nisi fides doceat in Deum esse referẽda. Adde, quod concupiscentia quo ardentius per Legem

inflam-

inflammatur, eo homo magis seducitur, & excæcatus decipitur, leuius reputando peccatum quam par esset, Omnis enim peccans teste Philosopho, ignorans est.

Aristot.

Gen 3. Euæ seductio per serpentem qualem aliam adūbrauerit.

Nec Euam proprie seduxit serpens, dicens: *Nequaquam moriemini*, nisi cibi cupiditate eam inflammasset, ac vicisset. In qua quidem tentatione, nostra quoque singulorum delineata est: nam nos facile dæmon circumuenit, vbi ebullierit passio, quæ grauitatem noxiæ attenuat. Et verbum, Occidit, etsi quadrare videatur Adæ peccato, quia per illud mors ingressa est in mundū: suo tamen modo cuicunque peccato competit non solum mors animę, quę est ipsum peccatum, sed etiam mors corporis, & animæ, seu secunda mors: vt Theophylactus hoc loco annotauit. ¶ *Itaque Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* Conclusio est quam præcipue intendebat docere, non solum legem malam non esse, sed etiam bonam, facientem cognoscere peccatū, & illud prohibētem, & indicantem quib. officiis Deum nobis promereamur. Et vt quidam interpretantur: Lex quidem sancta est in genere, quod Deo nos consecratos reddat, & mundos; mandatum vero sanctum, quantum ad ceremonias, quibus populus sanctificabatur: ¶ *iustū* Quod ad iudicia spectat, & quib. homines inter se exæquabantur. Bonum denique, quod attinet ad honestatem præceptorum moralium, siue per Metonymiam, quia sanctos, iustos & bonos efficit obseruantes ¶ Possumus & legem sanctam dicere, id est, puram, & incorruptam in se, In quo est allusio verbi sanciendi, quo lex stabilitur. Deinde in specie mandatum singulum est sanctum, iustum, bonum: quia omnia præcepta legis ad populi sancti statum, iustitiam, & bonitatem ordinantur. Quibus verbis blasphemia Marcionis, & Manichæorum legem proscribentium damnatur. Nam quod dixit Ezechiel: *Dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent*; & Paulus ad Hebræos vocat mandatum carnale, & ad Galat. Infirma, & egena elementa: hoc est, quia ceremoniæ gratiam non conferebant nec erant perpetuo duratura, sicut nec iudicia: propter quod dicitur ab Ezechiele. quę homo non viuet in eis. Quod nō repugnat alteri sententiæ Moysi: *Iustitiam quæ ex Lege est qui fecerit homo, viuet in ea*, scilicet in pręmiis temporalibus legis.

Theophyl.

Lex Moysis cur sancta.

Mādatum cur sanctū, & iustum, & bonum.

Altera eorundem verborum interpretatio.

Ezech. 20. Quo sensu per Prophetam dicatur de Iudæis: Dedi eis præcepta non bona.

Leuit. 18. *Rom. 10.* *Gal. 3.*

Quid amplius fuerit Iudæo præ Gentili, cū & necessario concupisceret, & grauius per legem peccaret.

Sed posset quis obiicere, Iudæos deterioris conditionis factos, quam Gentiles: nam cum necessaria esset concupiscentia in omnibus gratia Dei non adiutis, propter regnum, & potentiam peccati, & Lex ipsam vim fomitis excitaret, necessario factum esse videtur peccatum: quomodo igitur imputabatur illis quod ex necessitate incurrebant?

Qualis fidei, & sacrificiorum veteris legis efficacia.

Respondeo, Iudæos melioris fuisse conditionis quam Gentes, non quidem respectu peccati, sed intuitu medicinæ, vt illis non imputaretur peccatum ob fidem qualemcumque, & Sacramēta & sacrificia; quæ etsi gratiam ex se non impertirentur, tacite tamen quædam erant exercitationes spirituales ob Christi merita præuisa, cuius fide protestata, iustificabantur. Nec deerat etiā Christi gratia ad vim fomitis debilitandam ac deprimendam.

DISPVTATIO IX.

In illa Apostoli verba: *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum peccās peccatum per mandatum. Scimus enim quod lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato, &c.*

IN his verbis hæsitare posset aliquis, cur hoc nouum dubium proponat Apostolus, cum videatur cum proximo superioris Disputationis concurrere. Deinde ambigitur, in qua persona loquatur Apostolus, cum ait: *Ego autem carnalis, sum, venundatus sub peccato?* an in altera, quæ omni iusto, & iniusto quadrare potest. Sed quomodo iusto conuenire poterit: *Non enim quod volo, bonum, hoc ago; sed quod odi, malum illud facio?* Et quomodo dicit: *Consentio legi Dei quoniā bona est?* Tertio, cur dicit: *Quod operor, non intelligo*, cum per legem sit cognitio peccati Et quomodo dicit se nolle quod agit, id est, peccatum, cum omne peccatum sit voluntarium? Implicata ergo, & perplexa videri possent hæc verba, nisi plenam absolutionē reciperent.

I. dubitat.

II.

III.

Rom 3.

I dubij. dissolutio.

Quænam ratio noua huius dubitationis & à superiori discrimen.

Primæ dubitationi satisfacimus in hunc modum, asserentes distinctam esse pręsentem disputationem ab illa priori. Nam in illa quærebatur an lex esset peccatum imputabile, & culpa; & euictum est minime talem fuisse, sed sanctam, & bonam, & iustam etsi occasionem ab ea acceperit homo suo vitio augendi peccatum. Secundam iam instituit interrogationem de malo pœnæ, id est, mortis, tam corporis, quam animi. Et ratio dubitandi est, quia prius dixit. Lex per mandatum occidit me: & inuentum est

(scili-

(ſcilicet mea culpa) mihi, mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Quare rectè proponit: *Quod ergo bonum eſt*, id eſt, Lex, quæ per ſe bona eſt, & cuius ratio repugnat, & aduerſatur non ſolum peccato, ſed morti,) quam docet vitandam) facta eſt mihi mors. Et reſpondet ſuo more, Abſit, negando illationem: quia Lex ſuapte natura data erat in ſubſidium vitæ, etſi per accidens fiat hominis vitio cauſa mortis. Et confirmat addendo: *Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortẽ*

Huius ſententiæ: Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonũ operatum eſt mihi mortem, duplex lectio, & interpretatio.

Græci quidam codices poſt verbum, Sed peccatum punctum habent, vt ſit ſenſus: Bonum non eſt illud, quod factum eſt mihi mors, ſed peccatum. Deinde ſequitur alia clauſula: *Vt appareat peccatum, operatum eſt mihi mortem*, id eſt, vt ſeipſum proferat, per bonum, ſcilicet mandatum, operatum eſt mihi mortem. At Origenes, & Chryſoſtomus noſtræ lectioni ſubſcribunt, vt ſit ſenſus: Sed peccatum, vt appareat peccatum, id eſt, concupiſcentia, ſiue fomes, vt ſeſe prodat, quam ſit res iniqua, & praua (cum etiã optimis quibuſque remediis abutatur) per mandatum bonum, quod veluti ſalutifera medicina adhibitum eſt in remedium operatum eſt mortem. Certat enim fomes concupiſcens pro gloria propria contra mandatum bonum libertatem reſtringens. Neq; enim Deus per legem peccatum, vel mortem intendebat, ſed vt illud homines agnoſcerent, & humiliati ad Chriſtum confugerent. Nam etſi millies Deus nos eſſe peccatores, & morboſos affirmaret, minime crederemus: idcirco voluntas eius fuit, vt iſtum morbum per præceptum poſitum experiremur, & imbecillitatem noſtram bene perſpectam haberemus. Omnes enim noſtrapte natura volumus aliquid eſſe, & reipſa naſcimur Pelagiani, & Phariſæi, niſi Deus ſuccurrat.

Orig. hoc loco, to. 2. Chryſ. ibid. ſer. 12. to. 4. init.

Illud quomodo verum, cum Deus mini me peccatorum iuberet.

Mandati concupiſcẽtiam diuini neceſſitas.

Et ne dicta de peccato Adæ intelligamus per quod mors introiuit, ſubiungit: *Vt fiat ſupra modum peccans peccatum.* Græce habetur: Ita vt fiat, &c. Et eſt ſenſus, Non negabo, per Adæ peccatum mortem introiiſſe in mundum, quia mors regnauit ab Adam vſque ad Moyſen: ſed peccatum, quod per legem Moyſis incrementum accepit, & abundantius ad mortem cooperatum eſt, & iura mortis multiplicauit ea ratione, qua vnum peccatum eſt cauſa alterius. Græce legitur, ἁμαρτωλὸς ἁμαρτία quod apud Origenẽ vertit Hieronym⁹, vt fiat peccator peccatum, id eſt, vt peccatum ipſum fiat ſupra modum peccator, id eſt, cauſa peccati. Ἁμαρτωλὸς, autem dicitur, qui peccandi artem veluti exerceat, & velut habitum peccandi

Quid ſignificet: Vt fiat ſupra modum peccans peccatum.

Rom. 5.

Eius loci variæ lectiones.

B. Hieron.

comparauerit. Et peccatum per proſopopæiam ponitur pro perſona aliqua, ſiue pro violento tyranno, ſicut ſceleſtus dicitur ſcelus. Alii vertunt: *Peccantius peccatum*, ad verbum; Alii, *Peccatrix peccantia*. Sed interpres noſter vt tolleret amphibologiam, ſi dixiſſet, Peccator peccatum, & peccator non cenſeretur prædicatum eſſe, ſed ſubiectum tranſtulit per participium, *Peccans peccatum*: quod tamen vim nominis habet: quo ſcilicet abundantior, & vehementior cauſa fieret plurimorum peccatorum. Et verbum, Fiat, Oecumenius interpretatur: Vt quod factum erat, detegitur, vt propterea certe illud fugiamus. Auguſtinus capit pro, Appareat: nam acceſſit reatus præuaricationis ex notitia habita per legem contra voluntatem Dei notam, quam qui nouerũt multis vapulabunt: vel quia creuit concupiſcentia peccati occaſione mandati libertatem eius reſtringentis.

Oecum. ca. 10. circa fi. Aug. propoſ. 9. h. expoſ. in epiſ. ad Rom. to. 4. iuxta fi.

Quod ait: *Supra modum*, Græce habetur, καθ' ὑπερβολὴν, Hoc eſt mirũ in modũ immẽſe, infinite, & aperte contra Deum notum, vt ea ratione dicatur abundare delictum.

Luc. 18. Quid illud Supra modum.

¶ *Scimus enim quod lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato.* Legem ſuperius accuſatione illorum, qui illam vt lethiferam damnabãt, defendit: iam in hac tertia capitis parte demonſtrat, quam ſit iuſta, & bona, ab eiuſdem legis optimo effectus, qui eſt ſpiritum contra carnem inſtruere. Et cohæret cum proxime præcedentibus, vbi dixit, legem quæ bona eſt, non fuiſſe cauſam, vel peccati, vel mortis, ſed peccatum per mandatum peperiſſe vtrumque. Id igitur probat per certamen, & duellum, quod in nobis eſt inteſtinum inter carnem & ſpiritum, quæ duæ ſunt naturæ, ex quib. conſtamus. Statuit igitur partes contrarias, & ſibi inuicem aduerſantes, carnem, & legem: etſi Galatas 5. bellum conſtituat geri inter carnem & ſpiritum. Sed quia lex à parte ſpiritus dimicat, rationem iuſtitiã́s vetanſque carni ſuccumbere; eãdem hic pugnam deſcribit inter legẽ carnis, & legẽ ſpiritus. Hinc ait: Scim⁹, nos, inquit, Iudæi, cũ quibus adhuc loquitur: modeſteque aliis defert, qui poterant legem ſcire, & per eam probare vtiliora inſtructi per legem, & illud cognoſcere, quod lex eſſet ſpiritualis; quia lex Domini immaculata, conuertens animas non ſolum quod digito Dei eſſet conſcripta, hoc eſt, per Spiritum ſanctum; ſed etiam quia præſcriberet ea, quæ hominis ſpiritualis erant, hoc eſt, quæ erudiunt ad virtutem, & à vitiis dehortantur. Ita enim Ambroſius, Chryſoſtomus, & Hieronymus interpretantur.

Rom. 5.

Sententiæ huius continuatio cum præcedenti.

Gal. 5.

Ad ſecundum dub. Paulus eſt ait: Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato, an vt Iudæus, an vt Gentilis loquatur.

Rom. 2.

I. ratio, cur lex eſſet ſpiritualis.

Pſal. 18.

II. ratio.

Ambr. hoc loco. to 5. Chrys. ibid. ser. 12. III. ratio. *Hier. in Explanat. to. 9* IV. ratio. *Rom 8.* Lex spiritus vitæ cur vocetur lex Euangelica. V. ratio. *Esa. 40. Gen. 6. Esa. 55. Exod. 20.*

Addit Hieronymus, spiritualem dici, quod non possit præstari nisi ab his, qui sunt spirituales, & quales facit Christi gratia: quod in idem recidere videtur. Erat præterea spiritualis quia figura erat, & vmbra Euangelii; & ideo spiritualis, id est, spiritus prænuntia. At Euangelica lex capite 8. vocatur lex spiritus vitæ, quia præsentiã Christi habet, quia per Spiritum sanctum in corde scripta est. Instruit etiam lex, quod homo sit carnalis, iuxta illud. *Omnem caro fanũ* & alibi, *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est*; & quod venundatus est sub peccato, iuxta id; *Gratis venundati estis, & sine argento redimimini*. Ideo qui legem vetabant, poterant cognoscere, quod lex spiritualis est, dicens, *Non concupisces*: cumque postea concupisceret, poterant se carnales agnoscere nondum redemptos, sed in promissione redemptionis existentes. Atque ita Iudæus respectu Gentilis erat perinde atque incontinens respectu intemperati.

Homo carnalis duplici ratione.

Erat autem homo carnalis non quidem à Deo conditus, sed liber à seruitute peccati: factus est autem suo vitio carnalis, quia venditus est non alio pretio, quam vt suas expleat appetitiones: mancipiumque peccati id est fomitis factus: & non tantum carnalis, quia citra vllum assensum subiectus est pugnæ, & molestiæ carnis, quod solis iustis competit, sed etiam quia ratio ex voluntatis assensu sub iugum carnis venit.

Ad III. dubium. Cur per legem sit cognitio peccati: quomodo Apostolus quod operatur, non intelligit? *Rom 3.* I. solutio.

¶ *Quod enim operor, non intelligo* Graphice describit Apostolus naturam Iudæi, qui erat velut incontinens, qui in genere quidem agnoscit & in vniuersali vellet quod debebat; verum in particulari postea à concupiscentia seductus non applicabat vniuersale, vt acciperet, id quod agebat, non esse bonum in particulari. Si enim attenderet, illud non operaretur, quia nemo attendens ad malum, operatur, non intelligit, id est, non approbat nec gratam habet, quia in ipsa praxi decipitur obnubilatus à concupiscentia: & hoc pacto non intelligens operatur.

II. solutio.

Alii interpretantur: Non intelligo, id est, non probo secundum rationem: quod in idem fere recidit. Et subdit: *Non enim quod volo, bonum, hoc facio sed quod odi malum illud facio.*

Vnde Paulus quod volebat bonum, non ageret: & quod oderet malum illud faceret. *Ias 1.*

Absque dubio consentiens fomiti, & abstractus à concupiscentia, & deceptus, cum sim carnalis, & carni subiectus tanquam non intelligens sum; quia quod odi in vniuersali per intellectum, perpetro seductus in particulari per effectum: quia caro non permittit me perfecte syllogizare, dum ad praxim venio. Voces illæ, Bonum, & malum, in Græco non habentur: adiecit tamen interpres maioris claritatis gratia: nisi fore habuit codicem, qui eos contineret. Inferius tamen vbi illa sententia reperitur, & Græce, & Latine illa habentur, vt coniectari facile possit, ex illo superiori loco in hunc inferiorem translatas. Et cauendum ait Augustinus, ne quis arbitretur his verbis auferre nobis liberum arbitrium: quod non ita est. Nunc enim homo describitur sub lege positus ante gratiam. Tunc enim peccatis vincitur, dum viribus suis iuste viuere conatur sine adiutorio liberantis gratiæ Dei. In libero autem arbitrio habet vt credat liberatore, & accipiat gratiam. Sic ille magnus Pater.

Aug. li. Expos. in Epist. ad Rom. propos. 44. In prædictis Pauli verbis nullum liberi arbitrii iniuriam continet.

¶ Et adiungit postremo: *Si autem quod nolo, illud facio, cõsentio legi, quoniam bona est.* Ecce quousque protenditur Iudaica perfectio, quæ ex lege est, nimirum, quod homo carnalis intellectu illustratus, & lege eruditus, agnoscere possit quæ recta sunt, & ad verum bonum conferunt; & tamen illa bona non præstet, vt possit quidem docere non tamen facere, ac proinde non conuenienter, imo imprudenter docere.

Docere tantum boni non facere Paulus Iudaicæ perfectionis docet esse fastigium,

Hactenus Apostolus statum Gentilũ & Iudæi diligentissime simul, ac doctissime persecutus est. ¶ Et quia supererat, vt de statu gratia tractaret, assumpta Christiani persona non tam voluit de seipso loqui, quam de stato Christiani hominis. Quod quia quidam non obseruarunt, quod tamẽ ex eius verbis poterat facile colligi, nihil dubitationis passi sunt. Vnde Hieronymus in caput 9. Danielis, super illud; *Peccauimus inique egimus impie fecimus. &c.* asserit, Paulũ cap. 7. alienam personam induium loqui: quod verissimum est, quia modo existentis in Adam, modo Iudæi habentis legem, modo iusti, & in Christo restaurati persona verba facit.

Hier to. 5. circa fin.

Vbi primũ Apostolus in hoc capite Christiani hominis personam assumat. I. opinio.

Hoc autem incipit ab illo verbo: *Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* quod paulo inferius latissime comprobatum relinquemus: sicut & ea quæ sequuntur, omnia in hoc capite de renato in Christo, & iustificato esse intelligenda confirmabitur.

II opinio *B. August.*

Vnus tantum scrupulus prius soluend' est, quod Augustinus, & alii Patres eum secuti, etiam superiorem clausulam, quæ habet: *Scimus enim quod lex spiritualis est; ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*, cum reliquis vsque ad dictum locum: *Nunc autem iam non ego operor illud*, etiam ad renatos & instauratos in Christo censet esse referẽdum. Sed certe expositionem priorem, quod illa spectant ad Iudæum, multa comprobant.

Huic quæ repugnare videantur. *Rom 1.*

Nam Iudæus nouerat, legem spiritualem esse lege instructus, & nõ tantum renatus in Christo. Et nomen carnalis, in malam partem accipi consueuit, iuxta illud;

Cum

1.Cor.3.

Cum sit inter vos zelus, & contentio; nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Venundatus etiam sub peccato non nisi dure, & violenter de iusto exponitur, at commode de Iudæo, qui sub peccato est. Operari quod homo non intelligit, aptissime conuenit incontinenti Iudæo, qui quod nouit in genere esse faciendum, in praxi seductus nesciens operatur: at illa verba iusto quadrare non possunt, qui nouit quod operatur. Et ita suauius tota illa clausula refertur ad Iudæū, quam ad renatum in Christo. Addo & illud, quod Patres veteres illam clausulam interpretantur de homine peccatore necdum restituto: vt Origenes, & Ambrosius hoc loco, Hieronymus quæst. 8. ad Algasiam, Chrysostomus, & Theophylactus hæc verba disserentes, & Paulinus epist. ad Seuerum, & ipsemet Augustinus ita sensit lib. octoginta trium quæstionum, quæst. 66. & lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 1. & in expositione epistolæ ad Romanos, & ad Galatas. sed Augustinus postea mutauit sententiam libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, capit. 10. vbi respondet rationibus, quas Patres alibi producebant contra illum sensum. Sed in eo certe laudandus est Augustinus, quod multis, & magnis rationib. probauerit, reliquam huius cap. partem de statu Christiani esse accipiendam. Cuius rationes breuiter subnectam, ne aliquis aliorum Patrum autoritate ductus, minus plene, aut minus Catholice hunc capitulum interpretetur.

Quæ tria tantum Iudæo, non autē Christiano, ac iusto possint conuenire.

Orig. to. 2. Ambr. to. 5. Hier. ep. 151 to. 3. circa med. Chrys. serm. tom. 4. Theophyl. Paulin. ep. 2. Aug. to. 4. circa dimid. Idem ibid. Idem ibid. circa finem Idem ibid. Idem to. 7. aliquanto à med.

Quod igitur ab eo loco, *Nunc autem iam non ego operor illud*, vsque in finem, de Christiano statu veniat accipiendum, & Paulus in persona iustificati loquatur, probat in primis, illud aduerbium, Nunc, quod in eodem Apostolo sæpe significat statum gratiæ vt etiam ponderauit Augustinus libro 6. in Iulianum, capite 11. prope finem, & libr. 1. in duas epistolas Pelagianorum, cap. 10. sub finem.

Prior sententia idoneis rationibus, & argumentis quibus nitatur.

I. argum. August. Idem.

Aduerbiū, Nunc, pro statu Euangelii quam frequens Apostolo.

Item Paulus cap. 3. huius epistolæ de statu gratiæ ait: *Nunc autem iustitia Dei manifestata est sine lege*. Et cap. 5. *Multo magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.* Et capit. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Et iterum: *Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione.* Et in hoc capite: *Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur; ita vt seruiamus in nouitate spiritus & in vetustate literæ.* Et capite sequenti in principio: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.* ¶ Ex quo loco non solum habes aduerbium, *Nunc*, sed conclusionem quandam ex disputatis superius, quæ conclusio aperte indicat, & probat, sermonem fuisse de statu Noui Testamenti, ita vt præcedentia, & subsequentia verba idem euincant. Idem indicat Paulus ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et in 2. Cor. 5. *Et si cognouimus secundum carnem Christum; sed nunc iam non nouimus.* Adde etiam cap. 6 eiusdem epistolæ producto testimonio Esaiæ ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et rursus ad Heb. 4. tempus gratiæ præsens ait designari per illud, *Hodie*, quod habetur in Propheta; *Hodie si vocem eius audieritis.* Vides igitur quam dense, quam crebro Apostolus designet statum Christiani per illud aduerbium, *Nunc*.

Rom. 3. Infra 5. Infra 6. Ibidem. Infra 7.

Ephes. 5. 2. Cor. 5. Infra 6. Esai. 49. Heb. 4.

Deinde idem euincimus Patrum testimoniis. Siquidem Augustinus libro 2. Retractat. capite primo, in principio ita habet: *In qua quæstione* (scilicet prima ad Simplicianum) *illa Apostoli verba: Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, & cætera, quibus caro contra spiritum confligere ostenditur, eo modo exposui, tanquam homo describatur adhuc sub lege, nondum sub gratia constitutus: longe enim postea & spiritalis hominis, & hoc probabilius, esse posse illa verba, cognoui.* Libro item in Iulianum, capite 11. iuxta initium: *Quod autem*, inquit, *verba Apostolica, vbi dicis: Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum, & cætera, vsque ad illud, vbi ait: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? me affirmas aliter intelligere, quam eorum ipsum caput debet intelligi; nesciens mihi plurimum tribuis. Non enim ego solus, aut primus sic istum locum intellexi, quo euertitur hæresis vestra: quemadmodum vere intelligendus est: imo vero ego prius aliter intellexeram, vel potius non intellexeram, quod mea quædam illius temporis etiam scripta testantur. Non enim mihi videbatur Apostolus & de ipso dicere potuisse: Ego autem carnalis sum, cum esset spiritalis & quod captiuus duceretur sub lege peccati, quæ in membris erat eius. Sed postea melioribus, & intelligentioribus cessi, vel potius ipsi, quod fatendum est, veritati, vt viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse sanctorum, contra carnales concupiscentias dimicantium. Qui cum mente sint spiritales, adhuc tamen isto corruptibili corpore, quod aggrauat animam, recte intelliguntur esse carnales, qui erunt, & corpore spiritales, quando seminatum fuerit corpus animale, & resurget corpus spiritale. Et recte adhuc intelliguntur illa parte captiui sub lege peccati, qua desideriorum, quibus non consentiunt, motibus subiaceret. Hinc factum est, vt sic ista intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ sancti, notique Doctores; qui &*

II. argum. Aug. to. 1. in ret. l. 2. to. 4. Idem to. 7. Augustini modestia, & prudentia. Sap. 9. 1. Cor. 15. Hilar. Gregor. Ambros.

ipsum Apostolum aduersus carnales concupiscentias, quas habere nol bat, & tamen habebat, strenue conflixisse, eundemque conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt. Idem ser. 5. de verbis Apostoli proposita qu. concludit, & l.1. de nup. & concup. ad Valerianum. c.57.

Idem to.10.

Ex quibus Augustini testimoniis colligo, & illum oliam senteutiam retractasse vt minus Catholicam, & Pelagianis (vt etiam docet lib.1. in 2. epist. Pelag. c.8. (magis fauentem, & veteres Patres ita intellexisse. Adde quod eodem lib. 1. contra 2. epistolas Pelagianorum, cap. 10 ex nonnullis eius capitis particulis idem euincit. Et quia habet: *Nunc autem non ego operor illud, sed id, quod habitat in me peccatum Quid est, Nunc autem, nisi, Iam nunc sub gratia, qua liberauit delectationem voluntatis à consensione cupiditatis.* Et libro sexto contra Iulianum ponderat, quod de vita, & statu in Iudaismo locutus sit per verbum præteriti temporis: vt, *Peccatum non cognoui nisi per legem: Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces: Operatum est in me omnem concupiscentiam. Peccatum reuixit, & ego mortuus sum: Peccatum seduxit me, & per illud occidit;* &, *Per bonum operatum est mihi mortem* De statu vero nouæ gratiæ per verbum de præsenti; *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum : Condelector legi Dei: Video aliam legem in membris meis : & Quis me liberabit de corpore mortis huius ?* De futuro dixit, quasi de præsenti, non de præterito liberauit. Ponderat & illud quod ait: *Iam non ego operor illud;* id est, mens reparata, quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat, quia non potest arbor bona malos fructus facere; sed caro repugnãs id facit: quod non potest dici de homine gratia Dei destituto, quia ille totus voluntate, & animo peccat.

Idem to. 7. aliquanto à med. *Idem ibid.* *Idem.* Gratiæ Noui Testamenti effectus, secundum Augustinum. *Idem eod. co.9* *Exod. 20.* Noui rursus Testamenti à Veteri discrimen ab eodem obseruatum hoc loco. Altera eius obseruatio *1. Ioan. 3.* *Matth. 7.*

III. Tertio, ponderat quod sequitur, *Scio quod nõ habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.* Si de lapso nondum iustificato loqueretur, non debuit dicere, tantũ in carne mea, sed in mente; nec debuit dicere, Scio, scilicet iustificatus experientia; sed, Scimus, vt supra

IV. Adhæc expendit quod ait: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem;* &, *Mente seruio legi Dei.* Hoc non potest dicere carnalis Iudæus, qui secundum spiritum, & mentem odio habebat legem Dei. Ex quibus infert Augustinus, non de alio, quam de iusto & liberato per Christum intelligendum præsentem locum.

Cuius sententiæ subscribit Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem : quæ incipit: *Non audacter.* Et libro aduersus Iouinianum, quædam Apostoli verba referendo ad iustos in CHRISTO. Et in Dialogo contra Pelagianam hæresim : nam Pelagiani Origenis dogma retinentes, dicebant, Apostolum pro seipso dixisse, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &, Miser ego homo, &c.* Vnde Atticus, id est, Catholicus respondit: *Quis tibi hoc concedet, vt ex persona peccatoris loquatur Apostolus ? Si enim ex persona peccatoris hoc accipis, debebat dicere, Miser ego peccator ; & non Miser ego homo. Homo quippe natura est, peccator voluntatis.* Idem: *Vas* inquit, *electionis, in cuius ore Christus resonabat, macerat corpus suum, & subijcit seruituti; & tamen carnis naturalem carnis ardorem sua repugnare sententia, vt quod non vult, hoc agere compellatur, & quasi vim patiens, vociferatur: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Idem in epistola ad Eustochium : *Si Apostolus vas electionis, & separatus in Euangelium Christi ob carnis aculeos, & incentiua vitiorum reprimit corpus suum, & seruituti subijcit, ne aliis prædicans, ipse reprobus inueniatur; & tamen videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ & captiuum se in legem duci peccati. &c.* Rursus ad Saluinam ; *Hoc ille pronuntiat, qui libere sub persona sua fragilitatem humanæ corporis fatebatur. Non enim quod volo bonum, hoc operor; sed quod nolo, malum. Et propterea castigo, & redigo in seruitutem corpus meum, ne aliis prædicans, ipse reprobus inueniar.* In epistola quoque ad Rusticum Monachum idem insinuat. Accedit Gregorius lib.6. Moral. ca. 22. *Quis adhuc in hac corruptibili carne subsistens, has terræ bestias (motus scilicet carnis) plene edomat, cum ille ad cælum raptus egregius prædicator dicat : Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. &c.* Idem libro nono, cap. 29. similia repetit. Adhæc libr. 21. Moral. capite 3. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore : peccatum quippe in vestro mortalẽ corpore nõ esse, sed regnare prohibuit, quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest.* Et libr. 33. capi. 28. *Per contemplationem, ait, infirmitatis propriæ Paulus mortiferis appropinquanerat legi mentis meæ.* Idem in Psalmum 31. in ea verba: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno,* asserit Paulum pro se orare: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius ?* Et idem profert in persona Pauli ad interrogat. Vltimam Augustini Anglorum Episcopi, Ambrosius li. de Abraham: *Hinc ergo,* ait, *cogitationum nostrarũ discordia; cum caro repugnat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: non mediocris pugna est, quando ipsemet Apostolus vas electionis Dominicæ dicit: Video legem carnis meæ repugnãtem legi mentis meæ, &c. Sedare hanc pugnam ipse nequiuerat, & ideo ad Christum refugit, dicens, Infelix ego homo, &c. Si fortiter non commi-*

Hier to.2. aliquanto à med. Idem ibidem. iuxta initio. Idem Dialog. 3. propo initio, tom. eodem. Illud: Video aliam legem in membris meis, &c. non in sua, sed totius generis humani persona Apostolum pro nouitate, contra Pelagianos. *Idem.* *1. Cor. 9.* *Idem ep. 22 prope init. to.1* *Act. 9.* *Idem ep. 9. paulo à med. eodem prope init.* *Idem ep 46 prope finem.* *B. Greg. to. 1.* *2 Cor. 12.* Motus carnis, ait Gregorius, nemo mortalis plene edomat. *Idem.* *Idem.* *Idem eo. 2.* *Idem ibid.* *Ambr. c. 6. prope init. to. 4.* Vnde nam cogitationum nostrarum discordia. *Gal. 5.*

sit vi-

Pauli humilitas.
B. Bernard.

sis viribus, quo corpus mortis euaderet, sed auxilium quæsiuit à Christo, quid nos facere oportebit infirmiores. Hæc ibi. Idem Bernard. serm. 6. de orat. in Quadrages. confirmat, dicens: *Hinc & Apostolus de se fatetur: Ego ipse, ait, mente consentio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et

Idem post libri dimid.

lib. de libero arbitrio, *Denique Paulus, qui captiuum se in legem peccati trahi conqueritur, &c. ait: Consentio legi Dei, quoniam bona est. Et rursum. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.*

Idem ibid. ante med.

Et supra dixerat: Sed si quis esset huiusmodi, maior esset Paulo, qui confitetur dicens: Perficere autem non inuenio. Et alibi: Quis est sine miseria, vbi iustus exclamat, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hæc illi Patres.

Idem.

Quo sensu Patres verba prædicta: Video aliam legem, &c. Paulo in propria persona asserant conuenire.

In quibus si quandoque asserunt, Apostolnm in sua persona locutum, intellige in persona iustificati, & per Christum renati.

Ex horum igitur patrum sentētiis, & rationibus ex Textu collectis, euictum relinquemus, sequentia huius cap. verba de statu Christiani & iustificati esse accipienda: quod etiam in Textus ipsius expositione, quem sequenti disputatione prosequemur, liquidum, & exploratum reddetur: & si quid dubitationis, aut scrupuli contra verum sensū, quem defendimus, deprehenderimus, nequaquam dissimulabimus, sed libere, & aperte enucleabimus.

DISPVTATIO X.

In illa verba: *Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nā velle adiacet mihi, perficere autem nō inuenio,* & cętera vsque in finem capitis.

NOnnullas hoc loco dubitationes excitabimus, & excitatis satisfacere

Quæstio I.
1. Cor. 6.

enitemur. Primo in controuersiam venit, quomodo ait: *Non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum:* cum alibi dicat: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti?*

II.

Deinde quomodo ait: *Velle adiacet mihi: perficere autem non inuenio,*

Philip. 2.

cum alibi dicat, *Deus est qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate?*

Matt. 5.

Et Christus dicat: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

III.

Tertio in dubium vocatur, quomodo dicat; *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati,*

Rom. 6.

cum idem Apostolus dicat: *Peccatum in vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia.* præsertim cum hæc verba dicantur de iustis & spiritualibus in Christo.

IV.

Quarto, quomodo ait: *Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati,*

Matt. 6.

cum Dominus dicat: *Nemo potest duobus dominis seruire?* Sed explanemus textum Apostolicum prius, & vnamquamque suo loco dubitationem expendamus.

Propositæ sententiæ applicatio.

Et quod attinet ad primam hanc sententiam, iam superius satis exposita fuit. Sunt enim verba iusti, & in Christo renati, quia de motibus à carne suscitatis, & quibus ipse viriliter resistens ait: *Iam non ego operor illud,* Vnde ergo tantum malum iusto? Subdit: *Sed quod habitat in me, peccatum;* hoc est, Fomes ex peccato veniens, & ad peccatum solicitans, & in quo quodammodo peccatum Adæ originale iam remissum viuere dicitur.

Peccatum, id est, fomes in carne cur dicatur habitare.

Hic autem fomes vitiosus, quia carni insidet, imo ipsi naturæ congenitus est; etsi homo in pura natura crearetur, illnm haberet; & illum habere, est conditio hominis existentis in Christo; ideo dicitur inhabitare. Et subdit: *Scio enim quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.*

Quodnam illud bonū in carne nō habitans.

Vult dicere. Quotidiana experientia didici, & certus sum ex gratiæ Lege gustata, & impressa in corde nostro, quod non habitat in me, id est, in carne mea, bonum. Quod est bonum, nisi solus Deus, & quicquid de illo participat? Et ipse Spiritus Dei quidem est: & quicunque huius spiritus particeps est, habet in se, hoc est, in mente sua, bonum.

Cuius in mente illud bonum inhabitet.

Sed in carne olim spiritualis in hac vita non est appetitus spiritualium, sed carnalium bonorum, & eorum, quæ commoda sunt secundum sensum, & eum delectant.

CurPaulus ea explicatione, hoc est, in carne mea, &c vsus sit.

Quærit ergo sensus quæ sua sunt, & quæ mundi, non quæ Dei sunt, vel Spiritus. Et addidit correctionem illam, *In me, hoc est, in carne;* vt innotescat, id, quod est in carne, nō esse simpliciter in homine, quatenus ratione præditus est. Et perpende doctrinam

Tertul.

Tertulliani, qui ait libro de Resurrectione carnis: *Etsi negat Apostolus habitare quicquam boni in carne sua, &c. vt carnis non tamen substantia sed actus inhonoretur: dicemus quidem alibi nihil propriè carni exprobari oportere, nisi in anima sugillationem, quod carnem ministerio sibi subigit.* Hæc ille.

In carne quatenus bonum nō habitet, teste Tertul.

Ad I. dub. Si non habitat in carne mea bonum, cur habitare dicatur in nobis?

Adhæc in anima iusti non malum, sed bonum, habitare, id est, gratiam, & Diuini numinis fauorem, alibi sæpe tradit Apostolus, cum ait: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Quare his non aduersatur, quod Capite octauo habet Apostolus; Inhabitare in nobis Spiritum Dei, qui nos per sacrum lauacrum infunditur: & 1. Corinthiorum 3. *Templum Dei sanctum, quod estis vos,* & cap. 6. *An nescitis, quo-*

Tit. 3.
1. Cor. 3.

Infra 6. *niam membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* Illis enim in locis Apostolus duntaxat ius exprimit, quod Deus ratione creationis & redemptionis in corpora nostra habet, ne Rom. 6. exhibeamus mēbra nostra seruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatē, sed illi tanquam templum manibus eius fabricatum; sanguineque eius restauratum. Vnde sub- 1. Cor. 6. dit. *Empti enim estis pretio magno.* Hic tamen prodit malum in carne iustorum, in quod occasione peccati Adæ incidimus. Augustinus vero hunc locum ita interpretatur li. 1. Aug. to. 6. in 2 epistolas Pelag. cap. 10. *Iam, inquit, illud quod sequitur, nonne vnde loquatur, aptissime ostendit? Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum, Si enim non exponeret adiungendo, hoc est, in carne mea, aliter fortasse acciperetur quod dixit, in me. At per hoc versat hoc idem repetens, & inculcans; Velle autem adiacet mihi, perficere autem bonum non. Hoc est enim perficere bonum, vt nec concupiscat homo. Imperfectum est autem bonum, quando concupiscit, etiamsi concupiscentiæ nō consentit ad malum. Non enim quod volo facio bonum, inquit, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, ego hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Id repetitur inculcans, & tanquam tardissimos de somno excitans.* Hæc ille.

Nec est hic magnopere laborandum, in qua significatione Apostolus accipiat carnem. Non enim tantum pro altera parte hominis, quam ab anima distinguimus, & corpus, siue carnem appellamus, sed pro anima carnali, id carnaliter concupiscente, & quā aperte distinguit Apostolus à mente, dum Gal. 5. ait: *Caro concupiscit aduersus spiritum; &, Ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi pecca-* Rom. 7. *ti.* Sequitur: *Nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Probat, quod non habitet bonum in carne, ex eo quod si esset bonum in carne, sicut homo spiritualis habet potestatem in mente volendi bonum, ita haberet & perficiendi, siue exequendi; cum tamen experientia deprehenderet, se à carnis vitio impediri, siue retardari, quominus bonum perficeret.

Quid significet: Velle adiacet mihi.

Quod ergo ait: *Velle adiacet*, intellige velle bonum: quod est, non concupiscere, & à vitiosis motibus immunem esse. Adiacet, siue, vt habet litera Græca Τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, hoc est, non est mihi innatum à natura, sed à superueniente Spiritu gratiæ superadiectum, & donatum mihi, siue voluntati meæ. Vnde frustra Pelagiani dicebant, incipere bonū, esse ex nobis, sed perficere, esse ex Deo. Quod falsum esse, inde conuincitur, quia aperte docet adüci ex dono Dei, & alibi: *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Et ad Corinth. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Subdit: *Perficere autem non inuenio.* Hoc est, exequi illud bonum non concupiscendi; & opere ipso præstare, non inuenio. Ait porro Augustinus lib. 1. de nupt. & concup. capit. 29 hoc ideo dictum esse, quia tunc perficitur bonum, quando desideria mala nulla sunt: sicut tunc perficitur malum, quando malis desideriis obeditur. Quādo autem sunt desideria, sed non eis obeditur, nec malum perficitur, quia non eis obeditur, nec bonum, quia sunt, sed fit ex aliqua parte bonum, quia concupiscentiæ malæ non consentitur, & ex aliqua parte remanet malum, quia vel concupiscitur: ideo ergo Apostolus, non ait, facere bonum sibi adiacere, sed perficere. Multum enim boni facit, qui facit quod scriptum est: *Post concupiscentias tuas non eas*: sed non perficit, quia non implet quod scriptum est; *Non concupisces.* Sicut ergo Apostolus distinguit inter velle, & perficere, ita Augustinus inter facere, & perficere. Et vt Apostolus cōfitetur sibi adesse velle; sed non perficere; ita Augustinus adesse facere, sed non perficere.

Et incipere & perficere bonum, verumque esse ex Deo, & non ex nobis contra Pelagianos.

Philip. 2.
2. Cor. 3.
B. Aug. to. 6.
Bonum quando perficiatur teste Aug. & quando etiam malum.
Eccl 18.
Exod. 20.

Sed fortassis obiicies, quomodo Apostolus hic dicat sibi adiacere velle, non autem perficere, cum id in alio loco vtrumque iustificatis dono Dei contingere asserat. Dixit enim: *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate?* nunquid ergo Apostolus sibi contrarius extitit? Respondeo: Nequaquam sibi repugnat Apostolus: nam aliter accipit verbum perficiendi hoc loco, & aliter in loco prodicto ad Philippens. Nam hic Perficere, vocat, Non concupiscere, vt ex verbis præcedentibus, & subsequentibus, & Augustini interpretatione necessario colligitur. At in alio loco perficere, est legibus diuinis parere, & præcepta Euangelica obseruare: inter quæ non continetur præceptū illud, Non concupisces, nisi quatenus significat: Post concupiscentias tuas non eas, quod fit non obediendo concupiscentiæ motibus.

Ad II. dub. Quod dicitur: Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio, cum alibi secus definiatur, quomodo verum sit.
Philip. 2.
1. solutio.

Possumus etiam aliter hoc dissoluere. Nam quod hic ait: Perficere non inuenio, ob id dixit, quod non omnia quæcunq; volumus, tanta promptitudine carnis, & alacritate membrorum corporis præstamus, quanta vellemus, etiamsi in quibusdam id dono Dei contingat. Adeo vt dicere possit iustus; Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et alibi ait Paulus, *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autē aduersus carnem.* Hæc enim sibi inuicē aduersantur;

Altera sol.
Matt. 26.
Gal. 5.

vt non

Quam recte Paulus dixit, quod per mutuam carnis, & spiritus inter se in nobis repugnantiam, non quæcunque velimus, illa faciamus.

vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Et expende verbum: Non quæcunque vultis: nam aliqua, imo multa datur præstare, non autem omnia, maxime illa, quæ consilii, & perfectionis sunt. Multum vero minuitur de bono, quod fieret per hoc certamen. Secus tamen erat in statu innocentiæ, quando in carne erat bonum, nec rebellabat spiritui; & aderat illa iustitia metaphorica, qua caro parebat spiritui. Secus etiam erit in statu resurrectionis, quando mortale hoc induet immortalitatem. Sed nunc non sumus renati nisi per Baptismum in spiritu, & parte superiori: vnde mens purificata Deo coniungitur, & fit vnus spiritus cum eo. At iustitiam illam originalem non datur recuperare, ex cuius carentia relictum est hoc duellum, & lucta continuata, quam soli spirituales agnoscunt, carnales vero tantum suspicari possunt, sed neque resistere, vel cõuincere norunt, quia facile succumbunt, & cedunt carni. Durat autem hæc lucta ad mortem vsque, vt huius antiqui peccati meminerimus; tum vt humiliemur Deo, & recurramus ad illum frequenter in huius luctæ necessitatibus, vt Paulus suo exemplo docet: tum vt in hac infirmitate virtus nostra perficiatur, qui in multa fortitudine innocentiæ cecidimus; denique vt nobis maiora merita comparemus, corpus subiectũ habentes fami, siti, laboribus, & morti, vt Christus redemptor noster habuit. Porro iustitia originalis, quia non tam necessaria erat ad salutem, quam ipsa gratia, minime restituitur. Neque mirum: nam Deus virginem lapsam, & pœnitentem ad gratiam suam reparat, sed non ad integritatem, quæ non est ad salutem necessaria. Pater etiam filium, qui dissipauit substantiam cum meretricibus, redeuntem à regione longinqua recipit, non tamen illi iterum rem familiarem tractandam restituit, ne deterius iterum prolabatur.

Originalis iustitiæ beneficium.
1. Cor. 15.
Cur modo tantum spiritu, non carne regeneremur.
Supra 6.
Carnis, & spiritus, perpetui illius in nobis certaminis causæ.
2. Cor. 12.
Originalis innocentia cur nobis irreparabilis.
Luc. 15.

Spiritualis ergo non facit bonum perfectum, vt vellet eius spiritus; facit tamẽ multa bona. Et licet impingat in illud, quod dicitur τὸ κακὸν id est, defectum, siue vitium; non tamen in τὸ πονηρὸν id est, malitiam; siue malignitatem, vt dixit clarissimus Oratorum. Et licet faciat malum quod non vult, non tamen omnino consentit, aut actu implet. Carnalis vero & mente consentit illi malo, & opere id complet. Quia ergo spiritualis non potest bonum perficere absolutum, imo & deficit, & offendit in multis, nisi Dei gratia adiuuetur; cogitur sæpe dicere; *Ne nos inducas in tentationem*, & Paulus ter Dominum rogauit, & Christus iustos Apostolos admonuit: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Ad singulos quippe actus opus est ope diuina, ne labamur à gratia spiritus: & vbi consensus non est, nec mortiferum erit delictum: quanquam si aliqua sit negligentia in coercendo, venialis culpa admittatur.

M. Tull. lib. de offic.
Spiritualis vir, & carnalis discrimen.
Iacob. 3.
Matth. 16.
2. Cor. 12.
Matt. 26.

Dices rursus; Si aliqui dicuntur viri perfecti, vt Matth. 5. & Colos. 1. dicuntur quomodo bonum opus non possunt perficere? aut si sine leuibus peccatis hæc vita non agitur, quomodo dicuntur perfecti? Nam Apostolorum vox est; *In multis offendimus omnes: &, Si dixerimus quoniam peccatum non habemus* & cætera. Breuiter respondendum est, eiusmodi concupiscentiæ motus, aut leuia peccata, quæ caueri non possunt, cum perfectione præsentis vitæ, aut cum iustitia Dei non repugnare: quia alia est perfectio viæ, & alia patriæ: & illa supernæ patriæ perfectio omnibus repugnat cõcupiscentiæ motibus, & peccatis, etiam leuissimis: at perfectio præsentis status hos defectus leuiores patitur, quibus homo humilietur, & maiora bona sibi comparare valeat.

Viri Perfecti si tales sunt, quomodo perficere bonum non inueniunt: aut etiam peccatis cur subiacent.
Iacob. 3.
1. Ioan. 1.

Non dissimulabo, Perficere, hoc loco accipi posse pro, perseuerare vsque in finem, in quo plus est difficultatis, quã in eo quod est & velle, & operari bonum: quia præter gratiam iustificantem, singularem Dei fauorem exigit, vt quis in bono cœpto perseueret: non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Quamobrem si forte post Baptismum lapsus aliquis mortiferus ignorantia, aut fragilitate contingeret, per quem impediremur perficere bonum, diuina prouidentia prospexit de altero reconciliationis Sacramento, per quod in gratiam priorem restauremur, & ad bonum cœptum perficiendum progrederemur.

Perficere pro, Perseuerare.
Eccl. 7.
Finis pœnitentiæ Sacramenti.

Ac subdit: *Non enim quod volo, bonum, hoc facio, sed quod nolo, malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, iam nõ ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.* Probauerat superius hac ratione, legem esse spiritualem: nunc eadem confirmat, in spirituali non esse facultatem perficiendi bonum: quia bonum, quod vult secundum mentem gratia renouatam: vt orare sine diuagatione mentis, ieiunare sine tristitia, eleemosynas largiri sine sensu doloris, opere non perficit, sed potius quod improbat secundum mentem, agit secundum carnem. Quod etiam dictum esse putandum est propter effectus vitales. Et ita iterum confirmat conclusionem superius intentam, quod in se, id est, in carne sua, non esset bonum. ¶ *Inuenio igitur legem volentem mihi facere bonum, quoniã mihi*

Cur bonũ nequeat homo spiritualis perficere quod vult, & quã lenam illud.
1. ratio.
Altera.

Huius sententiæ: Inuenio legẽ volentem mihi facere bonum, quoniam mihi malũ adiacet, multiplex interpretatio.

Orig. hoc loco. tom. 2. Chryſ. ſer. 13. non longe à princ. tom. 3. init. Ambroſ. Auguſt. Chryſoſt. Ibidem. Theophyl. Auguſt. Photius ad Oecumen. c. 11.

malum adiacet. Hoc eſt, Etſi mente ſpiritualis ſum, in qua bonum adiacet; malum tamen concupiſcentiæ carnis innatum, mihi, quatenus ſpiritualis ſum, adiacet, quo impedior, ne totis viribus Deo poſſim vacare. Origenes, & Chryſoſtomus fatentur obſcuram eſſe hanc clauſulam, & aliquid eſſe ſupplendum, quo poſſit conſtare. Et licet Ambroſius, & aliquando Auguſtinus interpretentur de lege Moyſi, cuius bonitas, & neceſſitas hic aſſeritur ab Apoſtolo: fuit enim neceſſaria ob malum noſtrum, quod in carne additum erat, detegendum: at Chryſoſtomus, & Theophylactus aiunt: *Inuenio legem patrocinantem mihi, volenti quidem facere bonũ, quod tamen non facio, eo quod malum mihi adiacet*. Sic enim fere Ambroſius explanat. Alii vero: *Inuenio legem volentem mihi bonum facere, oſtendentem quod malum illud mihi adiacet, non autem ipſi legi*. Sic Auguſtinus libro primo de nupt. & concup. capite 30. Photius in Græcis ſcholiis interpretatur: *Inuenio legem in bonum eſſe mihi volenti facere quod bonum eſt: ſe ſimiliter inuenio malum mihi adiacere*. Vel, Didici quæ ſit vis legis, & natura, & quam mihi nihil poſſit prodeſſe: quia mihi volenti facere bonum, adiacet malum. Vel etiam: Inuenio igitur mihi volenti facere ſecundum legem quod bonum eſt, quod mihi malum adiaceat. Nam Græce his opponitur τὸν νόμον pro κατὰ τὸ νόμον, id eſt, ſecundum legem.

Quænam ex prædictis minus idonea, atque probabilis ſit. Vnde nobis volentibus facere bonum malum adiaceat.

B. Auguſt. Condelectatio legi Dei ſecundum interiorem hominem, teſte Auguſt. quid efficiat munere diuino.

Quidam interpretantur de lege membrorum: quod mihi nõ placet. Sed ſubiungit: *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem: Video autem aliam legem in mẽbris meis, repugnantem, &c*. Probat, malum ſibi adiacere ex eo, quod etſi ſecundum hominem interiorem condelectetur legi Dei, inueniat tamen aliam legem in membris repugnantem, & captiuantem. Quod interpretans Auguſtinus libro primo de nupt. & concup. capite 30. ait: *Iſta condelectatio legi Dei ſecundum interiorem hominem, de magna nobis venit gratia Dei. In ea quippe interior homo noſter renouatur de die in diem, cum in ea proficit perſeueranter. Non enim timor eſt torquens, ſed amor libens. Ibi ſumus veraciter liberi, vbi non delectamur inuiti*. Hæc ille ſatis diligenter.

2 Cor. 4. Homo interior & exterior idẽ homo nouus, & vetus quatenus nominetur. Epheſ. 4.

Porro eundem hominem interiorem, & exteriorem, vocat & nouum, & veterem ad Epheſios 4. quatenus aut ſenſui, & carni, aut rationi, & menti obſequitur: inter quos eſt perpetua lucta, & certamen. Et vt ſuperius dixit: *Conſentio legi, quoniam bona eſt*; ita hoc loco ait: *Condelector legi*. Et addit: *Secundum interiorem hominem*: quia etſi ſecundum externum condelector carni, tamen ſecundum interiorem cõdelector legi Dei cui olim dum eſſem in carne, condelectari non poteram, etſi eã accepiſſem & cognouiſſem eſſe Dei, qui eram in carne, cui magis ſeruire licebat. Porro nunc mens mea eſt charitate Dei aſperſa; & ideo cum Spiritu ſancto in hac ſua lege condelectatur, quæ lex eſt amoris. Congaudet enim veritati charitas; &, *Pax multa diligentibus legem tuam; & non eſt illis ſcandalum*.

Proprium charitatis. 1. Cor 13. Pſ. 116.

Hominis ad peccandum innata procliuitas.

Video aliam legem in membris meis, repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Non ait, Captiuantem carnem meam, ſed, me: quia ita cõditi ſumus, vt iterum poſſimus in ſeruitutem, & captiuitatem relabi: quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Et ſicut ſuperius declarauit ſe ſpiritualem eſſe, ex eo quod legi Dei condelectatur interior homo; ita hic oſtendit, quomodo iuſto malũ adiaceat. Et quod ait: *Repugnantem legi mentis meæ*: non eſt difficile intelligere. Lex enim membrorum à bono, & honeſto retrahit. Quod vero ait: *Et captiuantem me in lege peccati*, ſubobſcurum eſt quia iuſto in Chriſto inſtaurato quadrare non poſſe videtur.

Gal. 5.

Lex membrorum cur repugnet legi mentis.

Leges quatuor, Dei mentis, mẽbrorum, atque peccati.

Pro cuius verbi intelligentia perpende, Apoſtolum quatuor legum hic facere mentionem, nempe legis Dei, & legis mentis: legis item, quæ eſt in membris, & legis peccati. Et duæ quidem priores ad partem hominis ſuperiorem, ſeu ad hominem interiorem ſpectant; duæ vero poſteriores ad partem hominis inferiorem, ſed ad ſenſum, & carnem. Lex Dei, & mentis, inter ſe ſummũ habent conſenſum, & per legem mentis ſubiicitur homo legi Dei. Et Paulus alluſione quadam legis vocabulum tribuit imperiis, & quaſi edictis tum membrorum, tum peccati, id eſt, corruptæ illius naturæ, & cupiditatum ex illis naſcentium.

Ex hominis quatenus leges conueniãt. Lex Dei, & mentis quid efficiant.

Legis mẽbrorum, & legis peccati conſenſus, & efficacia.

Magna autem eſt concordia inter duas poſteriores: quia per legem carnis, ſiue mẽbrorum, ſubiicitur homo legi peccati: porro legi Dei opponitur lex peccati; legi vero mentis lex carnis, ſiue membrorum. Et licet lex Dei concurrat cum lege mentis, ſicut lex membrorum cum lege peccati: non nihil tamen eſt inter illa diſcriminis, & nõ aliter differunt, quam cauſa, & effectus. Lex enim Dei, quæ per Moſen à Deo data eſt, eſt ſancta præceptio, bonũ fieri ſuadens, & malum prohibens: at lex mentis impreſſio quædam Dei eſt, & participatio legis æternæ indita menti per gratiam Spiritus ſancti, renouantis partem rationis ſuperiorem. At lex carnis, vel membrorum, eſt inclinatio naturalis facultatibus ſenſus, vel carnis ingenita, & per membra diffuſa, quæ in ſua

Lex Dei, & lex mentis vt inter ſe differant.

Quid ſit lex membrorũ ſeu carnis.

in sua obiecta delectabilia tendit, quæ dicitur lex naturæ: sicut lex iguis est sursum ascendere, grauis vero Lex, est deorsum descendere. Lex vero peccati est vitiosus fomes, secundum quem vires inferiores magno impetu in sua propria bona feruntur, & voluntatem à ratione deflectere conantur, & ad peccatum vel inuitum inducunt.

B. August. multis in locis.

Quæ quidem peccati Lex, teste Augustino, in pœnam, & supplicium peccati Adæ diuino iure est retributa. Et dicitur Lex peccati, quatenus per peccatum venit, & ad peccatum tendit; cum tamen esset naturalis lex carnalis, vel membrorum, si homo in puris naturalibus conderetur.

Lex peccati cur sic appelletur.

Et vt Lex Dei dirigit nos ad bonum rationis; ita Lex peccati dirigit nos ad peccatum, siue potius à ratione in obliquum diuertit: quare ea inclinatio diuersis rationibus dicitur & Lex membrorum, & Lex peccati. Et quasi de diuersis, cum vtraq; eadem sit reipsa, & in membris consistat.

Legis Dei, Legis peccati effectus contrarii.

At enim, quod Lex membrorum captiuat hominem in Legem peccati, quæ est in membris. Nam ex eo quod inclinatio illa naturæ quanta vi potest fertur in sensus bona, conatur vt voluntatem à ratione distrahat, ita vt fiat mancipium peccati. Dimicat ergo Lex membrorum, repugnando Legi mentis, vt hoc loco ait: sicut ad Gal. 5. caro, & spiritus, & 1. Pet. 2. *Abstinete vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animã*, id est, mentem.

Legem membrorum, & Legẽ peccati secundum se minime differre.

Pugnat ergo inter se Lex Dei, & Lex peccati, non secus atque Regis sapientis, & potentis duo filii diuersis, & aduersis moribus prædìti inter se repugnantes, ita vt alter esset bonæ indolis, in patrem diligens, atque illi obtemperans, alter vero prauo natus ingenio, qui tyranno suggerenti rebellionem in patrem auscultaret, & præcepta parentis negligere suaderet, & qui fratrem suum falsis suasionibus trahere niteretur, vt patre contempto tyrannum sequatur: cui si acquiesceret, in iugum, & seruitutem tyranni duceretur. Contra vero frater peruersus, si monitis boni fratris acquiesceret, & ad mẽtis sanitatem traduceretur, fieret patri obediens, & tyranni iugum euaderet, & regni paterni consors efficeretur.

Lex Dei, & Lex peccati pulchre inter se componũtur.

Ad eum modum se habent mens, & caro omnino dissidentes, & perpetuo inuicem contendentes. ¶ Sed vt ad propositum dubium teneratur oratio, quomodo Paulus vas electionis captiuaretur à Lege peccati, qui tamen ait, quod castigabat corpus suũ, & in seruitutem redigebat. & cum superiori capite testatus sit: Peccatum in vobis non dominabitur: non enim sub Lege estis, sed sub gratia.

Ad 3. dubl. Legis peccati captiuitas quomodo cũ Lege gratiæ possit, aut cum tanti Apostoli sanctitate cõsistere. 1. Cor 9. Rom. 6.

Dicendum, Paulum nihil hic loqui de se, nisi quatenus sub illa spiritualis hominis persona comprehenditur, & quod erat proprium status illius, vt magistrum, non quod in se priuatim sentiret, docere. Non enim tam historiam scribit, quam doctrinam; & ideo non tam quid actu efficiat Lex peccati membrorum in quolibet iusto, sed quod esset apta nata efficere docet, nisi ei obuiam iretur, & resisteretur. Nec superius dixit non dominari peccatum, sed excusans iam Christi spiritum adeptos: *Exhibete*, inquit, *vos tanquam ex mortuis viuentes*; id est, vt illi, qui tanquam semel à morte liberati, debẽt fieri diligentiores, & cautiores, ne iterum moriantur. Est enim nostrum succumbere, si caueamus, & medicamentis congruis, vt timore, precatione, & præparatione animi ad diuina à morbo præseruantibus, & sanitatem conseruantibus vtamur.

Quid exhibere vos Deo tanquam ex mortuis viuentes.

Et addit: *Membra vestra, arma iustitiæ Deo*, legendo scilicet, meditando, & audiendo verbum Dei, & cætera, quæ charitas imperat, faciendo.

Futuri peccati remedia.

Nam in eos qui hæc fecerint peccatum, id est, concupiscentia, quæ alioqui eos captiuaret, non dominaretur. Non tamen dixit, peccatum non esse tale, vt non valeat dominari: nam re vera per Christum non sic sumus liberati à dominatu carnis, quin possimus denuo captiuari, vt experientia plus satis demonstrat.

Charitatis præcepta.

Ait ergo, *Repugnantem*, vt sint quasi duo hostes inuicem ad certandum aptati, nondum tamen alter sub altero. Et captiuantem, quod in se est. Eo enim intendit, vt captiuet, & valeat etiam efficere captiuitatem spiritus nisi repugnemus. Ita enim Petrus Apostolorum princeps dixit: *Hoc facientes* (hoc est, bene operando, & in virtutum officiis vos exercendo) *nõ peccabitis aliquando*. Ita Dominus præmuniebat suos discipulos; *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*; &, *Oportet semper orare, & non deficere*; & Paulus; *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*.

Renatis licet non dominetur, vt ait Apostolus potest tamen dominari peccatum. Legis peccati conditio. 2. Pet. 1. Matt. 26. Luc. 18.

Hunc autem sensum in primis comprobat Augustinus libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, capite 10. prope finem, & libro primo de Nupt. & concupisc. cap. 30. cuius hæc sunt verba: *Quod autem dixit, Et captiuantem me sub Lege peccati: hoc est, sub seipsa, quæ est in membris meis. Aut captiuantem dixit, captiuare conantem, id est, ad consentiendum, implendumq́; cogentem, aut potius quod non habet controuersiam, captiuantem secundum carnem, quã nisi teneret carnalis concupiscentia, quam Legem peccati vocat, non vtique in ea vllum illicitum desiderium, cui mens obedire non debeat, commoueret. Quod autem non ait: Ca-*

B. Aug. c. 7.

In eo quod Paulus nō carnē suā dixerit, sed se captiuari à lege peccati, quid me-ditetur August.

priuantem carnem meam; sed, Captiuantem me: hinc factum est, vt sensus hic alius quæreretur, & acciperemus captiuantem, velut dixisset: Captiuare conantem. Sed cur non diceret, Captiuantem me, vbi vellet intelligere carnem suam? an non dictum est de Domino Iesu, cum in monumento non fuisset inuenta caro eius; Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum? Num ideo non recte dictum est quia non dictum est, carnem, vel corpus Domini mei, sed, Dominum meū? Et cap. sequenti. *Quanquam paulo superius & ipse Apostolus Paulus quomodo recte potuerit de carne sua dicere. Captiuantem me satis euidenter aperuit. Cùm enim dixisset: Scio enim quia non habitat in me, idipsum exponens adiunxit, & ait, hoc est, in carne mea, bonum: hac ergo captiuatur sub lege peccati, in qua non habitat bonum, hoc est, caro.* Hactenus ille. Hunc etiam sensum iuuat verbum Græcum αἰχμαλωτίζοντα: nam verba terminata in ίζειν significant vim, & conatum ad id, quod significant in aliis efficiendum. Et tale est δογματίζειν, αἰχμαλωτίζειν, στιγματίζειν, ἀναθεματίζειν. significant enim vim, & efficaciam habere ad dogmata aliis persuadenda: secundum vero, vi quadam, & energia contendere ad alium in captiuitatem abducendum: sicut tertiū, ad notas vel plagas aliis inferendas conari: post emum, anathematizare, est conari ad execratione, & maledictione aliquem afficiendum. Sicut verba Latina terminata in vrio, vt, Esurio, Dormiturio, Scripturio, Parturio, Nupturio, & similia, appetitionem significant, siue propensionem edendi, dormiendi, scribendi, pariendi, atque nubendi. ¶ *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Gemit Apostolus, & iustus omnis adoptionem filiorum Dei expectat, redemptionem corporis sui: quia caro eius modo sub concupiscentia tenetur captiua. Miser ergo, quia non possum in hac vita perficere bonum illud absolutum, & perfectum, quod à Stoicis dicebatur κατόρθωμα teste Cicerone, quod conditio nostri status impedit, & hostes pugnacissimi, caro, mundus, dæmon, qui iustum semper infestant; & hoc non tam in persona propria, quam hominis iustificati loquitur. Ego, inquit, homo, etiam spiritualis, qui adhuc in carne existo, eiusque pondus & sarcinam fero, dissidium, & pugnam sustineo, quia periculum est ne in captiuitatem abducat. Quare Sanctorum omnium vox hæc est in bello superari metuentium. Et addit: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Etsi Genitiuus, Huius, ad corpus, & ad mortem aptari possit: conuenientius tamen ad mortem accommodatur, quasi diceret; Quis me liberabit de corpore, in quo genus mortis perpetior, etiam inuitus: Nec simpliciter de corpore, quatenus sedes est, & organon animæ, exui cupit, sed eo exonerari optat, quatenus subiectum est corruptioni. *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam.* Et insinuat, aliud esse corpus spiritale, in quo appetit viuere: de quo Apostolus; *Nolumus,* inquit, *expoliari, sed superuestiri.* Et tanquam is qui optime nouit veræ miseriæ, & infelicitatis rationem, ita se infelicem vocat, quod vel vllo pacto legi peccati sit obnoxius. Nulla enim maior infelicitas, neque verior, quam quæ à peccato existit. Et vt inferius in persona iustorum ait: *Quis nos separabit à charitate Christi?* ita hic in eorundem persona: *Quis me liberabit à corpore mortis huius?* Nam id Lex Moysis non præstitit, neque gratia noui Testamenti id suppeditat, quia pro stimulo carnis auferēdo ter Dominum precatus est Paulus, nec exauditus. Durat ergo vsque ad mortem hæc pugna, & corpus mortis huius. Augustinus lib. 1. de Nuptiis & concupisc. cap. 31. *Cum ergo,* inquit, *ipsum corpus iam incorruptibile recipietur, plena erit liberatio à corpore mortis huius: à quo non liberantur, qui sunt ad pœnā resurrecturi.* Sic ille.

Ioan. 20.

Idem.

Quid Latina verba in vrio finita significent.

Rom. 8.

Cur Paulus optaret liberari de corpore mortis huius.

Cicer lib. 2. de offic.

Idem ille (sc. Infelix ergo homo) Sanctorum est gemitus, atque iustorum.

Quatenus à corpore isto optaret Apost. liberari.

Sapient. 1.

2. Cor. 5.

Vera infelicitas vnde.

Rom. 8.

2. Cor. 12.

B. August.

Et subdit: *Gratia Dei per Iesum Christum;* siue, Gratias ago Deo, in Datiuo: Χάρις τῷ Θεῷ, sicut Chrysostomus, & Theophylactus, & Hieronymus ad Algasiam legunt. Et intelligitur in gratiarum actione Liberator Deus per mortem Christi. Etsi ad illud quæsitum: *Quis me liberabit?* melior videatur esse, χάρις τοῦ Θεοῦ, quæ in lectione nostri interpretis habetur. Gratia Dei per Iesum Christum. Et si gratias agere voluisset, prius erat demonstrandus liberator. Et alludere videtur ad verbum Domini: *Si vos Filius liberauerit, vere liberi eritis.* Et quanquam Apostolus iam esset Dei gratia liberatus; non tamen à pondere, & sarcina hominis mortalis. Ita etiam cum Apostolus deprecatus esset amoueri stimulum carnis, dictum est ei: *Sufficit tibi gratia mea.* Denique totam hanc disputationem vno verbo complectens, subiungit: *Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem lege peccati.* Manifeste sermo est de iusto, vt etiam probat Hieronymus: quia iniustus mente seruit peccato. Quod ait: *Ego ipse,* intellige modo ante resurrectionem, per quam gratia Dei sum liberandus à corpore mortis. Interim carne quidem seruio Legi peccati, mente autem seruio Legi Dei. Græc, Αὐτὸς ἐγὼ. Erasm. vertit: Idem ego. Sed dicendum erat, ὁ αὐτὸς ἐγὼ: sed maiorem habet vim, Ego ipse vt illud Terentii:

Duplex huius loci lectio.

Chrys. ser. 13. ante med. 10. 4.

Theophil.

Hier. epist. 151 qu. 8. prope init. tom. 3.

Vtranam alteri præponenda.

Ioan. 8.

2. Cor 12.

Mente seruiat legi Dei quis, & carne quis legi peccati.

Idem.

Impugnatur lectio Erasmi.

Terentius.

Egomet

Ad 3. dubium. Quomodo iustus mente seruiat Legi Dei, carne autẽ Legi peccati, cũ nemo possit duobus dominis seruire.

Matt 6.
Infra 12.
2.Cor.6.

Egomet rapui, ipse egomet solui argentum.

Quod si obiicias; Quomodo constant hæc verba cum verbis Christi: *Nemo potest duobus dominis seruire*; & alibi: *Omne regnum diuisum contra se, desolabitur*; & Paulus: *Quæ conuentio Christi ad Belial? vt iustus simul seruiat & Legi Dei, & Legi peccati?* Dicendum est Apostolum his verbis id significare voluisse, quod homo etiam spiritualis in Christo secundum inchoatam iustitiam ita se habet, vt secundum mentem sit dispositus seruire Legi Dei, hoc est, Spiritus, & imperio charitatis; at secundum carnem aptus est seruire Legi peccati: non quidem quod facto ipso id contingat, vt simul vtrique seruiat, sed quod habemus duo principia, quorum quodlibet validum est ad faciendum nos seruire vel Legi Dei, vel Legi peccati: quanquam Christianus facto ipso vlli peccato seruire non debeat. *Qui enim mortuus est peccato, quomodo adhuc viuet in illo?* Augustinus libro primo de Nuptiis, & concupisc. ca. 31. in fine: *Sic*, inquit, *intelligendum est: Mente seruio Legi Dei, non consentiendo Legi peccati: carne autem seruio Legi peccati, habendo desideria peccati, quibus etsi non consentio, nondum tamen penitus careo.* Et Bernardus sermone 81. in Cantica, pulcherrime hunc locum interpretatur his verbis: *Consolabor me, quia & Sanctorum vox ista est: Scio quia non est in me bonum, inquit. Discernit tamen quod dicit, in se, in carne sua interpretans, propter contradictoriam Legem quæ in ea est: Nam habet Legem & in mente, eaque melior. An non Lex Dei bona? Quod si malus propter Legem malam; quomodo non propter bonam bonus? An mala non est quæ est in carne sua; & ideo de mala malus; & minime bonus de bona? Non est ita: Lex Dei eius in corde ipsius: atque ita in mente, vt sit & mentis. Testis est ipse qui ait: Inuenio aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ. Nunquid suum quod carnis sua est, & non suum, quod mentis sua est? Ego dico & plus. Quidni dicam quod idem ipse magister dixit? Nam mente quidem seruiens Legi Dei, carne autem Legi peccati quid magis suum fateatur, euidenter ostendit, cum malum quod in carne est, ita à se alienum censet, vt dicat: Itaque iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Vade & adhuc ego aliquid audeo amplius, haud temere quidem, Paulum videlicet non iam malum propter malum quod in carne habet, magis autem bonum propter bonum quod in mente habet. An non bonus qui consentit Legi Dei quoniam bona est? Nam etsi se itidem fateatur seruire Legi peccati, carne hoc facit, non mente. Cum autem mente quidem seruiat Legi Dei, carne autem Legi peccati, quidnam potissimum horum Paulo imputandum putes, tu videris: nam mihi, fateor facile persuasum, quod mentis, quam quod carnis est plurisesse, non solum mihi, sed & ipsi Paulo, vt iam dictum est, qui ait: Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Hactenus ille, docte, & acute verba Apostoli interpretans. ¶ Quare recentioris cuiusdam scriptoris sensus minime placet, qui habet: *In hoc pertinacissimo prælio inter carnem & spiritum vicissitudo est, dũ quandoque victrice mente seruimus Legi Dei, quandoque autem obsequimur Legi peccati.* ¶ Sed certe, vt ex Augustino retulimus, melius refertur seruire Legi peccati ad motus concupiscentiæ, quibus homo volens, nolensve subditur, vel ad naturam vtriusque principii mentis & carnis, quam ex Augustino quoque superius produximus, & eam intelligentiam cæteris præferendam esse putamus: licet id contingat, vt modo mens, modo caro vincat: nam etsi id verum sit, non tamen tam hic sensus, quam alter Augustini, illis verbis Pauli fuit expressus.

In Christo renato omnis procuranda à peccati seruitute libertas.

Rom.6.

B. August.

B. Bernar.

In illud Apostoli: Mente seruio Legi Dei,&c. aurea plane verba Bernardi.

Psalm.36.

Soti in eãdem sententiam interpretatio parum idonea reiicitur.

Porro Lutherus ex his verbis intolerabilem hausit errorem, docens motus quoscunque concupiscentiæ, etiam inuoluntarios, peccatum esse ineuitabile: & quod omne bonum opus iusti simul esset & bonũ, & malum. Quare verba Apostoli non solum ad eundem statum personæ refert, verum etiam ad eandem numero actionem, quæ quatenus à mente procedit, bona est; quatenus vero à carne, vitiata, & mala. Verum hanc boni & mali repugnantiam in eadem actione, nemo sanæ mentis possit concipere, nisi qui ingenio fuisset vehementer secum repugnante. Et de istis Apostoli verbis hic sufficiant.

Lutherani dogmatis confutatio

DISPVTATIO VIII.

De multiplici status hominis differentia.

Huius ratio disputationis & ordo.

AD pleniorem Paulinę doctrinæ comprehensionem, præsertim eius, quæ proximis Capitibus disputata & explicata est ab Apostolo, ab re fore non putaui, prudens Lector, si paucis complexus fuero quę ille tum de homine in natura lapsa existente, tum de illo, qui in Lege Mosaica inuenitur, tum denique de eo, qui per Christum iustificatus est, & in gratiam Dei restauratus inuenitur; vt ex ista mutua collatione liquidum, & apertum reddatur, quanto interuallo status noster, statui & Adæ, & Mosis antecellat; quantuque proinde Diuinæ beneficentiæ munere nos præ aliis Deus exornatos, & decoratos esse voluerit.

Non negligam etiam inter se componere

statum

Quatuor status hominum ex August. *B. Aug. to. 3, non procul à princ. Idem to. 4. paulo ante med. Idem ibid. prope fin.*

statum innocentiæ cum eo, in quem per Christum constituti sumus: quod ad quintum Caput huius epistolæ, vbi Adam cum secundo confertur, peculiariter spectabit. Ante omnia tamen obserua, Augustinum tum in libro Enchiridion capi. 118. & libro octogintatrium quæstionum, quæst. *66.* & in expositione epistolæ ad Galat. & alibi sępe, quatuor constituere status hominum:

I. sub Adã peccante.

Primus est eorum, qui post Adæ peccatum in Legem Naturæ agunt: qui profecto concupiscentiæ non resistunt, nec iudicant illam malam, sed sequuntur eam sponte, tanquam bos ductus ad victimam: & isti luctã carnis non sentiunt.

II. sub Moyse.

Deinde in statu Legis Mosaicę caro quidem contra spiritum concupiscebat, quia Lex dicit: *Non concupisces*: Cum vero homo esset sine Dei gratia, sentiebat quidem pugnam, sed facili negotio succumbebat, & cedebat carni.

III. sub Christo.

In tertio vero statu, quem per Christum consecuti sumus, spiritus concupiscit contra carnem, & luctam sentit homo spiritualis, & pugnat contra concupiscentiam, & gratiam habet, qua vincere possit aduersarium, si velit.

IV. futuræ felicitatis.

In quarto vero, pacis futuræ, & beatitudinis, oblata omni concupiscentia, non erit vlla pugna, vel lucta, sed summa pace, & tranquillitate homo beatus perfruetur.

Horum statuum prima cõparatio, ad clariorem Augustini doctrinam

Quæ vt exemplis illustrentur, perspice, hominem in primo statu fuisse velut infantẽ puerum, qui luctam nõ sentiens omnibus cedit, nullique resistit præ tenuitate virium, & imbecillitate naturæ: in secundo vero statu fuisset velut puerum grandiusculum, qui vult quidem, sed non valet resistere, & cum resistit, semper vincitur, quia nondum peruenit ad ætatis robur. Et ita Paulus Legem comparat pædagogo qui pueros regit, & de se vt Iudæo ait: *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus*. In tertio vero statu consideratur tanquam adolescens, & vir, qui robore corporis, & animi iudicio valet: qui cum aduersariis suis ita pugnat, vt si velit, vincat; si vero negligentior sit, vincatur. In quarto statu, vir iam omnino perfectus, & maturus, nullos habet hostes insidiantes, qui se illi audeant opponere.

Galat. 3.

1. Cor. 13.

B. Aug. t. 8. Eosdem vt exprimat Augustin. *Psal. 35.*

De his coniunctim edisserens Augustinus in Psalmum 35. *Aliud*, inquit, *est non pugnare, & esse in pace vera, atque perpetua; aliud pugnare, & vincere, aliud pugnare, & vinci, aliud nec pugnare, sed trahi. Sunt enim homines prorsus qui non pugnant, qualis est iste de quo loquitur: cum enim dicit, Malitiam non odio habuit, quomodo pugnat contra eam, quam non odit? Iste à malitia trahitur, nec pugnat. Sunt autem qui pugnare incipiunt, sed quia de viribus suis præsumunt, vt ostendat illis Deus, quia ipse vincit, si se homo subiungit Deo, & pugnantes vincuntur, & cum quasi cœperint tenere iustitiam, fiunt superbi, & eliduntur. Isti pugnant, sed vincuntur. Quis est autem qui pugnat, & non vincitur? Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Videt repugnantem, sed non de viribus suis præsumentem: iste ideo victor erit. Quid enim sequitur? Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Præsumit de eo qui iussit vt pugnet, & vincat hostem, adiutus ab adiuuante.*

Idem to. 4.

Idem lib. octogintatrium Quęstionum, quæstione sexagesima sexta: *Et quia oportebat, atque iustum erat, vt posteaquam natura nostra peccauit, amissa beatitudine spirituali, quæ paradisi nomine significatur, animales, carnalesq́; nasceremur: prima est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia; quarta in pace. Ante legem actio est, cum peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub Lege est actio, cum iam prohibemur à peccato, & tamen consuetudine eius victi peccamus, quoniam nos nondum adiuuat fides. Tertia actio est, quando iam plenissime credimus liberatori nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, sed eius misericordiam diligendo, iam non vincimur delectatione consuetudinis malæ, cum ad peccatum nos ducere nititur; sed tamen adhuc eam interpellantem patimur, quamuis ei non tradamus* (forte cedamus, aut *tradamur*) *Quarta est actio, cum omnino nihil est in homine quod resistat spiritui, sed omnia sibimet concorditer iuncta, & connexa, vnum aliquid firma pace custodiunt.* Et adiungit ad singulas harum verba Apostoli, & subdit in fine quæstionis: *In prima ergo actione, quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptatibus huius seculi. In secunda, quæ sub lege est, pugnamus sed vincimur. In tertia pugnamus, & vincimus. In quarta, non pugnamus, sed perfecta, & æterna pace requiescimus.* Hæc ille sapientissimus Pater.

Augustini altera illorum statuũ explicatio.

II. comparatio, ex Aristotelis doctrina desumpta. *Arist. li. 7. Ethic. c. 2. tom. 2.*

Possumus & alio commodo exemplo rẽ explicare, eo posito, quod Philosophus in Ethicis docuit, temperatum differre à continenti. Temperatus enim est, qui ex habitu comparato prompte, & delectabiliter se habet circa delectationes, vel tristitias gustus, & tactus, eas vsurpans, aut reprimẽs; pro rationis, & virtutis regula, sine vllo doloris sensu, aut vlla perturbationis molestia: contra vero continens est, qui citra vllum bonum habitum, cum labore, & tædio, & cum carne dimicando, reprimit suas cupiditates circa delectationes gustus, & tactus.

Quid continẽs, quid vero tẽperans apud Philosop.

Intemperans, & Incontinens quid inter se discrepent.

Eodem etiam modo differunt contraria vitia, Intemperantiæ, & Incontinentiæ. Nam intemperatus, iudicio excæcatus, suos sequitur affectus; & omni abiecto con-

cupiscentiæ, vel pudoris, vel supplicij metu, vitia complectitur: at incontinens vitia sequitur, & motus carnis exaturare contendit, non tamen sine conscientiæ scrupulis, aut sine pudoris, & timoris stimulis. ¶ Si quis ergo ita concipiat hęc quatuor quæ diximus, facile intelliget hominem in Adam lapso existentem similem esse intemperato: at Iudæum qui legi seruit, perinde sehabere atq; incontinentem: qui vero in Christo testamtatus est, propter concupiscentiā innatam, & hostes quos patitur infestos, similis est continenti, qui pro virtute amplectenda laborat, & pugnat. At suscitatus, & beatus proxime accedit ad temperatum, aut, vt verius loquamur, illum vincit. Quia si gratia perficit naturam, quãto magis gloria? & hæc pro Augustini doctrina explicanda satis mihi dicta sint.

Applicatio prædictorum.

Iam vero accedo ad alios quatuor status pro doctrina Pauli explananda, atque tuenda: quæ illi Augustini est quam proxima, & fere eadem. Primus hominis status ante peccatum fuit, in quo homo in magna diuinorum notitia versabatur, in quo etiam singularem quandam induit Iustitiam, qua mens sub Deo bene cōposita erat, caro sub spiritu, corpus sub anima, & omnia animalia sub hominis imperio in officio continebantur, & consequēter maiorem Deus exigebat iustitiæ perfectionem, quam in eo statu homo facile præstare potuisset. Erat enim eminens Diuina scientia, & clara notitia: erat institiæ & gratiæ magna vis impellens ad bonum: erat deniq; expedita membrorum facultas, & carnis ad spiritum subiectio. Vnde & poterat non peccare, ac proinde non mori. Secundus status, est eorum, qui per peccatum Adæ amissis scientiæ, iustitiæ, & gratiæ donis, in omne flagitij genus præcipites feruntur: de quibus recte intelligimus illud; *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* In quo statu quid possit homo ad bonum agendum, & ad malum vitandum, docet Dauid qui dixit: *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Et Paulus Actorum decimoquarto Capite docet, quod in præteritis generationibus dimisit omnes Gentes ingredi vias suas; quæ pessimæ erant, & tenebrosæ, & ducentes in barathrum profundum malorum, propter naturalem omnium virium ad malum prouitatem: quare & caro nuncupatur. Ait enim Dominus: *Non permanebit* (vel. Non iudicabit, vel vt quidam non sine ratione vertunt, *Non irritabitur*) *Spiritus meus in homine, in æternum, quia caro est*: quod plus est quam si dixisset, Carnalis est. Ideirco malui punire temporaliter, vt aliquam vel sic exculperet pœnitentiam, ex en quod non absq; aliqua eorum culpa dimissi sunt à Deo: ne in æternum eos damnaret: atq; ita exponit magnus Hieronymus lib. de Quæstionibus Hebraicis.

Alter humanæ vitę quadruplex status proponitur, ad maiorē Pauli intelligentiam.

Innocētiæ status describitur.

Status lapsę naturę

Psal. 48.

Psal. 13.

Rom. 3.

Act. 14.

Homo cur caro dicatur.

Gen. 6. Infra 8.

Supra 6.

B. Hieron. tom. 3.

¶ Erat in hoc statu quadruplex hominū miseria. Prima erat ignorantia eorum quæ facienda erant, & vitiorum, quæ declinanda. Siquidem homines vix tenue aliquod inter honestum, & inhonestum discrimen habebant, aut si habebant, non considerabant magnitudinem Diuinæ offensæ, quæ in peccato est, & reatum æterni supplicii in gehenna. Secunda. quod corpus erat mortale, alligatum ad tempus animæ immortali: quæ conglutinatio à Deo quidem fuit, sed mors hominis vitio contigit. Tertia erat, quod caro concupisceret aduersus spiritum: quæ magna est infelicitas: sed maior erat, quia impugnari se à carne, malum nō putabat: ideo sponte cedebat, & manus dabat peccato. Hanc tantam calamitatem recte agnouit Augustinus sermone quarto de Verbis Apostoli: *Ibam*, inquit, *post concupiscentiam meam, & qua trahebat, currebam, & tusq; illecebras blandas, & ex carnali suauitate inundas, magnam felicitatem arbitrabar*, &c. Quarta, ac postrema infelicitas erat, quod homo non posset in eo statu ad naturalem finem suum, ad quem conditus erat, peruenire, nedum supernaturalem, cum tot essent & corporis, & animi impedimenta. Tertius status Legis Mosaicæ successit, in quo euectus est populus Hebræus in maiorem dignitatem, & accepta Lege clariorem adeptus est de Diuina prouidentia cognitionem, ita vt gloriabundi dicerent: *Notus in Iudæa Deus; in Israel magnum nomen eius*; & alio in loco: *Non fecit taliter omni nationi; & iudicia sua non manifestauit eis.* Ex Apostolus ipse superius Capite secundo ait: *Ecce tu Iudæus cognominaris, & requiescis in Lege, & gloriaris in Deo: & nosti voluntatem eius & probas vtiliora instructus per Legem.* Ex qua notitia inuitabatur ad declinandum malum, & ad operandum bonum. Ac proinde meliore conditione, & statu erat Iudæus, quam Paganus, qui propter ignorationem, quæ pars erat peccati, & dimissus ingredi vias suas, vocabatur caro, & bellua, quia id faciebat, & probabat, quæ carni placebant. Iudæus vero non dicitur caro, sed carnalis homo, quia id probabat quod bonum erat, licet non faceret, cum esset volun-

Quatuor ille status myseriis subiaceba

I. miseria.

II.

III. Galat. 5.

B. Aug. circa dimid. serm. to. 10

IV.

Mosaici status descriptio.

Psal. 75.

Psal. 147. Rom. 2

Gentilis cur caro diceretur, Iudæus vero carnalis.

Actor. 14

voluntate carnalis propter inhabitans in carne eius peccatum, & menti dominans: qui iustitia, & gratia expoliatus, peccare cogebatur, obnubilato per carnem intellectu cum videlicet ad particulare aliquod peccati obiectum descenderetur.

In quo infelicior hic status superiori.

Erat tamen, etsi per accidens, in deteriori statu quã homo in natura lapsa constitutus. Nam accepto mandato non concupiscendi, irritabatur ad magis concupiscendũ, & ita ad magis peccandum, vt in eo contingeret id, quod ille dicebat:

Exod. 20.

Ouid. 7. Metamor.

Mens aliud suadet: video meliora, proboq́;
Deteriora sequor.

Infelicitas hæc cur illi permissa diuinitus.

Quod permissum tum à Deo est pro eius sapientia, vt homo se se carnalem, & incontinentem agnosceret, & optaret non esse amplius sub lege, ne prævaricator eius fieret, sed confugeret ad Christum, quem Lex indicabat, vt Spiritu viuificaretur, & Lex illa spiritus in corde scriberetur, quæ erat in lapideis tabulis. Et ad hunc statum poterant Gentes venire, quibus Lex Naturæ prædicabat bonum, & malum, & Deum omnium prouisorem, & remuneratorem, si naturæ prædicationem recepissent, sicut & nonnulli receperunt.

Ierem 31. Gentibus ad suam salutem adiumẽta, atq. præsidia olim exhibita. Hebr 11.

Quibus verbis hũc duplicem statum, peccati sc. & Mosis, describat Apostolus.

Paulus igitur, vt hos duos status exprimeret, transformat se nunc in eum, qui est in Adam. Nam Capite quinto vbi peccatum Adæ comparat cũ Christi merito, satis declarat qui sit status naturę lapsæ, cuius peccati vires, & robur exprimit, vt maius Christi donum, & meritum fuisse ostendat. Cæterum ab eo loco: *Sed peccatum non cognoui, nisi per Legem*, instituit tractationem de homine existente in Lege Moysi, induens personam Iudæi, sicut cum ait: *Sine Lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam sine Lege aliquando*: accepta persona Gentilis in Adam existẽtia locutus est, cum hoc ipsum Apostolo minime conueniret, qui nunquã fuit sine Lege. Et iterum redit ad Iudæum, cum ait; *Sed cum venisset mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum*: quæ inferius sunt explicata.

Qualis Euangelii status. Rom. 5.

Quartus vero status est hominis in Christo existentis, in quo & notitia aperta Diuinæ Legis, & cum Spiritu charitatis in cordibus infuso tradita est per Iesum Christũ, iuxta illud: Lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Per hanc autem gratiam remittuntur peccata præterita, tum originale antiquum, tũ personalia. Præstat etiam fortitudinem cauendi futura, & Diuinam Legem implendi, & Satanam in conflictu superandi: & in quo sicut peccatum regnauit olim in mortem, ita & gratia regnat per iustitiam in vitam æternam, vt habes Capite quinto.

Ioan. 1.

Rom 5.

Eius professores, concupiscentiæ, ac morti quare subiaceant.

Supersunt tamen in hoc statu carnis concupiscentia, & mors, non tam vt effectus, & pœna Adæ peccantis, quam vt & fides, & patientia in mortis tolerantia magis splendescant, & in continuo spiritus cum carne duello & lucta donorum diuinorũ robur, & augmentum inclarescat, si per nos non steterit. Et hũc statum Apostolus late persequitur ab illo verbo Capitis septimi: *Nunc autem iam non ego operor illud*, in finem vsque, & latius per totum octauum Caput, opes, & diuitias Christiani sublimibus quibusdã, & magnificis verbis recensens.

Statum Euangelii præponẽtium statui innocẽtiæ, argumenta proponuntur, atque soluuntur. I Argum.

Si vero iam innocentiæ statum cum illo, quem per Christum nacti sumus, conferamus, videtur in primis, quod maiora dona Deus contulerit homini in statu naturæ lapsæ, quam in illo naturę integræ permanenti. Quod primo probari posset tum ex parte Christi Filii Dei, qui in hoc statu nobis munificentissime donatus est in mediatorem, & redemptorem, & summum Sacerdotem nostrum, qui in primo illo statu exhibitus non fuisset. Sed hoc quia ambiguũ est, & non desunt graues autores qui aliter opinentur, videlicet non minus tunc fuisse donandum, ad euehendam gratia sua, & exaltãdam naturam humanam, quam postea datus fuerit ad eam sanandam, non admodum vrget, vt probet statum innocentiæ illo Christi meliorem. Et licet maius bonum sit per Christum comparatum, quam fuisset per Adam ablatum, vt Apostolus docuit cap. 5. non tamen sequitur, cumulatiora dona homines habere per Christum redemptos, quam habuissent per eundem stantes. Deinde alia via ex parte hominis lapsi idem probatur. Nam hic tum ad bonum præstandum, tum ad malum fugiendum, maiori diuinæ gratiæ ope indiget, tum ob difficultatem ad bonum, & maiorem pronitatem ad malum Deus autem, qui deesse non solet in necessariis, maiorem tribuit gratiã. Sed certe, vt docet Thom. non magis nunc gratia indiget homo, quam tunc, quod attinet ad finis rationem, id est, ad meritum gloriæ comparandum: modo tamen gratia ad plura se habet extensiue, hoc est ad sanãdam naturam, & ad occurrendum difficultatibus, & tentationibus, & ad meritum. Tertio, conflatur argumentum ex parte Dei. Decet enim diuinam sapientiam, & bonitatẽ, maius bonum elicere ex peccato, quam sit bonum illud, quod peccatum nocendo abstulit: alioquin malum fieri non permitteret, vt Augustinus tradit in libro Enchiridion. Nec enim mala siniret fieri, nisi inde maiora bona eliceret. Sed ad hoc

Rom. 5.

II. Argum.

B Thom. 1. part q 95. art. 4. ad 1. tom. 10.

Status Euangelici quam innocentiæ status quã habeat gratiam ampliorẽ. III. Argu.

B. Aug. lib. Enchir. ca. 10. tom 3.

dici

dici poſſet, Deum nō ſemper elicere maiora bona illi qui peccanit; elicit tamen inde aliorum Dei ſeruorum maius bonū: quemadmodum ex Adæ peccato ſic punito oſtēdit Deus iuſtitiam ſuam, & nobis timorem peccandi ingeſſit, & deniq; paſſionem Chriſti in mundi ſalutem pro ſua bonitate depromſit. Quarto, producitur illud: *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*, vt liquidū eſt in homine reſurgente ad maiorem gloriam. Verum id certum non eſt quod aſſumitur. Non enim homo ſemper reſurgit ad maiorem gratiæ gradum, attenta noſtra tarditate, ſed ſæpe ad minorē, raro ad æqualem, rariſſime ad maiorem: vt in Dauide, & in Petro, & in Paulo eſt videre.

Peccata quorū fere tantum Deus conuertat in maius bonum.

IV. Argu. Rom. 5.

Nec illud etiam obſtat: *Sapiētia vincit malitiam*: quoniam tunc dicitur vincere, quando tota malitia de corde hominis petit, etiamſi æqualē gratiam non reſtituat. Quemadmodum Sol, qui tenebras illuminat, & ignis, qui pellit frigus, nihil relinquit tenebrarum, vel frigoris, etiamſi maiorem lucem; vel calorem non adferat. Quinto, ratione agitur: Maiori, inquiunt, opus eſt labore quam antea, & ob carnem repugnantem, mundum allicientem, dæmonem inſidiantem, & tentantem, maior eſt nunc difficultas in bene operando, quam tunc fuiſſet: & *Vnuſquiſq;*, ficut Apoſtolus ait, *mercedem accipiet ſecundum proprium laborem*. Verum huic obiectioni reſpondet Thomas, quātitatem meriti dupliciter accipi. Primo ex charitate, vel gratia, quæ radix eſt, præmium eſſentiale, quod in Dei fruitione cōſiſtit, promerendi: & hæc maior haud dubie fuiſſet in ſtatu innocentiæ, quia nullum erat vel in natura, vel in voluntate humana impedimentum. Alio modo expenditur quantitas meriti, nimirum ex operis difficultate, cui reſpondet gaudiū de bono creato, quod præmiū accidentale vocatur: qua ratione maius eſt præmium accidentale ob hanc difficultatem, & per accidens eriā maius eſſentiale, quia contra difficile, & arduū opus eſt maiori voluntatis promptitudine, quam efficit charitatis magnitudo: at difficultas operis, quæ naſcitur ex vitio operantis, præmium maius nequaquam habet. Siquidē libidini, & gulæ dediti, in difficiliori continentiæ, & abſtinentiæ cuſtodia minus merentur, quam à iuuentute aſſueti: quemadmodum Chriſti Domini, & B. Deiparæ opera præſtantiora erant quam aliorum; etiamſi intus nullam haberent procliuitatē ad malum, & mundus eos non poſſet decipere.

Sap. 7. vt citant Patres. Malitiam quando vincat ſapientia Simile.

V. Argum.

1. Cor. 3.

B. Thom. 1. part. q. 95. art. 4. ad 2. Quantitas meriti ex duobus pendet.

Inſtabis: Si peccatum Adæ non fuiſſet, Chriſtus, & Maria non tanta ſupplicia pro nobis pertuliſſent, nec fuiſſent tot Martyres, qui pro Chriſti confeſſione ſuſtinuiſſent, nec tot Virgines quæ contra carnis tētationes bellum cū victoria geſſiſſent. Poſſumus igitur nunc ad maiorem virtutis, & gloriæ gradum aſſurgere. Reſpōdeo: in ſtatu innocentiæ in tolerantia aduerſorum, exercendæ patientiæ locus non fuiſſet, nec propterea facultas conſcendendi ad tantū, vel excelſius perfectionis culmen defuiſſet, per alias virtutes obedientiæ, humilitatis, amoris, & iuſtitiæ. Nam cœleſtes ſpiritus, qui Deo adhæſerunt, laboribus, & paſſionibus probati non fuerunt, ſed illis magnis obedientiæ, amoris, & humilitatis officiis excellentem gloriam ſunt aſſecuti. Deus quoque hominem non peccātem expolire non ceſſaſſet, vt opus ſuum conſummat ſſimum redderet, ſi peccantem non deſeruit. Recta ſiquidem ratio dictat, plura beneficia eſſe conferenda in amicos, quam in hoſtes: in filios bonos, & obſequentes, quam in ſeruos, & rebelles. Etſi vero nunc virtutes, & gratia in quibuſdam poſſint eſſe efficaciores; non tamen genera in omnibus, quia tunc omnes aliquam ſaltem habuiſſent bene agendi virtutem. Quanquam vero ratione difficultatis, & paſſionis Dominicæ, quę magni momenti eſt, & vehementer incendit ad virtutum ſtudia amplectenda, & tunc non fuiſſet, maior ſit nunc bene agendi facultas, non tamen ratione promptæ voluntatis, quæ multum confert ad ſtudium bene operandi: quæ nunc quidem pōdere carnis, & affectus grauata eſt, tunc autē libera erat, & expedita. Eſt ergo vis maior in nonnullis, qui ſe præparant: eſt maius præmium accidentale: eſt meritum, & exemplum paſſionis Chriſti vrgentius ad bene operandū: eſt deniq; maior perſeuerantia. Nam vt ait Auguſtin. lib. de corrept. & gratia: *Adam & terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium libero vſus arbitrio, non ſtetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate. Iſti autem non dico terrente mundo, ſed ſæuiendo ne ſtarent, ſteterunt in fide, cum videret ille bona præſentia, quæ fuerat relicturus: iſti futura, quæ accepturi fuerant, non viderent.* Hæc ille. Et hactenus quidem comparauimus ſtatū ad ſtatum. ¶ At vero comparando perſonas huius ſtatus ad ſtatum innocentiæ; habent ſe tanquam excedentes, & exceſſæ; ſicut perſonæ Legis Moſaicæ ad quaſdā perſonas Euangelii. Nam illæ poſſunt excedere vt particulares ſunt, ſtatu non excedunt. Quemadmodum etiam coniugatæ ſe habēt ad eas quæ Virginitatem profitentur; & innocentes, ad eos qui agunt pœnitentiam. Et hic ſit finis harum comparationum.

Quibus maiora beneficia debeantur.

Status Euangelicus ſtatui innocentiæ in quo tantum excellat.

Externa eius beneficia quinque.

B. Aug. de corrept. & grat. ca. 12. non procul à prin. to. 7. propeſin.

Statuum illorū inter ſe hominesco comparantur.

DISPVTATIO XII.

In illa verba: capit. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est ÿs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim Spiritus vitæ, &c.*

Huius capitis argumentum.

IN hoc plane aureo capite Apostolus excelsa, & magnifica de statu, in quo sunt Christiani, edisserit, & nullibi thesauros fidelium, & triumphos, quos per Deum habent, tanta orationis luce, & vehementia percenset. Nam postquam Apostolus enumerasset bona, quæ per fidē contulit Deus, & malum culpæ originalis, quod in Baptismo abstulit, & quomodo à futuris peccatis præseruat: qua ratione etiam à legis veteris seruitute absoluti simus; iam ad maiora conscendens, ostendit, eos qui Christum sectantur, ab omni malo culpæ, & pœnæ liberatos esse; ab omnibus item vitæ præsentis incommodis illos custoditos, nullamq; esse, aut accusationem, aut hostilem impugnationem, quæ possit membra Christi à capite suo seiungere, & auellere: quæ sublimia plane & magnifica dona Dei sunt. Non tamen desunt nodi, & scrupuli, & quidem graues, ac magni momenti, qui lumen solutionis, & explicationis desiderent. In propositis ergo verbis primo venit explicandum illud, Ergo, quæ præcedentium illatio esse videtur. Deinde, quomodo nihil est damnationis iis qui sunt in Christo Iesu, cū plerunq; in peccata mortifera prolabantur? vt nihil dicam de peccatis venialibus, quib. omnis vita iustorum plena est. Adde pœnas ad quas damnantur à Sacerdote reconciliationis ministro in foro Pœnitentiæ, & interdum post hanc vitam à Deo condemnantur ad pœnas purgatorias sustinendas, qui plene hic non satisfecerūt. Deniq; permulti grauissime delinquentes, & Ecclesiā perturbantes per magistratus ad pœnam etiam capitis luendam condemnantur. Tertio, quæ nam est illa lex Spiritus vitæ, quæ liberat nos à lege peccati, & mortis. Quarto in illa clausula: *Nam quod impossibile erat legi,* &c. dubiū est circa Grammaticam, à quonā supposito regatur illud participium, *mittēs*: quia sequitur: *Et de peccato damnauit peccatum in carne*: quæ orationem obscuram reddit, & videtur desiderari aliquod verbum. Deinde circa legem, quæ fuerit legis illius infirmitas, siue impotentia. Rursus quæ illa similitudo carnis peccati: quis item sensus illorum verborum: De peccato damnauit peccatum, quoniam multis modis, ac diuersis explicantur. Adhæc quid vocet iustificationem legis, cum ex lege nulla esset iustitia. Postremo quid sit secundum spiritum ambulare, & non secundum carnem: nam in horum singulis aliquid necessario explicandum occurrit.

Prima dubitatio. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Quinta. — Sexta atq. postrema.

Ad 1. dubit.

Primæ interrogationi respondetur, particulam Ergo, conclusionem denotare, quę tam ex his quæ hactenus docuit, nimirū per Christi gratiam spoliari nos Adæ peccato, & mortis debito, & à peccato, quod est cōcupiscentia carnis, nos esse per Christum in libertatem assertos, quatenus eius motibus assensum non præbemus. Quare recte infert; *Nihil ergo nunc damnationis est ÿs, qui sunt in Christo Iesu*: quæ verba sunt periphrasis iustificatorum. Et addit: *Qui non secundum carnem ambulant.* Id est: qui etsi ex vitio carnis prauas concupiscentias sentiunt, non tamen secundum eas ambulant, id est, non eis obediunt, nec consentiunt, iuxta id; *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* Militat porro secundum carnem, qui sponte exhibet membra sua, arma iniquitatis peccato. Cum ergo dixisset: Mente seruio legi Dei, carne autem lege peccati, idem est, ac si dicere voluisset secundum Augustinum: *Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Iesu. Non enim damnatur, nisi qui concupiscentiæ carnis consentit ad malum.* Sic ille. Vel: etsi sic ego sim dispositus Dei gratia, vt mente mea seruiam legi Dei, nihil nunc damnationis habeo, quia peccatum non est in me vllum, id est, in mente mea: & purificatum est cor meum per fidem, quod satis est ad iustificationem coram Deo, qui mentem respicit, & dixit: *Beati mundo corde.* Nec obstat quod caro repugnet, & per illā aptus natus sim, vt seruiā legi peccati: quia hæc dispositio non est ipsa peccatum, cum ex carne peccatum non procedat, sed ex voluntate, modo eius motibus per spiritum voluntas resistat, & post concupiscentias non eat.

Quid, Nō secundum carnem ambulare. — 2. Cor. 10. — Mulier secundum carnem quis, vt ait Apostolus. Rom. 6. Infra 7. — B. Aug. li. 1. contra 2. epist. Pelag. ca. 10. prope fin. to. 7. — Act. 15. Matth. 5. — Origo peccati sola voluntas, non caro. — Eccl. 18.

Ad 2. dub.

Secundam quæstionem diluimus, explicando, verbum damnationis tantum spectare ad mortem secundā gehennæ, ad quā etsi peccata lethalia conferant, tamen qui in Christo renatus est, & gratiam eius est assecutus, debet non amplius peccare: vt sexto capite multis rationibus demonstrauit, & hic etiam insinuauit, cum dixit: *Iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.* Peccata vero venialia etsi feruorem charitatis impediant, charitatem tamē non extinguunt, & multis modis in Euangelio remittuntur. Multo minus pœnæ impositæ arbitrio Sacerdotum in hac vita, aut post hanc vitam, pœnæ purgatorii dicuntur

In Christo renatis minime peccandum.

esse

esse ad damnationem; cum per illas expiemur, aut meritum comparemus, aut satisfaciamus. Quod vero quidam scelera admittentes, per magistratum rei fiãt capitis; hoc ad Euangelicam legem non spectat, quę nil tale præcipit, sed ad naturalem legem: quã diuina Christi lex non solum non abstulit, sed & comprobat, & confirmat.

Si nihil est damnationis in statu Euangelico, cur sontes dãnantur ad mortem?

Quod vero etiam primi concupiscentiæ motus, qui rationem præueniunt, peccata nõ sint, illud abunde probat: quia tales motus etiã in infidelibus, qui non sunt in Christo, vt rationem voluntarii nullam habent, ita nec peccati rationem. Deinde, quia si titillationes illæ naturales voluptatis peccata essent infidelibus, grauiores essent culpę fidelibus, qui maiori luce gratię perfunduntur. Denique nec voluntaria infidelium opera, quę ex genere suo bona sunt, nisi iniquum finem illis præstituant, vel aliqua praua circumstantia vitient, peccata sunt, nec ad maiorem pœnam imputãtur, quam sit ipsum peccatum originale, sub quo sunt.

Eosdem motus, etsi peccata sint, nullo remitti penitus Sacramento, Lutherum aperte mentiri.

Quare falsum est Lutheri dogma, hos concupiscentiæ motus, ita esse peccata, vt nec per Baptismum, nec per aliud Sacramentum remittantur, sed per fidem effici, vt à Deo non imputentur. Quod sane dogma à Paulo iugulatur dicente: *Nihil ergo nũc damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu.* Nec valet, non dixisse Apostolum, Nihil peccati, sed, Nihil damnationis: quasi motus concupiscentiæ peccatum sit damnatione dignum, viro tamen iusto per fidem non imputetur. Sed quid quæso pugnantius est, quam peccatum damnatione dignũ in homine manere, quod tamen Deus, cui est odio omnis iniquitas, non condemnat? & quid Christi verbis magis contrarium, quã quod in eo, cui peccata remittit, remaneat aliquid damnatione dignum; cum tamen scriptum sit: *Si vero Filius liberauerit, vere liberi eritis?* Et; *Pater sancte, serua eos in nomine tuo. Sermo tuus veritas est.*

Eiusdem illa ponderatio: Nihil damnationis dictum, nõ, Nihil peccati, quam leuis.

Sap. 14.
Ioan. 8.
Infra 17.

Ad 3. quęst.

Tertio dubitabatur quid esset illud; *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati, & mortis.* Vbi probat, illos, qui sunt in Christo, nulli esse damnationi obnoxios propter vitiosa carnis desideria: quia lex, inquit, Spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati. In illo, in Christo Iesu, subaudiendum est relatiuum cum verbo substantiuo, idiotismo Hebręorum frequentissimo. Vt sit sensus: Lex Spiritus vitæ, quæ est in Christo Iesu. Vnde & in Græco articuli relatiuum designantes omittuntur. Ὁ γὰρ νόμος τοῦ Πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. pro ὃς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Sicut Iacob. 2. *Fides sine operibus mortua est:* Græca habent Ἡ πίστις χωρὶς ἔργων, pro eo quod est, Ἡ χωρὶς ἔργων; id est, quę sine operibus est, mortua est. Est ergo sensus: Lex Spiritus vitæ, id est, Spiritus viuificantis, & mentem innouantis; vel Spiritus charitatis vitam infundens, quam per Christum adipiscimur, illa est, quæ in libertatem asseruit mentem nostram, & liberauit à delectatione habitante in carne, per quam delectationem ad consensum desideriorũ pertrahere potuit, & ad mortem.

Iacob. 2.

Quid illud ad literam: Fides sine operibus mortua est

Opponit igitur legem Spiritus contra legem peccati, & legem Spiritus vitæ contra legem mortis, quæ est fomitis concupiscentia. Quamuis etiam per illam eandem legem liberati sumus à lege Moysi, quæ per occasionem augebat peccatũ, & mortem.

Lex illa Spiritus vitæ à qua nos altera lege peccati, & mortis liberauerit

Rom. 7.

¶ *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens, &cæt.* Duplicem inesse huic clausulæ scrupulum, alterum circa Grammaticam, alterum vero, & illum quidem multiplicem circa sensum, superius admonuimus. Nam vt de primo verba faciamus, videtur hic esse eclipsis, & verbum aliquod principale, quemadmodum aliqui censent, subaudiendum, quo ratio Grammaticæ constructionis constet. Et certe nouum non est hoc apud Paulum, in quo quidam loci sunt adeo concisi, vt agnoscas in illis figuram Anãdapodoton, id est, cui aliqua pars non respondet, vel respondere deberet, sed per figuram Aposiopisis; id est, Reticentiæ, vel per Eclipsin, in quibus est aliquid, quo oratio perficiatur, adiiciendum: quod posset probari, nisi superius hoc comprobatum fuisset. Non est etiam infrequens præpositionum Henallage, aut Redundantia. Neque hæc quicquam officiunt Paulo, qui sermone, vt ipse testatur, fuit imperitus; quo indicaret regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute. Neque vitium in Grammatica, rescripta diuina offendit, vt solet lædere humana: neque, vt quidam ex nostris dixit, Lex Dei est regulis Donati subiecta. Quibus positis, perpende, participium, Mittens, Græce esse præteriti temporis, & Ἀόριστος πρῶτος, habet enim, πέμψας, hoc est, cum misit, vel, cum miserit, vel, vt nonnulli clarius, per participium passiuum vertunt: Deus misso Filio suo in similitudine carnis peccati. Porro nomen Deus, tanquã principale orationis suppositum ab aliquo verbo subaudiendo regitur, nempe, præstitit, aut effecit. Ita vt sit sensus: Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnẽ, Deus misso Filio suo in similitudine carnis peccati, illud nobis præstitit, vel possibile reddidit, vt Theophylactus, &

Ad 4. dub.

Figuræ Apostolo familiares aliis figuris illustradæ, ad maiorẽ eius intelligentiam,

2. Cor. 11.
1. Cor. 4.

Mag. Greg. Directa solutio quæstion.

Theophyl. Erasmus.

Duplex beneficiū generi humano collatum, expressum à Paulo.

Erasmus, & alii subaudiendum docent. Nec tantum hoc effecit, sed etiam, vt subdit: *Et de peccato damnauit peccatum*. Ita vt coniunctio, *Et*, alterius beneficii sequelam indicet, vt scilicet Deus non tantum miserit Filium suum in similitudine carnis peccati, sed etiam de peccato damnauerit peccatum in carne; quo ita Grammatica, & sensus constent. Et nonnulli ex interpretibus ad integram Grammaticæ rationem tradunt Paulum tacuisse verbum Præstitit, vel effecit, quod necessario supplendum est.

Altera sol. non contemnenda.
Theophyl.

Deinde posset hoc dubium aliter dissolui: asserendo, coniunctionem, *Et*, superfluere, vt quidam docent: nam plerumque tales coniunctiones apud Paulum vacant, ac redundant. Certe Theophylactus neque in textu neq; in expositione, eius coniunctionis, *Et*, mentionem fecit, quod intelligeret, eam hoc loco abundare. Et ita nomē Deus, à verbo, Damnauit, regeretur, in hunc modum: Deus misso Filio suo in similitudine carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne. Quemadmodum Luc. 2. cum dicitur: *Postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer, & vocatum est nomen eius, Iesus*, hæc coniunctio, *Et*, in Græcis, & Latinis codicibus, abundat: quod & in aliis Scripturæ locis obseruare licet interdum.

Luc. 2.

Tertia sol.

Potest etiam tertio dici, quod etiam si nullum verbum suppleamus, & coniunctio, *Et*, remaneat, dummodo capiatur pro etiam, vt plerumque, non tantum in Scripturis, sed etiam apud bonos autores, bonus sensus eici posset, & oratio sibi constaret, hoc nempe modo: Deus misso Filio suo in similitudine carnis peccati, etiā de peccato damnauit peccatum in carne: & ita nihil desiderabitur aut in sensu, aut in ratione Grammaticæ.

Quodnā illud impossibile legi, in quo infirmabatur per carnem.
I. sensus Origenis.
Tom. 2.
Leuit. 14. & seq.

Iam vero circa sensum eius sententiæ petitum fuit quid erat illud impossibile legi, in quo infirmaretur per carnem. Origenes hoc loco distinxit legem in carnem, & spiritum, id est, in et carnalem intelligentiam, & spiritualem: & istam legis impotentiam in eo totam collocat, quod impossibile fuerit legis ceremonias secundum carnem, id est, literam obseruare. Quid enim, inquit, tam impossibile, quam Sabbati obseruatio secundum literam legis, vt in multis sæpe iam diximus? Idem de sacrificiis, & legibus lepræ, quas nemo vnquam potuit implere, intelligendum tradit. Sed hic sensus, si legis vmbras cum veritate compararet, tolerabilis esset: at vero quia tantum considerat quæ sit legis in natura nostra sanctificanda virtus, & non minus iuxta spiritum præstari non posse sine gratia Dei, quam iuxta literam, manifestum est; ideo hic sensus deserendus videtur. Tota enim lex cum omnibus præceptis suis, siue iuxta literam, siue iuxta spiritum accipias, ex se ipsa hominem sanctificare non poterat. Et quanquam per verbum infirmari, Græcum ἀσθενεῖν, ab interprete versum sit: vis tamen illius verbi Græci potius significat vires nullas, quam imbecillas: nihil enim ad perfectum adduxit lex, quæ tantum præstabat cognitionem peccati: neque sacrificia, quæ erant infirma, & egena elementa. Vnde Ambrosius hoc loco: *Hæc dicit, vt baptizatos securos reddat, quia liberati à peccato sunt. Quoniam quod impossibile erat, inquit, legis; Cui impossibile? Nobis scilicet impossibile erat mandatum legis implere, quia subiecti eramus peccato.* Hæc ille. Et addit. ¶ Per carnem, siue, vt alii vertunt, in carne: Nam διὰ interdum pro præpositione, In, accipitur, vt cap. 4. Vt sit pater omnium credentium per præputium id est, in præputio. Non ergo ait legem fuisse malam, sed imbecillam, & infirmam: neque hanc infirmitatem illi impingit quasi intrinsecus inhærentem, cum ipsa fortis esset, & spiritualis in se, & fortia præciperet: sed quasi extrinsecus illi adiaceret ratione carnis, quæ dominatum in homine tenebat, & pugnando semper vincebat. Obiicies, quia legis impotentia, & infirmitas, ne efficeret iustitiam apud Deum, non accidit illi ab infirmitate carnis, sed ex eo quod natura iustificationis esset supernaturalis, vires, & facultates cuiusuis creaturæ, vel legis longe superans. Ideo in statu naturæ integræ, homines potuissent seruare omne naturæ ius, & præcepta vniuersa quod attinet ad substantiam operis, tamen iusti apud Deum esse non potuissent, nisi per gratiam implerent illam legem. Respondetur: Cum Paulus de statu hominis in peccato loqueretur, in quo præter iustificationis excellentiam noua causa ratione carnis accidit, vt non solum valeat iustitiam promereri apud Deum, sed nec legem, quod ad operis substantiam spectat, præstare; altera tacita ratione huius rationis mentionem fecit. Etsi dici possit, quod etiam natura nuda, & sola, sine peccato, dici possit caro, & infirma, quia non valet coram Deo promereri iustitiam: & quia Dominus videbat defectum non esse legis ipsius, sed nostrum, ob ius, quod peccatum in carne nostra habebat, iuxta illud: *Qui facit peccatum, seruus est peccati*: voluit Deus homini succurrere, & ab hoc peccati dominatu eum liberare: vt fecit per Filii sui missionem.

Hic sensus non minime recipiendus.
Mira legis impotētia.
Hebr. 7.
Rom. 3.
Galat. 4.
B. Ambros. Lex Moysi in quo infirmaretur per carnē.
Rom. 4.
Infra 7.
Cur potius legi, quam donum iustitiæ supernaturali, diuinam præstandi iustitiam impotētia tribuatur.
Solutio.
Hominis natura etiā innocens, & pura peccato, vt sit caro & infirma.
Ioan 8.
2. Pet 2.

Quæsitum quoque fuit, quid sit: In similitudinem carnis peccati. Vbi primum ad-

Explicatur dictio simili

[...]tudinem carnis peccati quid sit.

Contra Eutychetem.

Ioan. 1. Luc. 24. Ibid. 39.

Philip. 2.

uerte. non in Accusandi, sed in Anferendi casu dixisse, ἐν ὁμοιώματι, hoc est, in similitudine. Erasmus vertit, sub specie carnis peccato obnoxiæ. Hæc lectio contra fidem vocis Græcæ est: non enim habetur, εἶδος, sed ὁμοίωμα: adimitur quoq; sententiæ plenitudo: nam Eutychiani hæretici confitebantur Christum venisse sub specie carnis peccati, vt quotidie sub specie panis in Eucharistia, licet naturam veram panis non assumat, & ita nec carnis substantiam. Hæc autem similitudo carnis veritatem non excludit: Gestauit enim Christus carnem veram, & innocentem, quia Verbum vere caro factum est; &, *Surrexit Dominus vere*, quod est carnis, de qua dixit; *Palpate, & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet*: sed propter molestias, afflictiones, & mortem, quibus obnoxia erat, similis dicitur carni peccati. Accepit enim conditiones pœnales in carne sua, quæ nobis à peccato venerunt. Sic dicitur factus in similitudinem hominum, & habitu inuentus vt homo: quo dicendi genere vera in eo hominis substantia non negatur, sed declaratur non fuisse hominem secundum conditiones illas, quæ naturæ humanę propter peccatum debebantur, inter quas erat dominatus peccati.

Quid caro peccati. Psal. 75. Ephes. 2. Ioan. 17. Psal. 40. Act. 9. Tertull.

Caro vero peccati, phrasi Hebræa non est aliud quam caro peccatrix, vel caro peccans: quemadmodum vir diuitiarum, & Filius iræ, vel perditionis, & homo pacis, significant virum diuitem, & hominem perditum, & filium ira dignum, siue pacis cultorem, & sectatorem, & vas electionis, id est organum electum. Ait enim Tertullianus libro 5. aduersus Marcionem: *Ob hoc igitur missum Filium in similitudinem carnis peccati, vt peccati carnem simili substantia redimeret, id est, carne, quæ peccatrici carni similis esset, cum peccatrix ipsa non esset. Nam & hæc erit Dei virtus in substantia pari perficere salutem. Non enim magnum, si Spiritus Dei carnem remediaret, sed si caro consimilis peccatrici, dum caro est, sed non peccati. Ita similitudo ad titulum peccati pertinebit, non ad substantiæ mendacium. Nam nec addidisset, peccati, si substantiæ similitudinem vellet intelligi, vt negaret veritatem. Tantum enim carnis posuisset, non & peccati. Cum vero tunc sic struxit, carnis peccati, & substantiam confirmauit, id est, carnem, & similitudinem ad vitium substantiæ retulit, id est, ad peccatum.*

Quare Apostolus non simpliciter Christum venisse dixerit in similitudine carnis, sed carnis peccati, recte Tertullianus.

B. Amb. t. 5. Luc. 1.

Hæc ille. Cui subscribens Ambrosius in hæc verba scribens, ait: *Hæc est similitudo carnis, quia cum eadem caro sit, quæ & nostra; non tamen ita facta in vtero est, & nata, sicut & caro nostra. Est enim sanctificata in vtero, & nata sine peccato, & neque ipse in illa peccauit. In causa enim similis est, non in qualitate peccati substantia. Propterea ergo similem dixit, quia de eadem substantia carnis non eandem habuit natiuitatem, quia peccato subiectum non fuit corpus Domini. Expiata est autem à Spiritu sancto caro Domini, vt in tali corpore nasceretur, quale fuit Adæ ante peccatum.* Sic ille.

Id: & de peccato damnauit peccatum in carne, tripliciter interpretatur Augu. B. Aug. tom 7. Primus sensus. Alter. Matth 6. 2. Cor. 5. Tertius. Matt. 26.

Iam illud expediendum, quod obscurius esse videtur: *Et de peccato damnauit peccatum in carne*: quæ verba Augustinus libro 3. contra duas epistolas Pelagianorum, capit. 6. explicare non sine labore conatur: Ait enim: *Dicimus itaque Christum & nullum habuisse peccatum, nec in anima, nec in carne, & suscipiendo carnem in similitudine carnis peccati, de peccato damnasse peccatum. Quod subobscuro ab Apostolo dictum duobus modis soluitur. Siue quia rerum similitudines solent earum rerum nominibus nuncupari, quarum similes sunt, vt ipsam similitudinem carnis peccati voluisse intelligatur Apostolus appellare peccatum; siue quia sacrificia pro peccatis peccata appellabantur in lege, quæ omnia figura fuerunt carnis Christi, quod est verum, & vnicum sacrificium pro peccatis, non solum his, quæ vniuersa in baptismate diluuntur, verum etiam his quæ post ex huius vitæ infirmitate subrepunt, propter quæ quotidie vniuersa ad Deum clamat Ecclesia: Dimitte nobis debita nostra, & dimittuntur nobis per singulare sacrificium pro peccatis: Quod Apostolus secundum legem loquens, non dubitauit appellare peccatum. Vnde est etiam illud eius multo euidentius, nec aliquo biuio cuiusquam ambiguitatis incertum: Obsecramus pro Christo reconciliari Deo: Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos fimus iustitia Dei in ipso. Nam quod superius commemoraui, De peccato damnauit peccatum, quia non dictum est de peccato suo, potest quispiam sic intelligere, vt dicat eum de peccato Iudæorum damnasse peccatum, quia de peccato eorum qui eum crucifixerunt, factum est vt sanguinem suum in remissionem funderet peccatorum.*

Quod postremo dixit Augu. Deum de peccato, s. Iudæorũ damnasse peccatum: cur stare non possit. Christi passio, & mors vt tantum fuerit salutaris. Theophyl. Ambros.

Ex quibus Augustini verbis tres huius loci expositiones elicimus, sed posterior earum minus accommoda videtur: nimirum, de peccato ipsorum Iudæorum Christum morti adiudicantium, Deum damnasse peccatum in carne. Nihil enim in quantum tale est, ad sui ipsius tendit destructionem. Nam etsi Christi mors quatenus à Deo decreta est in bonum nostrum, & à Christo patienter tolerata, Patrique oblata, bona sit, & infiniti pretii, ac meriti apud Deum pro abluendis peccatis: quatenus tamen à Iudæis iniustè fuit inflicta, summũ fuit flagitium, neque ad damnationem, vel peccati destructionem facere potuit: quin potius peccatum ipsum auxit, & locupletauit, gloriosumque effecit, eo quod ausum fuerit

innocentissimo Filio Dei manus inferre. ¶ Similii ratione corruit alter sensus, qui Theophylacto tribuitur, & Ambrosio: De peccato, quo Satanas in Christi carnem peccauit, damnauit peccatum, hoc est diabolum; cum tamen minus proprie in Scripturis Diabolus dicatur peccatum. Facit etiam in hunc sensum, quod cum dicitur Deum de peccato damnasse peccatum in carne, nō simpliciter dicitur peccatum damnasse, sed peccatum in carne, quæ peccati sedes proprie esse non potest, sed peccatum, hoc est, fomitem, seu concupiscentiam ad peccata vrgentem, & nisi obuiam illi eatur, peccata operantem: quod improprie peccatum dicitur: quemadmodum nomine linguæ, locutionem, & nomine manus Scripturam, vel picturam intelligimus. Vt ergo peccatū in carne existens, damnatum à Christo, proprie peccatum non est: ita cum dicitur de peccato, non proprie accipiendum pro peccato vel Iudæorū, vel Satanæ, qui Christo mortem machinati sunt, atque eius infligendæ ministri extiterunt.

Eam alteram quorundam interpretationem: de peccato Satanæ in Christi carnem, damnauit peccatū, hoc est diabolum minus posse consistere.

Qua ratione fomes seu concupiscentia sit peccatū.

Reliquum est igitur, vt per vocem illam, De peccato, aliquid, quod proprie peccatum non sit, intelligamus: at hoc fuit caro eius peccato similis, quam cum Christo induit, personam induisse peccatum habentis videtur: quam indutus, multo magis peccatoris personam gestasse dici potest, quā qui vestes & larvā Cæsaris ferret, Cæsaris personā induisse censeretur. Caro enim Christi molestijs & laboribus, quæ ex peccato prodierunt, atque adeo morti ipsi obnoxia atq; subiecta, certissimum signum esset hominis peccatum habētis: nec in vno aliquo fefellit præterquam in Christo, quia carnē non peccantem, sed peccatrici similem induit. Merito ergo factum est, vt peccatū in carne nostra delitescens (id est fomes, vt ipse Paulus declarat) in nobis damnatum sit, ita vt ad peccatum renatis in Christo non imputetur, neq; amplius iura sua, & tyrannidem in eos exerceat, cum per gratiam Dei in baptizatis confractus sit atq; debilitatus. Nam quia mundus ab eo peccato impulsus restitit Euangelio, & charitati, quam Christus prædicauit, & sic ab illo ipso peccato fuit indigne, & summa cum iniuria crucifixus: iure factum est, vt dominatum, quem in vniuersum mundum habebat, perderet. Et recte dixit, damnauit peccatum, non, extinxit aut, exterminauit, aut destruxit: nam vt Chrys. expēdit, Deus non solum robore, & potentia damnauit peccatum, sed æquissima iustitiæ ratione: nam inobedientis Adæ præuaricationem in iudicem detulit, & cum obedientia Christi contulit, & quasi lata sententia peccatum condemnauit, vt nullum amplius peccatum principatū habeat in orbe; & quod ad culpam, & reatum attinet, peccatum interemit, sed infirmauit, & debilitauit, quod spectat ad fomitē carnis: & Dominus mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Ita induendo carnem peccatrici similem, & in ea patiendo, ab his, in quibus concupiscentia dominabatur, præstitit in omnibus regeneratis, & sibi insitis, nec habere peccatum in carne, vel motus eius persentiscere, ad peccatum imputaretur. Potest & alia ratio produci, ob quam caro Christi peccatum dicatur. Frequens est enim in sacris literis peccatum vocare hostiam pro peccato: quemadmodum è contrario proprie apud Latinos piaculum significat sacrificium expiationis peccati, vt apud Horatium:

Quartos sensus proprius huius loci.

Vnde solū fomes amisit principatum.

B. Chrys. ser 13. circa med. to 4. init.

Gen. 3.

Osea 13.
1. Cor. 15.

Qua etiā ratione sit caro Christi peccatū.

Horat li 1. carm. ode 28. in fin.

Teque piacula nulla resoluent:

Et apud Virgilium:

Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.

Virg. lib. 6. Aeneid.

Et tamen id vocabulum deflexum est ad significandū scelus, vel flagitiū. Vnde Poeta:

Distulit in seram commissa piacula mortem.

Ibid.

Ita peccatum præter propriam significationem, sacrificium pro expiando peccato significat secundum illud Apostoli: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Et apud Oseam; *Sacerdotes peccata populi mei comedent*; id est, hostia, quæ à populo pro suis peccatis offerebātur. Et apud Esa. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Id est: Si vitam suam in sacrificium pro peccato exposuerit, longæuo semine dignus erit. Quod si sic hoc loci accipiatur peccatū; sensus esset, quod carni Christi peccatrici simili tanquam hostia à Christo oblata in regeneratis peccatum in carne, hoc est fomitem damnauit, ne amplius damnetur ad peccatum. Imo id etiam præstitit, vt carnem nostram stimulo illo peccati agitatam, in hostiam Deo offerre possemus, secundum illud quod c. 12. inferius dicitur: *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem sanctam, &c.* Neque mirandum de præpositione illa, de, (scilicet peccato) nam perinde est, ac si dixisset, vt multis alijs modis: damnare poterat peccatum: illud tamen sibi magis placuit, vt de peccato, id est, de carne peccato simili, damnaret peccatum: accipiendo de, pro, per. Vt si Cæsar milite tantum barbaro vsus, exercitus barbarorum rebellos debellaret, dici posset: Cæsar de barbaro milite debellauit Barbaros sibi rebelles. Quanquā Beza huc atq; illuc se torquens περὶ ἁμαρτίας, vertit, pro peccato, asserēs περὶ præpositionem vsurpari pro ὑπὲρ: vt Matc. 14. τὸ περὶ

2. Cor. 5.

Osea 4.

Esai. 53.

Quod illud Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.

Illud etiā: de peccato, idem significare quod, pro peccato, vnde comprobet Theodorus Beza, sed inepte.

Matth. 14.

πολλῶν

πολλῶν ἐκχυνόμενον: id est, pro multis effundetur. Vbi περὶ πολλῶν pro, ὑπὲρ πολλῶν. Et 1.Pet.3. Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est: vbi Græce habetur eadem præpositio περὶ pro ὑπὲρ. ¶Sed etsi hæc vera sint de Henallage præpositionum, nō tamen apte huic loco accommodatur, neq; aliquem reddit illustrem sensum.

1.Pet.3.

Sequitur alia dubitatio: *Vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Hoc enim erat illud impossibile legis, quod non tam legis ipsius effectus, quam carnis nostræ infirmæ erat, quæ impedimentum præstabat, quo minus lege impleta, eius finem, qui est bonos efficere, & iustificare, adipisci possemus. Id tamen propter Christum assequimur, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Dicitur autem legis iustificatio, nō quā ipsa lex præstaret, sed quam intendebat, & promittebat per Christum futuram. Et subiungit: *Qui non secundum carnem ambulamus, sed secundū Spiritum.* Quod dictum esse videtur, quod inter Christianos multi sunt, qui nomine tenus, & externis ceremoniis Christum colunt, & non secundum spiritum datum de cœlo, & per quem caro continetur in officio, ambulant, sed secundum carnem. ¶Mira est autē Melanchthonis hallucinatio, qui ambulare secundum Spiritum, asserit nihil aliud esse, quam credere; cum vbique ambulare, ad vitam pertineat, & ad opera charitatis, & obedientiæ, iuxta illud: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis; &, Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare:* at Christus per fidem non ambulauit, sed per charitatem, & bona opera. Idem etiam frequenter explicat Dauid referendum ad bonam vitam. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini:* & Ezechias *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.*

Ad 5. quæst. Quid iustificatio legis Apostolo, & cur sic vocetur.
Rom. 4.
Ad 6. quęst.
Melanchthonis vere secundum carnem ambulantis, & non secundum Spiritum, intelligētia cōfutatur.
Gal. 5.
1. Ioan. 2.
Christus quomodo ambulauerit.
Psal. 118.
Esaia. 38.

Hoc loco abusus est Lutherus in ca. 5. ad Gal. & in explanatione Decalogi, refert, eos secundum carnem, & non secundum spiritum ambulare, nec cœlestia sapere, sed quæ huius mundi sunt, qui peregrinationibus susceptis, loca Deo sacrata, in quibus Fidei nostræ monimenta, exuuiæq; Sanctorum, & sacra ossa extant, ob Dei, & sanctorum honorem inuisere student. Verum hoc eius dictum impium est, & in Deum, & in sanctos iniurium. Quis enim reprehendere audeat Christi cultores, quod templum orandi, & audiēdi verbi Dei caussa, aut venerādi Deū, & eius Sanctos, frequentent? Certe Deus olim peculiari præcepto cogebat omnes Iudæos, vbicunq; illi essent per orbē dispersi, vt ter in anno appareret ante Deum; & ipsemet Christus morigerum se illi legi præstitit, vt Euangelica historia testatur. Ecce Ambrosius ser. 90. refert, quomodo Constantia Regina, cuius corpus lacerum, & cōcisum erat, vt ne quidem vlla eius pars illæsa foret, dum Agnetis virginis tumulū spe salutis consequendę adisset, fusis ad eam precibus voti compos facta est, & integræ sanitati restituta. Et Hieronymus epist. ad Apronium: *Optime*, inquit, *facies, si cunctis rebus omissis, Orientem, & præcipue sancta loca petas: hic enim quieta sunt omnia.* Et libro aduersus Vigilantium inter alias hæreses, hanc illi ascripsit, quod peregrinantibus religionis ergo obstreperet.

Alter & Lutheri carnalissimi, vereque secū dum Spiritum diabolicum ambulantis, huius loci intellectus excluditur.
Exod. 34.
2. Paral. 8.
Luca 2.
B. Ambr. to. 3 sub fin.
B Hierony. epist 56 to. 2. ante med.
Idem ibid.
Dormitabundi impium dogma Vigilantii quod nam inter alia.

DISPVTATIO XIII.

In illa verba: *Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt: qui vero secundum Spiritum sapiunt; quæ sunt Spiritus, sentiunt. Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem Spiritus, vita, & pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest, &c.*

IN Præsentis loci explicatione loquendi formulæ, siue phrases Apostolicæ diligēter annotandæ sunt, quia neque vulgares, neque communes sunt, sed familiares Paulo. Primo igitur explicanda connexionis ratio. Deinde quid sit, esse secundum carnem, & ambulare secundum Spiritum. Tertio, quomodo prudentia carnis sit mors, & inimicitia Deo, & legi Dei subdi non possit & quomodo rursus prudentia Spiritus sit vita, & pax: nam hæ locutiones reconditæ sunt, & minus cognitæ. Demum, quomodo scribat Romanis, illos in carne nō esse, cum non essent incorporei, & cum essent inter se altercantes, & dissidentes: at dissidia, & altercationes, homines reddunt carnales, secundum illud: *Cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominē ambulatis?* His dubitationibus ordine quo propositæ sunt, respondemus: Ostendit enim in primis Apostolus, hoc loco Christū ambulantibus secundum carnem nihil prodesse. Et ratio est: quia ambulantes secundū carnem, hi scilicet mente sunt secundum, carnem, quod est esse carnales, & habere in se principium cogens etiam volentem ad ea quæ sunt carnis. Quare in Scripturis dicūtur, aut esse carnales, aut esse ex carne, aut in carne, aut secundum carnem. Contra vero qui ambulant secundum Spiritum, habent

I. dubium
II.
III.
IV.
1. Cor. 3.
Ad 1. dubit. De continuatione dictorum.
Ambulantib. secundum carnem cur nihil prosit Christus.

bent esse mente sua secundum Spiritum, & dicuntur in Scripturis esse spirituales, vel habere esse ex Spiritu, vel in Spiritu, vel secundum Spiritum. Ex his etiã habes, aliud esse habere esse secũdum carnem, aliud ambulare secundum carnem: nam esse secundum carnem, est, mentem hominis esse in statu carnis dominantis ambulare vero secundum carnem, est mentem obtemperare vitiosis affectibus carnis. Ita per contrarium, esse secundum Spiritum, est, mentem hominis ita habere dispositam, vt ea quæ sunt Spiritus, & charitatis, valeat consectari: ambulare vero secundum Spiritum, est mentem actu probare spiritualia, & per legem charitatis sua studia, curas, & actiones dirigere. Quemadmodum etiam aliud est esse in gratia, id est in statu gratiæ, aliud secundum gratiam viuere, id est, moribus Spiritus sancti obsecundare, & secundum illos vitam, & mores componere. Et vt vno Philosophico verbo dicam: Ista non differunt, nisi vt actus primus, & secundus, vel vt habitus, & actus: & Paulus: *Si Spiritu viuimus, Spiritu & ambulemus.* Veluti proinde qui secundum carnem sunt, sapiunt quæ sunt carnis, id est, ea quæ iudicant bona, & ea probant, & illis afficiuntur, & hæc eligunt quæ carni placent: quæ cum temporanea sint, & morti subiecta, vt sic certe mortem adferunt, & merito de eligente digna morte, & ea æternis præferente, quia contempsit immortalia, & cœlestia, dicitur: *Prudentia carnis mors est.* Et oppositum colligitur de his, qui ambulant secundum Spiritum: nam tales secundum Spiritum sunt, & nonnisi immortalia, & vita æterna digna probant, & amplectuntur, ita vt prudentia Spiritus sit vita, & Spiritus.

Ad 2. dubit. Quid esse secundum carnem, & ambulare secundum carnem. Esse secundum Spiritum quid, & ambulare secundũ Spiritum.

Gal. 5.

Qui sunt secundum Spiritum, quæ sapiãt quæ sunt Spiritus.

Origenes putauit hoc discrimen à Paulo assignatum inter ambulantes secũdum Spiritum, ad Iudæos, & Euangelicos homines esse referendum. Iudæi enim, ait, ambulant secundum carnem, id est carnalem sensum, qui legem ad literas intelligentes occidit, nec egerminat Christum, qui est vita, & pax: & ideo prudentia carnis illis mors est. Euãgelici autem secundum Spiritum ambulantes, ea quæ sunt Spiritus, & sentiunt, & probant. Et ita prudentia Spiritus est illis vita, & pax. Verum hic sensus etsi bonus, non tamen ab aliis Patribus ad Iudæos tantum, & Christianos restringitur, sed generatim carnalium hominum, atque spiritualium differentiam hic agnoscunt. Scopus siquidem Pauli est, definire eos qui liberantur à lege peccati, & mortis. ¶ Nec est sensus de esse substantiali, & naturali: quia omnes corpore, & animo, id est carne, & spiritu, constamus: nec in ea re est vllum discrimen, sed de esse morali. Nam vt qui secundum carnem sunt, ambulant secundum carnem, id est, sectantur & probant quæ carni sapiũt: ita qui secundum spiritum sunt, habent principiũ trahens ad ea, quæ sunt spiritus. Etenim teste Aristotele l.3. Ethicor. *Qualis vnusquisque est, talis finis sibi videtur, talisque habet rerum iudicium.*

Origenes quos vocet secundum carnem ambulantes, quos vero secundum Spiritum. 2. Cor. 3.

Impropri⁹ alter eorũ verborum sensus reiicitur.

Arist. to. 2.

Et nullum est hic discrimẽ inter illas voces, sapere, & sentire: quia eadem plane vox Græca est apud Paulum, nimirum φρονοῦσιν, & tantum semel posita in priori parte primæ sententiæ. In secunda erat subaudienda, sed interpres ipse suppleuit dicens, sentiunt. Quod verbum etsi pertineat ad intellectum, & ad effectum, frequentius tamen ad effectum. Et hoc loco prorsus ad effectũ spectare ostendit illud quod præcessit: *Qui non secundum carnẽ ambulamus, sed secundum Spiritum*: at ambulare, ad effectum spectat. Quemadmodum etiam nomen illud, prudentia, siue carnis, siue spiritus, idem est cũ eo quod postea vertit interpres, Sapientia carnis: nam Græce in tribus illis locis semper est idem nomen φρόνημα ab eodem verbo deriuatum, & significat affectum, cogitationem, curam, & studium carnis, siue spiritus.

Prudentia carnis, & sapientia carnis idem significant apud Paulũ

Ex his accipe quid sit illud. Prudentia carnis mors est; id est, Meritum ipsius prudentiæ est, vt qui præfert carnalia, & mortalia æternis, mors ipsa, amissis cœlestibus, terrenis quoque, & temporalibus destituat. Qui vero secundum spiritum sapiunt, consequũtur vitam, & pacem. Ita vt illud; *Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt*, probatio sit præcedentis dicti: *Qui non secundum carnem ambulant.* Et sequentia verba: *Nam prudentia carnis mors est*, ratio sint prioris dicti, vel si malis, eius explicatio. Nam qui ambulant secundum carnem, ex eo probantur per Christum non iustificari, quia secundum carnem sunt, & quæ carnis sunt, sapiunt. Et cum cuique merito sit reddendum id ipsum quod sapit, & intelligit huius prudentiæ meritum est mors ipsa. Ideo particula. Nam, non videtur caussam reddere, sed idem valet, ac. Quapropter, vel Quocirca; vt denotetur verus effectus, qui consequitur sapere secundum carnem. Ideo hui⁹ prudentiæ meritum est ipsa mors: quia sapere secundum carnem, aliud non est quam delinquere, & peccare: sicut sapere secundũ spiritum, virtutum maxime diuinarum, officia exercere. Illa autem loquẽdi forma: *Prudentia carnis mors est, & prudentia spiritus, vita, & pax*; prædicationes sunt caussales, vt Logici loquuntur. Et Augustin. libr. 3. De libero

Ad III quæstionem.

De eo quod Prudentia carnis mors appellatur: prudentia autem Spiritus vita, & pax. secundum carnem ambulantes cur minime iustificant.

B. Aug. to. 1. circa fin.

arbit. cap. 19. similem aliam locutionem in Paulo annotauit Ait enim: *Sicut linguam dicimus non solum membrum, quod mouemus in ore dum loquimur, sed etiam illud, quod huius membri motum consequitur, id est formam, tenoremq; verborum, secundum quem motum dicitur alia lingua Græca, alia Latina: sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate, & ab sciente committitur; sed etiam illud quod iam de huius supplicio consequatur necesse est.* Hæc ille, de fomite, siue cõcupiscentia. Et vt prudẽtia carnis est mors, id est, caussa mortis; ita prudentia spiritus est vita, id est caussa vitæ, quæ per fidem est, & gratiam, & quæ futura est in alio seculo. Nam qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Est etiam hic pax, qui fructus est spiritus: & vt Propheta dixit, *Pax multa diligentibus legem tuam.* Et addit: *Quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Legi enim Deo non est subiecta.* Probat proximum dictum, Prudentiam carnis esse mortis caussam. Nam quicquid Deo est inimicũ, mortis est caussa; at carnis sapientis inimica est Deo, quia legi Dei non subiicitur, nec subiici potest; est igitur mortis caussa. Pro illo verbo: *Inimica est Deo.* Græce est, *Inimicitia est in Deum* ἔχθρα εἰς Θεόν. Nec enim legi debet ἐχθρά, id est inimica in fœminino, cũ nomẽ sapientia sit idem quod superius φρόνημα in neutro genere, & idcirco illi iungi non pôt: & ita fortassis vertit interpres, & post corruptum fuit. Nam Oecumenius, inimicitiam ad Deum vertit: Theophylactus vero inimicum affectum. August. vero, Inimicitia est in Deũ. Nam sicut amicitia consistit in voluntatum consensione, ita inimicitia in dissensione. Nam etsi natura facultatis concupiscentis à Deo sit, rebellio tamẽ illa, qua insurgit, vulnus est, quod natura accepit ab Adã: & eatenus à Deo non est, quia legi Dei rebellis pugnat contra spiritum, & legi nõ subiicitur, nec in hac vita subiici potest. Et existentibus in Christo non est amplius vulnus peccati, sed naturalis, qui tolli nequit, & conditio eorum, qui sunt in luce Noui Testamenti.

Vt lingua Latinis, sic Hebræis duo solet significare peccatum.

Prudentia spiritus vt sit vita, & pax.

Gal. vlt.

Supra 5.

Psal. 118.

Quare prudentia carnis sit mors, teste Apostolo.

Oecum. ca. 12. ante med.

Theophyl.

B. August. ser. 6. de verb. Apostol. circa med. to. 10.

Gen. 3. & Osea 6.

Gal. 5.

Hunc locum interpretans Augustinus in Actis cõtra Fortunatum, disput. 2. sic inquit: *Dictum est prudentiam carnis non posse legi Dei esse subiectam, quemadmodum si diceretur glacialem niuem calidam esse non posse. Nullo enim pacto quãdiu nix est, calida esse potest. Sed quemadmodum illa nix calore resoluitur, & desinit nix esse, vt possit calescere: sic illa carnis prudentia, id est, consuetudo facta cum carne, cum fuerit mens nostra illuminata, & ad arbitrium diuinæ legis totum hominem sibi Deus subiecerit, pro illa consuetudine animæ mala facit consuetudinem bonam. Ex quo illæ duæ arbores, bona arbor, & mala arbor, quas enumerasti, verissime dictum est à Domino, quod fructus suos habeant, id est, neque bonam posse dare malos fructus, neque malam bonos, quamdiu mala est. Accipiamus duos homines, bonum hominem, & malum hominem. Quamdiu bonus est, malos fructus dare non potest. Quamdiu malus est, bonos fructus dare non potest. Sed vt intelligas istas duas arbores sic esse a Domino positas, vt ibi significaretur liberum arbitrium, non naturas esse istas arbores, sed voluntates nostras: ipse ait in Euangelio; Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam. Quis est qui possit facere naturam? Si ergo imperatum est nobis, vt faciamus arborem aut bonam, aut malam, nostrum est eligere quod velimus.* Hæc ille: atque eadem habet prope finem quæstio. 66. in libro Octoginta trium quæstionum. Et serm. 6. de verbis Apostoli: *Prudentia carnis quamdiu talis est, legi Dei subijci nequit: sicut qui in carne sunt, Deo placere non possunt:* Sic ille fere. Photius etiam in hũc locum ait: *Ne turberis cum audis; Neque enim potest Si quidem non hoc dicit, quod carnalem habens affectum, nunquam Deo placere possit; sed dum in eo perseuerat, nequaquã Deo subdi potest: alioqui, quomodo plerique resipiscentes saluati sunt? Etenim non dixit, quod homo vel addictus Deo subdi nequeat, sed ipse affectus, qui praua sunt actiones, quas etiam inet aese rere.* Similia his sunt quæ Apostolus dixit 1. Cor. 12. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, &c.*

B. Aug. to. 6 non procul à princ.

Qua ratione prudentia carnis legi Dei non possit esse subiecta, secundum Augustinum.

Matt. 7. Duæ arbores Euangelicæ, bona nimirum & mala, vnde suos fructus habeant: ad quod significandum à Christo sint institutæ.

Infra 12.

Idem to. 4. ante dimid.

Idem to. 10

Photius apud Oecu. c. 12. ante med.

1. Cor. 2.

Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Non tantum Apostolus docet, sed etiam more suo exhortatiunculam adiungit, vt decet Euangelicum præconem. Nam quod de prudentia carnis, & spiritus hactenus abstractis verbis tractauerit, iam ad homines accommodat. Et vt prudentiam carnis inimicitiam esse in Deum, dixerat: ita qui in carne sunt, quasi illa inimicitia, sapientes secundũ carnem, Deo placere nõ possunt, quatenus in ea sunt, nisi mutentur in alios viros spirituales, qui Deo placeant. Et subdit: *Vos autem in carne non estis sed in spiritu.* Explicat Apostolus quid sit esse in carne: quod sane intelligendum non est secundum naturam, & substantiam, secundum quam homo spiritu, & carne, siue anima, & corpore cõstat, quibus certe non tantum Romani constabant, sed etiam ipse Apostolus qui hæc scribit. Nec enim Romani erant incorporei, aut ipse Apostolus, qui hæc dictabat. Est igitur æquiuoca locutio in Scripturis esse in carne. Nam interdum vitium sonat, & significat, hominem mente carnalem esse, vt illud:

Concionator duo piè stare debet.

Quatenus qui in carne sunt, Deo placere non possint.

Ad IV. quæstionem. Cur Romani in carne & spiritu constarent quomodo dicuntur in carne non esse.

Esse in carne, vbi male sonet in Scripturis.

Genes.3. Ibidem. Ps.77. Rom.7. Colos.2. Ephes.2.

lud: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est; & Omnis quippe caro corruperat viam suam*; & Dauid: *Recordatus est quia caro sunt.* Et cap.7. dixerat Apostolus: *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris.* Ephes.2. *In quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostræ.* Coloss. 2. *Frustra inflatus sensu carnis suæ*; & alibi: *Facientes voluntatem carnis, & cogitationum.* In his enim, & similibus locis aperte innuitur in carne esse eum, qui tantum peccator est, & vitia carnis mente libenter amplectitur.

Esse in spiritu quid. Gal.5. Ioan.3.

Ita per contrarium esse in Spiritu, est spiritualem mente esse, & ea quæ Spiritus sunt, mente amplecti, & sectari, iuxta illud: *Si viuimus Spiritu, spiritu & ambulemus*; & *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*; & Ioannes: *Quod natum est ex Spiritu spiritus est.* Et ita opponit illa duo membra inter se Apostolus: *In carne non estis, sed in spiritu*; vt distinguat hominem peccatorem, & carnalem, à iusto, & spirituali.

Esse, aut viuere, aut ambulare in carne, vbi sonet non male. Heb.5. 1.Pet.4. Gal.2. Philip.1. Ibidem. 2.Cor.10.

Aliquando vero esse in carne, quod idem est, vitium non significat, sed conditionem hominis viatoris, qui dum viuit, in carne permanet. Ideo de Christo dicitur: *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque, &c.* & Petrus in priori epistola: *Vt iam non desideriis hominum, sed voluntate Dei quod reliquū est in carne, viuat temporis.* Et Paulus de seipso: *Quod autem viuo in carne, in fide viuo Filii Dei.* Et rursus: *Quod si viuere in carne, hic mihi fructus operis est.* Et subdit: *Permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Et de iustis, & sui similibus: *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* Vbi ambulare, est esse in carne, si secundum eam non militamus. Has enim locutiones cognitas habere oportet, ne in vera Scripturarum intelligentia aberrare contingat.

Esse secundum carnē quo loco non significet vitium. Rom.1. Infra 9. Ibid.

¶ Ita etiam, quod superius diximus in malam partem accipi, esse secundum carnem, in bonam interdum accipitur. Nam ad Rom. 1. dicitur: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* Et cap.9. *Ex quibus est Christus secundum carnem.* Et rursus ibidem de Iudæis: *Qui sunt cognati mei secundum carnem.* Vbi per synecdochen caro pro toto homine accipitur.

Illud: Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis, ad literam quomodo accipiendum sit, Spiritū sanctum in fidelibus habitare. Photius c. 12. ante medium. 2.Thess.1.

¶ *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Quod Latine dicitur, Si tamen, rem in dubium vocat, Græce legitur εἴπερ, quod pro ἐπείπερ vsurpatur, & est asserentis, ac si diceret, Siquidem, vel quandoquidem: quemadmodum in posteriori ad Thessal. capite primo dicitur: *Si tamen iustum est apud Deum retribuere retributionē iis qui nos tribulant.* Quod annotauit Photius apud Oecumenium. Quod vero Spiritus Dei habitet in Christianis, testatur alio loco ad Corinth. *Templum Dei sanctum, quod estis vos*; & alibi: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.*

1.Cor.3. Ephes.3. Cur dubitanter dixerit Apostolus: Si tamē Spiritus Dei habitat in vobis. Ephes.4. 1.Thess.5.

At vero quoniam possunt Christiani Spiritum sanctum contristare, aut extinguere, aut per consensum peccati de templo suo illum abiicere; recte dubitandi sensu dici posset. Si tamen: quod & verba subiuncta testantur: *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

Spiritus Dei in nobis quando non habitet, sed hospitetur tantum. Spiritum Christi nō habens quomodo Christi nō sit, vt ait Apostolus. 1.Ioan.4. Ioan.15.

Non satis ergo est esse baptizatum, nisi Spiritus inhabitans perseueret, qui ex se permanet, & inhabitat, nostra autem malitia hospes fit. Et quia Romæ plurimi erant spirituales, qui nō erant in carne, alii vero mutuo diffidentes, & altercantes; propter hoc addidit: *Si tamen Spiritus Christi habitat in vobis*, & recte ait: *Hic non est eius*, scilicet Christi viuum membrum, vel templum. Vt enim non est membrum corporis viuum, quod per spiritum corporis non viuificatur: ita ad Christi membra non pertinet, qui Spiritum Christi non habet. Vnde recte Dilectus dixit: *In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu sancto suo dedit nobis*:

Spiritus S. quare Spiritus Dei, quales eos quos inhabitat, efficiat. Esaia 61. Luc.4. Ioan.16. Cur item Spiritus Christi nominetur.

& Spiritus sanctus, qui à Patre, Filioque procedit, vtriusque esse dicitur, nempe Spiritus Dei, & Spiritus Christi, & ab vtroque mittitur: & Spiritus Dei est, quia Deus est, & à Deo procedit, & deos facit habentes, & ad Deum glorificandum, corda, linguas, & opera impellit. Christi vero dicitur, quia eo Christus ipse vnctus fuit. Merito etiā Christi credentibus donatus est. Christi que imaginem in corde imprimit, iuxta illud: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Est item interpres legis Christi, & corporis eius mystici rector.

Obiicientibus Si per legem vitæ liberati sumus à lege mortis, quid de nuo morti subiicimur vt Paulus satisfaciat.

¶ *Si autem Christus in vobis est; corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus vero viuit propter iustificationem.* Videtur hoc loco Paulus primam partem capitis, quod per legem vitæ liberati sumus à lege mortis, absoluere. Ne quis enim obiiceret: Quid nobis persuadere cōtendis, nos à peccato esse seruatos, cum perinde mortē nūc in pœnam peccati perpetiamur, atq; prius? Respondet, quod si Christus in illis est, quamuis peccatum morti obnoxium sit, peccatum tamen non viuit, imo est extinctum. Quod ex eo probat, quia spiritus viuit ob iustificationem in qua peccatum interiit.

Habere Christum in nobis, & Spiritū Christi habere, cur omnino sint vnum, & idem. Quid corpus mortuum peccato. Chryso. ser. 13. non procul à med.

Et pro eodem vsurpat Apostolus: *Si Christus in vobis est, & : Si Spiritus Christi in vobis est*: sunt enim inseparabiles, & qui spiritum induit, Spiritum Christi præfert. Corpus autem mortuum vocauit, non tam propter id quod nunc est, quam propter id quod futurum est. Et vt Chrysosto. annotat, loquitur de iustificatione corporis, qua iusti macerant corpora sua, illaque mortificant, mortificationem Christi iugiter circum-

cumfe

2.Cor.4.

Quare nos sicut pecca ti,sic mortus etiam non dominio liberemur. Luc.vlt.

Hæc: Spiritus viuit, & spiritus vita propter iustitiã idem sonant. B.Aug.to.8 & 6. B. Irenæus. Athan. to.2. D.Ambro. 5. B.Hilar. an te demed. li. brt. Tert.inter med. cores. ter,&fini. D.Chryfoft homelia prædicta.

eumferentes in corporibus suis, vt spiritus viuat propter iustificationem,hoc est, vt liberius sese in operibus iustitiæ exerceant. Causa quoque simul redditur, cur, dum à peccato liberemur, non protinus etiam ius mortis cessat. Causa enim est, quia sicut oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, ita idem quoque nobis necessarium fuit. Hæredes siquidem sumus, si tamen compatimur. Et vbi nos habemus, *Spiritus viuit*,Græci habent; *Spiritus vita*, scilicet est,vel, vita immortalis est propter iustitiam: ζῶ vicinum est nomini ζωὴ, & ita uoui interpretes verterunt, etsi ex vtraque litera idem sensus resultet: quanquam illam Græcam literam sequatur sæpe Augustinus in Psal.75.&lib.24.contra Faustum,cap.2.Et ipse Irenæus libro 5.cap.10.& Athanas. lib. ad Serapionem,& Ambrosius ita interpretetur,ac si scriptum esset,Vita & Hilarius libro 8.de Trinit.& Tertull. libro de Resurrect.carnis.Et Chrysostom. ponderat quod non dixerit,Viuit, sed, vita. ¶ *Quod si spiritus eius,qui suscitauit Iesum à mortuis,habitat in vobis, &c. viuificabit & mortalia corpora vestra, &c.* Probat, à lege mortis peccato debitæ per legem Spiritus liberari:probaturus paulo post, non tantum hoc habituros in seculo futuro, sed etiam quomodo in hac vita hoc nobis possit contingere,dum fortiores per gratiã reddimur contra insultus, & molestias carnis, & mortis pericula. Et Spiritum Patris per periphrasim vocat spiritum

Spiritus Patris mortalia corpora nostra quo modo viuificabit.

eius qui suscitauit Iesum. ex qua Iesu suscitatione infert, quod viuificabit mortalia corpora uostra,id est, reddet illa immortalia,& plena beata vita. Et cum idem sit Spiritus Christi redemptoris, & Spiritus Dei; transitum ab Spiritu Christi ad illum Spiritum Dei facit,eo quod etsi Christus in quãtum Deus excitauerit sese; tamẽ in quantũ homo (qua ratione de eo hic loquitur) ab Spiritu Dei, in quo prima residet autoritas, suscitatus est. Et recte ex liberatione à peccato,infertur liberatio corporis à morte: sicut in Adã ex morte animæ secuta est mors

Apostolũ ex eo quod à peccato non esse liberatos dixit,etiam à corporea morte liberandos,optime ratio cinari. Gen.3. Rom 5. Sap.2. Gen.3. 1.Cor.15.

corporis.Nam per vnum hominem introiuit peccatum in orbem, quo secundum animam mortui sumus, & per peccatum corporis mors. Simili ratione 1.Corinth.15.à resurrectione Christi arguit resurrectionẽ nostram: & quia Deus suscitauit Christum, futurum vt & nos aliquãdo suscitet. SI enim Spiritus Dei, Christum, qui est caput nostrum,dum viueret,inhabitauit, & per eius mortem peccata nostra deleuit; cur non idẽ Spiritus nobis communicatus per gratiam, tanquam Christi membris idem resurrectionis donum non concedet?Neque dixit

Suscitabit mortalia corpora vestra, sed, vt expendit Cyrillus in Oecumenio, *Viuificabit*: quia generalis mortuorum resurrectio etsi sit Christi effectus,qui est Iudex bonorum,& malorum; non tamen tam proprie est effectus Spiritus Dei, sed peculiariter ad iustos spectat, qui resurgent ad vitam æternam, iuxta illud: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*,scilicet, de morte ad vitam; sed illi tantum, qui participes sunt Spiritus sancti. Vnde & Ioan.5.distincte dixit Dominus ; *Et procedent qui bona fecerunt,in resurrectionem vitæ,qui vere mala egerint,in resurrectionem iudicii.* Nam cum infernus sit mortis perpetuatio; qui in eo torquẽtur,non proprie dicuntur viuificari.Adhæc ait:*Vestra mortalia corpora* & nõ, Vestra corpora mortua;vt non solum ab actu mortis, sed etiam à potentia moriendi illos seruandos iudicet, ne vllas vnquam mortis reliquias sentiant.Expende etiam causam: *Propter inhabitantem Spiritum eius in vobis*,&non dixit,Qui inhabitauit, vt ponderat Chrysostomus, vt habitationem non temporaneam,sed continuam denotet.Designat etiam tacite illis verbis, *Propter inhabitantem Spiritum*, id est,propter dignitatem corporum vestrorum, quæ sunt templum Spiritus sancti.Propter spiritum ergo, qui est optimus orator,& deprecator noster,qui fertur super aquas, & interpellat pro nobis donec clementissimum Patrem inflectat, vt perficiat opera sua. Non est autem perfectum opus hominis,donec eius corpus excitetur,& gloriosa vita impleatur. Athanasius tamen in Dialogo inter Macedonium Neumatomachon,& Orthodoxum,vult legi per inhabitantem. Eius hæc sunt verba sub nomine Orthodoxi: *Omnia quidem nobis licent,sed non omnia conducunt. Vos enim ij estis, qui S.Pauli ad Hebræos epist. inscriptionem corrupistis,& epistola adRomanos contextum deprauastis,cum dictis scriptum non esse, Per Spiritum inhabitantem in vobis;sed, Propter Spiritum inhabitantem.* Hæc ille.

Cur non, Resuscitabit,dictum sit,sed, Viuificabit mortalia corpora vestra. B.Cyril.apud Oecum c.12 post med. Matt.25. 1 Cor 15. Ioan 5. Igne æterno cruciati cur minime viuificẽtur. Quare non potius mortuos, quam mortalia corpora dicat Apostolus viuificã da. B.Chrys. di cto in ser 13.

1.Cor.6. Rom.8. Gen.1. Perfectam erit opus hominis quando.

1.Cor.10.

DISPVTATIO XIV.

In illa verba: *Ergo fratres,debitores sumus,non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis,moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis,Quicunque enim Spiritu Dei aguntur ij sunt filij Dei.*

Quæstio I.

IN hac sententia primũ quærimus rationem illationis huius: qua carni debitores

Secunda.

non sumus, cum tamen carnis curam habere debeamus. Deinde, cum debitum insit inseruiendi spiritui, & non carni; vnde fit vt caro plures habeat sectatores, & homines magis in partem carnis, quã in partem spiritus inclinent? Hoc enim dignum consideratione videtur, maxime cum seruos carnis maneat mors, seruos autem spiritus vita.

III. quæst.

Tertio, quomodo asserit, eos, qui Spiritu Dei aguntur, filios Dei esse: quia agere, & proferre opera præstantissima, gloria filiorum Dei est: maxime cum in iis liberum arbitrium corroboratum sit, & confirmatum in bono: at illa, quæ libero arbitrio destituuntur, aguntur potius, quam agant.

Ad I quæst.

His paulatim dubitationib. respondendum erit. Et illatio quidem ista intelligenda est non tam ex verbis proximis, quibus magnificum vlu ficantis nos Spiritus beneficium enarrauit, sed etiam ex superioribus, in quibus demonstrauit nos liberatos à lege peccati, & mortis, hoc est, à fomitis concupiscentia, & à veteri Moysis lege, in qua homines & peccato, & carni seruiebãt, deducẽda est. Hæc signidẽ beneficia per Christi gratiam, & spiritum ita assecuti sumus, vt iam vlterius carni nihil debeamus, neque antiquæ quidẽ Moysis legi carnaliter intellectæ, sed spiritui Christi, qui in illa delitescebat. Et circa grammaticam, expẽde quosdam annotasse, negantem particulam transponendam esse, vt legamus: *Ergo, fratres, iam non sumus debitores carni*: sicut Ioan. 6. *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo*: pro eo quod dicendum erat, Moyses non dedit vobis panem de cœlo. Et paulo post: *Descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meam, &c.* cum dicẽdum foret; Non descendi vt faciam voluntatem meam. Quæ quidem obseruatio ne gligenda non est.

Huiusmodi Pauli cõsequentia: Ergo fratres, debito res sumus, vnde pendeat.

A lege peccati, & mortis quatenus per Christũ liberati fuerimus.

Qualis hæc locutio: Debitores sumus, non carni, &c.

Ioan. 6.

Ibid.

In ea etiam quomodo sit Eclipsis.

Dici etiam posset hic esse figurã Eclipsis, quia tãtum dicit: Non sumus debitores carni; & supplendum est, sed spiritui, quo dilucidior sit oratio. Nam solent apud Paulum non infrequentes esse Eclipses.

Romanos Paulus cur vocet fratres & quo modo.

Iam circa rem singula pondera verba. Et ad beneuolentiam captãdam alicit Romanos, vocando eos, fratres, nimirum in Christo Debitores, inquit, sumus; id est, Intrando in Christum per baptismum, liberati sumus à sordido quodam, & seruili debito, & alterum honorificum debitum, & ingenuũ contraximus. Ante Christum enim nos secundum spiritum, id est, secundum mentẽ, & voluntatem arctabamur viuere secundũ carnem, id est, nos ipsos mouere, ac vitam ducere secundum dictamina, cogitationes, voluntates, appetitus, & impulsus ipsi^s carnis, quæ dominatum habebat. Nam à quo quis superatus est, eius & seruus efficitur. Ideo ex hac parte debitores sumus, etsi præter, vel contra naturam id nobis acciderit: nam inferiora parere, & subdita esse debent superioribus. Obserua dici de præsenti, Sumus: quia sermo est de renatis, & existentibus in Christo per totum caput. Et nomen, Debitores, maiorem habet emphasim, quã si diceret, Debemus. Deus enim nobis debitor nõ dicitur, qui & multa, & ampla largitus est beneficia, propter quæ nos iure sibi obstrictos, ac debitores tenet, iuxta illud: *Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno; & iterũ: Pro nobis omnibus mortuus est Christus; vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Ac proinde rectè ait, *Debitores sumus*: nõ carni, sed Spiritui Christi, per quem & à seruitute carnis liberati sumus, & in ius, & imperium spiritus transiuimus. Est autem seruitus carnis, vilis indigna, ac fœda: at illa spiritus honorifica est nobis, ac pulchra, rationique, & diuinæ Legi conformis, & quam in statu innocentiæ ante peccatum Deo impendissemus, si Adam stetisset. ¶ *Vt secundum carnem viuamus.* Idem est viuere secundum carnem, & sæpe secundum carnem, & ambulare secundũ carnem, apud Apostolum, vt ex disputatis hoc capite colligi potest. Adiunxit vero hæc verba magna prudentia: quia aliqua ratione debitores sumus carni, scilicet, vt quantum exigit naturæ necessitas, eam cibo, potu, vestitu, somnoque sustentemus, & dum infirma est, etiam medicamento cõfirmem^s, & quæ sunt huiusmodi, nequaquã illi subtrahamus. Nam si alienotũ corporũ curam negligere non debemus, iuxta illud Esai. *Et carnem tuam ne despexeris*, multo magis corporis nostri cura contemnenda non est: quẽadmodum etiam seruorum, & iumẽtorũ geterę sollicitudinẽ debemus, si velim^s illa operam suam nobis præstare. Negat ergo nos debitores esse carni, sed hac ratione, vt secundum carnem viuamus. Viuere enim secundum carnem, est, imperio, & legibus & carnis desideriis subesse, illisq; in omnibus obtemperare. Et idem dicet c. 13. In ferius: *Carnis*, inquit, *curam ne feceritis*: & adiungit: *In desideriis*; vt, in quibus non sit habenda cura, intelligamus. Et Gal. 5. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*: quod est dicere, carnem crucifigendam, quatenus vrget ad vitia, & concupiscentias. Et rectè Apostolus dixit: *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* ¶ *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Viuere secundum carnem est peccato seruire, & mentem se in eius seruitutem dedere: at stipendium peccati, mors

Quare debitores simus non carni, vt secundum carnem viuamus. 2. Pet. 2.

Cur Paulus non, Nos fuisse, dixerit, sed Non esse debitores carni.

1. Cor. 6. 2. Cor. 5.

Christi Spiritui cur simus debitores, non carni. Carnis quoq; seruitus, & illa spiritus quales.

Nos esse debitores non carni, vt secundũ carnem viuamus, cur dixerit Apostolus.

Esaias 58.

Quid viuere secundũ carnem.

Rom. 13.

Gal. 5.

Carnem suam crucifigere cum vitiis & cõcupiscẽtiis, quid.

2. Cor. 10.

Rom. 6.

Ratio huius dicti redditur: Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.

mors est. Et vt inhabitatio Spiritus Dei in nobis, vitæ spiritualis, & mox futuræ vitæ immortalis causa est: ita extincto spiritu viuificante, quod contingit dum viuitis secundum carnem, causa in primis est mortis animæ in præsenti vita, & æternæ, & immortalis etiam, quod ad corpora attinet. At qui mentis mortem incurrit, nec sentit, nec mouetur, nec loquitur, nec operatur ea, quæ Spiritus sunt, sed friget in seipso, & fœtorē spirat mali nominis, & turpis conuersationis præbet exemplum. ¶ *Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Hoc verbum indicat Ecclipsin, quam diximus subaudiendam: Non sumus debitores carni, sed spiritui. Et hoc idem est, quod alibi ait. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Imo etiam per Ezechielem Prophetam cap. 18. has duas sententias expresserat Spiritus sanctus. Ait enim de agente pœnitentiam: *In iustitia sua quam operatus est, viuet.* Et de iusto relabente in peccata subdit: *In præuaricatione qua præuaricatus est & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur*; vt Apostolicam doctrinam Propheticæ consonam intelligas. ¶ Spiritum autem vocat spiritum nostrum renouatum per Spiritum sanctum, aut ipsum spiritum sanctum, sine quo vires suppeditante, & adiuuante carnem, non vincimus. Quod si quandoque nostro spiritu vincimus; ita vincimus, vt magis ipsi vincamur. Vt qui, verbi gratia, spiritu xenodoxiæ abstineret à turpibus carnis lasciuiis, vinceret quidem carnem, sed per inanem gloriam, non per Spiritum sanctum, sed dæmone pelleret dæmonem. Hoc autem dixit Apostolus, ne Romani sibi ipsis, & viribus propriis carnis mortificationem tribuerent. Et facta carnis vult mortificari, non ipsam, aut motus ipsius, quando necessaria, & sibi debita petunt: nisi in hoc quod non sunt satiandi, quatenus rationem præueniunt. Verbum Mortificandi ponderat Augustinus; & quod non vsus fuerit verbo Extinguendi, aut interimendi Nā, vt inquit, cōcupiscētiis carnis morbidis non consentire, magna laus est; quas nō habere, perfectio est. Qui vero ita mortificant facta carnis, viuent. Primo quidem vita intellectuali, quia anima obturatis sensus canalibus, per quos ad vitam carnalem diffluebat, contrahit se, & conuertit se ad Deum, & incipit molere tritici farinam loco auenæ, quæ belluis in cibum cedit, quam prius molebat. Viuit etiam vita diuina, quā dat Spiritus, vt iam filii Dei diuinorum operum studio incumbentes, & nominemur, & simus. Postremo consequenter etiam vitam gloriosam in corpore immortali: & hic

Mortui secundum Spiritum opera.

Gal. 5.

Quomodo spiritu facta carnis mortificantes viuant teste eodem Apostolo.

Ezech. 18.

Ibid.

Quo spiritu facta carnis mortificentur. Spiritu nostro facta carnis mortificantes, qualē assequamur victoriam.

Quare nō caro, sed facta carnis sint mortificanda.

B. Aug. ser. 13. de verb. Apostol. inter medium & finem 10.

Facta carnis mortificantes viuunt tripliciter.

1. Ioan. 3.

est fructus eorum, qui spiritu carnis facta mortificant.

Vt secundum dubium dissoluamus, præmittimus, carnis propensionem, qua ad ea, quæ sunt sensus, & mundi huius, impellimur, etsi alias fuisset naturalis, ob peccatū tamen Adæ, etiam in regeneratis, vt conditionem hominis restaurati, à Deo relictā esse: quemadmodum etiam & mors relicta est ad Christum imitandum, qui pro nobis mortuus est. Christus igitur dicitur totum hominem sanum fecisse, non quidem statim, & actu, sed in potentia, & paulatim, & quia baptizatus ius habet ad vitam æternam, qua immortalis omnino esset.

Carnis cōcupiscētia vnde fuerit cur eam, vt & mortem renati adhuc patiantur, Dei prouidentia singulari.

Ioan. 7.

Quod vero ad tempus, fomitem siue propensionem illam carnis reliquerit, id magno nostro bono factum est; vt contra illam infirmitatem dimicando, quasi contra Iebusæum, fideles nos Domino exhibeamus, & maius nobis meritum comparare possimus; & cum metu, & tremore nostrā salutem operemur. Denique vt plus nobis de sua bonitate, & auxilio polliceamur, quā de infirmitate carnis nostræ timeamus.

Quatuor inde baptizato beneficia consequuntur.

Iosue 15.

Philip. 2.

Ad II. quę

Quod igitur in regeneratis, & spiritualibus hominibus plerunque caro vincat spiritū & spiritus succumbat carni, id accidit; Primo, quia carnis ægritudinem non agnoscimus, & illi diætam tanquam sanæ præscribimus, quam tanquam ægrotanti præstare deberemus. Deinde quia spiritus iunior est carne. Et cum vita spiritua nonnisi post vsum rationis exerceri possit; inuenitur caro & sensus antiquior, qui multis experimentis cognouit ea quæ dulcia sunt, & commoda carni; & ideo ad illa magis propendet, quæ vsu, & exercitio magis sibi suauia esse nouit. Et vt Ismael ludebat cum Isaac, vt ait Apostolus, quem cum tredecim annis excederet, facile superabat: ita sensus ætate grandior superat nostro vitio iuniorem spiritum. Tertio, caro in opere suo magis est cōtinua, & multa officia, & obsequia præstat spiritui, quibus spiritus maxime indiget, ne hospitem suam contristet, sinit se ab ea suis illecebris trahi; quemadmodum & Adam ab Eua, ne contristaret suas delicias. Quarto. sensus ciuis est mundi huius, & his natus Spiritus vero peregrinus, qui de cœlo venit: ideo mirum non est si plus possit sensus domi suæ, quam spiritus aduena extra patriam. Quinto carnis obiecta, in quæ sensus tendit, proxima sunt, & ea certissimis sensibus haurit. Vnde & ab illis vehementem accipit impressionem: at spiritus obiecta habet longe disiuncta, & à se separata, vt pote in Christo, & Spiritu sancto, & in cœlis sita ideo non tam acriter permouent, aut vr-

Quare in renatis caro, quam spiritus vt plurimum fortior sit ac vehemētior.

Ratio. I.

II.

Gal. 4.

Gen. 21.

III.

Gen. 3.

IV.

V.

gent. Et ad illa quidem spiritus penetrare non potest, nisi tanquam per medios hostes, & latrunculos: quia illa nonnisi per carnalia sensus obiecta repræsentari possunt, & ad ea cogitanda, aut degustanda homo spiritualis alia via peruenire non potest quemadmodum & Dauid aquam ex cisterna Bethleemitica bibere non valuit, nisi hostium exercitus, quos ante se, & cisternam habebat, profligaret, ac perrumperet. Et vt ille allatam aquam non bibit, sed ad Dei honorem in sacrificium, in terram effudit: ita nos tales victorias de carne, non nobis, sed Domino tribuere debemus, illique omne bonum nostrum adscribere. Sexto, sensus hominis in suo genere perfectus est, & inter omnia animantia supremum locum habet: spiritus autem infimus est, ac minimus inter intelligentias: quare nec mirandũ si plus queat summus sensus, quam infimus intellectus, & summum sensibile plus quã infimum intelligibile. Septimo, habet etiã sensus exempla mundi efficacia, & dæmones instigantes ad illa & pro nostra ignauia (qui spiritus bonos à nobis depellimus) valentiores sunt in nobis. Demum caro per multas vias, hoc est per canales varios quinq; sensuum, recipit sua obiecta. Vnde maxime corroboratur: at intellectus vna tantum via nempe per fidem, quæ pro nostra negligentia non adeo acriter sua obiecta spiritualia imprimit.

2.Reg.2. *Ibid.* VI. VII. VIII.& vlt.

Quod vero hæc carnis propensio perinde sit quasi nobis naturalis atque brutis animantibus existit, in quibus tamen non est imputabilis, sicut homini imputatur, si illi consensum præstet, aut illam opere expleat, ratione anima fulcitur: quia sensus in brutis solitarius est, & rationi minime coniunctus. Ideo & principatum sensus in illis obtinet; & vbi iumentum suas expleuerit secundum sensum cupiditates, beatum est, & felicitatem suam consecutum.

Cur æque homines, ac bruta animantia naturaliter ea quæ carnis sunt, appetant.

At sensus in homine coniunctus est rationi quæ superior est, & illi seruire, non principari debet, & legi, quam ratio accepit à Deo multo magis cato parere debet. Quod si negligentia sua non præstet, homo reus est. Perinde namque se res habet atque homo, qui si viueret in deserto solitarius, ipse sibi soli potest leges præscribere, quibus viuat, nullusque potest illi leges dare. Quod si velit in ciuitate vitam agere, legibus illius ciuitatis subiici debet, & nequaquam ciuitatis ipsi leges præfigere.

Rationi cur sensus debeat obedire, non contra.

Sensus rationi obediens, vel inobediẽs, qualis.

His rationibus vtcunque ostensum est, qua de causa in lucta illa spiritualis carnis contra spiritum, & spiritus aduersus carnẽ, plerumque parte carnis stet victoria: etsi aliter esse deberet, vt ait Apostolus: *Peccatum in vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia;* &c. *Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus.* Ob quam causam Deus futurorum, præscius, præter Baptismum, aliud etiam instituit Sacramentum, quo iustitiam Baptismo partam, & postea amissam restauraremus. quia si nunquam peccatum esse præsciuisset, nunquã reconciliationis, siue pœnitentiæ Sacramẽtum instituisset. Sed certe magna resplendet Dei bonitas in hoc, quod infirmitatem illam carnis naturalem voluit auferre; vt per illam ex fragilitate peccantes, facilius peccatorum veniam assequeremur, quam si in sanitate constituti peccaremus, vt olim fecit Adam, & diabolus cum suis sectatoribus. Erad illam, vt nobis magis misereatur Deus, & facilius condonet, respicere solet, iuxta illud; *Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam puluis sumus: homo sicut fœnum dies eius, &c.* Nos etiam nouis peccatis in nobis ipsis humiliati, ac de nostris viribus nihil præsumentes, totos nos Deo, & gratię suæ committamus: quia hæc est optima vincendi ratio, in lucta spiritus & carnis, totum Deo tribuere, & Domini auxilium inuocare. Hæc autem vera sui ipsius submissio, & humiliatio coram Deo, maius bonum sibi comparat, quam fuerit malum, quod intulit peccatum; vt possimus canere cum Dauide: *Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*

Gal.5. Rom.6.

Quare Deus instituerit Sacramentũ pœnitentiæ.

Ratio cur Baptizatis sensus concupiscẽtiæ remanserit adhuc.

Psal. 102.

Altera: & quæ sit eã carnis imbecillitatẽ superandi omnium ratio præstantissima

Psal.118.

Iam tertium dubium soluendum est. Ait enim Apostolus: *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Vbi probat, eos, qui affectus carnis, & facta mortificant, tandem ad vitam gloriosam in mortalibus corporibus peruenturos. Est autem hæc ratio huiusmodi: Nam filii Dei illi sunt, qui vita quoque profruentur diuina, quæ est apud Deum æternum; at quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei ergo quicunque Spiritu Dei aguntur, vitam talem viuent, de qua inferius: *Si filii, & hæredes.* Est autem propria ratio filii, agi spiritu patris sui, & maxime spiritualis filii. Nam vt vita animalis per vitales spiritus à patre deriuatur in filium, per quos tum temperatura patris, tum mores, & affectus similes transfunduntur; ita & renatis in Christo per lauacrum regenerationis Spiritus sanctus effunditur, cuius vita ducuntur, & aguntur. Et illo relatiuo, *Quicunque*, omnes sine exceptione intelliguntur. Et vt Chrysostomus recte annotauit, non dixit: Quicunque Spiritum sanctum acceperunt; sed, *Spiritu Dei aguntur:* quia ad comparandam filiorũ hæreditatem non satis est, diuino semel im

Qua ratione Apostolus facta carnis mortificantes ostendat animo, & corpore tãdem fore beandos.

Quid proprium filii in primis spiritualis. *Tit.3.*

Ephes.5. B.Chrys. ser.14. prope init.

Huius dicti: Quicũque. n. Spiritu Dei aguntur.

bui

uou autem Quicunq; Spiritu Dei viuitis, Chrysosto mus quam reddat rati onem.
Ephes. vlt.
Ad quartã quæstionẽ responsio.
Id: Quicũque.n. Spiritu Dei aguntur, &c. quomodo cum libero hominis constet arbitrio.

bui Spiritu, nisi eius ducatu perpetuo regamur, cum nauclerus sit animæ nostræ, & auriga, ductor agens nos in prælium contra spirituales nequitias in cœlestibus. Hic autem Dei Spiritus nostrum possidere debet per amorem. Et filii adoptiui sunt, qui naturalem vnigeniti filiationem per adoptionem varie pro variis gradibus participant. ¶ Neç ex eo quod ait: *Aguntur*, sequitur, vt volunt Lutherani, quod per gratiam detrahitur libro arbitrio, ita vt inuiti cogantur, aut vt nescientes compellantur, vel quemadmodum naturalia omnia, quæ ita aguntur à Deo ad suos fines, vt non agant. Prosper libr. sententiarum: *Plus est procul dubio agi, quam regi: qui enim regitur, aliquid agit; & ideo regitur, vt recte agat. Qui autem agitur, agere ipse aliquid vix intelligitur, & tantum præstat voluntatibus nostris gratia Saluatoris, vt non dubitet Apostolus dicere: Quotquot Spiritu Dei aguntur; ii filii Dei sunt. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest quam vt illi se commendet, qui mala agere non potest.* Hæc ille.

Resp. Epist. sent. n. 310.
Cur præstet nos à Deo agi, quam regi.
I. argum. quo probatur, hanc diuinam actionem in filios Dei minime eorum libero arbitrio repugnare, contra Lutheranos.
Luc. 14.
Ioan 6.
Mat. 4.
Luc. 4.
II. argum.

Respondemus, quod vt verba Compellendi, & Trahendi, iuxta illud; *Compelle eos intrare*: &, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, suas habent suaues & commodas interpretationes, quibus liberum hominis arbitrium non læditur; ita etiam præsens Agendi verbum vtrumque Græce significat, & agi, & duci: quemadmodum eodem verbo Matt. 4. dicitur; *Ductus est Iesus in desertum à Spiritu*; & Luc. 4. *Agebatur à Spiritu*. Quare si agi idem est quod duci, euanescit argumentum. Ducuntur enim, qui ratione, & iudicio suo sponte ab aliis diriguntur. Adhæc agebatur CHRISTVS à Spiritu, nec tamen nesciens, aut inuitus, aut sine consensu maximo liberi sui arbitrij: non est enim Dei rerum violare naturas: nam etsi attingit à fine in finem fortiter; disponit tamen omnia suauiter. Tertio, ne intelligeres ita nos agi à Spiritu Dei, vt nihil agamus ipsi, præmiserat Apostolus asserens liberum arbitrium: *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Sicut alibi cũ dixisset: *Gratia Dei sum id quod sum*, postea subiunxit: *Abundantius illis omnibus laboraui.* Et vbi dixisset ad Philippens. *Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere*, præmiserat, *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Demum Augustinus lib. de correp. & gratia, cap. 2. ait: *Non se itaque fallant, qui dicunt: Vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur, vt declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agimus sed id velle & operari, Deus operatur in nobis: sed potius intelligãt, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, vt quod agendũ est, agãt: & cum egerint, illi à quo agũtur gratias agãt: aguntur.n. vt agant, non vt ipsi nihil agãt & adhoc eis ostenditur, quid agere debeant, vt quando id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione, & delectatione iustitia; suauitatem quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum suum accepisse se gaudeant.* Hæc ille. Et rursus sermon. 1[?]de verbis Apostoli, *Ne hic*, inquit, *se extolleret humanus spiritus, & ad hoc opus se idoneum firmumque iactaret, subiecit & ait: Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Qui te ergo iam volebas extollere, vbi audisti: Si spiritu actiones carnis mortificaueritis viuetis? Dicturus enim eras: Hoc potest voluntas mea, hoc potest liberum arbitrium meum. Qua voluntas? Quod liberum arbitrium? Nisi illo regat cadis, nisi regat, iaces. Quomodo ergo spiritu tuo, cum audias Apostolum dicentem: Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei? Tune vis agere, à teipso vis regi ad actiones carnis mortificandas? Quid tibi prodest quia non eris Epicureus, & eris Stoicus? Siue Epicureus eris, siue Stoicus eris inter filios Dei non eris. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei: non qui secundum carnem viuunt suam, non qui secundum spiritum suum viuunt, non qui carnis voluptate ducuntur, non qui spiritu suo aguntur, sed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Respondeo. Imo & agis & ageris. Et tunc bene agis si à bono ageris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentib. adiutor est; ipse nomen adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.* Hæc ille.

Sap. 8.
III. argum.
1. Cor. 15.
Philip 2.
IV. argum.
B. Aug. c. 2. post med.
Idem 10. 10.
Psal. 33. & 1. Pet 3.

Aduersus Pelagianos carnis mortificationẽ non Spiritui Dei agẽti, sed libero tribuentes arbitrio Obiicienti Si Spiritu Dei agimur, non agimus ergo, Augustinus vti respondeat Filios Dei agi, non duci Spiritu Dei, Paul' cur dixerit

Agimur ergo Dei Spiritu, sed agentibus & cooperantibus nobis. Et vt non solum Spiritus sancti ductu intellectum illustrantis, sed etiam affectum nostrum tardum, & pigrum gubernantis, & adiuuantis significant; recte dixit, Aguntur, & non, Ducuntur: exclusa tamen omni violentiæ, aut coactionis specie, quæ illo verbo excogitari possit.

DISPSVTATIO XV.

In illa verba: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepistis Spiritum adoptionis filiorũ Dei, in quo clamamus, Abba (Pater.) Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei.*

I. difficultas.

Circa hanc sententiam primus scrupulus occurrit, quomodo distinguatur spiritus seruitutis à spiritu amoris, siue adoptionis,

ptionis, cum ab eodẽ fonte, & autore Spiritu ſancto proficiſci videantur.

II. Deinde, quomodo dicat, *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore*: nam Romani, Gentiles magna ex parte erant, & ex cultu ſimulachrorum vocati ad Chriſtum: vnde nec ſemel quidem acceperant ſpiritum ſeruitutis.

III. Tertio, conſtat ex Scripturis, Abraham, & alios multos iuſtos in lege habuiſſe ſpiritũ adoptionis; quomodo ergo diſtinguitur hic ſtatus ab illo?

IV. Quarto, qui ſunt iſti qui in ſpiritu clamant, *Abba (Pater)* præſertim cum Apoſtolus hunc clamorem nõ hominibus ſed ipſi Spiritui ſancto tribuat, cum ait: *Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba, Pater.* (Gal. 4.) Et patrem vocare Deum, commune fuit Iudæis, & nobis. Nam ipſe ait: *Ergo ſaltem amodo voca me, Pater meus; dux virginitatis meæ tu es*: (Ierem. 3.) & Moyſes, *Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſidet te, & fecit, & creauit te?* (Deut. 31.)

V. & postrema. Denique magnus ſcrupulus eſt, quomodo Spiritus teſtificetur ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei: nam videtur exinde inferri poſſe, quod nouiſſe poſſent, gratiam Dei ſibi adeſſe: quod tamen communi ſententiæ Doctorum contrarium videtur.

Propoſita Pauli verba quo tẽdant.

Vt his ſcrupulis faciamus ſatis, primum obſerua, quid hic agat Apoſtolus. Probat igitur, quod qui acceperunt Spiritum, quo aguntur, ſunt filii Dei, ex eo videlicet, quia hic ſpiritus non eſt ſeruitutis, vt olim, ſed adoptionis: & vt ille ſeruos, ita hic efficit filios. Eſt enim ſpiritus ſemen Patris, quo regeneramur, ſecundum illud: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemẽ Dei in eo manet.*

Semẽ Dei quod, teſte Ioanne. 1. Ioan. 3.

Et non tãtum probat, nos filios eſſe ex doni excellentia, quod eſt Spiritus ſanctus, qui proprius eſt filiorum, ſed ex noſtra etiam confeſſione, qua clamamus, Abba, Pater; & denique ex teſtimonio, quod ipſe Spiritus reddit in corde noſtro.

Chriſtiani ſunt filii Dei triplici ratione.

Porro Apoſtolus facit mentionem ſpiritus timoris, & amoris, quæ ſunt Spiritus ſancti dona & per ſpiritum ſeruitutis Domino obſequia noſtra impendimus tanquam Domino: ſpiritu vero amoris tanquam patrem honoramus, iuxta illud Malachiæ: *Si Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum vbi eſt timor meus? dicit Dominus exercituum.*

Ad I. difficultatem. Spiritus amoris, & ſpiritus timoris, quo modo diſtinguatur. Mal. 1.

Porro timor, cuius obiectum eſt malum, ſi culpa eſt, ſanctus eſt timor filialis, & caſtus & reuerentialis & qui permanet in ſeculũ ſeculi. Hic autem timor fructus eſt charitatis, de quo dicitur; *Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum*, & de quo teſtatur Eſaias, loquens de Meſſia; *Replebit eum Spiritum timoris Domini*: Et ſanctus Iob: *Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo, intelligentia.* Si autẽ pœnæ ſit obiectum, aut vera illa non eſt, ſed exiſtimata; aut certa, & conſtans, ac vera.

Timor filialis, & ſanctus quis, & vnde procedat. Pſal. 110. Eccl. 1. Eſa. 11. Iob. 28.

Ex qua diuiſione tres eliciuntur ſpecies timoris, nempe mundanus, ſeruilis, ac filialis. Nam timor illius mali, quod eſt contrarium non bono vero, ſed exiſtimato, & quod peruerſe diligitur, hic humanus eſt timor, & mundanus iſque non eſt effectus Spiritus ſancti, cum lege Dei ſit prohibitus vt ſi quis metu temporalis incommodi à Deo recedat, vt Pilatus timore gratiæ Cæſaris amittendæ crucifixit CHRISTVM, & qui timentes rapinam bonorum ſuorum, abiurant CHRISTVM, vel qui metu mortis à pietate recedunt: de quo Dominus dixit; *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.*

Humanus timor, ſiue mundanus quis ſit.

Huius timoris effectus. Ioan. 19. Mat. 10.

Alius timor eſt eius mali, quod contrarium eſt naturali bono, qui naſcitur ab amore proprio: atque is ſi nulla indecenti circumſtantia veſtiatur, bonus eſt & obiecto, & habitu, vt Philoſophi loquuntur. Etenim quod ſe vnuſquiſque diligat, (niſi ibi finem ſuum conſtituat) quodque contraria ſibi mala exhorreat, malum non eſt. Quod ſi hic timor Deum reſpiciat, quaſi mali eiuſdem cauſam, vt ne ſibi infligat aut pœnas temporarias, aut æternas gehennas, tunc bonus eſt hic timor, & ab Spiritu ſancto proficiſcitur non ſine auxilio Dei ſpeciali: dicitur que timetus ſeruilis, de quo, *Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, &c.*

Timor ſeruilis quid, vti bonꝰ ſit.

Idem vt ſit ab Spiritu ſancto.

Deut. 5.

Non eſt tamen proxima, & idonea ad gratiam diſpoſitio, quanquam cauſa ſit, propter quam homo ad bonam mentẽ, & frugem redeat, Etſi vero ab Spiritu ſancto ſit, non tamen eſt ſimpliciter virtus, ſed initium, & diſpoſitio virtutis: quemadmodum actus fidei informis: etiamſi cauſa ſit vitandi futuri peccati, quod alias admitteretur.

Quomodo iuſtificatiu deſeruiat.

Hic Auguſtinus ait, quod talis homo qui timore mali abſtinet à peccato, facit quidem bonum, non tamẽ bene. Quod ſi quis ita abſtineat à peccato propter metum, vt n ſi pœna eſſet, minime propter Deum à peccato abſtineret; talis quidem hominis mens ita cogitans peccaret, nec eſſet à Deo talis metus; itaque hic metus inueniri extra charitatem poteſt, & donum Spiritus ſancti eſt, id eſt, per ſpeciale Spiritus ſancti auxilium.

Aug. multis in locis.

Quando abſque charitate eſſe poſſit, nec tamen culpabilis, cõtra Lutheranos.

Poteſt etiam homo natura ſimilem actum timoris producere: ſed talis eo perducere non poteſt, vt deteſtetur peccatum ea ratione, qua eſt Dei offenſa; quia tunc eſſe nequit, niſi ab Spiritu Dei. Poteſt etiam hic metus manere aliquandiu cũ charitate; ſed grandior, & perfecta charitas foras mittit hunc pœnæ timorem, quia timor pœnam habet.

Eundem cum charitate aliquã tiſper poſſe conſiſtere. 1. Ioan. 4.

¶ Hæc volui tam ſubtiliter diſſerere de timore ſeruili, vt conſtet, qua ratione eſt ab Spiritu ſancto, & quam ope-

Eccl. 1.

tam præster in iustificatione; quia qui sine timore est, non poterit iustificari: & quomodo possit esse extra charitatem; & etiam cum ipsa charitate, nec sit peccatum, vt hæretici deblaterant.

Seruilis cur appelletur hic timor. Idem cur proprius Veteris Testamenti. Exo. 19. & Infra 20. Infra 24.

Hic tandem timor dicitur seruilis; quia iniustos homines ad seruandam legem timore pœnæ cogit, & facit à legis trãsgressione abstinere; quod seruorum est proprium, qui metu supplicii præstant suum officium. Et ad Vetus spectat Testamentum, quod tremenda illa tonitrua, & minantia fulgura; & ignis fumans, & densissima nubes significabant: quib. veluti timore seruili perculsus ille populus, pollicebatur se legem Dei seruaturum.

Spiritus timoris, seu seruilis timoris populo Iudæorum necessitas.

Mentibus igitur carnalibus, quæ in omne flagitium sese præcipites dabant suppliciorum metum incussit, quo etsi adhuc amarent peccatum, & odissent iustitiam, ab illa effræni in Deum offensione reprimerentur; & ita per illam abstinentiam à peccato gradum facerent ad Euangelium.

Spiritus adoptionis filiorum cur proprius Noui Testamenti. Ierem. 31. Hebr. 8. Gal. 4.

Porro lex Euangelica afflatu amoris Domini & donata, & scripta est in mentibus hominum. Hinc Galat. 4. Vetus Testamentum præsignatur in filio ancillæ, in monte Sinai populum illum in seruitutem generans, quæ est Agar: nouum vero in Ierusalem, quæ libera est mater nostra. Qui spiritus amoris tãquam ingenuis, & liberis competens, quo Deum vt parentem reuererentur, & casto amore erga sponsum flagrarent, datus est. Et ita soluimus primam dubitationem.

Quale vetus & quale sit Nouum Testamentum Apostolo.

Ad secundam difficultatem, Romani quomodo dicantur non accepisse spiritum seruitutis iterũ in timore, quem nunquam acceperant. Rom. 2.

Secunda vero erat, quomodo dixerit. *Nõ accepistis spiritum seruitutis iterum in timore* quod Romanis à Gentilitate vocatis conuenire non potest. Sed dicendum est, multos Iudæos Romã habitasse, ad quos præcipue cum gloriarentur in lege, & obstreperent alii, qui Iudæi non erant: hæc epistola destinatur. Adhæc quicunque à Deo vocantur, etiam ad Euangelium, suo modo præcedit spiritus timoris; quo conscientia peccati sui mole grauata timorem concipit, & Deum vindicem perhorrescit, & ita per pœnitentiam ad Christum reducitur. Imo etiam nunc Christi cultores, qui post Baptismum Deum offenderunt, eadem via, & ratione timoris seruilis & pœnitentiæ ad bonam viam redeunt, vt docet parabola filii iunioris, vt ita verum sit, semper legem præire Euangelium, & spiritum seruitutis præcedere spiritum adoptionis.

Id etiam in omni peccatore vere pœnitenti locum habere. Luc. 15.

Non accepistis spiritũ seruitutis iterũ in timore, sed spiritũ adoptionis filiorum; quid sibi velit.

Sensus ergo verborum Pauli est: Sicut olim sub lege fuit spirit' seruitutis, qui vos timore pœnæ tanquam seruos abstinere à transgressione legis cogeret, nõdum adhuc à mentibus vestris sublata libidine peccandi: ita nunc accepistis spiritum adoptionis, qui vos prius carnales per gratiam in filios adoptat, & libero, & hilari animo, nimirũ amore tum legislatoris, tum iustitię, quę in lege est præscripta, operari facit, & officiũ vestrum præstare, sicut decet filios. Et pondera, quod vt recte annotauit Oecumeni', nõ opponit spiritum libertatis, spiritui seruitutis, qui propria ratione est cõtrarius; sed quod sublimius est, & maius, spiritum adoptionis. Nõ enim tantum sumus manumissi, & libertati, sed etiam adsciti in filiorũ dignitaté. Quod & Dominus obseruauit, cũ dixit; *Iam non dicam vos seruos, sed amicos*: non dixit liberos, sed amicos, quod maius est: nisi quod plus est, filius, quam amicus.

Cur potius Apostolus spiritũ adoptionis, quam libertatis Romanos accepisse dixerit. Oecum. cã. 12. circa fi. Ioan. 15.

Porro in Græca litera non habentur illa verba, *Filiorum Dei*; ideo noui interpretes veterem nostram lectionem sigillant, dicentes Græce tantum haberi *Πνεῦμα υἱοθεσίας*, id est, Spiritũ adoptionis; & dicentes inepte dici, adoptionem filiorum passiue, pro eo quod est adoptio in filios. Veruntamen isti contra stimulum calcitrant. Nam verbum, *Filiorum Dei*, addendum fuit ad exprimendam vim vocis Grecę *υἱοθεσίας*, quę proprie est positio filii: est enim adoptio substitutio filii. II. Deinde quia extranei solent etiam adoptari non in filios, sed in nepotes secundum Iurisconsultos, nempe eos, qui legitimo filio succedant. III. Et vt hæc interpres distingueret, recte adoptionem filiorum posuit. Nec incongrue dicitur adoptio filiorum, non qui erant, sed vt sint. Ita dicimus creationem Imperatorum, vel Episcoporum, non qui prius tales erant, sed qui postea tales facti sunt. Et hæc filiorum adoptio distinguit nos à naturali Filio Christo, qui ab Spiritu sancto nec genit' est, nec à Patre per Spiritum sanctum procedit, sed potius Spiritus sanctus ab illo cum Patre simul spiratur, & procedit. ¶ Neque quod vt homo conceptus est de Spiritu sancto, dicẽdus est filius adoptiuus: quoniam adoptari nos in filios Dei, non est aliud, quam ad similitudinem quandam naturalis filiationis participandam vocari. Per vnionem autem Hypostaseos factum est, vt homo Christus sit filius Dei naturalis, quia non est factus de non filio filius. Hinc Hilarius lib. de Trinit. *Multi enim*, inquit, *nos filij Dei, sed non talis hic filius est, Hic enim & verus, & proprius est filius origine, non adoptione: veritate, non nuncupatione natiuitate, non creatione.* Hęc ille. Humanitas autem etsi assumpta fuerit; non tamen; nisi abusiue, vt Hilarius loquitur, & Victorin', dicitur adoptata: adoptari.n. suppositi propriũ est, & filiatio, proprietas personalis est.

Defenditur hæc lectio: Accepistis Spiritũ adoptionis filiorũ Dei, contra recentiores. I. ratio.

Christum, vt nos non esse adoptiuum, sed Filium Dei naturalem. Ioan 15. Quare Christus etiam vt homo per Spiritum sanctum conceptus, non sit filius Dei adoptiuus. Idem cur sit Filius Dei naturalis. B. Hilar l. 3 de Trinit. inter med. & princ.

Christi, etsi proprie assumpta; improprie tamen adoptata cur dicatur humanitas.

Idem ibid. *Vel & lib. de Trinit.*
Aliter Deus, & aliter homo adoptat in filiũ

Nos vero, quos Deus ſua gratia ad beatitudinis conſortium admittit, proprie adoptamur; niſi quod homo extraneum adoptat in filium, quia probum, & ſtudioſum nouit Deus aũt non ſic, ſed adoptando nos bonos facit. Ad hæc homo alienum ſibi ſubſtituit in filium, ad ſuam ad ſui ipſius filiorum orbitatem ſupplendam: Deus autem non ſic, qui vno filio naturali, & infinito diues eſt, & contentus, ſed vt ſuam munificentiſſimam gratiæ largitatem in nos conferat.

Ad III. difficultatem.
Cur potius Iudæi, quã Chriſtiani negentur accepiſſe ſpiritum adoptionis filiorum, cum illis in fuerit.
Pſal. 81. *Ioan. 10.* *Rom. 4.* *Gal. 3.*
Legem veterem Apoſtolos & nouam diſtinguit dupliciter.
Gal. 4.

Tertium dubium fuit, quomodo dicatur, ſpiritum adoptionis in nouo Teſtamento credentibus impertiiſſe; cum tamen conſtet, illum multis Prophetis, & ſanctis Veteris Teſtamenti communicatum? Nam & gratiam habuerunt, & illis dictum fuit: *Ego dixi: Dij eſtis: & filij excelſi omnes*: & credentes inter filios Abrahæ reputati ſunt. Reſpondendum eſt, Paulum duas differentias aſſignare inter vtramque legem, alteram, quod Lex vetus dum hinc peccatum oſtenderet, illinc vero nullam gratiam conferret, omnem peccati excuſationem inferebat, & veluti ſeruos deterrebat: at noſtra per CHRISTI mortem, & Sacramenta, quæ hominem ſanctificant, in filios nos acceſſiuit.

Rom. 9.
Qualis Iudaica, qualis vero adoptio ſit Euãgelica.
Supra 8. *B. Aug. lib. de ſpir. & lit. c. 36. to. 3.*

Altera differentia eſt, quod etſi per CHRISTI fidem filii olim conſtituerentur, erant tamen vt paruuli nihil à ſeruis differentes, & ſub tutoribus, & actoribus. Vnde in capite ſequenti Iudæis ſuam qualemcunque tribuit adoptionem: *Quorum eſt*, inquit, *adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, & cæter.* Ita eſſet vmbratilis quædam, & typica adoptio, ſi conferatur cum Euangelio, quæ aperit nobis regnum cœlorum, & facit nos adire hæreditatem tanquam filios adultos. Illi vero, qui olim talem ſpiritum ſunt nacti, ad Nouum potius, quam ad Vetus ſpectabant Teſtamentum, vt tradit Auguſtinus lib. de ſpir. & lit.

Ad IV. difficultatem.

In quo clamamus, Abba, Pater. Confirmat in iuſtificatos in Nouo Teſtamento ſpiritum adoptionis effuſum, ab eo quod per illum ſpiritum Suggerentem non tam voce, quam magno cordis affectu, & fiducia compellamus eum non Dominum quaſi ſerui, ſed Abba, Pater, tanquam filii.

Si Spiritus ſanctus in nobis clamat, Abba Pater, quomodo hic clamare nos dicimur?
Gal. 4.

Porro, quod quarto loco dubitatum fuit, alio loco Apoſtolum dicere, miſiſſe DEVM ſpiritum Filii ſui in corda noſtra clamantem, Abba, Pater, non pugnat cum eo quod hic dicitur, nos eſſe qui clamamus, Abba, Pater. Cum enim omnis qui adhæret Deo, vnus ſpiritus cum eo fiat; hinc fit, vt omnes actiones non minus ipſi Spiritui ſancto, quam nobis tribuantur: quod liquidum redditur, quia ſimili dicendi idiotiſmo dicitur Spiritus poſtulare pro nobis, & gemere, pro eo quod nos poſtulantes, & gementes reddit. Dicitur etiam à Domino; *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*: quia ipſe eſt dux verbi, qui ſuggerit & quæ dicenda ſunt, & characterem dicendi. Dicitur etiam teſtari teſtantibus nobis, ſecundum illud: *Ille teſtimonium perhibet de me, & vos teſtimonium perhibetis.* Dicitur ponere Epiſcopos in Eccleſia Dei, quando maiores Eccleſiæ, qui ius habent conſtituendi Epiſcopos, eos ponunt. Annotauit Beatus Hieronymus, verba Hebræa poni cum interpretatione ſolita; vt linguæ peregrinæ verba magis intelligamus: vt de voce Emanuel, & illis; Eli, Eli, lammaſabacthani: & aliis multis exemplis poſſet comprobari, niſi fuſe alio loco dixiſſem, contra eos qui putant, Matthæum non Hebraice, ſed Græce ſcripſiſſe.

1. Cor. 6.
Rom. 8. *Ibid.* *Matt. 10.*
Spiritus ſãctus cur loqui, & teſtari in nobis dicatur, Idem vt ponat Epiſcopos in Eccleſia.
Ioan. 15. *Act. 20.*
Scriptura cur voces Hebræas cum earũ ſignificatu coniungat.
B. Hier. in c. 4. epiſt. ad Gal. ante dimid. to. 9. *Mat. 1.* *Eſa. 7.* *Mat. 27.*

Duplicauit autem nomen Patris, ad maiorem vehementiam, & fiduciam precandi; & quia Dominus ita orauit Marc. 14 *Abba, Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt*; & vt per nomen Hebræum, & Græcum, & Latinũ ambos populos & Iudæorum, & Gentium per vnum angularem lapidem congregatos eſſe in vnam ECCLESIAM, & in vnam filiorum dignitatem ſub eodem parente deſignaret. Et vt annotauit Chryſoſtomus, adiecit vocem Hebræam, Abba, quæ ex geminatis prioribus literis Alphabeti componitur, quia paruuli Iudæorum prima elementa Hebræa balbutiebant, & patres ſuos vocitabant, ſicut Latini dicunt, Pappe; quod ſymbolum eſt diuinæ, ac teneræ, ac flagrantia charitatis erga nos, vt tanquam proprii filioli audeamus eum ſic appellare. ¶ Et vero Patris nomen ac opus creationis extendatur, ſecundum illud; *Quis eſt pluuiæ pater? vel quis genuit ſtillas roris?* & ita ad vniuerſos homines vox patris extenditur, & ſic illud recipiendum eſt; *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* Peculiariter tamen ad beneficium redemptionis, & ad eos, qui illud per Baptiſmum participant, ratio appellandi Deum, patri competit. Vnde & dicimus; *Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati, audemus dicere, Pater noſter.* Quæ oratio etſi ad ſolam perſonam Patris ſpectare videatur; ad ſingulas

Lu. 1. enarrat. Euãg.
Ratio huius geminationis, Abba, Pater, adfertur multiplex.
Marc. 14. *Epheſ. 2.* *B. Chryſ. ſer. 14. non procul à prine.*
Chriſtiani Deum vt Patrem inuocent.
Iob. 28.
Deut. 32.
Mat. 6
Nomen Patris interdum vt hoc loco

etiam ſignificat ſanctā Trinitatē.

gulas tamen perſonas, & ad totam Trinitatem, quæ vnus tantum eſt Deus, & plenum ius habet adoptandi, ſpectat.

Ierem. 3. Illud Ierē. Patrem vocabis me, quando verum fuerit.

Quod vero dicitur Ierem. 3. *Patrem vocabis me*, vaticinium eſſe videtur Chriſtianorum, tempore Noui Teſtamenti implendum. ¶ *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes.* Senſus eſt: Spiritus ſanctus non tantum fecit nos clamare, Abba, Pater ſed etiam conteſtatur ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Etſi enim in Græco codice deſit aduerbiū illud, *Enim*, ſatis eſt quod Græce legitur: Et ipſe Spiritus, vbi, Et coniunctio more Hebræo, pro cauſandi particula ponitur, vt non male propterea interpres noſter verterit. Reddit igitur cauſſam cur clamemus, Abba Pater; id eſt, hinc fit, vt audeamus ex fide eum Patrem compellare, quia Spiritus atteſtatur ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Vel alia ratione, hæc vox, qua nos filios Dei profitemur, non eſt proprie noſtra, vt vereri debeamus, ne ſit falſa, aut arrogans & temeraria, quia omnis homo mendax; & omnes, quæ ſua ſunt, quærunt; ſed Spiritus ſancti ſuggeſtione illam proferimus, quoniam ipſe Spiritus, nos inhabitans præclarum reddit teſtimonium noſtro ſpiritui, quod ſumus filii Dei: quemadmodum magnificum tulit teſtimonium de CHRISTO deſcendente de aquis Baptiſmi, quando clara voce dixit Pater, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Hic igitur Spiritus non palā, & externa voce, ſed ſecreta, & occulta perſuaſione conteſtatur ſpiritui noſtro, nos quoque per eiuſdem Chriſti Baptiſma filios Dei eſſe.

Quid ſignificet: Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro &c.

Alter ſēſus

Pſal. 115. Rom. 3.

Philip. 2.

Matt. 3.

Quoniam vero hic locus videtur eis fauere qui certitudinem diuinæ gratiæ ex fide ſtatuunt, & pro illa pugnant, diligenter eſt à nobis excutiendus, aut minute ſingula verba inſpicienda, & penſitanda, vt, quod Catholicum eſt, retineamus, & tueamur, quod vero peregrinum, & hæreticum, reprobemus. Verbum illud; *Teſtimonium reddit*, Græce legimus, συμμαρτυρεῖ, hoc eſt, cōteſtatur, vel vna teſtatur cum ſpiritu noſtro, quaſi ſint duo teſtificantes, nimirum diuinus Spiritus, & humanus à diuino perſuaſus, vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum. Nam ita inferius dixit; *Veritatem dico in Chriſto Ieſu, non mentior; teſtimonium mihi perhibente, conſcientia mea in Spiritu ſancto*, id eſt, cum Spiritu ſancto; & alibi, *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*: quæ ſicut cum Spiritu ſancto teſtatur de ſynceritate mentis, quæ fugit ambitionem, & auaritiam, ita etiam teſtari poteſt, de effectibus propriis, qui ad filios Dei ſpectant. Nam ſicut dicitur clamare Spiritus clamantibus nobis: ita dicitur conteſtari conteſtantibus nobis, & eius ductum ſequentibus. Quanquam aliqui Patres diſtinguunt inter Spiritum DEI teſtificantem, & noſtrum teſtimonium eius recipientem.

Hæc Apoſtoli ſententia de teſtimonio Spiritus interno, quod ſumus filii Dei, quorum dogma confirmet: eiuſdē cōſideratio

Deut. 17.

Mat. 18. Rom. 9.

2. Cor. 1.

Quid teſtetur conſcientia noſtra cum Spiritu ſancto, vt Apoſtolus dixit Gal. 4.

Rom. 8. Ibid.

Adde, quod etſi teſtimonium noſtri ſpiritus de hoc, quod ſimus filii DEI, innixum conſcientiæ, & Spiritui ſancto certum ſit: propterea non eſt Græce vocis ſignificatio deſerenda, aut contemnenda. Oſtendit ſiquidem Paulus, quanta fuerit DEI erga nos charitas, qui Filium ſuum nobis donauit. Huius autem rei certitudinem, & firmitatem, ob noſtram prauam diſpoſitionem ſubito non facit, ſed temporis ſucceſſu, accumulando, roborandoque plures coniecturas, ſecundum exercitium, & ſtudium virtutum, quibus homo indies certior redditur ſui ſtatus gratiæ, ita vt excluſo fere metu contrario, pacatum, ac tranquillum reddat hominem, ſaltem in viris, qui magnos progreſſus in via DEI fecerunt. Ait enim beatus Chryſoſtomus ſermone primo in dicta Apoſtoli verba: *Quodſi homo quiſpiam, vel Angelus, vel etiam Archangelus aut alia certe huiuſmodi quadam poteſtas aliquid promitteret, merito quiſpiam dubitauerit. Suprema vero illa eſſentia, qua & hoc ipſum largitur, quod promittit, atque adeo orare etiam iuſſit, teſtimonium nobis perhibente, quiſnam de dignitate hac deinceps dubitare poterat?* Hæc ille.

LectioGræca: Ipſe Spiritus conteſtatur (pro teſtatur) Spiritui noſtro, cur minime reiiciēda.

Teſtimonium, Spiritus in ſe alioqui firmiſſimum, nobis tamen cur infirmum ſit: idem quomodo confirmetur.

B Chryſ. ſer. 3. to. 4.

Excludemus igitur primo loco falſos ſenſus, quos huic loco quidam affingunt; deinde germanum, ac genuinum in medium proferemus.

Primus ſenſus illequorundam: Spiritus teſtificas ſpiritui noſtro &c. litera eſt Euangelica, confutatur triplici ratione.

Sunt igitur, per Spiritum hoc loco ipſam literam Euangelii interpretantur, iuxta illud; Verba, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus, & vita ſunt, in qua plerumque filii DEI vocamur. Verum profecto hoc durum videtur, vt Spiritus literam ſignificet, cum ipſa Euangelii litera ſecluſo ſpiritu non minus occidat, quam Lex vetus. Vt interim miſſum illud faciam, quod nihil priuilegii eſſet ex vi literæ, DEVM Patrem vocare, quia hoc, & Iudæi faciebant. Dicebant enim Iudæi, Ioann. ſeptimo. *Vnum Patrem habemus DEVM*, & Moyſes: *Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* Vrget etiam ratio eorum, quæ circumſtant, quia aperte eſt ſermo de Spiritu ſancto, qui adoptat, & viuificat, & clamat per nos Abba, Pater, quę Spiritum hunc diuinum, & maximum eſſe teſtantur.

Ioan. 1. I. ratio. 2. Cor. 3. II.

Ioan 8.

Deut 32.

III.

Deinde alii exponunt de teſtimonio cō-

Il'e alterin terptetantium, ſub conditiune Si diuinā legem ſeruauerimus &c impugnatur tripliciter. *Ioan.15.* I. ratio. *1. Ioan.3.*

ditionato, in hunc modum: Spiritus teſtimonium reddit, quod ſi perſeuerauerimus vſque in finem: ſi dilexerimus, ſicut ipſe dilexit nos: ſi præſtiterimus obedientiam diuinæ legi; tunc filii erimus. Sed in hunc ſenſum aperte facit Textus, qui de præſenti ait, quod ſumus filii Dei: non ait, *Erimus*, aut, Aliquando futuri ſumus. Vnde Ioannes in Catholica ſua epiſtola, de eo quod præſens erat, reſtatur, dicendo, *Nunc filij Dei ſumus*; de eo vero quod futurum eſt, ſubdit: *Et nondum apparuit, quid erimus*, & cætera. Et hoc loco, cum ſubdit. *Hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi: ſi tamen compatimur*, in hoc ſubiuncto verbo addit conditionem, quam in primo loco non poſuit: quare teſtimonium eſt abſolutum, quod ſumus filii Dei de præſenti. Non eſſet etiam tale teſtimonium filiorum Dei, ſed etiam reproborum, & in ſordibus peccatorum ſe voluntantium: nam eius teſtimonium conditionatum exhibetur. Dixit enim Dominus ad Cain improborum typum: *Nonne ſi bene egeris, recipies?* Et ad peccatores Ieroſolymitanus loquitur Dominus: *Lauamini mundi eſtote; auferte malum*, & cætera: Subditque: *Et venite, & arguite me dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur*, & cætera. Et ſimilia multa inuenies in Scripturis, vt Iere. 31. & Ezechiel. 18. Adhæc, cum ſecundum hos non poſſimus ſcire, an diligamus Deum, & an vero odio proſequamur peccatum futile, & inane eſſet eiuſmodi teſtimonium, quod cor minime peccatet. Certe Dionyſius Carthuſianus hæc verba enarrans, interpretatur Spiritum ſanctum in quibuſdam reddere teſtimonium abſolutum, in aliis vero probabile tantum. Hæc ſunt eius verba: *Veriſſimum eſt quod diuinus ait Apoſtolus. Ipſe Spiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod filij Dei ſumus Nempe Spiritus ſanctus ſuorum corda fidelium conſolatur varijs modis, & ipſis inſpirat, loquitur, & oſtendit, quod adoptiui ſint filij Dei, & in charitate conſiſtant, quod quibuſdā per certitudinem abſolutam, alijs per certitudinem probabilem, aut piam confidentiam proteſtatur, ac manifeſtat.*

II. ratio.

Gen.4. Cain, quorum typū geſſerit. *Eſai.1.*

Ierem 10. *Ezech.18.*

III. ratio. *Dion Carthuſ.in 1. ſent. diſ 18. q 5. in fin.*

Spiritus ſanctus fidelib. dupliciter cō teſtatur, quod ſint filii Dei, aliis quidem abſolute, aliis probabiliter, ait Dio. Carthuſianus. *Caietan.*

Caietanus hæc verba Apoſtoli ita ſcribit: *Teſtimonium hoc, quod Spiritus ſanctus reddit ſimul cum ſpiritu noſtro de hoc, quod ſumus filij Dei, internū eſſe ſignificatur ex eo, quod ab vtroq; interno ſpiritu perhibetur non alijs, ſed nobis ipſis. Et quoniam teſtimonium hoc non eſt de poſſibili, ſed de facto (hoc eſt, non eſt de hoc ſcilicet, quod poſſumus eſſe filij Dei, ſed eſt de hoc quod filij ſumus:) ideo donum ſpeciale eſt. Nam teſtimoniū, quod poſſimus eſſe filij Dei, inter teſtimonia communia filij comprehenditur. Teſtimonium autem quod ego ſum filius Dei, ſpeciale donum eſt.* Et in illum ſenſum hæc ſint ſatis.

Teſtimonium Spiritus ſancti, q ſumus filii Dei, cur donum ſpeciale ſit, teſte Caietano.

Tertio alii interpretantur, teſtari Spiritum ſanctum per talia ſigna, & tam certas coniecturas, quæ mortalem fidem ſuperēt, & humanam, & diuinam fidem faciant, nō quidem Catholicam; ſed priuatam, teſtimonio Spiritus ſancti interno innixam, nō ab omnibus accepto, ſed à perfectis: quia ſicut Chriſtus teſtabatur Iudæis, & teſtimonium eius validum erat ad gignendam fidem, non tamen omnes Iudæi receperunt eius teſtimonium; vnde dixit; *Amen dico tibi, quia, quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis.* Et rurſus Præcurſor de Chriſto loquens, *Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Et quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur: & teſtimonium eius nemo accipit*: Ita de Spiritus ſancti teſtimonio non omnes certi ſunt, etſi ex ſe omnibus valide teſtificetur, & in cauſſa eſt inconſideratio, charitatis frigiditas, venialia admiſſa, tentationes carnis, & dæmonum prauæ ſuggeſtiones. Quod ſi recte & ſancte viueremus, claram illam Spiritus vocem audiremus: *Salus tua ego ſum.* Vnde de Caietanus poſt verba ſuperius producta hæc immediate ſubiungit; *Et quoniam, nullius teſtimonii effectus eſt videre, ſeu ſcire rem teſtificatam, ſed credere (non enim inducitur teſtimonium, ſed lumen, aut ratio euidentiam faciens, ad hoc vt videatur aut ſciatur res: ſed teſtimonium inducitur, ad hoc, vt credatur res teſtificata, ad hoc, vt videatur eſſe credendum ſic eſſe, quod teſtificatur:) ideo ex hoc teſtimonio Spiritus ſancti, & noſtri, quod ſumus filii Dei, non intelligas me videre, aut ſcire ſed credere, quod ſum filius Dei, ſed videre eſſe mihi credendum, quod ſum filius Dei. Media autem, quibus vtitur Spiritus ſanctus ſimul cum noſtro, in teſtimonium, quod ſumus filii Dei, ſunt regaliter duo. Alterum eſt amor Dei promptus ad obſequendum Spiritui ſancto, quem efficit Spiritus ſanctus in iis, qui Spiritu Dei aguntur: alioquin non agerentur Spiritu Dei, niſi forte ad momentum. Alterum eſt, experta continuatio diuinæ gubernationis, cuſtodiendo à damnabilibus, illuſtrando, inſpirando, excitando, mouendo, fouendo, & huiuſmodi. Nam cum experimur, tam promptè nos diligere Deum, & tali, tantaque cura gubernari à Deo, teſtimonium à Spiritu ſancto, & noſtro habemus ſufficientiſſimum, ad hoc vt credamus, quod ſumus filii Dei: nam ex hoc teſtimonio clare videmus, credendum nobis eſſe, quod ſumus filii Dei. At ſi non tantum profecimus, teſtimonium hoc habeamus à Spiritu ſancto, & noſtro ſtudeamus ad efficiendum in nobis, promptitudinem exequendi, quæ ſpiritus ſunt, & mortificandi, quæ carnis, ac mundi ſunt, ne deſimus gratiæ*

Tertius ſēſus aliorū, q ſcilicet Spiritus ſāctus ſuo teſtimonio diuinam fidem faciat. Declaratur hæc interpretatio.

Ioan.3.

Ibid.

Teſtimonium Spiritus internū, cur nō omnes, vt certum accipiant.

Pſal 34 *Caietan.*

Ad quid rei alicuius teſtimonium dicatur

Duob. fere modis, ait Caietan. Spiritus ſāctus cum ſpiritu noſtro teſtatur, nos eſſe filios Dei.

Refellitur haec expositio.

tanti testimonij. Hæc ille. Vt ergo quidam testimonium non recipiunt, ita probabile est, aliquos recipere, ne frustra Spiritus sanctus testari videatur spiritui nostro. Verum interno Spiritus sancti testimonio aliquem fieri certum certitudine fidei diuinæ, etiam priuatę, quod sit filius Dei, absq; speciali reuelatione, dici non debet, quod aduersari videatur Conc. Trid. sess 6. ca. 9. Nam licet Spiritus sanctus testimonium reddat spiritui nostro, quod sumus filii Dei; at non certos nos reddit de suo testimonio ita aperte vt fide diuina credamus, sed coniecturis agit magis aut minus certis, & pro ratione certitudinis fidem habemus, quæ siue speciali reuelatione humanam non excedit: id eoq; fides habita hoc testimonio humana est, & moralis, qua credimus, hoc esse testimonium Spiritus sancti. De quo Ambrosius epist. ad Horontianum, hæc verba edisserens, sic ait: *Qui Spiritu*, inquit, Apostolus, *facta carnis mortificat, viuet. Nec enim si viuat cum filius Dei fiet, qui habet Spiritum Dei, vt nō accipiat spiritum seruitutis, sed spiritum adoptionis filiorum, eousque, vt testimonium spiritui nostro sanctus Spiritus reddat, quod sumus filij Dei. Testimonium autem hoc est Spiritus sancti, quod ipse est qui clamat in cordibus nostris, Abba, Pater. sicut ad Galatas scriptum est. Sed & grande testimonium, quod filij sumus Dei, quia sumus haredes Dei, coharedes autem Christi.* Hæc ille, docens nos recipere testimonium ab Spiritu sancto, quod ipse, qui testatur, sit Spiritus sanctus, & quod nos sumus filii Dei.

B. Ambr. l. 5 epist. 32. prope init. to. 4. à med.

Gal 4.

Rom. 8.

Obiectio ex Patrib.

At obiicies, veteres Patres hanc fidem, qua accipitur Spiritus sancti testimonium non humanam, sed diuinam fidem appellasse. Ait enim Augustinus sermon. sexto, de verb. Apostol. *Si quis, Spiritum* D E I *non habet, non se fallat, hic non est eius. Ecce adiuuante ipsius misericordia Spiritum* C H R I S T I, *habemus, ex ipsa dilectione iustitia, integra fide, Catholica fide Spiritum* D E I *nobis inesse cognoscimus.* Hæc ille. In cuius verbis expende, dixisse, fide Catholica: quia habitus ille, quo credimus, reipsa, & vt sic dicam, materialiter, idem est, qui & fidei Catholicæ. Cum autem hoc credit, non est Catholica, quia obiectum Catholicum nō habet, sed diuinæ, & infusæ fidei nititur, quæ huiusmodi non Catholicis assentiri cō sueuit. Ambros. etiam libr. de Sacrament. capit. 5. in princip. ad Catechumenos verba faciens, qui iuxta Ecclesiæ consuetudinem post Baptismum, & sacram Communionem, orationem Dominicam recitabant: *O homo*, inquit, *faciem tuam non audebas ad cælum attollere, oculos in terram dirigebas, & subito accepisti gratiam Christi, omnia tibi peccata dimissa sunt, & ex malo seruo factus es bonus filius. Ideo præsume non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim saluati estis, Apostolus ait. Non ergo hic arrogantia est, sed fides: prædicare, quod acceperis, non est superbia, sed deuotio, &c.* Hæc Ambrosius, expresse fidem vocās, qua quis se credit filium Dei per gratiam. Bernardus quoque serm. 1. in Annuntiatione egregie ait: *Ideoque si credis peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: sed adde adhuc, vt & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur: Hoc est testimoniū, quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus dicens; Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus; Gratis iustificari hominem per fidem. Ac paulo post subdit: Sic vt de vita æterna habeas, necesse est testimonium Spiritus, quod ad eam sis munere diuino peruenturus.* Et statim infra: *De remissione peccatorum, ait, validissimum teneo argumentum, Dominicam passionem. Vox siquidem sanguinis eius inualuit multo plus, quam sanguinis Abel, clamans in cordibus electorum, remissionem omnium peccatorum.* Hæc ille, docens non satis esse credere, peccatum non posse remitti, nisi per Christum, sed illud etiam credendum, quod nobis remittātur, & hoc testari Spiritum sanctum in cordibus nostris, & Christi sanguinem in cordibus electorum. Serm. quoque 2. in die Pentecostes Christum inducit sic fidelem alloquentem *Et ne de absentia mea, vel murmures, vel contristeris; mittam tibi Spiritum Paracletum, qui tibi donet pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen Pignus salutis, vt ipse Spiritus reddat testimoniū spiritui tuo, quod filius Dei sis: qui certissima signa prædestinationis tuæ (expende verba quæso bone Lector) cordi tuo imprimat: & ostendat: qui donet lætitiam in corde tuo, & de rore cœli, si non continue, tamen sæpissime mentem tuam impinguet. Robur vitæ, vt quod per naturam tibi est impossibile per gratiam eius non solum possibile, sed & facile fiat: Ita vt in laboribus, in vigilijs, in fame, & siti, & in omnibus obseruantiis, (quæ nisi farinula ista dulcorentur, prorsus mors in olla appareat) delectabiliter incedas, sicut in omnibus diuitijs. Scientiæ lumen, vt cum omnia bene feceris, te seruum inutilem putes: & quicquid boni in te inueneris, illi tribuas, à quo omne bonum est, sine quo non parum aliquid, sed nihil omnino potes incipere ne perficere dicam.* Idem sermon. 5. in Dedicatione Ecclesiæ: *Quis poterit*, inquit, *saluus esse? dicunt discipuli Saluatoris. Et ille: Apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum. Hæc tota fiducia nostra, hæc vnica cōsolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possibilitate iam certi, de voluntate quid agimus? Quis scit si est dignus amore, an odio? Quis nouit sensum*

B. Aug. circa fi. ser. 10. ro.

Dictū Augustini: Catholica fide Spiritū Dei nobis inesse cognoscimus quomodo accipiendum sit.

Ambr. to. 3.

Ephes. 2.

B. Ber. prope ser. anie.

Psal. 50.

Testimonium reddere Spiritū sanctum in corde nostro, quod sumus filii Dei.

Rom. 3.

Idem.

Idem.

Vox sanguinis Christi cur inualuerit, multo plus quam vox sanguinis Abel.

Gen. 4.

Heb. 12.

Idem.

Tria præstat Spiritus Paracletus in corde credentis.

Luc. 17.

Iacob. 1.

Philip. 2.

Mat. 19.

Eccl. 9.

Domi-

Rom 11.

Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Hic iam plene fidem nobis subuenire necesse est, hic oportet succurrere veritatem; vt quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsum Spiritum reueletur, & Spiritus eius testificans persuadet spiritui nostro, quod filij Dei sumus. Persuadet autem vocando, & iustificando gratis per fidem, in quibus nimirum velut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione ad futurā magnificationē.

Spiritus sanctus quomodo persuadeat nos esse filios Dei.

Hæc ille, de fidei communis reuelatione verba faciens, & non de aliqua speciali fide, quia persuadet vocando, & iustificando. Et idem epist. 107. *Iustus quis est, nisi, qui amanti se Deo, vicem rependit amoris? Quod non fit, nisi reuelante Spiritu per fidem homini æternum Dei propositum super sua salute futura. Quæ sane reuelatio non est aliud, quam infusio gratiæ spiritualis: per quam dum facta carnis mortificantur, homo ad regnum præparatur, quod caro, & sanguis non possident, simul accipiens in vno spiritu, & vnde se præsumet amatum, & vnde redamet, ne gratis amatus sit.* In hoc postremo testimonio perspice, & reuelationem per fidem fieri, & ipsam aliud non esse, quam gratiæ spiritualis infusionem, quæ quidem communis est iustis.

Supra 8.

Idem circa fin epist. Iustus quis

Diuina Spiritus in corde iusti reuelatio, qualis.

Rom 8

1. Cor. 15.

Quomodo fiat illa reuelatio, teste Bernardo.

Adde Nicolaum Gorram Rom. 8. exponentem hunc locum: *Hæc cognitio non est, per scientiam certitudinis, sed per confidentiam credulitatis.* Lege Caietanum, paulo ante productum, & Roffensem nostri seculi scriptorem Catholicum, & gloriosum Christi martyrem, qui in primum articulum Lutheri scribens, ait: *Sed quis potest certus de seipso esse, quod ad hanc fidei mensuram, & consummationem peruenerit? Dicas quicquid velis. Nemo potest super hac re certus esse, nisi cui fuerit hoc ipsum reuelatum. Propterea voluit immensa Christi benignitas, vt quoniam nemo per solam Fidem de sua iustificatione poterat certus esse iam per Sacramenta suppleretur, quicquid fidei sufficientia defuerit.* Vbi est sermo de fide, & tradit Sacramentis certitudinem, ac reuelationem quandam. Adde Gregoriū Magnum lib. 1. Dialog. c. 1. *Mens,* inquit, *quæ diuino Spiritu impletur, habet euidentissima signa sua: virtutes scilicet, & humanitatem: quæ si vtraq; perfecte in vna mente conueniunt, liquet, quod de præsentia sancti Spiritus testimonium ferat.* Hęc ille.

Nicol. Gor. Caiet. B. Roffens. circ. fi articuli.

Nemo nisi diuinitus certus esse potest se iustificatum. Suppletur à Sacramētis, quod fidei defuerit, ait Roffensis.

Greg Rom. tom. 2.

Ex horum igitur Patrum sententia colligitur, per fidem diuinam (quæ extenditur ad obiecta non Catholica) nos agnoscere posse hoc testimonium Spiritus, quod perhibet nobis. Verum hos Patres facile est intelligere: de coniecturis enim agunt, & indiciis, quibus coniectamus, diuinum testimonium nobis inesse; & ad pacem comparandam, & confidentiam gignendam, illa fide nos adiuuari dicunt, qua credimus per Sacramenta conferri gratiam; absolutum à Sacerdote liberum esse à peccatis: qua fidei consideratione, adiectis aliis internis indiciis, spes roboratur, & fiducia certificatur, qua confidimus, quod sumus filii Dei. Vnde Pulchre dixit Bernardus sermon. 37. in Cantica: *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ideo illa non cōfundit, quia ista infundit certitudinem. Per hanc enim ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filij Dei sumus.* Hæc ille. Et hæc satis sint ad huius loci explicationem.

B. Ber. circa med ser.

Rom 5.

Spes diuina cur minime confundat.

DISPVTATIO XVI.

In illa verba: *Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autē Christi; Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Existimo enim, quod non sunt condigna passiones huius tēporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

NON deerunt peculiares difficultates
in his verbis, vt digna propterea reddantur,
quæ diligentius excutiantur, & non
sine fructu explicentur. Et prima quidem I. dub.
est, quomodo dicamur hæredes DEI, cum
hæreditas nihil aliud sit, quam aliquo decedente
firma successoris possessio; hic vero
Pater cum immortalis sit, non decedit:
sed nec Filius DEI naturalis Patri suo non
succedit, vt hæres sit, quia vterque coæternus
est. Secunda difficultas: quomodo dici- II.
mur cohæredes Christi si hereditas Christi
fuit Gentium possessio, de qua, *Postula à me,* Psal. 2.
& dabo tibi Gentes hæreditatem tuam: cuius
hæreditatis nos minime sumus participes;
ac proinde, nec cohæredes Christi.

Tertio dubitatur, quid sit compati, vt III.
huius compassionis merito gloriam consequamur.
Quarto, dubium est, quomodo IV.
passiones huius temporis non sint condi- 2 Cor 4.
gnæ cœlesti mercedi: cum Paulus alio loco
tradat, id, quod in præsenti est momentum
& leue tribulationis nostræ, supra modum 2. Tim. 4.
in sublimitate æternum gloriæ pondus in
nobis operari; & alibi, *Bonum certamen certaui,
cursum consummaui; fidem seruaui. In reliquo,
reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet
mihi Domin. in illa die, iustus iudex:* quæ verba
maius aliquid sonare videntur, quam
quod hic negat.

Ad horum solutionem præmittendum
hęc verba ita esse connexa cum superiorib.
vt cum illis essent simul explicanda. Sed ne

Quemadmodū hæc verba cum præcedentib. coniungantur.

ma-

magis progrederetur disputatio breuitatis gratia seruata fuit in hunc locum. Atq; illis quidem probatur, eos qui filii Dei sunt, vita perfruituros diuina. At vero, quia hæreditas Dei est vita æterna perinde est dicere: *Si filii,& hæredes*; ac si dixisset; Si filii: ergo vita viuent diuina:& eos, quos Spiritus constituit filios, viuificabit & eorum mortalia corpora. Et recte hic declaratur discrimen, quod est inter filios Veteris Testamenti, & Noui. Nam electi olim in Dei filios, tanquam paruuli erant sub tutoribus, & actoribus vsque ad præfinitum tempus à patre: vnde & hæreditas illis deferebatur; at nobis nisi per nos steterit, ab hac vita absque mora transitus est, ad æternam hæreditatem possidendam. Proinde colligit: *Si filii, & hæredes.* Vbi expende coniunctionem, Et, accipi hoc loco pro, Ergo, vt alias aliquando accipitur, *Si commortui sumus, &* (pro ergo) *conuiuemus, Si sustinebimus, &* (pro ergo) *conregnabimus.* & ad Galat. 4. *Quòd si filius, & hæres per Deum*, pro; Ergo hæres Dei per CHRISTVM, vt Græce legitur. Et obserua, de filiis adoptionis esse sermonem: nam inter homines illatio hæc non fallit: ad hoc enim adoptantur, vt in bonis adoptantis succedant. Secus sentiendum de his qui legitimi sunt, quorum primogenito obuenit integra hæreditas, aut certe maior eius portio. Vnde Genes. 25. soli Isaac relinquitur integra hæreditas, reliquis vero filiis munera, quibus viuere queant, dispensantur.

Rom. 8.
Aliter Iudæi filii, & hæredes, ali et Christiani sunt cœlestis hæreditatis.
Gal. 4.
Et particula quib locis idem valeat quod, Ergo.
2. Tim. 2.
Gal. 4.
De quib. filiis hæredibus Dei hoc loco Apostolus loquatur.
Gen. 25.
Ibid.

Igitur illatio hæc fundamentum habet, in eo, quod de filiis adoptiuis est, sermo, vel filiorum Dei dignitatem extollit, & amplificat, quod non tantum primogenitum suũ filium Iesum, sed omnes illi per fidem, & charitatem, quasi membra vnitos, in eius recipiat hæreditatis. Vnde Petrus dixit: *Regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cœlis. &c.* Vbi expende, tres illas voces hæreditati attributas, quibus eius dignitas, & eminentia declaratur. Angustia nanq; bonorum temporalium in causa est, vt quanto in plures dispertiantur, minores singulis partes obueniant: & ideo sæpe legibus humanis fit, vt abdicatis cæteris filiis, quibus tantum victus, & vestitus conceditur, integra hæreditatis portio primogenito decernatur. Dei autem hæreditas quæ pretiosissima est, & infinita, Deus ipse est, qui bonorum nostrorum non indiget, & vniuersas in se continet diuitias, & cui dicimus, Domin. pars hæreditatis meæ. Quare cum immensum sit bonum non per partes communicatur nobis, necdum communicatur aliis, minus Ipse habet, aut minus vnus præ alio habet, sed instar Solis est, qui latissime in omnes profunditur beatos.

Quanta dignitas filiorum Dei.
1. Pet. 1.
Qualis beato Petro cælestis hæreditas.
Hæreditas Dei quænam sit, & quanta.
Psal. 15.
Ibid.

Aliud etiam hinc patet discrimẽ; quod hæreditas ab homine non additur vsq; ad mortem antecessoris, quia videlicet non potest vtrique sufficere: at Dei hæreditas non est defuncti successio, sed Dei viuentis in secula seculorum consortium. Etsi, quod in humana hæreditate imperfectum est, nempe, vt testamentum morte testatoris confirmetur, & in Diuina quoque hæreditate euenisse, Paulus ad Hebr. 9. declarauerit. Et hinc patet solutio primæ dubitationis.

Aliter etiã humana ab hæreditate diuina distinguitur.
Hebr. 9.

Gloria enim cœlestis per metaphoram dicitur hæreditas, quod à Deo, tanquam à parente amantissimo parata sit: & vbi esset, nostro vitio amissa, per Christum recuperata. Christus vero etsi quatenus Deus est, non sit hæres, sed ipsa cum Patre, & Spiritu sancto hæreditas nostra; tamen secundum Humanitatem assumptam hæres dicitur vniuersorũ ad Heb. 1. & hic cohæres noster. Quanquam vt superius ex Hebræorũ idiotismo probatũ reliquimus, hæres ille dicitur, qui bonis sibi concessis fruitur, siue intereat ille, qui bona relinquit, siue non intereat, vt est Deus.

Ad I. dub. Quomodo nos nõdum mortui testatoris, id est, Dei viuentis simus hæredes.
Supra 1.

Quare, vt secundum argumentum dissoluamus, propria Christi hæreditas non fuit Gentium possessio, nisi quatenus Gentes sua doctrina, & sanguine comparauit, ad eum finem, vt in eos effunderet Deus diuitias misericordiæ suæ, vt in eos tanquam in filios cœlestis regni hæreditatem ad Filii sui gloriam transfunderet.

Ad II dub. Vt simus cohæredes Christi cũ Gentes eius hæreditatem minime habeamus.

Leuissimum porro est argumentũ, quod hæretici ex his verbis conficiunt: Si sumus inquiunt, filii; ergo hæredes, & ius hæreditatis percipiendæ habentes; nullis ergo meritis hæreditatem illam cõparamus. Sed certe fortius eadem argumẽtatio instrui posset ex Christo Filio Dei naturali, qui secundum assumptam naturã hæres fuit æternæ gloriæ; non tamen recte inferas, Ergo CHRISTVS sua obedientia nihil promeruit, cum Apostolus dicat: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Et quidem cum aliæ promissiones nobis factæ sint, quæ ab operum conditione seu merito nõ pendent, vt iustificatio, & reconciliatio cum Deo; alias vero fecit, quæ penderẽt à dignitate, & merito operum, vt illæ de danda possessione cœlestis regni; & quanquam vt gratis iustificamur, ita in ipsa iustitia gratis accipimus ius æternæ hæreditatis, ita, vt illud ius ab operibus non pendeat: possessio tamẽ regni

Impie, Lutheranos, & inepte ratiocinari: Filii Dei sumus, & hæredes, ergo sine meritis Dei nobis contingit hæreditas.
Philip. 2.
Duplex genus promissionũ Dei, absolutum & limitatũ.

cœle-

Qua lege Iudæi olim terræ promissæ acceperunt hæreditatem.

cœlestis non sine obedientiæ, & bonorum operum merito contingit. Quemadmodum vt exemplo res fiat illustrior, donauit gratis Deus Hebræis ius, siue titulum ad Terram promissionis, vt ingrederentur in eam tanquam suam, & non vt in alienam: sed quomodo, quæso, acceperunt possessionem eius, nisi fortitudine bellica prælia conserendo, & eius habitatores profligando. Ita nobis ius cœli gratis datum est, per Dominum Iesum: sed possessio eius nobis nō contingit, nisi contra hostes nostros carnem videlicet, mundum, & diabolum fortiter dimicando. Hinc Apostolus Coloss. 3. dixit: *Scientes, quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Vbi ostenditur, hęreditatem, etsi gratis datum, retribui tamē operum merito, quod ad possessionem eius attinet. Sicut Matth. 25. cum dixisset, κληρονομήσατε, id est, hæreditate possidete, adiungit causam bonorum operum, quibus redditur: *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Et hoc loco: *Hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* ¶ Et vocat nos hæredes Dei, tanquam parentis; cohæredes autem Christi, quatenus ille est primogenitus in multis fratribus, & constitutus hæres vniuersorum.

Eadem lege Christianis cœlestem hæreditatem esse capessendam. *Coloss. 3.*

Matt. 25. *Rom. 8.* Hæredes cur Dei nos dixerit Apostolus, cohęredes autem Christi. *Ibid.* *Hebr. 1.*

Porro homines, etsi exteros adoptare non soleant in ius filiorum nisi ob inopiam legitimorum: Deus tamen cum naturalem haberet filium sibi per omnia ęqualem, nec nostro obsequio, aut honore indigeret, accersiuit nos pro bonitate sua in ius bonorum suorum, & non in particulam eorum sed in vniuersa dona, sine in eandem hæreditatem, quę vnigenito, & naturali Filio debetur. Hæredes ergo Dei, qui eum facie ad faciem intuentes, de sua diuinitate pro modo nostro participabimus. Cohæredes autem Christi; tum quia similes sumus futuri Deo per nomen gloriæ, iuxta illud: *Cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eū sicuti est:* tum etiam quia reformabit corpus humilitatis, nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, quia nos immortalitatis, & incorruptionis suæ participes efficiet, cum Pater nos prædestinauerit conformes fieri imaginis Filii sui: tum deniq; quia vno loco cum eo erimus, vt ipse pollicitus est: *Vbi sum ego illic & minister meus erit.* Titulos quoque suos honorificos communicauit, dum ipse qui filius est, Primogenitus, Rex Regum, & Dominus dominantium, Sacerdos, Iudex, efficiet nos filios, primogenitos, dominos, sacerdotes: ita vt gloriari possimus in spe gloriæ filiorum Dei: quia per Christi sanguinem recepti sumus nō in seruos, sed

Cur nos Deus in filios adoptauerit cum bonorum nostrorum ipse non egeat. *Psal. 15.*

Hæredes Dei quomodo erimus nos, cohæredes autem Christi *1. Ioan. 3.* *Philip. 3.*

Rom. 8. *Ioan. 12.* *Infra 17.* *1. Tim. 6.*

Apoc. 17. Quorum Christi donorum ac priuilegiorum in gloria simus futuri participes.

in filios: nec in qualescunq; filios, sed hæredes, nec minoris hæreditatis, quam Dei ipsius, & cuius Christus principalis est hæres: Et adiungit, ne quis tantis donis auditis indormiat: *Si tamen compatimur; vt & conglorificemur.* Vt Capite quinto post gloriationem in spe gloriæ filiorum Dei, confestim adiunxit: *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* Verbum, Si tamen, Græce dicitur, εἴπερ, quod noui interpretes asserti ue vertunt, pro eo, quod est, Siquidem vel Quandoquidem. Sed hoc loco magis quadrat, vt conditionem, & dubitationem cōtineat, vt præter Augustinum, & Ambrosium, etiam Cyprianus libro tertio ad Quirinum, & libro. 4. epist. 1. accipiunt. ¶ Verbum autem, *Compati*, non est accipiendum hoc loco pro eo, quod est Commiserari, siue Condolere, etiamsi morti, & passioni Christi condolere, tanquam in hominem iustum, & innocentissimum inflictæ summisit meriti apud Deum: sed pro eo, quod est, vna, vel simul pati, scilicet cum Christo. At Christus passus est, & ita intrauit in gloriam suam: ita & nos vna cum Christo pati debemus, vt & vna cum eo glorificemur. Et causa redditur cur immortalis corporum vita differatur, vsque ad futurum seculum: quia vt Christum oportuit prius pati, & ita intrare in gloriæ possessionem; ita & nobis, qui debemus ambulare, sicut ipse ambulauit, per multas tribulationes intrandum est in regnum DEI. Id autem ad summam nostram beatitudinem faceret; si talia nobis contingeret pati pro nomine suo, qualia & ipse pro nobis pertulit. ¶ *Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, &c.* Ne quis de illa conditione apposita, Si tamen compatimur, tanquam de re graui, ac dura queratur, quasi magno constaret talis hæreditas, occurrit asserendo, eiusmodi, externam passionum acerbitatem, & immanissima tormentorum genera, quæ Martyres pro illa comparanda subibant, futurę cœlestis gloriæ mercedi paria non esse. Verbum autem, Existimo, Græce legitur λογίζομαι quod est, credere, seu per fidem iudicare, & cōmpertum habere: quanquā noui interpretes nō satis plenam verbi vim exprimentes, verterint, Reputo, quod Διαλογίζομαι, dicitur Græce non λογίζομαι. ¶ Deinde nomen, Condignæ, reiectum est à nouis interpretibus, & pro eo, pares, verterunt, ne forte viderentur probare scholasticum verbum Meriti de condigno, aut de Congruo, vt Beza hoc loco oblatrat. Sed certe non erat cur pręsenti loco abstinerent ab illo verbo, quod frequenter occurrit in nouo Testamēto; & quia

Rom. 5.

Dictio illa Si tamen hoc loco quid significet.

August. *Ambros.* *Cyprian.* Ad tertiū dubium.

Quid cōpati, vt conglorificemur.

Luca 24

Gloriosa corpora, & immortalia ante resurrectionem cur non habeamus teste Paulo. *1. Ioan. 2.* *Act. 14.*

Quare Paul. dixerit non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam promerendam

Existimare, scilicet non esse cōdignas passiones, &c. hoc loco quid.

Non sunt condignæ, quam, Nō sunt pares passiones verti significantius, contra Bezam.

Qualis hæc phrasis Existimo, quod non sunt condignæ passiones, &c.

quia videbatur aliquo modo detrahi meritis, quæ Patres agnouerunt, & confitentur. Sed iam singula huius sententiæ verba ponderemus. *Existimo:* inquit: quod verbum esse diximus confidenter asserentis ob apertam & manifestissimam veritatem: sicut tropo quodam dicere consueuimus; Existimo quod cœlum maius sit terra, vel, quod Deus maior sit homine. Et Augustinus ait: *Non dubitat Paulus, sed dubitantes increpat, qui alibi ait Existimo quod ipse Spiritum Dei habeam.* Et Dominus Luc. 18. *Veruntamen Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra:* Et recte quidem confidenter loquitur Apostolus, quia vtrumque expertus erat, videlicet, & tribulationes, de quibus gloriatur 2. Corinth. 11. & gloriam ipsam, de qua dixit: *Scio hominem in Christo, &c. raptum vsque ad tertium cælum, siue in Paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* ¶ Deinde ait, passiones non esse condignas. Non dixit, Actiones, aut opera; ne insinuaret aliquo pacto Deum nostris operibus indigere; sed passiones dixit, quas pro Deo patimur, in quibus aliqua ratio meriti apparere potest: quia passiones sunt, quibus nos magis putamus alios nos obligare, quam operando pro eis; quia nostrum esse magis ad viuum tangunt, & imminuunt, atque atterunt hominem magis passiones, quam operationes. Nam agendo, & operationes virtutis proferendo nobilitatur homo, & eas consequi solet delectatio, vt docet Philosophus in Ethicis; & Spiritus sanctus ait: *Gaudium iusto est facere iudicium.* Et in plurali dixit, passiones: quia fere innumerabiles sunt contra triplicem illam concupiscentiam, & carnis, & oculorum, & superbiæ vitæ. Patimur enim & à nobis ipsis, & à dæmonibus, & Angelis, & à Deo: vt non dicam quanta mala perpetiamur, & ab ipsis elementis, & à cœlo, & ab animalibus, & in summa ab omni creatura. Et vocat passiones huius temporis, quod scilicet post peccatum habemus: quia ante peccatum nullæ erant passiones, aut pœnæ. Huius etiam temporis naturalis, & à cœlo ipso demonstrabilis, quia eius motu efficitur: nam Tempus, est mensura primi motus per prius, & posterius, vt tradunt Philosophi. Estque tale tempus, sub quo existentes corruptioni sunt obnoxii. At tempus illud futurum, siue æternitatem ipsam, nonnisi spirituales, & perfecti agnoscunt, de quibus Dilectus ait: *Scribo vobis patres,* (hoc est, perfecti) *quoniam cognouistis eum, qui ab initio est.* Græca lectio hoc loco habet καιρῷ, non χρόνῳ. Significat autem καιρὸς, occasionem & opportunitatem temporis, quæ data nobis videtur esse Dei munere ad meritum vitæ comparandum, & ad lucrum.

B. August. quodam loco.

Luc. 18.

Magnifica hæc vox quam tanto Apostolo digna.

2. Cor. 1.
Infra 12.

Cur potius passiones dixerit Apostolus, quam actiones non esse condignas.

Arist. l. 10. Ethicor.

Prou. 21.

Passiones non autem Passionem cur item appellauerit.

1. Ioan. 2.

Quare etiam passiones huius temporis nominauerit.

Tempus quid sit.

Arist. 4. Physic. tex. 1.

1. Ioan. 2.

Perpende etiam dixisse, non esse condignas passiones, siue, quod idem est, Pares nimirum, æstimatione, & pretio: quia temporales sunt, & leues, gloria autem cœlestis & æterna est; & ingens, vt ipsemet alio loco docet: *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur:* quæ verba magnificentissimam vitæ æternæ coronam significant: sicut etiam Christus expressit per copiosam mercedem Matt. 5. & per mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem; & illud: *Super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.*

Quid est passiones huius temporis non esse condignas.

2. Cor. 4.

Matt. 5.
Luc. 6.
Matt. 25.

Quæ vt melius perspiciamus, finge, & concipe animo tuo tres homines, vt Pharaonem Nabuchodonosorum, & Danidem, & primus sit in natura lapsa, & omni Dei gratia destitutus; alter referat eum, qui auxilio Dei speciali adiutus est; tertius personam induat filii Dei, & iam per gratiam iustificati: certe Pharaonis passiones gloriæ comparandæ pares non sunt, nec gratiam, aut gloriam promerentur, sicut nec equus promeretur, vt equus tractari; sed passiones addunt præuaricationes, vt in Pharaone flagellato videre possumus; vel si non adderet præuaricationes, imo si etiam vincerent aduersarium flagellantem, victoria erat tantum humana. Passiones vero Nabuchodonosori, nec æquales sunt, nec promerentur vlla Dei dona, quæ superant naturæ facultatem, disponunt tamen hominem ad misericordiam Dei accipiendam, & naturam eleuant, & sanguini Christi nos iustificanti coniungunt: sicut & Nabuchodonosorus, per passiones ingemuit, & resipuit flagellatus. At Dauidis passiones non sunt pares, si secundum substantiam operum considerentur, & quia vt semen non est æquale arbori quæ ex illo oritur, & quia remunerat supra meritum: habent tamen ex Spiritu adoptionis nos eleuante vim promerendi vitam æternam, quia substantiæ Christi nos vniunt tanquam membra capiti: sicut etiam qualitas magnetis virtutem habet ferrum eleuandi, & ipsi magneti vniendi. ¶ Atque hi tres rursus concipiendi sunt, aut vt nudus, aut vt vestitus, aut vt armatus: quorum singuli si percutiantur facilius patitur nudus, quam vestitus, & minus vtroque armatus. Non sunt ergo condignæ; quia opera nostra vel passiones non sunt Deo vtiles, qui nostris non indiget, sed quatenus ex adoptione proficiscuntur; ei placent. Et quia contenti sumus esse nobis à Deo, ægre ferimus passiones, in quib. tamen fructum proferimus. Quemadmodum

Triplex gradus passionum quæ non sunt ad gloriam cœlestem condignæ, in Pharaone, Nabuchodonosoro atque Dauide conspectus.

1. gradus.

Exod. 7.

Alter.

Dan. 4.

III.

Magnetis ingenium.

Earundem passionum grados etiam triplex in hominibus comparandus.

I. ratio, passiones nostræ quare dicantur non esse condignæ.

filiorum Dei; nonum enim videtur, & ignotum.
III. Tertio quomodo creatura subiecta est vanitati, non volens: nunquid cœli incorruptibiles, aut Angeli Dei vanitati subduntur?
IV. Quarto, durum illud est, quod ait, omnem creaturam ingemiscere, & in morem parturientis se habere; & ab hoc gemitu & parturitione ipsos Apostolos liberos non esse: multæ enim creaturæ sunt quæ non ingemiscunt, vt lapides, metalla, plantæ, &c.
V. Et quomodo ab omni creatura distinguit Apostolus, cum & ipsi sint creaturæ Dei?

Ad I. quæst. De ordine, seu connexione.

Primum sic explicatur: Dixerat futuram gloriam nostris passionibus esse incomparabilem, iam subdit caussam, seu potius indicium quoddam à posteriori: quod indicat illa particula, Nam: indicium autem est, quod omnis creatura illius gloriæ reuelationem auide expectat. Quia etiam dixerat, gloriam in nobis reuelandã, probat, quod aliquando id futurum sit. Et hoc primo patefacit in genere à vehementi, & communi omnibus gentibus, imo etiã vniuersis creaturis expectatione; deinde peculiariter in magnis creaturis, hoc est, Apostolis, idem ostendit. Et vis argumenti in hoc consistit, quod anxia expectatio omnibus nationibus communis, & Apostolis, in quibus simpliciter magis viget, nihil aliud est, quam adoptionis gloriæ, & boni summi expectatio, non autem illius boni, quod per passiones huius temporis, quas pro illa gloria ferimus tollitur; ac proinde illa anxia, & solicita expectatio creaturæ boni præsentis temporis futuram præfert gloriam: quod est dicere, mala præsentis temporis minora esse, quam bona futuræ gloriæ. Est autem hæc ratio per quam apta, quæ ex naturali appetitu rerum quæ in bonum feruntur, sumitur, iuxta illud Philosophi dicentis, Bonum esse, quod omnia appetunt. Ex propriis etiam pulchre syllogizat, gloriam illam, quam vniuersa expetit creatura, supremum esse, ac summe beatum bonum.

Omnem creaturam reuelationem filiorũ Dei expectare, vt probet Apostolus.

Probationis illius efficacia.

Arist. li. 1. Ethico. c. 1 to. 2.

Ad II. quæstionem.

Et vt secundum dissoluamus dubium, illa expectatio creaturæ Græce dicitur *ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως*, & iterum Apostolus eadem voce vtitur Philippensium primo *κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μου*, id est, *Secundum expectationem, & spem meam.* Et Luc. 21. habetur: *Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superueniet vniuerso orbi,* vbi est alia Græca & prima vox *προσδοκία* sed in eodem sensu quo prior. Est autem vis illius vocis anxia quædam, & solicita expectatio non sine metu imminentis periculi, & qualem exercitus parati ad prælium habere solent, dum expectant Imperatoris mandatum, vt quid sit sibi faciendum intelligant. Et ita in eo significatu vtitur Polybius historicus huiusmodi vocabulo, & ita quidam vertunt, vehementem expectationem, vt interpres Chrysostomi; alii feruentem, alii vero anxiam, & solicitam, vt noui interpretes. Porro Hilarius producens locum lib. 12. de Trinitate longinquam vocat expectationem. Ambrosius libro quarto Hexameron, innuit se legisse frequentem expectationem. Certe Græca dictio emphasim habet, non satis Latinis verbis explicabilem. Verum in idem recidere videntur illæ omnes explicationes: nam quæ vehementer amamus, frequenter cogitamus; & cum adhuc longe abest, longanimiter expectamus. Non ergo velleitas, quæ est impossibilium, aut voluntas, siue appetitus, potest esse hominis de futuro bono incerti, & dubitantis, sed anxia expectatio, & firma, quæ hominis est certissimi, in suo desiderio constantis. Quidam tamen hæreticus vertit, vt vim Græcæ vocis exprimeret: Etenim res creatæ, inquit, quasi extento capite obseruantes expectant, &c. Quod non videtur alienum ab illo verbo Christi: *Suspicite, & leuate capita vestra: quoniã appropinquat redemptio vestra*; & ab illo Dauidis: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos*; & iterum *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Et aliquo modo interpres noster vim verbi Græci expressit, dicendo, Expectatio expectans; sicut illud, *Expectans expectaui dominum.*

Polybius.

Chrysost. 14. antea mad. Hilar. li. 12. Ambros. to. 4. in princ.

Quæ tantum vehementer expectent homines.

Theodori Bezæ hæc interpretatio: Etenim res creatæ, quasi extẽto capite obseruantes expectant: quam probabilis.

Luc. 21.

Ps. 24.

Ps. 122.

Ps. 39.

Nomine creaturæ non satis liquidum est quid intelligi voluerit Apostolus. Nam Augustinus q. 67. libri Octoginta trium quæstionum, agnoscit hunc locum subobscurũ, & difficilem. Vnde duo sunt nati errores, alter Origenistarum asserentium, Angelos vanitati subiectos, & gemere expectantes immortalem resurrectionem, quasi ante nõdum sint beati. ¶Sed hoc aperte falsum est, & contra Domini sententiam dicentis; *Erunt homines sicut Angeli Dei in cælo.* Si ergo electi futuri sunt tales, quales sunt Angeli in cœlo, iam ergo Angeli stabiles erant in bono, & minime vanitati subiecti. Et cum semper videant faciem Patris, qui in cœlis est, iamdiu beati extiterunt. Alter error, & ille quidem crassus Manichæorum fuit, dicentium, omnia corpora esse animata, & gemere. Hinc Augustinus, volens hunc errorem fugere, accepit hic creaturam, secutus Origenem, pro homine tantum, qui capax est illius gloriæ, qua iam Angeli perfruuntur. Dicitur (ait) homo omnis creatura, eo quod omnis creatura vel spiritualis

Quid omnis creatura vanitati subiecta non volens

August. to. 4. paulo ante dimid.

1. sensus Origenistarũ de Angelis adhuc non beatis refellitur.

Matt. 22.

Supra 18.

Alter Manichæorũ de omnib. corporibus animatis, sane falsissimus.

August. ib. & propofit. 53. in epist. ad Rom. to. 4. sub fin.

III sensus Augustini ex Origene in hunc locum to. 2. *Idem Leon. tra Priscillianistas, & Origen. stat c. 8. ins ne tom. 6. à med.*

est, vel corporalis, vel animalis: quæ tria membra in homine numerantur, in quo est anima, spiritus, & corpus: De qua re li. Quæstionum ad Orosium disserit. Alii vero sunt qui appellatione creaturæ intelligunt hominem non nudum gratia, sicut vox quandoq; significat, vt cum dixit, *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sed hic significat hominem in Christo regeneratū, qui dicitur noua creatura per Christum creata, de qua ait: *Si qua ergo* (vel, si quis ergo) *in Christo noua creatura:* & alio loco; *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* Et alibi rursus, *Ipsius sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis,* &c. Idem Iacob. *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod (aut primitiæ quædam) creaturæ eius;* & in Apocalypsi legimus, quod ipse principium est creaturæ Dei. Talis ergo in Christo renatus, cum non sit liberatus à passionibus in hoc mūdo, sed illis subiectus, in spe est, & viuit, non tamen abscj; expectatione; sicut reliqui patiunt̄ sed nō expectāt: vtpote non insiti in Christo. In his enim nō est spes, aut expectatio futurorum bonorū: cōtra vero creatura Dei in Christo, quas patitur pœnas, velut expectans patitur propter futurū fructū. Et eū talis expectatio ex desiderio cœlitus indito prodeat, frustra nō erit.

IV. satis probabilis, & proprius huius loci. *Marc. vlt. 2 Cor. 5. Gal. vlt. Ephes. 2. Iacob. 1. Apoc. 3.*

Homo potissimum cur veniat nomine omnis creaturæ. *Gen. 1.* Homo nouus Apostolus ille. *Ephes. 4. Tit. 2.* *Ioan. 16.*

Etsi vero omnis creatura sit Dei, quia ab eo condita; magis proprie tamen dicimus hominem creaturā, qui creatus est, vt Deo vacare possit, cum sit ad imaginem & similitudinem Dei factus. ¶ Et vocatur homo nouus, qui secundū Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis: nam hic demū est, in quo reponitur spes, & expectatio reuelationis gloriæ filiorum Dei. De qua expectatione alibi ait: *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magn. Dei.* nam tales anguntur futuræ gloriæ desiderio, & habent se more mulieris parturientis, quæ ipse gaudij futuræ prolis dolores perpetitur.

Qualis hæc phrasis Apostolica: Expectatio creaturæ expectat. *Rom. 8. Heb. 7.* *Matt. 24.* *Apoc. 17.*

Iam obserua eam locutionem. Expectatio creaturæ, quæ certe nihil est aliud, quam creatura expectans. Sicut illud impossibile legis, siue ἀδύνατον τοῦ νόμου hoc est impossibilitas legis, est lex impotens; & Hebræor. 7. *Nihil ad perfectum adducit lex:* introductio vero melioris spei. id est spes melior superintroducta est, per quem proximius ad Deum. Et Matthæus 24. *Cum videritis abominationem desolationis,* id est desolationem, vel vastationem abominandam. Ita Apocalypsi 17. *Veni, inquit, & ostendam tibi damnationem meretricis magnæ,* id est damnandam meretricem magnam. Et malorem emphasim habere solent hæ phrases, per duo nomina substantiua, quam per nomen, & partici-

Creatura expectans reuelatio-

pium. Hic est germanus, & maxime probabilis sensus huius loci: etiamsi non ignorem aliquos, Origenem scilicet, & Hieronymū in commentariolis, voce creaturæ comprehendere vniuersos homines, siue humanū genus: eo quod impii & iniqui ex eo, quod ad imaginem, & similitudinem Dei conditi & eiusdem gloriæ capaces sunt, & naturali inclinatione illuc feruntur, sicut materiæ appetitus est ad formam: & (vt exemplo vtar Augustini) velut colores pictori subiecti, qui sunt velut expectantes imaginem, in quam efformandi sunt. Eadem ratione vniuersi mortales suapte natura appetunt reformari per gratiam, & naturaliter gloriam filiorum Dei concupiscunt. Verba Hieronymi sunt: *Diuersi hunc locum diuersis modis exponunt. Sine omnis creatura resurrectionis tempus expectat: quia tunc in melius commutabitur, siue Angelica, siue rationalis creatura. Petrus enim dicit, etiam Angelos gloriam desiderare Sanctorum. Quidam etiam sic dicunt, Adam, & Euam esse creaturam. quos olim serpens à spe diuinitatis vanitati subiectos, corruptioni esse erit deseruire, non ex semetipsis peccantes, sed serpentis instigatione, & consilio. Et ipsi, inquiunt, liberabuntur, vt tam non corruptioni deseruiant. Omnem autem creaturam dicunt esse, quia vsque ad aduentum Christi iusti fuerunt: quia & ipsi nondum accipientes expectant, Deo pro nobis melius aliquid prouidente. Non solum autem illi, sed & nos ipsi in quibus completa sunt, necdum tenemus, sed in spe sustinemus: quamuis, quæ multi videre iusti cupierunt, vidimus.* Et paullo post: *De rationali creatura sermonem fecit, & non sicut quidam existimant, de irrationali, vel insensibili, quæ ad seruitutem hominum creata est, & postea peritura.* Hæc ille. ¶ Sed certe iste naturalis appetitus, nec studiosus est, nec meritum habet, & in incertum obiectum, & minime notum tendit. & in impiis frustra esset, & tales spe omnino carent, & desperatione agitantur futuri mali, quod minatur conscientia ipsa, & tales non liberantur à seruitute corruptionis. Alii vero, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Ambrosius hoc loco, & epist. 22. Nazianzenus oratio 1. contra Iulianum, & Origenem hom. 1. in Ezechielem, interpretantur de vniuersitate creaturarū, quas inter suprema est cœlum; & quæ cœli ambitu continentur: quæ vt propter hominem facta sunt, & ei seruitutem pendunt, ita & in illa suprema filiorum Dei reuelatione sunt cūcta renouanda, quādo cœli, teste Petro, magno impetu transient, elementa vero calore soluentur, & videbimus cœlos nouos, & terram nouam. Et vt Chrysostomus asserit tribuitur mundo sensu destituto per figuram Prosopopœiæ sensus; quēad-

modum

orem filiorum Dei, quē nam Origenis, & Hieronymo. *Orig. to. 2. Hier. to. 9.*

B. Aug. L. 83 q. q. 67 sub initium. to. 4. Expectatio creaturæ seculo noueto filiorum Dei expectatios, qualis Augustino. *1. Pet. 1.*

Gen. 3 & seq. Adam & Eua quando primum fuerint vanitati subiecti. *H. b. 11.*

V. sensus, de vniuersis, scilic. corporea creatura, cœlesti præ lecitum.

Chrysost. 14 Theophyl. Ambro. 5. Idem to. 3. Greg. Naz. circa princ. tane Ilina.

2 Pet. 3. Apoc. 21. Esa. vlt. B. Chrysost. ibidem.

Psal. 97. Psal. 113. Psal. 95.

Ille sensus probatur dupliciter ab eius assertoribus.

modum in Scriptura dicuntur flumina manu plaudere, colles, & montes saltare, ligna syluarum exultare. Quæ explanatio suam habet energiam, ad explicandam gloriæ excellentiam, quam hic Paulus instituit exprimere. Nam id quod omnes creaturæ tam anxia expectatione desiderant, non potest esse non summum bonum. Deinde videtur hic sensus non omnino sua probabilitate carere; quia statim distinguit inter omnes creaturas, & filios Dei. Neque cogitandum, expectationem hanc esse naturalem appetitum creaturæ, siquidem mundi illa innouatio supernaturalis erit: sed quod per æternam Dei dispositionem mundus renouandus est, & ab infectione, quam hominum vitiis, & peccatis contraxit, repurgandus. Et animæ quidem corpora egressæ non dubiú est quin expectent suis corporibus restitui, quæ tamen sine nobis non consummabuntur. Angeli vero etsi non pro seipsis, pro nobis tamen anxii sunt, & soliciti, quia illis nostri cura, & salus à Deo est commissa.

Expectatio creaturæ, suæ videlicet innouationis futuræ quomodo accipienda, cũ illa sit innouatio supra naturam.

Heb. 11.

Quæ sententia creaturam pro homine iusto accipiẽdam tradit cæteris præfertur triplici ratione.

Sed vt verum fatear, mihi præstantior videtur prior sensus, non solum, quia in præcedenti sensu non apparet, quæ sit illa expectatio in impiis, vel in creaturis sensu destitutis, nisi naturalis cuiusque rei appetitus, qui de re supra naturam posita (qualis est illa mundi renouatio) esse non potest, sed & quia sine schemate Prosopopœiæ, si potest exponi, Scriptura est interpretanda. Deniq; sensus primus multis Scripturæ testimoniis corroborari potest: quia Fides, est substantia rerum sperandarum; & Dominus ait *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum; &, Si in hac vita tantum, in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus:* & Iob iustus, *Expecto donec veniat immutatio mea.* Quod si desiderium à natura inditum, vt tradunt Philosophi, nequaquam impleri non potest, multo minus desideriũ iustorum, quod est à Deo infusum?

Idoneus Scripturas interpretandi modus.

Heb. 11. Luc. 12. 1. Cor. 15.

Iob 14.

Quid reuelatio filiorum Dei, secundum Hilarium.

Hilar post med.

Sequitur: *Reuelationem filiorum Dei expectat.* Hæc filiorum reuelatio teste Hilario in Psal. 125. consummata consolatio est, hoc est consummata gloria, quæ non erit nisi resũptis corporibus. ¶*Vanitati enim subiecta est omnis creatura, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe.* Reddit rationem dictæ expectationis creaturæ. Desiderium enim ex defectu rei desideratæ oritur; vanum autem est, quod suo fine caret. Vanitas enim creaturæ non est prorsus mendacium, vt non sit quod apparet, sed est quasi quædam finis frustratio: nam vnicuique rei congenitus innenitur appetitus perpetuo existendi, qui nulli rerum sublunarium contingit, etsi extat in eis quædam perpetuitatis vmbra. Nã vbi vnum indiuiduum corrumpitur, aliud gignitur: quo fit, vt omnia se mutuo interimant, & suo ipsorum interitu speciem suam conseruent. Sed ad rem: Si creatura capitur pro viro iusto vt diximus, & homine nouo, certum est illum huic rerum inconstanti vicissitudini, & vanitati subiectum esse. Nam etsi liberatus sit per Christum à peccati seruitute, ac dæmonis; non tamen à seruitute corruptionis, & mutabilitatis, & motuum fomitis, & peccatorũ interdum venialium. Nam quamdiu in fragili carne sumus, multis indignis subdimur, quæ nos à vera contemplatione auocant, & in seipsis nihil præter vanitatem habent. Vnde Salomon oculos aperiens, in illa verba prorupit; *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas;* & pater eius dixerat; *Veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens.* Veruntamen in imagine pertransit homo, sed vir: sed & frustra conturbatur. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? Et substantia mea (hoc est, quod expectabile est, & sperandum) apud te est; quia tu es vita immutabilis, & æterna. Perinde ac si diceret: Hæc immutabilitas hominis, dum in hac vita est, facit ipsum vniuersam esse vanitatem. Sed vir, qui in Christo est, ambulans in his vanitatib. pertrãsit: quia in vmbra, & in imagine, & in multis tumultuatur frustra. Ideo creatura renouata subiicitur huic vanitati non volens. Cur autem nõ velit non est obscurum: quia scilicet hæc vanitas non est ei conueniens, vt pote iam facto filio Dei. Quod si non est conueniens quodammodo violenta est; & durare non poterit: quia nullũ violentum perpetuum: mallet enim dissolui, & esse cum Christo. Et ne putetur malefactum talem creaturã nolentem subdi huic vanitati; subiungit: *Sed propter eum qui subiecit eam in spe.* Hoc est: etsi simpliciter æquum non sit, vt tot vanitatib. subdatur creatura Dei; tamen si res tota exacte consideretur, non est iniquum, sed rationi consonum: hoc enim sic ordinatũ est, propter eum qui subiecit eã in spe, hoc est propter Christum, eo quod nos ipsum etiã adegimus, vt quod erat in re, fieret in spe. Gloriam enim suam per passiones obtinuit & lucratus est; sic etiã nos sumus in his passionibus, vt Christum imitemur, veterem hominem crucifigamus, maius meritũ nobis cõparemus, ac deniq; vt submissius, ac modestius de nobis sentiamus, magisq; dæmonem his armis confundamus. Certum est enim, tribulationes, quas iusti patiuntur ob hanc vanitatem, cedere in eorũ bonũ & spem nostram fouere, ac nutrire; & hoc ad

Quam verum sit omnem creaturam, etiã non volentem, vanitati esse subiectam.

Quod etiã homo iustus vanitati subiaceat.

Salomonis atque Dauidis, pro hac veritate clarissima testimonia

Psal. 38. Eccl. 1.

Dauidis substantia quænam, eaque cur esset apud Deum.

Quare nõ volens (scilicet iust⁹) subiecta sit eiusmodi creatura.

Philip. 1.

Explicatur hoc: Sed propter eum qui subiecit eam in spe.

Luc. 24.

Quam vtilis iusto propter Christum hæc subiectio vanitati.

Cur nam creaturæ passiones, & vanitati subiectio extra Christ-

Christum fiut omnino inutiles & vanæ.

differentiam eorum, qui patiuntur extra Christum, in quibus nulla est spes, aut expectatio futurorum bonorum, & perpetiuntur pœnas, quasi arrham gehennæ, vt possint iusto Dei iudicio deteriora expectare. Fuit ergo conueniens ista subiectio vanitati, quam iusti patiuntur non in perpetuum, sed ad tempus: & ob eam caussam certa est nostra expectatio: *Quia*, vt subdit, *& ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis*. Expende vocem, in spe, vel sub spe, iungendam cō sequentibus in spe, videlicet quod & ipsa creatura, &c. Deinde expende copulam, Et, vt sit sensus, Sicut ipsius creaturæ Creator Christus liberatus est à seruitute corruptionis, cui subiecerat illum Deus Pater propter ipsam creaturam, quæ ad eius similitudinē ab eo subiecta est vanitati, sub spe, quod etiā ad eius similitudinem liberabitur à seruitute corruptionis, & mortalitatis, & euehetur in libertatem gloriæ filiorum Dei, propter quos vniuersa mundi machina fabricata est & sicut est libertas arbitrii naturalis qua homo liber est ab omni coactione, & violentia: est & alia Euangelica libertas, qua homo liber est à seruitute peccati, & dæmonis quia nunc iusti potiuntur: ita erit & libertas à morte, & quacunque miseria, quæ in præmium iustis seruata est, & de qua hic est sermo.

Christus cur fuerit subiectus à Patre seruituti corruptionis, tandem ab illa liberatus.

Duplex hominis iusti libertas: tādē à qua liberabitur seruitute corruptionis.

¶ Quo autem facilius credamus nos ab illa vanitate liberandos; protinus subdit: *Scimus enim, quòd omnis* (hoc est tota vel vniuersa) *creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc*. Græca significantius, & clarius habent συστενάζει & συνωδίνει, id est congemiscit, & comparturit, videlicet simul cum creatura Dei, qui est homo genitus in Christo, qui suos gemitus effundit in hac vanitate, & necessitate corruptionis. Et Hieron. in c. 24. Esaiæ ita legit, vt Græce annotauimus haberi, imo etiam ita Augustinus, & alii. Sed ad rem nihil vanius esset visibili creatura, si cœli, & eorum motiones essent solummodo propter ista inferiora, vt scilicet nascantur, & moriantur, voluanturque sic res in æternum; quod est puerorum ludo simile, & ideo à Dei sapientia alienum. Et homo, cuius gratia cuncta sunt, miserrimus esset omnium creaturarum; & illi maxime, qui sunt ante omnes in ipso Christo, & Christum arctiori vitæ puritate consectantur, vt ipsemet Apostolus dixit 1. Corinth. 15. Hæc autem vanitas, & corruptio obuenit homini propter Adæ peccatum: dignus enim fuit, vt omnis creatura post illum multo magis in vanitatem, & corruptionem veniret; & longe compositius se mundus habuisset in reliqua creatura, si homo in sua Innocentia, in qua conditus fuit, permansisset, etiamsi modus nobis ignotus sit.

Hiero to 5. Aug. in ep. ad Rom. proposit. 53. & l. 83. q. q. 67.

Cœlestis creatura terrestri si tantummodo deseruiret quam vana.

1. Cor. 15.

Cur homo vanitatem, & corruptionem hanc seruitutis inciderit.

Gen. 1. & seq.

Ne quis igitur existimaret, hunc gemitum iustorum innaturalem esse, & ex errore naturæ; asserit illum vniuersalem omni creaturæ. Nam cuncta tandem creatura à se excutiet vanitatem, ita vt futuri sint cœli noui, & terra noua, & nihil vlterius aut orietur, aut occidet, sed quælibet suo modo seruiet Deo in perpetuum. Nam & impii, atque iniusti habebunt suas parturitiones, non à gemitu vllo, à quo abhorruerunt; sed risu, quem elegerunt: vnde & ipsi ab ista corruptione liberabuntur, & quodammodo innouabuntur, sed in deterius: & quod parturierunt fœto risu, parient sibi videlicet extremum fletum perpetuo duraturum, iuxta illud; *Væ vobis, qui ridetis nunc: quoniam flebitis*. Ignorabant enim illud; *Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur*: & illud: *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent*. Pulchre autem per hunc gemitum afflictiones minime ex se expetendas significauit, & in parturitione effectum prolis desideratum denotauit: qua etiam metaphora vsus est Dominus, cum dixit Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et expende verbum, Vsque adhuc: id est, non tantum sub antiqua lege, quando & iustis dabatur aditus ad regnum sed & nunc etiam, & vsque ad vniuersale iudicium etiam, vbi semper patent fores regni cœlorum, & tantum data est arrha quietis in spe, præter Christum, & Deiparam Virginem, qui iam non tantum animo, sed & corpore beato in regni possessionem ingressi sunt. Et quatenus gemitus, & parturitio creaturis insensatis tribuitur, agnosce schema Prosopopœiæ, & etiam quatenus hominibus iustis tribuitur, qui instar parturientis se habent, dolores, & tribulationes patiendo, vel propter se, vel propter alios ad Christum reducendos, inter quos vnus erat ipse Paulus, qui dicebat Galatis: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. ¶ *Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum expectantes.* Vbi celsitudinem gloriæ per testimonium ab vniuersali desiderio creaturæ accersitum probasset, idem euincere contendit à desiderio excellentissimæ creaturæ inter corporeas. Ne quis enim putaret, Apostolum, & alios eius ordinis viros, qui erant maiores in Christo, minime sub hac vanitate comprehendi, tanquam excedentes conditionem creaturæ Dei: subiungit; Non solū autem. Et quod sequitur relatiuum, illa abūdat in Græco, etiā si claritatis gratia ab inter-

Apoc. 21. Esa. 60. 2. Pet. 3.

Quales gemitus, & partus futuri sint iniquorum.

Luc 6. Matth 5.

Ioan. 16.

Quid omnem creaturam ingemiscere & parturire vsque adhuc.

Ad 4. quæst.

Vt conuenienter omnis creatura etiam ratione, sensuque destituta nedū humana ingemiscere dicatur & comparturire.

Ad 5. quæst.

Hæc oratio Pauli: Non solū autem illa cum aliud non sequatur, quomodo supplenda.

Rom 5.

præ:e sit addita: quemadmodū c.5. dixit. *Non solum autē, sed & gloriamur in tribulationibus*, & supplendum est, Non solum gloriamur in spe, sed etiam in tribulationibus. Ita hoc loco: Non solum autem omnis alia creatura, etiam illa quę est in Christo secundum quandam communem gratiam, sed etiam de nobis ipsis id assero, qui primitias Spiritus habemus, vt per nos in alios effundatur. Nos enim gemimus, & more parturientium flemus in hac lacrymarum valle, filiorum Dei adoptionem, quæ nondum est consummata, expectantes. Quanquam Chrys. & Ambrosius pronomen, *Nos*, ad omnes Christianos referendum censeant: Et illud, *Non solū autem illa*, ad omnem creaturam, præter regeneratam. Melius autem, vt puto designantur Apostoli, qui Christianæ Ecclesiæ fuere primitiæ. Sunt porro primitiæ in frugibus, seu in arboribus primi fructus eiusdem speciei cum reliquis, pretio & tempore aliis præstantes: qui tam de area, quam de torculari dicari erant Deo in lege veteri, & Deo tanquam datori omnium offerendi. Vnde Paulus, quicquid est gratiæ primum in area spirituali Ecclesiæ, primitias appellat. Hinc ad Corint. Christum vocat, Primitias resurgentium; & domum Stephanę & Fortunati, & Achaici vocat primitias Achaiæ. c.16. prioris epist. ad Corin. & 2. Thess. 2. Apostolis tribuit hunc titulum: & Innocentibus, qui primi passi sunt pro Christo, Ecclesia applicat illud Apoc. 14. *Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo, & Agni*. Quia ergo Paulus primitias aperte vocat Apostolos; ideo Oecum. de Paulo hoc interpretatur, qui gustauerat dona Spiritus, & ascenderat vsque ad tertiū cœlum, & de aliis Apostolis, quibus primū Christus Fidei arcana reuelauit, & eos per se peculiariter elegit, vt irent, & fructum facerent. Et sicut primum posuit in Ecclesia Deus Apostolos, ita in illos copiosiora, & pretiosiora contulit Spiritus sancti dona, ita vt excedant omnes prophetas, martyres, virgines, confessores. Nec obstat, aliquos martyres extitisse, qui plura, aut sæuiora mortis supplicia perpessi sunt quam Apostoli. Sæuiora enim illi parati erant subire præter prædicationis exercitium, peregrinationes in distantissimas prouincias, sudores, vigilias in plantando Euangelio; quæ eximiæ illorum charitatis erant testimonia. Erant igitur Apostoli medii inter communem nouam creaturam, & maturos fruct⁹, id est beatos: vel primitiæ respectu decimarum, id est omnium eorum, qui denarium in gloria obtinebunt. Ipsi ergo intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectātes: quæ nondum consummata est, nec cōsummari potest in ęternum. Et vt Latine dicimus, vltum ardere vxorem cuius amore deperit; ita gemere adoptionem, est cum gemitu illam ardenti desiderio quærere, & illi inhiare. Et recte ait, *intra nos*, id est, nō extra, vt hypocritæ, sed interno pectoris gemitu, & suspirio, eo quod spes quæ differtur, affligat animam. Vnde illa vox eiusdem Apostoli; *Nō quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse*; & alibi: *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est, à vita.* Et hoc est habere adoptionem filiorum, adiūgendo per figuram Appositionis. *Redemptionem corporis nostri*: Sicut Matt. 15. Docentes doctrinas (per appositionem) mandata hominum; quia in Græco, non est, Et, coniunctio, quæ erit in extrema die, in qua liberi reddemur ab ista captiuitate mortis corruptione concupiscētię, & aliarū miseriarum, quæ in præsenti statu iustos circumstant,

B. Chrys. ser. 14. ante med.
Ambr. 10. 5.
Apostoli cur primitiæ Spiritus dicantur, & quid primitiæ.
Deut. 16.
1. Cor. 15.
1 Thes. 2.
Matt. 2.
Apoc. 14.
Oecu. c. 14. prope med.
2. Cor. 12.
Ioan. 15.
Ephes. 4.
Apostolos, etsi aliquot fuerint martyrib⁹ par eorum inferiores: charitate tamen patiendique pro Christo desiderio illis fuisse superiores.
Eorū prærogatiua.
Matth. 20.
Gemere adoptionē filiorū Dei, quid, & gemere intra nos ipsos.
Philip. 2.
2. Cor. 5.
Matt. 15.

DISPVTATIO XVIII.

In illa verba: *Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Similiter autem & Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, &c.*

IN Proposita sententia primo perscrutandum, quomodo præcedentibus verbis cohæreat. Deinde dubitandum quæ sit illa spes quæ videtur, & tamen non est spes: nā hoc implicare videtur: & à quo remouetur, cum dicitur, non est spes. Tertio, quomodo ignorare possumus quid sit in precatione à Deo petendum; cum Dominus nos de ratione precandi instituerit, dicens: *Vos autē sic orabitis, Pater noster, &c.* Quarto, inter veteres Doctores controuersum est, quis sit ille Spiritus qui postulat pro nobis gemitu inenarrabili. Nam Chrysost. cum aliis Græcis qui eū sectātur autoribus, Spiritū accipit pro anima spirituali, siue secudū Spiritū Dei viuēte, ob id maxime quod postulare dicatur pro nobis: & quia subdit: *Qui scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis*: quę verba sine tropo de Spiritu sancto intelligi nequeūt. At August. de Spiritu sancto non vno loco intelligenda esse existimat. Rursus alii, vt Sedulius ex Latinis, & ex Græcis Oecumenius, per Spiritū intelligunt precādi donum, de quo dixit Zacharias; *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalē Spiritum gratiæ, &*

I. dubitat.
II.
III.
Matt. 6.
IV.
Chrysost. serm. 14.
B. August.
Sedulius
Oecu. c. 13. ante med.
Zach. 12.

precam. Hæc autem opinionum diuerſitas ſenſum reddit implicitum, & ambiguum.

Ad 1. dub.

De modo connexionis propoſitæ ſententiæ cũ ſuperiori.

Primum facile eſt expedire: Quia enim dixerat nos Spiritu adoptionis eſſe imbutos, & certiſſimum hæreditatis ius conſecutos, deinde addiderat quod ipſi primores, ſiue Apoſtoli, adoptionem cum gemitu expectarent, videri poterat hæc non ſatis inter ſe conuenire. Reſpondet hæc nulla ratione pugnare, ſed mirifice inter ſe cohærere, & inuicem conſentire. Nam vt fides, eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, & argumẽtum non apparẽtium; ita Spes, eſt expectatio, & deſiderium rei abſentis. Ipſa igitur fides docet quid ſperare debeamus, & confirmat nos, vt futurorum bonorum ſpe per charitatem legis opera perficiamus. Spe ergo quæ ſolicitam expectationem, atque anxietatis cauſam habet, ſalui facti ſumus, vt alibi ait, Hęredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Cauſa autem inde accipi poteſt: quia in rem magnopere arduam ſpes tẽdit, id eſt Deum, nobiliſſimum finem ſupra naturam hominis conſtitutum. Et quia excedit naturam; ideo opus fuit, vt ſpes eſſet Dei donum: ſed quia non erat conueniẽs tantam felicitatem haberi ſine aliquo merito; idcirco interim debuit credi, vt abſconditum, debuit etiam expeti vt deſiderabile, ac ſperari vt ſumme arduum, ad quod tamen liceat pertingere expectatione ſolicita, ac multo gemitu. Non enim hæc tam ſublimia dona danda erant aut non credenti, aut non ſperanti, ſed vehementer, ac magnopere expetenti, & in multa patientia expectanti. Vnde Apoſtolus ad Hebræos ſcripſit: *Cupimus autem vnumquemq; veſtrum eandem oſtentare ſolicitudinem, ad expletionem ſpei vſq; in finem: vt non ſegnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide, & patientia hæreditabunt promiſſiones.* Quibus verbis egregie deſcribit vim, & naturam ſpei Theologicæ, qua æterna, & cœleſtia bona vehementi deſiderio cum fide, & patientia expectemus. Quia ergo ſpe, & non re ſalui facti ſumus, habemur ratio gemitus, & expectationis anxiæ in iuſtis, & viris Apoſtolicis, etiãſi chariſmatibus multis abundent. Quod vero non conueniat ſine gemitu, & patientia illa expectare; probat, dicendo: *Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat?* Quia ſpei meminerat, eius definitionẽ videtur ſubiungere. Et vtitur figura Metonymiæ, quæ plus ponderis præſefert, dum ſpem appellat obiectum ſperatum, ſicut & alias dixit: *Expectantes beatam ſpem, &c.* Et ad declarandam fidei cum ſpe connexionem, ſpem definit non ſolum eſſe rei abſentis, & inuiſibilis, verum etiam rei arduæ, obtentuque difficilis, quæ dignum eſt, vt per gemitum, & patientiam expectetur, quia quæ huiuſmodi ſunt, ſub ſpe includuntur. Spem ergo definit non tam per propriam, quam per fidei rationem. Eſt enim fides, intellectualis habitus eorum quæ non videntur; Spes autem habitus rationalis, tendens in ea quæ non poſſidentur. Apoſtolus ſiquidẽ, vt duarum illarum virtutum connexionem indicaret, ſpem definit per obiectum fidei: eſt enim fides argumentum non apparentium, ſiue eorum quæ non videntur: fidem vero definit per obiectũ ſpei: eſt enim ſpes de his bonis arduis quæ ſperantur; eſt autẽ fides, ſubſtantia rerum ſperandarum, vt ad Hebr. dixit: Idcirco ſpes quæ videtur, non eſt ſpes. Vbi videre, idem eſt quod tenere, poſſidere, & comprehendere: & vt viſione euacuatur fides, ita ſpes comprehenſione, quam viſionem vocat, aboletur.

Hebr. 11.

Fidei, & Spei definitio: earũdem virtutũ effectus.

Tit. 3.

Cur ſpe ſalui facti ſimus eadẽ cur ſit donum Dei.

Hæc ſpes quare non videtur.

Hebr. 11. Ratio ſpei à Paulo alio loco eleganter expreſſa.

Ad 2. dub. De ſpe quæ videtur, & non eſt ſpes: id quomodo non repugnet.

Tit. 2.

Qualem ſpei definitionem hic tradat Apoſtolus.

Hebr. 11.

Quid. Spẽ non videri.

1. Cor. 13.

Porro beatitudinem non aliter poſſidemus quam videndo. Poteſt quidem qui in agone contendit, brauium ſperare: quod ſi illud ob oculos poſitum non videat; non eſt propterea illius compos factus. Tamdiu ergo durat ſpes, quamdiu euidens non eſt rei aſſecutio. Quare Imperator dum videt victoriam à ſe ſtare, iam perit ſpes, & tranſit in gaudium: ideo in cœlo nullus eſt virtuti ſpei locus. Quare recte videndi verbo vſus eſt quia beatitudo videndo poſſidetur. At de reliquis premiis, quæ non ſolo viſu poſſidentur, congruentius diceretur; Spes quæ tenetur, non eſt ſpes. Quare quæ videntur, quomodo ſperari poſſunt, cum non ſint ardua, ſed temporaria; quæ autem non videntur, æterna? Vnde idem Apoſtolus dixit alibi: *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporaria ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt:* ac proinde in hæc cadit ſpes propter ſui magnitudinem, quia naturę noſtrę menſuram longe excedunt. Sunt tamen propria ſpei, ad quam Apoſtolus alibi hortatur retinendam, ſicut anchoram animæ tutam, ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis, id eſt, vſque ad Dei viſionem: alludens, ni fallor, ad Sanctum Sanctorũ, quod velo diſtinctum erat à ſancto, & in eo Deus habitare credebatur, & ex propitiatorio fundere oracula. ¶ Vides ergo ſpem ad difficilia, & ardua ſua natura ferri. Vnde nec anima dicitur, quæ iam eſt beata, ſperare ſui corporis coniunctionem, teſte B. Thoma: iam enim videt hoc non vt arduum, ſed vt ſibi debitum apprehendit, nec poteſt ingemiſcere, aut parturire. At noſtra ſpes æternorum exſculpit à nobis deſiderium, ſuſpirium, expectationem, orationem,

Beatitudo in viſione conſiſtit. 1. Cor. 9.

De quibus proprie dicatur: Spes quæ tenetur, nõ quæ videtur, non eſt ſpes.

2. Cor. 4.

Hebr. 6. Spes incedens vſque ad interiora velaminis, quid Apoſtolo.

B. Th. 2. 2. q. 18. art. 2. ad 4. & 1. 2. p. 2.

Chriſtiana Spes, quæ requirat.

Matt. 6.

operum ſtudium, perſeuerantiam, atque patientiam, vt digni ſimus ea aliquando potiri. Quare nos poſtulamus: *Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum*: & ad ſanctiſſimam Deiparam fundentes preces, dicimus; *Ad te clamamus exules filij Euæ: ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle.* At hæretici de hac ſpe verbũ nullum, quia videlicet iam certo poſſident omnia, & ſola illis fides ſatis eſt, nec in ſpe præmii operari dignantur. Conficit igitur tale argumentum Apoſtolus; Spes eſt de his quę in præſenti non videntur, ſed in futuro expectantur; ſed nos ſumus ſalui facti ſpe, ſiue per ſpem; ergo expectamus in futurum ſalutis conſummationem. Et primo poſuit minorem propoſitionem, deinde adiunxit maiorem cum eius probatione, cum dixit: *Nam quod videt quis*, id eſt obtinet, *quid ſperat?* Id eſt, fruſtra ſperat, cum amplius difficile, & arduum deſinat eſſe. Et ex illis tertio infert concluſionem, dicendo: *Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus.* Spes igitur eſt patientiæ genitrix, quæ circa multa pericula, & difficilia verſatur: nec tantum eſt patientiæ mater, ſed etiam longanimitatis, quæ æquanimiter expectamus excelſum illud bonum, quod cum anxie percupimus, diutiſſime nobis protrahi videtur. Vnde Iacob. c. 5. ait: *Patientes eſtote fratres vſque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, & ſerotinum, &c.* Quare debile eſt argumentum Caietani, qui hanc Pauli illationem infirmat. Ait enim; *Si quis ſperat quod non videt, per patientiã expectat.* Et adfert exemplum ſtrenui ducis, qui non per patientiam ſperat victoriam, ſed per magnanimitatem, qua hoſtem ſuperat. ¶ Sed dici poſſet ad hanc rationem, ducem illum & patientia, & longanimitate opus habere ad tædium temporis deuorandum: tolerantia etiam ad perferendũ pondus, & pericula belli. Ita etiam in militia Chriſtiana etſi neceſſaria ſit magnanimitas, & fortitudo ad ſubeunda pericula, arduoſque conflictus, expectando pro Chriſto mortem: voce tamen patiẽtiæ Paulus complexus fuit magnanimitatem. ¶ *Similiter autem & Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* Ab hoc loco incipit Apoſtolus oſtendere qua ratione lex Spiritus vitæ liberatura ſit nos à lege mortis huius, id eſt, mortalitate in futuro ſeculo: & quomodo nobis adiumentum præſtet in præſenti vita inter hoſtes, & pericula, quæ nobis dum viuimus, imminent. Et quia primum inter bona opera noſtra debet eſſe oratio, & imploratio diuini auxilii; idcirco docet, Spiritum ſanctũ eſſe noſtrarum precum inſtructorem. Non ſolum enim merita nobis arrogare non debemus, cum Dei dona ſint, ſed etiam ipſam petitionem diuinæ opis, quæ videri poterat à nobis habere principium, in Spiritum ſanctum referri voluit, qui tum docendo, tum etiam ad preces excitando præuenit. His adde, quod cum ſuperius, quod ad rationem ſpei exigebatur, declarauerit, rem quæ ſperatur, eſſe arduam nobis, ac proinde inuiſibilem, & æternam, & Deum voluiſſe, vt aliquo merito illam obtineremus: exigit à nobis horum bonorum deſiderium, quę ſupra nos ſunt. Sed cum non poſſimus pro dignitate eiuſmodi bona expetere, nempe ſecundum ſui ipſorum excellentiam, nec etiam recte pro illis preces fundere: tunc enim recte petimus, quando illa expetimus quæ nobis nota ſunt, & tantum vere expetimus, quantum cognoſcimus: cum ergo ignoremus quod oramus, & petimus; videl. cœleſtem patriam, quam tamen nõ perfecte nouimus, ac proinde nec perfecte expetimus: adiicit Apoſtolus, quod huic defectui ſubuenit Spiritus ſanctus ſupplens pro nobis: quia adiuuat infirmitatem noſtram, vt poſtulet pro nobis gemitib⁹ inenarrabilibus.

Hæreticorum ſpes, fides eſt, & quare.

Qua ratione ſalutis cõſummationem nobis in futurum expectandam, Apoſtolus arguat.

Spes duo gignit, patientiam, & longanimitatem

Iacob. 5.

Per patientiam expectare hoc loco, eſt etiam per magnanimitatem expectare.

Quare Apoſtolus Spiritum ſanctum afferat docere nos precandi rationem.

Dona Dei nos recte quando petamus, eadem quantum expetamus

Pulchre autem ait, *Similiter & Spiritus*, id eſt, ſicut Spiritus ſanctus viuificaturus eſt mortalia noſtra corpora, & conteſtatur ſpiritui noſtro quod ſumus filii Dei: ita ipſe eſt qui nobiſcum clamat, & vt ita dicam, nobiſcum orat, vt obtineamus plenam adoptionem filiorum Dei. Nec enim nos ita fortes ſumus cum Deo, vt poſſimus illũ expugnare, & veluti de manu ſua hæc tam grandia dona eripere per conueniens rei deſideriũ, & congruum: ideirco ſuccurrit ille Spiritus bonus, qui ferebatur ſuper aquas, ſupplens per gemitus ſuos inenarrabiles, & inuiſibiles id quod nobis deeſt ad illa inenarrabilia, & inuiſibilia bona aſſequenda. Et recte ait, Adiuuat: quia lex Spiritus vitæ non tantũ iubet, vt vetus Moſis faciebat, ſed etiam adiuuat. Obſerua etiam cooperationem liberi noſtri arbitrii cum Spiritus diuini gratia; & ita fiunt paſſiones condignæ ad futurã gloriam. Et ait, infirmitatem, in ſingulari, & ita legit Orig. & Damaſc. li. 4. de orthod. fide. c. 23. & Ambroſ. ſimiliter legit, & interpretatur: Adiuuat infirmitatem orationis noſtrę. Etſi modo numero multitudinis legamus, infirmitates, quæ omnes ex carne deſcendunt, teſte Origene. Vnde Spiritus promptus eſt, caro autem infirma. Infirmitates ergo in operando, & in patiendo, & in cogitando, & in loquendo Infirmitates carnis, & ſpiritus, intellectus, & voluntatis. ¶ *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.*

Illud: Similiter & Spiritus, quid dignum habeat cõſideratione

Rom. 8.

Geneſ. 1.

Voces illæ: Adiuuat infirmitatem noſtram, ſingulæ ponderantur.

Rom. 8.

Orig. l. 7. in ep. ad Rom. c. 8. par. 2.

Damaſc.

Ambroſ. §. 4. ſub ini. tom. 5.

Origenes Ibidem.

Matth. 26.

Ad 3. dubi.

Propo-

Proponit ſubſidium quod Spiritus ſanctus præſtat: nam inſtruit mentes noſtras ad orandum. Quod ambiguum eſſe videtur: quia nouimus quid petendum ſit in oratione, nimirum: *Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat volũtas tua. Dimitte nobis debita noſtra, &c. Vnam petij à Domino, hanc requiram.* &, *Quærite primum regnum Dei*: &, *Quanto magis veſter pater qui in cœlis eſt, dabit bona petẽtibus ſe?* ¶ Modus .n. fundendi preces non eſt ignotus: quia Dominus docuit, vt clauſo cubiculo cordis noſtri deprecemur, & perſeueranter, de quo dixit; *Oportet ſemper orare, & non deficere*: & *pulſate, & aperietur vobis.* Ad hæc docuit in fide orare, dicens: Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & eueniẽt vobis: & Iacobus, Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. Ad hoc dubium reſpondet Caietanus, quod illud, Sicut oportet, iungendum eſt cum verbo, Neſcimus, vt ſit ſenſus: nõ ſicut oporteret, ſcimus, aut cognoſcim' quæ petenda ſunt, hoc eſt, Non plene nouimus quid Spiritus ſanctus in nobis latenter oret: vt Paulus errorem noſtrum non tenemur neſcientes quid debuimus à Deo petere, non reprehẽdat; ſed admoneat ſępe Spiritũ ſanctum intra nos precari multa quæ nos celat, gemitibus nobis ineffabilibus. ¶ Verum ſenſus hic profecto germanus eſſe non videtur, quia aperte ait, Spiritum iuuare infirmitatem noſtram: quæ eſt neſcire quid, aut quomodo ſit orandum. Aliter igitur B. Auguſt. epiſt. ad Probam, De orando Deum, & Ambroſius hoc loco, reſpondent: quod etſi homo nouerit in genere quid à Deo ſit poſtulandum, & quomodo; in particulari tamen tum propter noſtras ignorationes, tum etiam propter cupiditates ſæpe cõtingit hallucinari, vt neſciamus quid, aut quomodo petamus. Vt v.g. petimus ſanctificari nomen Dei, per aliquod noſtrum opus quod putam' ſanctum, & Deo gratum; at quia caret aut modi, aut temporis, aut loci circumſtantia, ſanctitate caret. Eſt enim via quæ videtur homini iuſta; nouiſſima aũt eius deducunt ad mortem. Obſecrabat Paulus ſi quomodo contingeret eum venire Romã in volũtate Dei; quod tamen illi protractum fuit. Petimus Panem noſtrũ quotidianum dari nobis; verum auaritia ſæpe corrumpit iudicium, vt nobis ſępe appareat neceſſarium, quod tamen eſt ſuperfluum, Vnde illud; *Diuitiæ cõſeruatæ in malum domini ſui.* Poſtulamus non induci in tentationem; cum interdum è re noſtra ſit tentari, quo ſuperbia noſtra deprimatur, vt Paulus de ſe teſtatur. Vnde Aug. tract. 6. in Ioan. & c. 6. epiſt. 121. ad Probam, ait, nonnunquam nos

Matt. 6. Pſal. 26.
Matt. 6. Infra 7.
Euangeliũ vbi doceat nos modũ orandi.
Supra 6.
Luc. 18. Matt. 7. Mar. 11. Iac. 1.
1. ſolutio Caietani, ſed parum idonea.
Altera longe præſtãtior.
Auguſt. ep. 121. tom. 6. Ambr. eod.
Bonarum petitionũ, quibus tamen error ſubeſſe poſſet, exempla nonnulla.
Matt. 6. Prou. 14.
Rom. 15.
Eccl. 5. Matt. 6.
2. Cor. 12. Aug. to. 9. in princ.

tum maxime exaudiri, quando quod petimus, non adipiſcimur. Etſi enim ad noſtrã voluntatem non exaudimur, ad ſalutem tamen noſtram exaudimur. Docet ergo Spiritus ſanctus modos illę vitæ, noſtræ inſtituẽdæ in hac via, & circa res medias, & indifferentes, ac potiſſimum circa labores, & moleſtias quæ nobis incognitæ ſunt, ſi conferant ad ſalutem noſtram, an non. ¶ Eſt etiam tertia alia ſolutio ſatis congrua, & germana. Loquitur enim hic Apoſtolus de iis, qui Spiritu Dei aguntur, & ſcientibus quid ſit petendum, cum anxie, & vehementer expectent adoptionem corporum, quod maxime eſt petendum, & deſiderio coniuncto cum gemitu, & feruore, quo eſt petendum. Adde, quod ſancti ipſi admoniti à Chriſto, ſciebant quid, & quomodo petere deberẽt, cum ipſi aliis modum orandi tradiderint. Nec etiam errauit Paulus, petens amoueri à ſe ſtimulum carnis. Et quanquam Chriſtus peteret à ſe amoueri calicem; non tamen vllus error fuit, quia Chriſtus repoſuit illud in Patris voluntate, dicendo; *Veruntamen nõ ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* At doctor Gentium non omnia ſimiliter repoſuit in voluntate Dei, ſicut Chriſtus. Præterea quorſum dictum eſt: *Spiritus coadiuuat infirmitatibus noſtris* (ita enim Gręca habẽt, *συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν*) ſed potius dicere debuiſſet, ſpiritus noſtri errorem in orãdo à Deo corrigi: nec ſimpliciter dicendum fuiſſet; Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ſed addendum erat quidnam ſit aliud quod poſtulat, vnde appareret erroris correptio. ¶ Quas ob cauſas hic forte planior eſt ſenſus, quod quia videbat Paulus in ſpe filiorum Dei contineri debitum orandi, & deſiderandi æternam gloriam, & quia agnoſcebat qui viderat arcana Dei, quantum ad deſiderii vehementiam, & orationis intenſionem faceret, noſſe quid ſit repoſitum in cœlis, Quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, & quod nemo nouit niſi qui accipit, quia nemo alacriter currit propter brauiũ quod ignorat, & nemo fortiter certat pro corona quam non vidit. Vnde & Dominus propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, cõfuſione contempta. Quia ergo à cœleſtiũ contemplatione abſtrahimur propter infirmitates, hinc fit, vt ob hanc ignorantiam, & corporis molem, quæ aggrauat animam, minus ardenter quam oportebat, aduentum regni Dei deſideremus, & minus frequenter petamus vt adueniat. Hos defectus ſupplet in nobis Spiritus ſanctus, coadiuuãs infirmitates noſtras. Quanquam verbum Græcũ *συναντιλαμβάνεται* quandã principalitatem,

Quomodo interdũ à Deo non exaudiri, tum maxime exaudiamur, ſecundum Auguſt.
Tertia ſolutio minime contẽnenda.
Sanctos vnde manifeſtum ſit recte orandi ſcientiam habuiſſe.
2. Cor. 12. Matt. 26.
Aliter Paulus ſtimulũ carnis, aliter Chriſt' calicem à Deo deprecantes, ſed fruſtra, nõ errarunt.
2. Cor. 12.
Eſa. 64. 1. Cor. 2.
2. Tim. 2.
Hebr. 12.
Quam Spiritus adiuuet noſtrã orandi infirmitatẽ.
Sap. 9.

litatem, seu superintendentiam in oratione designet: ita vt oratio nostra per illum perfecta exaudiatur à Patre, qui nouit corda, & quid Spiritus in e.s ex ftens pro eis desideret. Et hæc est virtus Spiritus sancti, qui tacite operatur in nobis supra quod petimus, & intelligimus. Quare addit: *Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gem tibus inenarrabilibus.* Ex quo loco Arriani, & Macedoniani colligebant, Spiritum sanctum esse creaturam: nam postulare nõ congruit Deo, nec Christo nisi ratione humanæ naturæ. Quibus respondendum est, ignorantiam troporum & schematum sæpe hæreticos dementasse, & in reprobos sensus impulisse. Nam si hoc argumentum validum, esset, conuinceret, Spiritum sanctum non solum non esse Deum, verum etiam miseram creaturam à cœlo exultantem: nam gemitus ex dolore procedit, & similia tribuuntur Deo Gen. 6. qui pœnituisse, & dolore cordis tactus esse intrinsecus describitur, & alibi; *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino.* Quare Chrysost. vt hunc scopulum euaderet, exponit nomine Spiritus accipiendam esse hominis animam, quę donum orandi accepit ab Spiritu sancto: Occumenius vero, pro dono, siue Spiritu precandi ab Spiritu sancto dato: de quo Zach. 12. *Effundam super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum.* Verum vt ad hoc postremum dubium respondeamus, durũ videtur, quod Apostolus in eadem clausula ambigue, & æquiuoce accipiat nomen Spiritus, cum supra de Spiritu sancto dixerit: *Similiter & Spiritus adiuuat.* Et quomodo essent gemit⁹ inenarrabiles, cum ab homine agnosci possint? Nemo enim nouit quę sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui in eo est. Et quomodo subditur, quod Deus nouit quid postulet Spiritus pro sanctis: vbi Spiritus distinguitur à sanctis, qui Spiritu suo constãt, & à donis suis distinguuntur. ¶ Verum hæ tres expositiones, quæ ex varia ratione intelligendi vocem Spiritus accipiuntur, re ipsa tamen inuicem consentire vidẽtur: quamquam præter illa Augustini intelligentia de Spiritu sancto, quam sequitur tract. 6. in Euangelium Ioannis, & super canonicam eiusdem, & epistola dicta 121. cap. 14. Tum quia regula est Hieron. & August. quam videntur accepisse à B. Didymo lib. 3. de Spir. sancto: quod vbi absolute ponitur Spiritus in Scripturis, de Spiritu sancto est accipiendum, & in bonam partem: Vbicunque enim, ait, in Sacris literis Spiritus cum articulo ponitur, semper pro Spiritu sancto accipitur: at hic articulus ponitur. Idem etiam probat, quia illius est corroborare infirmitatẽ nostram in orando, non aũt Spiritus creati. Quare dicitur Spiritus pro nobis postulare illo tropo noto, quod faciat nos postulãtes: & gemere, eo quod per nos edat gemitus ineffabiles, quibus Deum promereamur. Et illud: *Nunc cognoui quod timeas Dominum*, id est, cognoscere feci tam tibi, quam aliis, fidem & obedientiam tuam. Ita ad Gal. 4. dicitur misisse Spiritum Filii sui clamantem, pro, clamare nos facientem. Et alibi, *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu*, id est, victores, & triũphantes nos facit. Dicitur Spiritus loqui in nobis quia ille est præcipuus verbi autor. Ita de eodem accipe dictum, quod arguet mundũ de peccato, Testimonium perhibebit de Christo, clarificabit Christum; quia reddidit Apostolos arguentes mundum, & testimonium perhibentes de Christi mysteriis, & clarificantes linguis, & signis Dominus. Eadem denique loquendi ratione dictum est in libro Sapientiæ: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*: quod nimirum Spiritus sanctus, qui olim locutus est per Prophetas, nimirum recte & obscure, & quasi per ænigmata, idem postea plane, & aperte per Apostolos sit locutus. Atq; hæc est ratio, cur dicatur Spiritus sapiẽtiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & Spiritus timoris Domini: quod eorum donorum sit autor, & illa nobis infundat. Et ita ab Apostolo dicitur Spiritus prophetiæ, iuxta illud; *Spiritus prophetarũ prophetis subiecti sunt*: & Spiritus fidei; *Habentes*, inquit, *eundem Spiritum fidei*: & à Zacharia, *Spiritus gratiæ, & precum*: quod donum gratiæ, & recte precandi conferat. Neque profecto de infinitate, & immensitate Spiritus aliter quã per tropos, & metaphoras loqui possumus. Nam metaphoricum est illud: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, siue volitabat; siue incubabat. Denique à Propheta dicitur effundi, ad eius largitatẽ designandam.

Quod vero alii duo sensus cum isto in vnum, & idem recidant, ex eo ostenditur, quod cum sacri Theologi doceant ad opus bonum, & æternæ vitæ meritorium præter liberum arbitrium opus esse diuinæ gratiæ dono, in quo intelligimus non tantum ipsum diuinæ gratiæ donum cordibus infusum, & prætetea Dei, siue Spiritus sancti tanquam primæ causæ concursum, siue vt sic dicam, coefficientiam: profecto vere, & Catholice Spiritus pro quouis illorum trium exponi potest; & quocunque illorum alia duo non solum excludit, sed includit potius. Nam vt Deus ad naturales actiones

præter

Marginal notes (left): Sanct Spiritus efficacia. — *Ephes. 3.* — Ad 4. dub. Quis ille Spiritus pro nobis postulans gemitibus inenarrabilibus. — *Genes. 6.* — *Psal. 77.* — *Sensus Chr. serm. 14.* — *II. Oecum. c. 13.* — *Zach. 12.* — Tertius B. Augustini, pro sancto videlicet Spiritu. — *1. Cor. 2.* — Tres illi sensus quomodo cõueniant. — I. Ratio pro Augu. sententia. — *Hieron in Michaa ca. 2. lo. 6.*

Marginal notes (right): II. ratio ab exemplis Scripturæ. — *Gen. 22.* — *Gala. 4.* — *2. Cor. 2.* — *Matth. 10.* — *Ioan. 16.* — *Ioan. 14.* — *Sap. 1.* — *2. Pet. 1.* — *Esa. 11.* — *1. Cor. 14. & seq.* — *2. Cor. 4.* — *Zach. 12.* — Quædam inter alia de Spiritu sancto in Scripturis metaphorice dicta. — *Genes. 1.* — *Ioel. 2.* — *Ezech. 36.* — *Act. 2.* — Spiritum illum pro nobis postulantem, & Spiritũ sanctum, & animam precandi scientem, & simul hoc donũ precum commode significare. — *Rom. 5.*

[Left margin: Deũ Opt. Max. quẽadmodum ad opera naturæ proxime atq. remote, sic etiã ad opera naturæ, seu gratuita, præsertim illa superi⁹ dicta concurrere.]

præter formas rebus ipsis inditas, per quas suauiter creaturæ ad suas functiones mouentur, concurrit tanquam prima causa, sine qua nihil operaremur, ita vt verum sit, primam causam plus operari in effectis secundæ causæ, quam ipsam secundam: ad eũ plane modum Deus, præter formas, seu habitus diuinos, quibus suauiter cum creatura rationali ad præstanda opera gratuita per seipsum concurrit, ad omnes actus nostros, qui ex fide, & charitate oriuntur, tanquam prima, & supernaturalis causa, concurrit, & plus in illis actionibus Deus habet quam nos ipsi: vt propterea merito dictum sit à Propheta; *Domine, omnia opera nostra operatus es nobis*; & Apostolus; *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate*. At vero quoniam quæ tota Trinitas in beneficium hominis operari solet, per appropriationem quandam Spiritui sancto tribuuntur; hoc est, vt ille dicatur in nobis viuere, per nos loqui, & operari, & postulare, quia nobis adhæc diuina munera præstanda datus est, & à dono charitatis creatæ, & nobis infusæ nunquam separatus est: ita vt quicquid operis boni in nobis oriatur, verissime quoque à Spiritu sancto proficisci sit affirmandum.

[Left margin: Esa.26. Phil.2.]

[Left margin: Quænam actiones in nobis toti Trinitati communes, soli tamen sancto spiritui tribuantur in sacris literis.]

[Left margin: Chrysostomi Spiritum pro nobis postulantem, animum, seu spiritũ nostrum accipientis sententia confirmatur.]

¶ Quare Chrysostomus interpretans Spiritum, animum nostrum, non errauit: nam liberum arbitrium diuina Spiritus gratia informatum, animus est vere spiritualis, & sine Spiritu sancto peculiariter ad deprecationem mouente esse nequit. ¶ Quod vero Oecumenius per Spiritum accipit donum Dei spirituale, quo animus perfunditur, & ad rectè preces fundendas aduocatur; vera quoque est expositio. Sed vt illud donum inest animo nostro, siue libero arbitrio, ita ab eo Spiritus sanct⁹ doni autor non abest, qui per illud suauiter ad agendum mouet. Denique quod Augustinus interpretatus est, quod Spiritus postulat pro nobis, non excludit vel liberum arbitrium, per quod in nobis postulat iuxta tropum dictum: neque rursus excludit donum Spiritus sancti creati, quo tanquam instrumento quodam Spiritus sanctus nos adiuuat, consolatur, docet, & quocunque vult, agit. Et hic postremus sensus magis huic loco quadrat, quia illi magis congruit nomen Spiritus absolute, maxime cum articulo, & quia ipse magis per dona sua in nobis operatur, quam dona ipsa operentur. Vulgo etiam illum dicimus fecisse res nostras, qui nos aut consilio, aut ore adiuuit, vel imperio mouit.

[Left margin: Augustinũ quoque Spiritum interpretantem Spiritum sanctum pro nobis postulantem, & liberum arbitrium nõ negare, & donum orandi infusum asserere.]

[Left margin: Cur dicitur Spiritus interpella-]

Dixit autem potius, *interpellat*, quam interpellare facit; vt exprimeret, pluris faciẽda esse opera nostra à nobis, quatenus dona sunt Spiritus sancti, quam eo quod officia nostra sunt. Et non ait: Interpellat verbis prolixis, vel artificiosis; sed, gemitibus inenarrabilibus: id est, faciendo vt nos ex intimo pectore profectis, & nobis ipsis abscõditis gemitibus oremus: quia præstat cum humilitate, & animo contrito precari, quã velle in multiloquio exaudiri, sicut Ethnici decepti putabant se fore exaudiendos.

[Right margin: re, non aũt interpellãtes nos facere.]

[Right margin: Matt.6.]

Illa igitur optima, & bona Dei voluntas seipsam modo quodam ineffabili pro sua creatura interpellat, & velut mater à filio offensa seipsam interpellat pro filio quemadmodum etiam antequam res essent eductæ in suas naturas, dicitur Spiritus Dei ferri super aquas instar gallinæ incubantis, & fouentis oua: quod nihil aliud actius repræsentabat, quam quod Spiritus ineffabili modo tanquam eniti, & parere vellet creaturas, atque orare, & exorare seipsam, vt rerum fines, & perfectiones produceret.

[Right margin: Quomodo Spiritus sanctus videri possit seipsum pro nobis interpellare.]

[Right margin: Genes 1.]

Sequitur: *Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis*. Dixerat nos ignorare, quantum, & quale sit illud summum bonum, quod repositum est in cœlo, vt condignis desideriis, & precibus illud desiderare, & consequi valeamus: iam proponit Deum, qui non inquirendo, sed simplici prospectu scrutatur, id est, vsque ad primas causas omnia penetrando, & non solum petitiones, sed etiam radices earum, hoc est corda, eorum effectus, & euentus agnoscendo, quo id quod petimus, sit nobis casurum. Hic, inquam, qui Deus est, scit, & approbat, atq; exaudit ea, quæ spiritus in nobis desiderat, siue sensum Spiritus in nostræ orationis desiderio, & quid sit illud quod postulat: *Quia secundum Deum postulat pro sanctis*. Verbum Græcum ὅτι, potest verti, quia, vel quid. Et primo modo sensus est: Quia preces huiusmodi quantum ad effectum petendi, conformes sunt diuino beneplacito. Potest etiam verti. Scit quid desideret Spiritus pro sanctis, id est, pro iustificatis, quos inhabitat per gratiam, sicut in peccatoribus est, vt extrinsecus motor suggerens bona desideria, vt assequantur gratiam: quod Augustinus epistol. 105. ad Sixtum, declarauit, hunc locum edisserens. Ait enim, quod vnus, & idẽ Spiritus aliter adiuuat nondum inhabitãs, aliter habitans. Nam nondũ inhabitans adiuuat, vt sint fideles: inhabitans adiuuat iam fideles. Est autẽ Latinis postulare, vt docet Vlpianus, desiderium suum, vel amici sui apud eum qui iurisdictioni præest, exponere; & idem est quod aduocare, vt hic accipitur, quia ait: postulat pro sanctis. Hinc etiam intellectus illius loci Euangelici: *Quod-*

[Right margin: Quid Deũ scrutari corda, & scire, quid desideret spiritus.]

[Right margin: Pro quib. sanctis postulet Spiritus.]

[Right margin: B. Aug. interpret. & dimid. epi.]

cunque

Ioan.14. *Matt.7.*

cunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; &c, *Omnis qui petit, accipit,* explicari potest. Id enim in vniuersum verum est de eo, quod Spiritus sancti afflatu iusti postulant. Et idem est petere in nomine Christi, & in Spiritu Christi. ¶ Elucescit etiam Iacobi sententia, vt petamus confidenter, & sine hæsitatione: nam si id quod petimus, necessarium est ad salutem, & Spiritus sanctus hoc in nobis postulauerit, firmiter credendum est quod obtinebimus. At si forte hæsitemus an petitio sit ab Spiritu sancto, licet quoque hæsitare an simus quod petimus habituri.

Iacob 1. Illud: Postulet in fide, nihil hæsitans expeditur.

Salutares fidelium etiam pro seipsis, vel pro aliis petitiones interdum cur non exaudiat Deus.

Sed obiiciet aliquis, interdum à nobis peti, quod nouit Deus esse ad salutẽ nostram, nec tamẽ sæpe obtineri. Nam peccator petit resipiscentiam quam non obtinet, nec iustus, qui eam alteri mentis conuersionem deprecatur, quam tamen nõ impetrat. Respondeo, recte à sacris Theologis dictum, orationem quæ funditur ad Deum, & quæ effectu suo non fraudatur, illam tantum esse, qua petimus tantũ necessaria, & pro nobis pie, ac perseueranter. His enim conditionibus preces nostras ornantibus exorabilem se semper Deus præbere solet.

DISPVTATIO XIX.

In illa verba : *Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.*

I dubium. LOcus hic perobscurus est, & ad eius
maiorem explicationem primo quæritur, quorsum hæc Apostoli verba tendant,
aut quomodo cum superioribus consonẽt.
II. Deinde dubitatur, quomodo legendum sit,
III. *Omnia cooperantur*, an, Omnia cooperatur,
s. Deus, in bonum. Tertio, quomodo omnis cooperẽtur in bonum vocatis: an etiam peccata inter ea cõputanda sunt, quæ in bonum Sanctorum cedunt? at id absurdũ esse
IV. videtur, quia per se malum non cooperatur bono. Quarto; ambiguum est ad quem sit referendum illud propositum, quo sancti vocantur, an ad Dei propositum, vt quidam interpretantur; an ad hominũ propositum, vt Chrysost. & Ambros. explicant. Quinto, *Chrysost. Ambros.* V.
graue dubium est, quid sit præscire, & quid proprie significet: & quid etiam prædestinare, & an sint illa verba vnum & idem; & an præscientia sit causa prædestinationis, quemadmodum prędestinatio est causa vocationis, & vocatio iustificationis: Postremo, VI.
an expediat de prædestinatione verba facere, cum altissimum sit mysterium, & densissimis tenebris inuolutum, & variæ ac diuersæ tum veterum, tum recentiorum Patrum sententiæ existant.

Ad 1. dubi. Circa continuationẽ verborum.

Solutio primæ dubitationis fit, quod cum superi⁹ Apostolus fauorem Spiritus sancti, quem nobis in precib. fundendis impendit, explicasset, iam secundum, & nouũ munus subtexit, quo euẽtus, & casus qui iustis accidunt, & qui prædestinati sunt, Deus in eorũ benefi ium, & salutem cõuertit, de quo dixerat: Quia secundum Deum postulat pro sanctis. Et cum nos testauratos ad antiquũ statum esse docuerit: non tamen citra mortem, aut ignorantiam, aut alios concupiscẽtię defectus. Vnde & multa opus est patientia, etiamsi iusti in suis afflictis reb. non exaudiantur. Optimam iam adiungit consolationem, dũ ait: Omnia cooperari in bonum electorum Et in primis recte ait, *Scimus* nos Apostoli, & oẽs perfecti Scripturis instructi, quæ manifeste tradunt, omnia promouere salutẽ electorum: vt constat ex parabola zizaniorum, & tritici. Iuuant .n. hæretici fidem impugnãtes, vt qui probati sunt, teste Apostolo, manifesti fiant. Surgunt pseudoprophetę, & bonos, & à Deo missos veraces commendãt: tyrannorum persecutio probatio fuit Martyrum, & exaltatio: Philosophorum argumentationes fuerunt ad gloriam doctrinę piscatorum: Magicę artes diuinã Christi virtutem in sanctis Dei, & eorum miraculis impugnantes, tandem cessetũr, vt fateri cogerẽtur: Digitus Dei est hic. Dæmones persequentes Christi membra, coronas illorum fidei, & patientiæ fabricarunt. Scimus ergo, etiã experientia ipsa magistra, & vt spirituales qui diiudicant omnia, ac diuini consilii altissimas causas speculantur. Vnde Salomon dixit: *Qui tentatus nõ est, qualia scit?* & Apostolus, *Siue tribulamur, pro vestra exhortatione & salute: siue cõsolamur, pro vestra consolatione,* &c. Recte ergo dixit, Omnia, id est, etiam ista corruptio, & infirmitates; ita vt Paulus libẽter gloriaretur in illis, & in tribulationibus, & persecutionibus.

Matth.13. *1 Cor.11.*

Quam vere dictum sit, Deum diligentibus, omnia in bonum cooperari.

Exod 8. *1 Cor.2.* *Eccl.34.* *2.Cor.6.* *Infra 12.*

Ad 2. dubit. Legendũ ne sit: Omnia cooperantur, an omnia cooperatur, sc. Deus, in bonum.

Secundæ dubitationi respondetur, quia Græca habẽt, *πάντα συνεργεῖ*, duplicẽ lectionem nos posse accipere, sicut etiam Græca duplicẽ sensum possunt efficere. Nam, Omnia, põt esse Nominandi casus, aut Accusan-

d. & rursus verbũ Cooperandi, potest verti pluraliter, cooperantur, & hęc Attice, aut in singulari, Cooperatur. Nostet interpres ergo vertit in priori sensu, alii noui interpretes, vt Faber, & Laurẽtius, in posteriori: & hæc lectio quadrat sententiæ, & contextui, & est sensus: Deus omnibus se diligentibus, omnia cooperatur in bonum. Vnde quadrat & sequentibus: *Nam quos præsciuit:* vbi sicut subintelligitur: Deus præsciuit, & Deus prædestinauit, ita & in superiori clausula supplendum. Quadrat & præcedentib. cum dicit; *Qui autem scrutatur, scit, &c.* Vbi etiam supplendum est, Deus, non Spiritus sanctus. Et declarat se cũ aliis nosse quid est hæc secundum Deum postulatio, nimirum quod Deus cooperatur omnia in bonũ. diligentib. eum. Et ita ponderat Theodoritus hoc loco: *Non cooperatur, ait, omnib. sed iis qui diligunt: & non simpliciter, ait, cooperatur, sed, cooperatur in bonũ.* Vtraq; lectio bona est, & Græci aliquando istam posteriorem nouerũt, & ni fallor, parum distat à priori, quam sequuntur Orig. Chryso. & Erasmus, Ambros. & Hier. quia non cooperantur in bonum, nisi cooperetur Deus nobiscum. Iuxta quam lectionem accipimus, quod vbi homines iusti facti sunt, cum Deo operantur per gratiam illud; *Abundantibus illis omnib. laboraui: non ego autẽ, sed gratia Dei mecum:* nam operamur nos, cooperatur Deus. Ideo dixit, non operatur, sed cooperatur: quia simul cum libero arbitrio coeffici ad bonum electorum. ¶ Ad tertiam difficultatem perpẽde B. August. libr. de correpr. & grat. c. 9. dixisse: *Talibus Deus diligentib. eum omnia cooperatur in bonum, vsque adeo prorsus omnia, vt etiamsi qui eorum deuiãt, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atq; doctiores.* Sic ille. Sed dubium surgit, an verbo, omnia, veniant etiam peccata. Et dicendũ est, in Scripturis non inueniri exemplum, eo quod peccatũ nihil est. Ideo cũ dixit: Omnia mihi licent, nõ est putandum, sub eo quod ait, *Omnia*, peccatum voluisse includere. Secũdo, quia peccatum non est in diligentibus Deum. Tertio, quia nõ cooperatur ex se, & suapte natura nisi in malum, & si quando per accidẽs seruiat bono, quod nõ est proprie cooperari, sed esse aliquo modo causam, & ita interpretandus est Augustin. Nam quod interdum peccata aliquid conferunt ad hominis cognitionẽ, & humiliationem, non tamen id habent ex se, sed ex Dei bonitate. Quod vero nostri seculi Hęretici prædestinatorũ peccata esse virtutes, & præscitorum virtutes, vitia esse affirmarũt: stolidissimum est, & indignum. prorsus quod vlla disputatione confutetur.

Faber Stapulen Lauren. Valla.
Posteriorẽ lectionem quæ confirment.
B. Theodo. pa. 2. init.
Vtriusque probabilitas lectionis.
Orig. to. 2. Ambr. to. 5. Hiero. to. 9.
1. Cor. 15.
Ad 3 dubi.
Aug. to. 7. prope fin.
Peccatum voce, Omnia, non nimi comprehendi, triplicit.
1 Cor. 10.
Hæreticorũ sensus huius loci plane intolerabilis.

¶ Venialia tamen peccata; quæ gratiam electis non eripiunt, magna nostra vtilitate à Deo relicta sunt, vt in eis erudiamur de nostra fragilitate, & submissius de nobis sentiamus. Lethifera vero peccata hominem reddũt humiliorem, & cautiorem, vt minus de viribus suis præsumat: vt exemplum Petri docet, qui confirmatus, vt dixit Dominus etiã fratrũ corda nutantia confirmauit: & B. Tho. duritia, & tarditas in credendo, omnẽ de pectorib. nostris duritiẽ credẽdi sustulit. Erasmo tamẽ magis probatur nostra lectio: nã omnia, siue prospera, siue aduersa, adiumẽto sunt iustis vt promoueantur in bonũ. Addit. *Diligentib. Deum*, Ex charitate.i. quæ fortis est vt mors, & flumina frequentia non obruẽt illam. Et licet potuisset dicere, dilectis à Deo, quia amor Dei est causa nostri erga illũ amoris, & quod omnia nobis bene cedant: tamen vt magis nos ad sui amorẽ pelliceret, diligentib. Deum dixit, quia illis adest sanctissima Trinitas, de qua; *Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum:* & iterum, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et vt calor naturalis in eo qui optima viget temperatura, quicquid alimẽti apponas, perfecte cõcoquit, & in bonum cõuertit sanguinem: ita qui Dei amore feruet, quicquid ei accidat, Dei munere in bonum eius vertitur, & ad præmium valet. Et subdit: *In bonum.* Non quod semper, aut ad maiorẽ, aut parem iustitię gradũ resurgant, quia id rarũ est, sed ad hoc, vt submissius de se sentiant in conscientia, & oculatius in futurum viuãt. Hinc dictum est. *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Id est, Iniquitas strenui militis Christi à peccato resurgẽtis cum maiori humilitate, & cautela, præstat mulieri benefacienti, id est, actioni hominis desidis, quę securum eum reddere solet, & negligentiorem. Ait deniq; in bonum, s. gloriæ Dei, quæ in præmium seruatur, de quo, *Mihi autẽ adhærere Deo bonum est.* Quia vero quandoque contingit, vt multæ tentationes dęmonis, vel carnis, vel prospera huius mundi, vel aduersã diligentes, Deũ deiiciant; addidit se non de omnibus loqui, sed de his qui secundum propositum vocati sunt sancti, hoc est electis, & prædestinatis. quib. omnino omnia prosunt. aliis vero nõ ita certo, & solide. Etsi vero Græci codices qui nunc extant, nõ habeant illud vocabulum, sancti, nec multi ex veteribus Patribus legerint, vt Origenes in interpretatione, Theophyl. nec August. sed tantum legatur: *Iis qui secundum propositum vocati sunt.* Interdum tamen illud habent, vt August. lib. 4. de doct. Christ c. 20. & lib. 2. Retract. ca. 31. sicut etiam Ambr. li. 6. Hexam. c. 8. sub initium,

Leuiora delicta, atque etiam grauiora quam adferant vtilitatẽ peccantibus.
Luc. 22.
Ioan. 20.
Cant. 8.
Diligentibus Deum, potius, quã Dilectis à Deo, cur omnia dicantur in bonum cooperari.
Ioan. 14.
Ibid. 23.
Diuini amoris in homine iusto qualis effectus sit.
In bonum, se diligentibus, Deus cooperatur dupliciter
Eccles. 42.
Psal. 72.
Quid illud Iis qui secundum propositũ vocati sunt sancti.
Orig. Theophyl. Aug. c. 3 subiens. Idem to. 1. prope init. Ambr. t. 4.

tium. Neq; quicquam derogat sensui Pauli, & alibi iungit vocationem cum sanctis, vt c. 1. *Vocatis sanctis*; id est, accersitis Dei gratia ad sanctitatem colendam. ¶ Iam dubium est quid est propositum, & quodnam sit illud propositum, de quo ait: *Iis qui secundũ propositum vocati sunt sancti*. Propositũ igitur nihil est aliud, quam quod statutum est mente; siue, vt in 2.2. docet Tho. actus voluntatis deliberatæ, siue deliberata voluntas, de quo Iurisconsulti dicunt: Propositum mẽte retentũ nihil operatur, id est, ad nihil obligat. Est aũt propositum in Scripturis commune homini, & Deo, de quo Apost. *Tu autem assecutus es meam doctrinã, institutionem, propositũ, fidem, &c.* Et Act. 11. hortabatur omnes in proposito cordis manere. Est etiam commune Deo, & significat firmam, & deliberatam Dei voluntatem: quodcunque enim Deus huiusmodi vocat, illud fit, quod vocatione vult fieri. Vocat enim non sanctos, qui tamen eius vocatione erunt sancti.

Ad 4. dub.

D Th. 2.2. q. 88. art. 1. in concl. to. 11. p. 1.

Propositũ tum Deo, tum homini conuenire, vsu Scripturæ.

2. Tim. 3.

Act. 11.

Deinde quæritur, quomodo hoc loco accipiendum sit. Nam Chryso. & Ambros. ad hominem referũt, siue ad propositum humanum, quasi diceret; Non satis est diuina vocatio, nisi etiã nostrum bonum propositum accesserit, id est assensus: nec. n. necessitate coacta, nec violenter facta est vocatio. Hæc est Chryso. expositio. Quam sequitur Cyrill. Ierosolym. catech. 1. in princ. *Liberalis*, inquit, *est Deus, & pronus ad beneficentiã: expectat tamen cuiuslibet propriã voluntatem. Propterea subiecit Apostolus: Secundum propositũ vocatis sanctis. Propositum cum adest proprium, vocatum te facit.* Hæc ille. ¶ Sed certe si Pauli epist. consulamus, ipsum propositũ ad Deũ referri solet: nam c. sequenti habet; *Vt secundum electionem propositum Dei maneret, Non ex operibus, sed ex vocãte, &c.* & c. 1. ad Ephes. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, &c. secundum propositum volũtatis suæ*, siue secundũ beneplacitum, vt alii vertũt; & 2. Tim. 1. *Vocauit vocatione sua sancta, non secundũ opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam.* Deinde iuxta Chrysostomi interpretationẽ, nullos iustos hoc loco Paulus excipere intenderet, quia omnib. adultis, etsi sint ex numero reproborum, necessarium est vocationi Dei assentiri: Paulus aũt quorundã videtur exceptionem facere, qui nõ sunt secundum propositum vocati. Ad hæc Orig. aperte intelligit de Dei proposito, dicẽs, illos iustos qui in timore seruili sunt, non esse de numero vocatorum secundum propositum, s. charitatis, sed illos tantum, in quib. perfecta charitas foras mittit timorem. Augustinus vero optime explicauit, tum libro expositionis quarũdam propositionum ex

Qua ratione ducti Chrys. & Ambr. propositum illud vocationis Sanctorum humanum intelligant.

Cyril. Iero.

I. Ratio in contrariũ.

Rom 9.

Ephes. 1.

2. Tim. 1.

II.

III. ex Origene.

1. Ioan 4.

Aug. to. 4. propo si. 10. 7 circa fin.

epist. ad Rom. nu. 55. Propositum Dei accipiendum est, non ipsorum: ipse autem exponit quid sit secundum propositum, cum dicit, Quoniam quos præsciuit & prędestinauit, &c. tum in lib. de corrept. & grat. ca. 7. & lib. de Prædestin. Sanct. c. 16. in princip. vbi docet duplicem esse Dei vocationẽ, alteram generalem secundum prę sentem cuiusq; iustitiam, qua vocati omnes sunt quot quot gratiam receperunt; ita vt Cain, & Iudam, & similes complectatur. Altera vero singularis est prædestinatorum, qui vocantur secundũ propositum firmum, ac fixum Dei perducentis eos ad gloriam: quia firma est vocatio, & sine pœnitentia, de qua; Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei; cum prior vocatio interdum non impleatur hominis vitio, vt ostendunt multæ parabolæ Euangelicæ, & præsertim illa Matth. 22. de vocatis ad nuptias, & illa Luc. 14. de vocatis ad cœnam magnam. Hinc illud; *Multi vocati, pauci vero electi*; id est, Pauci vocati secundum propositum, vt intelligit Aug. epist. 59. Et id, *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Hoc autem Dei propositum, quo vocantur electi, nomine voluntatis interdum designatur, de quo; *Consilium meum stabit, & omnis volũtas mea fiet.* Et Ioan. 6. *Hæc est volũtas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die*: & c. 18. *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* ¶ Hæ vero duæ vocationes nõ distinguũtur penes hoc, quod illa quæ est secũdum propositum, excludat bona opera nostra, altera vero illa præexigat: nulla. n. vocatio est propter opera, aut sanctitatem præcedentem. Omnes. n. ante vocationem peccatores sumus. Vnde Domin⁹ dixit; *Non veni vocare iustos; sed peccatores*: Et si cõmunis vocatio dici possit pendere ab assensu nostro, si volumus eam recipere, aut renuere, de qua Petrus dixit, *Satagite vt per bona opera certã vestram vocationem, & electionẽ faciatis*: quia à principio impediri potest, & postea etiam negligi. Non tamen propterea isti, quia sic vocantur, derelicti sunt quia Deus cum vocat illos ad cœnã, vel ad nuptias, nõ est illusor, aut mendax, aut tentator malorũ, vt vocet ea ratione homines, vt sic vocati decidant à vocatione, & sic grauius puniantur. At vocatio secundum propositum excellẽt est, firma, & efficax, & talis, vt illi liberum hominis arbitrium tanto dono Dei affectum nõ renuat. In quo liberum arbitriũ non læditur, sed magis statuitur, quãto magis à peccato declinat, & summo bono Christo vnitur: atque in eo magis simile redditur Deo vocãti, Angelis, & bea-

Idem ibi

Duplex vocatio Dei secundum Au Generalis & Partic.

Rom. 11.

Matth. 2

Luc. 14.

seq.

Matth. 2

Infra 22.

Idem to.

1. Ioan. 2.

Esai 46.

Ioan 6.

Neutram vocation ab operi nostris p dere, sed liberã e atque g tuitam.

Matt. 9.

Qua rati ne vocat Dei gen ralis à no bis depe deat.

2. Petr. 1.

Commu ter à Deo vocatos, impropri dici in massa pe ditionis relictos.

Luc. 14.

Matth.

Iacob. 1.

Quorum propria sit illa vocatio.

tis. Etsi semper asserendum sit tale vocatorum secundum propositum liberum arbitrium ex se, & ex sua natura consideratum, flexibile esse tam ad bonum, quam ad malum etiam postquam beati æterna vita perfruuntur. Tales fuerũt vocationes Apostolorũ, qui vno verbo Christi vocati, relictis omnibus secuti sunt eum. Talis & illa Apostoli Pauli, cui dictum est, *Durũ est tibi contra stimulum calcitrare.* Tales etiã extiterũt aliorum Sanctorum vocationes. ¶ *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratrib.*

Math 4. Infra 9.

Act 9

Apostoli, ostendentis diligentibus Deũ, secundum propositũ vocatis sanctis, in bonũ omnia cooperari, argumētatio qualis.

Probat omnia cooperari in bonum iis qui secundùm propositum Dei vocati sunt sancti: & per præscientiam explicat propositũ Dei, de quo egerat. Et vtitur tali ratione: Illis, quos Deus ad suam gloriã destinauit, ad quam eos gubernãdo promouet, nihil mali accidere potest, quod eorũ progressus impediat, sed omnia illis vertuntur in bonum: at Deus pro sua bonitate quosdã secundum suum propositum prędestinauit, & vocauit ad gloriam suam: nihil ergo mali potest accidere, quod nõ in bonum illis cooperetur. Quoniã vero maior propositio per se manifesta est, quam tamen inferius plurimis verbis amplificat, cum ait, *Quid ergo dicemus adhæc? Si Deus pro nobis, &c.* minorem propositionem probat.

Quid Præscientia electorum diuina secundũ Pelagianos.

Ex ambiguitate illius verbi Præsciendi, hoc loco ortæ sunt quæstiones, ac variæ interpretandi Paulum rationes. Primum Pelagiani hunc locum intellexerunt, vt præscientia sit idem quod præuidentia, siue æterna Dei scientia, qua pręuidit opera bona electorum; vt quos ab æterno præsciuit cõformes fieri imaginis filii sui, eosdem & in tempore prędestinauerit, & vocauerit, &c. In commentariolis in hanc epistolam, qui Hieronymi titulo circũferuntur, & reuera eius non sunt, sed Pelagii, aut alicuius Pelagiani, vt docti sentiunt, hæc verba habẽtur: *Prædestinare idẽ est quod præscire. Ergo quos præuidit conformes futuros in vita, voluit vt fierent cõformes in gloria.* Hæc ille. Et intellige, præscientiam esse causam prædestinationis, nõ quod ad actus Dei prædestinantis substantiam spectat (quidpe qui Deus est) sed quod ad effectum eius attinet: quod vtique verũ esset, si loqueretur de vltimo effectu prędestinationis, qui est vita æterna, cuius causa sunt opera bona, & merita iustorum, et ãsi Pelagiani non bona merita ex gratia prodeuntia, sed ex propria tantum natura constituerent: quod certe dogma falsissimum est, & ab Ecclesia Catholica proscriptum, & exibilatũ. ¶ At vero quod illa præuisio bonorum operum, nõ sit ratio, aut causa præ-

Hiero.to 9.

Bona opera præuisa

destinationis, ex multis aperte euincitur. Nam primo Apostol. cap. 1. ad Ephes. dixit: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ, vt essemus sancti, & immaculati:* quo in testimonio ostendit, electos ad fructus bonorum operum edendos esse prędestinatos, & non electos, quia pręsciuit nos tales fructus aliquãdo producturos fore. Ad quod etiam facit illud, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos:* & Iacob. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* In quæ verba Aug. lib. de Prædest. sanct. c. 17. in fine, ait: *Eligendo ergo facit diuites in fide, sicut hæredes regni. Recte quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat, eos elegit.* Deinde c. seq. ait Apostolus de Iacob & Esau, quod cum nondũ nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, non ex operibus sed ex vocante dictum est, Quia maior seruiet minori. Vbi non tãtum ad asserendum Dei gratiam, & electionem excludit opera, sed etiam præuisa opera; vt falsa proinde sit hæc opinio. Tertio, quia textus pręsens non ait: *Quos præsciuit facturos bonum, vel malum:* nec magis dicit de bonis, quã de malis: vt proinde addere videantur textui Apostolico, qui hęc supplent: & violentum est trahere verbũ *Præsciuit*, ad *Conformes fieri*, vt infra dicemus. Quarto, si ex operib. præuisis esset prædestinatio, iã priora essent ante Deum opera nostra, quam sit Dei prædestinatio: quare nec iam esset prædestinatio, sed post destinatio. Quinto, si hæc vera esset doctrina, vt homines ex præscientia suorũ meritorum prædestinati forẽt, iam gratia daretur ex meritis, quia prædestinatio summa, & prima gratia est: quod tamen rationi gratiæ valde repugnat, quia vt Apost. cap. 11. ait, *Si gratia; iam non ex operibus, alioquin gratia iã nõ est gratia:* Neq; certe Deus aliter daret præsentem gratiã, quam olim ab æterno dare disposuit. At nunc sine meritis dat gratiã; ergo ab æterno prędestinauit dare eã sine meritis. Quod aũt hoc loco Ambr. scribat: Istos quos præsciuit futuros sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa pręmia capessenda: & Orig. *In quib. inquit, sciuit quales essent, amorem suum Deus, affectumq; posuit:* Hæc inquã, & his similia quæ apud Patres leguntur, intelligẽda sunt quantum ad vltimum effectũ prædestinationis, qui est vita æterna, quã præcedunt merita. Nam vt vere, & cõmuniter dictum est: Prædestinauit Deus sine meritis, quos non saluat sine meritis. Alii deinde exponunt hunc locum hoc modo. Quos præsciuit cõformes futuros imaginis Filii sui, eosdem etiã prædestinauit. Sed eadem absurda hanc quæ præcedentem opinionem cõsequuntur: nec quadraret

non esse causam prædestinationis, contra Pelagianos. I. argum. ab Apostolo.

Ephes. 1.

Ioan. 15.

Iacob. 2.

Aug. to. 7. sub fin

II. argum. ab eodem.

Rom 9.

Genes. 25.

III. argum. item Apostoli.

IV argum. ab absurdis.

V. & vlt.

Rom 11.

Illud Sanctorum: Deus quos præsciuit futuros sibi deuotos ipsos elegit ad promissa præmia capessenda quo sensu dicatur.

Ambr. to 3.

Orige. to. 2.

dra:e: vllo modo quod sequitur; *Vt sit ipse primogenitus in multis fratrib.* Deniq; non causa efficiens, siue meritoria sunt opera prçuisa prçdestinationis, sed ipsius prçdestinationis finis est, conformem fieri Filio Dei, de qua ad Ephes. 1. testatur Apostol. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum.* Quare quod hic ait: & quod idem est, *Conformes fieri imaginis Filij sui*, verius, & iuxta mentem Apostoli per falsas glossas non detortam, coniungitur cũ verbo *prædestinauit*, quam cum verbo, *præsciuit.* Addit Caiet. hanc præscientiam nasci ex prædestinatione, ita vt illos quos præsciuit fieri conformes imagini filij sui, eosdẽ prius quam præsciret, prædefiniuerit, vel prædestinauerit, id est, certo & immobili ordinauerit diuinæ gloriæ participatione perfundere. Propterea non addidit, Quos præsciuit bene victuros naturalib. virib. liberi arbitrii, vel supernaturalibus gratiæ donis; ne prçscientia causa prçdestinationis existimetur. Sed & hæc etiam dura sunt, & violenta. Sicut enim prædestinatio causa ponitur vocationis, & vocatio iustificationis, ita etiam præscientia prçdestinationis. Et ideo qui sic interpretãtur, vim inferũt suaui, & germano literæ contextui. Tertio Aug. lib. de bono perseuer. hoc intelligit non de sciẽtia visionis rei iam factæ, & in oculo Dei æterno iam positæ, sed de scientia ideali, quæ causa rei est. Ait enim: *Ista igitur sua dona quibuscunque Deus donat, procul dubio donaturũ se esse præsciuit & in sua præscientia præparauit. Quos ergo prædestinauit, ipsos & vocauit vocatione illa, quã me sæpe commemorare non piget: de qua dictũ est, Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei.* Nam in sua, quæ falli, mutar que non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quicquã est nisi prædestinare. Idem etiam alib': *Deus, inquit, cui præscientia non accidẽs est, sed essentia fuit semper, & est, quicquid antequam fit, sic præscit, prædestinat, & propterea prædestinat, quia quale futurum sit, præscit. Ideo & Apostolus: Nam quos præsciuit: inquit, & prædestinauit. Sed non omne quod præsciuit, prædestinat: Mala.n tantum præscit, & non prædestinat. Bona vero & præscit, & prædestinat, Quod ergo bonum est, præscientia prædestinat: id est priusquam fit in re, præordinat. Hoc cũ ipso autore esse cœperit, vocat, ordinat, & disponit. Vnde & sequitur: Nam quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, illos & iustificauit, &c.* Sed hæc an Augustini sint, aliis iudicandum relinquo. Alii rursus intelligũt de simplicis visionis personarum præscientia, quas cum Deus in seipso antequam essent, videret, ad vitam prædestinauit. At vero cõtra hoc facit, quia pariter in seipso ab çterno vidit bonos & malos secundum scientiam simplicis visionis, atque hoc loco Apost. prædestinationi præscientiã adæquat, quia eosdẽ quos præsciuit, etiam prædestinauit, & tamen illa scientia etiam ad reprobos extenditur, qui tamen apud Schol. Doctor. Prçsciti vocantur, vt contra scientiã approbationis distinguantur. Ad hæc frustra præsciti illo modo destinarentur, quẽ iam essent in Dei mẽte, & cognitione assecuti. Secundum aũt illam scientiã idealem, oẽs etiam Deus vt eos bonos conderet præsciuit, nec tamen eos prædestinauit, sed paucos. Prçterea, si præscientia nihil est aliud quam præparatio beneficiorũ, à prçdestinatione Dei nõ differret: & idem esset dicere, *Quos præsciuit ac prædestinauit*, ac dicere, Quos prçdestinauit, hos & prçdestinauit. Eundem etiam errorem amplectebantur Galli, qui (teste Prospero libr. respons. ad c. Gallor. c. 15.) dicebant idem esse Prçscientiã, atque prçdestinationem: & idẽ in commentar. Hieron. paulo ante produximus. Quod certe hoc loco refellitur, quia aperta esset nugatio, & inutilis repetitio; ac si Paul' diceret: Quos præsciuit, hos & præsciuit; cum tamen prçscientia, vt cõmuniter sumitur, sit bonorum & malorum scientia, & actus intellectus: prædestinatio vero bonorũ est dunaxtar, & Saluandorũ, actusque voluntatis ¶ Negandum tamen non est, vocibus Præsciẽtiæ, & Vocationis idem significari quod nomine prædestinationis; vt in his locis: *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei*; &, *Electis aduenis, &c. secũdum præscientiã Dei Patris*: &, *Non repulit Deus plebem suam quã præsciuit*, id est prædestinauit, vel ipso Augu. teste in libro de bono perseuer. Non quod hæc tria vocabula nõ habeant distinctas significationes, sicut hoc loco distincte ponuntur, & vt distinctæ intelligẽdæ sunt, sed quod præscientia in eo significatu sumpta, qui infer' explicabitur, id est, dilectio, propria & immediata causa est prædestinationis, vocatio vero proximus & immediatus eius effectus, ita vt nemo mirari debeat, si per verbum causæ, & per verbum effectus prædestinatio significetur: nam causa continet in se effectum, sicut effectus prodit causam suam.

Postremo, alii ita interpretantur: Quos præsciuit, id est, Quos bonũ esse iuxta regulam suã iudicauit beare, hos prçdestinauit conformes fieri imaginis filii. Non solum n. Deus simplici intelligentia præsciuit quos prædestinat, sed etiam prius natura bonum esse eos prædestinare prçscit. Sed & hic sensus sua imbecillitate laborat. Nam in primis addit textui quod minime est addend. Deinde eiusmodi iudicium bonũ esse, aliquos beatos facere, voluntatẽ Dei præexigit, per

Ephes. 1.

Electorũ præscietiæ causam esse prædestinationẽ secundum Cajet.

Hoc eius dictũ improbatur.

III. sensus præsciẽtiç, de scientia videl. ideali rei non iam factæ, sed faciendæ.

B. Aug ca. 17. in pr. & c. 7 circa fin.

Rom. 11.

Aug li. 6. Hypognosti con. ...

IV. sententia, prædestinationẽ in præparatione meritorũ constituẽs, impugnatur.

I. argum.

II.

II.

Galli olim in qua fuerint heresi. B. Prosper.

Rom. 11.

1 Petr. 1.

Rom 11.

Aug. lib de bono perseuer. c. 18. ... 10. 7. circa fin.

Ratio eius rei redditur.

V. sentẽtia F. Dominici à Soto Quos prçsciuit, inquit, id est, Quos bonum esse iudicauit beare, &c. non probatur duplici ratione.

quam est quicquid est bonum. Prius ergo natura est hos prædestinari ad vitam, quam sit bonũ in mẽte diuina cognitio illos beandi. Et reuera in genere causæ efficientis prędestinatio causa est illius iudicii bonũ fore illos beatos reddere, etsi in genere causæ finalis pręcedat hoc iudicium prędestinationem.

Proprius atque germanus Scripturisque valde consentaneus verbi Præsciendi significat⁹ traditur.

¶ Remotis igitur his vt minus veris ac minus suauib. & legitimis interpretationibus, dicendum est, aliam esse significationẽ illius verbi Præsciendi, & quidem vsitatam in Sacris literis, quam quę communiter accipi consueuit. Est.n. præscire, siue prænoscere in Scripturis; diligere, & probare, & amare. Vnde & Græce verbũ προγινώσκειν nõ tantum est noscere, sed etiam decernere, & decreto approbare. Et ita hæc vox infra, hoc est cap. 11. tribuitur electis, cum ait: *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit.*

Rom. 11.

Aug capitis initio. Deum plebem suam (vt ait Paulus) præsciuisse, id est prædestinasse, necessario accipiendum, secũdum Aug.

Quod agnoscens August. li. de bono perseuerant. cap. 18 ait: *Vnde aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus; Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit. Hoc quod ait, præsciuit, nõ recte intelligitur, nisi prædestinauit, quod circumstantia ipsius locutionis ostendit: loquebatur enim de reliquijs Iudæorũ* (quas etiam Apostolus electionem vocat, dum ait: Electio autem cõsecuta est) *quæ saluæ factæ sunt, pereuntibus cæteris.* Ita etiam 2. Timoth. 2. dicitur: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc; Cognouit Dominus qui sunt eius.*

2. Tim. 2.

1. Petr. 1.

Ita B. Petrus in priori epistola vocat electos secundum præscientiam, seu præcognitionem Dei Patris; quoniam quos eligit, diligit, & ante alios diligit. Vnde & ibidẽ præscitum, id est, præcognitum vocat Dei Filium ante mundi constitutionem, quoniam ex. m. e ac pręomni creatura illum prædilexit, ac prætulit.

Hęc verba Scripturarum: scire, & nosse: Deinde Pręscire, & Prænosse: tertio. Nescire, & Nõ cognoscere: quid significent.

Atque ita scire, & nosse, diligere est, & probare; Præscire vero, & prænosse, prædiligere, & præ aliis magis probare. Quemadmodumè cõtrario Nescire, & Non cognoscere, Reprobare est, & odio habere: vt Matthæ. 25. dixit ad virgines imprudentes, *Nescio vos:* & Matthæ. 7. *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quia nunquam noui vos.* & Luc. 13. *Discedite à me, nescio vos vnde sitis.* Reprobi igitur iuxta Scripturas, potius Nesciti, & Ignorati vocãtur, iuxta illud, *Si quis ignorat, ignorabitur.*

Psal. 1.

1. Cor. 14.

Vulgus etiam ita loqui consueuit, de eo qui ruperit ius amicitiæ, Non me cognoscis? id est, Non me amas? Et Apostolus in eum sensum dixit, *Eum qui non nouerat peccatum,* id est, qui non probauerat, aut dilexerat. Et Esaias: *Tu enim pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos:* id est, non ostendit signa dilectionis, siue non fauit nobis. Vnde Sedulius vetus autor in hũc locũ: *Obseruet,* inquit, *qui studiosus est in Scripturis, sicubi inueniat Scripturam dicere, quod malos præscierit Deus, sicut in præsenti loco de bonis manifeste dicit, Quia quos præsciuit, prædestinauit conformes imaginis Filij Dei, de bonis tantum dici: cæteros vero non præscire, sed nescire dicitur Deus.* Hæc ille.

2. Cor. 5.

Esa. 63.

Sedu. in epi. ad Rom.

I. Ratio confirmationis traditi sensus à verbis Apostoli.

¶ Ex quibus dilucida, & plana redditur huius verbi significatio, & maxime consona præcedentibus: quia propositum, hoc est firmum diuinæ voluntatis beneplacitum, nihil aliud est quam ista prędilectio: & ista prædilectio causa vera est ipsius prædestinationis. Propterea.n. hunc, aut illũ prę ordinat, siue prædestinat ad gloriam; quia illum peculiari volũtate dilexit. Vnde & Petrus simili vsus locutione, dixit: *Electis aduenis secundum præscientiam Dei Patris, &c.*

1. Petr. 1.

Quod vero Scholastici Doctores aliter hanc vocẽ accipiãt pro his qui reprobi sunt ob pręuisa mala opera eorũ; id valde improprie & pręter Scripturarum sensum.

II. Ratiò, à consueta, imo fere perpetua Scripturarum verbi præsciẽdi, vbi Deo cũ adiunctis personis tribuitur acceptione.

Et quo magis in huius verbi sensu corroboreris, perpende quod vbi verbũ hoc, Pręscijt, vel προέγνω, de Deo dicitur, & adiungitur cũ personis, fere semper probationẽ, aut amorẽ significat, iuxta illud; *Nouit Dominus dies immaculatorum:* &, *Cognouit Dominus qui sunt eius;* &, *Cognosco oues meas, & cognoscũt me meæ;* id est, *Ego diligo oues meas,* quæ me mutuo diligũt. Et sequitur: *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animã meam pono pro ouib. meis.* Et Ierem. 1. *Priusquam te formarem in vtero, noui te:* & ad Mosen, *Teipsum noui ex nomine.* Et Dauid, *Iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius,* id est, non diliget, sicut alibi (hoc est Psal. 100.) dixit: *Declinantem à me malignum non cognoscebam.*

Psal. 36.
2. Tim. 2.
Ioan. 10.
Ierem. 1.
Exod 33.
Psal. 73.

In quæ verba August. *Quid est,* inquit, *non cognoscebam? Id est, Non approbabam, nõ laudabam, non mihi placebat. Cognoscere enim inuenimus in Scripturis aliquando dici pro eo quod est placere nobis.* Hæc ille.

August. in Psal. 100.

Amos 3. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ,* id est dilexi: alioqui omnes nouit, etiam reprobos.

Amos 3.

Et ad Gal. *Nunc autem cum cognoueritis Deum, imo cogniti sitis à Deo, &c.*

Gal. 4.

Et ita hoc loco de personis electorum loquens, ait, *Quos præsciuit.* Corroborat etiam hũc sensum, quod hæc significatio non omnino ignota fuerit Patribus, inter quos Origenes ita scribit: *Non secũdum communem vulgi opinionem putandum est bona, malaq́; præscire Deum, sed secundum Scripturæ sanctæ consuetudinẽ sentiendum est. Obseruet enim qui studiosus est in Scripturis, sicubi inuenit Scripturam dicere, quia malos præscierit Deus: sicut in præsenti loco de bonis manifeste dicit, Quia quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui. Nullus autem malus conformis potest esse imaginis Filij Dei. Manifestum enim est*

Quibus verbis Orig. eacẽ sententia confirmetur.

Orig. to. 2.

quia

quia de bonis tantum dicit, Præsciuit quos prædestinauit, conformes fieri imaginis Filij sui cæteros vero non modo præscire; sed nescire quidem dicitur Deus: nouit enim Deus eos qui sunt eius. Ad eos autem qui non sunt digni, vt sciantur à Deo, Saluator dicit: Discedite à me vos operarij iniquitatis, quia non cognoui vos. Hactenus ille. Ideo in præsenti loco constat, Apostolum secundum Scripturæ sacræ consuetudinem posuisse sermonem cognoscendi, vt illos ostenderet præcognitos à Deo, in quibus sciens quales essent, amorem suum Deus affectumque posuisset, secundum etiam illud quod scriptũ est: *Cognouit Dominus eos qui sunt eius.*

2.Tim.2.
Luc.13.

Et Caietan. hanc expositionem tanquam planam sequitur, ita vt sit sermo de scientia approbationis, quæ actus voluntatis est, nõ intellectus. Et probat ex eo quod superius dixerat; Qui autem scrutatur corda, scit (vel sciuit, vt in Græco habetur) quid desideret Spiritus: quod de scientia approbationis est intelligendum, licet ipse sensum alium profundiorem comminiscatur, non quidem in se falsum, sed minus congruentem, eo quod præscientiam bonorum operum doceat à prædestinatione oriri, non contra.

Caietan.

Quomodo Deus electos prędestinauerit.

Ioan.13.

Quos igitur prædilexit; eos & prædestinauit; id est, antequam videret eorum opera, amauit illos, non ad aliquod bonum temporale, sed ad supremum cœlestis gloriæ: nec ad tempus, sed vsque in finem dilexit eos: & prædestinauit, id est firma sua, & immobili prędeterminatione per certa media quasi serie quadam instituit, vt possent ad gloriam peruenire, ita vt essent conformes imaginis Filii sui, id est, ipsi Filio Dei, qui est perfecta Patris imago. Hæc vero electorũ ad hanc cum illo conformitatem prædestinatio, complectitur non solum conformitatem, quæ erit in patria, verum etiam illam quæ præuia debet esse in hac via. Quod tamen volunt hæretici intelligere, vt qui præ aliis secundum finem destinantur ad gloriam, etiam primo, & præ aliis secundum tempus destinentur ad laborum tolerantiã & mundi ignominiam: vt qui magis configurantur illi in angustiis, magis etiam conformentur in deliciis & gaudiis. Nam si fuerimus socii tribulationum, erimus & consolationum. *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ex quo elicimus, omnem nostram prædestinationem in Christi prædestinatione fundamẽtum habere. Nam præcedit natura, & ordinis ratione, etiam in ipso Deo nostram electionem: nam elegit nos in ipso, siue per ipsum, ante mundi constitutionem. Et Christus quidem secundum diuinitatem Vnigenitus est in sinu Patris absque fratrũ consortio: at secundum humanam naturam primogenitus est, quia Spiritum sanctitatis ex resurrectione mortuorum accepit, ita vt dicatur Primogenitus mortuorum, & Primitiæ dormientium, imo etiam Primogenitus omnis creaturæ. Et illud verbum: *Ego hodie genui te,* ita intelligit Apostolus: quoniam ipse est naturalis Filius, nos adoptiui per fidem: nec sumus admissi ad hæreditatem, donec ipse resurgeret. Vnde ipse hæres vniuersorum, nos cohæredes cum Christo fratre nostro primogenito, cui secundum morem priscũ debebatur hæreditas, ac proinde illi incumbebat alendi fratres suos. Quod mysterium adumbratum fuit in Isaac Iacob, & Ephraim, qui paterna benedictione primogenitus sunt præpositi. At vero Christus, quod attinet ad parentem suam beatam Deiparam, & primogenitus fuit, & vnigenitus. Et de his hactenus.

Electorum conformitatem imagini Filii Dei, non in gloriæ eius tantũ participatione, sed etiam in vitæ eiusdem imitatione consistere, contra Lutheranos.

2.Cor.1.

Ephes.1.
Ioan.1.

Qua ratione Christus & vnigenitus sit & primogenitus.

Rom 1.
Apoc.1.
1.Cor 15.
Coloss 1.
Ps 2.

Heb.1.
Rom.8.

Primogeniti olim hæredes erant.

Gen.22.
Infra 25.
Infra 48.

DISPVTATIO XX.

De nomine, & re ipsa Prædestinationis, & qui sint proprie, & dicantur Prædestinati.

De prædestinatione vtilius esse tacere, quã loqui vnde quidam se putent ostẽdere.

CVm Scriptum sit per Prophetiam: *Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus multa:* & per Salomonem recte dictum: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; &, Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria:* quidam idcirco vellet quæstionem de Prædestinatione perpetuo silentio sepeliri, quod instar labyrinthi cuiusdam inextricabilis, & sermone inexplicabilis videatur, vel quod scrutantes, ac de ea disputantes, eius profunditate timeant demergi, cum Apostolus in eius nodis dissoluendis ad abyssum diuinorum iudiciorum confugerit, clamans: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Sed cum hęc illorum sententia cum Scripturis aperte repugnet, quæ nos ad perscrutandas Sacras literas hortantur; & beati prædicantur qui scrutantur testimonia Dei; & commendantur qui Scripturarum panem paruulis petentibus frangunt, eorum sane opinioni acquiescere non possumus. Nam si quæstio hæc animos perturbaret credentium, aut scandalum per se pareret, non est verisimile, Apostolum Paulum de ea ad Romanos, & ad Ephesios egisse, & Patres veteres, ac recentiores tot de illa volumina conscripsisse. Adde, quod Sacræ literæ ipsarum scrutatoribus lumen, & quietem pollicentur, iuxta illud, *Declaratio sermonum tuorum illuminat; & intellectum dat paruulis*: & iterum, *Pax multa diligentibus legem tuam; & non est*

Psal 35.
Eccl 3.
Prou 25.

Rom 11.

Quam sit eiusmodi doctrina Scripturis, & rationi dissentanea.

Ps.118.
Threno. 4.

I. ratio cõfutationis, ab Apostoli exemplo manifesto, atque Doctorum.

II. ab illuminatione quam inquirentib. iudicia Dei Scripturæ suppeditãt.

Psal. 118. Ibid. 165. Ibid. 39. Psal. 144. 1. Cor. 2. Eccl. 24. Dan. 12.

illi scandalum:& in alio loco, *Iudicia tua iocunda*:& rursus, *Iustus Dominus in omnibus viis; & sanctus in omnibus operibus suis*: & Apostolus, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*: Item, *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt* Daniel quoque, *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Non capiunt nonnulli, quomodo posita certa, & ineuitabili prædestinatione liberum maneat arbitrium cum tam volubili inconstantia humanorum euentuum. Alii vero non penetrant diuinæ prædestinationis naturam,& ingenium:vt quemadmodum nullus eorum, qui in numero, & sorte electorum inueniuntur, perire potest : ita nemo eorum qui in eo gradu non sunt, possit euadere quin pereat, derelictus à Deo. Non capiunt etiam, quomodo in tali hominum parturitione, vt quidam prædestinentur, alij vero negligantur, & reprobentur, acceptionis personarum vitium nõ inueniatur. Caussa itẽ prædestinationis videtur hic sub nomine Præscientiæ ab Apostolo tradi; quam tamen August. & B. Thomas ab electis omnino auferendam esse, ex Apostolicis,& Propheticis testimoniis cõprobant. ¶Cum igitur hæc perplexa sint, & densis tenebris obsita, cogimur hoc magnũ Prædestinationis saxum voluere, & lucem explicationis, quam Dominus pro sua munificentia largitus fuerit, in eorum qui legerint, beneficium adferre: & quid nobis probabilius, aut Scripturis, & Patribus magis consonum esse videatur, aperire. Quo vero ea quæ dicturi sumus, distinctius disputationis lumen accipiant, agemus primum de voce,& re ipsa Prædestinationis, & qui sint proprie, qui electi,& prædestinati nominãtur: qui cum cadere à prædestinatione nequeant, non tamen propterea eos libero arbitrio esse destitutos docebimus. Deinde disputandum, an vllam caussam habeant particularem electi, ob quam à Deo prædestinentur. Tertio agendum de non prædestinatis, quomodo eorum querelis satisfiat.

Tam salubris cognitio veritatis de Prædestinatiõe, triplicem de ea difficultatem euacuabit.

Aug. multis in locis. Thom. non semel, sed pluries.

Quas partes habitura sit de Prędestinatione disputatio.

Vt igitur à primo sumamus exordium, verbum Græcum προορίζειν, siue prædestinare, vel ante destinare, nihil aliud est quam præfinire, vel prædisponere, siue præordinare, vel antedestinare mente rem aliquam, supra quam potest quis in aliquem finem, siue functionem. Ita enim Apostolus dixit; *Vnusquisque prout destinauit in corde suo*, id est in sua voluntate deliberauit,& disposuit. Ita vir coniugatus, antequam filios ex vxore suscipiat, si tres sibi contingant nati, antequam sibi nascantur, mente sua prius de illis disponit: vt primus prædestinetur ad studia capessenda, alter ad vitam aulicam colendam, tertius vero militari arti deputetur: at vbi postea nati illi sint, actu, & reipsa destinat eos ad eosdem fines à se præfixos, ac mẽte præstitutos. Et quia ordinare res ad suos fines adipiscendos, opus est diuinæ prouidentiæ, quæ ad omnes creaturas extenditur & præsertim ad eam, quæ ratione prædita est, propter quam cætera quæ sub aspectum cadunt, condidit; hinc elicimus, prædestinationem speciem esse, & partem diuinæ prouidentiæ, restrictam tamen ad creaturas rationales, præ quibus, vt ait Apostolus, nõ est Deo cura de bobus, restrictam etiam ad finem æternæ vitæ, cum alii ex hominibus ad regendum populos, alij ad prophetandũ & alij ad varias artes,& munera deputentur.

Quid sit proprie prędestinare.

2. Cor. 9.

Exemplũ prædestinationis in humanis.

Vnde manifestum fit, prædestinationem ad diuinam prouidentiam pertinere.

1. Cor. 9. Deut. 25.

Est igitur Prædestinatio, nihil aliud quã propositum, ac beneplacitũ Dei erga quosdam, quos & dirigere, & erigere in æternã salutem certo assequendam determinauit. At vero quia hic finis ad quem electi prædestinantur, à Paulo exprimitur his verbis, *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum : &, Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui*, id esset nobis accuratius explicandum, nisi præcedenti disputatione præstitum esset. Nam & ipse Christus quatenus homo est, prædestinatus fuit Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum; hoc est in decore, virtute, & gloria immortalitatis, quæ illum decebat, qui Deus natura erat, & quam habuit, ex quo à mortuis suscitatus est:& ad ea peruenit per viam crucis, vt ipse dixit; *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* In hac porro conformitate quantum fas est ad imaginem Filii Dei, consistit beatitudo nostra, qua Dilectus, Cum apparuerit, inquit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Idem etiam est adoptio filiorum, quod conformatio ad imaginem Filii Dei : nam adoptio, imitatio quædam est naturalis filiationis,& artificialis quædam filiatio. Verum quoniam beatitudo hæc vt brauium, & corona proponitur legitime certanti,& currenti; idcirco qui prædestinatur ad acquisitionem coronæ, prædestinatur & ad certamen :& qui deputatur ad brauium comparandum, consequẽter & ad cursum destinatur. Quamobrem in prædestinatione, quæ proprie respicit finem æternæ vitæ, cuncta adminicula,& subsidia comprehenduntur, sine quibus ad illam peruenire non potest. Atque hoc ad Christi Domini imitationem, qui dixit, *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis in mensa mea, in regno meo.* Et iterum vox eius in Apocalyp.

Quid prædestinatio.

Ephes. 1.

Rom. 1.

Philip. 2. Luc. 24.

Imagini Filii Dei conformitas electorum quid sit. 1. Ioan. 3.

Adoptio, & illa conformatio imaginis cur minime distinguantur. 2. Tim. 2.

Prædestinatio duo includit: Gratiam & gloriam.

Luc. 12.

Apoc. 3.

Qui vi-

Prædestinatio quid secundum Doctores.

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius. Hinc à sacris Doctoribus definitur: Prædestinatio, est præparatio gratiæ, & gloriæ.

Dictionem Præ (vnde Prædestinatio) cum temporis prioritatē significat, in homine tātum, & nō in Deo locum habere.

Iā dicamus quid illud, *Præ* significet. Etsi quidem de hominibus est sermo, qui seruos, aut filios, aut amicos ad aliquas functiones destinant, prioritatem temporis significat, etiam quando is qui destinaretur, non esset in rerum natura. At si de Deo disseramus, & acute rem inspiciamus, non dicitur respectu tēporis, eo quod Deus in æternitate sit, cum tempore non mensuretur quia etiam dicendum esset Præcreatio, Præelectio, Præuocatio, & Præiustificatio; cum omnes isti actus quatenus ad eum spectant, in Dei æternitate fiant, etiamsi quatenus in nobis hæc fiunt, nonnisi in tempore fiat eorum effectus.

Cum Deo tribuitur, primum quid significet.

Quare illud, *præ*, in his vocibus rectius referri posset ad vocationem, quæ sequitur prædestinationem. Nam vocatio non præcedit prædestinationem, sed sequitur illam, sicut vocationem consequitur iustificatio: quemadmodum glorificatio siue magnificatio, vt noster textus habet, subsequitur iustificationem. Quod ipse Paulus hoc loco videtur attigisse, cum ait: *Quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit, &c.* Perpende, Paulum de præterito dixisse, *prædestinauit, vocauit, & iustificauit, & magnificauit*, vt intelligas non ratione temporis dici prædestinationem, sed ratione ordinis, quem illi actus inter se habēt in mente diuina.

Rom. 8.

I. ratio ad probandū prædestinatorum salutem esse certissimā.

Quod vero hæc Prædestinatio certa sit, ex multis ostenditur. Primo quidem ex ipsa voce, quæ certam quandam Dei deliberationem, ac determinationem includit, volentis omnino prædestinatos consequi salutē. Et vt Apostolus ait, *Voluntati eius quis resistet? aut quis impediet eius opera, & consilia, cum omnia cooperentur in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti?* Et infra subdit: *Certus sum enim, quia neque mors, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo.*

Rom. 9.
Supra 8.
Ibid. 38.

II. ratio ab eius conditionibus requisitis.

Idem euincunt conditiones quas assignat prædestinatis: nam tales vocantur: vocati iustificantur iustificati magnificantur: qui autem tales sunt, impossibile est perire, quorum vocatio est sancta iuxta Paulum, & secundum propositum Dei relinquitur ergo alia vocatio, ad quam potest non sequi iustificatio: & alia iustificatio, quam potest non sequi magnificatio: hæc est enim sors prædestinatorum. Ab alia aūt vocatione & iustificatione multi excidunt.

III. ratio à verbis Apostoli.

Ad hæc vas electionis, & electorum typus, de se, & sui similibus exultans in Spiritu, & rem firmam, & certam considerans, contra quam nulla sit potestas, aut humana, aut diabolica ait: *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Hoc est: Si Deus est noster iustificator, & protector in finem vsque, quis nobis poterit nobis aduersari? Sicut scriptum est: *Stemus simul: quis est aduersarius meus?* Quis potest illi obiicere, Cur ita facis? Et subdit: *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat?* Id est, Quis arguet eos vel tanquam communis criminis participes, quod omnes in Adam peccauerunt; vel tāquam propriorum, & personalium peccatorum reos, quæ ipsi sua volūtate admiserūt? & respondet huic accusatori, quod Deus est pro electis, iustificās eos dono suæ iustitiæ, quo omnia peccata per Christi merita tolluntur. Et subdit: *Quis est qui cōdemnet?* Id est, Posita illorum iustificatione, & dato accusatore, quis erit iudex qui condemnet, cum omne iudicium Pater Christo dederit, qui mortuus est ad redimendos illos à peccatis, imo & qui resurrexit propter iustificationem eorum, vt faceret eos nouæ vitæ sectatores ad seruiendum Deo viuenti: qui etiam est ad dexteram Dei, vt possit quæcunque vult, & adiuuet, vt vidit eum Stephanus: Qui & assidue interpellat pro illis ad Patrem, vt si quid peccauerint, remittat: & denique vt ostendat nullum horum posse excidere; concludit: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia, &c.* Vbi concludit, stare ab eorum parte qui sunt electi, victoriam Et paulo ante dixerat: *Qui etiā proprio Filio suo nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Pro omnibus, inquit id est non tantum pro prædestinatis, primo tamen pro illis. Vnde Christus in benedictione sanguinis dixit: Qui pro vobis, & pro multis effundetur, id est non tantum pro discipulis prædestinatis, sed pro multis, designans multitudinem non numeratam. Iudas autem, cum illa verba dixit Christus, aut iam abierat, vt nonnulli Patres sentiunt: aut si interfuit, illum iam exceperat Dn̄s, & ad eum sermo eius non pertinebat, cum dixit: *Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim.* Dilectus quoque idem sensisse videtur, cum dixit: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (scilicet electorum, qui subtracti erant de mundo, vt non cum mundo numerentur) *non pro nostris autem tantum, sed etiā pro totius mundi*, id est pro non electis, qui nomine mūdi veniunt. Et subdit Apostol. *Quomodo non etiam cū illo omnia nobis donauit?* Id est, Quod donum excogitabile, & ad salutem nostram faciens non dedit? etiam illud præclarum perseuerantiæ munus, si non omnibus, saltem electis. Et ratio magna non deest: quia si Christus datus est ad mortem

Esai. 50.
Iob. 11.
Sap. 12.
Rom. 5.

Quomodo Deus sit cum electis, & prædestinatis.

Ioan. 5.
Rom. 4.
Heb. 9.

Expenditur illud: Hic est sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur, &c.
Matt. 26

Id Iuda præsente vt verum fuerit.

Ioan. 13.
1. Ioan. 2.
Ioan. 15.

Huius sententiæ: Quomodo etiam non cum illo omnia nobis donauit egregia ponderatio.

tem, ne ipsa Ecclesia eius Sponsa periret, aut vt quæ perierat, excitetur: ergo ipsi Ecclesiæ multo magis data sunt dona cum Christo, & præcipue Spiritus ille sanctitatis, à quo non fit casus. Siquidem longe probabilius est, quod donet ea, quæ non auferunt ei quicquam, quam quod suam vitam effundat, ne alii pereant. Hoc fecit Dominus: ergo & illud. Omnia ergo excogitabilia dona, saltem electis data sunt: etsi dici queat omnibus esse donata, quæ ad omnium amicorum profectum conducunt: quia per illos alii saluantur. Propter communicationem enim Sanctorum, quod vni ex membris, aut pluribus datur, omnibus datum videtur: Et reuera si iste electorum gradus ex Dei prouidentia in Ecclesia non esset, profecto in corpore Christi mystico aliquis defectus esset, aut aliquid quod in eo desiderari posset, inueniretur. Quarto, hanc certam prædestinatorum electionem ostendit Dilectus, cum ait: *Ex nobis prodierunt* (id est ex nostra doctrina instructi receperunt Euangelium, & Christum professi in lucem venerunt) *sed non erant ex nobis*. id est non erant numero electorum computari. Et à signo certissimo probat: *Nam si fuissent, ex nobis, permansissent vtique nobiscum*. Simile est illud Euangelii: *Ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi*; vt indicet Dominus certissimam electorum salutem. Quinto dixit Dominus apud Ioan. de pastore, hoc est de se, quod vocat eas nominatim, & cognoscit eas, & cognoscunt eum, & vocem eius audiunt: alienum autem non sequuntur, quia non nouerunt vocem alienorum: & non rapiet eas quisquam de manu eius: quæ de electis, & prædestinatis intelligenda sunt; nam de aliis ouibus ait: *Venit lupus, & rapit, & dispergit oues*. Sexto, aperte B. August. multis in locis, & Thom. 1. part. & omnis fere Theologorum schola (dum docet, prædestinatum in sensu composito perire non posse) non effectuum prædestinationis certitudinem ponunt: qua stante remanet dubitatio, quomodo cum salutis nostræ certitudine maneat liberum arbitrium: quia certa gloriæ adeptio requirit certã perseuerantiam: hæc perseuerantia certa merita, & certum gratię bonum vsum: & hæc merita certam requirunt collationem gratiæ: quod tñ aduersari videtur hominis libertati. Alii vero non intelligentes, quid ad hæc dici posset, putarũt esse inexplicabile, quod ipsi nesciebãt resoluere, & vt Fidei articulum, etiamsi non capiatur, esse recipiendum tradiderunt: quanquam in ea re Philosophi modestius de quadratura circuli locuti sunt, asserentes illam sciri posse, nõdum tamen scitam. Alii vero,

IV. ratio.

1. Ioan. 2.

Quid illud Ioannis: Ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis.

Matt. 24.

V. ratio à Christi doctrina.

Ioan. 10.

VI ratio à communi Doctorum consensu.

B. August.

B. Tho. 1. p. q. 23. art. 6. to 19. & alibi.

II. opinio, parum probabilis.

III. Lutheranorum damnabilis, & impia.

vt Lutherani liberum arbitrium sustulerũt & Deũ omnia in nobis operari, siue bona, siue mala, dogmatizarunt: quod stultitiæ plenum est commentum. Alii rursus asseruerunt, certitudinem prædestinationis à præscientia meritorum, ac bonorum operum prouenire, non autem à prædestinatione solum ab ea præscientia. Nam cum Deus velit oẽs homines saluos fieri, & illis de gratia, & adminiculis ad salutem prospexerit, vidit eos qui gratiam essent accepturi, suo libero arbitrio; & illa bene vsuros; & ideo illos immobiliter prædestinauit, vt non queant excidere. Reliquos similiter, quos volebat saluos fieri, & quibus subsidia, & media salutis præparauerat, sui libertate arbitrii non bene vsuros, reprobauit: & sic dixerunt defendi liberum arbitrium, & in eum sensum dixisse Apostolum: *Quos præsciuit, & prædestinauit*. Vnde August. definit Prædestinationem esse Beneficiorum, & præparationem beneficiorum Dei.

IV. fere Pelagianica.

1. Tim. 2.

Caussa reprobationis quæ nã.

B. Aug. l. de Prædest. Sanct. c. 14. to. 7.

Quod vero liberum arbitrium cum hac certitudine salutis, & bono vsu gratiæ stare possit, non est difficile ostendere. Nam non solum per illam non tollitur, sed statuitur, & perficitur liberum arbitrium. Nam etsi daremus ablatam potentiam peccandi, falso vulgus putat liberum arbitrium nõ esse, vbi non sit facultas ad malum, sicut & ad bonum, sicut expresse, & plane testantur Augustin. & Bernard. & Anselmus, qui lib. de lib. arb. c. 1. asserit, posse peccare, nõ esse partem liberi arbitrii. Nam id quod additum minuit libertatem, ablatum vero illam auget, nec libertas est, nec pars libertatis. Ad hæc, vt definitio animalis debet conuenire omni animali secundum nomen animalis; ita liberi arbitrii definitio debet conuenire omni libero arbitrio, siue Dei, siue Angeli, siue hominis, siue dæmonis; at constat in Deo & Angelis peccare non posse: non ergo posse peccare, libertas est, aut pars libertatis: quod etiam cap. 2. confirmat. Idem docet & Richard. de S. Victore: quia cum liberum arbitrium summa sit hominis dignitas si ad eius essentiam spectaret, posse peccare, iam tantam dignitatem non solum à beatis & Angelis qui peccare nequeunt, imo ab ipso Deo, qui in malum nihil potest, adimeremus: quod tamen falsum est. Deinde non est potentiæ liberæ arbitrii posse malũ operari, sed imbecillitas, & impotẽtia quædam, quæ venit à defectu lucis, & infirmitate. Natura siquidem liberi arbitrii, quod est voluntas, siue voluntatis actus, qui dicitur optio, siue electio est ferri, & tendere in bonum: quod autem feratur in malum, inde est quia obiicitur illi: & repræsentat vt bonũ

I. ratio ad probandũ prædestinationem libero hominis arbitrio non adferre necessitatem.

Aug. li. De lib. arbit. c. 30. vbi distinguit inter velle & posse. Bern. lib. de lib. arbitr. Richar. lib. de natu. boni. c. 22.

II. ratio.

In quo proprie liberũ consistat arbitrium.

Quod autem sic repræsentetur, vel à defectu luminis, vel ab eius offuscatione propter deprauationem liberi arbitrij prouenit, quod, vt gustus læsus ea probat vt bona quæ bona non sunt. Ad hæc scimus, liberũ arbitrium in hac natura corrupta sibi dimissum, non posse nisi in malum tendere, vt docet Augustinus & scimus stante gratia communi, quæ nulli denegatur (nisi ipsam quisquam sua culpa recuset) posse etiam in malum flecti, & sæpe flecti: sed si cum illa communi gratia ponamus prædestinationis donum; asserimus cum Augustino, & B. Thoma à via non deflexurum, & propter eiusmodi Dei protectionem & assistentiam, & tot gratiæ adminicula posse illud ita erigi, vt non obdormiat in peccato, sed præseruetur à morte secunda. Quia etsi cuique per gratiam communem concedatur posse perseuerare: prædestinatis tamen amplius datur, vt omnino perseuerent: non quidem coacti, & inuiti, sed magis volentes & cum maiori virtute liberi arbitrij. Est siquidem Deo perfacile ita illustrare intellectum, & ita charitatis feruore voluntatem incendere, & alia quæcunque obiecta quæ obstare poterant, ita amouere, vt proposito sibi bono non contingat eius recusatio, & proposito sibi malo, non accidat eius electio: quod non est ab vllo defectu liberi arbitrij, sed potius ab eius sanitate, & robore. Non tamen propterea existimandum est tale esse liberum arbitrium in huiusmodi, etiam cum confirmantur in gratia, quale est in beatis: quia in prædestinatis, & confirmatis, vt in Apostolis, & similibus, vere dici potest ex se esse peccabile, & per se omni motui gratiæ posset resistere, sed propter Dei protectionem, & adminicula prohiberi ne peccet. In beatis vero omnino impeccabile redditum est. Quemadmodum immortalitas corporis Adæ, respectu immortalitatis beatorum, longe distat: siquidem Adam immortalis non erat ex principio intrinseco, sed ex protectione Dei, & per remedia ligni vitæ fiebat, vt in eo statu vitæ non moreretur. At beati corpus omnino immortale habebunt, & quatuor dotibus, quibus absorbeatur omnis mortalitas, ornatum. Non igitur per hoc quod libero arbitrio excellenti Dei gratia prædito à peccando retrahitur, in aliquo ei derogamus, quum impeccantiam in præmium æternæ vitæ à Deo expectemus omnes.

III. ratio.

August. lib. de perfect. iustitiæ ratiocin. 9. 10. & in fine.

B. Thom. de verit. q. 6. ar. 1. in cõclus. & alibi to 8.

Vnde liberum arbitrium prædestinati non possit bonum non cõsentire.

Gen. 2. Qualem Adam innocens habuerit, qualem beati habituri sint corporis immortalitatem.

DISPVTATIO XXI.

In qua disseritur, an præscientia bonorum operum, caussa sit diuinæ electionis, & prædestinationis.

Tertius erat modus dicendi, quod à præuisione meritorum penderet prædestinatio: qui quidem falsus est, & vt Pelagianum dogma ab Augustino confutatus, & vt dogma Caluini confutandum, qui Deum malorum caussam esse prædicat. In quem etsi superius aliquid diximus, subiungam iam nonnullas rationes, quæ oppositum manifeste euincant. Primaeft: Si Prædestinatio ex meritis præuisis in conspectu Dei, iam gratia ex meritis daretur: nam secundum omnes Doctores collatio gratiæ, prædestinationis est effectus. Quod si ex meritis est gratia, iam non est gratia, vt ait Apostolus ad Rom. 11. & rediret dogma Pelagii. Deinde, si prædestinatio ex meritis pro sic scitur, iam non prædestinatio, sed postdestinatio dicenda esset. Tertio, si prædestinationem facit sola meritorum præscientia teste Thom. non differrent ex parte ordinis prouidentiæ Dei prædestinati à non prædestinatis, sed quilibet esset virtute liberi arbitrii, suæ prædestinationis fabricator, cum pari modo omnes essent ad salutem prædestinati. Et si quis diceret Deum velle omnino prædestinatos saluari præ cæteris, oportet etiam fateri, ipsum Deum promisisse illis sublimiora remedia, quibus salutem assequantur. Qui enim vult finem, & ea vult, sine quibus ad ipsum finem peruenire non potest. Alioqui volens prædestinatos certo præ cæteris saluari, non tamen eis sua prouidentia prospexisset de certioribus salutis remediis, ex accidenti contingeret eorum salus magis quam aliorum, & nõ ex Dei prouidentia: quod tamen derogat sapientiæ Dei. Idem etiam ex verbis Scripturæ colligitur. Nam Paulus ait ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati.* Et ponderat Augustinus in 1. b. de Prædesti. Sancto. non dixisse, Quia eramus sancti, aut quia tales fore præuidetit, vt electio sit caussa sanctitatis nõ contra; sanctitas caussa electionis. Et nomine Sanctorum, non communem sanctitatem intelligit, secundum quam renati oẽs in Christo dici possunt sancti, sed de peculiari, & excellenti, sicut Scripturæ, & vulgus accipere cõsueuit, & communiter Ecclesia sanctos celebrat. i. peculiares Dei amicos; de quib. Apostolus alibi ait: *Sancti per fidem vicerunt*

August. in li. contra Pelagia. & de Prædest. Sanct. & de bono perseuer. & alibi passim.

I. argum. confutatio nis.

Rom. 11. II. argum.

III. argum *D. Thom. q. 3. de verit. art. 1. 10. 6.*

Certiora prædestinatorum, quã aliorum salutis consequendæ remedia, prouideri diuinitus debuisse.

IV. argum. *Ephes. 1. August. lib. de Prædest. Sanct. c. 18. & 19. & in princ. 10. 7. circa fin.*

Heb. 11.

vicerunt regna; & de quibus Augustinus scripsit dictum librum de Prædestinatione Sanctorum. Et addit, quod elegit nos ante mundi constitutionem, id est, antequam faciat fundamenta salutis pro mundo ipso, id est pro his qui veniunt mundi appellatione, qui non inueniuntur in numero horum prædestinatorum, qui sunt pauci: nam illi qui in hunc numerum sunt asciti, priores sunt in Dei prouidentia. Nec enim hæc sunt iuxta temporis considerationem accipienda, quia Deus non in tempore, sed in æternitate (quæ est momentum stans) operatur, & tamen res ipso æternæ non sunt: sed dicendum est quod in æternitate res ipsæ ordinem habeant, sicut Deus disposuit, vt vna sit prior altera, sicut ipsi Deo placuit, aut, tempore, aut natura aut dignitate, & vna ad aliam ordinatur, & propter eam est: nam omnia sunt propter electos, electi propter Christum, & Christus cum omnibus propter Deum. ¶ Prædestinati ergo quasi ex mundo extrahuntur, & priores secundum electionem Dei inueniuntur ipsa mundi constitutione, id est quam qui inferioris ordinis, & classis sunt mundani, de quibus: *Ego elegi vos de mundo: &, Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Et isti electi recipiunt alium Paracletum, quem mundus non potest accipere, id est illi, qui communem habent gratiam. Nam certe Apostoli tunc non erant sine Spiritu sancto, sed nondum habebant illum summum Spiritum, qui est summus electorum fructus, & non est mundi. Sic exponit Augustinus eum locum Ioannis. Imo & vulgus eos, qui se totos Deo dedicarunt, asserit reliquisse seculum, & renuntiasse mundo.

Quomodo elegerit nos Deus ante mundi constitutionem.

Quid sit æternitas

2.Tim.2.

Prædestinati sunt vocatis antiquiores.

Ioan.15. Matt.25. Ioan.14.

Aug tract. 54.Io.9.

Deinde subiungit Paulus: *In quo* (scilicet Christo) *& etiã nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius qui operatur omnia, secundum consilium voluntatis suę.* Et quid aliud est sorte vocari, quam, vt exponit Augustinus, absque vllo dignitatis, vel meritorum intuitu? Quia, inquit, in sorte non est electio (scilicet ad dignitatem) sed voluntas Dei. Nam vbi dicitur, Iste fecit, iste non fecit, & merita considerantur, electio est, non sors. Et subdit: *Merito tunica illa Domini desuper texta quæ significat charitatis æternitatem, cum diuidi à persecutoribus non posset, sors super eam missa est: ad quos peruenit, eos significauit, qui videntur ad sortem pertinere Sanctorum.* Hæc ille. Et idem est sorte vocari, & vocari secundum propositum, & vocatio sancta quæ non est ex operibus. Quinto idem colligitur ex illo ad Romanos 9. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, Iacob* (qui typus est electorum) *dilexi*,

Ephes.1.

Quid sorte in Domino vocari, secundum Augustin.

Aug citatus à Beda in c. 1 epist. ad Ephes. Io.6. Ioan 19.

Tunica Domini inconsutilis sorte diuisa quid significauerit.

V. argum. Rom.9. Gen.25.

Et nisi voluisset Paulus excludere non solũ meritum, sed ipsum etiam respectum operum ab ipsa electione, & vocatione, non dixisset: *Cum nondum aliquid boni egissent, aut mali.* Et subdit idem confirmando: *Vt secundum electionem propositum Dei maneret; Non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Iacob dilexi; Esau autem odio habui.* Et vt pulchre colligit Augustinus, ne parentum meritis hæc discretio tribueretur, narratur quod erant duo in vno vtero, ex vno concubitu, ex vno & eodem parente, & ex vna, & eadem matre, & qui nihil boni, aut mali egerant; & tamen vnus eligitur, alter dimittitur. Et qui eligitur, maior erat: cuius rei Deus rationem non habuit, qui pro suo beneplacito facit electionem.

Iacob quos delineauerit.

Malach. 1. Iacob, & Esau disparẽ conditionẽ ex eorum operib. non fuisse, vnde Paulus ostẽdem.

B Aug l. 1. q ad Simplician. q. 2. per totum, & sæpe alibi, to.4 eodem.

Quidam tamẽ ad vitandam Pelagianam inuidiam, asserunt, Deum ex se velle dare gratiam omnibus; vnde & illam cunctis ex se offert. Et quia vidit qui eam recepturi, & ea bene vsuri essent, ideo istis statuit conferre gratiam, & vitam æternam, cæteris autem non ita. Nec ex eo sequitur, quod gratia detur ex operibus, quasi Deus præuidens opera, acceptauerit illa tanquam digna gratia, sed accipiuntur vt caussa sine qua non. Exempli gratia: Rex arma, & coronam donat ex liberalitate sua, ex prudentia tamen ea non vult dare nisi illis, quos nouit armis esse bene vsuros. Sed & hoc falsum est, & multis rationibus perimitur. Quia etiam iuxta hunc loquendi modum gratia non esset prædestinationis effectus, sed potius caussa. Non enim prædestinatur quis nisi gratia bene vsurus præuideatur: at hoc sequitur gratiæ collationem. Nec enim præuideri potest bonus vsus gratiæ futurus, si in potestate eius fuerit etiam male vti, nisi ponamus ante Dei conspectum, quod vere acceperit gratiam, & quod perseueranter ea bene vsurus fuerit: quoniam futurum contingens, secundum Thomam, à Deo non præuidetur vt futurum, sed vt præsens. Si ergo prædestinatio requirit boni vsus gratiæ diuinam præuisionem, & hæc diuina præuisio boni vsus gratiæ requirit collationem gratiæ; aperte infertur, quod collatio gratiæ non esset effectus prædestinationis, quod est perplexum, & contra vim ipsius vocis Prædestinatio. Nam si in Dei præscientia collatio gratiæ præcedit ipsum bonum eius vsum, quomodo ergo quod est posterius, potest esse caussa, aut ratio prioris? Deinde, si collatio gratiæ effectus est prædestinationis, etiam ipsa merita, quæ ex gratia veniunt: quod si merita, etiam ipsa salus, effectus erit prædestinationis, etiamsi ipsa salus ex meritis proueniat.

Qua ratione quidam diuinæ gratiæ collationem caussam prædestinationis esse contẽdant.

Rom 11. Exemplũ eorundem

I. ratio confutationis huius sententiæ.

Vti Deus prænouerit futurum cõtingens, Thomæ sẽtentia.

B Thom de verit q 12. ar.12. ro. 8.

II. ratio.

Aliud

Allud est enim dicere, Salutem proficisci à meritis, quod Catholicum est; aliud saluris prædestinationem oriri à meritis, quod est Pelagianum. Tertio, nonnisi falso dici potest, quod Deus conferat gratiam ex eo quod prouideat non defuturos qui oblatam accepturi sint, aut qui iam accepta bene vtantur: quia certum est eam multis Deum obtulisse, qui recusarunt: *Vocaui*, inquit, *& renuistis*; & *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi*: Deinde multis fuit collata gratia, & acceptata, & tamen ab ea postea exciderunt, iuxta illud; *Habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti* & iterum, *Euacuati estis à Christo qui in lege iustificamini: à gratia excidistis*. Non ergo bonus vsus gratiæ, caussa est collationis eius. ¶ Si quis dicat conferre Deum gratiam ad illorum malum, & punitionem. At hoc impium est, & male de Deo sentire: quia iam gratia non esset dicenda, sed odiū, & inimicitia. Quarto, multos malos Deus tolerat per totā vitam abundantes gratia, & donis suis: postea tamen non obstantibus eorum demeritis, per superabundantioris gratiæ lumen ad pœnitentiam adducit, vt vbi abundauit delictum, superabūdet & gratia. Contra, sunt qui toto vitæ tempore bene donis Dei vtuntur, qui in extremis deficiunt, & nō perseuerant, qui rati sunt: & pro sua misericordia multos tollit, ne malitia peruertantur, secundum illud: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius; aut ne fictio deciperet animam illius*: & alio loco, *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro*. Quinto, producit Augustinus instantiam de pueris, quorum alii in gratia, alii extra gratiam decedunt. qua in caussa quæ præuisio futurorum fingi potest, aut bonorum, aut malorum ad faciendam hanc discretionem? Ait enim Augustinus in Pelagianos: *Quomodo dicitis futura, quæ non sunt futura? hoc est, Quomodo possunt in cognitionem Dei venire, quæ nec in se, nec in caussis determinate sunt futura?* Postremo, Deus neminem damnat, antequam homo peccatum admittat, propter quod condemnetur: alioqui si propter illa damnaret, quę multi commissuri essent, si diutius viuerēt, nullus esset finis in damnatione peccatorum. Nec admittendum est, siue pueros, siue adultos, qui saluantur, etiamsi longiorem vitam obtinuissent, certo etiam salutem consecuturos fore; contra vero de aliis quod damnati fuissent: quia hæc ratione carent, & nullo firmo fundamento nituntur.

In fertur ergo, prædestinationis certitudinem non ab operum bonorum præscientia, sed à benigna Dei prouidentia proficisci. Nec ideo, quia quis præscitur saluandus, prædestinatur saluandus: sed contra quia prædestinatur saluandus, ideo præscit eum saluandum sub ratione futuri, & non sicut in contingentibus. Ideo in prædestinatione continetur certitudo salutis, & in ea certitudo conferendæ gratię, & bonus vsus gratiæ, & meritorum, & perseuerantiæ in finem. Repugnat enim diuinæ sapientiæ certo aliquid ad finem ordinare, & non ad certa, & promouentia ad finem media. ¶ Si vero obiicias Pauli sententiam: *Quos præsciuit, & prædestinauit*, mittendus est lector ad ea, quæ superiori disputatione fusius dicta sunt.

Ad sententiam vero Augustini allatam superius, dicendum, Augustinum bene nouisse differentiam inter Prædestinationem & Præscientiam: quia Præscientia est post existentiam rei in seipsa, siue in suis caussis, & quod pręscientia potius à prædestinatio ne oritur, non contra. Nam libr. de prædestinatio. & grat. cap. 15. initio, scripsit: *Dei præscientia non cogit hominem vt talis fit, qualem præsciuit Deus: sed præscit talem futurum, qualis futurus est, quamuis eum non sic fecerit Deus*. Hæc ille. Vbi habes, præscientiam in rebus nihil ponere. Vidit etiam Augustinus vim diuinæ prædestinationis, in qua est propositum dandi gloriam, & hoc non sine meritis, & consequenter non sine donis, vnde merita comparantur. Ideo videt in prędestinatione includi notitiam donorum, quæ ipse decernit dare nobis: sine qua notitia non potest consistere prædestinatio. Vnde ipse lib. de Bono perseuerant. cap. 17. in fine, & 18. in princip. *Hæc, inquam Dei dona, sinulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo: præsciuntur autem: hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus. Vnde aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus: Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit*. Et infra sub finem: *Sed prædestinasse, est hoc præsciisse quod fuerat ipse facturus*. Et iterum: *Si autem vtrumque donum Dei est* (videlicet incipere, & in finem vsque perseuerare) *& hæc Deus dona sua, quod negare quis potest? daturum esse præsciuit, prædestinatio prædicanda est*. Hæc ille. Ex cuius dictis videtur conflata illa descriptio: Prædestinatio, est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei. Et aperte ostendit se loqui de præscientia, quæ rei existentiam non consequitur, sed præcedit, & caussa est eius: quamquam Paulus de hac non senserit, qui terminauit præscientiam in personas, August. vero in dona, & beneficia: vt alterius generis ve-

Marginal notes:
III. ratio.
Prou. 1. Esa. 65. Rom. 10.
Apoc. 2.
Gal. 5.
Si Deus non prædestinatis, vt eos grauius condēnaret, gratiam largiretur, quid inde.
IV. ratio.
Rom. 5.
Sap. 4.
Mat. 24.
V. ratio. Aug li. 2. contra 2 epist Pelag. c. 7. & 10. 7.
Idem
VI. ratio.
Si quanquam De' ob peccata nondum commissa, etsi cōmittenda, damnaret, quid futurum.
Prædestinationis certitudinem oriri solū à Dei prouidentia.
Quid proprium diuinæ prouidentiæ.
Idem. 10. 7.
In prædestinatione quid etiā agnouerit Augustin.
Idem ibid.
Rom. 11.
Idem c. 21. init.
Prædestinatio quid secundum Augustin.

Aug. to. 2.

ris velit esse præscientiam eorum qui prædestinati sunt, ab ea quæ est eorum qui dánnatur. Vnde epistola 106. ad Sixtum: *Et ne quisquam*, inquit, *existimaret, credentes sic ad eius præscientiam pertinere, quomodo non credentes, &c.*

Quomodo Deus videat creata.

Quod vero liquidius, & apertius intelligamus, præscientiam, quæ in prædestinatione includitur, & ex illa venit, sciendú est, Deú, quæcunque videt, eorum, quæ extra ipsum suam habent in seipsis existentiam, in seipso videre; quia non accipit visionem suam ab obiectis extra existentibus, vt nos, sed videndo seipsum, videt cuncta quæ extra ipsum sunt, & videt ea tanquam in caussa perfecta à qua emanarunt, & in qua conseruantur; ac proinde lympidius, & dignius in seipso cernit. Deinde obserua, Deum sua essentia immurabili, & æterna ambire, & cõtinere omne tempus, non tamen in illo includi, aut mensurari; & ideo etiam sua visio tempore non venit metienda, sed potius sua æternitate immensa. Est enim æternitas illa nunc vnum, sistẽs, ambiens omne tempus, & cuiuis differentiæ temporis, & momentis, siue instantibus coexistens. Cuius visio creaturarum etsi æterna sit in reipsa, quia non est aliud quam Deus ipse videns; non tamen est rerum æternarum; & ideo eas cernit existere pro eo tempore, quo existunt, vel in seipsis, vel in suis caussis ordinatis, quas habent: quia quod nondum est in se, vel in suis caussis determinatis, non potest vel Dei oculo determinate videri. Tertio cogita, Deum, qui est omnium rerum præter semetipsum prima, & maxima caussa, efficiens, & finis, per suam sapientiam diuersas condidisse naturas: & diuersas operationes, & varios ab iis voluisse procedere effectus; hos quidem necessarios à caussis necessariis, hos vero contingentes à caussis contingentibus, vt voluit, siue frequenter, vel raro, vel ad vtrumlibet. Vt ergo Deus diuersimode se habet circa hos effectus vt caussa, ita etiam varie se habet sua præscientia. Nam necessarios euentus dupliciter videre, cogitare possumus. Primo prout sunt in caussis suis, deinde vt sunt in semetipsis pro his temporibus quibus existunt, quia nouit pro eo tempore quo sunt, eos effect⁹ à se emanasse, dum eum secundis caussis ad eorum productionem concurrit. Effectus autem contingentes non potest determinate videre in suis caussis pro eo tempore antequam eueniant, cum pro eo tempore caussæ non sint determinatæ ad vnum, sed ad vtrumlibet. Solum ergo potest videre effectus contingentes pro eo tempore, quãdo iam sunt in esse, aut quando iam caussis ad vnam cõtradictionis partem inclinatis, illa pars determinate necessitate acquirit existendi: quia quod est, dum est, necesse est esse, vt ait Philosophus.

Eiusmodi visio certarum æternitate, non tempore mẽsuretur.

Duplex genus caussarum in reb. creatis à Deo determinatum, Necessariũ atque Contingens.

Duob. modis necessarii effectus prænoscuntur à Deo.

Fortuiti euẽtus qua ratione tãtum à Deo præsciãtur.

Arist. li. 1. Perihor. c. 1. & to. 1.

His positis, & sic apprehensis, facile est videre quæ præscientia, vel præuisio præexigatur, vel includatur, vel consequatur in prædestinatione. Tria sunt enim quæ prædestinans præscire debet, nimirum personam prædestinati, finem, in quem prædestinatur, & media, & adminicula per quæ prædestinatus finem illum attingat. Quod vero aliorum præsciẽtia præter hæc requiratur in prædestinatione, non videtur nec ex vi vocis, nec rationis. Subsequitur vero prædestinationem hanc præscientia certa bonorum operum, & certæ adeptionis finis: & hoc est, quia in prædestinatione est certa Dei voluntas, vt hæc eueniant, quia certa sunt in se, & in suis caussis, id est in Dei voluntate. In iis autem qui prædestinati nõ sunt, tantum videntur in seipsis, quia in ipsa præscientia, vel in voluntate certi euentus non sunt. Et hæc ad pleniorem huius quæstionis discussionem, ne lector facile fallatur, mihi dicta sint.

Triplex præscientia in prædestinante requiritur.

Alia in prædestinatis, alia in non prædestinatis est Dei præsciẽtia.

DISPVTATIO XXII.

In qua recensentur variæ de Prædestinatione, & Reprobatione sententiæ, & quantum vnaquæq; soliditatis habeat, discutitur.

POsita igitur hac sententia Catholica, quæ tradit, Deum absque vllo operum intuitu futurorum quosdam quidem elegisse ad vitam æternam, quosdam vero dimisisse, ac reprobasse (quia vbi est nonnullorum electio, ibi est aliorum reprobatio) hinc fit, vt quidam conquerantur, & accusent Deum propter talem diuisionem, in qua videtur esse personarum acceptio. Sed prius diligenter inspiciendum est, quid faciat Deus, & quid de nobis disponat, vt possimus querelæ caussam cognoscere.

I. sententia Prædestinationem, & Reprobationem in absoluta, seclusis meritis, atque demeritis, Dei voluntate constituens.

Quidam ergo de Scripturis quasi compertum assumunt, ac docent, Deum velle absolute quosdam homines saluos facere, quos Prædestinatos vocant; reliquos vero omnes perire, ac in gehennã deturbari, nulla habita ratione bonorum, vel malorum operum. Quod quia durum, & acerbum videtur, & Scripturis parum consonare, quæ dicunt: *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia*: &, *Iudicia tua iocunda*: & iterum. *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa*, manifeste bonitati eius, & misericordiæ in Scripturis toties decantatæ repugnare videndentur

Reprobatur multis argumẽtis.
Deut. 32. Psal 118. Psal. 18.

dentur, non est ergo à quoquam facile recipiendum. Neque est quod nos terreant verbis Pauli: *Tu quis es qui respondeas Deo: Nũquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic?* Responsum dabo cum Iob; *Vere scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacẽ habuit? Omnipotens est, & nos vt lutum in manu figuli: quod si velit innocentem perdere, & potest; & nemo potest ei dicere, Cur ita facis?* Sed non potest istud in Scripturis de Deo demonstrari, quæ Deum omni æquitate, & bonitate refertum tradunt. Ea enim credendus est Deus facere, vt docet Augustinus, quæ recta ratione homo deputans, non nisi æqua, & recta esse arbitratur. Non ergo quærendũ est in hac quæstione, quid Deus possit, sed quid velit, & quid sit credibilius eũ facere disposuisse. Etsi ergo Deus posset perdere quos vellet; punire tamen absque peccato vllum non posset, secundum illam partem iustitię quæ dicitur vindicatiua. Nã Deum fateri calumniatorẽ opus esset, aut iniquum, si propter peccatũ puniret quod non esset, aut quod ipse intenderet, & vellet nos incurrere, vt habeat quod puniat. Nec dici potest, hoc in vniuersum velle Deum, vt de misericordia laudetur in electis, & de iustitia in reprobatis; ac proinde inconueniens non esse intendere particulare malũ, quod bonum cedat vniuersi; ac propterea Paulum dixisse; *An non habet potestatem figulus*, &c. Et, *Si Deus valens ostendere iram*, &c. quia facit quædam vasa iræ in cõtumeliam, & alia vasa misericordiæ in honorẽ. Additur præterea exemplum Iacob, & Esau absque vlla præuisione operum, quorum vnus fuit dilectus, & alter odio habitus. ¶ Verum certe hæc sententia iniquum facit Dominum, nolẽtem cuiusquam damnationem, ac punitionem nullo præcedente peccato: quod etiam Augustinus reprobat. Perplexum item est, & contradictionem inuoluit, velle Deum facere vindicẽ, & punitorem, & velle non esse vllum peccatum quod puniatur, cum punitio ponat peccatum. Dicere autem, velle Deum punitionem, & consequenter ipsum velle peccatum quod puniat, à veritate, & æquitate Dei disiunctum est. At horum alterum necesse esset confiteri, dicentes velle Deum ab initio citra vllum intuitum nostrorum operum, quosdam misericorditer subleuare, quosdam vero iuste punire. Absit enim quod Deus intendat peccatum, aut quouis modo velit illud nisi permissiue: quia si hoc intenderet, & vellet, certe si fieret, iam peccatum non esset: & cur illud prohiberet ne fieret? ¶ Si dixerint: Vult hoc, vt possit exercere vindictam; vt ita de iustitia commendari valeat. Verum absit, vt hoc de clementissimo Patre animus Christianus cogitet, quod de homine Principe cogitare nemo recti iudicii potest. Nam inde emergerent absurda multa. Si enim Deus vellet ab initio nos peccare: cum nemo peccet nisi volens, & in potestate nostra ponitur non peccare, in manu nostra esset frustrari Dei deliberationem. Et rursus cum non frustramur illam, sed peccamus, adiuuando illam, Deus nobis gratias agere deberet quia peccauimus, vt compleri possit voluntas eius nos puniendi. Quo posito, quare expostulat nobiscum, quod peccauerimus, si hoc ille intenderat pro gloria sua? Quod si in nobis situm non esset non peccare, quomodo esset peccatum imputabile, quod euitari à nobis non potuit? Peccauerunt ab initio Angeli, sicut & primi parentes, qui tamen poterant non peccare; quod & Deo gratius, & illis fuisset vtilius. Maluisset enim Deus non habere occasionẽ exercendi vindictam: tamen postquam peccauerunt, accensus est Deus ad vindictam, vt de iustitia punitiua commendetur. Et postquam homo peccauit, excitatus est ad prospiciendum de remedio, vt commendaretur eius misericordia. Nam in Angelis rationes ad concedendam misericordiam non vidit; at in homine vidit. Ideo non erat absolute pertinens ad decorem vniuersi, quod Deus commendaretur de iustitia vindice, nisi posito peccato: quemadmodum nec Rex, vel Iudex diceretur iustus, puniens eos qui nõ deliquerint. Sunt enim quædam virtutes non simpliciter bonæ, sed ex aliquo posito & adiuncto: vt verecundia, pœnitentia, & iustitia vindicans, quæ absolute ad collectionem perfecti corporis virtutum non sunt necessariæ, nisi posito errore, vel delicto. Hinc est, non esse æqua lance dandum Deum velle peccatum, vt commendetur de iustitia; sicut velle obedientiam, vt commẽdetur de misericordia: quod apparet ex eo quod peccatum vetat, obediẽtiam vero præcipit. Est præterea contra hanc sententiam Scriptura quæ habet: *Non dicas, Ille me implanauit; non enim necessarij sunt ei homines impij: & Nemini mandauit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.* Et B. Augustin. lib. 3. de libero arbitrio contra eos disserit, qui dicebant peccatum facere ad perfectionem vniuersi; & ostendit, misericordiam ad hoc non esse necessariã: imo per peccatum dehonestari, & deturpa-

Margin notes (left): *Rom. 9.* — *Iob. 9.* — *Sap. 12.* — *Aug. li. 3. de lib. arbi. c. 5 & abbi to l. circa fi.* Quod Deus quenquam dãnare non possit nisi sub ratione vindictæ. — *Rom. 9. Ibid. 22.* II. argum. *Ibid. 14.* — Talia sentientes qualem Deum facere videantur. *Aug. epist. 105. post. med. to. 2.* III. argum. — Peccatum Deus intẽdat qua ratione tantũ modo.

Margin notes (right): Adhuc obiectio illa resolutum volt Deus; vt illud vindicando iustus habeatur: hanc sentẽtiã, quænam incommodã consequantur. — Peccatum cur nobis imputabile. *Apoc. 12. Gen. 3.* — Cur hominis, non autem Angelorum peccatum, habuerit remissionem. — Electionis & Reprobationis longe diuersã esse rationẽ. — IV. argum. *Eccl. 15. Ibid. 22. & 23.* — *B. Aug. to. 1. circa fin.*

V. argum. Idem li. de corrept. & gr. c. 10. & 11. to. 7. fere ad calcem.

ri vniuerſum. Præterea in Angelis non ponimr qnorūdam electio, & aliorum reprobatio ad pulchritudinem vniuerſi ſecūdum Auguſtini ſententiam; & tamen non defuit illi vnde de miſericordia, & de iuſtitia celebrari poſſet. Quod etiam in hominibus accidiſſet, non poſita hac prædeſtinatione, & reprobatione: quia etſi nullus hominum peccaſſet, vel Angelorum, & de miſericordia poſſet laudari Deus, quia eos à peccato præſeruaſſet, & de iuſtitia, qua reddidiſſet iuſtis coronas ſibi debitas. Quod ſi dicas; Defuiſſet ſaltem iuſtitia punitiua. Dicimus non debuiſſe talem iuſtitiam in Deo poni, niſi poſito peccato, quod non poteſt dici à Deo ſpectatum, & intentum. Nullns ſiquidem bonus paterfamilias vellet filium malum habere, vt poſſet eum punire, quem vix vellet punire, vbi comperit deliquiſſe: nec vllus Rex ſapiens vellet habere ciues malos, vt poſſet de illis pœnas ſumere: minus ergo Deus, qui ſolus bonus eſt Pater, & Rex, nos autem omnes natura mali ſumus. Hinc Deus, qui ſumme eſt beatus, & nulla re indiget, vt in beatitudine augeatur, peccatis noſtris non indiget, vt per ea exquirat materiam ſuæ laudis, & gloriæ quod longe eſt ab humana, & recta prudentia alienum vt aperte docet Auguſtinus epiſtola 157. ad Optatum; & lib. de correptio. & grat. ca. 6. & cap. 13. De prædeſtinatio. & grat. cap. vlt. & Pamphilius martyr in Apologetico ex Origene producit hæc verba: *Habendum eſt autem in Eccleſiaſticis obſeruationibus, quod neque hominum quis à Deo in perditionem traditus eſt, ſed vnusquisque pereuntium ſua negligentia pereat & culpa, qui habens arbitrii libertatem, eligere quod bonum eſt & potuit, & debuit. Quod etiam de ipſo diabolo ſentiendum eſt, qui in conſpectu Domini omnipotentis deſcribitur reſtitiſſe, & deſeruiſſe ſtatum ſuum, in quo fuerat immaculatus: qui vtique potuiſſet in hoc ſtatu in quo ab initio fuit, vſque in finem perſeuerare, ſi voluiſſet.* Hæc ille.

Quam illud leue: Sublata reprobatione malorū vindicans Dei iuſtitia nō fuiſſet.

Mat. 6.

Idem to. 2. Idem to. 7. Idem ibid. Pamphil. mar apud Orig. in Apolog. non procul à princ. to. 2. circa fin.

II. ſententia, maſsā perditionis ponens.

Præter hos nati ſunt alii, qui poſuerunt Prædeſtinationem, ac Reprobationem in mente Dei poſt præuiſum. Adæ peccatum per quod genus humanum infectum quaſi vna maſſa perditionis redditum eſt: à qua maſſa Deus paucos ſeparauit, quos & prædeſtinauit, & elegit, & reliquos omnes ibi reliquit, vt de ſuo peccato condignas pęnas luerent. quæ opinio apud Lutheranos hodie in pretio eſt.

I. arg. contra illam.

Cuius veritaté vt melius perſpiciamus, cote diſputationis à nobis examinanda erit. Primo, non videtur quod poſt peccatū præuiſum Adæ nata ſit electio: quia vt habet Paul. ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, ergo etiam ante peccatum Adæ præuiſum.

Epheſ. 1.

Quod ſi obiicias, electos fuiſſe in præſciētia æternitatis; facile eſt reſpōdere, ſimili ratione reprobos ante mundi conſtitutionem vidiſſe. Secundo etiam diceretur mundus conſtitutus ante mundi conſtitutionem: quare illud, ante, non eſt ad tempus referendum, ſed ad dignitatem Vnde & de æterna Sapientia Chriſto dicitur; *Ab initio. & ante ſecula creata ſum.* & à Petro præcognitus dicitur ante mundi conſtitutionem. Erat ergo electio ante peccatum, non naſcitur poſt peccatum: & abſurdum eſt ponere, rationem prędeſtinationis fuiſſe peccatum. ❡ Quod ſi dicas, ante peccatum fuiſſe conditionatam tantum prædeſtinationem; at poſt peccatum abſolutá, & certam: ſed vnde probabis iſta ſecreta, & profunda Dei, quod prius fuerit electio ſub conditione, & poſt peccatum certa & abſoluta, cum cōtra rationem communem ſit à peccato nobiliorem prędeſtinationem eſſe ortam. Nam ſi ſic eſſet, qui magis peccarent, nobilius prædeſtinarētur quá Chriſtus & Maria, qui non peccarunt; Etſi eſſet poſt peccatum, debuiſſet Deus, ſi nos amabat, velle peccatum Adæ, vt certo prædeſtinaret, & hoc tantum bonum nobis communicaret: vel ſi Deus odio proſequebatur peccatum, conſequenter nos odiſſet, quibus illud bonum non volebat nobis commune eſſe niſi poſt peccatum.

Quod opponunt ad ueiſa...: Electi erunt in præſciētia æternitatis, nihil efficere.

Eccl. 24.
1. Pet. 1.

Sap 24.

Quod ſi primus homo hoc noniſſet Dei ſecretum, debuiſſet velle peccare, vt aliquos Deus prędeſtinaret, ne non peccando nullus prædeſtinaretur, aut ſaluos fieret: nec ipſe debebat vel ſui, vel aliorum ſalutem odiſſe. Et ſaltem reprobatio fuiſſet à præuiſo de merito Adæ, & non à mera Dei voluntate, vt quidam aſſeruerunt. Vt interim nihil dicam, quod in Angelis iſta prædeſtinatio non habuiſſet locum: non enim illorum electio orta eſt ab vllo peccato, cū nullum fuerit, ſicut ponit hæc noſtra; ac proinde diuerſæ rationis fuiſſet prædeſtinatio Angelorum, & prædeſtinatio noſtra.

Iſtam, qualis fingitur prædeſtinationem in Angelis eſſe non potuiſſe.

II. argum.

Secundo impugnatur iſta relictio in maſſa perditionis: quia peccatum originale non eſt cauſſa ſupplicii æterni in gehenna, vt ſuperius, cum de peccato originali ageretur, dictum eſt, & comprobatum, tum ex Scripturis; tum ex cōmuni ſenſu Scholæ Theologicæ, ac rationibus multis, peccato illi nō deberi niſi tantum pœnam damni, quæ eſt carentia diuinæ viſionis, nō autem pœnam ſenſus, quam Sacræ literæ nonniſi his qui perſonaliter, & actu delinquunt, comminātur. Peccatum etiam originale dignum fuit miſericordia: nam ſi peccata perſonalia ex-

Li. 2. explanat in Paulum, diſput. 30.

Originali peccato quæ tantū pœna reſpondeat.

igno-

ignorantia, aut fragilitate commissa, facile à Deo veniam impetrant, quanto magis illud peccatum, quod non propria nostra voluntate admissum fuit, condonabile esset; si primo ipsi parenti eius autori Deus pepercit, qui propria voluntate, & proprio actu deliquit? Et natura illius peccati, diuisioni illi ex massa perditionis repugnat, quia peccatum illud potius fuit naturæ, quã personæ, vt ait Augustinus & B. Thomas.

(*B. Aug in ps. 137. sub init. to. 8. & alibi pass.*)

Non enim censetur peccatot quisquam, vt Petrus, vt Ioannes, & vt Paulus, sed vt homo, & humanam habens naturam: ideo nõ magis censetur vnus dignus venia quam alter: sicut non magis, aut minus vnus homo est quam alter.

(*D. Th. 1. pa. q. 100. ar. 1. in concl & sæpe alibi. to. 10.*)

Si ergo natura peccatrix digna fuit misericordia, non erat in personas diuidenda, ne sic fieret peccatum personatum, quod naturæ erat, & Deus fieret acceptor personarum. Vnde Ioan. 1. dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Peccatũ Græce in singulari legitur: & mundi dicitur, quia vniuersale, & commune omnibus, vt Augustinus, & Theophylact. docent.

(*Ioan. 1.* Originale cur mundi peccatum appellatur. *Aug. in Ps. Theophyl. hoc loco.*)

(III. argum.)

Tertio repugnat hoc dogma Dei prouidentiæ, & sapientiæ prudentis patris familias volentis ex se plures habere in carcere latrones, quam filios nobiles in aula, præsertim cum dicat Salomon: *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.*

(*Prou. 14.*)

Repugnat etiam illi plus velle glorificari in vasis misericordiæ, & factis in honorem, quam in vasis aptatis in contumeliam: quod contra Scripturam est quæ ait: *Non dicas, Ille me implanauit, non enim necessarii sunt ei homines impij*: & *Non concupiscit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.*

(*Rom. 9.*)

(*Eccl. 15. Ibid. 12.*)

Imo etiam repugnat diuinæ misericordiæ in Sacris literis tantopere decantatæ, & commendatæ. *Suauis*, inquiunt, *Dominus vniuersis: & Miserationes eius super omnia opera eius*: Quomodo ergo super omnia, si tot damnauit ad gehennam? Item: *Miserator, & misericors Dominus; longanimis, & multum misericors: Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis; neque secundum iniquitates nostras retribuet nobis*: at quomodo assereret Propheta, Non fecit, neque retribuit secundum peccata personarum, si tantam exegit de peccato originali vindictam?

(Eadem sententia de massa perditionis diuinam misericordiã vehemẽter offendi.)

(*Psal. 144. Psal. 107. Ibid. 9. Ibid. 10.*)

Adhæc scriptum est. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Et paullo ante: *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Dicitur etiam, *Non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*: & Iacobus, *Superexaltat autem misericordia iudicium*: At posita hac sententia, iustitia superexaltat misericordiam.

(*Sap. 11.*)

(*Ibid. 24.*)

(*2. Pet. 3. Iacob. 2.*)

(IV. argum.)

Quarto iudicium damnationis in gehenna non infertur nisi pro peccato personali, quia reddit vnicuique iuxta opera sua; &, *Referet vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum*: &, *Vnusquisq; onus suum portabit*: Suum, inquit, non alienum, neque commune illud originale. Et, Arguet mundum de peccato; non de illo communi, sed de eo, quia non crediderunt in me.

(*Rom. 2. 2. Cor 5. Gal 6. Ioan. 6.*)

Et istucut permitterentur venire in lucem post contractum originale, nisi ad maiorem condemnationem, & gehennæ argumentum? Nulli autem solo originali peccato infligitur pœna gehennæ: & multi sunt ab illo peccato purgati, qui tamen supplicium ignis æterni non euaserunt, vt Esau reproborum typus, qui per circumcisionem ab eo peccato sanctificatus est. Multi etiam olim circumcisi, & nunc baptizati, ac proinde immunes ab originali peccato, damnantur ad gehennam: ob alia ergo peccata propria, & personalia.

(Peccata solum personalia merẽt pœnam æternam.)

Nec vere essent viatores, quorum est pergere in patriam, siue proficisci in Terram promissam, sed essent hic damnati, & in termino: nec tenerentur ex charitate Deum diligere, quæ teste Thoma in communicatione vitæ æternæ consistit, si illam decreuit ex se minime dare. Et quomodo Paulus diceret: *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maranatha.* Potest ergo quisque diligere Deum.

(Proprium viatorum.)

(*B. Tho 2. 2. q. 24. art. 2. in concl. to. 11. par. 2. 1. Cor. vlt.*)

(V. argum.)

Quinto, idem colligitur ex vocatione Dei nam certum est, Deũ multos non prædestinatos ad cœnam magnam, & ad prandium, & ad nuptias vocare, quia multi sunt vocati, pauci vero electi: ergo vel illudit Deus, vel ad maius supplicium vocat, vel ironice agit nobiscum; cum tamen nonnisi in peccantem Adam ironia vsus fuerit: *Ecce*, inquit, *Adam quasi vnus ex nobis factus est*: miseri ergo essent, si vocarentur qui vocationem nolunt acceptare: & miseriores si acceptant, quia in ea non permanebunt.

(*Luc 14.*)

(*Mat. 22.*)

(*Gen. 3.*)

Frustra igitur Deus queritur, quod vocati non veniunt: *Quia vocaui*, inquit, *& renuistis*, qui tamen venire non poterant; cum essent relicti in massa. Frustra etiam dixisset Dominus ad Ierusalem: *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti?* Quod si multi ex vocatis respondent, qui tamen erant relicti in massa; vrgebo: Vel illis dat posse perseuerare, vel non. Si non cõcedit posse in vocatione permanere; ad maius igitur supplicium vocati sunt. Si vero illud concedat; ergo amplius non sunt in massa. Quare quod Augustinus dixit libro de corrept. & grat. capit. 8. in princip.

(*Prou. 1.*)

(*Mat. 23.*)

(Multis in massa perdita de relictis donũ perseuerantiæ in diuina vocatio. contingere)

Hic si à me quaratur, cur eis Deus perseuerantiam non dederit, qui eam qua Christiane viuerent; dilectionem dedit; me ignorare respondeo: Quaram & ego, Cur ignorabas tantus vir huius rei caussam, nisi quia ponebat Deum nolle hominem non prædestinatum cui dederat gratiam, vt posset perseuerare? Sed hoc est incredibile. Et ideo ipse in eodem libro de eo loquens, qui accepit gratiam, quod in ea non perseuerauit, illi imputat, & non Deo: quia potuisset, inquit, perseuerare si voluisset. Hac sunt eius verba: Iustior videtur excusatio dicentium, Non accepimus audientiam, quam dicentium, Non accepimus perseuerantiam: Quoniam dici potest homini, In eo quod audieras & tenueras, in eo perseuerares si velles. Hæc ille, melius propositæ quæstioni satisfaciens. Multi etiam ex his qui pereunt, sunt educti à massa peccati originalis per Baptismum, & facti filii Dei: *Quicunque enim*, ait Apostolus, *baptizati estis, Christum induistis.* Quod si filii sunt, ergo & hæredes per gratiam: habent etiam arrham vitæ æternæ, vt testatur Apostol. Ephes. 1. ¶ Si obiicias, tales non esse iure hæredes: Contra obiicio: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, & hic per gratiam, & perfecte in patria cœlesti per gloriam. Si rursus contendas; Sunt quidem filii in apparentia hominum, non autem coram Deo: quia de quibusdam ait; *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me*: & iterum: *Filij regni eijcientur in tenebras exteriores*; & omnes ex Christi præcepto dicunt, *Pater noster*: & quidam prædestinati non sunt, & tamen non mendaciter dicunt. Respondendum est, multos esse qui suis peccatis desciuerunt à dignitate filiorum: sed illos dum in ea dignitate persisterent, siue essent præsciti, siue prædestinati, veros filios Dei extitisse: & contrariũ vt hæreticum fuit damnatum contra Ioannem Hus in Concilio Constantiensi sess. 8. & in Tridentino Concilio sess. 6. Sexto, à Christo Domino argumenta sumuntur. Nam ille sanguine suo non deleuisset chirographũ decreti, quod erat aduersum nos, nec tulisset peccatum mundi: nec esset Saluator omnium hominũ: nec vt fortior abstulisset vniuersa spolia à forti dæmone: nec eius gratia, vel donum esset maius Adæ peccato: nec eius iustitia in plures abundasset: nec eius propitiatio esset pro peccatis totius mundi, vt ait Dilectus. Nam si valebat liberare omnes à peccato originali, quærimus, nunquid non voluerit applicare omnibus, vt pro eis solueret? Cur igitur? num inuidit Deus sibi ipsi, & gloriæ suæ? nunquid nos qui natura mali sumus, hoc faceremus? Dices; Voluit laudari de iustitia. Quasi vero nõ hoc iuste deberetur Christo, quod merita eius superabundanter, & in immensum promeruerunt: Adhæc, si Christus pro omnibus non est mortuus, cuius contrarium passim cantant Scripturæ; non erit igitur omnium hominum resurrectio. Si enim peccatum illud adhuc manet in omnibus relictis in massa perditionis, post baptismũ quoque susceptum, mors etiam omnibus illis dominaretur. quod tamẽ repugnat Scripturæ Pauli dicentis: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.*

Gal. 3. Rom. 8. Ephes. 1. Quod relicti in massa & ipsi sint hæredes Dei. Ioan. 1. Esa. 1. Mat. 8. Supra 6. Argumento respondetur. Conc. Constantien. to. 2. Trid. Synod. VI. arg. à meritis Christi. Coloss. 2. Ioan. 1. 1 Tim. 4. Luc. 11. Rom. 5. 1. Ioan. 2. Mat. 7. Contra illud Deus de massa perditionis noluit. Omnes eruere, vt suæ iustitiæ laudandæ locum relinqueret. 1. Cor. 15.

VII. arg. Septimo si hoc dogma verum esset, peior fuisset conditio bonorum Angelorũ, quam hominum saluandorum; & melior conditio dæmonum, quam hominum damnandorum. Nam illi potuerunt salui fieri, isti vero seruari nequaquam possunt. Frustra etiam custodia Angelorum, qui missi sunt propter eos qui hæreditatẽ capient salutis: neque deserunt eos quos custodiunt.

VIII. arg. Octauo expectat Deus ad pœnitentiam, secundum illud, *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* &, *Sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum*; &, *Conuertimini ad me in toto corde vestro, &c. quia benignus, & misericors est, patiens, & multa misericordia, & præstabilis super malitia*; rursus, *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnũ cœlorum*: item Apoc. 2. *Dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret de peccato suo.* Hæc omnia, & similia frustra dicerentur relictis in massa perditionis: & falsum esset quod Sap. 12. dicitur, Deum nõ dedisse tempus & locum pœnitentiæ.

IX. arg. Nono, periret vis sententiæ in generali iudicio contra reprobos: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, &c. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*: Poterunt enim respondere sibi non datum fuisse, cum essent in massa perditionis, vt illa bona opera præstarent. Periret & ignis inferni: nam ignis est, excidisse à visione gloriosa Dei: vermis vero, sua culpa excidisse. Et ita perditio non esset ex nobis, vt ait Oseas: neque verum esset illud: *Neminem vult perire*: neque verum esset in istis quod ait Apostolus; *Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem*, &c. Quia relictus in massa perdita, etsi vere euadere potest, non ergo in massa relictus.

X. arg. Decimò ab oratione, quam pro nobis, & omnibus facimus: & à præcepto corrigendi fratrem errantem; & ab eo quod subesse debemus pastoribus. Nã quisque iuxta formam à Domino præscriptam debet orare; *Adueniat regnum tuum*: nam omnis qui petit, accipit: quod si potest accipere, non ergo relictus fuit in massa. Iubet etiam orare pro omnibus vt saluemur, & pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt: at hoc frustra fieret, si esset impossibilis illorum sa-

Hebr. 1. Rom. 2. Infra 9. Ioel 2. Mat. 3. Apoc. 2. Sap. 12. Mat. 25. Quis ignis qui non extinguitur, & vermis qui non moritur. Esa. 66. Marc. 9. Ose. 13. 2. Pet. 3. 2. Tim. 2. Mat. 6. Iacob. 5. Infra 10. Heb. 13. Mat. 6. Infra 7. Iacob. vlt. 1 Tim. 2. Mat. 18.

lus. Iuber etiam cuiq; ne corrigere fratrem suum vsq; ad septuagies septies; & indistincte omoem fratrem, non tantum prædestinatum, qui nobis ignotus est, sed quemuis fratrem, qui sæpe de prædestinaris oon est. Vel ergo potest corripi, & sic nõ est relict⁹ in massa: vel nõ potest, & sic frustra adhiberetur correptio, & nõnisi ad maius eios supplicium: uñ melius erat illi non cognoscere

2. Petr. 2.

viam iustitiæ, quam post agnitionẽ retrorsum conuerti. Præcipit item: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi.n. peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et minatur pastoribus, à quib. sanguinem tequirit, si perdaotur oues: quomodo autẽ requireret sanguinem ouium à pastorib. si pastorum culpa non sunt perditæ, sed relictæ in massa? Adde, quod sæpe pastores de prædestinatorum numero non sunt, & ita ad regnum Dei non attinerẽt: & imprudenter talibus cõmitterentur ones, quod nouit De⁹ sua præscientia extra gregem esse. Vode & orta hæresis Ioanois Hus, dicitis pastores, & prælatos veros non esse, nisi illos, qui fuerint prædestinati.

Heb. 13.

Ezech. 33.

Pastores Dominici gregis cen sentur præ destinaó non omnes

XI. arg. Mat. 26.

Vndecimo, pro cunctis sacrificiũ mediatoris in altari offertur, qui Christiano nomine censeotur, siue salnandi sint, siue damnandi. Sacramẽtõ etiam Pœnitentiæ, & Absolutionis omoib. volentib. offertur: quod si illa Sacramenta omnibus religiose accedentibus prosunt ad salutem, non est quisquam relictus in massa. Si vero quis dicat, tantum prædestinatis prodesse, magna iniuria fieret Sacramẽto, quod omnibus indifferenter ad ipsorum salutem adhibetur, & fructus eius, si digne accedant, suscipitur: quem qui negaret, iniurius esset Sacramẽto, & hæretice de illo sentiret: oam alioqui non prædestinatus accedens, ad maius sumeret supplicĩu, & res per se salutaris noceret, & ab indignis perciperetur.

XII. arg.

Duodecimo, petirent exhortationes Scripturarum, quæ frequentissimæ sunt, & vehementes, vt illæ: *Noli peccare, ne deterius tibi aliquid cõtingat: Qui se existimat stare, videat ne cadat;* &, *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam;* &, *Adiuuantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Petirent similiter exprobrationes, vt: *Quid est quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas? Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi: Vtinam saperent, & intelligerẽt, ac nouissima prouiderent: Vtinam attendisses (Israel) mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris: Conuertimini à vijs vestris pessimis: et quare moriemini domus Israel? Si popul⁹ meus audisset me: Israel si in vijs meis ambulasset; Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, &c.*

Ioan. 5.
1. Cor. 10.
Apoc. 3.
2. Cor. 6.

Esa. 5.

Infra 63.

Rom. 10.

Deut. 32.
Esa. 48.
Ezech. 33.
Psal. 80.

Et similes moltæ seoteotiæ leguntur, quæ indicaot in nobis sitam esse salutem, nisi illam sponte respuamus, & recusemus. Postremo, ab absordis sumitur argumentum nõ infirmum. Nam per hoc dogma gratia Dei, & misericordia nimiũ angustatur, nec ita efficax ex parte ipsi⁹ Dei ponitur: & sangoinis Christi merito plurimũ derogatur: fallaces reddũtur Scripturæ, & promissiones Dei.

XII. arg. ab incommodis.

Præter has duas præcipuas seoteotias, est alia tertia nunc communior, ac receptior sanct. Thomæ in summa, vbi tradit, ad prouidentiam Dei pertinere aliquem defectum in rebus, quæ prouidentiæ subduntur, permittere, & cum per diuinam prouidẽtiam homines in vitam æternam ordinẽtur, ad eandem pertinere, vt aliqoos permittat ab isto fine deficere, quod dicitur reprobare. Vnde sicut prædestinatio includit voluntatem conferẽdi gratiam, & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittẽdi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa. Sed qua ratione scrupolosorum animum quietum reddere valeat hæc opinio? quomodo satisfaciet illorum quæstionibus multis? Nam si primum quæras, quid est quod Deus quosdam prædestinet, quosdam vero reprobet? Si voce reprobationis cum multis intelligas voluntatem puniendi pœna æterna; in promptu est responsio; tuum peccatum facit Deum vltorem. Si autem pro æterna Dei voluntate permittendi cadere in culpam, tunc facile dabo responsum. Hos quidem prædestinat Deus, quia scilicet bon⁹ est, & vult illis hoc excellens donum largiri, & non omnibus. An oculus tuus nequam est, quia ego bon⁹ sum? Si rursus loquiras, quare alios non prædestinauit? Sed inepte hoc loquitur: impossibile est enim omnes esse prædestinatos, siquidem prædestinatio importat electionem quorũdam præ aliis. Si pergas amplius, & vrgeas, cur potius illos, & non me: audi: nõ quia illos prædestinauit, ideo quicquam tibi sublatum est. Nec enim ille gradus erat omnium, vt etiam vidit Ethnicus quidam Poeta, qui te poterit instruere.

Quæstio scrupuloso rum de prę destinatione.

Mat. 20.

Quæstio alia inepta

Pauci, inquit, *quos æquus amauit*
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.

Virg. 6. Æn. prope init.

Et in corpore varia cernimus membra, & in Republica varia officia, & in familia varias personas, & in magnis ædibus diuersa vasa ad vsum domesticũ: & tamen non omnibus membris datum est, vt sint caput, aut oculi; nec in Republica omnes sunt equites omnes magistratus, nec in familia omnes sunt filii, mancipia sunt etiam; & in prin-

Altera solutio.

cipum domibus non omnia vasa palam exhibentur ad mensam, multa relinquuntur despecta. Nil mirum ergo, si in magna Dei domo aliqui sint, qui ad magna munia, ad Regias dignitates admittãtur; aliis inferioribus, ac despicabilib. addictis muneribus

Obiectio alia.

Quod si demum opponas tuam miseram sortem, qui ad gratiam Dei huius magnæ domus dominum peruenire non possis, qua ad regnum eius admittaris:

Respõsio.

Dixi iam tibi, nihil tibi sublatum esse, liberum tibi, ac integrum esse Deum inuitantem admittere; ei morem gerere; ac culpam non committere; quod si committis, sponte tua con temnis vocantem, ac volens peccas; volens ergo supplicium tibi accersis, & à regno excluderis. Dei tua ergo sorte dole, in quam tua culpa venisti, de te, & non da Deo querere. Atque hæc sint satis de difficili quæstione: & de ratione scrupulos adimendi circa prædestinationem, & reprobationem.

DISPVTATIO XXIII.

In illa verba: *Quos autem prædestinauit, hoc & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? &c.*

POst tam longã de articulo Prædestinationis & reprobationis digressionẽ, tãdem ad literam Pauli redeundum est, in qua nullum dubiũ occurrit dissoluendum, cum tot ac tanta dubia de hac materia nobis disputata sint: quædam tantummodo circa textum excutiemus. Perpende igitur in primis, Paulum gradationis figura hoc loco vsum. Contexit enim catenam quinque articulorum, quorum primus, est Præscire: secũdus, Prædestinare: quæ duo æterna sunt in Deo; sicut tria sequentia, Vocare, Iustificare, & Magnificare, in tempore fiunt. At vero quoniam Iustificationis fundamentũ est fides, quæ auditũ suscipitur; primus prædestinationis effectus est vocatio: nam vox ad aures fit. Vnde illud: *Quomodo credẽt ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Hæc autem vox duplex est, altera externa prædicatoris ad aures corporis, altera interna per prędicationem Dei ad aures cordis. Et vtraque rursus duplex, altera quidem vitio nostro, & duritia cordis non pertingens ad effectum: vt qui se excusarunt venire ad cœnam, & ad nuptias, & Dominus; Si non venissem, inquit, & locutus fuissem eis, &c. de qua voce hic non est sermo. nam hoc modo non solum prædestinatis, sed vniuersis mortalibus Euangelii tuba eos vocans insonuit. Altera vero est, quæ suum sortitur effectum, vt in adultis Euangelium suscipientibus: nam fides non est ita opus Dei, quia assensio nostra sit necessaria, ad quod opus est vocatione dicente: *Venite ad me omnes*; & *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit* (id est assensu accepit verbũ Dei) *venit ad me*. Sunt etiam quidam qui vocantur in diem, & ad tempus secundum prę sentem iustitiam, vt Iudas, & Nicolaus, vel illi, qui significati sunt in his, in quib. cecidit semen secus viam, vel in petrosis, vel in spinis, Luc. 8. *Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*: quanquam hoc culpa sit vocatorum, non vocantis. Quidam vero vocantur secundum æternum DEI propositum, & prædestinationem, de qua hic ait: *Hos, & vocauit*, certissime scilicet, & fixe: & ita interpretatur Augustinus libr. de natura & gratia, & ad Paulinum. Et quia iam in multis erant impleti isti effectus qui narrantur, & ob certitudinem prædestinationis, more prophetico loquens, de præterito dixit, *Vocauit*: præterquam quod seruare voluit decorum ad verba præcedentia in eodem tempore, præsciuit, & prædestinauit. Et licet simul tempore sint vocatio, & iustificatio: præcedit tamen natura vocatio iustificationem. ¶ Nec possunt hæretici hinc accipere, solos prædestinatos iustificari: quia cum diuina verba, atque opera fictione careant: Quicunque baptizati sunt in Christo, Christum induerũt. Constat autem, multos nouis peccatis postea coinquinatos, & à fide naufragium fecisse: multos item, qui gustauerunt donum cœleste, & prolapsi sunt, quos Apostolus dicet impossibile esse renouari ad pœnitentiam. Sũt igitur quidam ad tempus vocati, & quidam ad tempus iustificati. ¶ Verbum autem illud *Magnificauit*, Græce habetur ἐδόξασε, hoc est glorificauit, vt nonnulli etiam codices Latini habere ostenduntur, & Augustinus interpretatur libr. de correptione & grat. capit. 9. à medio, allegans illud ad Coloss. 3. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria. Etsi verbum Magnificandi maxime congruat illis, qui immobiliter prædestinantur ad gloriam, qui simul cum gloria magna, & excelsa dona accipiunt: vt esse Dei filios,

aut

Rom.10.

Ibid.14.

Vox, seu vocatio Dei duplex est.

Luc.14. Mat.22. Ioan.15.

Mat.11. Ioan.6.

Quid illud Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, &c.

Marc 3. Act 6. Luc.8.

B. Aug. c.5. & c.17 l. de Prædestin. Sanct. & alibi passim, to.7. Idem epist 59. in solu. 6 q.10.2.

Duab. de caussis Apostolus Verbum vocauit, per præteritum expressit.

Gal.3. 1.Tim.1.

Heb.6.

Magnifica re pro glorificare.

B.Aug.t.7.

Coloss.3.

Quos vere ac proprie magnificet Deus.

Mat.5.

aut similes esse Filio Dei,& quæ sunt huius-modi.Ita Dominus dixit: *Qui fecerit, & do-cuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum:*& de Ioanne Baptista:*Hic erit magnus coram Do-mino.*

Luc.1.

Quid vsus interrogationum tam frequens hoc loco significet.

Sequitur:*Quid ergo dicemus ad hæc?*Incipit ab hoc loco Apostolus magnifica,& præcla ra beneficiorum dona,quæ in filios,& hæ-redes Dei conferuntur,commemorare.Et plena est hæc pars interrogationibus, qui-bus proditur Paulini pectoris flagrans cha-ritas, & vis quædam inflammandi animos nostros in Dei amorem. Et eum superius probasset, diligentibus Deum omnia coo-perari in bonum,quia nihil illorum animis nocere poterat, quos Deus peculiariter gu bernat,prædestinando, vocando,iustifican do, &c. probat iam maiorem propositio-nem scilicet, à nemine lædi posse eos,quos sic Deus gubernat,nempe,neq;ab vlla pœ-na, neque ab humani generis hoste, neq; à malo culpæ.*Quid ergo*,inquit,*dicemus*?id est, Quibusnam verbis gratias agere possumus aut, Quomodo non repleamur immenso gaudio, quod Deum talem habeamus, & tam propitium , & nostri amantem; aut Quis poterit negare, diligentibus Deum, omnia cooperari in bonum?aut, Quæ pol-sunt esse diuinæ voluntatis impedimenta?

Quorum in persona dicatur: Si Deus pro nobis, quis contra nos? & quare.

¶ *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Primum obseruaq; Paulus, vt superius variam perso-nam egit, id est, Pagani existentis in natu-ra lapsa, & Iudæi, & Iustificati,siue repara-ti per Christum: ita nunc induit personam electorum, siue prædestinatorum doctri-næ gratia: quanquam ipse reuera vnus esset ex illis,& magna pignora suæ electionis ac cepisset.Vnde & Vas electionis à principio suæ vocationis à Domino meruit appella-ri.

Act.9.

Cum tot contrarios nobis hostes habeamus, quomodo id Paulus affirmat? 1.Pet.5. Ephes.vlt.

Deinde expende,quod non negat Apo-stolus esse contra nos aduersarium , quia pugnaret cum eo apostolo Petro, qui dixit; Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: imo secum qui dixit:*Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem , sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi recto-res tenebrarum harum.* Sed perinde est ac si dixisset, Quis contra nos?id est, Quis præ-ualebit nobis? Hinc Iob: *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*; & Dauid; *Dominus protector vitæ meæ , à quo trepidabo?* Item Esaias, *Stemus simul: quis est aduersarius meus,accedat ad me?*Martyres sunt qui huius veritatis sententiã certo experimento pro-barunt.

Iob 17. Psal.26.

Esa.50.

In quibus maxime verum illud fuerit:

Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et indefinite dicendo, *Qui*, sub audiendum est pronomẽ Ille qui.Et in Græco codice non est pro-nomen *suo*. Et Hilarius libr.6.de Trinitat. ponderat dici, proprio, & non,suo;ad ex-plicandum quod sit ipsius Patris solius. Et de præterito habent multi codices, Dona-uit,etsi Græci habeant de futuro,Donabit, quod magis consonat Græcæ literæ, id est, largietur. Nec obstat quod non omnia mo do sunt donata: quia more Prophetarum præteritum posuit pro futuro , ob rerum quæ promittuntur firmitatem, & promit-tentis fidelitatem. Quod ergo ait, *proprio Filio non pepercit*, vehementissime expressit doni magnitudinem: Nihilo enim homo eorum quæ possidet , reliqui fecit vt pro-prio Filio parcat:& tamen Deus illi vnige-nito,& sibi per omnia pari, vt nobis parce-ret,qui natura eramus filii iræ, & perditio-nis,non pepercit, sed pro nobis omnibus il lum tradidit ad acerbissimam , & ignomi-niosissimam mortem: quare nec mirum si Deus filios suos adoptiuos permittat affli-gi,qui naturali non pepercit. Et tradidit il-lum,ponendo in eo iniquitates omniũ no-strum,& permittendo mortem,quam mul tis modis impedire poterat: & inspirando Christi animæ, vt pro gloria Patris,& salu-te nostra ex charitate sese morti obiiceret. Et,*pro omnibus*, non solum prædestinatis,in quibus efficaciam habet mors Christi, sed etiam ad sufficientiam pro omnibus , qui tanto DEI dono nuntium non remit-tunt.

Si Deus pro nob s, quis côtra nos? B.Hilar. circa fi.di.

Donum Filij Dei oobis collatũ quam grãde. Ephes.2.

Tantum Filiom vti oobis tradidetit Pater. Esa.53.

Cum ait : *Quomodo non etiam cum ille om-nia nobis donauit*, argumentatio est à maiori ad minus, siue à difficiliori ad minus diffi-cile.Et alludit ad illud : *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Nam si Filium no-bis inimicis dedit, quem fecerat vulneræfo-rum hæredem;quomodo non eiusdem hæ reditatis Deus non fecit esse participes? nã in gloria electi per visum Dei omnia possi-dent. At enim Gregorius : *Quid est quod non vident,qui videntem omnia vident ?* Ideo Paulus alibi ait : *Omnia vestra sunt;vos autem Christi;Christus autem Dei*. Omnia etiam,se-lecta,& eximia dona, & proxima illis quæ Christo data sunt, contulit. Et nobis, pro ratione vocationis nostræ,& gradus, quem in Ecclesia Dei sortimur,& quæ ad honorẽ ipsius sanguinis Christi faciunt, distribuit: quare quicquid ad decorem,& meritũ san-guinis Christi, quo redẽpti sumus, facit,& Ecclesiæ donabile erat, nobis contulit. Vnũ ergo donum est posse saluari; alterũ,& ma-ius omnino saluari.Item posse consentire vocationi, donum est egregium, sed præstã tius cõsentire.Item posse perseuerare, gra-tia

Rom.8. Supra 5. Heb.1.

B.Greg.

1.Cor.3.

Quatenus omnia nobis donauerit Deus

Ineptea ridicula quorundam interpretatio reuectur.

Ioan. 1.

tia Dei est, sed præstantior etiam omnino perseuerare. Nec intelligas, omnia vni data, vt quidam stulte cogitant, sed omnibus, quia de plenitudine eius nos omnes accepimus. Et Christi Ecclesia omnia Christi merita, & dona possidet, non autem quisque omnia. Et inter hos Apostoli summa, & plura acceperunt. Et nihil valent Hæretici ex hoc loco colligere, videlicet nulla esse merita nostra, aut nullas esse satisfactiones in operib. bonis: sed vt illa duo in Christo summa fuere, & quæ nulli alteri in eo gradu possunt competere, ita proportione quadam in membris suis inueniuntur. Et si hæc dona merendi, aut satisfaciendi Patri placato (cui soli possumus satisfacere) non essemus consecuti, profecto non omne excogitabile donum dedisset: in quo sanguinis eius detraheretur. ¶ *Quis accusabit aduersus electos Dei?* Depulit è pectoribus filiorum Dei Apostolus pœnæ timorem: progreditur ad malum culpæ etiam ab eis auferendum, vt eos securos reddat, tam ab accusante actore, quam à condemnante iudice. Et ita comprobat, electos ad gloriam esse prædestinatos nec ab ea posse excidere.

Neminem accusare aduersus electos Dei cur Paulus asserat.

Et sumit id quod accipi poterat contra eos, peccata scilicet eorum, & accusatorem, & iudicem condemnantes, quos nihil posse aduersus electos ostendit. Et recte ait, electos, non vocatos, vel iustos: nam sunt vocati, & iusti ad tempus, qui tamen accusationis non erunt immunes. Sed electos, id est prædestinatos, & secundum propositũ vocatos. Ac eligere quidem, est, ex multis vnum aliquid probare præ aliis: accusare vero, est improbare. Quod si quis peritissimus in eligendis equorum, vel auium pullis, aliquid iuxta artem, in qua peritus est, seligeret, nullus se illi opponeret, nec auderet in re à se electa quicquam reprehẽdere; Quis ergo reprobabit, aut accusabit, quos Deus sapientissimus, & falli nescius approbauit? Aut quid profuit Pharisæis, Apostolos non ieiunantes, sed vellentes spicas, accusasse; aut quid adulteram in conspectu eius accusantes adduxisse; aut Simoni Pharisæo quid contulit detulisse peccatricem lauantem pedes lacrymis, & illos vngentem, & osculantem? Nihil etiam Apostolis, aut Iudæ contulit inculpasse sororem Lazari pretiosissimo vnguento Christum inungentem. Dæmon quoque frustra Iobem, & fratres calumniatus est, vt dicitur Apocalyp.12. ¶ *Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?* Augustinus lib.3. de Doctrina Christiana, ca.3. annotauit in his verbis esse percunctationẽ, cum, iuxta Rhetorum regulam, per plura membra respondetur: quemadmodum ad quæstionem datur simplex responsio affirmans, aut negans. ¶ Dupliciter igitur potest hic textus legi, aut interrogationẽ interrogatione altera dissoluendo, in hunc modum. *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat?* quasi diceret, Nequaquam: nõ enim simul stant, quod is qui iustificat, de peccato arguat. Ita in altera clausula: *Quis est qui condemnet?* Et subdit: *Christus Iesus qui mortuus est, &c.* Id est, Nunquid ille qui mortuus est ob peccatum nostrum extinguẽdum, & resurrexit propter iustificationem nostram, & sedit ad dexteram Dei, vt vitam possit dare aliis, & facere illos consedere secum in cœlestibus, & qui interpellat pro nobis, vt aduocatus, cuius munus est accusatorem refellere, & condemnationẽ iudicis impedire? quasi dicat, Minime. Secundo potest legi hic textus sine interrogatione, sed cum figura Ironiæ, & risu quodam: quemadmodum illud: Ecce Adã quasi vnus ex nobis factus est. Tertio possunt accipi sine interrogatione, & sine ironica responsione, vt in templo Dei ab hippodiaconis legi solent: in quos multis & contumeliosis verbis debacchatur Erasmus, quod sine interrogatione legant. Quare responsiones illæ: *Deus qui iustificat:* &, *Christus Iesus qui mortuus est, &c.* vt positiones sunt accipiendæ, ex quibus impossibile colligitur illos damnari, in hunc scilicet modum: Deus est qui iustificat electos suos, quis ergo accusabit Deo iustificante? Item, Christus mortuus est pro nobis, quis ergo condemnabit nos, cum sit ipse iudex? Ad eum modum interpretantur Patres veteres. Origenes, Cyrillus libro 10. in Ioan. capit.40. Theophylactus, Hilarius quoque lib.10. de Trinit. & Augustinus lib.4. de doctrina Christ. capit. 26. & Gregorius libr. 7. Registri, epistola 55. ¶ Et iustificare hoc loco, idem est quod absoluere reum in iudicio id est, pronuntiare per sententiam innocentem. Aliter vero accipitur, quando dicitur, Iustificari ex fide.

Aduersus electos Dei potius quã vocatos vel iustos cur nulla sit accusatio.

Accusationes quædã electorum Dei, sed inutiles, & inanes.

Matt.12. Ioan.8. Luc.7. Matt.26.

Iob.1. Apoc.12. Aug. 10. 3.

Huius lenis cum interrogatio.

Deus qui iustificat: quis est qui condemnat? qui sẽsus sit.

Rom.4. Hebr 12. Ephes.2. Heb 7. 1.Ioan 2.

Gen.3.

III. interpretatio illorũ verborum.

Orig.10.2. Cyril.10.1. Theophyl. Hilarius. Aug.10.3. Greg.10.2.

Et peculiariter ait, Christum esse pro nobis mortuum, ne quis diceret, quod ille vt solus sine peccato potest mittere lapidẽ in peccantem; & solus vt legislator accusaturos sit transgressores legis: quemadmodũ Moses legislator accusat suos Ioan. 5. vel quod vt supremus iudex viuorum, & mortuorum est cõtra illos pronuntiaturus sententiam: nam Christus non accusabit iustos, pro quib. est mortuus. Et pronomen illud, Pro nobis, referendum est ad omnia verba superius posita, nempe, mortuus est, resurrexit, sedet, interpellat. Et idem est verbum, *interpellat*, quod superius illud

Ioan 8. Supra 5. Act.10.

Aliter nos postulam' aliter Christus pro nobis Patrem interpellat. 1.Ioan.2. Luc.22. Ioan.14.

de Spiritu sancto, postulat: quia videlicet nos miseri, & excitati ab Spiritu sancto postulamus: at Christus ipse pro nobis vt mediator, & aduocatus interpellat. Et licet pro Petro rogauerit ne deficeret fides eius; promisit tamen suæ intercessionis patrocinium, cum dixit; *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*: cuius patrocinium, sicut & mors, vniuersis hominibus expositū est: nisi tamen sint qui velint se tanto bono priuare, quibus imputādum est si pereant, & tanta beneficia mortis Christi, & intercessionis suæ repellant.

Cōtra illud primum Hæreticorum corollarium: Omnes fideles se esse in gratia Dei, certo credere debent. 2.Cor 1. Aduersus alterum: Non sunt vllæ satisfactiones in vita nec pręsēti nec futura. Luc.3. 1.Cor.3.

Ex hac autem sententia male colligunt Hæretici dogma de certitudine gratiæ, quā omnes habere tenentur. Sed certe incipiētes, ac prouectiores à conscientia remordēte accusantur: nec vllus est vel dæmon, vel homo, qui accusare possit iustum, dum viuit, accusatione quę pertingat ad sententiam iudiciariam: quia hoc iudicium solus Dei est. At perfecti conscientiam habent pacatam, qui dicere possunt cū Apostolo: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientię nostræ. Deinde ex eisdem verbis eliciunt, non esse vllas hic satisfactiones, vel post vitam hanc in purgatorio: quia quos Deus iustificat, nō est qui condemnet. Verum profecto Apostol' nomine iustificationis tres Pœnitentiæ partes comprehendit, nempe Contritionem, Confessionē, & satisfactionem: vt qui initio dignos pœnitentiæ fructus nō egerunt, exigat per Sacerdotes, qui claues Ecclesiæ habent in hac vita, vel in futura, vt salui fiant, sic tamen quasi per ignē.

III. eorum corollariū. Sancti pro nobis non orant, infirmatur. 1.Tim.2.

Tertio colligunt, sanctos pro nobis non orare: quod hoc munus interpellandi solius sit Christi. Sed si etiam illud daremus, preces nostras à Sanctis non cognosci, vt volūt adhuc tamen illud recte infertur, quod iusti si se votis & precibus mutuo iuuant, dū viuunt, cur non magis in patria, in qua sunt in charitate cōsummati, pro amicis, & coniunctis precabuntur? Etsi ergo Christo Domino sit proprium interpellare, tanquam mediatorem inter nos, & Deum, cui iure debetur quicquid pro nobis postulauerit: tamen interpellare, vt Dei amicum, & aduocatum, cui iure non debetur quod pro nobis postulat, nec ob id est autor collati beneficii, hoc omnibus Sanctis commune est: quos propterea dum precamur, vt partes nostras apud Deum agant, non colimus latria, vt Christum, sed dulia.

Aliter diuos, aliter Christum adoramus. Idem quomodo Patrem pro nobis interpellet.

¶ Neque cogitandum Christum pro nobis Patrem genibus flexis interpellare: sed sua interpellatio est, Patri pro peccatis electorum victimam suæ mortis offerre, & petere vt propter se donentur electis omnia ad salutem necessaria. ¶ *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? &c.* Hæc est vltima interrogatio, quę superiori orationi consentit, & quam Augustinus in exēplum producit eorū, quæ in Scriptura cum vehementia prolata sunt. Cohæretque cum præcedentibus hoc modo: Si Deus prędestinat, vocat, & iustificat, ac magnificat, tantaque pro nobis passus est, & interpellat pro nobis: quid erit tam acerbum, ac difficile, quod possit nos ab eo diligendo separare? Vel: si nemo accusare potest electos, aut damnare; quis erit qui audeat asserere, illos excidere posse à gratia, & charitate Dei, ac per hoc damnari? quasi dicat, nullus. Et ostendit, inefficaces esse omnes causas, quæ possent idoneæ censeri vt diuellāt hominem à Deo. ¶ Et in dubium venit, quæ sit illa charitas Christi, à qua separari non possumus. Hæretici autem libenter intelligunt de charitate, non qua nos Christum diligimus, sed qua ille nos diligit. Sed profecto etsi probabilitatem quandam, & apparentiam habeat, sic esse accipiendā charitatem propter verba præcedentia: Mortuus est, resurrexit, interpellat, & nonnulli ita sint interpretati: solidius tamē, & magis est Catholicum, charitatē Christi accipiendam illā, qua nos Deum diligimus, etiamsi aliter interpretetur Theodorus Beza. Et hoc ex multis euincitur. Primo quia si sensus esset de Christi amore erga nos, non diceret, Quis nos separabit à charitate Christi; sed, Quis Christum separabit à charitate nostra? Deinde, quia superius sermo erat de nobis diligētibus Deum, quibus in hac sententia probat omnia in bonum cooperari. Tertio, quia subdit de charitate electorum: sed in his omnib. superamus propter eum qui dilexit nos: quibus in verbis charitatem qua vincimus propter Deum, colligimus, etiamsi ille diligat nos. Quarto, quia de hac eadem charitate infra repetens ait: *Certus sum quod nulla creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*; ad differentiam Iudæorum, ait Oecumenius, qui diligunt Deum sine Christo. Quinto, quia similibus nominibus fides Christi, aut Dei, aut iustitia Dei, salus Dei, non accipiuntur pro fide qua Christus credat, vel qua Christus sit iustus, aut saluus, sed pro illa, qua Christus nos reddit credentes, iustos, & saluos: vt docet Augustinus. Ergo charitas Christi, vel charitas Dei illa erit, quæ à Deo per Christum nobis datur. Sexto: cum ait, *Tribulatio? angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* illa certe non contra Dei charitatem, qua ipse nos diligit, sed

B Aug. l. 4. de Doctrin. Christ c. 20 post med. to. 3.

Theod. Beza

I. ratio, pro posteriori sensu, s. de charitate erga Deū nostra. II. III. IV.

Oecū. c. 14. in fine. V.

VI.

contra

contra eam, qua efficit nos dilectores, militare accipienda sunt. Septimo, in hac nostra charitate, Dei quoque dilectio continetur quia scriptum est: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, &c.* Et iterum: *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis*: ac rursus, *Ego diligentes me, diligo.* Et licet ad tempus electi excidant à charitate; non tamen vsque in finem, ita vt nō ad eandem reuertantur. Postremo Patres ita hunc locum interpretantur, vt Origines, Ambrosius, & Hieronymus epistol. ad Algasiam quæstione nona. *Si Paulus*, inquit, *in Deum tanta est charitatis, vt nec metu mortis, &c.* nec gladio possit separari à charitate eius, &c. Chrysostomus de hoc loco ait: *Sed etsi nos tam ingrati, verum non ita beatus Paulus qui tanta feruebat & ignitus erat charitate in Deum, vt verba illa tanto viro digna loqueretur, & clamaret, dicens; Quis nos separabit à charitate Dei?* & quæ sequuntur. Thalassius centur. 3. de charitate: *Robur animæ est habitus virtutis difficile mobilis & immobilis, quem assecutus dicit cum beato Paulo: Quis nos separabit, &c.* Et Augustinus lib. de morib. Eccles. edisserens hunc locum, charitas Dei virtus dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est: si in alio est, fauet vt coniungamur Deo, si in nobis est, ipsa coniungit. Bernardus quoque sermon. de duplici baptismo, in eodem sensu accipit. ¶ Quidam tamen Lutherani ausi sunt interpretari: *Quis nos separabit à charitate Dei?* id est; Quis efficiet vt dubitemus de charitate, qua Deus nos diligit, vt non firma fide illam teneamus? Sed hæc destructio est verborum, quæ ad improprium sensum declinant. & hæc confingūt, ne tantum dignitatem arrogent charitati, & operibus nostris. Et Deus certe nūquam à nobis diligendis se subtrahit, nisi quia ipsi nos ab eius charitate diuellimus. Et hæc est tribulationum huius vitæ natura, vt amore Dei nos spolient. Contraria est charitatis virtus, quæ nulli cedit, nec, vt Salomon ait, flumina obruent illam: quæ in omnibus virtutibus operatur tanquam earum forma. ¶ Etsi vero non personas, sed res aduersas recenseat, vt tribulationem, famem, angustiam, &c. superius tamen non dixit, Quænam res separabit nos, sed, Quis: alludens ad id: Si Deus pro nobis, quis contra nos? &, Deus qui iustificat: quis est qui condemnet? vt ita aduocato nostro Christo hostilem opponeret personam. Et quia omnino hæc omnia mala, & infortunia velut instrumenta quædam sunt & machinæ, quibus hostes nostri nos oppugnant; nempe caro, mundus, dæmon. ¶ Et septem nominum exaggeratione, indissolubilem amoris nexum effert: siue ob Spiritum sanctum, qui illum numerum Spiritui septiformi conformem suggessit; vel quod his septem vniuersas calamitates huius mundi comprehendit. Et non dixit, Gloria, potentia, honor, fama, deliciæ, & similia bona, sed illa tantum, quæ humanę menti vim inferre solita sunt, & illam vehementer deterrere. Horum tria facit genera, præsentium, quæ vel actiones sunt, vel priuationes tristitiam inferentes: & futurorum, quæ metum incutiunt, ac si diceret; *Tribulatio.* quæ est aduersitas ab extrinseco: Non: quia Apostolus gloriatur: in tribulationibus. *Angustia?* Non: quia in omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. *Fames?* Non: quia horum tolerantiam in Christo iactat, cum ait: *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus & colaphis cædimur, &c. An periculum?* Non de cuius speciebus in posteriori ad Corinth. multa proponit: In mari, & in terra, & in falsis fratribus, & in eis exultat. *An gladius?* Non: quia illo tandem cupiebant absolui huius vitæ vinculis, vt Iacobus Zebedæi, & Paulus. Pro tribulatione enim consolantur: pro angustia, corda dilatantur: pro fame, & siti, manna pascuntur: pro nuditate, vestiuntur Christo: pro persecutione beatificantur: pro periculo, fiunt securi: pro gladio, verā vitam inueniunt. ¶ *Sicut*, inquit, *scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die.* Ne nimis difficile, ac durum videatur tanta pati, aut gloriæ, & iactantiæ caussa hæc produxisse iudicari posset; testimonium adducit ex Psal. 43. in quo antiquorum Patrum afflictiones narrantur, qui ob conseruatam religionem, à tyrannis tanquam hostiæ Deo acceptæ mactabantur: in quo figuram gerebant Martyrum Euangelicæ Ecclesiæ. Et introducuntur Martyres veluti conquerentes, quod immerito sæua illa supplicia paterentur. *Hæc omnia*, inquiunt, *venerunt super nos, nec obliti sumus te; & inique non egimus in testamento tuo, & non recessit retro cor nostrum.* Non quod vera esset in eis querimonia, aut vera laus. quæ in ore proprio vilescit: quo enim sancti maiores sunt, eo se solent magis demittere; & non ignorant passiones huius temporis non esse condignas ad futuram gloriam: illo tamen dicendi charactere Dauid vsus est, vt admoneret filios huius seculi, ne dū viderent filios Dei tam immania tormenta perferre, cogitarent in caussa esse eorū demerita, vel à Deo derelictos esse, & obliuioni traditos, sed omnia illis cooperari in bonum, vt docet Paulus. Et ait: *quoniam propter te*: quoniam teste Augustino, martyrem facit non pœna,

sed

VII. *Ioan. 14.* *Infra 16.* *Prou. 8.* VIII. ratio. *Orig to. 2.* *Amb. to 5.* *Hier. epist. 151. to. 3. circa med.* *Chrys. ho. 55. in Gen. circa med. to. 1.* *B. Aug c. 11 to. 1. circa fi.* *B. Bern.* *B Bern.* *OKinus.* A charitate se separet quandō Deus nostri: virtus charitatis. *Cant. 8.* Quare Apostolus non dixerit: Quæ res, sed, Quis nos separabit à charitate Christi? Rerum septem quæ separare nos possūt à charitate Christi, Paulinæ enumeratio nis mysteria. *Rom. 5.* *2 Cor. 12.* *Supra 4.* *1. Cor. 4.* *2. Cor. 11.* *Act. 12.* *Philip. 1.* Quam verum fuerit ex iis aduersitatib. septem, electis Dei nullam penitus nocuisse. *Psal. 43.* Locum Prophetæ? Quoniam propter te mortificamur tota die, &c. cur Paulus attulerit: eadem verba maxime conueniāt quib. *Ibid. 18. & 19.* Quo illa Spiritu proferantur. *Rom. 8.* *Ibid. 28.* Sancti mortificentur quare propter Deum *Aug. ser. 4. & ordin. ser. de Sanctis, 2. to. 2.*

Matt. 5. Infra 16.

sed caussa. Hinc Christus dixit: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; &, Qui perdiderit animam suam propter me.* Etsi gloriosum fuit Christo pati pro iniquis membris: quare non gloriæ sibi ducet membrum pro gloria capitis occumbere, quod tamen naturaliter membra faciunt pro tuendo capite.

Quid hoc loco mortificari. Coloss. 3.

Mortificare hoc loco non est proprie corpus macerare per pœnitentiam, iuxta illud 3. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram: sed pro eo quod est morti tradi, siue ad acerbam morti rapi. Et tota die: siue quod vnus post alium abduceretur ad mortem, siue, quod singuli multis suppliciis probarentur, vt fidem desererent, donec animam exhalarent. Et subdit: *Aestimati sumus sicut oues occisionis.* Nam sicut Christus factus est pro nobis agnus obmmescens, ita Martyres victimæ fuerunt, & specimen in ouib. macello destinatis exhibuerunt, non tantum ob eorum innocentiam, & patientiam quia sine baculo, & pera expectabant lupos verum propter animum quo occidebantur. Nam vt pecudes victui necessarias, & vtiles iugulabant, ita tyranni necessarium putabant Apostolos, & reliquos Christianos tanquam Deorum religionis, & legum contemptores extinguere, iuxta illud: *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo:* inter quos primi erant Apostoli de quibus alibi Paulus ipse testatur: *Puto quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Et bene ait, Aestimati sumus, ab impiis, & filiis huius seculi; quia Christianus occidi nequit, quia per mortem tendit ad vitam immortalem.

Quomodo sancti mortificarentur tota die. Esa. 53. Act. 8.

Matt. 10.

Ioan. 16.

1. Cor. 4.

A quibus æstimati sint, vt oues occisionis.

Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Verbum, Superamus, Græce est ὑπερνικῶμεν, id est, superuincimus, id est, per eos, à quibus petimur insidiis, & ferro, coronamur. Ex quo verbo elicit Chrysostomus facilitatem, & admirationem, cum qua Martyres trophœa aduersus hostes statuebant. Primo, quia non solum inermes, sed etiam suis ipsorum armis eos confodiebāt, dum solo iussu colebant è delubris dæmonia exire, ipsaque confringebant idola: vel ex flammis paratis in supplicium sibi exiliētes flammæ ministros absumebant. Deinde quod moriendo stupori erant hostibus suia de admiranda constantia, & charitate qua patiebantur. Vnde infideles ad Fidem pertrahebant, qui statim pro eadem Fide occumbebant. Ita vt se bellum gerere non aduersus humanam potentiam, sed contra Dei virtutem manifeste viderent. Tertio, quod illi, qui per corporea tormenta extinguere in sanctis Spiritum Dei moliebantur, & à deuotione Dei abducere, magis ac magis eos accenderent, ac Deo coniungerent. Addit: *Propter eum qui dilexit nos.* Græca præpositio est διὰ cum Genitiuo, & significat per, & Augustinus aliquando ita legit, & Prosper libro 1. de vocat. Gent. cap. 9. circa finem. Et significat causam efficientem, quam consueuit Paulus apponere, cum de operib. hominis iustificati concursum gratiæ cooperantis cum libero arbitrio exprimere vult. Vt cum dixit; *Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et infra: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christū.* Ita hic, cum dixisset: *Sed in his omnibus superamus,* adhibuit moderationis verbum, dicēs; *Per eum qui dilexit nos.* Si autem præpositio διὰ regat Accusatiuum; finem significat, vt expressit Cyprianus, & legunt, & intelligūt Ambrosius, & Hieronymus. Et de his hactenus.

Chrys ser. 25 post med. Primum argumentū insuperabilis Martyrum charitatis, & patientiæ.

II.

III.

Hæc lectio: Per eū qui dilexit nos, quem sensum habeat. Aug li. 4. de doct. Christ ca. 20. sub fin. to. 3. Prosper Epist. to. 2 operū. B. Ambrosius in princ. 1. Cor. 15. Ibidem. 17. Altera: Propter eum, &c. significet. B. Cyprian. li. de exhortat. Marty. c. 6. & li. 3. ad Quirinum. c. 18. Ambr. to. 5. Hieron. to. 9.

DISPVTATIO XXIV.

In illa verba: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

I. dubitatio. Altera.

IN his verbis duplex exurgit dubitatio. Prima: quia videtur perire liberum arbitriū, & reddi impeccabile, & inflexibile ad malum. Secunda, quia videtur asseri certitudo non tantum gratiæ inexistentis in præsēti, sed etiam futuræ perseuerantiæ in finem His dubiis dissoluendis, & in litera prius explicanda versabitur hæc disputatio.

Quo tendat Apostolus propositis in verbis. Rom 8.

Sermonem ergo tam vehementem de beneficiis erga electos terminat Apostolus ista vltima periodo, qua veritas illius dicti: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* maxime constabilitur. Et per hæc quatuor contrariorum paria, nimirum mortis, & vitæ, spiritualium, & corporalium, instantiū & futurorum, altitudinis, & profundi, vniuersitatem creaturæ, atque adeo vniuersas non tentantium phalanges in certamen prouocare videtur, vt agnoscat mundus inuictam potentiam, & virtutem charitatis Sanctorum, qui per fidei, & spei anchoram,

Heb. 6.

Id: Certus sum quia neque mors, &c. quid significet.

in petram quæ Christus est, se iactarunt. Et cum à principio potuisset: *Quis nos separabit:* & non, Quis nos poterit separare; non solum respondit: Nulla creatura nos separabit, sed, quod maius est, de possibili respondet, *Nulla res poterit nos separare.* Verbum Certus sum, Græce est, *πέπεισμαι*, hoc est Persuasus sum, siue, Firmam & plenam persuasionem habeo: quæ & 2. Timot. 1. eodem modo ab interprete bis redditur, quo hic reddita est: sicut & ad Roman. 15. *Certus sum autem fratres mei, & egoipse de vobis*: at Hebr. 6. vertit, *Confidimus de vobis*, sicut & Thess. 3. Et Hieronym. ad Algasiam quæst. 9. hoc loco legit, *Confido.* sicut Ambrosius, qui etiam alibi habet. *Confidimus in eo.*

2. Tim. 1.
Rom 15.
Heb 6.
2. Thess 3.
Hieron. ep. 151. to. 3.
Ambr to 5.
Idem lib. 5. epist 18. à medio 3. circa fin.

Certum aũt intellige hoc loco; non certitudine euidentiæ, sed fidei, de qua paulo post. Exorditurque à duobus summis obiectis, Timoris, & Amoris, quæ radices sunt omnium passionum, nempe mortis, & vitæ. Quid enim non faciunt homines timore mortis, aut amore huius vitæ? Et superius quidem septem præcedentia membra vna interrogatione expedierat: *Tribulatio? an angustia? an fames, &c.* quæ omnia ad mortem tendunt, quæ gladio consummatur. Breuissima ergo mortis vocula, omnia mala comprehendit, quorum metu solet homo deserere iustitiam, & charitatem Dei. Non ergo mors intentata, quia iam illa victa, triumphataque est à Christo: neque vita, scilicet promissa, quæ est vltimum appetibilium, vt mors terribilium. Et nomine vitæ veniunt omnia, quæ allicere valent hominem, & flectere in contrariam partem. Id est: Nec si me Deus mori præciperet, amor me vitæ vllo pacto moueret: neque si ob fidei propagandæ necessitatem me permanere iuberet, maximum mortis desiderium quod habeo vt sim cum Christo, ab ipsius me charitate distraheret.

Paulus quomodo certus de inseparabili charitate Christi.

Quare neque mors, neque vita electos possit separare à charitate Dei.

Philip 1.

Sequit: *Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes.* Ascendit à fine ad caussam efficientem, quam explicat per aliam contrarietatem: quasi diceret, Neque in spiritualibus, neque in sensibilibus vlla est potestas, quæ mihi in hoc nocere valeat. Et in hac verborum magnitudine non est dignatus Apostolus visibiles potestates designare, id est Principes, Reges & Iudices, sed statim ad spiritualem potentiam Angelorum ascendit. Et multi Sanctorum hæc de damnatis Angelis intelligunt: nam beati nemini malum optare possunt, nedum diuisionem & separationem à Deo. De his ergo spiritibus ad Colossenses 3. dixit: *Expolians Principatus, & Potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso:* & ; *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, &c.* Est enim inter Angelos malos ordo ad nobis nocendum, non minus quã sit inter bonos Angelos inter se, & vt nobis salutis fiant administri. At vero Chrysostomus libro primo de compunctione cordis, de cœlestibus spiritibus hoc exponit, sed per hyperbolem dictum intelligi; sicut & illud ad Galatas primas. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Maxime enim amor hyperbolis gaudet. Vnde ibidem Chrysostomus subdit: *Hic enim amantium mos est, vt amorem suum silentio tegere nequeant, sed necessarius sui, & charus efferunt, & produnt, & flammas suas intra pectus cohibere non possunt.* Bernardus quoque in libro de Diligendo Deo: *Caussa*, inquit, *diligendi DEVM, Deus est. Modus, sine modo diligere.* Idcirco non potuit hic egregius amator Apostolus modum vehementiæ orationis imponere.

A quib. Angelis, Principatibus, atque virtutibus Paulus contestetur sanctos non posse separari à charitate Dei, secundum aliquos.

Coloss 2.
Ephes. vlt.
Alter sensus minimũ B. Chrysostomi.
Chrysost circa fin li. to 5 paulo à medio.
Gal. 1.

Idem.
Amantium ingenium.
B. Bernard tract. init.

¶ Et trium ordinum Angelorum ex duabus hierarchiis mentionem fecit, nimirum Angelorum, qui sunt nuntii administratorij: & Principatuum, qui Prouintiis præficiuntur: & virtutum, per quas prodigiosa miracula fiunt. Abstinuit autem ab his qui sunt primæ Hierarchiæ, Seraphim, Cherubim, & Thronorum: vel quia hos in aliis nominatis complectitur; vel quia non tam ad creaturas, quam ad Deum respectum habent. Et per accidens bonus Angelus nocere potest. Curans enim Ecclesiæ salutem, per accidens aduersabatur Paulo persecutori olim: sed quia erat de electis, emersit. Tertio loco ait *Neque instantia, neque futura.* Duobus caussarum generibus addit circumstantias temporis, & loci. Quia igitur præterita mouere non possunt tam ad amorem quam ad metum, sed præsentia tantum, & futura; ideo ait, *neque instantia*, scilicet bona, quæ gaudium adferunt. Neque futura, quæ spem maxime excitant. Contra, mala præsentia tristitiam, futura timorem. Nam prospera præsentia possunt sua delectatione absorbere hominem, sicut præsens, aduersum tristitia, futurum prosperum allicere, futurum aduersum perterrefacere. Denique neque instantia, hoc est res præsentes mundi huius: neque futura, id est res alterius vitæ quæ sperantur, vel timentur. Subditur in Latinis codicibus: *Neque fortitudo*, Quæ vox deest in Græcis, & Syriacis codicibus, nec habet oppositum, sicut reliqua omnia: aut si de textu est, ponenda erat post Angelos, Principatus

Heb. 1.

Cur Paulus hic supremi ordinis non meminerit Angelorum.

Explicatur hoc: Neque instantia, neque futura, dupliciter.

& Vir-

Huius verbi; Neque altitudo, neque profundum. Primus significatus.

& virtutes, & significetur nec alia sublimior fortitudo spiritualis. ¶ *Neque altitudo, neque profundum.* Tangit circumstantias loci per differentias maximas, & notissimas. Nam vt corpus ex tribus dimensionibus constat, quarum prima est longitudo; ita loci nobilissima differentia est sursum, & deorsum. Id

Alter.

est: Neque si quis mihi præcipitium minaretur à summa altitudine in profundissimam voraginem, nihil extimescerem. Vel. Neq;

Psal. 106.

vlla vis de cœlo, vt grando, tonitru, fulmen; neque pericula quæ in mari exoriri solent, quod & profundum in Scripturis vocatur, de quo: *Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.*

III. B Chrysostomi

Chrysostomus tamen libro prædicto de Compunctione cordis, vult esse hyperbolem, & intelligit de regno cœlorum, & gehenna: ita vt sit sensus: Neque si à regno cœlorum exulandum esset, vel in gehennam descendendum Christi caussa, ab eius discederem charitate. Et concludit solenni Rhe-

De eo: Neque alia creatura, quid secundum.

torum conclusione: *Neque alia creatura.* Nã per inductionem singularium, appellatione generali reliqua omnia comprehendit.

Idem ser. 15. paulo ante moralem exhortationem. to. 4.

Id est; Non solum vlla vera creatura, sed neque possibilis quæcuque, & quæ excogitari posset: vt notat Chrysostomus. Quod verisimile videtur, quia non solum infert, separabit, vt interrogatio poscebat, sed poterit nos separare à charitate Dei, quæ diuinæ eius potentiæ nititur; & quæ est in Christo, Id est quæ per Christum mediatorem habita est, per ipsum custodita, propugnata, atque perfecta, qua Deum ipsum diligimus.

Soluitur I. dubitatio. Si nihil nos potest separare à charitate Dei: vbi nostri libertas arbitrij.

Iam illæ duæ difficultates euacuandæ sunt. Et ad primam quidem responsio est, Paulum hic loqui de prædestinatis, & vocatis secundum propositum Dei, de quorum numero Paulus se esse, certitudine fidei nouerat; & nos omnes eadem fidei certitudine credere debemus prædestinatos, siue electos nec perituros, nec perire in finem posse: etsi ad tempus à charitate exciderent, continuo tamen ope diuina à peccato resurge-

2. Reg. 12. Matt. 26. Act 9. Luc. 7. Ioan. 10. Matt. 24. 2. Tim. 2. Ioan. 19. Psal. 21. Vestimenta Christi discissa tunica eiusdem incõsutilis quid figurauerit.

rent: vt fecerunt Dauid, Petrus, Paulus, & Peccatrix. Isti enim sunt oues illæ, de quibus *Nemo potest rapere de manu Patris mei.* Et rursus, *Ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Et sunt illi, de quibus Apostolus ait, *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt eius.* Fundamenta autem cum sub terra delitescant, ruere nequeunt: & isti figurati sunt in tunica Christi inconsutili, quæ non est diuisa, sed sorte obuenit: quemadmodum reliqui figurati sunt in vestibus diuisis. Neque propterea tollitur liberum arbitrium sed stabilitur; cuius natura, & ingenium non est

ad peccatum tendere. Posse enim malum, impotentia est: vt constat in Angelis, & in beatis, & in his qui dicuntur confirmati in gratia. Quod vero liberum arbitrium malum eligat, ex infirmitate eius est: quia aut seducitur ab intellectu proponente malum sub ratione boni, vt fiat amabile, & eligibile: aut ab imbecillitate ipsius est: quia non tanta fortitudine, & animi robore amat verum bonum, quanta facilitate propendet ad falsum bonum. Vnde Prosper lib. 2. de vocat. Gent. c. 10. sub fin. ex Tobiæ c. 6. probat, prædestinationem Dei non tollere liberi arbitrii opera, sic iungẽs: *Quamuis ergo quod statuit Deus, nulla possit ratio non fieri, studia tamen non tolluntur orandi nec per electionis propositum, liberi arbitry deuotio relaxatur; cum implenda voluntatis Dei ita fit praeordinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum. Et quibus bona gesserint non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur.* Hæc ille.

Prosper Epist. ad. a. operum B. Ambros. inserta. Prædestinatio quanã opera requirat in prædestinatis.

Soluitur alia ratione proposita difficultas.

Addimus & secundam solutionem inter fideles quosdam esse in gratia Dei confirmatos tanto robore, vt nec ad tempus quidem excidant à charitate, conseruante eos Deo, & protegente per peculiarem assisteo tiam, ne vel malum illis occurrat sub specie boni quo decipiantur, aut ne in amore Dei ita tepescant, vt præferant creaturam Creatori: nam horum duorum altero posito, creaturæ rationales, quæ ex se, & ex sua infirma natura habent, vt flecti possint ad malum, actu, tamen ob diuinæ gratiæ præsentaneum auxilium ad peccatum, saltem mortiferum non inflectuntur. Non autem propterea cum Iouiano docemus, neminem post Dei gratiam acceptam peccatum admittere posse: nam illud experientia falsum conuincitur, & multi leguntur à via Christi retrocessisse, & post acceptum, & gustatũ donum cœleste, prolapsos fuisse. Accedit & Hieronymus, qui epist. ad Hedibiam quæst. 9. scribit: *Ego aũt audacter, & tota libertate pronuntio, ex eo tempore, quo Apostoli Domino crediderunt, semper eos habuisse Spiritum sanctum.* Et si ad Gal. 1. hæc verba producens, dicat per Hyperbolẽ esse dicta. Et Orig. hoc loco ait, hæc in persona Pauli, & ipsorũ Apostolorũ post acceptũ Spiritum sanctum esse intelligẽda. Hilarius vero in psalm. 65. hæc verba: *Quis nos separabit à charitate Christi,* asserit esse vocem beatorum Martyrum, quam in tribulationibus suis loquuntur, quæ eorum constantiam, & animi immobilitatem ostendit. Denique Dominus Apostolis promisit Spiritum sanctum, dicens vt manerent in ciuitate, quoadusque induerentur virtu-

Minime per hanc quæ defenditur, electorum impeccantiã, Iouiniani de impeccantia renatorum doctrinam cõfirmari. 2. Pet. 2. 1. Ioan. 2. Heb. 6. B Hieron. epist 150. q. 9. circa med. 3. certa dimid.

Idem. to. 9. Orig. to. 2.

B Hilar. Hilarius hæc verba: Quis ergo nos separabit à charitate Christi, quibus accommodet.

Luc. vlt.

te ex alto: qua virtute muniti & confirmati; in peccatum prolabi non poterant, cum Dominus pro eis Patrem rogauerit: *Sanctifica eos in veritate*. Tertio, ſi quis vellet hanc totam clauſulam extendere ad omnes pios, & iuſtos, ſiue prædeſtinatos, ſiue non, dicendum eſſet, Paulum ingenium tantum, & naturam charitatis declarare: & quantum in ſe eſt, ſemper nos retinet coniunctos cum Deo, & in eius amicitia nos conſeruat, neq; vlla creatura poteſt nos ab illa ſeparare, niſi nos ipſi propria voluntate demus, & à concupiſcentia perſuaſi ſuccumbamus. Quare maximus noſter hoſtis eſt propria voluntas, vt recte Bernardus dixit. Atque ita B. Ambroſius in Lucam 1 *Nemo tibi*, inquit, *Chriſtum poteſt auferre, niſi te illi ipſe auferas.* Et Bernard. ſerm. de duplici baptiſmo, initio, tractans hæc verba, ait: *Attende quanta enumerauit Apoſtolus, (eius enim verba ſunt) minime tamen adijciens, nec nos ipſi. Nimirum hæc eſt libertas qua Chriſtus nos liberauit, vt nulla penitus creatura auellere nos, aut vim facere poſſit. Soli id deſerere poſſumus propria voluntate abſtracti, & illecti à propria concupiſcentia; præter hanc enim nihil eſt quod timeamus.* Adde Ambroſium, qui in his verbis: *Certus ſum, vel, Confido enim*, vt ipſe legit: *Confidentia hæc*, inquit, *de ſponſione Chriſti eſt, qua promiſit in tribulatione adiuuare ſibi dicatam fidem.* Ad eundem modum interpretatur Hugo de S. Vict. in Quæſtionibus ſuis ſuper hanc epiſtolam. Et ita intellige illud 1. Ioan. 3. *Qui natus eſt ex Deo, non peccat* (id eſt non poteſt peccare) *quia ſemen Dei manet in eo.* Ita loqui conſueuimus: Homo non poteſt ſeipſum occidere, quia ſe vehementer deamat; vel mater filium, quem ex intimis ſenſibus diligit: etſi non repugnet hominem ſeipſum, aut matrem filium interficere. ¶Explicatur ergo hoc verbo natura diuinæ charitatis, qua ſtante, & eius impulſibus, & motibus libero arbitrio aſſentiente, peccare non poteſt: nam vel minima gratia ſufficit reſiſtere cuiuſcunque, vel maximæ tẽtationi, vt docet B. Thomas.

[Margin: Ioan. 17. — III. ſolutio naturam explicans charitatis. — B. Bernard ſer. 3 de Reſurrect. & alibi paſſim — Amb. l. 5. in Lucam, c. 6 init. to. 5. — Bernar. Gal. 4. Lat. 1. — B. Amb. eo. eodem. — Hugo in hãc epiſt. ad Rom. q. 229 — 1 Ioan. 3. — Quantum tribuat diuinæ charitati S. Doctor. — B. Tho. 3. p. q. 62. art. 6. ad 3. & q. 70. artic. 4. in concl. & alibi. eo. 12.]

Præſtat tamen duplex prior intelligentia quæ in idem recidere videtur. Iidem enim videntur eſſe & confirmati in gratia, & habentes donum perſeuerantiæ, & prædeſtinati: quorum liberum arbitrium etſi in ſe unde conſideratum flexibile ſit, & ipſummet poſſit ſuæ ſaluti contradicere, & ſibi aduerſari, vt tamen conſideratur ſub tantis protectionis diuinæ præſidiis, & charitatis Chriſti face inflammatum, delinquet nunquam. Etſi vero certi ſimus, & catholica fide apprehendamus ſic eſſe de electis, & cõfirmatis in gratia ſentiendũ, & loquendum: dubium tamen remanet cuique, an de illorum numero exiſtat.

[Margin: Prædeſtinati quaten' peccare nõ poſſint.]

Ad ſecundum dubium dicendum eſt, ex hoc loco minime colligi poſſe certitudinẽ de gratia iuſtificante, qua omnino ſit ſecurus de reconciliatione ſua cum Deo, vel de remiſſione peccatorum, ſeu de perſeuerantia in charitate, & obedientia vſque in finem: cuius electionis, & perſeuerantiæ certitudinem nemo iuſtificatus habere poteſt citra peculiarem reuelationem. Quo vero hæc perſpicaciora fiant, quæſtio eſt agitanda, an quis eſſe valeat certus de perſeuerantia, & de electione diuina. In hac autem diſputatione, vt excludimus euidentiam, quæ de ſimilibus haberi non poteſt; ita moralem fidem, aut coniecturalem ſcientiam ex ſignis & coniecturis acceptam, quas nemo Catholicus inficiatur, remouemus.

[Margin: II. dub rationis ſolutio. De certitudine gratiæ & præſentis, & futuræ, quam Paulus videtur porrigere.]

¶Duabus ergo aſſertionibus totum hoc negotium expediemus. Prima ſit, neminem noſſe poſſe ſuam electionem, aut prædeſtinationem, aut quod idem eſt ſuam in finem vſque in bono perſeuerantiam. Et confirmatur Scripturis, Patribus, & rationibus. Primo enim hoc noſſe, Scriptura vt proprium Deo tribuit: *Cognouit*, inquit, *Dominus qui ſunt eius*; &, *Ego ſcio quos elegerim*; Et Eccleſia: *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in cæleſti fœlicitate locandus.* Et Paulus in principio non audens de ſe tanta ſibi polliceri, caſtigabat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigebat, ne cum aliis prædicaret, ipſe reprobus efficeretur. At timor non eſt de eo quod amitti non poteſt. Deinde producitur locus Eccleſiaſtis 9. *Sunt iuſti, atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo vtrum amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Vides ergo, hic ſermonem eſſe de futuris, quia ait: In futurum ſeruantur incerta: nam de præſenti noſſe poſſumus poſt peccatum, odiũ Dei præſens quo digni ſumus. Nec de omnibus futuris; niſi quatenus conſulimus euentus quotidianos, de quibus ſubdit: *Eo quod vniuerſa æque eueniant iuſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti.* Tertio, ait Dominus in Apocalypſi: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*: ergo amitti poteſt, & amittitur ſæpe ab his qui ſe putant illam tenere, iuxta illud: *Epiſcopatum eius accipiat alter*; & Salomon: *Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies.* Quarto Petrus teſtatur: *Quapropter, fratres, magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationẽ & electionem faciatis*: ergo ante opera bona, aut perſeuerantiam in virtutibus, non eſt certa, neque nota. Quinto, Scripturæ vehe-

[Margin: Quod nulli, citra diuinam reuelationem, certum ſit & euidens te eſſe de numero electorum. I. locus Scripturarum. 2. Tim. 2. Ioan. 13. 1. Cor. 9. — II. locus. Eccl. 9. — III. locus. Apoc. 3. Pſ. 108. — Act. 1. — Prou. 27. — IV. locus. 2. Pet. 1. — V.]

menter

2.Cor.5. Philip.2. 1.Cor.10. Rom.11. 1.Pet.1. Prou.28. Eccl.27. Supra 2.

meriter commendant timorem Dei. *Scientes*, inquit, Paulus, *timorem Domini hominibus suademus*. Et alibi: *Cum metu, & tremore* (non cum vana fiducia, vt hæretici) *salutem vestrã operamini*. Item, *Si quis se existimat stare, videat ne cadat: Noli altum sapere, sed time: In timore incolatus vestri tempore conuersamini: Beatus homo qui semper est pauidus: Nisi in timore Dei tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua: Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & prapara animam tuam ad tentationem.* Porro similes exhortationes ad timorem Domini vanæ essent, si certus quis esse posset de salute sua, & prædestinatione.

VI. locus.

Sexto idem confirmatur à parabolis Euangelicis, vbi quidam regnum quasi sibi debitum magna fiducia postulant, & tamen repelluntur: vt stultæ virgines quæ dicunt: *Domine, Domine, aperi nobis*; quibus respondetur: *Nescio vos.* Rursus quidam dicturi sunt in die iudicii: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* quibus respondendum est: *Quia nunquam noui vos.* Intrauit quidam magna arrogantia ad nuptias sine veste nuptiali, & tamen eiectus est: sicut alii qui sedere volebant in primo conuiuii loco; & admoniti sunt, vt per modestiam vltimum occupẽt. In quibus designãtur illi, qui se pro magnis habent, aut pro electis, siue prædestinatis: à qua cogitatione vt humilitati recedant, admonentur.

Matt.25. Supra 7. Infra.22. Luc.14.

Quosnam ad cõuiuiũ ingressus sine veste nuptiali, & primum occupans locũ in conuiuio, designauerint.

I. ratio. pro eadem veritate.

Deinde ratio hoc ipsum confirmat. Primo enim nemo nouit Dei voluntatem, vt agnoscat quo in loco sit collocandus, nec ex vllis principiis per se notis hoc deduci potest, nec ex fide Catholica, quia fides nihil tale dicit in particulari de me, vel de te, vel de alio signato: & tantum dicit in genere, & sub conditione: *Si filij & hæredes, &c. Si tamẽ compatimur, vt & conglorificemur.* Et si fides Catholica id omnibus traderet, fidei subesset falsum, quia multi à vocatione cadunt: plures etiam iam iustificati à charitate excidunt; alij etiam à perfectionis via, & à gustu cœlestium bonorum, vt habes ad Hebr. 6.

Rom.8. II. ratio. Heb.6. III.

Adhæc si fides mea id efficeret, vt credendo electionem meam, constitueret electus, iam electio ex nostra fide vel opere penderet; cum tamen opera potius à prædestinatione, & electione pendeant; &: *Non qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat.* Neque dici potest quod oriatur à testimonio Spiritus: quia ille testificatur de præsenti, quod sumus filij Dei, non autem de futuro quid erit de nobis, nisi sub conditione perseuerantiæ. Et profecto hæc notitia multis noceret: quis enim de messe certus terram coleret, aut seminaret? aut certus de corona vellet sudare, aut laborare certando? aut quis adhiberet remediũ correctionis alteri quem nosset reprobatũ? Quia impossibile est corrigere quem Deus despexerit. Hæc ergo notitia & bonis subtraheret disciplinam, & malis correctionẽ & vtrisque precationis studium.

2.Cor.10.

Qualem ex testimonio Spiritus interno gratiæ notitiam habeamus IV. & vlt.

2.Tim.4. Matt.10. Eccl.7.

Argumentum à Patribus idem verum contestantib. B. Bernar. ser.1. in Septuag. Eccl.9.

Denique repugnat veteribus Patribus: nam Bernardus serm.1. in Septuagesima: *Quis*, inquit, *potest dicere Ego de electis sum? ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam, dicere potest? reclamante, nimirum, Scriptura: Nescit homo si sit dignus amore, an odio. Certitudinem vtique non habemus sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data sunt signa quædam, & indicia manifesta salutis, vt indubitabile sit, eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint.* Et infra: *Hoc enim est in quo semper solliciti, & in timore, & tremore humiliemur necesse est sub potenti manu Dei quoniam quales sumus, nosse possumus vel ex parte: quales autem futuri sumus, id nosse penitus nobis impossibile est.* Gregorius homil. 38. in Euangelia, interpretans illud: *Multi sunt vocati, pauci vero electi. Tremendum est*, inquit, *valde fratres charissimi, quod audiuimus. Ecce nos omnes iam vocati per fidem ad cælestis Regis nuptias venimus, incarnationis eius mysterium & credimus, & confitemur, diuini verbi epulas sumimus, sed futuro die iudicij Rex intraturus est. Quia vocati sumus, nouimus: si sumus electi, nescimus. Tanto ergo necesse est, vt vnusquisque nostrum in humilitate se deprimat, quanto si sit electus, ignorat. Nonnulli enim bona nec incipiunt; nonnulli vero in bonis quæ inceperunt, minime persistunt. Alter pene totam vitam ducere in prauitate conspicitur, sed iuxta finem vitæ à prauitate sua per districta pœnitentiæ lamenta reuocatur. Alter electam videtur vitam ducere, & tamen hunc contingit ad erroris nequitiam iuxta finem vitæ declinare. Et concludit bonus Pater: Quia ergo nulli de se certum est electum se esse, restat vt omnes trepident, omnes de sua actione formident, omnes in sola diuina misericordia gaudeant, nullus de suis viribus præsumat. Est qui perficiat fiduciam nostram Iesus Christus.* Multa præterea lib. 20. Moral. c. 3. & 4. de hac ipsa re tradit. Et Aug. lib. de corrept. & gra. c. 13. prope finit. *Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorũ se esse præsumat? quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauẽda est elatio, vt etiã per Satanæ Angelum ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus. Hinc Apostolis dicebatur: Si mãseritis in me: dicente illo, qui illos vtique sciebat esse mansuros. Et per Prophetã: Si volueritis, & audieritis me: cum sciret ipse in quibus operaretur & velle. Et similia multa dicũtur propter huius vtilitatem secreti, ne forte*

Idem. 1.Pet.5. B. Greg. to. 2. Matt.22.

Magni illius Gregorij, vereque prædestinati, salutaris ad nostram cum metu & tremore salutem operãdam adhortatio.

Idem to.1. B. August. to.7 sub fin. 2.Cor.12. Ioan.15. Esa.1. Phil.2.

quis extollatur. Idem lib. 11. de ciuit. Dei, c. 12. *Licet,* inquit, *Sancti de sua perseuerantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiũtur incerti. Quis enim hominum in actione profectuque iustitiæ perseueraturum se vsque in finem sciat, nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus? qui de hac re iusto latentique iudicio nõ omnes instruit sed neminem fallit.* Sic ille. Ambr. quoque, siue potius Prosper li. 2. cap. vlt. de vocatione Gentium, in fine. *Ob hoc in remotissimo ab humana cognitione secreto, præfinitio huius electionis abscondita est, & de nullo ante ipsum finem pronunciari potest, quod in electorum gloria sit futurus, vt perseuerantem humilitatem vtilis metus seruet; & qui stat, videat ne cadat: & si forte aliqua victus tentatione corruerit, non absorbeatur tristitia, nec de eius miseratione diffidat, qui alleuat omnes qui ruunt & erigit omnes elisos.* Præterea Concil. Trid. contra hanc doctrinam in ses. 6. de iustificatione duos Canones iaculatur: quorum 15. ita habet: *Si quis dixerit, hominem renatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum: anathema sit.* Item 16. *Si quis magnũ illud vsque in finem perseuerantiæ donum se certo habiturum absoluta & infallibi certitudine dixerit: nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.* Hæc ibi. ¶ Quod si quis obiiciat ex Paulo: Quos vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, hos & magnificauit: atqui video me vocatum, & Sacramentis munitũ, igitur glorificatio certa erit. Sed hæc nõ omnino sunt certa signa, quia multi exciderũt à iustitia, siue charitate, ac proinde ab æternæ vitæ spe; alij etiam à fide naufragium fecerunt. Quare nullum certum est signum nisi sub conditione, si in finem vsque perseuerauerit. Secundo adfertur illud paulo ante expositum: *Quis nos separabit à charitate Christi? certus sũ enim &c.* Sed loquitur in genere de electis, & quorum personam induit doctrinæ gratia: at cum de se solo loquitur, timet, & cõtremiscit, & reprobus effici formidat, & non est nostrũ æquari Paulo. Tertio illud inculcatur: *Nomina vestra scripta sũt in cœlis.* Sed certe deleri poterant, secundum id: *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Et verba illa data sunt à Domino ad 70. discipulos. Hinc precatur Ecclesia, vt nomina fidelium liber vitæ scripta retineat; & alibi: *In tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro.* Quarto adfertur & illud: *Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est; vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Sed certe multa celat, quæ nobis non reuelat, vt diem mortis, & iudicij. Et vt sciamus, inquit, quæ donata sunt in præterito, non quæ danda sunt in futurum. Quinto, 1. Thess. 1. ait idem Apostolus: *Scientes fratres dilecti à Deo, electionem vestram, &c.* Sed in genere loquitur, non de aliquo in particulari. Neque ipse ex propria scientia affirmat electos ad salutem, sed dicit quod peculiariter elegerit illos ad audiẽdum Euangelium, quod sibi fuit reuelatum in visione, cum apparuit illi vir Macedo Act. 16. & impeditus fuit ire in Bithyniam. Curiosa est ergo, & diabolica tentatio, quærere an quis sit prædestinatus, necne: quia hoc in hac vita sciri non potest, & sancti de se id non crediderunt. Nec sine arrogantia certo potest quisquam id de se præsumere contra Christi parabolam: nec sine stultitia, quia talis fides falli potest, cum nõ sit Catholica. Et mira est iactantia hæreticorum, qui detrahunt operibus bonis, & certos se esse de sua prædestinatione affirmant; cum per bonorum operum studium & perseuerantiam, & humilitatem certitudo haberi possit. ¶ Etsi igitur certi esse nequeamus de perseuerantia; bene tamen sperare & confidere debemus, tũ de bonitate Dei & visceribus misericordiæ, quibus Christũ dedit, & qui est pro nobis, & qui cœpit bonum opus in nobis, vt perficiat: tum de sanguine Christi qui hoc meruit beneficium: tum de Spiritu sancto, qui est arrha & pignus hæreditatis nostræ: tum de Angelis, & Sanctis qui in cœlo regnant, quique non solum exemplo, sed etiam orationibus, & custodia ad hanc perseuerantiam nos excitant: tum de Ecclesiæ vniuersalis, ac Matris pientissimæ suffragiis communibus, quibus ad rem tantam sperandam munimur: tum denique de orationis præsidio quo hoc petimus, maxime cum præcesserit Christi promissio; *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* His rationibus est erigenda nostra spes, & munienda cõtra aduersarios, qui magna ex parte debilitati sunt. Nam dæmon eiectus est de principatu & fide est ei resistendum: mundus cum eius operibus vanus ostensus: caro autem per Sacramentum Baptismi, & continentiam à potenti furore suo mitigata propria nostra voluntas diuinæ est subiicienda, vt contra spem in spem credamus cum Abraham, etiamsi maximi olim peccatores extiterimus. Vnde Gregorius libro sexto Moral. cap. 8. *Sancti viri,* inquit, *foris despecti sunt, & velut indigni omnia tolerant, sed dignos se supernis sedibus confidentes, æternitatis gloriam cum certitudine expectant.* Et hæc ad hanc dubitationem.

Idem to. 5.
Prosper to. 2. operum.
B. Ambros. prope princ.
1. Cor. 10.
Ps. 144.
Trid. Syno. Idem c. 12. & 13.
Primo soluitur illud argumentũ aduersariorum: Vocatus sum, & iustificatus, (qui sunt effectus prædestinationis) igitur more Paulum magnificabor.
1. Tim. 1.
Infra 6.
Matt. 24.
II. etiam dissoluitur: Quis nos separabit, inquiunt, à charitate Christi? certus sum enim, &c.
1 Cor. 9.
III. diluitur argum. Nomina vestra scripta sunt in cœlis.
Luc 10.
Exod. 32.
Daniel. 12.
IV. argum. Nos Spiritum qui ex Deo est, accepimus vt sciamus quæ à Deo donata sũt nobis, infirmatur.
1. Cor. 2.
Luc 12.
Matt. 24.
1. Thess. 1.
V. argu. ex Paolo, Sciẽtes, fratres, electionẽ vestram, &c. confutatur.
Ibidem.
Act. 16.
Ibidem
In eos qui de sua prędestinatione sunt nimis solliciti, & eos, qui omniũ sunt de illa securi.
Matt. 21.
Lutherani (quæ illorum est modestia singularis) se prędestinatos & agnoscunt & prædicant: bonorum prorsus operum contemptores.
Rationes nostræ salutis à Domino sperandæ nobis, quot, & quotæ se offerat.
Rom. 8.
Ibidem.
Philip. 1.
Ephes. 1.
Marc. 11.
Eadẽ spes, & fiducia nostra de diuina bonitate, atq; clementia, vnde etiam confirmari valeat.
Ioan. 12.
1. Pet. 5.
Rom. 4.
B. Gregor. to. 1.
Sanctorũ humilitas, & patientia.

DISPVTATIO XXV.

In illa verba, cap. 9. *Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimoniũ mihi perhibente.*

I. dubitatio
II.
III. *Matt. 5. Iacob. 5. Act. 6. 1 Tim. 1.*
IV.
V.

PRimum in his verbis explicanda est Apostoli mens, & scopus in quem collimat: Deinde quid cogebat Apostolum, vt sub tanta asseueratione, & iureiurando testaretur suam continuam tristitiam, & dolorem ob Iudęorum, qui peribant incredulitatem; cum Christus dixerit; *Sit autem sermo vester, Est, est, Non, non.* Tertio, cur Apostolus tantopere se dolere profitetur, quod prius errans cum errantibus persequeretur Ecclesiam, cum tamen magnũ commodũ ex illa persecutione in Ecclesiã permanarit, de quo non est dolendum, sed potius gaudendum. Quarto, quomodo optaret fieri anathema à Christo pro fratribus suis; cum in ipsam charitatem peccare videretur, quæ suam salutem alienæ præferre debet; & regula diligendi proximum sit, vt illum tanquã nos ipsos diligamus, non autem supra nos. Postremo quomodo optabat separari à Christo Apostolus, an secundum gloriã, an secundum iustitiam? Si secundum gloriam, plus dilexisset fratres, quam Deum: si secundum iustitiam optabat separari; hoc fieri non potuit sine peccato, quod coniunctum est cum Dei offensa.

Ad 1. dub.
Quo spectet Apostolus in hoc Cap.

Vt primum expediamus, disseruit Apostolus de necessitate fidei, & gratiæ, deq; iustificationis virtute ad remittenda peccata præterita, & ad præseruandum à futuris, deque eximia potestate eius qua euehit fideles suos certis comparandæ æternæ vitæ præsidiis, præscientia, prædestinatione, vocatione, & reliquis id genus beneficiis in finem, vsq; octaui Capitis: iam de origine gratiæ Dei, & fidei longum sermonem contexit, quomodo scil. Iudæis, atque Græcis Euangelii beneficium obtigerit, non quidem vilis cuiuscunq; legis meritis, sed solo Dei beneplacito. Qua ratione explicat sententiam illam: *Iis qui secundum propositum vocati sunt sancti: nam quos præsciuit, &c.* qui locus sane præsenti disputationi causam obtulisse videtur. Cum enim Iudæi tot retro seculis in cognitione veri Dei versati essent, eiusque legẽ, & Prophetas accepissent, atq; eis Christus peculiariter promissus fuisset: in eius tamen aduentu desipientes eũ ignorarũt, & in crucem egerunt: quem tamẽ Gentes mira alacritate susceperunt: atque amplexatæ sunt. Ex quo videri posset Deus reprehendendus tanquã parum fidelis in promissis, aut quasi acceptor personarũ. Vnde docet,

Rom. 8.
Exod. 20. Deut. 10.

Gentes ex gratia Christi vocatas, Iudęos vero magna ex parte reprobatos, & excæcatos ob eorum incredulitatem, ne in posterum vltra vane gloriarentur aduersus illas.

Noni hui° Cap. ac duorum sequentiũ argument.

In hoc igitur Capite causam aperit vocationis Gentium per fidem, & excæcationis Iudæorum propter perfidiam: decimo vero Capite deplorat casum Iudæorum miserandum, & inexcusabilem: in vndecimo autem nonnihil eos solatur, quod casus non fuerit omnino vniuersalis, quodq; post ingressum Gentiũ in Christum omnis Israel saluus sit futurus. Et quo rem magis molliat, exorditur à dolore proprio, quẽ in seipso ex hac re percipiebat, quo magis à Iudæis audiretur, cum quibus loquebatur. Ostenditq; eorum dignitatem, quam in legis statu à Deo acceperant: non iure hæreditario ab Abrahamo, secundum carnem illis competere, sed secundũ Spiritum per æternam Dei electionem; atq; ita verbum Dei, siue promissiones non excidisse, quoniam, etsi ad Iudæos non peruenerint vitio suæ perfidiæ, peruenerunt tamen ad Gentes, quæ sunt Israel secundum spiritum, & filii Abrahæ.

Præcipuũ prædicationis argumentũ veritas est. 1. Tim. 2.
Ratio hui° locutionis: Veritatem dico non mentior.

Ait igitur: *Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior.* Nam prædicatorum id maxime proprium, vt veritatem prædicent, & ab omni mendacii specie abstineant. Vnde de se dixit, Doctor Gentium in fide, & veritate. Et illud Hebraismum sonat, quod ait: *Veritatem dico, non mentior*: Nam Hebræis moris est affirmationem cum negatione ad maiorem asseuerationem ponere. Vt ibi: *Et confessus est, & non negauit*; & iterum: *Vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Contingit etiam, vt quis dum falsitatem dicit, non mentiatur, putans se verũ dicere: & è contrario dum veritatem dicit, vt forte mentiatur, quia contra mentem agit. Ideo Apostolus apte vtrumque copulauit.

Ioan. 1. Infra 3.
Falsitas à mendacio quid differat.
Quid dicere veritatẽ in Christo Iesu.

¶ Et dicere veritatem in Christo, perinde est, ac dicere, Testis est mihi Christus. Vel in Christo, id est, impulsu, & suggestione eius. Nam Caiphas veritatem dixit, non in Christo, sed potius contra Christum. Multi etiam veritatem dicunt, sed non in Christo, quia non secundum charitatem, & debitas temporis, aut loci circumstantias: nec enim semper necessarium est bonum vera loqui. Et subdit: *Testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto.* Adiungit testimonium conscientiæ ad explicandũ verbum, non mentior: nam loqui contra conscientiam, est mentiri. Et quia conscientia quandoq; errare potest, & affectibus prauis obscurari subiũgit, In Spiritu sancto: hoc est depurgata ab errorum tenebris, & à prauis

Ioan. 11.
Qui dicãt veritatem, sed non in Christo Iesu.
Ad 2. dub. De causa tantæ asseuerationis adhibitæ, ob suum dolorem testandũ.

Chrys. ho. 9. in Acta Apostolorũ. Ambros.

affectionibus libera, in lumine Spiritus sancti. Estque secundum Chrysostomum, & Ambrosium, manifestum iusiurandum, quod de re secreta, & maxime intima ad beneuolentiam suam erga Iudæos indicandam, charitas, & vtilitas expressit. Ita enim aliis in locis iuramentũ adhibere solet Paulus; qui tamen Legem Christi Euangelicam de vitando iuramento non ignorabat. Et ita solutum est secundum dubium.

Matt. 5.

Et cum superiori Capite attulisset testimonium Spiritus sancti, contestantis cum spiritu nostro, quod sumus filii Dei: ita hoc loco producit conscientiam contestificantem cum Christo, & Spiritu sancto. (Nam illud: *In Spiritu sancto*, more Hebræo, idẽ est, quod, Cum Spiritu sancto; sicut & id: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: idest, Cum Deo manet, & Deus cum eo) vt intelligas filios Dei ita agi Spiritu, vt testificante conscientia contestetur & Spiritus: & contestante Spiritu contestificetur etiam conscientia. ¶ *Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.* Hoc est illud, ad quod asserendum, testem Christum, & Spiritum sanctum innocauit. Et explicandum est aduerbium, Quoniam, per aliud aduerbium, Quod. Solet autem magna tristitia concipi de re tristi, & infausta, qualis erat excæcatio Iudæorum, & abalienatio à Christi fide. Hæc autem non nisi ex magno amore profecta est. Nam amicorum, vel maxima mala non sentiuntur, nisi vehementer à nobis diligantur. Vt autem tristitia est in animo, quæ animum constringit, sicut lætitia dilatat; ita dolor in corpore est, quia sequitur diuisionem continui. Et per metaphoram significat acerbitatem tristitiæ, per quam cor discecabatur, ac discruciabatur, cum videret infinitam Iudæorum multitudinem à Christo segregari in æternum exitiũ. Sed intellexit tandem, quod Deus in locum segregatorum, in zelo suo vocabat alias Gentes multas; & ideo quieuit: nam & ad hoc ipse ministerium vocatus fuit, vt esset Apostolus, & doctor Gentium. Et exaggerandi causa addit Continuus, id est, perseuerans: quia quoties illi perditio Iudæorũ occurrebat, ingemiscebat, & eorum vicem dolebat. ¶ Quo verbo Apostolus valere iubet Stoicos, qui in sapienté tristitiã cadere non volebant; sed ἀπάθειαν & ἀναλγησίαν in piis requirebant; cum tamen natura comparatum sit, vt quanto quis perfectior & scientia, & charitate, tanto tristior sit ob ea flagitia, quæ cernit in mundo admitti cõtra Dei honorem: ita Christus lacrymabatur, cum intuens Ierosolymam, cogitaret, quo fato esset excindẽda, & funditus euertenda. ¶ Quod vero dixit Apostolus: *Gaudete in Domino semper*; non tollit hanc tristitiam spiritualem, sed mundanam, quæ de amissione bonorum temporalium, aut de cura, & solicitudine huius seculi procedit. Vnde & Christus ingentes beatificauit, & vidẽs ciuitatem, fleuit super illam. ¶ *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem.* Locus est subobscurus, & multis sensibus à diuersis explicatus: ideo diligenter venit excutiendus, & quantum ad voces, & quantum ad rem ipsam. Et hoc loco Apostolus non amplius loquitur in aliena persona, sed in propria hinc ait; Ego ipse.

Rom. 8.

Quid in Spiritu sancto contestari; & hoc verbum à Paulo cur additum.

1. Ioan. 4.

Tristitia & continuus dolor Apostoli vnde nasceretur.

Quid tristitia, quid dolor.

Hanc tristitiam, & dolorem quid leniret, ac mitigaret in Paulo.

1 Tim. 2.

Dolorem & tristitiã cadere in sapientem, contra Stoicos.

Illud: Gaudete in Domino semper, quo modo accipiendum.

Philip. 4.

Matt. 5.

Luc. 19.

Ad tertiũ dubium.

Quomodo optaret Paul. anathema esse à Christo pro fratrib.

Verbũ igitur Græcum ηὐχόμην, alii verterunt, Optabam, siue Optaui per Indicatiuum, vt interpres noster. Alii vero, vt Chrysostomus, & Photius, siue eorum interpretes, per Optatiuum; Optarim, Optarem, vel Optassem: quod verisimilius videtur, quia non loquitur de eo tempore, quo Paulus Ecclesiam persequebatur, sese à Christo separans, sed de tempore præsenti, sicut præsens erat magna tristitia, & continuus dolor in corde eius. Et supplenda est particula, ἄν, quia aliquando hæc Eclipsis inuenitur, ita ηὐχόμην ἄν: quod & scholia Græca apud Oecumenium egregie annotarunt. Habent enim: *Vide exaggerationem Siquidem non dixit. Velim, sed, Optarem. Et nihil potest à dilectione Dei separare, non mors intentata, non vita prolõgata, &c. Quomodo ipse vltro discedit, idq; propter cognatos secundum carnem.* Hæc ille.

B. Chrys. ser. 16 mor.

Phot. apud Oecu. c. 15. in princ.

Oecu. ibid.

Nomen quoque Anathematis obseruãdum, & quæ sit huius vocabuli significatio, & quis vsus. Nam cum cõstet tum ἀνάθημα tum ἀνάθεμα, à verbo ἀνατίθεσθαι, deriuari cuius multiplex est significatio, non satis est exploratum, in quo illorum hic accipi debeat.

De significatu, & vsu verbi Anathematis, variæ opiniones.

Et Chrysostomus putat, illas voces dici à seponendo, siue separando, vt anathemata sint intacta, & Deo consecrata, ab hominumq; commercio & vsu disiuncta. Sic ab Ecclesia eiecti, & excommunicati, & extorres à communione, & conuictu fideliũ sunt remoti. Photius quoq; apud Oecumenium ἀνατεθῆναι, exponit pro separari, & alienum prorsus reddi. ¶ At Budæus in Pandectis distinctionem facit inter ἀναθήματα per η. & ἀναθέματα per ε. Et per primum significari tradit homines sacros, & diis inferis dicatos, quos Respublica per mortẽ à se alienabat, quo dii irati in illorum hominum capitibus placarentur: qui alio nomine dicebantur καθάρματα quemadmodum Si non in secundo Æneidos tanquam victimam paratam ad mortem in salutem Græ-

Prima. B. Chrys. iã producto.

Phot. supra dicto.

Secunda opinio. Budæus.

corum

corum se fuga ab illis eripuisse, Troianis dolo explicabat. At altera voce per η, dicit significari donaria diis consecrata, & in columnis templorum, vel parietibus suspensa: qualia olim fuerant thuribula ænea Core, Datan, & Abiron, quæ Moses affixit altari, vt commonerentur filii Israel, ne quis accederet ad altare alienigena, qui esset de semine Aaron. Gladius item Goliat, quo à Dauide fuit capite truncatus, repositus fuit in templo; sicut Iudith vlt. conopœum, & arma Holofernis obtulit sancta mulier templo in anathema obliuionis, id est, vt reposita essent in templo, non ob eius gloriam, sed ob confusionem.

Num.16.

1.Reg.17.
Iudith.1.

Quid*que* arma Holofernis in anathema obliuionis in templo dicuntur oblata.

Photius vero in Lexico suo annotauit Attice dici ἀναθήματα, quæ communi lingua ἀναθέματα vocantur. Et certe Luc. 21 ἀναθήματα dicuntur donaria templo oblata, cũ dicitur: *Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei.* Et ita passim Græci 72. interpretes vertunt ἀνάθεμα, pro quo vbiq; Paulus habet ἀνάθεμα. Et etymologiam nominis, quam asserit Chrysostomus, probat ipse Paulus, cũ ait, à Christo, & Leu. 28. dicitur possessio consecrata, quæ Hebraice vocatur Ager Anathematis: & Septuaginta ἡ γῆ ἡ ἀφωρισμένη, id est, Terra separata, vt verbum Anathematizandi acciperent pro verbo Separandi. Significat etiã anathema maledictionem, ac detestationem quandã. Nam 1. Cor. 16. dicitur anathema Maranatha. Et c. 12. *Nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Iesum.* Et ad Gal. 1. *Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit.* Et Petrus cœpit anathematizare, & iurare, quod non nouisset hominem. Quanquã hæc significatio conueniat cum illa, qua diximus, anathemata significare homines diis sacros; quos pro communi salute morti deuouebant, & addicebant. ¶ Capitur ergo anathema & in bonum, & in malum; quemadmodum Latinis sacrum pro re sacrata dicitur, & pro re execranda. Hinc illud;

Photius.
Luc.21.
Prior anathematis denominatio vnde comprobari videatur.
Leuit.18.
Anathema pro maledictione ac detestatione.
1.Cor.16.
Supra 12.
Gal 1
Matt.20.

Auri sacra fames;

Et alius,

Intestabilis, & sacer esto.

Virg.lib.1. Aeneid.

Hinc etiam dictus est morbus sacer, hoc est, detestandus. Similes etiam voces sunt nonnullæ apud Hebræos, videlicet קדשה, id est, sancta & meretrix, & ברך quod benedicere, & maledicere significat, iuxta illud Iob. 2. *Benedic Deo, & morere.* Et 3. Reg. 21. *Benedixit Naboth Deum, & Regem.* ¶ His de vocabulis præmissis iam ad sensus excutiendos accedamus.

Hebrææ voces bene & male quæ sonẽt.
Iob.2.
3.Reg.21.

Primus est Fabri Stapulensis, & Caietani, & Autoris illorum Scholiorũ, quæ Hieronymi nomine circumferuntur, & aliorum, qui intelligunt hunc locum de separatione per culpam à Christo, in hunc modũ: Doleo (inquiunt) grauiter, & crucior in corde, quod olim infidelis existens, & zelo non secundum scientiam ductus Christum persequẽs, optabam in perpetuum alienari à Christo pro fratribus, ne videlicet Iudæi à statu Iudaismi transirent ad Euangelium. ¶ Verum hic sensus B. Thomæ non probatur, nec videtur vsquequaq; plenus: nec ipse solus desiderabat olim esse anathema à Christo, sed omnes etiam Iudæi id optabant. Deinde, quia hoc non latebat Iudęos qui simul cum eo autores fuerant persecutionis in Christũ, & in Ecclesiam. Nec opus erat tanta præfatione, & iureiurando ad id asseuerandum. Denique verbũ ipsum Græcum, non tam Optabam, quam Optauerim aut Optarem significat. Et non tantũ pro fratribus, sed etiam pro seipso, & pro Deo pati se putasset.

I. sensus propositæ Pauli sententiæ.
Faber Stap.
Caietan.
Hier.10.9.
Act.9.
Refellitur triplici ratione.
B.Tho.lect.1.tom.16.

Secundo exponunt alii, vt Hieronymus quæst. 9. ad Algasiam, de ipso anathemate, quatenus significat homines Deo deuotos, pro republica. Ait enim: *Optat anathema esse à Christo, & perire, vt alij salui fiant: Perire autem nõ in perpetuum, sed in præsentiarum. Qui enim perdiderit animam suam pro Christo, saluã eam facit. Vult ergo Apostolus perire in carne, vt alij saluẽtur in spiritu; suum sanguinem fundere, vt multorum animæ conseruentur.* Paulo ante: *Pastor enim bonus ponit animam suam pro ouibus suis* &c. Et hoc ipsum est dicere, *Optabam anathema esse à Christo; &, Dele me de libro, quẽ scripsisti.* Infra: *Quod autem anathema interdum occisionem sonet, multis veteris instrumenti testimonijs probari potest. Ait enim Malachias c. vlt. Ne forte, inquit, veniam, & percutiam terrã anathemate. Et Nu. 21. Exaudiuit Dominus preces Israel & tradidit Chananæum, quem ille interfecit subuersis vrbibus eius, & vocauit nomen loci illius, Horma, id est, anathema. Quo in loco à percussione Chananæi dictus est locus Hebraicus* חרם *siue Horma, quæ vox à verbo delendi, & exscindendi deriuatur, quemadmodum anathema Græcis à separando, vt diximus.* Hunc eundem sensum late prosequitur Origen. explicans hunc locum.

II. sensus de temporali scil. morte.
B.Hier.epi.151.to.3.
Matt.10.
Ioan 10.
Exod.32.
Vbi Scripturarum anathema pro accisione ponatur.
Malach.4.
Num.21.
Horma Hebraice vnde denominetur.

Verum B. Chrysost. his verbis eum sensum reprobauit: *Vsq; enim adeo quidã, inquit, neq; Pauli appellationem audire digni sunt, tamq; ab illius acrimonia longe remoteq; consistũt, vt illũ de temporali morte putent ista dicere: quos non magis dixerim Paulum agnoscere, quã cæcos quẽquam ex Solis radijs. Imo multo etiã minus. Qui enim quotidie moriebatur, quiq; tot periculorum fluctibus positus dixit: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? angustia? fames? persecutio? Neque præsentibus hisce contentus, sed*

B Chry.ser.16.in hoc.c.
Eiusmodi sententia quã leuis, & tanto Apostolo indigna Chrysosto. videatur.
1 Cor.1.
Rom 8.
Mire extollit Pauli charitatẽ hic S. Pater

ipsum

ipsum cœlum transcendens, cœlum etiam cœli, Angelosq́ue, & Archangelos, supernaq́ue omnia percurrens, simul vniuersa complectitur, præsentia, futura, visibilia, intelligibilia, tristia, læta, quicquid vtrobique est, nihil omnino excipiens; quin neque sic saturatus, aliam etiam non minoris valoris creaturam, nunquam existentem, tanquam existat, adducens, quomodo quæso post illa omnia, velut magnum quid dicens, temporalis mortis recordaretur? Non est itaque quod illi putant, non est, inquam, vermium est in fimo latitantium ista suspicio. Si enim hoc dixisset, quomodo à Christo anathema seipsum esse optasset? Illa quippe mors magis ad eum chorum, qui cum Christo est coniungi, gloriaque illa potiri fecisset. Hæc ille. Quibus accedit, quod Paulus mori pro Gentium salute cupiebat, cum diceret; *Ego libentissime impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris.* Nec hoc admodum magnum erat, quia nonnulli pro amicis suis, & pro patria vitam certæ morti exposuerunt: vt Decii, Romani, & Curtius, & Codrus Atheniensis. Vt nihil dicam de vxoribus, quę in funere virorum suorum seipsas viuas in rogum, & in sepulturam coniiciebant. Non ergo Pauli charitas excederet aliorum hominum amorem. Subiungit ibidem Chrysostomus: Sunt tamen præterea quidam, qui etiam istis ridicula magis dicere non verentur. Non enim mortem, dicunt, sed pretiosum quoddam se Anathema & ornamentum Christi esse optauit. Et quis, quæso, etiam vilium, & pigrorum hominũ istud non optaret? Quo pacto vero pro cognatis suis istud futurus esset, intelligendũ erit?

Idem vt deprimat prędictam opinionem, atque deiiciat.

2.Cor.12.

Pauli charitas temporariam tãtum exoptans, quorum etiam ethnicorũ charitatem non vinceret.

Idem. Illius quorundam interpretationis, Paulum videl pretiosum Christi anathema, id est, ornamentũ fieri optasse, acuta Chrysostomi confutatio.

Tertius sensus est Ambrosii, & Chrysostomi, & suorum sequacium Theophylacti, & Oecumenii, exponentium Paulum desiderasse esse anathema, id est, abesse, & separari à Christi præsentia, fruitioneq́ue eius, & consortio. ¶ Ad cuius sensus maiorem explicationem, quatuor sunt disputanda. Primum est, an optaret à Christo per peccatum separari? quia solæ iniquitates diuidunt inter nos, & Deum nostrum. Deinde, an id exoptaret ad tempus, an in perpetuum. Tertium, quomodo huiusmodi votum consisteret cum ordinata sui ipsius charitatę. Quartum, quomodo id desideraret pro Iudæis, cum iam conscius esset illorum excæcationis, & reprobationis diuinæ: de qua c.11. Præterea cum cognosceret, impossibile esse, posse excludi, aut excidere; quo pacto Apostolus anathema esse cupiebat? Deinde singula verba sunt ponderanda, & obseruanda.

III. sensus. Ambros. Chrys ibid. Theophyl. Oecum.

Circa hũc sensum obseruãda quatuor. Esa.59.

Circa primum, nullum dubium est, quin Paulus nunquam desiderauerit, anathema esse à Christo per peccatum, seu superari à Christi charitate: quia vt in fine capitis præcedentis dixit; *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Deinde, peccatum sub electionem, aut appetitum rationalem iusti pro quacunque causa, etiam pro salute totius mundi, cadere non potest: & Christus; qui omnia nostra opprobria accepit, solum peccatum nõ accepit. Tertio, cum Paulus Iudæorum hoc concepisset Iudæorum causa, vt illi saluti fierent; profecto repugnat aliquid velle ex charitate, quod sit contrarium charitati, & peccatum. Repugnabat ergo aliquid velle ex charitate, quod esset peccatũ, quia iam non esset amplius charitas, sed amor concupiscentiæ, & sui ipsius. Quarto, B. Chrysostomus pulchre ait: *Atqui potuerat ita ab eo, qui circa Deum est, choro separari, alienarique vt ab illius dilectione interim non excideret? Absit. Nam hæc propter eam ipsam faciebat. Sed ab ipsius fruitione, & gloria Cupiebam enim hoc, ne blasphemaretur Dominus meus, ne scilicet audirentur quidam dicentes, Rei hæc scœnicam fabulam refert: Aliis promisit, aliis dedit, ex aliis natus, alios saluauit.* Hæc ille.

Nunquam Paulum anathema fieri à Christo per peccatum optasse. I. ratio. II.

III.

IV. Chrys præducto serm.

Circa secundum dicendum videtur, quod etsi magna quædam, & ineffabilis charitas esset ad tempus priuari Christi regno, & cõsortio, quod tam ardenti amore exoptabat: Vnde Dauid pro Absalon dixit; *Absalon fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* Pauli tamen locus hic intelligendus est de perpetua priuatione. Primo, quia hunc gradũ charitatis habuerat, cum scripsit ad Philippenses, *Desiderium habeo dissolui, & esse cum Christo: Permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Et ita maiorem amorem Romanis non ostendisset, quam Philippensibus. Deinde hoc desideriũ manendi ad tempus, commune fuit Paulo cum multis. Vnde & B. Martinus dixit; *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Tertio, quia Christi charitas ad eum gradũ amoris, qui fuit in Moyse, non peruenisset. Dixit enim ille; *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Vbi in perpetuũ visione Dei spoliari optabat potius, quam peccatum Iudęorum remaneret veniæ expers, & minime condonatum. Et sermo est de lib. vitæ prædestinationem, de quo ibidem subdit: *Qui peccauerit mihi, delebo eũ de libro meo.* Et addita particula, à Christo, non de temporaneo exilio loqui indicat, sed de æterna morte, sic enim peribant Iudæi, quos Paulus sua morte redimere cupiebat. Hinc B.Thom. hoc loco: *Optabam* (ait) *si fieri posset, anathema esse, id est, separatus à gloria, vel simpliciter, vel ad tempus propter*

Diuino Christi conspectu Apostolũ ob salutem Iudæorum perpetuo carere noluisse. 2 Reg.18. I. ratio.

II.

Quo procellerit Martini charitas. III. ratio.

Exod.32.

Deleri de libro vitæ quid.

IV. ratio. *Chrys. circa fin. ser. to. 4. in fine.* In quo Pauli charitas illam Mosis excesserit.

honorem Christi, qui est ex conuersione Iudaeorum. Quarto, accedit Chrysostomus homil. 1. de laudibus B. Pauli: *Caput*, inquit, *illius sanctae animae Moysis atq; fastigium est: quoniam pro Iudaeorum salute deleri elegit ex libro vitae. Sed Moses cum caeteris optauit perire, Paulus pro caeteris. Non enim cum pereuntibus perire voluit, sed vt saluarentur alij, ipse de gloria aeternitate decidere.* Idem homil. 2. *Quemadmodum enim illum opinaris afflictum, cum perditionem Iudaeorum dolet, qui, vt illi salui fierent, seipsum à caelorum gloria cupiebat excludi?* Richardus etiam de S. Victore, tractatu de gradib. violentae charitatis, in fine: *Qui ad hunc*, inquit, *charitatis gradum ascendit, absque dubio in hoc gradu amoris est, qui veraciter dicere potest: Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Denique cupit anathema fieri à Christo pro fratrib. suis qui eiusmodi est. Quid ergo dicemus? Nonne hic amoris gradus videtur animum hominis, quasi in amentiam vertere, dum non sinit eum in sua aemulatione modu, mensuramue tenere? Nonne summa amentia videtur esse veram vitam repellere, summam sapientiam arguere, omnipotentiae resistere? Nonne vitam repellit, qui pro fratribus à Christo separari cupit, sicut & ille qui dicit: Aut ignosce illis hanc noxam, aut dele me de libro, quẽ scripsisti?* Haec ille. Accedit magnus Theologus Nazianz. qui orat. 44. in sanctam Pentecosten, ad hunc sensum alludens, ait: *Adeo*, inquit, *vos amplector atq; exosculor, adeo concinnam hanc vestram, & compositam vestem reuereor, & colorem eum, quem vobis vita frugalitas affert, & sacros hos caetus, & augustam virginitatem, ac purgationem, & in Psalmorum cantillatione permutationem, & propensum in pauperes, & fratres & hospites studium atque amorem, vt anathema etiam à Christo esse, ac nonnihil, vt damnatus perpeti non recusem; modo nobiscum adiungamini, communibusq; animis Trinitatem concelebremus.* Sic ille pereleganter. In quae verba Nicas interpres Gregorii ita scripsit: *Optabam anathema esse à Christo, id est, disiunctus, & separatus. Paulus enim Mosem imitabatur cognatorum, ac contribulum suorum vicendo dolentẽ, Deumq; his verbis alloquentem: Si peccatum ipsis dimiseris dimitte; sin minus, de libro quem scripsisti, me quoq; oblitera. Atq; multorum salutem sua vnius salute fructuosiorem, praestabiliorem q; ducebat: id quod est hominis tum proximum, vt seipsum diligentis, tum maxime Christum amantis, ac duo prima, & magna praecepta simul explentis. Eodem igitur modo ipse quoq; nonnihil, vt damnatus perpeti non recuso, hac conditione vt nobiscum stetis, vt communibus animis Trinitatem concelebremus.* Hactenus ille.

Idem paulo post med.

Richard. de S. Victor.

2. Cor. 9.

Proprium amoris quid.

Vtilis, & salutaris de Dei, & Proximi.

Vt tertio dubio satisfaciam, perpende, quod etsi scriptum sit: Diliges proximum tuum sicut teipsum; non tamen mensura, & ratio diligendi proximum est ipse sui amor, sed potius sicut regula credendi est Deus, & Christus, secundum illud: Creditis in Deum, & in me credite; ita ipse est regula amoris proximo impendendi, & dixit, *Hoc est praeceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos*, & apud Lucam rogatus quis esset proximus, declarauit se esse verũ proximum: & apud Ioannem dixit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quare ratio amoris ad proximum ex eo sumenda est, vt omnia propter Deum diligamus. Et haec charitas omnem concupiscentiae amorem excludit, quae non quaerit quae sua sunt. Et Aristoteles octauo Ethicor. nullam hic inueniri amicitiam perfectã, aut puram sine admixtione vtilis, vel delectabilis boni asseruit: & quod amicitia, quae expanditur ad alios, oritur ex amicitia, qua nos ipsos diligimus. Vera autẽ, & pura amicitia non quaerit, quod suum est, sed ipsum amicũ & eius commoda. Huius autem amicitiae magnitudo sumi debet à suo obiecto. Quanto enim quis magis est Deo acceptus, eo magis debet esse dilectione nostra dignus: non tantum dico amandum esse ad maius bonũ sed etiam vehementius, & intensius, quantum scilicet est ex ratione charitatis. Et ratio est in promptu: quia est obiectum amabilius, quia Christo Domino propinquius, & similius. Et quia quisq; secundum virtutem Christianae modestiae debet de se submisse, ac humillime sentire, iuxta Pauli regulam: *In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*; hinc colligimus, intentiore amore diligẽdum proximum quã seipsummet, hoc est, ardentius, & ad maius bonum. Ideo magis totam familiam, aut totam domum, aut prouinciam lege charitatis diligere cõpellor, quam meipsum. Non tamen homo peccaret, si minus intense diligat maius amabile: quoniam dum amamus nos ipsos secundum charitatem, id est, dum volumus nos ipsos Deo, hic amor maiora habet incitamenta & fortiorem fomitem, & propensionem naturę maiorem, quam ad alios habeatur. Et haec perfecta, & vera charitas nõ est propria huius status, & viae, sed ad patriã caelestem magis spectat, quae est participatio quędã Spiritus sancti, qui charitas est. Et quia exclusis fide, & spe, sola in patria remanebit charitas, & per quam modo sumus ciues sanctorum, & domestici Dei. Et Christus, & B. Virgo soli hic dum viuerent, puram, & in summo gradu habuerunt charitatem. Moyses vero, & Paulus, & quidam alii magni, & perfecti viri in aliquo actu eius profectionem obtinuerunt. Per hanc ergo

charitate doctrina traditur. *Matth. 22.*

Ioan. 14.

Infra 15.

Luc. 10.

Ioan. 13. Ratio dilectionis proximi vnde sumi debeat: eiusdem conditio. *1. Cor. 13.* *Philos. c. 3. ac saepe infra, to. 2.*

Perfecta amicitia quaenã sit. De magnitudine dilectionis proximi.

Deo propinquiores & chariores cur magis diligendi. *Philip. 2.*

Maiorem minoris boni dilectionem sine peccato posse consistere.

1. Ioan. 5.

1. Cor. 13.

Ephes. 2. Qualem Christus, & Maria & quã Moses & Paulus charitatẽ habuerit.

Perfecta in nobis dum viuimus charitas cur esse non possit.

ergo puram charitatem in patria, omnes alios digniores, & nobis meliores ardentius, & ad maiora bona diligamus: dum tamen sumus viatores, charitas hæc præternaturalis est nobis, qui tot affectibus fomitis, & amoris concupiscentiæ agimur, à quibus per charitatem proficientem nunc non possumus spoliari: ac proinde si illos affectus, & inclinationes naturales charitate vincamus vt nos diligamus, & nobis bona temporalia corporis, animæ, gratiæ, & gloriæ velimus eo modo, & vbi oportet, inordinationes tamen, & abusus illorum affectuum charitas corrigit, atque emendare contendit.

Commune illud dictum: Ordinata charitas à seipsa incipit, quomodo verum sit.

Quod igitur vulgo dici solet charitatem ordinatam à seipsa incipere: intellige de illa, quæ hominem perficit in naturæ nostræ affectibus, & animi motibus. Secus est de illa, quæ nos constituit in esse diuino, à qua sumimus amandi mensuram: vt primo loco Deum, deinde illa, quæ sunt illi propinquiora, & quæ magis diuinam perfectionem, participant, diligamus; quemadmodum Paulus, & Moyses fecerunt: & de charitate scriptum est, quod non quærit, quæ sua sunt.

1. Cor. 13.

Philip. 2.

Quod dicitur: Diliges proximum tuũ sicut teipsum, explicatur.

Quod deinde allatum fuit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, facile soluitur. Non enim dixit, tantum, vel quantum teipsum; vt homo non obtendat vllum ignorantiæ prætextum. Vt enim nos ipsos diligimus ad bona gratiæ, corporis, & fortunæ propter Deum: ad eum modum proximus est nobis diligendus. Nam vt Imperator si edictum proponeret, vt eo pretio ciues ciuib' merces vendant, quo ipsi emerant: quod si secus fecerint, auri talento mulctentur: si quis pluris emat, quam sit venditurus, vel minoris vendat, quam ipse emerit, non est violator edicti. Nam Imperatoris consilium non fuit, mutua beneficia tollere, sed auaritiam resecare. Ad eum modum nobis qui sumus nostri amantes, præcipitur, vt alios saltem tanquam nos ipsos amemus: nõ quod non liceat supererogare, aut aliquid de suo iure remittere, & proximum supra nos ipsos diligere.

Exemplũ supererogationis; ac beneficentiæ.

Tantam in Iudæos Paulus charitatem fuisse ordinatam ostenditur.

Re vera tamẽ, si alti' speculemur, hic Pauli amor potius erga Christum; & Deum erat, quam erga Iudæos, vt asserunt Ambrosius, Chrysost. & Hieron. Et absolute non prætulit Paulus gloriam vel salutem Iudæorum, suæ gloriæ, & saluti; sed Christi gloriam, quæ maior, & illustrior erat futura, si totus populus Iudæorum saluus fieret, quam si ipse solus. Verba autem Chrysostomi sunt hæc: *Quod si te, quæ dicuntur, turbant, tanquam quæ infirmiora sunt, rem ipsam perpendo: non solum; quod separari potuerit, sed ob quam causam voluerit, & tunc plane*

Ambr. to. 5. Chry ser. 16 Hier. ep. 151 ad Algas. q. 9. tom. 3.

Paulus interdum, vt Iudæos

videbis dilectionis ipsius excellentiam. Quoniam & quod circumcidit (Timotheum scilicet) non factum solum attendimus, sed magis illius mentem, facti videlicet rationem, atq; exinde magis illum admiramur. Neq; vero solum circumcidit, sed & tonsus est, & obtulit Ierosolymis in templo, neque tamen propterea Iudæum esse, sed maxime ob id ipsum & à Iudaismo liberatum, purum, & genuinum Dei ministrum, dicimus. Quemadmodum igitur licet videas & circumferentem, & offerentem, non tamen velut iudaizantem condemnas, sed ob ipsum potissimum tanquam alienum à Iudaismo coronas: ita & cum hic audis anathema fieri cupientem, noli propterea tumultuari, sed magis ob id ipsum illũ prædica, cognita causa, propter quam hoc optarit. Nisi enim factorum causas exquisierimus, Heliam homicidam fuisse dicemus & Abraham non solum homicidam, sed & in proprio filio parricidam & Phinoen quoque, & Petrum, cædis condemnabimus. Imo non solum in sanctis hoc vsu veniet, sed in vniuersis operibus Dei nisi canonem hunc secutus quis fuerit, multa suspicabitur absurda. Quæ est ergo causa? Rursus idem Christus Iesus desideratus ille. Atqui non dicit, propter ipsum. Optabam enim, inquit, ab ipso anathema esse pro fratribus meis. Verum ea est Apostoli modestia, & humilitas. Non enim velut magna loquens, & qui Christo in hoc magnifice glorificetur, videri cupit. Propterea dicit. Cognatis meis, vt superabundantiam abscondat. Alioqui quod propter Christum omnia voluerit, audi, quæ sequuntur: Quorum est adoptio, &c. Ad quid hoc dicit? Si enim ad hoc, vt alij credant, anathema fieri voluit, aut si de Iudæis solis optauit, ostendit, quod istud iam non propter Christum voluerit, sed propter cognitionem, & familiaritatem, quam cum Iudæis habebat. Neq; enim, quæ dicit, simpliciter dicit, sed quoniam plerią; Deum quasi accusabant, dicentes, quod iniquè essent ciecti de honestatiq; Iudæi, cum tamen sint filij Dei digni habiti, qui vocarentur, qui legem acceperint, ante omnes nationes, & populos Deum agnouerint, Deum colendo orbem vniuersum præuenerint, promissiones acceperint, quorum etiam sint ipsarum tribuum patres, & quod omnium est maximum, qui Christi quoq; maiores facti sunt, atq; in eorum locum è regione introducti essent, qui Deum nunquam cognouerunt, homines, scilicet ex Gentibus. Quoniam igitur talia dicentes Deum blasphemabant, audiret autem ista, molesteq; ferret Paulus, vt quem male habebat diuina gloria iniuria, optabat si quo pacto fieri posset, anathema esse, vt & illi saluarentur, & blasphemia isthæc dissolueretur, neq; videretur Deus decepisse filios, quibus sua dona iam olim promiserat. Et vt discas, quod ista optauerit ob hoc maxime fatigatus; ne vide licet irrita facta videretur promissio Dei, quæ Abrahæ dictum est: Tibi dabo terram hanc, & semini tuo, postquam ea dixisset, subiunxit: Non autẽ hæc loquor,

Christo lucri faceret, iudaizauit. Act. 19.

Infra 21.

Eiusdem. vt anathema fieret desiderĩũ, ex eodem in Iudæos propter Christum charitatis fonte manasse.

3. Reg. 18. 4. Reg. 1. Gen. 22. Num. 25. Act. 5.

Prærogatiuæ Iudæorum.

Pauli zelus

Gen. 12.

Exod. 32.

quod exciderit sermo Dei; vt ostendat, quod omnia ista passus sit ad hoc, vt sermo Dei, hoc est, promissio Abrahæ facta, immota persisteret. Quemadmodum enim & Moses videbatur quidem pro Iudæis legatione ad Deum fungi, totum autem hoc pro gloria Dei faciebat: (dicebat quippe: Ne dicant Ægyptij, quoniam non potuit eos saluare, eduxit eos in desertum, vt illic perderet, dimitte irã tuam) sic & Paulus. Ne dicant, inquit, excidisse promissionem Dei, Deumq́; promittendo mentitũ, ac sermonem ipsius effectum non esse consecutum, anathema fieri volebam. Atq; ideo non dicit, pro Gentibus, neq; enim ad illas facta fuerat illa promissio, neq; Deum coluerant, propterea neq; Deum blasphemabant propter Gentes, sed pro Iudæis, qui & promissionem Dei acceperant, & illi asciti, appropriatique pro reliquis populis fuerant, ista optabat. Hactenus ille sane acute, & peceleganter. Hieronymus quoque ad Algasiam: *Quæ est*, inquit, *ista tanta mutatio, imo inaudita prudentia; vt pro charitate Christi nolit habere Christum?* Et Oecumenius: *Præ se rem*, inquit, *Christi gloriam, multorumq; salutem, quam propriam. Vides eximium Christi amorem?* Sic ille.

Exod. 19. 1. Petr. 8.

Hier q. 9. ad Algas. epist. 151. tom 3. Oecum. ca. 15. sub init.

Magis ergo eligendum, ipsa gloria priuari, & in gehennam ignis mitti, quam quod alii Deum offendant, sine peccato tamen proprio, vel blasphemia.

Qua ratione Apostolus fieri Anathema optaret pro Iudæis suo vitio iam à Deo derelictis.

Quarto loco propositæ quæstioni talis adhiberetur responsio: quod si legeremus, Optabam, vel Optaui, id propterea diceretur, quia cernebat decretum esse à Deo, vt Iudæi in sua cæcitate manere permitterentur. Ante autem, quando res adhuc pendebat, & non omnino decreta, desiderabat fieri pro illis anathema. Et dicendo, Optabam vel Optaui, significat, se amplius non optare. Si autem legamus cum Chrysostomo, & Photio, Optarem, vel Optauerim de præsenti, sensus esset: Vtinam ego anathema esse possem pro fratribus, si fieri posset: quæ lectio planior est, & charitatem Pauli magis exaltat. Quod vero impossibile esset, Paulum prædestinatum, & singularem Christi amatorem, ab eius consortio, & fruitione abalienari, verum quidem est; cæterum ingens Christi amor nõ permittebat hæc particularia considerare, dummodo gloriã Dei posset promouere, & aliorum salutem. In quo se prodit ardentissima Apostoli charitas, de qua vere dixerat: Non quærit, quæ sua sunt, sed quæ aliorum, & quæ in extasim rapit amantem. Quemadmodum Abraham vt Deo filii immolationẽ præcipienti obediret, oculos clausit ad diuinũ præceptum, Non occides. Et cum in Isaac accepisset promissiones: tamen contra spem in spem credidit. Et Esaias contra legem honestatis nudus incessit, vt honestatis legi, id est, Deo pareret. Et Propheta Oseas iussus est accipere fornicariam, & ex ea prolem suscipere, quod parum erat cum honestate coniunctum, maxime in Propheta Dei. Et ita sancti multa legũtur fecisse, per excessũ quendam charitatis, quæ nos vix capere possemus. De quo Apostolus dixit, *Siue mente excedimus, Deo; siue sobrij sumus, vobis.* Et Chrys. recte inquit, *Quia nos longe sumus ab hac dilectione, idcirco intelligere dicta non possumus.* Addit Orig. *Ego didici à magistro, & Domino meo, quia qui vult animam suam saluam facere, perdet eam: & qui perdiderit eam, inueniet eam. Quid ergo mirum, si Apostolus pro fratribus suis anathema fieri velit, qui sciat eum, qui in forma Dei erat, exinaniisse se de ea, ac suscepisse formam serui, & factum esse, pro nobis maledictum? Quid ergo mirum, si cum Dominus pro seruis maledictũ sit factum, seruus pro fratribus anathema fiat.* Hæc illi Patres.

Chrys ser. iam dicto. Phot. apud Oecum. prædic. c.

Paulum ardens quo flagrabat Christi amor, eo charitas Iudæorum egit amantem.

1 Cor 13. Diuini huius cæci amoris exemplã sanctorum. Gen 22. Exod 20. Rom 4. Esaiæ.

Osea 1.

2. Cor. 5.

B Chrys.

Origen. Matth. 18.

Pauli charitas anathema fieri cupientis pro fratribus exemplũ non magnũ videri præ Christo.

Cum autem Paulus dicat: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*: certe Christus eminentiori charitate desiderauit fieri anathema à Deo, vel peccatum pro genere humano reconciliando, vel pro fratribus seruandis: non quidem anathema, separatione à Deo per peccatum, vel separatione humanitatis à diuinitate, sed faciendo se debitorẽ omnium peccatorum nostrorum. Maius enim est, & illustrius charitatis argumentum, velle sibi omnium hominum peccata imputari, & pro illis debitorem, siue fideiussorem constitui eorum, quæ non rapuerat, quam æternam perpeti pœnam: & præstantiori charitate paratus erat Dominus Iesus in animo suo ad priuationem gloriæ, & fruitionis diuinæ, quam quod mundus sine remedio reconciliationis, cum Patre suo maneret.

Philip. 2. Ibidem. Gal 3. Christi charitas Pauli charitate quã multis partib. maior, & excellentior.

1 Cor. 11.

2. Cor. 5.

Psal. 60.

Iam verba pondera: *Optarem*, ait: non tãtum, *Vellem*, inquit. ¶ *Ego ipse.* Emphasim habet, id est, Ego Apostolus, qui tantum pro Christo laboraui, qui tam ardenter cupio dissolui, & esse cum Christo. ¶ *Anathema esse à Christo.* Id est, in æternum separatus à consortio, atque hoc pro ipso Christo, ac pro eius gloria, vt declaratum fuit. ¶ *Pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundũ carnem.* Iudæi fratres dicuntur in Scripturis; cæteri vero extranei; sicut & post Christũ Christiani dicuntur fratres. Et hi secũdum carnem ab Abrahamo sumptam, non secũdum Christum, vel in Christo dicuntur cognati, pro quo alii vertunt, Consanguinei; nam Græca vox est συγγενεῖς, quod idem valet: nisi quod tunc redundaret vox, Secundum carnem, nam Consanguinei alia ratione esse non possunt, quam per carnem. At

Optare plus est quam velle. Phil 1.

Iudæis hic Paulus cur nominet fratres.

Quare cognatos secundum carnem.

quia vox Græca propiie significat eodem genere prognatos, quomodo interpres dixit, *Cognati secundum carnem*, id est, ab Israele descendentes, vt vox explicat. Et licet aliquo modo cognatio esset tanti amoris; potissima tameu ratio erat honor Dei.

Hæc fraterna Apostoli Iudæorum appellatio, quorum in eos seueritaté, ac maleuolentiam damnare videatur.

Et hoc verbo detestandus se prodit eorum zelus, qui eorum, qui ex Iudæis sunt, progeniem, & genus etiam ante multa secula ad fidem Christi conuerso, tanto prosequuntur odio, & tanta maledicentia proscindunt, vt puteut se Christo obsequium singulare præstare, ac Deum sibi demereri, si eos non solum Christiana charitate complectantur, sed omnibus honoribus, & dignitatum gradibus spoliẽt, & omni abalienati beneuoli animi significatione cum eis versentur. Quantum hi disteut ab eximia Pauli charitate, qua pro eorum salute anathema effici cupiebat, res ipsa satis indicat, & Dominus aliquando sua die indicabit. Reliqua, seruamus in sequentem disputationem, quod præsens æquo longior processerit.

DISPVTATIO XXVI.

In illa verba: *Qui sunt Israelitæ, quorũ adoptio est filiorum, & gloria, & testamentũ, & legislatio, & obsequium, & promissa: Quorum Patres, ex quibus est Christus secũdum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen. Non autem, quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes, qui ex circumcisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ, &c.*

Institutum Apostoli

EXplicanda est simpliciter litera, & quid quæstionis, aut dubitationis emerserit, esplicandum. Contexit ergo Apostolus catalogum dignitatum, & priuilegiorum, quibus olim præter omnia merita à Deo ornati Iudæi fuerunt: & ostendit, ipsos suæ incredulitatis vitio à tantis donis excidisse, & à multo maioribus, quæ recepissent, si oculos Euangelicæ veritati non occlusissent. Et ita causam suæ tantæ tristitiæ detegit.

Idem prærogatiuas Iudæorum cur enumeret, & quales.

Theod. t. 3.

Octo igitur priuilegia Hebræorum describit, quo eorum commemoratione ad fidem alliciat. Et inter omnia illa nullam humanam virtutem, aut dignitatem commendat, & quam ipsi sibi possent insolẽter arrogare, cum omnia diuina penitus sint beneficia. Theodorus in hunc locum asserit. Paulum mulieres, quæ lugent viros, aut filios suos, imitatum fuisse, quæ corporis pulchritudinem, & ætatæ florem, & maiorem nobilitatem, & opes, ac potentiam suis lamentationibus attexunt. Primum est, quod sunt Israelitæ, sicut alibi dixit, *Israelitæ sunt, & ego*. Eos autem non vocat semen Abrahæ, sicut fecit 2. Corin. 11. Semen Abrahæ sunt, & ego: non solum vt eos distinguat ab Idumęis, & Ismaelitis filiis Esau, sed etiam ob celebre factum Iacob cum Angelo, id est luctam, in qua præualuit, & non dimisit eum, donec benediceret sibi: inde dictus est Israel, hoc est, princeps, vel potens Dei, vt Hieronymus in Hebraicis quæstionibus interpretatur: etsi loco inditum fuerit nomen à visione Dei, Phanuel dicens, *Vidi Deum facie ad faciem*, &c, ipsi vero nomen fuit impositum à fortitudine. Etsi vere possit interpretationem accipere videntis Deum, vt multi ex veteribus docent. Confundit porro illos, quod cum de nomine Iacob, siue Israel glorientur, qui vicit Angelum, Angelis tamen Satanæ tam turpiter manus dederint, vt fidei lumen oblatum, quo Deus ipse cernitur, abiecerint. Secundum priuilegium est adoptio filiorum. Nam etsi Græce tantum legamus adoptionem, non tamen ad maiorem expressionem redundat, filiorum: & verbum Est, melius suppleretur Erat, vel Fuit. Et recte Israelitarum dignitati addit adoptionem: quia Exod. 4. dicitur: *Filius meus primogenitus Israel*. ¶ Nec obstat, quod paulo ante dixit, Spiritum timoris Iudæis datum; Spiritum vero adoptionis fidelibus: quia etiam illorum parentes, atq; adeo ipsi adoptionem acceperant in circumcisione, & sub lege viuebant, tanquam tamen paruuli, atq; ætate minores, qui sub tutoribus, & actoribus sunt, vsque ad pręfinitum tempus à patre. Et vmbratilem potius, & typicam quandam acceperant adoptionem filiorum, tanquam in ætate minoribus, & qui possemus hæreditatem adire cœlo aperto. Nec obstat, aliquos olim sua culpa excidisse à beneficio adoptionis illius: quia Paulus tantum diuinum propositum in conferenda circumcisione, & lege demonstrat fuisse, vt homines gratis reconciliari, & in filios asciti, Deum vt patrem colerent. Et licet quidam ex Gentibus fuerint adoptati: illis tamen tantum dignitatis nomen non concessit, sicut filiis Israel, de quibus dicitur; *Filij autem regni reijcientur in tenebras exteriores*; &, *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*. In cuius rei figuram scilicet cœlestis hæreditatis, data est illis terra promissa, electis inde Gentibus. Sed nunc aduenięte Christo primogenito filio, spoliati

Iudæi nunc Israelitæ, & non semen Abrahæ, quare dicantur.
2. Cor. 11.

Gen. 32.
Duplex Israelis interpretatio

Hiero. to 3. à med.

Exod. 4.
Eisdem cur tribuatur filiorũ adoptio.
Quomodo superius Iudæos Apostolus asserat accepisse spiritum timoris, & non adoptionis.
Gal. 4

Si Iudæorũ adoptio est, vt dicitur vnde illorum abiectio, & reprobatio

Matt. 8.

Iudæorum quæ gloria

sunt

Luc.2.
Pſal.147.
1.Reg 4.
Exod.16.
Infra 19.
Infra 40.
Supra 13.

ſunt tanta prærogatiua, & poſt habiti Gentibus, cum quibus tamen Deus non erat conuerſatus. Tertium priuilegium eſt gloria, quæ vel ad adoptionem filiorum referri poteſt de qua: *Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael*; vnde gloriabantur: *Non fecit taliter omni nationi*: vel ad arcã fœderis, quod erat præſentiæ Dei teſſera, & per metonymiam dicitur gloria Domini 1.Reg.5. & Exod.16. *Apparuit gloria Domini in monte*, & Exod. 19. quando data eſt Lex, apparuit gloria Domini ſuper Sinai; rurſus ca. 40. *Gloria Domini impleuit tabernaculum*. Vel accipi poteſt pro gloria virtutũ, & miraculorum, & portentorum, quibus Deus gloriam ſuam notam fecit filiis Iſrael. Illorum etiam fuit gloria columnæ ignis, & nubis, qua protecti ſunt vſque ad terræ promiſſæ introitum.

Quæ illorum teſtamenta.
Hiero. to.3.
Aug to.6.
Orig to.2.
Gal 4.
Cur Legiſlatio.
Quid eorũ obſequiũ.
B Cyprian.
Aug. to.eo. Idem.
Promiſſa quænam.
Exod. 20.
Ordo promiſſionũ.

Quartum eſt, teſtamenta, in plurali, quia Græce διαθῆκαι, id eſt, hæreditatum diſpoſitiones, quæ obeundæ ſunt poſt teſtatorum mortem: & ita legit beatus Hieronymus quæſtione nona ad Algaſiam initio, & Auguſtinus libr. 12. contra Fauſtum, capite tertio. In ſingulari enim ſignificat pacta & conuenta inter viuos, atque hæreditatem. Nam quoties Iudæi peccauerunt, exhæredati dicuntur: quoties vero Deus propitiatus eſt, reuocauit eos in hæreditatem ſuæ poſſeſſionis: totieſque reparaſſe teſtamentum videtur, vt ait Origenes. Poſſumus etiam referre ad duo teſtamenta; de quibus Paulus Galat.4. quorum primum actu fuit illis exhibitum, alterum vero promiſſum: de quibus Ierem. 3. Quintum priuilegium eſt Legislatio: nam Lex Moyſi in die Pentecoſtes verbo, & ſcripto conſignata eſt, quod attinet ad moralia, & iudicia. De his vero, quæ ſpectant ad ceremonias, ſubdit: *Et obſequium*, aut potius cultus, qui Græce λατρεία dicitur. Et ſignificat ceremonias, quas ſeruabat populus, aut officia Sacerdotalia in templo. Et alio loco vocat illud obſequium, ſeruitutem: & Cyprianus libro ſecundo contra Iudæos, capite ſexto circa finem. famulatum legit pro obſequio. Noſtram vero lectionem ſequitur in aduerſarium legis, & Prophetar. capite 15. & lib. 12. contra Fauſtum, capite primo. Septimum priuilegium eſt, promiſſa. Quæ non tantum erant temporalia, ſed & ſpiritualia, ſi videlicet ſeruarent legem, aut honorarent parentes. Nam qui honorat patrem, & matrem, promiſſionem habet vitæ præſentis, & futuræ. Erant etiam promiſſiones de futuro Meſſia, & eius lege, & vita æterna, ſeu reſurrectione à mortuis. Et primo quidem habuerunt carnalia promiſſa; deinde etiam in Chriſto ſpiritualia, ſi per illos non ſtetiſſet: de quibus Geneſ. 12. & 22. & capite 15. huius epiſtolæ, dicitur miniſter huius circumciſionis, ad confirmandas promiſſiones Patrum. Poſtremo tandem & ſpiritualia, & corporalia ſimul in reſurrectione, & vita æterna. Poſtremum denique, & ſupremum Iudæorum priuilegium eſt, quod Patres, ex quorum ſanguine Chriſtus deſcenderit, eorum quoque parentes fuerint. Vnde Deuteron. 4. *Dilexit patres tuos, & elegit ſemen eorum poſt eos*. Et cap. 10. *Patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amauit eos, elegitq; ſemen eorum poſt eos*. Quo verbo conglutinationis myſterium Incarnationis indicauit. Et Malach.1. *Dilexi vos, dixit Dominus*. Et inter Patriarchas, & Prophetas præcipui fuerũt Abraham, & Dauid, quibus cum iureiurando promiſſus fuit Meſſias, & quorũ filius, & ſemen dici voluit. Hinc enim legimus; *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid filij Abraham*. Quo verbo tacite pungit Iudæos, quod nõ totum promiſſum ſibi Deũ, & miſſum abnegaſſent, ſed eundem in carne, & ſanguine, quæ ab ipſorum parentum viſceribus acceperant, non tantum recuſaſſent, ſed etiam crucifixiſſent.

Qualis Iudæorum prærogatiua fuerit ex Chriſti, & Meſſiæ parentibus deſcẽdiſſe.
Deut. 4.
Infra 10.
Quomodo patrib. Iudæorum fuerit Dominus cõglutinatus.
Malach.1.
Ex quibus patribus Chriſtus potiſſimũ natus.
Gen 22.
2 Reg.7.
Pſal. 31.
Matth 1.
Act.3.

Et ſubdit: *Qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula*. Pulchre terminat ſuam orationem, ita vt quem hominem, & ſibi ſecundum carnem coniunctum nominauerat, eundem verũ eſſe Deum aſtrueret. Vt ca.1. fecit, cum dixit: *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem*; &, *Qui prædeſtinatus eſt, Filius Dei in virtute*, &c. Deinde, vt diuinitatis Chriſti commemoratione, eorum peccatum traduceret, qui Deum verum à ſe abiecerant, qui tam multis priuilegiis eos honeſtauerit, quemque eorum patres tam ardẽtibus votis præſtolabant.

Iudæi tanto beneficio vti reſponderunt.
I. ratio huius concluſionis de Chriſto: qui eſt ſuper omnia benedictus in ſecula
Rom.1.
Altera.

Refellendus porro hoc loco eſt Eraſm. qui miris modis conatus eſt, hunc locum tam apertum euertere, & nihil ſolidi probare contra Arrianos. Et primo quidem aſſeruit, in Græcis codicibus deeſſe vocẽ Deus, & in Chryſoſtomo in huius loci explanatione, & in Cypriano lib.2. in Iudæos, c.5. & Hilario in Pſalm.122. cum plerique ex Patribus hunc locum producãt contra Arrium: & in Chryſoſto. aperte habetur vox Deus, vt ipſe aſſerit ſe inueniſſe, ſcribens ad Hiſpanos. Et loci ex Cypriano & Hilario corrupti ſunt, & librariorum vitio id euenit, vt oſtendit res ipſa, cum vtrobiq; citetur hic locus, vt probetur, Deo nomen Chriſti vere, & proprie competere: quãquam etſi omitteretur, nihil periret veritatis, quia ſatis expreſſa eſt Dei natura, cum dicitur, Super omnia. Deinde elabitur, dicendo, hanc parti-

Eraſmi aduerſus hũc locum de Chriſti diuinitate rationes minus piæ, ac ſolidæ proponuntur ac diluuntur.
I. Ratio.
B.Chryſoſt.
II. Ratio.

culam eſſe adiectam, ſicut ſunt quædam aliæ quæ extremæ clauſæ orationis apponi ſolent. Vt illud, *Tu autem Domine miſerere noſtri*: vel, *Gloria tibi Domine*, vel, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*. Et calci orationis Dominicæ adijcitur in Græcis codicibus: *Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria, in ſecula ſeculorum*. Sed hoc vanum eſt: tum quia omnes Græci, & Latini codices hanc clauſulam tanquam veram, Germanam habent & tanquam ſolidam producunt ad reuincendos Arrianos: quia ſi nouiſſent eam eſſe adiectitiam, facili negotio eam reieciſſent. Denique hic non erat vera cauſa addendi illam, cum eſſet in feruore diſputationis, & non in fine. Tertio alias rimas ad euadendum meditatus eſt. Nam dixit, poſt illa verba, *Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia*, punctum apponendum. Vt ſit ſenſus, omnium antiquorum dignitatē ſuperare Chriſtum: deinde nectere loco epiphonematis, *Deus benedictus in ſecula*; Patri gratias agens de tanto beneficio. Quarta euaſio eſt, cuius meminit ſcribens ad Hiſpanos, addendo verbum, *Sit*, in hunc modum; *Qui eſt ſuper omnia Deus, eſt benedictus in ſecula*; vel, *Ille qui eſt ſuper omnia Deus, ſit benedictus in ſecula*: vt ſit doxologia quædam, & diuinæ laudis decantatio. Sed profecto hæ duæ rimæ ſine autoritate Patrum excogitatæ, & in præiudicium tantæ veritatis, qualis eſt de diuinitate Chriſti, & nulla probabili ratione ſuffultæ, tanquam hæreticæ omnino reijciendæ ſunt. Neq; doxologia recte apponitur in medio diſputationis: nec relatiuū, Qui, vt notauit Ambroſius, ad alium referri poteſt, quam ad Chriſtum. *Si quis*, inquit, *non putat de Chriſto dictum: Qui Deus eſt, det perſonam, de qua dictum eſt. De Patre enim Deo hoc loco mentio facta non eſt. Sed quid mirum, ſi in hoc loco Chriſtum Deum ſuper omnia aperta voce loqueretur, de quo alia in epiſtola hunc ſenſum tali ſermone firmauit, dicens: Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum? Hæc ſunt omnia, ſuper quæ Deus Chriſtus eſt. Neque enim, exceptis his, ſunt aliqua vt non ſuper omnia Deus Chriſtus ſit: nec poteſt genu flecti ab omni creatura, niſi Deo*. Et Origenes hoc loco annotat, auditoribus proficientibus, Chriſtum Deum eſſe, qui eſt ſuper omnia benedictus, pronuntiaſſe. Oecumenius vero & Theophylactus ex hoc loco pudore obrui Arrium affirmant. Et dicitur Chriſtus eſſe ſuper omnia, vel ſuper omnes: nam Græca litera vtramque lectionem rapit ἐπὶ πάντων: quia natura diuina ſuper omnia eſt creata, & quæ creari poſſunt, & Patres, & Prophetas, quorum paulo ante mentionem fecerat. ¶ *Non autem quod*

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Ambr. to. 5.

Philip. 2.

Orig. to. 2.

Oecu. c. 10.
Theophyl.
Chriſtus quare ſuper omnes & ſuper omnia benedictus.

exciderit verbum Dei. Non enim omnes, qui ex circumciſione ſunt Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ. Diſputat hoc loco Apoſtolus de origine gratiæ diuinæ, quod ſcilicet non hominum meritis, ſed ex Dei beneplacito ortum habeat. Et ita cum Hebræi gratiæ Dei beneficio dicta priuilegia habuiſſent, & eorum miſerum caſum deploraſſet; iam præoccupatione aduerſus eos vtitur, ne inde colligerent, vanas, & incertas fuiſſe Dei promiſſiones. Oſtendit namque, caſſum & vanum ſermonem Dei non fuiſſe, quia ſi non in Iſraelitis carnalibus impletus eſt, in Iſraelitis tamen ſpiritualibus adimpletus fuit. Quod probat duobus Scripturæ exemplis, altero de Iſaac repromiſſo, reiecto Iſmaele, altero de Iacob dilecto, & Eſau odio habito. Eraſmus paraphraſtice hunc locum vertit ſic: *Non autem hæc loquor, quod exciderit ſermo Dei*. Alij melius putant ſuppleri: Non tanto mœrore conficior de abſciſſione veſtra, quod fides pollicitationem Dei per vos confracta fuerit, vel infirmata. Verbum enim Domini manet in æternum, &, *Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui*. Loquor ergo hæc, vt meum erga vos amorem declarem: nam rebus ſic exiſtentibus, non deerunt mihi rationes ad demonſtrandum Dei promiſſa ſtetiſſe. Non enim omnes qui ex circumciſione ſunt Iſrael, ij omnes Iſraelitæ. Verbum, *Ex circumciſione*, in correctis tam Græcis, quam Latinis exemplaribus non inuenitur; nec enim eſt veriſimile, verbum eſſe Pauli, quia circumciſio non cepit initium in Iacob, ſed in Abraham. Deinde aptius cohærent hæc duo membra. Non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ. Neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij. Nam ſolenne eſt in Scripturis, vt à capite alicuius ſtirpis denominatio generis eius fiat. Et conſulto interpres non dixit. Ii ſunt filii Iſrael, ſed Iſraelitæ, vt tollerent æquiuocationem, ne Iſrael putetur eſſe caſus gignendi, cum ſit nominandi; & quia Iſrael abſolute dictum, non ſi vniuerſam gentem Iudæorum ſignificat. Iſraelitæ vero, poteſt accipi pro particula Iſraelis, de qua hic loquitur Paulus: nam Iſrael ſecundo loco eos, qui ad Iſraelem patrem magis fide, quā carnis propagatione ſpectāt intelligis, id eſt, Deum fide videntes, vel fortes cum Deo, quomodo ille vidit Deum, & lucta ſuperauit. Hinc pulchre ait Origenes: *Degenere Iſrael multi ſunt, ſed non omnes Iſrael appellantur. Iſrael namq; Deum videndo nominatus eſt. Sic & ipſe Iacob dicit: Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Ergo quia vidit Deum, Iſrael appellatus eſt. Qui vero non*

Hæc ſententia: Nō autē, quod exciderit verbum Dei, &c. quo tēdat.

Eius duplex interpretatio.

Eſa. 55.

Illud: Ex circumciſione, ſc. qui ſunt Iſrael, vnde conſtet de Textu non eſſe.
Gen. 17.

Gentem aliquam ab eius autore ac principe Scripturæ fere denominant.

Cur dictū ab interprete: Non enim omnes, qui ſunt Iſrael, ii ſunt Iſrael, ſed ii ſunt Iſraelitæ.
Gen. 32.

Orig. hoc loco.
Iacob cur appellatus Iſrael.

Ioan. 14.
Quid significet: Neq; qui semen sunt Abrahæ omnes filij.
Ambros.
Origen.

non vidit eum, qui dixit: Qui me videt, videt & Patrem, Israel non potest dici. Ita ille. ❡ *Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij.* Legendum relatiuè, qui, non, quia, vt etiam corruptè legit Ambrosius, & Origenes indicat. Estq; sensus, non omnes Iudęos carnales esse veros Abrahę filios, eo quòd sunt semen eius, & carnaliter ab eo propagati.

Abraham Isaac, & Iacob primi promissionē habere Messiæ, & quare.
Rom 4.
Gal 3.
Genes. 29. & 30. & 35. & 37. & 46.
Iudæi filij Iacob potius, quā filij Isaac cur soleant nominari.

Tres autem legimus insignes patres, quibus data fide promissus est Messias; nimirum Abraham, Isaac, & Iacob. Nam Abrahæ promittitur capit. 12. vsq; ad 22. Ideò Iudæi dicebantur filij Abrahæ, vt in Genesi: filij Israel, vt in Exodo. Abrahæ quidem, quia illi omnium primo, & semini eius factæ sunt promissiones: Israeli verò, quia omnes filij eius tam ancillarum, quam principalium vxorum, connumerati sunt in populo Dei, cui per tribus distributo data est terra promissa. Non tamen solenniter dicebantur filij Isaac, quia nec primus fuit, cui facta est promissio, neq; tota eius progenies hæreditatē illam adiuit, sed solus Iacob, Esau abdicato.

Dei promissiones patrib. factas quare Paulus in omnib. eorum legitimis filijs asserat fuisse impletas.

Ostendit ergo promissiones validas, & efficaces in duobus seminibus Abrahæ, & Israel: idq; per quatuor oracula confirmat, quorum duo spectant ad Abraham, & totidem ad Israel. Et cum potuisset Paulus firmitatem diuinarum promissionum tueri, adserendo, quod particulariter in quibusdam filiorum tam Abrahæ, quam Israelis eas compleuerat: ne tamē aliquis eas redargueret, dicendo nō fuisse satis solidas, cum nō in omnibus, quibus salutem fuerat pollicitus, eas præstitisset: nec tantum in illis, sed in quamplurimis ex Gentilitate; propterea easdem promissiones ostendit in vniuersum fuisse completas in omnib', qui legitimi sunt illius filij: atq; illis obuenire hęreditatem cœlestem, de quibus spiritualiter, & principaliter intelligebantur. Et propterea ait, nō omnes, qui in Israel sunt, esse veros Israelitas. ❡ *Sed in Isaac,* inquit, *vocabitur tibi semen.* Ostendit autem nullo iure carnali, sed diuino beneplacito, nobis obuenire adoptionis hæreditatem, duob. accommodis exemplis; altero Abrahæ, qui cum duos suscepisset filios, Ismaelem primogenitū, & Isaac; & cum priori, iure primogenituræ deberetur hæreditas, non obstante, quod ille esset ancillæ filius, quemadmodum nullum fuit discrimen in sobole Iacob inter filios ancillarum, & vxorum: nihilominus Abrahæ præceptum fuit, vt eijceret filium ancillæ, Quia in Isaac vocabitur tibi semen. Et more Hebraico Vocabitur, idem valet, ac erit (vt testantur loci: *vocabitur Emanuel;* &, *Filius Altissimi vocabitur*) Adiecit autē Deus: *Sed & filiū ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* quod interpretans Apostolus, ait; *Non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimātur in semine.* Id est, Nō qui ius habēt ex carne, vt Ismael, ij sunt filij Dei, sed secundum electionem, & promissionem illius æstimantur in semine Abrahæ. Quæ allegoria latius explicatur ad Galat. 4. vbi filium ancillæ ait natum secundum carnē, id est, naturali virtute carnis ex iuuencula progenitum: filium autem liberæ susceptū per repromissionem, hoc est, deficientibus naturæ viribus, sed diuina virtute restitutis, in typum Christi generandi ex Virgine, & adoptandorum filiorum, qui eius gratia erant assumendi. In quo quidem argumento, quo vtitur, nihil superest obiectionis: quòd nec omnes filij Isaac salui sūt, neque soli: siquidem Gentiles, siue ab Esau, siue ab Ismaele descendant, in lege naturę, auxilio diuinę gratiæ salui fieri poterāt, qui Iudæos ipsos in aduētu Christi anteuertūt.

Genes. 16.
Infra 12.
Vocare pro esse, more Scripturæ.
Esai. 7.
Luc. 1.
Gen 12.
Ibidem.
Quid Ismaelem secundū carnem natū esse, Isaac vero per promissionem.
Esai. 7.
Gentes ante Christi aduentū vnde seruari potuerint.

Dei promissiones Abrahæ, & semini eius factas dupliciter Scripturæ solent inducere.
Act. 2.

Perspice hoc loco, promissiones factas Abrahæ, & semini, sæpè designari in Scripturis, tanquam communes sint omnibus Iudæis, vt paulò antè dixit; *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum,* &c. Et Petrus Act. 2. ad Iudæos omnes dixit; *Vobis est promissio, & filijs vestris,* & cætera: quia omnibus Iudæis sine acceptione fuerūt oblata. Interdum verò asserit, Scripturas solis electis, qui spiritu, & fide imitantur Abraham, promissiones conuenire: qua ratione & superius capite quarto, & hoc loco Apostolus eas negat alijs congruere, quia in istis tātum sunt efficaces. Et vt capite secundo distinxit inter Iudæum spiritualem, & carnalem, & circumcisionem carnis, & spiritus: ita hoc loco duplices esse Israelitas, & duplex semen Abrahæ constituit: quemadmodum cap. quarto dixit patrem esse omnium credentiū; & Ioannes Baptista; *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Perspice etiam, quod exempla, quæ ponit Apostolus ex Genesis historia, ad sensum spiritualē referenda sunt. Non enim hic agit, quinam sint legitimi posteri Abrahæ, vtpote, qui geniti sunt per Isaac, & nō per Ismaelē, & quia ab Isaac descēdunt per Iacob, nō per Esau: sed agit quinam Iudæi apud Deum sint posteri Abrahæ, qui scilicet non secundum carnem orti sunt, sed secundum spiritum, & promissionem. Vnde promissionis verbum fuit illud: *Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius,* Hoc est secundum restimon. & verba sunt Angeli promittentis semen Saræ tempore præfinito, id est, euoluto anno, sine elapso

Rom. 4.
Matth 3.
Geneseos exempla producta de Abraham, & Isaac, &c. spiritualem dumtaxat habere intelligentiā.
Gen 18.
Isaac, mysticè Christus est, atque credentes.

iusto tempore ferendi vterum. Vnde iuxta spiritum in Isaac intelligimus Christum,& quotquot illi per fidem hærent. Et vt ille cum lætitia,& admiratione natus,vocatus est Isaac,id est Risus,scilicet patris,&mundi gaudium:ita Christus. Et vt dixit Sara: *Risum fecit mihi Deus,& quicunq́, audierit,corridebit mihi*;ita omnes,qui audiunt cóceptum diuinæ Virginis,illā beatificant, quod est illi corridere.Et vt illa , Sara vocata est, hoc est , Domina,vel Princeps; ita Virgo beata , Maria dicta est,hoc est , Domina nostra,& venit super eam Deus,id est, Spiritus sanctus.

Infra 12.
Supra 17.
Luc.1.

Quod verò ait,*Secundum tempus*, Græcè est [illegible]. Et significat ipsam temporis opportunitatem, quando scilicet venit plenitudo temporis. Et propterea quod venit in feruore diei,incalescente Sole;nimirum in feruore Spiritus sancti, quo & illa correpta est,& Christus conceptus. Hæc ergo Maria , mater est cunctorum viuentium iuxta spiritum ; siue etiam Ecclesia Gentium denotatur:quæ vt domina , libera eligitur,electa Agar ancilla,id est, Synagoga,quæ hebet virum Mosem , & Legem,& seruit in carne: quæ cum vidit vterum suum intumescere,gloriata est, & superbiuit in sterilem . Nam gloriosa facta in plenitudine Patriarcharū, & Prophetarum,quos conceperat, facta est insolens in dominam suam,hoc est,in B.Deiparam,& Ecclesiam Gentium . Vnde meruit cum filio suo foras expelli, (vt sit peregrina, & aduena,vt nomen Agar sonat)ab Ecclesia, & domo Dei.Et ita Ismael,homo ferus, & intractabilis, quia persequitur legitimum Filium Isaac,foras eiicitur,& peregrinatur, alienatus à conuersatione Israel, & factus hospes testamentorum, vt dicit Paulus.

Christus,ceu Isaac,vt natus secundum tempus.
Galat. 4.
Genes 3.
Huius mater Sara,quæ mysticè.
Ecclesiæ, & Synagogæ.in Sara,& Agar pulchra delineatio.
Genes.16.
Infra 21.
Gal.4.

¶ Et Hebræa idiotismo , vt alibi multis exemplis indicauit.*Venit secundum tempus* idē est ac dicere,*Venit in tempore* . Et ita Paulus comprobatum reliquit,ab isto primo typo non omnes filios Abrahæ esse , sed illos tātum,qui ex fide sunt Abrahæ. In quo tamē miserè hallucinati sunt Iudæi, oculo tantum carnis omnia considerantes.

Ephes 2.
Quid,Venire secundum tēpus, Hebraïs.

(.·.)

DISPVTATIO XXVII.

In illa verba: *Non solum autem illa, sed & Rebecca ex vno (concubitum habēs) Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati fuissent,aut aliquid boni egissent,aut mali (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus , sed ex vocante dictum est ei,quia maior seruiet minori.Sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

IN his paucis verbis,ac perobscuris non leues continentur difficultates. Ac primum in illis verbis,*Nō solum autem illa* , agnoscenda est Eclipsis, & aliquid esse supplendum.Deinde difficile est quod ait: *Rebecca ex vno cōcubitum habens,Isaac patris nostri*,& quid est concubitum habere. Tertiò videtur Paulus nō minus electionē , quam reprobationem referre ad propositū Dei, siue ad vocationem eius, & non ad opera: nā ea ratione,qua attingit reprobationem, durū,& falsum esse videtur. Quartò, duo producit Scripturæ testimonia,quæ parum sibi consentire videntur:nam aliud esse videtur,maiorem seruire minori, quam dicere,Iacob dilexi,Esau autem odio habui. Postremò magnam inducit admirationē de Dei bonitate,quòd ex duobus fratribus Iacob,&Esau,alterum dilexerit,&alterum odio habuerit ,& antè opera præuisa, & in oculo Dei iam posita.

Prima difficultas.
Secunda.
Tertia.
Quarta.
Gene 25.
Malach.1.
Quinta.

Primnm dubium facilè resoluitur: nam etsi Græcè non sit particula, *Illa*,tamen maioris claritatis gratia videtur adiecta. Quemadmodum Capite præcedenti,cum dixit:*Non solum autem illa,sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes*: vbi etiam verbum, *Illa*;ab interprete addirū fuit eadem de causa,cùm Græcè non habeatur, vt annotauit Eras.Supplendum autem videtur aliquid hoc modò. Non solum Saræ facta est promissio,quod Isaac esset verum semen , sed etiam ipsi Rebeccæ grauidæ ex Isaac patre nostro,facta est promissio,de vno scilicet, Iacob,quod esset verum semen,nō autem Esau.Alij verò ita hunc nodum expediunt: Non solum in Sara nascuntur filij Dei,quia ex eadem computantur in semine, verumetiam in Rebecca possūt intelligi,qui sunt electi.Et declarans typum, ait, quod cum Rebec. in vtero ex vno patre Isaac haberet binos filios,Esau,& Iacob, cum nondum nati essent,dictū est;*Quia maior seruiet minori*. Tertiò,alij interpretantur: Non solū aūt illa(Sara)accepit filium per repromissionē;

Ad primum dubium.
In iis verbis: Non solum autē illa,quid consideretur.
Rom. 8.
Prima solutio
Secunda.
Tertia.

ſed etiã Rebecca eius rei nobis præſtat exemplum,quod videlicet filij Dei æſtimandi ſunt non ex propagatione naturæ,ſed ex Diuina electione,&gratia adoptionis,non proprijs,aut parentum meritis, ſed gratia vocationis.Nam quia potuiſſent Iudæi ad prius exemplum reſpõdere, Iſmaelem natum ex ſerua;ac proinde non mirum eſſe ſi reiectus eſſet:adhibet ergo hoc ſecundum exemplum, in quo proponit duos fratres ex eodẽ patre,&ex eadem matre, & ſimul eodem die progenitos,imò eodem concubitu ſeminatos:quorum alter deprimitur, alter verò exaltatur.¶ Voluit autem Paulus in paruulis nondum natis exemplũ ſtatuere,non in Abele,& Cain, vel in Dauid,& Saul,vel in Nabuchodonoſor&Pharaone; ne quiſquam cogitate poſſet, diuerſa eorũ merita præuiſa,fuiſſe in cauſſa vt alter eligatur,alter odio habeatur.

Electionem Dei non ex operibus eſſe, ſed ex vocãte, cur Paulus nõ alio quã nondum natorum Eſau,& Iacob oſtendat exemplo.

Solutio ſecũdæ dubitationis.

Secundum dubium,ſi rem ipſam cõſulamus,facile eſt.Significat enim, Rebeccã ex vno Iſaac viro ſuo gemellos in vtero concepiſſe. Si verò verborum ſtructuram, & grammaticam ſpectemus, non ita apertum eſt. vnde & Laurentius,& Faber,& Eraſmus contra veterem interpretem inſurgunt . Græca verba ſunt : ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαὰκ πατρὸς ἡμῶν, &c . quæ Faber ita vertit:Ex vno quæ cubile habebat Iſaac patris noſtri. Eraſmus vero : Sed & Rebecca ex vno conceperat Iſaac patre noſtro. Nam quod ille,habens cubile,vel cõcubitũ,verecundè dixit,pro,Concepit: & Laurentius dixit:nihil Pauli retuliſſe,an illi gemini fuiſſent concepti vno concubitu, an diuerſis.Verum tam Græci, quam Latini Patres de vno concubitu loquuntur. Cum enim Paulus prius induxiſſet exemplũ de Iſmaele & Iſaac diuerſis ex matribus , vna ancilla,altera libera, diuerſiſque temporibus ab vno Abraham ſeminatis,imò ſub diuerſis patris ſuis conditionibus:nam Iſmael ab incircumciſo,Iſaac verò à circumciſo Abraham genitus fuit:ne quis electionem Iſaac prę Iſmaele meritis parentum tribueret;ſubtexit exemplũ , in quo nulla poteſt cogitari diſcrepãtia generationis duorum gemellorum, qui non tantum iiſdem parentibus,ſed eodem prorſus temporis articulo,& concepti,&in lucem editi ſunt:vbi nõ potuit eſſe diuerſus parentum affectus. Neque repugnat,vnum & idem vnius cõgreſſus viri cum vxore ſemen in diuerſas matricis cellulas diſpertiri,ex quo duæ proles gignãtur. Quod diuinitus videtur fuiſſe proſpectum; vt ſcilicet ſpecimen Diuinæ gratiæ eſſet expreſſius. Et hanc lectionem ſequuntur multi Patres. Habet enim Origenes: *Cum Rebecca ex vno concubitu Iſaac geminos concepiſſet,nondum partu editi, neque vllis actibus puerorum boni, maliue inter homines habiti , erga Iacob diuina habetur electio.* Eodem modo legit Irenæus libro tertio,& Hieronymus in Commentarijs Malach.1. & Auguſtinus epiſtola ad Sixtum, & libro de Prædeſtinatione,& gratia,cap. 7.vbi ſic legimus : *Non ſolum enim fratres,ſed & geminos;nec ſolum geminos,ſed vno etiam concubitu fuſos in vtero comparauit, vt quoniam in nõdum natis,nondumque aliquid operatis,nulla eſſe poterant momenta meritorum,nec ex parentũ quidem meritis,quæ diuerſo tempore varia eſſe potuerunt, aliquod contra gratiam relinqueretur obſtaculum.* Adde eundem libro de Doctrina Chriſt.capit. 22.argumentum conficiẽtem contra Mathematicos: quod ſolidum non eſſet , ſi non legeretur , *Ex vno concubitu* , licet id in Geneſi non habeatur.

Orig.to. 4.

D. Irenæus.

Aug.ep. 105.

Idem t.5.circ. finem.

Idem tom. 3.

De ſenſu,& ordinatione huius ſententiæ:Rebecca ex vno concubitum habens Iſaac patris noſtri.

Laurentij, Fabri,& Eraſmi interpretatio.

Cur illa minimè probetur. Geneſ.16. Infra 12.

Perpende verò, quod propriè κοίτη fœminini generis eſt,& lectum, cubile , ſiue luſtrum ſignificat:& cum verbo , Ex vno, quod Græcè eſt maſculini generis, vel neutri,coniungi non poteſt,vt dicatur, Ex vno cubili,vel ex vno concubitu,ſed, Ex vno, quod Genitiui caſus eſt Græcè,coniungendum eſt cum altero,quod Græcè perinde, atque in Latinis codicibus eiuſdẽ caſus eſt nempè Iſaac patris noſtri . Rurſus participiũ,Habens,cum ſit generis fœminini, referendum eſt ad Rebeccam vt ſit ſenſus: Rebecca habens cubile,vel concubitum ex vno Iſaac patre noſtro . Alioqui dicendum erat ἀπὸ μιᾶς κοίτης ἔχουσα. Et habere cubile, idem eſt quod habere ſemen in vtero retentum: honeſtè enim vocat non torum, neque concubitum, ſed ponendo cauſam pro effectu,ſemen ipſum, Hebræorum idiotiſmo,qui ſemen שכבה dicunt à, verbo שכב quod cubare ſignificat. Et vir dicitur dare vxori cubationẽ , pro eo quod eſt dare ſemen : vt etiã Septuaginta interpretes ſæpè loquuntur : à quibus hanc loquendi rationem accepit Apoſtolus.Nam Leu. 18. vbi nos habemus:*Cum vxore proximi tui nõ coibis*;Septuaginta habẽt:οὐ δώσεις κοίτην σπέρματός:hoc eſt; *Non dabis cubationẽ ſeminis tui.* Et Num.5.his verbis: *Sin autẽ declinaſti à viro tuo,atq; polluta es,& cõcubuiſti cum altero viro*,Septuaginta habẽt:ἔδωκέ τις τὴν κοίτην αὐτοῦ ἐν σοί.Quę ad literam ſonant.*Et dedit quis concubitum ſuũ in te.* Et ita vir dat cubationẽ ſiue cubile,quod honeſtè eſt dicere,dat ſemen.Ita mulier dicitur accipere,ſiue habere viri cubationem: quod interpres noſter vertit, habere concubitum.Sicut in vtero habere(ſiue Græcè , ἐν γαστρὶ ἔχειν) eadem eſt

Quid habere cubile,ſiue cõcubitum.

Vnde hæc phraſis deſumpta. Num.5.

Leuit.18.

omnino locutio, siue significatio, hoc est, cōcepisse. Sed & Rebecca cum esset sterilis, & vir eius precatus esset pro eius sterilitate depellenda, duos pueros habuit in vtero, qui collidebantur adinuicem. Consultus verò Dominus, respondit, duos populos ex vtero eius prodituros. Vnde purior lectio esset. Ex vno concubitum habens Isaac patre nostro. Et de his satis.

Gen. 25.

Ad tertiam difficultatem.

De eo quòd Paulus voluntatē, siue propositum Dei, nō opera causam esse reprobationis insinuat.

Luc. 1.

Accedo ad tertium dubium: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid egissent, aut mali, (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est, &c.* Cum exclusisset rationem diuersitatis meritorum ex parte parentum, eandem etiam ex parte puerorum præscindit, dicens illos nihil boni, aut mali egisse. Non enim illa collisio puerorum ad se inuicem bona, aut mala ex se fuit, vt creditur fuisse illa exultatio & saltus Ioannis Baptistæ in vtero matris, sed fuit ex dispensatione Dei in signum futurorum euentuum, id est, bellorū, quæ inter se gesserunt Israelitæ cum Idumæis.

Quid significet Vt secundum electionem propositum Dei maneret.

Quid item illud: Maior seruiet minori, quando, & quomodo verum fuerit.

Genes. 33.
Psalm. 59.
Psal. 108.
Gene. 25.

Spiritale eiusdem vaticinij complementum.

Vt secundum electionem propositum Dei maneret. Id est, Vt liquidò constaret, solum diuinum propositum fuisse in caussa, & non opus aliquod parentum, vel filiorum. Ideò non ex operibus, siue meritis operum, sed ex vocantis beneplacito gratuito dictum est, *Quia maior seruiet minori*: hoc est, Numerosior populus minori, id est, minus numeroso seruiet: quod tempore Dauid impletum fuit 2. Regum 8. Nam qui pendit alteri tributum, illi inseruit: sicut dominatur is qui accipit. Et intellige, quod maior inseruiet minori, non in proprijs personis, quia potius Iacob, cum rediret ex Mesopotamia seruiuit Esau fratri suo, offerens illi munera, & adorans illum septies, Gene. 33. sed in populis. Nam Idumæus populus tributarius fuit Israeli, iuxta illud Dauidis: *In Idumæam extendam calciamentum meum*, & Gen. 25 *Populus populum superabit, & maior seruiet minori.* Iuxta spiritum verò impletur in duob. populis, Iudæorum primogenito (ita enim appellatur Exo. 4.) minori Gentilium, qui Christum fide acceperunt. Nam ille populus Iudæorum ferendo sacras literas, & custodiendo, populo Christiano inseruit, vt possit legitimos earum sensus eruere, & ad salutem suam confirmandam, & ad reuincendum excæcatos Iudæos.

De eo: Iacob dilexi, Esau autem odio habui, quænam opiniones damnantur.

Et subiunxit testimonium Malchiæ: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Circa hāc mirabilem, & formidandam sententiam in primis multi per eam damnantur errores: deinde plures sensus sunt producendi, & examinandi, si veritati, & scopo ab Apposto lo spectato respondeant. Et vltimò legitimus, & germanus sensus adferendus, explicandus, atque roborandus.

Prima opinio Mathematicorum.

Ierem. 10.

Aug. tom. 3. sub init.

In primis exploditur hoc loco Mathematicorum, seu Genethliacorum error, qui syderū dispositioni hominum vitam subijciunt, & constellationi natiuitatis diuersitatem ingeniorum tribuunt. Contra quod illud est Ieremiæ 10. *A signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes: quia leges populorum vana sunt.* Lege Augustinum libro secūdo de Doct. ca. 21. & 22. qui ex hoc loco contra illos argumentatur.

Secunda Origenis. Orig. lib. 4. de Princip. c. 2. & med. to. 1. sub fin.

Hierom. epist. 150. tom. 3.

Tertia Pelagianorum.

Secundo, reuincitur Origenis dogma, qui docuit, ob merita animarum, quæ cum Angelis simul creatæ extra corpora sibi cōparassent, in hominibus inde diuersitatem ortam fuisse: quem errorem tanquam Platonicum, & Pythagoricum, & à quibusdā ex nostris hæreticis acceptum, confutauit Hieronym. in epistola ad Hedibiā, quæst. 10. Tertiò, orti sunt Pelagiani, contendentes, gratiā adoptionis filiorum Dei dari ex præcedētibus meritis: quem errorem apertis verbis hoc loco iugulat Apostolus.

Quarta Augustini recens ad fidem conuersi.

Propos. 10. tom. 4.

Primus sensus prædictæ sententiæ.

Sap. 9.

Genes. 25.

Quartus error fuit Augustini, quem à principio suę conuersionis imbiberat, fidē videlicet, quę sit in potestate liberi arbitrij, esse rationem prædestinationis. Et in expositione epistolæ ad Romanos docuit, homines prædestinari propter præuisam fidē in Dei præscientia. Sed hunc errorem in multis suis libris postea refellit: cum legisset, fidem, qua iustificamur, & quæ facit filios Dei, ex sola Dei gratia oriri. Circa secundum, quia prima facie odium Dei erga Esau visum est crudele, & indignum Dei bonitate, qui omnia diligit quæ fecit, & nihil odit, sed parcit omnibus; propterea sudarunt Doctores diuersis rationibus hoc dubium resoluere. Sunt namque personæ duæ, Esau, & Iacob: sunt duo populi, Idumæus, & Hebræus, in illis repræsentati: sunt rursus duo alij populi, de quibus hic loquitur Paulus, nempè, Iudæi, & Gentiles: in quibus populus Reproborum, & Prædestinatorum adumbrantur. Cum igitur ad literam non possit hoc odium de personis accipi, sicut nec testimoniū Genesis, quod apertè loquitur de populis dicēs, quod maior populus seruiet minori, & minor maiorem superabit: & testimonium Malachiæ ad literam de populis descendentibus ex Iacob, & Esau accipiendum sit, vt etiam ipse contextus Prophetæ demonstrat: nam opulentiorem terram donauit Israeli, & fertiliorem: Idumæis verò montosam terram, & habitacula draconum, vt ibidem habetur: in quo erat typus

Iudæo-

Iudæorum,& Geutium:Ideo ad hoc abſurdum tollendum,quidam aſſeruerunt, hunc locum non ſpectare ad prædeſtiuationem, & teprobationem,ſed tantum ſignificari electionem Iacob ad tegnum, & imperium, & ad meliorem terram, & ad Chriſtum ex ſemine Iacob venturum : à quibus tribus fuit reprobatus Eſau,quia in pari cauſa;Imo cum hæc iure primogenituræ potius ſpectarent ad Eſau,quam ad Iacob; prælectus tamen fuit ad illas prærogatiuas Iacob.& non Eſau. ¶ Verum enimuero nihil illuſtre haberet hic locus,ſi tautum nuda hiſtoria conſideretur, & myſteria, ad quæ ſignificanda inducitur, non ponderentur. Deinde veteres Patres hos locos diſſereutes,& explicantes,ad myſterium Prædeſtinationis, & Reprobationis,retulerunt. Tertio coutextus ipſe Pauli vim magnam facit,quia loquitur de Iudæis teprobatis, quos ſuperius deplorauerat, & de Gentibus in locum eorum electis,& ſubrogatis.

Impugnatur triplici ratione.

Quare alii ſunt, qui hæc interpretantur de prædeſtinatioue,& reprobatione,ſed nō ſine præſcieutia fidei, vel infidelitatis, vt illi eligantur,hi vero reprobentur. Vnde & Auguſtinus in expoſitione quarundam propoſitionum epiſt.ad Romanos, propoſit. 60. *Non ergo*, inquit, *elegit Deus opera cuiuſquam in præſcientia,quæ daturus eſt,ſed fidem elegit in præſcientia;vt quem ſibi crediturum eſſe præſciuit,ipſum elegerit,cui Spiritum ſanctum daret, vt bona operando,etiam vitam æternam conſequeretur.Quod ergo credimus,noſtrum eſt: quod autem bonum operamur,illius eſt, qui credentibus in ſe dat Spiritum ſanctum.* Idem in libr. de Prædeſtinatione Dei,cap. 3.in fiue: *Ex præſcientia igitur offenſionis prædeſtinatio emanauit vltionis:ſicut ex præſcientia virtutis prædeſtinatio fieri ſolet remunerationis.* Hæc ille. Cuius ſententiæ ſubſcribit Hieronymus in huius loci Commentariolis, ſi tamen ei ſint tribuendi: *Iacob*,inquit, *& Eſau, qui ex vno ſunt de Rebecca nati concubitu ,antequam naſcerentur,fidei ſunt apud Deum merito ſeparati, vt propoſitum Dei de eligendis bonis, & reſutandis malis, etiam in præſenti maneret.* Et quæſt.10. epiſt. ad Hedibiam: *Sic & bonitas , & clementia Dei,vaſa iræ,quæ apta ſunt in interitum,id eſt, populum Iſrael,indurat;vaſa autem miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quæ vocauit, hoc eſt, nos,qui non ſolum ex Iudæis ſumus, ſed etiam ex Gentibus,non ſaluat irrationabiliter, & abſque iudicij veritate , ſed cauſis præcedentibus : quia alij autem recipere non ſuſceperunt Filium Dei ; alij ſua ſponte voluerunt.* Adhæc Ambroſius in hæc verba: *Hoc*, inquit, *in Malachia habetur: Præſcientiam Dei flagitat in his cauſis , quia non aliud poteſt euenire , quam nouit Deus futurum. Sciendo enim quod vnuſquiſque illorum futurus eſſet,dixit: Hic erit dignus,qui erit minor : & qui maior,erit indignus.Vnum elegit præſcientia, & alterum ſpreuit.Et in illo quem elegit, propoſitum Dei manet : quia aliud non poteſt euenire , quam ſcit, & propoſuit in illo,vt ſalute dignus ſit.Et in illo quem ſpreuit , ſimili modo manet propoſitum quod propoſuit de illo,quia indignus erit. Hoc quaſi præſcius,non perſonarum acceptor. Nam neminem damnat antequam peccet: & nullum coronat antequam vincat.* Et inferius multa de fide,& incredulitate adiungit. Sequitur Chryſoſtomus, hunc ipſum locum explicans : *Quã igitur ob rem dilectus eſt iſte,hic vero odio habitus Cur hic ſeruiuit quidem , iſti vero ſeruitum eſt? Quod hic malus, iſte vero bonus eſſet ? Et tamen cum nondum eſſent nati,honoratus eſt iſte,hic autem condemnatus. Nondum enim natis illis, dixit Deus , Maior ſeruiet minori. Cuius ergo rei gratia hoc dixit Deus ? Huius, ſcilicet, quod is non expectat,quemadmodum homo, vt ex rerum fine bonum iudicat, aut malum ſed antequã quicquam geratur,nouit,quod hic malus,iſte vero non malus ſit.* Eodem modo intelligunt Apoſtoli verba Græci Patres,vt Origenes,Theophylactus,Oecumenius,& Damaſcenus libro 2.capite 30.& Baſilius in principio Prouerbiorum,& ſuper Pſalm.vigeſimumoctauum , & Irenæus libr. 4. capite 70.& 71.& 72.& 76. Tertullianus libro aduerſus Marcionem, Philaſter libro de Hæreſibus capi. de Induratione Dei ſuper cap.9.ad Rom. initio,dicens: *Ait Apoſtolus : ergo neque volentis, neque currentis,ſed miſerentis Dei eſt Sed hæc non definiens dicit Apoſtolus,ſed diſputans, atque edocens quod verum eſt,ne ita Deum dixiſſe quis æſtimet. Debet enim attendere quod ait Dominus: Vt oſtendam in te quippe omnem virtutem meam.* Proſper,& Hilarius propriis epiſtolis ad Auguſtinum datis, quæ habentur ante libros de Prædeſtinatione ſanctorum , & de Bono perſeuerantiæ,teſtantur ſenſum Patrum veterum fuiſſe , Prædeſtinationem eſſe ex præſcientia meritorum, & ita intellexiſſe epiſtolam ad Romanos. Anſelmus quoque in illud; *Iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti*, Et libr. de Concordia præſcientiæ,& Prædeſtinationis Dei,capite 2. ſub initium: *Sicut præſcientia non in Deo dicitur proprie , ita nec prædeſtinatio,quia illi nec ante , nec poſt aliquid eſt,ſed omnia ſunt illi ſimul præſentia.Conſideremus nunc,an aliqua poſſint prædeſtinari, per liberum arbitrium futura. Dubitari vtique non debet quia eius prædeſtinatio & præſcientia non diſcordant, ſed ſicut præſcit , ita quo prædeſtinat.* ¶Interpretabantur igitur veteres illud; *Non ex operibus* , id eſt, Operum meritis , & legis obſeruatione ad literam,ſed ex vocante,ſcilicet, Deo, aut Chriſto, nõ cogente, aut

Alter ſens°

B. Aug. to. 7. ſub finem

Idem to. 7. circa fin.

B. Hier. to. 9.

Idem. to. 3.

Rom. 9.

B. Amb. to 5.

B. Chryſoſt. ſer. 16. to. 4.

Proprium Dei quid.

Orig. to. 2.
Theophyl.
Damaſc.
Baſil. hom. 12. to. 1.
D. Irenæus.
Tertull.
Philaſter.
Rom. 9.

Proſper. & Hilar. apud Aug. to. 7.

B. Anſelm. to. 2. inc. 8. ad Rom.

Idẽ to. vlt

Quid electionem Dei non eſſe ex operibus, ſed ex vocante, ſecundũ an-

tiquorum sententiam

per vim trahente, sed ex vocantis benignitate, & misericordia, seu ex mer tis, Christi vocantis ad nuptias gloriæ per fidem. Vnde Inf. a: *Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est. Israel vero sectando legem iustitiæ, in legē iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.* Sed hæc opera præuisa prædestinationis causa esse nequeunt, quod attinet ad eius substantiam; quia prædestinatio Diuina est essentia, quæ caussam non habet, & æterni nihil temporale potest esse causa. Et in hac sententia reprobanda non est opus multis verbis, quia satis superiori Capite confutata fuit.

Rom. 9.

Qua ratione Prædestinatio nullo modo sit effectus operum præuisorum.

His ergo prætermissis alius est nobis sensus statuendus: nempe, à Paulo adductam historiam Iacob & Esau, quæ refertur Gene. 25. & explicatur Malachiæ 1. de prælatione, & prælectione Iacob ad hæreditatem paternam, & terram fertilem, & promissa patris eius Isaac in eo complenda, relicto Esau; ad ostendendam prælationem, qua prælatus est à Deo populus Gentilis populo Iudaico in accipiendis diuinis promissionibus & Lege Euangelica: nam vere, sicut antequam quicquam boni, aut mali egissent, sua bona voluntate Iacob dilexit Deus ad primogenituram temporalem admittens, & reliquit Esau, & reiecit ab ea, quod vocat Scriptura odio habere; ita promissa olim populo Israelitico de adoptione filiorum Dei, & gratia Euangelica communicanda, completa sunt, & tributa populo Iudaico; quia semen Abraham, & Isaac, cui facta sūt promissiones; non sunt qui secundum carnem sunt filij Abrahæ, & Isaac, adumbrati in Ismaele, & Esau. Sed qui æstimantur in semine, id est, ad quos spectat promissio, & hæreditas spiritualis Abrahæ, & Israelis, cuiusmodi est populus Gentilis, qui admissus est ad gratiam Euangelicam, & hæres factus hæreditatis spiritualis Israelis, reiecto populo Israelitico, qui secundum temporalem generationem ex eo natus est. Sicut ergo ad literam Iacob prælectus est Esau, & Isaac Ismaeli, ad temporalem hæreditatem, sola mera Dei voluntate, nullis præcedentibus illorum meritis: ita populus Gentilicus prælectus est populo Iudaico in hæreditate spirituali Abrahæ, & Isaac promissa, & danda spirituali Abrahæ semini, qualis est populus Gentilis, non carnali, qualis est populus Iudaicus; & hæc prælectio facta est ex mera voluntate Dei præeligentis Iacob spiritualem, & relinquentis Esau carnalem; absque vllis meritis populi spiritualis admissi, & vocati ad gratiam Euangelicam ex solo Dei beneplacito, & absque vllis

Historia Iacob, & Esau populum Gentilem prælatum Iudaico significat.

Filii Abrahæ qui.

demeritis populi carnalis, quem Deus noluit admittere ad spiritualem hæreditatem; sed absque ea eum reliquit. Hanc, quam Paulus tradit, doctrinam, de vtroque populo, Gentili & Iudaico, multi ex Patribus accōmodant singulorum hominum prædestinationi, & reprobationi: & quidem si reprobatio accipitur, vt multi accipiunt, pro exclusione à gloria, non fit sine præcedentibus demeritis. Si autem iuxta mentem Sancti Thomæ, supra à nobis adductam, prædestinatio sit voluntas Dei æterna conferendi gratiam, & gloriam; & reprobatio sit voluntas permittendi cadere in culpam, & inferendi pro ea pœnam; vere affirmari debet absque vllis præcedentibus meritis, vel demeritis, ex sola Dei voluntate, vt dicit Paulus, vnum electum, vel dilectum, & alium reiectum, vel odio habitum: odio, inquam, habitum, non proprie, sed metaphorice, more Scripturæ, quæ illum dicit odio haberi, qui aliis præfertur: quemadmodum Iacob, ait, dilexi, Esau autem odio habui. Nā quando ex his qui pares sunt natura, vnus præponitur, alter relinquitur; videtur qui relinquitur, odio haberi. Quemadmodum ille, qui vnum talentum accepit, conqueritur de domino duro, qui metit vbi non seminat, quasi odio habitus: cum quo tamen dominus expostulat: cur non posuerit talentum suum ad mensam, vt saluus fieret. Quādo etiam ex duobus fratribus, alter maiora accipit, & pretiosiori veste induitur à parente, alter, in quem pater non tanta confert beneficia, vocari se odio habitum à patre. Quemadmodum vndecim fratres oderant, & inuidebāt Iosepho filio Iacob, quod diligeret pater eius, & polymita veste eum præ aliis honestasset. Et in Euangelio dixit Dominus: *Si quis venit ad me, & non odit patrē suum, & matrem, &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* At odisse patrem & matrem (quos in præcepto Decalogi honorari mandat) per metaphoram dicitur. Et perinde est ac si dixisset: Qui minus diligit patrem, & matrem suam, & animam suam, quam me, vt alibi declarauit: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Ita per contrarium odisse parentes, & animam suam, est non præferre. Alio loco Dominus dixit: *Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget.* Non enim necesse est, si vnum diligat, quod alterum oderit, sed quod in seruiendo, & præstanda opera sua minorem eius obsequii rationem habeat. Ergo Esau odio habitus est, quia relictus absque hæreditate.

Patres de prædestinatione, & reprobatione accipiūt Paulum.

Paulus intelligitur de prædestinatione, & reprobatione iuxta S. Thomā.

Gen. 37.

Luc. 14.

Luc. 14.

Exod. 20.

Matt. 10.

Supra. 6.

DISPV.

DISPVTATIO XXVIII.

In illa verba : *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit, Miserebor cui misertus sum : & misericordiam præstabo cui miserebor Igitur non volentis , neque currentis , sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni ; Quia in hoc ipsum excitaui te , vt ostendam in te virtutem meam ; & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Ergo cui vult, miseretur, & quem vult , indurat.*

I. dubitatio

EST & in his verbis quod admiremur, & de quo maxime dubitemus. Primo quidem in dubium vocatur quo tendat Apostolus, & an hæc verba, quibus Deum excusare videtur ab iniquitate, sint Apostoli verba

II.

an potius opponentis, siue obiicientis, vt quidam volunt. Deinde quomodo acceptionis personarum vitium non sit, ex multis in idem crimen prolapsis quosdam illorum miserendo erigere, quosdam vero indurãdo deserere; & an ita sit causa indurationis, sicut est causa miserationis. Tertio cũ dicat : *In hoc ipsum excitaui te* , ambiguum est,

III.

an Deus mentem hominis inclinet adhoc, vt deterior efficiatur. Quarto ambigitur,

IV.

quomodo velle non sit volentis, aut currere non currentis, sed miserentis Dei; nam hæc implicare videntur.

Ad primũ.

Vt primum diluamus, perpende, Apostolum ab hoc loco exordiri quarundam obiectionum solutiones. Et quia in priori illa sẽtentia de duobus illis gemellis, & plane inter se paribus, quod ad naturam spectat, absque vllo suo merito alterum elegisset, alterum reliquisset, durum & asperum videbatur Deo iniquitatem impingere. Videtur enim ad iustitiam distributiuam pertinere, vt æqualiter æqualibus distribuatur. Deinde obiicit, ex eadem sententia consequi, vt nulla sit in nobis iniquitas, si in nobis situm est voluntati Dei resistere. Interrogat ergo Paulus more suo id quod caro diuini consilii ignara obiectare solet.

De Pauli scopo.

Distributiuę quam vocant mũdus iustitię.

Proponit igitur, & exhortet, & Scripturam profert vindicantem Deum ab iniquitate, Incipit: *Quid ergo dicemus ?* Id est, Quid ex superioribus colligimus ? Nunquid iniustus est Deus ? Nequaquam, quia orbem terræ iudicat in æquitate: *Iustus est Domine, & rectum iudicium tuum: Iustus Dominus , & iustitias dilexit : Deus fidelis, & absque vlla iniquitate iustus, & rectus.* Non enim quod bonus, & liberalis sit in aliquos, debet ab aliis iniquitati tribui, quemadmodum iuxta Euangelium ille faciebat, cuius oculus nequam esse dicitur. Et in operibus meræ gratiæ nulla potest esse personarum acceptio, sed in operibus iustitiæ. Quare hoc Paulus non aliter soluit, quam dicendo pro suo beneplacito cui vult, miseretur, & quem vult, indurat. Tamen Capite secundo, vbi de extremo iudicio egit , eo quod in operibus iustis vera sit iustitia, ideo acceptio esse posset personarum, si non pro conditione operum præmium redderetur: idcirco illic non recurrit ad Diuinum beneplacitum, sed dixit : *Qui reddet vnicuique secundum opera eius.* ¶ *Moysi enim dicit Miserebor cui miserebor?* Obseruandum in primis, B. Hieronymum (qui quæst. 10. ad Hedib. hunc locum tractauit) voluisse omnia ista verba quæ sequuntur, vsque ad illum locum : *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* dicta esse à Paulo in persona opponentis, ad hunc modum : *Nunquid iniquitas est apud Deum*, secundum illud exemplum quo Scriptura ait: *Miserebor cui miserebor* ? Ex quo sequitur, quod si ex operibus eligit aliquem vel condemnat, non est ergo volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei : maxime cum eadem Scriptura dicat : *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra.* Si hoc ita esset, quod pro voluntate indurat Pharaonem, & miseretur Israeli, frustra quæritur nos mala fecisse, vel bona omisisse, cum in volũtate Dei sit vel eligere, vel reprobare, & voluntati eius nemo queat resistere. Quam validam rationem Scripturarum ratione contextam, & pene insolubilem, breui Apostolus sermone dissoluit, dicens : *O homo, tu qui es qui respondeas Deo?* Et est sensus : Ex eo quod respondes Deo, & calumniam facis , & de Scripturis tanta perquiris , vt loquaris contra Deum, & iustitiam voluntatis eius incusas, ostendis te liberi esse arbitrii, & facere quod vis, vel tacere, vel loqui. Si enim in similitudinem vasis fictilis te à Deo creatum putas, & illius non posse resistere volũtati; hoc considera, quia vas fictile non dicit figulo, Quare me sic fecisti? figulus enim habet potestatem, de eodem luto , aut eadem massa, aliud vas in honorem facere, aliud in contumeliam , Deus autem æquali cunctos sorte generauit ; & dedit arbitrii libertatem, vt faciat vnusquisque quod vult , siue bonum, siue malum : in tantum autem dedit omnibus potestatem , vt vox impia disputet contra Creatorem suum , & causas voluntatis illius perscrutetur. Quod si Deus volens ostendere iram : id est:

Psal.
Psal. 95.
Matt 20.
In quibus tantum operibus nõ fit, in quib. fit acceptio personarũ.
An hæc verba: Moysi enim dixit: Miserebor cui miserebor, & reliq in sua anim aduersatiorum persona à Paulo producantur.
Exod 33.
I. opinio.
B. Hieron. Epist. 150. to. 3.
Exod. 9.
Eccl. 15.

Sipa-

Si patientia Dei indurauit Pharaonem, & multo tempore distulit pœnas Israelis, vt iustius condemnaret, quos tanto tempore sustinuerat; non Dei accusanda est patientia, & infinita clementia, sed eorum duritia, qui bonitate Dei in suam perniciem abusi sunt. Hæc fere omnia Hieronymus, qui ab Origene videtur mutuo accepisse, qui prior ita exposuit. Secutus est etiam Chrysostomus, & eius sequaces Theophylactus, & Oecumenius.

Orig. to. 2. B. Chryso. Theophyl. Oecum. c. 15

Præstantior tamen est sententia Augusti ni in Enchiridio, & Ambrosii in hunc locũ; qui censent non esse explicationem obiectionis, & eius confirmationem, sed potius illius solutionem. Et quamuis B. Ambrosius recurrat ad præscientiam meritorum; melius tamen cum Augustino sentimus; solutionem esse propositæ quæstionis per verba Moysis, quod & aperte comprobat verbum, *Absit*, quo solitus est Paulus obiectiones diluere. ¶ Negat ergo Deum esse iniustum, & confirmat illud per sententiam Moysis, cum enim ait: Moyses enim dicit, particula illa, Enim, caussalis est, & rationem reddit, cur non sit iniustitia in Deo: quia in gratuitis, & in indebitis locum non habet. Ita capite 6. *Manebimus*, inquit, *in peccato, vt gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, &c.* Vbi primum per verbum, Absit, negat quod proponitur. Deinde quod subiũgitur post illud, *Absit*, solutio est eius quod prius negauerat, & horruerat: quod capite tertio bis fecit, & ca. 6. etiam bis, & totidem capite septimo.

Altera opinio probabilior. Aug. c. 98. Enchirid. to 3. Ambr. to 5. Rom. 6.

Pro vero ergo sensu perpẽde, quod cum superius dixerit, Iacob dilexi, Esau autem odio habui; & quod abiecit Iudæos, & assumpsit Gentes, duplicem adhibet responsionem, vt vtroque modo Deum vindicet ab iniquitate. Vnde quantum ad gratuitam dilectionem Dei, subdit oraculum Exod. 33. *Miserebor cui miserebor*: hoc est, Iudæis pariter peccantibus, & nefandum idololatriæ flagitium in vitulo conflatili admittentibus potuit Deus sine læsione iustitiæ, quem voluit, ex illa miseria eruere. Sicut existentibus Iudæis, & Gentibus peccatoribus, potuit Deus Gentes eruere per gratiam, & magnis donis exornare, relictis aliis in suo peccato induratis. Cum ergo Moyses veniam deprecaretur pro illo peccato idololatriæ; dictum est illi, ne nos alias caussas, & rationes inquiramus: *Miserebor cui misertus sum*, id est, Remittere culpam, & in meam gratiam quenquam euocare, non est in meritis hominum positum, sed in meo tantum beneplacito. Et obserua, Hebraicam literam habere: *Miserebor cui miserebor; & miserabor quem miserabor.* Quo in loco, ad maiorem explicationẽ Hieronymus noster vertit: Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Pro quo Augustinus, & alii nonnulli legunt: *Miserebor cui misertus fuero, & misericordiam præstabo, cui præstitero.* At septuaginta interpretes; quos secutus est noster interpres, in verbis, & verborum temporibus habent Ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω. Hoc est: Miserebor cui misereor; & miserabor quem misereor. Et primum verbum, designat internum cordis affectum erga alienam miseriam: posterius vero, externum effectum ad eam subleuandam. Et quidam interpretantur: Miserebor in gratuitorum donorum concessione: miserabor in auertendis malis eorum. Vel: Miserebor, vocando, & iustificando, & glorificando: cui misertus sum, vel misereor, ab æterno prædestinando. Sed vera in hoc consistit responsio, vt producat Dei liberalitatẽ quam habet tam in dimittendis peccatis, quam in conferendis donis, cum in mere gratuitis dandis, vel negandis, nulla sit iniustitia. Et vt occurrentibus duobus pauperibus, & opem tuam implorantibus, nulli iniuriam facis, si vni tribuas eleemosinam, nõ alteri: ita si Deus ex duobus eum offendentibus vni tantum parcit, non est iniustus. Porro Apostolus hac verborum identitate vt tam significanter tolleret omnem prædestinationis causam, præter vnam Dei voluntatem, prudenter est vsus. Et est sermo de magna misericordia, quæ est vsque in finem, quando nouit Dominus nos ex nomine, vt ibi dicitur Moysi deprecanti: de qua Dauid dixit: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, hoc est, peccati remissionem, & perfectam perseuerantiæ gratiam. Non quod Deus vllum sua culpa derelinquat, cum illum sustineat in multa patientia; sed quod non omnes illa manu potenti ducat in finem, vt nequeant excidere. Et misericordiæ quater mentionem facit ob prædestinationis gratiam, de qua: *Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.* Altera mera gratia est Vocationis, quam nulla merita præcedunt: tertia iustificationis, quæ etiam est gratuita: quarta Glorificationis, de qua: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Et hac verborum Miserandi repetitione, omnes prædestinationis causas, siue rationes commentitias exclusas esse voluit.

Confirmatur hic sensus posterior. Exod. 32. Cur Moysi dictum: Miserebor cui misertus sũ & quid sit. Eiusdem sententiæ varia interpretatio.

Hieronym. August. loco præscripto, & alia. Quid misereri, & quid miserari significet. Rom. 8. Deum nõ iniuste vni quidem peccatoris misereri, alterum indurare, vnde conspicuũ. Cur Paulus ea phrasi vti voluerit. Exod 33. Psal. 50. Magna & parua Dei misericordia qualis. Idem quater cui misericordiæ meminerit. Psal. 102.

Animaduerte, quod cum Moyses peteret à Deo videre gloriam eius Exod. 33. & Dominus eius annuens votis dixisset: Ego ostendam omne bonum tibi: sub nomine gloriæ intellige Messiam, qui est splendor

Gloria Domini Christus. Heb. 11.

gloriæ

gloriæ: & illum desiderabat ardentissime videre Moyses, nõ minus quam multi Reges, & Prophetę desiderarunt. Et dixit Dominus Moysi iuxta Hebræam literam: *Ego faciam transire super faciem tuam omne bonum.* Id est: Petis videre Messiam; non rem paruam, sed magnã, postulas, & in qua est omne bonum situm; faciam pertransire, id est, videbis, sed breui, & veluti per transennam & vocabis in nomine Iehoua faciei tuæ: id est, Messias inuocandus est sub nomine Iesu (vt Petrus & Paulus docent sub nomine Domini, intellige Christum) vt inde omnem gratiam, misericordiam, & salutẽ præstolemur. ¶ Et subdit: *Miserebor cui miserebor.* Id est: Cuiuscunque miserebor, in Messia miserebor: & cui miserabor, in nomine eius miserabor. In eo constituit Dominus vniuersi mũdi miserias, vt per eius insignẽ fidem, & non per legis opera aboleantur. Ita cæci clamabant: *Iesu, fili Dauid, miserere nobis,* & Chananæa, leprosi: *Iesu, præceptor miserere nostri.* ¶ *Igitur non volentis, neque currentis sed miserentis est Dei.* Ex inducta Moysis autoritate infert Apostolus, quod gratia illa eximia dilectionis non debetur vllis nostris aut externis, aut internis operibus sed meræ Dei misericordiæ, & bonitati. Et in primis non est sensus, quod salus æterna non debeatur meritis nostris ex viribus naturæ prodeuntibus, contra Pelagium, secundum illud: *Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit eos Dominus Deus tuus in cõspectu tuo, Propter iustitiam introduxit me dominus vt Terram hanc possiderem.* Nec est ad rem sensus: Non est volentis, scilicet velle, neque currentis currere, sed Dei etiam miserentis, Qui operatur in nobis & velle, & perficere, & pro bona voluntate, &: *Omnis sufficientia nostra ex Deo est;* & alibi: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Quæ quidem expositio etsi vera sit, & eam tradat Gregorius Nazianzen. & beatus Augustinus in Enchiridio, capit. 32. quoniam ipse est principale agens, homo vero organum secundarium, sed liberum: ideirco opus est ab illo duci in credendo, & amando, & operando: non tamen per hoc tollitur noster assensus, & concursus. Nam sicut nos sine Dei impulsu & motione nihil possumus: ita nec Dei misericordia sine eorum assensu salutẽ operatur in adultis. Sed cauendum, ne, quia recte dicitur: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; ita etiam dicendum putes; Non est miserentis Dei, sed hominis volentis, & currentis. Quod Augustinus lib. de Bono perseuerantiæ refellit, dicens: *Tutiores viuimus, si totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Et cap. 32. En-

Luc. 10. Omne bonum Christus, siue Messias.

Idem nomine Iehouah seu Domini in Scripturis exprimitur.

Act. 2.

Infra 13.

Luca 17.

Huius sententiæ: Nõ volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei primus sensus

Deut. 9.

II. sensus.

Philip. 2.

2. Cor. 12.

1. Cor. 15.

Greg. in dictum Euangelii: Cum consummasset Iesus hos sermones, &c. Mat. 19.

B. Aug. 2. 3.

Idem lib. 2. de bono perseueran. c. 6 in fi. to 7.

Idem ca. 3.

chiridii idem repetit: *Si recte dictum est: Non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet: cur non & è contrario recte dicitur: Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei non implet? quod nullus Christianus dicere audebit.* Hæc ille. Nam quia in currendo, & volendo, diuinæ misericordiæ liberum cooperatur arbitrium: quia tamen ipsa gratia ducatum, & principatum tenet, id in causa est, quominus tam bene dici possit: Non est miserentis Dei, sed currentis, quam dicitur Non est scilicet volentis, & currentis, sed miserentis Dei. Ideo subiungit Augustinus: *Restat vt propterea recte dictum intelligatur: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparandam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam vtrumque legitur in sanctis eloquiis: & misericordia eius præueniet me; & misericordia eius subsequetur me. Nolentem præuenit vt velit: volentem subsequitur, ne frustra velit.* Hic ergo sensus etsi verus sit, & Catholicus, propositæ tamẽ quæstioni non videtur congruere: in qua nõ differitur quid homo ex se valeat, quod capit. 7. & 8. declarauit Apostolus: sed hoc loco id vnum agit, vt quicquid homo agit, vel operatur, non promereatur coram Deo ante omne pactum. Hoc est, bonam concipere voluntatem, & bene viuere, non est ita in hominis potestate situm, tanquam possit suis virib. efficere, vt eligatur à Deo, & obligare Deum, vt illum prædestinet; sed hoc est Dei per sinam misericordiam liberantis, & deinde præparantis voluntatem vt bene velit, & præparatam adiuuantis. Quare actus prædestinationis, electionis, & vocationis diuinæ, de quib. hic proprie agit sub figura nondum natorum Iacob, & Esau, sine nobis agit Deus, & nos non possumus nostris meritis ad illam gratiam assurgere quia Deus nemini obligatur, cum inter Deum, & hominem nulla intercedat ratio iustitiæ, quæ ad id cogat: maxime cum ille sit Dominus, nos serui. &: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Nulla ergo Lege Deus tenetur nobis, vel superioris, qui nullum, vel sua ipsius, qui suapte natura non est capax obligationis, ac proinde liberrimus est. Ad hęc bona opera quibus præparamur ad gratiam, & misericordiam, ex se nihil sunt, nisi accedat Diuina misericordia illa acceptans. ¶ *Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipsum excitaui te, &c.* Superiori testimonio comprobatum reliquit Apostolus, Deum in electione alicuius sine meritis, & in com-

Idem.

Gratiæ Dei præuenientis, & subsequentis officium.

Psal 58.

Psal. 22.

Posterior hæc interpretatio reiicitur, & huius loci propria assignatur.

Rom. 11.

Qualis diuina libertas.

municanda illa insigni misericordia non fuisse iniustum: idem iam comprobare nititur, quod in negatione illius magnæ misericordiæ, & electionis nulla sit iniustitia, si alteri non communicetur, sed iudicium tantum. Et in hunc modum Augustinus capit.99. Enchiridion explicat præsentem locum. Illa enim particula causalis, Enim, responsio est quæstionis propositæ: *Nunquid iniquitas est apud Deum?* ex eo s. quod vnũ eligit sine meritis: & testimonio Moysi monstrauit quod non. Ex eo autem, quod alium relinquat, & nõ eligat ad tantam misericordiam, ostendit nũc per similem causalem particulam, Enim, quod non: idque confirmat altero testimonio eiusdẽ Moysis. Et in hoc consistit responsio, quod cum Deus nulli sit debitor, antequam per suam gratiam, & fœdera nobis alligetur, inde fit vt sicut mera est gratia & liberalitas, quorundam misereri, ita nec vlla sit iniquitas, si alios permittat suæ prauæ voluntati, quod hic vocat indurare, vt inde ipse glorificetur. Ait igitur. *Dicit Scriptura Pharaoni*: id est, Deus per Scripturam; seu, referẽte Scriptura; vt insinuet, non tantum dictum esse Pharaoni, & illis, qui tunc temporis viuebant, sed vt etiam absentibus nobis splendesceret gloria Dei. Quotidie enim Deus per Scripturam loquitur iis qui duritiam Pharaonis imitantur. Ita Galat. 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato; vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Quod tamen ca. 11. inferius Deo ipsi tribuitur. Non enim vnus est tantum Pharao, sed omnes sui imitatores. Et pulchre admodum exemplum à Paulo positum est in Pharaone, nõ tantum communi peccatore, vt erãt reliqui, sed insigniter scelesto, & flagitioso, qui tot modis Deo reluctatus est, vt iuste propterea indurari meruerit. Et ita intelligas odium Esau non fuisse perfectum sine demeritis actualibus. Quod ait: *Excitaui te.* Hieron. Exod. 9. legit. *Posui te*; recentiores vertunt, *Stare feci*; Ambrosius legit. *Te seruaui*: quia Septuaginta habent διετηρήθης, id est, Seruatus es. Et Chaldæa litera recte habet, Sustinui te; & Paulus hoc loco dixit ἐξήγειρα, id est, Excitaui te: quod est dicere, vt quidam volunt, Magnum feci, & Regem constitui super alios, vt in te rebellante meis mandatis meã potentiam indicarem. Sed certe excitatio ad regnum nihil ad rem facere videtur, de qua hic est sermo. Vel excitaui te, vt dimitteres populum Israel fugientem, vt sic procurares salutem regni Aegypti. Augustinus vero libro de libero arbitrio interpretatur: Excitaui, vt contumacior existeres imperio meo, multa tum intus, tum extra operando, quæ per occasionẽ maioris contumaciæ, causę essent tuæ reprobationis, & non tantum permittendo. Vel: Ego te seruaui, cum iam dudum dignus esses morte ob tuam inobedientiam; vt in te ostendam virtutem meam, quod ad pręsentes attinet & annuntietur nomen meum in vniuersa terra, quod ad absentes, & futuros spectat. Seruauit autem vsque ad vltimam plagam, vt sit in exemplum, quãta sit hominum duritiei Deo renitentium, & quam sit formidanda potestas Dei in eos. Et ponũt exemplum Ambrosius, & Hieronymus de homine iam morti damnato, cuius corpore medici ad anatomiam humani corporis tradendam, & aliis eam artem cõmendandam vti solẽ: propterea dixit, *Vt ostendam*, nimirum tot prodigiis, & miraculo submersionis stupendo. Excitabatur enim Pharaonis animus in maiorem duritiem, dũ Moyses identidem perferebat ad eum noua mandata, & nouas comminationes, nisi pareret: & noua beneficia conferendo in filios Israel, vt inde ipse magis induraretur: quod nulla ratione est iniquum, cum ille tanta contumacia hoc promeritus fuisset. Non enim à principio dicitur quod indurauerit eum, sed postquam spreuit vocem Dei allatam per Mosen, & Aaron. Tunc enim dixit Dominus. *Ecce constitui te Deum Pharaonis, &c. Sed ego indurabo cor eius*: quod Augustino teste, dicitur secundum pręscientiam, non secundum prædestinationem. Porro in septima plaga vlcerum, de præterito dixit: *Ego indurauí cor eius*: ex quo accipimus, quod ipse seipsum indurauerit. Nam post priora illa verba dicitur: *Induratumque est cor Pharaonis, nec audiuit eos sicut præceperat Dominus: auertitque se, & ingressus est domum suam.* Et c. 8. *Videns autem Pharao quod data esset requies, ingrauauit cor suum.* Et obserua, Scripturam hanc productam non loqui expresse de reprobatione æterna negatiua, quæ est nõ misereri, sed de effectu quodam illius, quem Deus circa reprobatum Pharaonem exercuit, qui est induratio Pharaonis: quem docet Apostolus ordinatum à Deo ad finem rationi, & iustitiæ consonum; vt hinc intelligas, in ipsa reprobatione æterna esse causam reliquam rationabilem, & iustam ¶ *Igitur cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Summa videlicet miseratione, & extrema reprobatione, quæ non est nisi ex præcedentibus demeritis. Concludit ex vtraque autoritate vtramque partem commendandam, esse Diuinam volũtatem, siue miserentem eorum, quibus nihil debet, siue non miserentem eorum, qui malis meritis suis digni erant perire. Et in hoc Pharaonis exem-

B. Aug. l. 3.

Ad secundum dub.

Argumenti contra diuinã iustitiam, si vnius misereatur, alterum induret, Paulus quomodo satisfaciat. Idem Apostolus hac phrasi: Dicit enim Scriptura Pharaonis, quid significet.

Gal. 3.

Rom 11.

Idem rursus exemplum cur Pharaonis induxerit. Odium Esau quale fuerit.

B. Hieron.

Amb. to. 5.

Quod aliqui interpretantur: Excitaui te scilicet ad regnum, improbatur.

Augustin.

Pharao à Deo quousque seruatus. *Exod 14.* *Ambr. hoc loco, to. 5.* *Hieron.* Idem Pharao quomodo seruatur, secundum Patres. Eius indurationis æquissimæ rationes.

Quando fuerit induratus Pharao. *Exod. 7.* Illud: Ego indurabo cor Pharaonis. *B. Aug. l. de Prædest. & grat. ca. 6. & alibi, to. 7.* *Infra 10.* *Supra 7.* *Infra 8.*

Vera eius sententiæ intelligentia.

Vnde malorum reprobatio in Deo.

Iudæi olim quàm efficaces Christum agnoscendi, & amplectendi rationes habuerint. *Daniel.9. Gen.49.*

exemplo videtur obiectioni Iudæorum facere satis, qui dicebant: Quid est quod ille populus Deo familiaris tantum à Christo abalienaretur; cum tamen videre posset & tempora Messiæ in Hebdomadis Danielis designata expleta ablationem regni Gentium conuersionem, & signa Christi gloriam per totum orbem resonantia, quibus illi facile ad Christum agnoscendum extimulari poterant? Et huic admirationi respondet Apostolus, non secus illi populo contigisse, quam Pharaoni, qui vnde excitari debuit ad cedendum Deo, & lumen eius amplectendum, inde induratus est, & excæcatus: ita & Iudæi admirabili Christi doctrina, & signis eius excitantibus ad fidem, iusto Dei iudicio & percussi sunt cæcitate, & obdurati sunt. Ideo merito concludit, quod cuius vult, miseretur, & quem vult indurat, id est, incredulum. Et induratio ista Pharaonis reddita est prioribus meritis, quib. afflixerat peregrinos filios Israel, vt docet Augustinus libro de Natura, & gratia, capite vigesimosecundo. Et causa propria indurationis non est Deus, sed nos ipsi, vt hoc exemplum docet Pharaonis, & Deuter.15. *Non obdurabis cor tuum*; & Dauid; *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Et Ierem. 5. *Indurauerunt facies supra petras*; Et rursus; *Indurauerunt ceruicem suam.*

Iudæorum Indurationis & excæcationis causam assignat Apostolus.

Aug.to.7.

Deut.15. Psal.94.

Ierem.5. Infra 7.

Miraque fuit Lutheri cæcitas, & induratio, asserentis, non solum directe Deum inclinare homines ad malum, verum etiam cogendo, & mala opera in illis operando; ita vt non minus opus Dei sit proditio Iudæ; quã vocatio Pauli: quæ verba plane horrenda, & sane blasphema sunt. Et vt homini adimũt liberum arbitrium, ita verbis ipsis vim faciunt. Et vt tradit Augustinus lib. de grat. & liber. arb. cap. 21. epist. ad Sistum; Deus non indurat impertiendo malitiam, sed tantum non impertiendo gratiam. Hieronymus vero quæst. 10. ad Hebidiam, docet clementiam Dei, & lenitatem esse causam huius indurationis. Et ponit exemplum Solis liquefacientis ceram, & indurantis lutum: quo etiam exemplo vtitur Oecumenius ex Gregorio Nisseno, & Basilio Magno. Alia ergo diuersa ratione indurat, & alia miseretur. Et de his hæc sint satis.

Contra Lutherum, Deum per se causam esse malorum imple dogmatizã tem.

Aug.to.7. Idem epist. 105 to.2.

Hier.to.3. circa med.

Oecu c.15.

DISPVTATIO XXIX.

In illa verba: *Dicis itaque mihi, Quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram suam, &c.*

Circa hanc sententiam, quæ tantum terroris legentibus incudere videtur, primo explicabitur scopus; Deinde cur prohibeatur homini respondere Deo, disseremus; tertio, quorsum hæc similitudo figuli producatur ab Apostolo, & quomodo faciat Deus vasa quædam in contumeliam, disputabitur.

I. dubium. II. III.

In more habet Apostolus (vt de scopo constet) vt post adhibitã vni quæstionis solutionem, confestim aciem instruat, & nouis rationibus pugnet, acrius instãdo, & vrgẽdo. Cum igitur dixisset, Deum cuius vellet misereri, & quem vellet, indurare, pro voluntate sua, & carnales homines indigne de Deo cogitantes, atque censentes illa esse absurda, introducit hominem tanquam aduersus hæc argumentantem, maxime cõtra illam secundam particulam: *Et quem vult, indurat*, vt exponit August. ca. 99. libri Enchiridij.

Quo tẽdat Apostolus in hac disputatione.

B. Aug. t. 3.

Nec est sensus, quod adhuc quæritur alia causa proborum, quam reproborum, præter vnã Dei voluntatem. Sed hoc non quadrat cum præcedenti verbo: Dicis itaq; mihi neque cum sequentibus: *Voluntati enim eius quis resistit?* & verbum: *Quæritur*, non descendit à verbo, Quæro quæris, vt excidit B. Thomæ, etsi alium verum sensum non ignorauerit, sed à verbo Queror quereris, quod est Conqueror: nam Græce dicitur μέμφεται, id est, culpat, siue incusat. Et est sensus: Quid igitur Deus conqueri videtur in eos, qui praue agũt, & quos ipse Deus volens obdurauit, & voluntati eius nemo valet resistere? Sumus ergo nos reprobi similes Esau, & Pharaoni, si peccauimus. Et dicendo: *Quid adhuc queritur?* supplendum est, Deus, vt Augustinus notat lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. circa finem: alias dixisset, voluntati Dei, non, voluntati eius. Queritur autem sæpe Deus de reprobis: *Tota die, inquit, expandi manus meas ad populum non cre-*

B. Tho. in hunc locũ, lect. 3. in prin. to. 16. init.

B. Aug. t. 4.

Deum queri de peccatorib. vnde constet.

Rom.10. Esa.48. Ezech.18. Infra 33. Mat.23. Esa. 1. Ierem.2.

dentem & contradicentem mihi; &, *Vtinam attendisses (Israel) mandata tua: facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris. Et quare moriemini domus Israel?* Et, *Viuo ego dicit Dominus: nolo mortem impij, sed vt cōuertatur impius à via sua, & viuat*: &, *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerūt me.* Et Ieremias, *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderūt sibi cisternas cisternas dissipatas &c.*

Ad II. quę Deo quod nō est Deo respōnsandum.

O homo, tu quis es, qui Respondeas Deo? Quæstioni propositæ respondet Apostolus dupliciter. Primo quidem, nō soluendo quæstionem, sed perimendo illam, ob altitudinem, & maiestatem DEI, qua nostra arrogantia, & præsumptio reprimitur. Hieronymus quæstione 10. ad Hebidiam, & Augustinus cap. 99. Enchiridij: quidam, inquiunt stulti putant, Apostolum in responsione defecisse, & inopia reddendę rationis repressisse cōtradictoris audaciam. Quod tamē falsum est, quoniam post repressionem certam reddit rationem ad propositam dubitationem: O homo, fragilis, stultus, peccator, & humana sapiens, *Nonne*, inquit Apostolus, *carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Et illud: *Tu quis es, qui respondeas Deo*, significantius, & elegātius exprimitur per verbum Græcū ἀνταποκρινόμενος, id est qui ex aduerso respondeas, hoc est contradicas, & aduersetis? Quo in loco Chrysostomus distinguit inter seruum fidelem, (qui desiderans intelligere quæ Deum decent, & interrogat, & respondet: Qualis erat vir desideriorū Daniel, & in Nouo Testamento Ananias, qui baptizauit Paulum; nam cū hi cum Deo differerent, ac responderent, proprie non responsabant:) & inter eum, qui causa disceptandi cum Deo submurmurat, & diuinis consiliis non acquiescit. Quare vt ille qui quærit, inuenit; ita hic interpretatione potius est dignus, quam responsione, quia de diuina bonitate male sentit. Vnde famuli responsatores dicuntur teste Ambrosio, qui contra dominorū iussa prompte sua adhibent responsa. Et ita satisfactum est primæ & secundæ dubitationibus. *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic?* Etsi Græca non habeant pronomen, se, elucidationis tamē gratia videtur adiectum. *Viden'*, ait Theophylactus, *quomodo cohibeat importunam curiositatem frænumque imponat? erudiens nos vt discamus quid Deus sit, & quid homo? Tu quis es? Nonne imperium, & principatum cum eo partiris? Nonne iudex es eorum, quæ ipsum oporteat facere? Nam explorare, quid sic deceat, vel non deceat, est eius, qui ex aduerso respondeat, opponaturque Deo. Vorum haud quaquam ita faciendum, sed obtemperandum est ijs quæ Deus fecerit, quomodocunque etiam se habuerit.* Sic ille.

Hier. epist. 90 to. 3. Aug. to. 3. 1 Cor. 3. B. Chryso. ser. 16. to. 4. Daniel. 9. Act. 9. Mat. 7. Ambros. Theophyl.

Ad III. qu. De ratione similitudinis inductę figuli, & luti, ab Apostolo. I. sensus. Oec. c. 15. post med. Non recipitur.

Circa sensum vero, ad quem producta est hæc similitudo, multa dicuntur, quæ diligēter sunt excutienda. Et primo quidem non videtur ad rem sensus, quem Oecumenius in Methodii libro de resurrectione recitat: *Habet*, inquit, *potestatem Deus, qui excitat mortuos, vt hos quidem ad gloriam excitet, illos vero ad confusionem, iuxta congruentiam eorum, quæ ab vtroque homine acta sunt in vita.* Sed hic sensus, etsi verus, ad rem non videtur: quia homo fingitur in vita præsenti vas honoris, vel ignominiæ, non quid erit in futura vita, quia non esset tunc ratio querelæ & quia non congrueret cum figulo, quia sine differentia meritorum hoc vas facit in honorificos vsus, aliud in sordidos, & contumeliosos.

II. sensus

Secundo, nō est sensus, Omnes nos, quod ad naturam spectat, ex eadem, hoc est, ex materia prima, siue de terra à Deo conditos: vnde dicitur: *Quid superbis, terra, & cinis?* & Abraham; *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis*: & Iob, *Comparatus sum luto & assimulatus sum fauillæ, & cineri.* Ita vt homines ex se viles, & indigni, ius ad gratiam, siue gloriam habere nequeant. Sed vt dixi, hic sensus ex eo nō placet, quia Deus autor naturæ hominem condidit ad gloriam, & vult omnes homines saluos fieri, & inuitus & dolens damnat. Et quis est, qui asserere possit, Deum pucherrimum vas condidisse, & statim contereret illud? Ita Deus homines ad mortem æternam non condidit: *Nū quid enim vane* ait Dauid, *constituisti omnes filios hominum?* Iniustitia quoque esset, imo crudelitas, punire hominem non pœna dignum; cum scriptum sit, *Perditio sua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Gen 2. Gen 18. Iob. 30. Eius incō modum. 1. Tim. 2. Psal 88. Osea. 13.

III. sensus, & ipse improbabilis.

Tertio non est sensus, Deum ex eadem massa, siue conspersione (nam Græce φύραμα.) per peccatum originale vitiata voluisse quosdam gratis liberare, alios relinquere, vt ostendat in eis suam iustitiam. Sed contra hoc est, quod Christus sustulit peccatum originale à capite, & fonte, id est, ab Adā, qui propria voluntate peccauit: quantō ergo magis in aliis, qui aliena Adę voluntate peccauerunt? Estque peccatum facile expiabile, & condonabile plùsquam veniale in quo aliquid inuenitur nostræ propriæ voluntatis, non aūt in illo: & Christi mors illud ex se in omnium salutem abstulit. Nec propterea quisquā est vas in contumeliam propter peccatum originale, sicut propter mortale personale; nec ꝓpter illud ad pœnam gehennę damnatur. Neque quadraret

Gen. 16. Rom. 5. Peccatum originis veniali delicto cur remissibilius Ioan 1. Actuali sola mortifera causa damnationis ęternæ.

Rom. 11.

exemplo Pharaonis, qui grauissimis peccatis Deo restitit, nec his, de quibus subdit: *Sustinuit in multa patientia vasa iræ*, nec Iudæis qui se per incredulitatem vasa iræ, & contumeliæ constituerunt, & non tantum per illam labem originis. Quarto, multo minus est ad rem sensus Theodori Bezæ, qui statuit, Deum ab æterno pro suo iure, & mera voluntate in quibusdam seruandis laudari per misericordiam, & in quibusdam iusto iudicio perdendis celebrari de iustitia voluisse. Hæc autem si intelligat ita esse ordinata secundum Dei propositum, quod attinet ad partem reproborũ, impia videtur, & diuinæ bonitati, & misericordiæ repugnat. Iniusta etenim si proposito suo antepræuisum vllum peccatũ quenquam damnare decreuit. Et propterea omnino sunt illa Bezæ somnia contemnenda.

Tertius sensus Theodori Bezæ dãnabilis.

Quintus sensus, proprius huius loci.

Accipiendum est hoc loco massa pro illis tantũ, qui multis personalibus delictis sunt implicati: ex quibus Deus nonnullos eripit & nõnullos diu toleratos damnat. Et quod massa in hoc significatu sit accipienda, declarat Esaias ca. 64. dicens; *Ecce tu iratus es, & peccauimus, &c. Et facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ*: Et subdit: *Et nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster es tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Vbi vides, massæ perditorum & peccatorum subiici exemplum de figulo, & luto. Et alibi idem denotans, ait: *Væ qui cõtradicit fictori suo testa de samijs terræ*, (Hebræa habent: *Testa cum figulo luti contendenti*) *nunquid dicet lutum figulo suo, Quid facis? & opus tuum absque manibus est?* quia videlicet sine Christo, qui dicitur manus Dei (iuxta illud: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis*: *nos sumus opus sine manibus.*) Et Hebræa habẽt ad literam: *Et opus tuum non manus ipsi.* Id est, Cur nos non trahis ad te, & trahendo, te manus habere ostendis? Ita Ieremias Propheta cap. 18. *Nunquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israel, ait Dominus? Ecce, sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel, Repente loquar aduersum gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gẽs illa &c.* Videtur ergo loqui de reproborum massa actu peccãtium: quemadmodum & illi omnes qui adorarunt vitulum conflatilem, massa quædam peccatorum erant; & tamẽ dixit; *Miserebor cui misertus sum, &c.* quosdam ex illis saluãs, & quosdam relinquens.

Esai. 46.

Esai. 45.

Man⁹ Dei Christus.

Psal. 143.

Ierem. 18.

Exod. 32.

Infra. 33.

Exemplũ igitur inductũ est, non quod Deus ita faciat, sed ad docendum, quod ita facere posset, si vellet. Quemadmodum alibi ait; *Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ imperauerat?* quasi diceret, Non eum tamen gratiam habeat. Et Sap. 12. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* quod tamẽ non fecit. Nullos ergo tacite vel expresse damnat, nec facit vasa contumeliæ, nisi posito eorum peccato. Atq; hoc probatur primo per verbum: *An non habet potestatem figulus luti?* vbi potestatem ait, nõ voluntatem, aut decretum. Imo maiorem Deus nostri habet potestatem, qui nos totos finxit, quam figulus in luto, qui tamen ipsum lutum non finxit. Deinde, quia teste Paulo in alio loco, vt docet Origenes, reuera datur responsio, & ipse est bonus sui ipsius luti opifex, quod nos sumus, qui facim⁹ nos ipsos vas honoris, vel ignominiæ: & quisque factus vas iræ potest se emundare, & ab ignominia vasis liberare. Idem ait: *Nõ posuit nos Deus in iram sed in acquisitionẽ salutis*: & frater Domini, *Deus intẽtator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Tertio, quia non quadraret hæc similitudo præcedentibus, nempe dictis de Pharaone, & Hebræis derelictis. Quarto, neque sequentibus consonaret: nam dixit: *Sustinuit in multa patientia vasa iræ* (non fecit) *apta in interitum*; id est à semetipsis, vt notant Hieron. & Oecum. Quinto, probatur ex Doctorib. qui dicunt hæc à Paulo dicta in temere iudicantes: nõ quod Deus ita faciat, sed quod ita facere posset, si vellet. Et in hac sententia est Origenes, Hieronymus quæstione 10. ad Hebidiam, Chrysostomus in epistola ad Romanos ser. 16. Theodoritus, & Theophylactus. & Oecumenius, denique Damascenus lib. 4. cap. 20. dicens: *Solus profecto ipse est vniuersorum opifex, sed non ipse honorabilia, aut ignominiosa struit vasa, sed propria vniuscuiusq; voluntate, ac delecta*: Et citat locum 2. Tim. 11. Iam singula verba discutiamus.

Luc. 17.

Sap. 12.

I ratio, ad probandũ, neminem priusquam peccet, fieri à Deo vas in contumeliam.

II.

Orig. to. 2.

2. Tim. 2.

1. Thess. 5.

Iacob. 1.

III.

IV.

Hier epist. 150. ad Hedib. q. 10.

Oec. c. 15

V. à Doctorum consensu.

Orig. to. 2.

Hier to. 3.

Chrys. to. 4.

Theod. to 2.

Oec. loco dicto.

Damasc. sunt.

An non habet, inquit potestatem, id est, plenum ius, & arbitrium; nam id possumus, quod iure possumus. Quanquam vox potestatis potius sonet illam absolutam, & minime limitatam potestatem, quam ordinariam. Oecumenius quoque in hæc verba ait: *Non quod hos quidem bonos, alios vero malos faciat Deus, Nequaquam, sed cuncta Dei opera bona sunt, & quod ad se attinet, hoc est, iuxta suum ipsius consilium, ac voluntatem omnes vellet probos esse, studiosos, ac fideles: sed veluti ex potestate quam habet Deus, vt faciat quæ voluerit hoc ab ipso dictum est. Pulchre autem, ac decenter omnia facit, quanquam nos causas ignoremus.* Hæc ille. Et quemadmodum si quis populum aureum egregie fabrefactum in vsus inhonestos conuerteret, faceret illi contumeliam: ita omnis qui accepit naturam humanam

Dei qualis potestas faciendi vasa iræ, & misericordiæ.

Oecum.

Gen. 1.

Quomodo quispiã se faciat vas in contumeliam.

Ibid.

manam sanctæ Trinitatis imagine insignitam, & gloriæ æternæ capacē, si in vsus sordidos illam accommodet, contumeliam illi facit.

Nequaquā Deum hominem ad peccatum impellere, contra Bucerum.
Exod. 2.

Bucerus hoc loco tenet, obduratos, ac reprobos homines, Deo permittente, imo cogēte, mala patrare: *Quod nobis*, inquit, *etsi non sit intelligibile, est tamen verissimum.* ¶ Sed qui hæc tam impia, & blasphema dicunt, quid non dicent? Cur enim toties Deus imperabat Pharaoni, vt dimitteret populū suum, si id nō intendebat, quod præcepto exprimebat? & fictitia esset, & mendax præceptio, quæ Deum non decet. Et si volebat Deus Pharaonem non parere sibi, tunc non obediens præcepto Dei, paruisset nihilominus eius voluntati, & sic peccans non peccasset; quod est contradictio. Adhæc si in eius potestate non erat dimittere populū; obstante Deo, & impediente, vt non dimitteret, tunc nō peccabat, & frustra præcipiebat, vt dimitteret: quæ omnia tam pugnantia sunt & tam Scripturis contraria, vt tædium sit tot ineptias refellere.

Hæc sententia, Quod si Deus volens ostendere, &c. quid desideret.
Virg. 1 Æn.
Subintel.
B. Aug. q. 2 circa fi. t. 4.

Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potētiam suam. Iam directe soluit quæstionem. Et quia hæc loquendi ratio: *Quod si Deus volens &c.* vagam orationem retinquit, nec est verbum, in quo terminetur; ex stomacho dicendum est eum locutum fuisse, vt solent indignabundi: tales enim integram non exprimunt orationem eom munitet. Vt illud Poetæ: *Quos ego* Hic ergo aliquid supplendum est, videlicet, Tu qui es, qui respondeas Deo? vt subaudit Augustinus libr. 2. ad Simplicianum, vel quid simile: vt, Quid ad te? vel: Quid habes, quod remurmures, aut respōses? vel, Cur tu iniquitatem impingis Deo? vel certe, Vana est obiectio tua. Et iram Dei vocat iustitiam vindicem, quę nec in Deo passio est, nec in nobis, nec passionis imago, sed effectus punitiuæ iustitiæ, similis iræ nostræ. ¶ Et non dixit; Vt exerceat iram; ne videatur depingere Deum iræ cupidum, sed vt patefaceret suam iustitiam. In his enim omnibus, quę extra se operatur, nonnisi dilectionem bonitatis suæ; & aliarum perfectionum Deus spectat, sed ad gloriam ipsius, & vtilitatem creaturarum. Iustitiam ergo punientē modo non ostendit, quia pœnæ præsentis temporis non adæquant peccata, & sæpe causis secundis tribuuntur, non Deo, nisi raro, vt in diluuio, & subuersione Sodomæ, & Aegyptiorum submersione. Adiūgit & alium finem: *Vt notam faceret potentiam suam.* Nam etsi in operibus misericordiæ, vt creatione, & redemptione, late pateat Dei potentia; potissimum tamen in punitione malorum

Ira Dei quid.

Deum ostēdere iram, non excidere, cur Paulus dixerit

Iræ Dei in alio sæculo potius, quam in isto ostendēdæ ratio.
Gen. 7.
Infra 19.
Exod. 14.

In quo potissimum notam faciat suam potētiam Deus.
Rom. 2.

detegitur ob id, quod illa occultari videtur, dum reprobos in hac vita tolerat. Vnde impii Deum irrident, quasi impotentem punire: quam tamen verissimam reddet in die iræ, quando eos vel inuitos, & repugnātes velut fauillā efflabit in ignem ęternum

Mat. 25.

¶ Quod vero ait: *Sustinuit in multa patientia*; in his verbis inclusit solutionem propositæ quæstionis, & rationē iustissimæ querelæ. Nam significat, peccata quę à reprobis fiunt, & ob quæ exercenda est iustitia DEI vltrix, non esse à Deo inuenta, aut præparata, aut facta, sed promissa: ideo dixit, sustinuit, non sine molestia. Et dixit, In multa patientia. Græce recte dicitur μακροθυμία, id est, longanimitate quadam patientissima. Et alludit ad Pharaonem, in quo pertinaces homines peccata peccatis addētes notantur: quos Deus non protinus de medio tollit, sed sustinet procrastinando vindictam; & sua benignitate, & patientia ad pœnitentiam adducit, quod in se etsi illi secundum duritiam suam pereant, & fiant vasa iræ, quæ Deus profert tanquam ad exemplum aliorum, & ostensionem gloriæ suæ. ¶ Et nomen σκεῦος, non vas alicui liquori recipiēdo paratum, vt notat August. quod dicitur Græce ἀγγεῖον, sed quodcunq; pertinens ad vsum domesticum. Et apud Liuium, & Cæsarem vasorum nomine tota supellex intelligitur; & omnia instrumenta, quibus aliquid operamur, ita vocantur. Vnde Dauid inquit: *Confitebor tibi in vasis Psalmi* Ita Marc. 10. prohibuit Iesus, ne quisquam vas ferret per templum. ¶ Vocat autem hæc vasa apta in interitum, siue, vt Græca habent, aptata, vel parata, & vt Augustinus pluries legit, perfecta. Et ab eodem autore sunt parata, à quo sunt vasa iræ facta, id est, à seipsis, vt ait Theophylactus secundum illud; *Dilexit maledictionem, & veniet ei, &c, Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei; &c, Impius cum in profundum venerit, peccatum contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium.* Si quis ergo horum emundauerit se ab illis, aperte fiet vas honoris, vt ait Apostolus. Sed tunc non esset plene aptatus in interitum; sed illos sustinet DEVS in multa longanimitate, vt illa abutentes puniat. Oecumenius ait: *Quod ergo ipse non perdat illa vasa, omnino manifestum est; seipsa enim ad interitum apparuerunt. Perdidit tamen illa, postquam seipsa præpararunt, postquam ad extremum malitia procurrerunt, postquam ab eius longanimitate nihil auxilij acceperunt.* Hæc ille.

Vasa iræ cur dicatur Deus sustinuisse.
Quid sustinuisse in multa patientia.

Pharao quos denotet peccatores.

Ibid.

D. August.

Vasa pro supellectili domestica.
Tit. Liu.
Cæsar. in Comment.
Psal. 70.

Vasa iræ à quo aptentur in interitum.
August.

Theophyl.

Psal. 18.

Rom. 1.

Prou. 18.

2. Tim. 2.

Oec. c. 25.

Subdit & alteram causam: *Vt ostenderet*

diui-

diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Vides fines diuersos, & vsus, id est, diuersam præparationem electorum, & reproborum: in Hebræo quoque idiomate בכלי ad homines ipsos trãsfertur designandos, vt vasa Latinis. Finis reprobationis est ostensio iræ, & iustitiæ: prædestinationis vero, ostẽsio misericordiæ, & gratiæ. Vsus etiam diuersus est: vtitur enim in alteros ira, dum finit eos ire præcipites in omnia flagitia; at in alteros vtitur misericordia, dando gratiam pro gratia, & vnam post alteram. Præparatio etiam diuersa est: nam præparat electos ad finem, vocando, iustificando, promouendo, iuuando ad studium bonorum operum, & perseuerantiam: quos vero reprobat, non præparat ad damnationem, sed permittit cadere, & sustinet eos vt vasa iræ à seipsis aptata in interitum. Quamobrem quod Ambrosius hoc loco scribit, quod sicut Deus malos præparat ad interitum, ita & bonos præparat ad coronam: recte intelligendum est: non quod Deus sit causa scelerum in reprobis, sed quod eos peccatum prolapsos, & in eo permanentes destinauerit in interitum.

Reprobationis, & prædestinationis finis & vsus.

Ioan. 1.

Vasa misericordiæ vt præparat in gloriam Deus.

Rom. 8.

Dictum Ambrosii, Deum malos ad interitum præparare, quomodo verum.

Ambr. to. 5.

¶Vocat autem diuitias gloriæ, bonorum multitudinem spectantium ad vitam æternam præparatam electis: in quibus bonis glorificatus est Deus in æternum. Inter diuitias autem gloriæ, quib. electi perfruuntur, computanda etiam supplicia gehennæ, quibus affliguntur impii, & reprobi, in gloriam ipsorum beatorum cessura. Vnde Propheta dixit: *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam:* & Esaias, *Egredientur,* inquit, *& videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me.* Et subdit: *Et erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.* Omnia enim sunt propter electos. Ita reproborum pœnæ, & beatorum gaudia in gloriam Dei cedent.

Quid per diuitias gloriæ Paulus significet.

Psal. 57.
Esa. vlt.

2. *Tim.* 2.

Electi autem vasa sunt misericordiæ, in quos floruit oleum gratiæ spiritualis: in alio vero seculo erunt vasa honoris, & gloriæ, de quibus Matth. 13. dicitur: *Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Demum ex hoc loco accipimus, veras causas reprobationis, & prædestinationis non deesse, quanquam in particulari illæ nos lateant. Nã in genere, & in vniuersum verum est illud, quod vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus. Ideo vtriusque diuini act⁹, hoc est, electionis, & reprobationis vltimus finis est glorificatio Dei, siue de misericordia in vasis honoris, siue de iustitia vltrice in vasis iræ, & contumeliæ. Cæterum cum ad particulare descẽdimus, cur hunc magis prædestinauerit quam illum, aut cur hunc magis reprobet, quam alterũ mysterium est, quod captum non excedit. Et seruandum est in hoc consilium Augustini in Ioannẽ dicentis: *Quem trahat, & quẽ non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Semel accipe, & intellige: non traheris? ora vt traharis.* Ita ille.

Vasa misericordiæ, & vasa honoris recte vocantur electi.

Mat. 13.

Prædestinationis, ac reprobationis remotissima causa quænam illa.

Prou. 16.

Eorundem proximæ causæ nobis penitus inuestigabiles.

B. Aug. in Ioan. tract. 26. *sub ini. to.* 9.

Illud tamen ante omnia constitutissimũ esse debet, nemini deesse bonam Dei voluntatẽ, & adminicula idonea salutis comparandæ nisi illi, qui sibi ipsi defuerit, & qui se ad sempiternum interitum præparauerit.

Quib. tantum desit diuina prouidentia.

DISPVTATIO XXX.

In illa verba: *Quos & vocauit nos non solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentib. sicut in Osee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectã, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam, Et erit: in loco vbi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui, Esaias autem clamat pro Israel, Si fuerit numerus filiorum Israel,* & reliqua.

PRIMVM in hoc textu dubitatur, an sit ratio Grammaticæ seruata, dicendo, *Quos & vocauit*, cum præcesserit in neutro, *In vasa misericordiæ.* Deinde an testimonium Oseæ prolatum ad rem propositam faciat, & iuxta sensum literalem sit productum. Tertio dubium est de altero testimonio Esaiæ, an spectet ad vocationem Gentium an ad vocationem Iudæorum: in quo etiam illud verbum, Consummans, & abbreuiãs, difficultate non caret.

I. dub.

II.

III.

Quod attinet ad loci huius scopum, hinc exorditur Apostolus tractatum de vocatione Gentium, quas electas, & prædestinatas Deo ostendit simul cum Iudæis: quod etiam olim in egressu Israelitarum ex Aegypto ostensum fuit. Egressi namque filii Israel de seruitute Pharaonis, & Aegyptiorum vulgus innumerabile, cum Iudæis simul salutem consecuti sunt. Et hoc probat duobus testimoniis Prophetarum Oseæ, & Esaiæ. Vnde ait: *Quos & vocauit nos non solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus.* Et cum paulo ante dixisset σκεύη, addit tamen in masculino genere οὓς καὶ ἐκάλεσεν, siue quos & vocauit, spectans magis ad significatum, quam ad vocem: dicendum enim

Ratio connexionis.

Exod. 12.

Osee 2.
Supra 1.
Esa 10.

Ad I. dub. Illud: Quos & vocauit, recte vasis generis scilicet neutrius, respondeat.

 erat,

erat; quæ, quia vocandi verbum magis, conueniebat vasis, & potius habuit rationem sententiæ, quam verborum, vt pareret. Et quia vasorum nomine sæpe homines veniunt idiotismo Hebræa, iuxta illud, *Simeon: & Leui fratres: vasa iniquitatis bellantia*; ideo vsus est masculino relatiuo, quasi vasa dixisset homines. Sicut & Matth. vlt. Dominus dixit, *Docete omnes Gentes, baptizantes eos*, & cætera: quo in loco voci neutrius generis subiungit relatiuũ masculinũ. Nam Græca ita habent: Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτούς. Et fortassis spectauit ad pronomen Nos, vel Græce ἡμᾶς, vt Cicero dixit in oratione pro Sestio eadem phrasim æmulatus: *Tum domicilia coniuncta, quas vrbes dicimus*. Et Sallustius; *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur*. Et videtur alludere ad verbum superius: Quos vocauit, hos & iustificauit, &, Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, & cætera, & ad verbum Oseæ, qui habet: Vocabo non plebem meam, plebem meam.

Gen.49. Mat.28. Cicero. Sallustius Catilinar. Rom 8. Osee.2.

Pronomini Nos, aliqui interpretes addunt nimirum nos: quod alioqui esset obscurius dictũ. Intellige nos, non tantum Iudæos, vt Paulus erat, sed etiã Romanos ex Gentib^9, cũ quibus loquebatur. Et non ait, Iudæos, & Gentiles; sed quosdam ex Iudæis, quosdam ex Gentibus. Et verbum præteritum Vocauit, quidam legunt per plusquamperfectum, Vocauerant: sicut superius quæ præparauit in gloriam, similiter legunt, præparauerat. Vocauerat ergo gratuita sua misericordia, per quam vocationem fiunt homines vasa honoris, & misericordiæ præparata in gloriam. ¶ *Sicut in Osee dicit*. Ablatiui casus est Osee. Et alludit ad principium eius libri. Oseæ, in quo habet: Principium loquendi Domini in Osee, hoc est, per Oseam. Quasi diceret; Non ego sum qui loquor à me ipso, sed in me loquitur Dominus. ¶ *Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam*. Dubium est, an ad literam hæc dicantur de Gentilitate, an mystice, & secundum spiritum. Nam etsi Græce in vtroque sensu potuerit Apostolus confirmare vocationem Gentium, aliam tamen vim, & aliud persuadendi pondus habent, quæ ad literam dicuntur, quam quæ in mystico sensu producuntur. Certe Origenes tom.2. & Chrysostomus serm.16. circa finem, tom.4. & alii Græci eorum sequaces, putant illa verba de Israele secundum carnem esse dicta, quatenus distinguitur à Iuda, cui paulo post promittit se misererturum. Et probant ex ipsius Textus historia. Nam cum capite primo in odium pessimi Iehu comminatus

Vnde homines fiat vasa honoris, & misericordiæ. Ad secundum dub. Dictum Oseæ: Vocabo non plebem meam, &c. historico de Gentib. an mystico sensu proferatur. I. opinio Græcorum Origenes. Chrysost.

fuisset Dominus: *Voca nomen eius* (scilicet Israelis) (*Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero vester Deus*; postea tamen secundo capite sub vaticinio venturi Christi ait. *Et sponsabo te mihi in fide*. Et infra: *Et miserebor eius quæ fuit absq; misericordia*. Et statim sequitur: *Et dicam non populo meo, Populus meus es tu*. Ita vt mens Pauli sit ita ratiocinari: Si tu Israel (sub quo decem tribus intellige) tua culpa non eras populus Dei, & tamẽ diuina misericordia reuocatus es in populum; non minus si Gentes, quæ non vocabuntur Dei populus, in populum Dei sint accersitæ. ¶ Verum probabilis etiam mihi videtur sententia aliorum Patrum, qui hæc ad literam de Gentibus ad Euangelium vocatis interpretantur. Ait enim beatus Ambrosius tom.2. sub finem: *Apertum est, istud de Gentibus esse prædicatum, quæ prius non erat plebs Dei, postea autem ad opprobrium Iudæorum, misericordiam accipientes, vocatæ sunt plebs Dei; & qui dilecti ante non erant, addictis Iudæis, adoptati in filios Dei, & dilecti sunt*. Hæc ille. Subiungens, quod cum prius diceretur. Notus in Iudæa Deus; postea autem in Propheta: Zacharia: *Ponam*, inquit, *Ierusalem in omnibus gentibus: quia vbique futuri erant filij Dei in omnibus locis*, quæ est Ecclesia. Hinc Dominus ait Iudæis: *Quia tolletur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*. Sic ille. Exigua autem fuisset gloria, si tantum ibi esset sermo de decem tribubus, si ad antiquam Iudæorum dignitatem vocati essent. Et esse populum Dei, & misericordiam consecutum, non ea carnis priuilegia quæ Iudæis collata erant, designant, sed maiora, & excellentiora Spiritus dona. Nam Propheta ostendere videtur similia priuilegia collata per Christum Gentibus, qualia initio capitis recensuit collata Iudæis.

Oseæ 1. Ex quib. illa comprobetur. Infra 2. Altera opinio Latinorum Patrũ magis probabilis. B. Ambr. Psal. 75. Zach.12. 1.Tim. 2. Matt.21. Iudæorum quatuor prærogatiuæ populo Christiano collatæ.

Primum, quod ille erat populus Dei peculiaris, habens ritum, & modum colendi Deum: à qua dignitate longe aberant Gentes, quæ alienatæ erant à conuersione Israel & hospites testamentorum: sed per Christum facti sunt populus Dei, & populus grauis, id est, Ecclesia, de qua Propheta; In populo graui laudabo te; & Apostolus: Vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Secundum erat, de quo ait: *Et non dilectam, dilectam*. Hæc præcise in Osee non habentur, etsi capite tertio dicatur: Diligit Dominus filios Israel: nec fuit mens Apostoli præcise verba citare, sed sententiam. Etsi ergo Gentes præ illo populo non dilectæ viderentur, tamen postea dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sangui-

I. prærogatiua. Exod. 19. 1.Pet.2. Tit. 2. II. Apoc.1.

ne suo. Tertium beneficium Iudæorum fuit liberatio à peccato originali: qua Gentes carebant. Sed hoc beneficium iam commune factum est Gentib. per Baptismum. Ideo adiungit: *Et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Quæ verba etsi non sint de textu Pauli in exemplari Græco, nec eorum mentionem fecerint

Origenes. Ambros. Augustin. Theophyl. Hieron.

Origenes, Ambrosius, Augustinus libro primo ad Simplicianum, & Theophylact. Hieronymus, tamen notat fuisse huius loci varias lectiones: & loco eius, quod nos habemus in capite secundo Oseæ: *Et miserebor eius quæ fuit absque misericordia*, Septuaginta legunt οὐκ ἠλεημένην ἠλεημένην: dicat alios legere οὐκ ἠγαπημένην ἠγαπημένην id est, Nō dilectā, dilectam. Priorem tamen lectionem magis probauit, etsi quidam ex Catholicis existiment, studiosum aliquem ab exemplari Hebræo Oseæ margini apposuisse, & deinde in ordinem textus inserta. Quartum beneficium Iudæorum erat, vt eorum esset adoptio. Nam ita superius dixerat, *Quorum est adoptio filiorum*, Gentes vero canum potius appellatione, quam filiorum veniebant: & tamen hoc beneficium commune factum est Gentibus.

IV prærogatiua gentis Iudææ. Rom. 9.

¶ *Et erit* inquit, *in loco, vbi dicetur eis, Non populus meus vos: ibi vocabuntur, Filij Dei viuentis*, siue vt Paulus ait, *vocabuntur filij Dei viui.* Illud tamen hoc loco admonemus, beatum Petrum in priori sua Catholica capite secūdo, scribentem ad electos aduenas dispersos per Pontum, Galatiam, & cætera, applicasse hoc testimonium: *Qui aliquando*, inquit *non populus Dei, nunc autem populus Dei qui non consecuti sunt misericordiam; nunc autem misericordiam consecuti*: vt prior sententia Græcorum non videatur carere probabilitate.

Alia ratio pro sensu Græcorum allato.

1 Pet. 2.

Esai 10.

¶ *Esaias autem clamat pro Israel; Si fuerit numerus filiorum Israel, tanquam arena maris reliquiæ saluæ fient.* Protulit vaticinium de vocatione Gentilium: iam profert duos alios locos pro vocatione Iudæorum, qui sunt in Esaia. Et cum de Gentibus sine vlla exceptione dixisset Oseas, Vocabo nō plebem meam, plebem meam, inducit clamantem Esaiam, hoc est, constanter, & absque vlla hæsitatione affirmantem, quo toti orbi notum esse posset; imo cum clamore gemitus cuiusdam, & suspirii, quo illos commiserabatur, asserit, vocationis munus paucis Iudæis fuisse impensum, quorum paucitatem reliquias appellauit, sicut etiam fecit capite vndecimo, Græce vocantur ὑπόλειμμα. Hebraice אשר & significat id, quod ex multis fit reliquū, siue residuum, vt ex poetio, vt, *Troas reliquias Danaum.* Sophon. 2. *Reliquiæ populi mei*, Ierem. 4. *Ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris*; vel in exercitu reliqui sunt seu ex vineis, siue ex oliuis vel arboribus, vt Esai. 11. & 24. & Mich. 4.

Quid sit, Esaiam clamare pro Israel.

I. significatus vocis reliquiarū. Virg. li 4. Aeneid. Sophon. 2. Ierem. 23.

¶ Dicuntur etiam reliquiæ mensæ, vel cœnæ: Matth. 14. Tulerunt reliquias; duodecim cophinos fragmentorum plenos; & Dominus Luc. vltimo, Sumens reliquias dedit eis.

Secundus. Mat. 14. Luc. 24.

¶ Sunt etiam reliquiæ, hæredes, qui superstunt post parentes extinctos, Tob. 12. Reliquiæ qui supersunt seminis mei, & 4. Regum 21: *Dimittam reliquias hæreditatis meæ*: & Dauid, *Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.* Ita dicuntur reliquiæ sanctorum, (vox Ecclesiastica, id est, quæ ab illis ossa, capita, aut vestes, & similia nobis relicta sunt. Vnde Suetonius in Domitiano, cap. 8. *Monimentum quod libertus eius è lapidibus templo Capitolini Iouis destinatis filio construxerat, diruit per milites; ossaque, & reliquias, quæ inerant, mari mersit.* Et Plinius scribit epistolā Traiano de reliquiis sepulchrorum transferendis. Hæ omnes significationes analogiam habent: nam sunt pauca, quæ ex multis supersunt.

Tertius. Tob 12. 4. Reg. 21. Psal 36. Suetonius. Plin. Nono tomo

¶ *Si fuerit numerus filiorum Israel.* Obserua, scopum prophetæ ad literam, teste Hieronymo, fuisse loqui de obsidione Sennacherib, qui post translatas decem tribus Israel regnante Ozia, inuasit reliquas duas tribus, quibus pene absumptis, obsedit Ezechiam in Ierusalem. Sed per Esaiam consolationem accepit, & per Angelum à vi Assyriorum liberatus est. Vel potius dicendum cum eodem Hieronymo, esse ibi subitam translationem à temporali historia ad Christum: quod frequentissimum esse solet Prophetis, sine qua nihil certi in eisdem assequi possumus. Et ita ad literam venit intelligendum eius testimonium, vt etiam Apostolus aperte ostendit, non solum hunc locum proferendo, sed etiam de vocatis Gentibus explicando. Deinde obserua, Paulum produxisse hunc locum, vt illum verterunt Septuaginta: nam Hebræa litera ita habet: *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam. Consummationem enim, & abbreuiationem Dominus exercituum faciet in conspectu omnis terræ.* Estque sensus: Quando consummentur, & occidentur, ipsa consumptio inundabit iustitiam, id est, ostendet, quam iustus sit Dominus, qui iustum populum propter suam impietatem castigauit per Regem Assyriorum. Et hoc est, quia Dominus vult consummationem, & abbreuiationem facere Iudæorū, & illam saluare in medio terræ sanctæ.

Ad tertiū dubium. An locus Esaiæ: Si fuerit numerus filiorum Israel &c. de Gentib. an de Iudæis ad fidem conuersis, intelligatur. Hier. li. 5. in Esai. 10 & Esai. 38. Canon perutilis, ac necessarius intelligentiæ Prophetarum. Idem. Sequens eiusdem Prophetæ testimonii Verbum consummans, & abbreuians, iuxta Hebræum proponitur, & explicatur.

Hæc quidam ad literam sic interpretantur. Sub qua historia egregie indicatur mysterium Pauli, Consummatio enim, & dis-

Spiritalis eiusdem intelligentia.

ſipatio gentis illius inundabit, vel abundabit, iuſtitiam: id eſt, per paucos, qui conuertentur, late diſſeminabitur iuſtitia fidei (ſiue Chriſtus ipſe) per orbem: & hoc quia non conſummationẽ abbreuiatam Iudæorum faciet Dominus ſuper terram. Per Apoſtolos enim, & eos, qui illis crediderunt Euangelium per orbem eſt prędicatum. Erant tempore Chriſti multa millia Iudæorum ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, vt habes Actor. 2. & tamen pauci, hoc eſt, tria millia, & deinde quinque millia conuerſi ſunt ad Chriſtum, teſte eodem libro, vt Hieronymus annotauit. At vero ſi cum ſeptuaginta interpretibus, quos Apoſtolus ſequitur, ſentiamus, cum ad cõuerſos ad Fidem ſcribat, qui magna ex parte erant Gentiles, quibus illa translatio ſeptuaginta celebrior erat, quam nec Iudæi eo tempore audebant repellere, eo quod à ſuis eſſet effecta, plures ſenſus poſſet habere hæc litera. Verbũ enim Accuſatiui caſus eſt, & verbum conſummans, & abbreuians, in Nominandi caſu. Et verbum more Scripturæ ſignificat factum, ſiue rem geſtam, vt, *Quod eſt verbum in caſtris?* id eſt, *Quid geſtum eſt?* Et Luc. 2. *Videamus hoc verbum quod factum eſt.* Et ſupplendum eſt nomen Deus hoc modo. Dominus: conſummaturus eſt, & abbreuiaturus ſermonem Euangelicum, ſiue Rem conſummans, & abbreuians Dominus, id eſt, ſalutem abbreuiabit, conſummabitque Dominus in paucos Iudæos conferens: & hoc in æquitate, id eſt, iuſto ſuo iudicio. ¶ *Quia verbum breuiatum faciet Dominus ſuper terram.* Id eſt, ſalutem abbreuiatam: quod idem eſt, ac, Deus perficiet, concidens, ſiue abbreuians ſermonem de ſeruandis Iſraelitis. Nam quod in paucis fit, & multi ob ſua demerita derelinquantur, id ex iuſtitia procedit. ¶ Hieronymus vero, & alii Græci autores, nomine Verbi intelligunt legem Euangelicam, quæ Vetus Teſtamentum tam prolixum in pauca cõfert, & abbreuiat, iuxta illud; *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ*, *Non opus eſt*, inquit Chryſoſtomus, *longo circuitu, ſiue laborum, ſiue fatigationis, quæ ex operibus fit legalibus, ſed cum multa breuitate ſalus erit. Tale ſiquidem quiddam eſt fides, quæ breuibus verbis ſalutem complectitur.* Hæc ille. Et addit, in iniquitate: quia Euangelium nullam legi intulit iniuriam, quam potius honorauit, & impleuit. Nam omnia moralia in charitate complentur: omnia ſacrificia in vnica Crucis Chriſti hoſtia, omnes promiſſiones in vnica illa vitæ æternæ exitum habent.

Ambroſius tertiam addit expoſitionem, nam Verbum accepit pro Filio Dei incarnato, abbreuiato, ſeu exinanito; ſicut Cyprianus lib. 2. in Iudæos, & ſerm. de oratione Dominica; Anacletus epiſtol. 2. de Chriſto interpretatur: & Tertullianus libr. in Marcionem, *Quoniam*, inquit, *deciſum ſermonem faciet Dominus, Vel, verbum abbreuiatum, id eſt, Euangelium. Compendiatum eſt enim Nouum Teſtamentum, & legis laciniosis oneribus impeditum.* Et iterum: *Verbum conſummans præceptorum fecit grande compendium.* Et Auguſtinus lib. de Diſciplina Chriſtiana, capit. 1. *Hoc ipſum verbum conſummatum, & breuiatum, nec obſcurum Deus eſſe voluit: ideo breue, ne non vacaret legere: ideo apertum, ne dicat, Non mihi licuit intelligere.* Hæc ille breuiter, & eleganter. Refellenda eſt ergo ſententia Vatabli, & Pagnini; qui poſtquam interpretatus eſt Paulus, & omnes ſancti hunc locum de Euangelio, auſi ſunt ad Iudaiſmum referre, quod eſt ad Iudaiſmum relabi. Sequitur: *Et ſicut prædixit Eſaias, Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus*, &c. Hic eſt alter locus Eſaiæ, de quo recte dictum eſt ab Apoſtolo, *Prædixit*, alludendo ad tempus, quia Prophetæ antiquiores fuerunt. Vel, vt expendit Hieronymus, quia oraculum hoc habetur capit. præceſſit illud, quod paulo ante productũ eſt. Verbum vero Sabaoth non tranſtulit, quia vis eius verbi fortaſſis ſignificantior eſt, & vix transferri poteſt. Pro qua voce Septuaginta verterunt Παντοκράτωρ, etiamſi hoc loco dixerint, Σαβαὼθ, aliı Deus virtutum, δυνάμεων, vel, Deus στρατευμάτων, id eſt exercituum, vt Aquila, cui congruit humana ſcelera vindicare, quomodo dicitur, Deus vltionum, & ipſe de ſe ait: Mea eſt vltio, & ego retribuam. ¶ Et ſubdit: *Reliquiſſet nobis ſemen* Hoc eſt, paucos, & reliquias, de quibus cap. 9. ait: *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ Dei ſaluæ factæ ſunt.* Ne igitur funditus aboleretur genus Iſraelis, quemadmodum illud totum extinctum Sodomæ, & Gomorrhæ, ſeruatus eſt ſenatus Apoſtolicus, & illis proximi Iſraelitę, qui tanquam ſemen fuere, ex quorum doctrina, & ſanguine exorta eſt Gentilitas. Nam etſi ex Sodomis ſeruatus ſit Lot cum ſuis filiab. ſub figura forte reliquiarum Iſrael; ille tamen ex eorum ſanguine non erat. Et ita Chryſoſtom. exponit, imo Paulus, qui cap. 11. ait: *Nunquid Deus repulit populum ſuum? Abſit, Nam ego Iſraelita ſum, ex ſemine Abraham de tribu Ben-iamin. Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit.* Ex ita ſimilitudo Sodomorum, & Iſraelitarum, non debet referri ad culpam, ſed ad pœnam. Nõ eſt enim ſenſus: niſi fuiſſet electum ſemen, ſimilia paſſi

traſſent

Act. 2.

Hieron.

Locus ille iuxta Septuaginta productus quem ſenſum habeat.

Verbũ pro facto, apud Hebræos.

Quid verbum abbreuiatum. I. ſenſus.

Alter ſẽſus Hieron.

Matth. 22.

Chryſ. ſer. 26. to. 2.

Quid illud In æquitate.

Matt. 5.

III. ſenſus.

Amb. to. 2. Philip. 2.

B. Cypr. c. 3.

Anacle circa fi. epiſt.

Tertul. li. 3. aduerſus Marc. init.

Aug. to. 9. inter med. circiter. & fi.

Quid hoc loco Prophetæ Vatablus, & Santes Pagninus induxerunt.

Eſai. 1.

Hieron.

Nomen Sabaoth cur minime redditum ſit ab interprete, & quid ſignificet.

Deut. 32.

Deum ſemen reliquiſſe Iudæis, quid.

Rom 11.

Gen. 19.

Quinam illud ſemen fuerit.

Ibid.

Chryſoſt.

Rom. 11.

Iudæorum cum Sodomo,nisi ſemen eis fuiſſet relictum,in quo tantũ ſimilitudo conſiſtat.

Thren 4.
Ezech.16.

traſſent facinora Iſraelitæ, atque Sodomitæ:ſed ſenſus eſt, Similiter omnino atque illi fuiſſent aſſumpti.Crimẽ tamen Iudæorum minus non fuit,imo maius quam illud Sodomorum. Ait enim Ieremias; *Maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Et Ezechiel: *Non feci Sodoma ſoror tua ipſa,& filius eius,ſicut feciſti tu, & filiæ tuæ.* Vbi per filias Sodomæ,& Ieruſalem idiotiſmo Hebræa intelligimus villas, & oppida vicina,quæ illas metropoles agnoſcebant, vt alibi obſeruauimus.

Filiæ pro oppidis, & villis metropolitanis more Scripturæ.

Semen pro reſiduo,vel reliquo à Paulo vſurpatum.

Euſeb li.2. Demonſtr. Euãg. c.36. ſub init.to.1

Apoſtolus Euſebius apte ſemini comparat.

Perſpice hoc loco, ſeptuaginta Interpretes,& Apoſtolum Paulum verbum Hebręum שריד quod reſiduum,vel Reliquum ſignificat,nõine ἐπίλειμματος expreſſiſſe. Vnde Euſebius Cæſarienſis hunc locum explicans,ait: *At vero quia poſtquam illis*(ſcilicet Iudæis(*hæc euenerunt, & chorus Apoſtolorum,& qui in Hebræis in Chriſtum crediderunt, fœcundi inſtar ſeminis ex illis ipſis ſeruati ſunt, & per vniuerſam terram, atque in omne genus hominũ penetrantes,omnem ciuitatem,ac locum, & regionem proprio, atque Iſraelitico ſemine impleuerunt:adeo quidem,vt ex illis quaſi ſpicæ,quæ in nomine Saluatoris noſtri fundatæ ſunt Eccleſiæ, ſint enatæ: merito diuinus Propheta ijs minis, quibus contra illos eſt vſus,adiungit: Niſi Dominus Sabbaoth reliquiſſet nobis ſemen.* Et Auguſtinus ad Simplicianum lib.1.quæſt.2. *Quod hic ait,Reliquiſſet nobis ſemen: hoc ibi,Reliquiæ ſaluæ fierent.Cæteri autem tanquam perditionis vaſa debito ſupplicio perierunt. Et vt non omnes perijſſent ſicut Sodoma,& Gomorrha,non meritum eorum fecit, ſed gratia Dei relinquentis ſemen, vnde alia meſſis toto orbe conſurgeret.* Vnde beatus Hieronymus Hebraice doctiſſimus,& Paulus Hebræus,& plenus Spiritu ſancto,ſecuti ſunt ſeptuaginta interpretes vertentes ſemen, & non ,iuxta Hebræam veritatem,reſiduum: in quo plane indicarunt ſe vertere Scripturam non ad verbum, ſed reddendo ſenſa verbis.Reliquias ergo, ſemen interpretati ſunt, quod videlicet vniuſcuiuſque ſemine res alioqui mortuæ, & extinctæ reuiuiſcunt. ¶ Porro ridiculi ſunt Vatablus, & Pagninus, qui hunc locum à Paulo interpretatum de Chriſto, & Apoſtolis,tamen ad captiuitatem Babylonicam referunt cum Iudaizantibus.¶ *Quid ergo dicemus? Quod Gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam apprehenderunt iuſtitiam. Iuſtitiam autem, quæ ex fide eſt* Pro more ſuo Apoſtolus ſolita interrogationis formula concludit,reprobationem Iudæorum ex ipſorum meritis,vocationem vero Gentium ex miſericordia vocantis exiſtere. Quid ergo ex hactenus tractatis colligimus , niſi quod Gentes,quæ iuſtitiam Dei olim non ſectabantur , eos qui illatam ſectari ſe profitebantur, præoccupabant,anteuertentes, & præcipientes eis palmam? Et vtitur metaphora duorum,qui curſu certant,quorum alter id quod ſequitur,non conſequitur,eo quod ſeorſum ſpectans, ad lapidem in itinere offendit, & humi concidere cogitur; alter vero propoſito ſibi ante oculos ſcopo,abſque vllo impedimento pertingit, & brauium aſſequitur. Ad eum modum Iudæi per legem,quæ vmbra erat futurorum bonorum , aſpirabant ad veram fidei iuſtitiam:& tamen oblatum Chriſtum eiuſdem fidei autorem non agnouerunt; & proinde in illum veluti in lapidem impingentes corruerunt. Gentes autem , quæ ſine fide Chriſti erant, & alienati à conuerſione Iſrael,& quæ non ſectabantur eius iuſtitiam illam eandem fide obtinuerunt.Nam finis legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti.

B.Aug.circa ſi.q.10.3. circa med.

Cur Paul' non, Reſiduum Hebraice, ſed Græce ſemen traduxerit.

Iudaica Franciſci Vatabli, atque Pagnini,aliorumque reiicitur interpretatio.

Apprehendendæ iuſtitiæ, atq; ſectandæ metaphoricam locutionem vnde Paulus deſumpſerit.

Heb.10.

Ephes.2.

Rom.10.

Et nomine iuſtitiæ, intellige iuſtitiam, quæ ex fide eſt, vt ipſemet Paulus exponit. De Gentibus vero aſſerit, quod iuſtitiam non ſectarentur: quia etſi naturali iure imbuti præſtare poſſent iuſtitiam quandam naturalem operũ,aut viribus proprijs comparatam:vnde & leges bonas condiderunt non tamen talem , vt per eam poſſent Deo reconciliari,aut ei officia grata offerre. Tamen qui legem iuſtitiæ, futuri Chriſti ſymbolum, per modum doctrinæ non habebant, dicuntur non ſectari fidei iuſtitiam. ¶ Et verbo illo ſectandi, alludit ad Philoſophorum ſectas,quæ in ſuis ſcholis ſua dogmata tuendo ſinguli ſectabantur. Et ait de præterito apprehendiſſe iuſtitiam:quia etſi pauci tunc apprehendiſſent præ his, qui ſupererant,& qui adhuc putabant crucẽ ſtultitiam:tamen non tam habebant tunc ſermonem pro eo quod tunc erat, quam pro eo,quod futurum erat.

Qualem Gentes dicantur apprehendiſſe iuſtitiã, eademque cur illæ nõ ſectarentur vt dicitur.

Quid verbo ſectandi iuſtitiã Paulus ſignificaſſe videatur.

1.Cor.1.

Et iuſtitiam ait,quę ex fide eſt.i.eiuſmodi iuſtitia, quæ abſolute, & ſimpliciter iuſtitia eſt,fide apprehenditur : nam aliæ iuſtitiæ non ſimpliciter tanto nomine dignæ ſunt, cum per eas homo iuſtus iudicetur ab hominibus,à Deo autem pro iuſto non cẽſeatur. Ac ſubdit: *Iſrael vero ſectando legem iuſtitiæ,in legem iuſtitiæ non peruenit*, Legẽ iuſtitię intelligũt quidam legem Moyſis, vel quod recte intellecta iuſta eſſet, vel quod homines ſaltem timore iuſtos redderet. Quidam tamen putant, meliorem eſſe expoſitionẽ ſi per legẽ iuſtitiæ intelligant iuſtitiã Euangelicã,ad quam per antiquam legem Moſis veniendum illis erat:illamque Moſis inueſtigabant, & profitebantur Iudæi, quoniã Moyſis pœdagogus erat Chriſti, & lex

Iuſtitiam, quæ ex fide eſt apprehendere,quid ſit.

Duplex legis iuſtitiæ interpretatio,& vtra præſtãtior.

Moyſis

Gal.3.
Quomodo Iudæi quia non ex fide, sed quasi ex operib. quã quærebant legem iustitiæ peruenerint.

Moysis pædagogus legis Euangelicæ. Subiungit: *Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.* Subaudiendum est verbum: vt constet oratio, Quærebant. Et alludit ad eum, qui propterea rem propositam, & desideratam non inuenit, quod non ad rem, sed ad aliud attentus esset. Ita Iudæi non ex fide Mediatoris, & Redemptoris, quæ via certissima erat cito perueniendi ad eã, sed Christo contempto per viam operum suorum, quibus fidebant, & intumescebant, illa in seipsis magnificantes, & seipsos commendantes, à fine intento exciderunt.

Ex hoc Paul. loco eliciuntur documenta nonnulla.
I. documẽtum de fide, quomodo iustificet;
II. Quid per fidem iustitiam apprehendere.
III. Qua ratione iustitiam operum Apostolus iustitiæ fidei contraponat.
Amb. to. 5.
August.

Obserua igitur eam loquendi rationem Iudæos non peruenisse ad iustitiam, quia non per fidem quæsierunt illam, Gentes autem per fidem apprehenderunt. Ex quibus primum colligere potes, formam iustitiæ, qua quis est iustus; fidem non esse, sed viam, & dispositionem ad suscipiendam iustitiam, id est, charitatem Spiritus sancti, per quam quasi per formam est iustus & filius Dei. Deinde expende, quod apprehendere per fidem iustitiam, nihil est aliud qua peruenire ad iustitiam, vel assequi iustitiam. Ita enim ipsemet Paulus exponit. Tertio perpende, Apostolum hoc loco opponere iustitiam operum iustitiæ fidei: quod accipiendum est de iustitia operum, quæ ex viribus naturæ fiũt, non autem operum in fide factorum. Quare etsi Græce addatur verbo Operibus, Genitiuus, Legis, non videtur tamen necessarius, nec Ambrosius, nec Augustin. illius Genitiui meminerunt.

Theophyl.
Quare nõ simpliciter dictum sit, Ex operib. legis, sed, quasi ex operib. legis.
Aug. to. 3. circa fin.

Et adiectio particulæ illius diminuentis, nempe, quasi, totam lectionem videtur saluare. Quare Theophylactus recte ponderauit, dicens: *Obserua autem, quomodo non dixerit. Ex operibus legis, sed Velut ex operib. legis; vt ostẽdat quod non serio sint operũ tacti cura, caeterum simulatione quadã, et hypocrisi ea fecerint* Et August. lib. de Spirit. & litera, c. 39. *Quare? Quia non ex fide, sed tanquam ex operibus. i. tanquam iustitiã per semetipsos operantes, non in se credentes operari Deum.* Hæc illi patres.

2. Cor. 3.
Esa. 28.

Dicit ergo, quasi, quia cum fidem haberent vnius Dei, non tamen illi, sed operibus, cum fides sit fundamentum omnis structuræ bonorum operum, iustitiam tribuebãt. Aliud enim est Ex operibus legis, aliud, Quasi ex operibus legis: quemadmodum aliud est Ex nobis, & aliud, Ex nobis quasi ex nobis. Docet ergo Paulus hæc opera dupliciter considerare, aut simpliciter Opera legis, aut quasi opera legis. Opera enim legis, vt, Non concupiscere, Non mœchari, &c. opera Decalogi tunc fiunt quasi opera legis, quando perficiuntur vt à Lege præcepta, aut timore pœnæ, aut amore boni temporalis, non autem vt ex fide, & dilectione Dei seruantur: nam hæc est vis legis, vrgere suppliciis aut promissione bonorum temporalium: ita vt qui fecerit ea, viuat in illis; & qui non fecerit, non viuat in illis.

I. ratio, cur Iudæi non credentes in Christũ quasi in lapidem offensionis impegerunt.
II.
III. & IV

Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est, ecce, pono in Sion lapidem offensionis, &c. Reddit rationem cur Israel pro maxima parte, quæ alienata erat à fide Christi, salutem non sit consecutus. Et metaphoram cœptam prosequitur illius, qui in stadio impingit ad lapidem, cuius causa non venit ad metam. Ita Iudæi in Christum impegerunt, propterea quod venerit in humilitate, & infirmitate carnis. Deinde quod tam ignominiose cruci fuerit suffixus. Tertio, quòd spiritualia prædicaret, & temporalia negligere nos doceret. Postremo quod corticem antiquæ legis respicientes, spiritum delitescentem, in quo Christus cerni poterat, non penetrabant.

Cur Deus Christum in Sion vt lapidem posuerit.
Lapis Christus qualis & vbi præsignatus.
Daniel 2.
1. Cor. 3.
Psal. 117.
Mat. 21.
Vnde falsa hominum de illo iudicia.
1. Cor. 1.
Luc. 2.
Quando Iudæi in lapidem istũ offensionis offenderint.
Ioan 15.
Infra 19.
Mat. 21.
Loci Euangelici illius explicatio: Qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quẽ vero ceciderit, conteret eum.
Daniel 2.
Iis in verbis: Lapis offensionis & petra scãdali, duo latent Hebraismi.

Et quia lapidi Christum comparauit; subscribit vaticiniũ trimembre: cuius prima, & vltima pars habetur in Esaia cap. 28. media vero continetur cap. 8. Ait ergo: *Ecce, pono in Sion lapidem offensionis* Ecce, admirantis est, & veluti indicantis lapidem, vt quisque caueat sibi ne impingat, & vt intelligamus, quia positus est hic lapis à Deo, vt in eo ædificemur, & totum Ecclesiæ ædificium consurgat. Et lapis est paruus de monte sine manibus abscissus; & : *Fundamentum aliud nemo potest ponere. Hic est lapis reprobatus ab ædificantibus*; & diuersi hominum affectus in causa sunt, vt diuersus illi reddatur, & appareat : *Iudæis quidem scandalum, Gentibus stultitia;* ipsis autem vocatis, Iudæis atque Gentibus. Christus Dei virtus, & Dei sapientia. Deinde positus est in ruinam, & in resurrectionẽ multorum in Israel. ¶ Impegerunt autem in Christum, quando eo scandalizati, contradicebant illi, eique fidem non habebant. Vnde Dominus de illis dixit: *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Et eum negauerunt, dicentes: *Non habemus Regem nisi Cæsarem* Deniq; Dominus dixit. *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur,* in primo scilicet aduentu, quando Christus humilis apparuit: cui qui se non subdiderunt, veluti fictilia confracti sunt; ita tamen, vt per misericordiam rursus consolidari potuerint, si fidem, & pœnitentiam cõplexi fuissent. Sed cum in montem magnum excreuerit, & excelsus venerit ad iudicãdum, corruet hic lapis super illos, quasi suæ potestati subditos, & in incredulitate sua, & peccato obduratos, conteret illos, ita vt nullus sit eis reficiendi locus. Et dicitur idiotismo Hebræa Lapis offensionis, & pe-

Qualis lapis Christ credentib. existat. Esai.28. Lectio Hebræa. Omnis qui credit in eum, non confundetur, cum Græca 70. Qui crediderit, non festinet, quomodo conueniat.

tra scandali; id est, lapis offendens, & petra scandalizās. Repetitio etiam lapidis ex Hebræorum more oritur. ¶ *Et omnis qui credit in eum, non confundetur.* Id est: Non credentibus, est lapis offendens; credentibus autē lapis refugii, & iustitiæ, ac salutis; ita vt non confundantur, vel pudefiant, cadentes à spe sua, sed omnes promissiones in Christo sequantur. Esaię tamen 28. iuxta Hebræum dicitur: *Qui crediderit, non festinet.* Septuaginta habēt: *Non confundetur:* quare quasi scholion, ac sensum Hebraicæ lectionis secutus est Paulus Roman. 9. & 10. & B. Petrus in priori epistola, c. 2. non Hebræam literam. Et idem fere est, quia confusio credenti adest, quando vt credidit, non videt euenire; ob idque qui solicitus est festinat, & huc & illuc metu trepidus circumcursat, vt apes, de quibus Poeta.

Virg. lib. 4. Georg. Seruius. Pagninus.

Illæ intus trepidæ rerum per cerea lustra Discurrant.

Vbi Seruius: *Nescientes, inquit, quid agant, & ignara auxilij.* At Pagninus vertit addendo quædam quæ non sunt in textu Græco, vel Hebræo: *Qui crediderit, non festinet vt videat hoc.* Igitur si festinat, sedato sit animo, quia non confundetur; &: *Si moram feceris, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit.* Ita discipuli festinabant, volentes subitam redemptionē suam: & de cruce non poterant bonum expectare, & dicebant: *Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel.* ¶ Alius sensus elegans est: Qui crediderit, non festinet ad præmium, quasi iam absolnerit statim, & intelligat grandem illi restare viam mandatorum Dei ingrediendā, & magnam luctam cum hostibus, vt interim oporteat sub spe Diuinæ protectionis viuere, & metu, & tremore salutem operari, quo dignus fit ad palmam, & coronam peruenire.

Habac. 2. Luc. 24. 1. Cor. 9. Matth. 19. Ephes. vlt. Philip. 2.

DISPVTATIO XXXI.

In illa verba, cap. 10. *Fratres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti Finis enim legis, Christus: ad iustitiam omni credenti, &c.*

I. quæstio. IN hoc loco explicandus est, scopus, & ratio Apostoli, qua moueretur ad precandum pro Iudæis. Deinde dubiū est, an peccata, quæ ex zelo Dei admittuntur, sint leuissima, & facile à Deo remittantur: nam & simili zelo videtur peccasse Paulus, qui tamen Dei misericordia emersit. Tertio, quomodo in illis verbis: Suam quærentes iustitiam statuere, Iustitia legis dicatur iustitia Iudæorum. Denique qua ratione dicitur Christus finis legis ad iustitiam, cum eiusmodi iustitia sine gratia adiuuante meritum non haberet. II. Act. 9. 1. Tim. 1. III.

Tractat hoc capite Apostolus de eadem Iudæorum cæcitate, ostendens ignorantiam habuisse annexam, non tamen omnino excusandam. Et constituit discrimen iustitiæ Legis, & Euangelicæ ex Moysis testimonio. Et in principio fratres eos vocat, vt ostensione suæ beneuolentiæ, & lenitatis, acerbitatem futuræ mitiget orationis. Nam videbatur superiori Capite pudore suffudisse Iudæos, asserendo quod Gentes fide illos antenerit sient. Secundo Paulus producens eorum ignorantiam, eam adfert, vt rationem precandi pro ipsis statuat: nam peccantibus ex ignorantia vtiles solent esse aliorum orationes. Vnde & Dominus orauit: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt:* & Stephani oratio pro Paulo exaudita fuit, de qua, vt ipse testatur: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* ¶ *Voluntas,* inquit, *cordis mei, & obsecratio ad Deum fit, &c.* Vbi primum expende nomen *εὐδοκίας* homini tribui, etsi Erasmus in Annotationibus Luc. 2. negauerit alteri tribui quam Deo in Scripturis; cum tamen Deo sæpe, & interdum homini adscribatur, vt ibi: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis:* de qua legimus: *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua.* Pro hac voce Erasmus hoc loco reddidit: Propensa voluntas. Sed certe melior, & germanior est interpretatio, Bona, quam, Propensa: nam ad multa mala est propensa voluntas: in quibus tamen non est beneplacitum, vel bona volūtas. Id est; Etsi impegerint in lapidem offensionis, non propterea indignationem contra eos concipio, sed eorum misereor, & bona adest mihi voluntas in salutem, id est, sitiens eorum salutem. Et addit: *Cordis mei:* quod exaggeratio est amoris. ¶ *Et obsecratio fit pro illis.* Id est: Non tantum voluntas bona, id est, votum, & desiderium, sed etiam obsecratio ad Deum pro illis. Etsi Græca vox sit *δέησις*, hoc est deprecatio mali, & cęcitatis eorum. Et non dixit: Oratio mea, aut oris mei, sicut dixit: *Voluntas cordis mei:* Nam obsecratio non solum fiebat ab eo, sed pariter cum tota Ecclesia, quæ cum ipso erat. Et coniunxit orationem cum voluntate: quia

Ad primā. De Pauli proposito. Iudæos ille fratres cur nominet. Peccātibus aliorū preces prosint quibus. Luc. 23. 1. Tim. 1. Luc. 2. Psal. 50. Hęc lectio Bona voluntas, &c. Erasmianæ illi, Propensa voluntas, quantum præponderet.

quia externa oratio sine interna voluntate futilis est, & vana. Addit: *In salutem*: iuxta illud Iacobi: *Orate, pro inuicem, vt saluemini.* Et probatum est illud consilium Patrum, qui admonent orãdum esse ex intimo corde pro infidelibus, vt in agnitionem fidei veniant, quæ donum Dei est. Et licet inutile videatur pro his, de quibus videtur ism actum esse, preces fundere: sancti tamen viri, qui bonitatis Dei immensitatem vident, & vehemẽtius aliorum salutem sitiunt, nihil peue non sperant, & omnia sibi de Deo polliceri audent.

Iacob vlt. Pro infidelib & pro obstinatis Deum toto corde precandũ consilio & exemplo sanctorum *Ephes. 2.*

Subdit: *Testimonium enim perhibeo illis, quod zelum quidem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Hæc est ratio, cur pro eis deprecaretur: & peccati radicem ex zelo ortam patefecit. Est autem æmulatio id, quod Græci dicunt ζῆλος, cuius loco Erasmus vertit, Studium: quod certe vocabulum non videtur quadrare. Nam quis diceret, Studeo enim vobis Dei studio, vel studio studui, pro his Apostoli verbis: *Æmulor enim vos Dei æmulatione*, siue Zelo vos zelo Dei. & pro illis Heliæ: *Zelo zelatus sum*: porro zelus Græca vox, videtur deduci à verbo ζέειν, quod est, feruere, vt ita zelatus feruorem designet, id est, vehementiam quandam in amando, aut in aliquo imitando, vel contra aliquem per inuidiam, & feruentem iram machinando. Hinc zelare pro Deo dicitur, qui feruenti erga Deum amore afficitur, vel pro honore eius laborat: pro Sanctis vero zelat, qui eos veneratur, & imitatur. Contra vitia vero ille zelat, qui ea feruenter odit, & persequitur: & figulus in figulum zelat, quando illi inuidet, & dolore afficitur. Quæ omnia satis expresse significantur per verbum æmulandi Latinum: nam æmulatio proprie ad amorem, vel ad imitationem, vel ad inuidiam referri solet: studium vero, vehementem animi applicationem denotat, seu solicitudinem, & intensionem ad aliquam rem, quæ Græcis dicitur σπουδὴ. ¶ Addit, hunc zelum non fuisse secundum scientiam. Cuius rei certissimum potuit Paulus perhibere testimoniũ: quippe ipse idipsum in se expertus fuerat. Ait enim ad Philippenses, & ad Timoth. secundum æmulationem persecutum Ecclesiam Dei: sed quia ille zelus scientiæ coniunctus non fuerat, non omnino immunis à culpa fuit. Ideo ipse seipsum vocat blasphemum, & persecutorem, & cõtumeliosum: sed quia ignorans fecit in incredulitate misericordiam consecutum. Quod enim tanti fecerit Mosis legem populus ille, vt per illam crederet se iustificari, à zelo Dei eiusdem legis autoris ortum habebat. Et eodem zelo Christum se Deum ostendentem, & peccatorem condonatorem persequebantur Matt. 9. & Apostolos eius, quos occidendo arbitrabantur se obsequiũ Deo præstare. Erat autem cæcus ille zelus, quia ab ipsa lege erudiri poterant de fidei veritate, & Christo, à quo solo erat hauriendа iustitia. Hinc quod habetur Esaiæ 26. *Videant & confundantur zelantes populi*: pro quibus Septuaginta verterunt; *Apprehenderunt populum ineruditum*, Theodorus Græcus autor in eum Esaiæ locum, de zelo Iudæorum interpretatur, producto etiam hoc Pauli loco. Atque hi tali zelo ducti, poterant recte comparari cum strenuis militibus, qui non tantum ob animi robur laudari, quantum culpari ob ignorantiam, in quos debeant gladios stringere, promerentur: nam in amicos, & innocentes sæuiunt, & parcunt hostibus. Similі zelo ducti fuerunt olim Pharisęi, & Scribę, qui Christum morti tradiderunt: quanquam illi zelo non deesset vel inuidia etiam nota Pilato, vel odium ex zelo per hypocrisim ficto iuxta illud: *Odio habuerunt me gratis*; Et iterum: *Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meũ.* Similiter multi ex hæreticis illo zelo acti fuerunt: vt Nouatiani olim, qui lapsis pœnitentiam negabant: & Arriani, qui pro Dei Patris gloria zelabant, nolentes Christum eius filium per omnia ei æquari. Lutherani quoque nostro seculo abusus Ecclesiasticorum, & Religiosorum cernentes, à zelo quidem exorti sunt tot tragœdias prædicãdo, & scribendo excitare; sed temporis progressu rabie, & odio perciti, ad arma peruenerunt.

Æmulationem seu zelum inepte studiũ ab Erasmo conuerti.

2. Cor. 11.

3. Reg. 19. Zelus Grę cis vnde dicatur, & quid significet.

Quid pro Deo, & quid pro Sanctis, quid vero etiã contra vitia zelare Quid sit æmulatio, quid studium.

Vnde constet Iudęos zelum habuisse, sed non secundũ scientiã *Philip. 3.* *1. Tim. 1.*

Zelus ille eadem fuit ratione culpabilis.

Matt. 9.

Ioan. 16. Cæcitas, & ignorãtia Iudæorum. *Esa. 26.*

Theodor. Græcus autor.

Iudæorum zelus Christum & Apostolos eius persequentium qualis.

Matt. 27. *Ioan. 15.* *Ibidem.*

Nouatianorum, & Arrianorũ zelus atque Lutheranorũ quis ille

Illud obserua, quod cum voluntas bona non sit nisi de obiecto, quod non solum in speciem, sed etiam vere bonum sit, & honestum; intellectus autem officium sit cæcam voluntatem instruere: hinc fit, vt voluntas quæ non sequitur scientiam, studiosa, & bona esse nequeat. Quare Aristoteles Ethicorum secundo inter conditiones iusti constituit, vt sciens operaretur. ¶ *Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Prodit illorum errorem, & ignorantiam Christi, qui est Dei iustitia (quia in id datus est nobis à Deo, vt per ipsum gratis coram eo iustificemur, & filii Dei efficiamur) causam extitisse tanti peccati. Nam quærentes propriam iustitiam statuere, quæ consistebat in factis, & operibus, quæ ex facultate liberi arbitrii prodeunt, & per ea mercedem sibi quasi debitam efflagitantes: at per hoc in seipsis siue Christo, & fide eius confidẽtes; non se subiecerunt iustitiæ Dei, id est, gra-

Voluntatẽ sine scientia esse bonam non posse.

Aristot.

Cur Dei iustitia Christus dicatur.

Quomodo Iudæi suam quærentes iustitiã statuere iustitiæ Dei non fuerint subiecti.

tiæ Dei,

tiæ Dei, quæ illam per fidem gratis à Deo accipiendam docent, & quæ sola est vera ratio ad illam perueniendi. Vel: Non sunt subiecti ipsi Christo, per quem vt mediatorem iustificamur coram Deo: nam per aliam iustitiam sunt iusti apud homines, vt

Rom. 4.

dicitur de Abraham cap. 4. Proprie namq; homo Christo subiicitur per fidem, hinc

Supra 1.
2. Cor 10.

superius dixit. *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus*; & alibi: *In captiuitatem redigentes omnem int. llectum in obsequium Christi.* Et ita Au-

B. Aug to. 7. circa fi.

gustinus lib de gratia & libero arbitrio, c. 12. interpretatur, iustitiæ Dei, hoc est, gratiæ Dei. Qui antem ex operibus legis suam institiam conantur statnere, idcirco Dei iu-

Lex Iudęis cur data.

stitiæ non subiiciuntur, quia lege non recte vtuntur. Non enim data est, vt per eã quasi ex vi sua homo instificetur, sed vt per eam tanquam per pœdagogum agnoscat mor-

Gal. 3.

bum suum, & impotentiam, & ducatur ad Christum verum medicum, veramqne iustitiam, per cuius fidem iustificetur. Et hoc est quod dixit in principio prioris epistolæ

1. Tim 1.

ad Timotheum: Bona est lex, si quis ea legitime vtatur, nimirum ad agnoscendnm se peccatorem, & ad confugiendum ad Christum, à quo vno & sanetur, & iustificetur,

Idem to. 10
Ignorare Dei iustitiam, & suã velle statuere, quid secundũ Aug.
Ioan. 5.
Mat. 16.
Pelagianorum impietas, & arrogantia.
Finis lege est Christus.

Porro Augustinus libro de verb. Domini, serm. 45. prope initium: *Ignorare*, inquit, *Dei iustitiam, & suam velle constituere, hoc est, ab inuicem gloriam expectare, & gloriam quæ à solo Deo est, non requirere. Hoc est, fermentum Pharisæorum.* Hæc ille. Pelagiani vero reuocare voluerunt hanc confitentiam de propria iustitia iam mortuam, & in Inferis sepultã, & destruere gratiam Christi, à qua sola est omnis nostra iustitia. ¶ Et subdit: *Finis enim legis, Christus ad iustitiam omni credenti.* Pulchra, & breuis sententia, quæ summam totius legis, & Euangelii breui complectitur. Est enim Christus indicatus, & promissus à lege in monte Sina, & à Prophetis testificatus: quem Iudæi repellẽtes, qui finis erat legis, ad iustitiam communicandam omni credenti, siue Iudæo, siue Gentili, Iustitiæ

B. Chrys.

Dei non fuerunt subiecti Et ne fingere possent Iudæi, vt ait Chrysostomus, duas esse iustitias, veterem, & nouam; & respondere

Legis veteris & nouę iustitia Chrysostomo vna tãtum est ex Pauli doctrina.

quod etsi non essent subiecti nouæ iustitię essent tamen veteri: imo quod recipientes nouam, debebant veterem retinere, vt pertinaciter Iudæi asseruerunt: Paulus tamen ostendere voluit, non esse duas diuersas, & discrepãtes iustitias, sed illam Moysi viam extitisse ad hanc Christi, & hanc finem esse siue perfectionem illius; ac proinde qui hãc susceperit, illam quoq; virtute custodire, qui vero hanc repulerit, nec illam seruare posse.

Omnium legum finis quinã.

Porro finis cuiusque legis secundũ Philosophos, est bonos efficere ciues: idem quoque finis Dei fuit in veteri lege ferenda. At quia bonitas naturalis apud Deum non sufficit, sed supernaturali est opus, quã

Mosaicæ legis Christum esse finem debuisse.

per se opera Legis præstare non poterãt; ideo proprius illius legis finis Christus fuit, qui per eam prænuntiatus, ac delineatus, autor erat futurus per suam fidem efficiendi eandem bonitatem, & iustitiam. Sicut ergo ciues non sunt subiecti iustitiæ à legis latore perspectę, atque spectatæ, nisi legem eo animo seruent, ad quem legislator collimabat, nimirum, vt status Reipublicæ sit pacificus, & tranquillus, & ciuilis honestas conseruetur: ita sane Iudæi facientes opera legis, quantum ad substantiam operum attinet, & iustificari non contendentes per Christi fidem, qui legis finis erat, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti. Christus ergo finis est legis ad iustitiæ assecutionem: quę in expiatione peccatorum, & in lege implenda (& non nisi per fidem, & spiritum perficitur) consistit, non quidem omni operanti, sed omni credenti. Merito ergo dixit

Quomodo finis legis.
Mat. 5.
Rom. 3.
Infra 8.

Dominus: *Non veni soluere legem, sed adimplere*; & Paulus; *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.* Et iterum *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem. Deus mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.*

Leuit 18.
Quid iustitia legis, seu operũ, quid vero iustitia fidei.

Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam quæ ex lege est qui fecerit homo, viuet in ea. Probat duplicem iustitiam à mercede valde diuersam; & ita exponit differentiam iustitiæ operum, & iustitiæ fidei. Erat enim iustitia Legis posita in operibus legis faciendis, iustitia vero fidei in credendo ex vero, synceroque corde. Finis item prioris iustitiæ erat vita temporalis, & prosperitas, & gloria ex hominibus, quæ competit in eos qui iusti sunt, & sine querela apud hominum tribunal: iustitię autem, siue fidei merces erat vita æterna, quę ex gratia per Christum veniebat.

Produxit autem duo ipsius Mosis oracula. Primum ex Cap. Leuit. 18. & Ezech. 20.

Leuit. 18.
Ezech. 20.
Hæc sententia Moysis: Iustitiã quæ ex lege est, qui fecerit ea homo, viuet in ipsis quomodo sit ad literã accipiẽda.

idque in sensu historico, siue ad literam; alterum vero ex Deut. cap. 30. altero vero prima facie per mysterium Allegoriæ exposito. Et primum testimonium magis in sensu quam in verbis citatum est. Sic enim habet: *Custodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis.* Textus autem Græcus Pauli habet: *Moyses enim scripsit; Iustitiam quæ ex lege est quoniam qui fecerit ea homo, viuet in ipsis, vel, Viuet per illa*: quod à nostra versione

in sensu parum differt. Nam si dicas, in ipsis refertur ad iudicia, vel præcepta, quemadmodum etiam ad Gala. 3. citatur, & dicatur; Viuet in illis. Et idem prorsus est. Viuet in ea, quia refertur ad iustitiam præcedẽtem. Et frustra hic reclamatum est contra veterem interpretem à recentioribus; cum tamen nihil sententiæ pereat: & Augustinus lib. de Spiritu & litera, c. 29. circa medium, legat vt nos habemus. Et quacunque litera posita, sensus est: Legis obseruantia quantum ad iustitiam operum, præstat cultoribus tantum vitam temporariam. Id enim est: Viuet in illis, id est, ea vita, quam debẽt ipsa mandata dare, si fuerint obseruata: quemadmodum legis ciuilis finis est pax, qua vita hæc humana cõseruatur: & in hũc finem mortis pœnam & alia supplicia decernit, vt ita tanta comminatione quisque à flagitia contineatur. Et præcipue competit antiquæ legi, in qua temporaria bona Deus pollicebatur. Viuet ergo in ea, id est, habebit vitam, quam lex promittit, & Moses dare potest, qui est eius autor: id est, non interficiet eum seueritas legis: sicut seruantibus nouam legem promittitur regnum cœlorum, & vita æterna, quam Christus pollicetur: *Ego*, inquit, *vitam æternam do eis*, *non Moyses*. ¶ Et iustitiam, quam homo facit in lege, non tantum intelligit Apostolus eam, quæ præcipitur à lege, sed præcipue de ea, quæ efficitur à lege per vires naturæ: nã aperte ad Galat. 3. ait, quod lex non est ex fide. Et ideo quod dicitur: *Viuet in ea*, de præmio vitæ temporalis, & præsentium bonorum, & non de repromissione vitæ æternæ, quæ solum fidei operibus debetur, est accipiendum.

Ex quibus Pauli verbis eliciunt Patres, promissiones de bonis temporalibus ad veterem legem spectasse, vt aperte traditur Deuteron. vltimo: etsi hanc Patrum doctrinam Lutherani condemnent, & imperitiæ arguant ex verbis Christi: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*; & ex eo quod Paulus ait de honorando parentes: *Promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futura.* Sed certe perficere legem, seu implere, dupliciter contingit. Primo quidem ex spiritu fidei, & perfecte, quomodo illi duo loci allegati intelligendi sunt; alio vero modo imperfecte sine Christi Spiritu; & ita videtur loqui Paulus hoc loco: quia vt testatur Apostolus: *Lex non est ex fide.* ¶ Porro mendacium merum est Oecolampadii, quod verbum Hebræum, pro quo vertitur: *Qui fecerit legem, vel mandata impleuerit*, significet exactum quandam custodiam ex toto corde, & ex omnibus viribus: nam sæpe alias ita

Gal. 3.

Eiusdem Latina defenditur interpretatio contra nouos interpretes.
Aug. to. 3.

Quem sensũ habeat.

Qualem vitam sui obseruantib. lex Moysi præstaret, qualẽ. vero lex Euangelica.
Ioan. 10.

Iustitia quæ ex lege est, quam perficit homo duplex est.
Gal. 3.

Recte Patres docuisse, veterẽ legem temporalium directe dũtaxat promissionem continere bonorum contra Lutheranos.
Mat. 19.
1. Tim. 4.
Duplex ratio legis implendæ
Gal. 3.

Dicti Apostolici Qui fecerit legem, vel mandata impleuerit

accipi solet. Et licet aliter hunc locum exponant Chrysostomus, & Augustinus libro de Spiritu, & litera, Capite decimonono, dicens *Opus enim quod qui fecerit, viuet in eo, non fit, nisi à iustificato. Iustificatio autem ex fide impetratur*: melior tamen, & præstantior est aliorum Patrum expositio, qui non de obseruantia præceptorum ex fide, sed de obseruantia ex virib. naturæ intellexerunt, vt tradunt Ambrosius, & Hieronymus. Immo textus ipse aperte hoc ipsum conuincit nam distinguit Apostolus inter vtramque legis & fidei iustitiam, & inter vtriusq; præmium, id est, vitam temporalem, siue æternam. Ponit igitur Apostolus, legem ex viribus naturæ seruari posse quantum ad substantiam operum attinet, non tamen quantum ad Dei scopum, & intentionem, quod est hominum iustificatorum ex fide operantium. Et ita omnib. propositis dubiis puto esse satisfactum.

Oecolampadii falsus intellectus arguitur.
B. Chrys. ser. 17. sub init.
Aug. to. 3.
Ambr. to. 3.
Hieron.

Qualem tantummodo iis in verbis Apostolus obseruantiam legis insinuet.

DISPVTATIO XXXII.

In illa verba: *Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere. Aut quis ascendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei quod prædicamus, &c.*

PRimum in hac sententia ambiguum est, an hæc quæ ex Moyse producũtur, ad literam dicta sint, an mystice à Paulo accepta secundum allegoriam, qua non infrequenter vtitur. Deinde quale est hoc verbum quod affirmat iuxta nos esse in ore, & in corde vt faciamus illud, an fides, an charitas, an conuersio ad Deum ex corde, an aliquid aliud? Tertio ambigitur, quæ est ista confessio oris, quæ necessaria dicitur ad salutem, quam muti, & elingues præstare nõ possunt, & quæ in quibusdam contemnitur, iuxta illud: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.*

I. dubit.
II.
III.
Hieron.
Esa. 29.

Discrimen assignans Apostolus (vt primum exequamur) inter legem, & fidẽ, protulit ex Moyse testimonium, quod legem dare vitam temporariam suis obseruatoribus comprobaret: iam fidei iustitiam ostendit æternam vitam largiri suis cultoribus; idq; ex eodem autore Moyse demonstrat, & præcipue ex Deuteronomio, quod sententias minus legales, sed magis morales,

Ad I. quæs.
Quo sensu Apostolus Moysis testimoniũ: Ne dixeris in corde tuo. Quis ascẽdet, &c. protulerit, literali, an mystico.

& ad

Deutero-nomii quales fere ſententiæ.

& ad Euangelium accedẽtes continet. Vnde & Chriſtus pugnans contra dæmonem Matth. 4. nullis aliis teſtimoniis in Satanam vſus eſt, quam tribus, quæ in libro Deuter. continentur.

Legis iuſtitiam vitam temporalẽ, iuſtitiam vero fidei æternam præſtare, vt Paulus inſinuet.

Porro illud: *Qua autem ex fide eſt iuſtitia,* expendendum eſt, quoniam in particula illa, Antem, Antitheſis poſita eſt: quod nimirum iuſtitia legis præſtaret vitam temporalem, iuſtitia autem fidei vitam æternam.

Moſaici teſtimonii illius literalis intelligentia.

Quo vero ea, quæ ex illo libro hoc loco producit, maiori luce illuſtrentur, illud obſerua, quod cum Moyſes totam legem ſcriptis conſignaſſet, poſtremo populo prædixit, quod ſi quando à Deo recederet, & propter ſua peccata per totum orbem diſperſus diſſiparetur, ne poſſet legis ceremonias, & iudicia obſeruare: vnum illi ſupereſſe remedium, vt ex toto corde ad Deum reuertatur pœnitentiam agens de peccatis, Dominumque illi affuturum, ita vt eum de captiuitate in Terram promiſſionis, reduceret. In quo myſterium venturi Meſſiæ ad congregandam Eccleſiam, & in regnum cœleſte introducendam continetur. Ait enim: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt* (vel vt Hebræa lectio habet, *non eſt tibi occultum*) *neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, vt poſſis dicere, Quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere compleamus?* Septuaginta pro illis habent: *Vt audientes* (hoc eſt, credentes) *faciamus. Neque trans mare poſitum; vt cauſeris, & dicas; Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vſque deferre; vt poſſimus audire, & facere quod præceptum eſt: ſed iuxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.*

Myſtice, & ſpiritualis.

Poſterioris ſententiæ, de myſtico ſenſu ratio ſane probabilis.

Putant aliqui, hanc ſententiam non in ſenſu literali dictam de lege fidei, quæ in promptu erat vt impleretur, ſed in ſenſu myſtico, & allegorico ſub illa litera incluſo: qui ſenſus autoritate Apoſtoli canonicus eſt, & illo vtitur ad Galat. 4. & ad Hebræos interdum. Ob idque non dixit, vt ante fecerat, Moyſes ſcripſit, ſed facit loquentem ipſam iuſtitiam, quæ abdebatur in illo myſterio, & loquentem ea, quæ pro illa dicuntur: ſiue fidei iuſtitiam intelligas, ſiue Chriſtum ipſum, qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia.

1. Cor. 1.

Contra Eraſmi verſionem.

Quare refellendus eſt Eraſmus, qui Nominandi caſum per Ablatiuum vertit, dicens: *De ea autem, quæ ex fide eſt iuſtitia. ſic dicit,* ſcilicet Moyſes. Ita vt exiſtimet Paulum alludere ad verba Deuteronom. quaſi diceret: Iuſtitia fidei recte vti poteſt his verbis, quibus vſus eſt Moyſes in Deuteronom. licet non ſint ſcripta à Moyſe de iuſtitia fidei. Iuſtitia fidei vetat, ne quiſquam veluti diffidens de Deo, quæ requirit ſenſuum teſtimonia, dicat: *Quis aſcendet in cœlum, &c.* id eſt: Noli putare, iuſtitiam fidei aut facto impoſſibilem, aut occultam; aut ita difficilem, vt pro ea ſit tibi opus in cœlum aſcendere, vt videat an ibi regnet Chriſtus; nec abyſſum penetrare, vt videat num ibi ſit adhuc Chriſtus, & vtrum vera ſint quæ de inferis dicuntur. Nam vt primũ, eſt Chriſtum de cœlo detrahere, ita hoc, eſt euocare Chriſtum à mortuis, quaſi eo deſcenderit, & adhuc ibi detineatur.

Prior ſenſus literalis videlicet, ſolidior etiam, & probabilior.

Alii autem ſimplicem intelligentiam acutius ſpeculãtes, dicunt, non ſolum Apoſtolum vſum verbis Moyſi, verum etiam ſenſum ad literam expreſſiſſe. Nam loquendo de illa cordis ad Deum conuerſione, quæ nulla ratione conſtare poterat ſine fide miſericordiæ Dei, per quam paratus quis eſt pœnitentem recipere in gratiam, illa nihil aliud eſt quam iuſtitia fidei: Sub illa enim implicite ſaltem continebatur fides in Chriſtum, quę palã prædicat Euangeliũ. Et ita ad literã allegaret præſentem locum, quod multo magis placet. Talis enim conuerſio vere dici poteſt quod mandatum ſit iuxta nos, & quo nullus ſe poſſit excuſare, & quod non ſit ita occultum, vt non ipſa natura ipſum deprædicet: & quod non ſit ſupra nos, vel procul, cum tamen multa legis præcepta, vt de ſacrificiis, & ceremoniis, à diſperſis per orbem obſeruari non poſſet.

Iudæorum de qua loquitur Moyſes, cordis ad Deum cõuerſio quid eſſet.

Cur hanc Apoſtoli Gentibus prædicarẽt.

Et hanc ad Deum conuerſionem prędicabant Apoſtoli Iudæis, & Gentibus, vt ſcilicet per fidem Chriſti ad Deũ reuerterentur. ¶ Conſulto autem Apoſtolus obſcuro iſto Moyſis teſtimonio vti voluit, relictis aliis multis Prophetarum clariſſimis locis; eo quod de lege eſſet quæſtio, & Iudæi ex lege Moyſi contenderent iuſtificari: ideo certiori teſtimonio reuinci non poterant, quam ſi ex lege ipſa oſtenderẽtur ipſi aduerſari, & contradicere: quemadmodum Sadducæos ex Scripturis tantum Pentateuchum recipientes ad probandam reſurrectionem, ex illo dicto Dei ad Moyſen: *Ego ſum Deus Iacob, & Deus Iſaac, & Deus Iacob,* & non ex alio loco Scripturæ apertiori, vt poterat, reſurrectionis articulum Dominus confirmauit.

Cur Paulus ex Deuter. potius quã ex Prophetis, cum poſſet etiã apertiorẽ locum protulerit.

Matth. 22. Exod. 3.

Et tam illud Chriſti, quam hoc Apoſtoli conſulto producta ſunt; vt loci illi perobſcuri lumen interpretationis delitescens acciperent. Hinc B. Auguſtinus in fine libri de nat. & grat. ita hunc locum Apoſtoli ad literam accipit, & exponit.

B. Aug. c. 7.

Quid illud Ne dixeris in corde tuo.

Ait igitur: *Ne dixeris in corde tuo.* Id eſt: Ne admittas cogitationes, aut dubitationes in cor tuum, vt tanquam de Dei miſericor-

Id: Quis ascendet in cœlum: id est, Christum deducere, explicatur.

dia parata pœnitentibus diffisus, cogites tecum quisnam ascendere possit in cœlū pro nobis, vt verbum de promissa misericordia ad nos adferat: quia id esset Christum deducere; id est, implicite continet dubitationem, vtrum Christus è cœlo descēderit, & carnem humanam ad reconciliādos peccatores Deo, assumpserit. Est autem deducere, seorsum ex alto trahere, id enim est κατάγειν. ¶ *Aut quis descendet in abyssum?* Significat: Quis descendet ad inferos, vt inde adferat ad nos verbū conuersionis, ex conspectis videlicet inferis factus esset peccatoribus pœnitentiæ locus. ¶ *Hoc est, Christum à mortuis reuocare.* Id est: Eiusmodi dubitatio, an peccatores qui egerunt pœnitentiam, apud inferos detineantur, est implicite dubitare, an Christus ad inferos descēderit, & mortem deuicerit; qua deuicta, ad Patrem per resurrectionem redijt.

Sequens verbum: Aut quis descendet in abyssū? Hoc est, Christum à mortuis reuocare, quid significet.

Abyssus quid sit.

Pro his verbis: *Quis descendet in abyssum?* in Deut. habemus: *Quis è nobis poterit transfretare mare?* Et transfretationem, vocant Hebræi descensionem in abyssum; abyssus autem significat fundum maris, siue profundas aquas. Duo enim sunt præcipua de Christo, primus & vltimus, articuli, id est, Incarnatio, & Resurrectio, quibus virtute cæteri continentur. Primus, quod descendit ad nos, & factus fuerit homo. Et circa hunc increduli homines ignorātes immēsam Dei bonitatem, & charitatem, metientes illum ex semetipsis, qui habent viscera angusta, & ferrea, dicunt, Quis ascendit in cœlum, vt rogaret Christum pro nobis, & deduceret illum ad nos? ac si opus esset aliquo ex nobis, qui illuc ascendisset, qui eum certiorem faceret de nostra miseria, vt illi qui dicebant: *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.* Vltimus articulus est Resurrectionis Christi, in quo omnes ad vitam immortalem resurgemus: quem tamen irrident qui dubitant de resurrectione nostra: & in quorum persona dicitur: *Non est qui agnitus sit reuersus ab inferis.* Et isti non cogitant inuictam Christi potentiam, qui erat inter mortuos liber, & qui inde ad nos cum turma sanctorum Patrum reuersus est. Et quia verba Moysis Paulo respondent; ideo facit loquentem iustitiam, non Moysen. Hic tamen sensus egregie quadrat cum sequentibus quæ habent: *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum; & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.*

Excellentiora duo de Christo mysteria.

Iob. 22.

Sap. 2.
Psal. 82.

Sed quid dicit Scriptura? Non est in Græco codice, *Scriptura*, neq; habet August. de Spiritu, & litera, c. 29. neq; opus est vt ipsa Scriptura loqui dicatur, cum hactenus ipsa iustitia sit locuta. Quid ergo dicit, id est, affirmat iustitia? *Prope est verbum, in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est, verbum fidei quod prædicamus.* Hebræa habent: *Iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Hoc est verbum (τὸ ῥῆμα Græce dictum) internæ cōuersionis, quod consistit in ore, & in corde, habens fidem Diuinæ misericordiæ impetrādæ. Hoc verbum, est Christus ipse, qui prope te est, & appropinquauit tibi per incarnationem, vt ostenderit quanta fecerit eius Patris amor pro nobis. Et licet prius dicere debuerit, In corde, quā, In ore, quia ex corde procedunt, quæ ex ore emittuntur, vult tamen, vt nos eum, dū abest, humiliter inuocemus, cui vocationi ipse adest adiuuans nos, & Spiritus S. operans in corde nostro. Quanquam quidam dicāt fuisse Hysteron proteron, quia prius est credere, quam cōfiteri; vt statim indicat, dicens: *Corde enim creditur; & ore fit confessio.* Et pro eo quod dicitur in Hebræo: *Et facias illud* Septuaginta dixerunt; *Et in manibus tuis.* Ita dicunt: *Iuxta te est verbum valde in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis, vt facias illud*; quæ versio elegantissima fuit, explicās, præter fidem cordis, & oris confessionem, necessariam esse manuum, id est, operationum, confessionem: quia multi confitentur, qui factis negant: Et quod sequitur: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus*, possumus aut de cōuersione interna ad Deum, quæ sine fide non est, aut ipsum Christi verbū quod de cœlo venit, & caro factum est, & à mortuis resurrexit propter iustificationem nostram, interpretari; vt sequentia etiam indicant, quibus confitemur ore Dominum Iesum, & corde credimus suscitatum à mortuis.

B. Aug. l. 3. circa finem

Deut. 30.

Ad 2. dubi.

Quod sit illud verbum, quod prope est in ore, & in corde.

Cur prius esse dixerit in ore, quā in corde.

Matth. 15.

Quod verbum illud dicitur in ore esse, & in corde, & in manib. iuxta 70. in eo quod discamus.

Tit. 1.

Verbum fidei duo significat.

Ioan. 1.

Supra 1.

Rom. 4.

Quod vero dicitur, mandatum non esse supra nos, non accipias, verbum fidei, aut conuersionis internæ ad Deum non esse supra rationem, & lumen naturæ, & facultatē humanam: quia Pelagianus esset qui hoc negaret, atque id certum est; sed, non esse impossibile his qui gratia Dei ornantur, vt hæretici nostri seculi aliter sentientes deblaterant. Non est etiam fidei verbum contra rationem: quia testimonia Dei credibilia facta sunt nimis: quam ipsa immensa Diuina sapientia confirmat, sicut signa, vita immaculata quam exigit, & mundi conuersio ad eam. ¶ *Et eum ait: Si confitearis in ore tuo, &c.* expositio est grauissimi compendii, quo iustitiam per fidem comparamus, & per iustitiam salutem æternam. Et confiteri ore quod Iesus est Dominus, est non tantum illum hominem, sed etiam Deum prædicare, aut potius Deum, & hominem esse.

Mandatū, siue verbū fidei nō fit supra nos qua ratione tanto modo.

Pelagianū dogma.
Psal. 92.

Fidei & iustitiæ virtus.

In ore confiteri Dominum Iesum, quid.

Corde

Hæc ſentẽtia: Corde creditur ad iuſtitiam, &c. quorsũ allata.

Corde enim creditur ad iuſtitiam ; ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Reddit hic præcedentis ſententiæ rationem,& ſatisfacit eis, qui eum pugnantia loqui putarent. Statuerant enim, quod iuſtificamur per fidem ſine operibus,cum ſolo corde ſuſcipitur:cur ergo aliquid amplius poſtulat, id eſt, oris confeſſionem? Adde:cum paulo ſuperius dixiſſet: *Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum , & in corde tuo credideris quod Deum illum ſuſcitauit à mortuis* , quaſi non debeamus vtrumque credere , & vtrumque confiteri:Reſpondet, quod corde creditur ad iuſtitiam ; ore autem confeſſio fit ad ſalutem. ¶ Vbi obſerua,quod etſi idem eſſe videantur iuſtitia, & ſalus ; non tamen ſunt idem. mens igitur Pauli eſt , quod ad iuſtitiam,& expianda peccata,propitiandumque Deum,ineundamque cum illo gratiam , & amicitiam, ſatis eſt corde credere:ſed paruulis cum baptiſmo aliorum credulitas prodeſt, adultis vero fides cum baptiſmi voto. ¶ Et ait, fidem valere ad iuſtitiam;quo indicet, fidem non eſſe veram iuſtitiam,ſed viam, & diſpoſitionem ad illam. Porro ait, Corde credere ad excludendam fictionem, cum qua multi accedunt ad Baptiſmum:& ad indicandum, quod fides conferens iuſtitiam,à voluntate imperatur , ad differentiam fidei coactæ, qualis eſt in dæmonibus , & erat in illis qui crediderunt in eum à ſignis coacti : ipſe autem Chriſtus non credebat ſemetipſum eis.Nam hæc fides iuſtitiam non adfert:nam vt ſcientia virtute rationis demonſtrantis gignitur , Ita fides non demonſtratur, ſed virtute ſuſcipitur voluntatis captiuantis intellectum in obſequium Chriſti , qui illam infundit.Quare Auguſtinus tractatu vigeſimo ſexto in Ioannem : *Cætera*,inquit,*poteſt homo nolens , ſed credere nonniſi volens.* Et per cætera , non intelligas ſperare, aut diligere,aut alias actiones internas, ſed opera externa,ad quæ poteſt homo cogi. ¶ Quoniam vero hæc iuſtitia, licet ſalus ſit,& dicatur,non eſt tamen perfecta , ſed inchoata: ſubdit,quod opus eſt iuſto, ore confiteri ad obtinendam vitam æternam. Et licet dicamur confiteri peccatum aduerſum nos, & confiteri Dominum propter beneficia accepta : qui duo confitendi modi ſua neceſſitate non carent : hic tamen non eſt ſermo niſi tantum de confeſſione veritatis Diuinæ,quam cogitur peculiariter confiteri Iuſtus ſub pœna amittendæ ſalutis; vel quando à perſecutore fidei exigitur,quam confitendo proprio ſanguine martyres celebrarunt;vel quando eſt neceſſaria ſubditis, imminente periculo hæreſeos;& tunc proprie Prælatorum eſt docere,& publice profiteri

Vera eius intelligentia.

Cur fidem ſatis eſſe dicat ad iuſtitiam.

Cur etiam Corde credere.

Iacob. 2.

Ioan. 2.

2. Cor 10.

B. Aug. tr. 9

Quænam poſſit homo nolens; & quid nõ niſi volens teſte Auguſtino.

Pſ 31.

Ad III. dubium.

Oris confeſſio quænam ſit ad ſalutem.

fidem : vel denique quando omnes conueniunt in templum ad laudes Deo concinendas,vel ad ſacra myſteria ſpectanda , vel ad Sacramenta ſuſcipienda. Hinc Eccleſia alta voce decantat Symbolum , vt ab omnibus qui adſunt,intelligi poſſit , qui id profitentur.Et ideo baptizatis ſignum Crucis in frõte Chriſmate delinitur,ne publice fidem cõfiteri erubeſcant : de qua Apoſtolus dixit: *Non enim erubeſco Euangelium* : & Dominus: *Qui me erubuerit,& meos ſermones , hunc Filius hominis erubeſcet , cum venerit in maieſtate ſua, & Patris,& ſanctorum Angelorum.* Quod ergo diſtinxit inter confiteri ore Dominum Ieſum , & corde credere illum reſurrexiſſe: ideo fecit, vt vtroque alterum exprimeret, & vt admoneret,quod vt confeſſio oris vana eſt,niſi ex corde proficiſcatur : ita fides corde ſterilis,& infructuoſa eſt , niſi vbi ratio exigeret, flores (id eſt,vocalem confeſſionem fidei (fructuſque bonorum operum proferat.

Ex quibus conſtare poteſt, non ſolam fidem ſatis eſſe ad ſalutem,ſed & opera , qualis eſt externa fidei confeſſio. Et manifeſta eſt Scripturæ extorſio , quam Lutherani faciunt,dicentes,ſalutem non tribui confeſſioni,ſed fidei : nam aperte ait,corde credi ad iuſtitiam ore fieri confeſſionem ad ſalutem. Verum cum hæc externa fidei confeſſio, quæ ore fit,tantum certo tẽpore,& loco & cauſis ſit neceſſaria , & muti , atque elingues illam præſtare nõ valeãt; & illa vocalis non ſufficiat,ex eo quod ſcriptũ ſit : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in regnum cælorum , ſed qui facit voluntatem Patris mei*; & iterum; *Populus hic labiis me honorat, cor autẽ eorum longe eſt à me*;& Apoſtolus:*Cõfitentur ſe noſſe Deum factis autem negant*;& Dilectus:*Non diligamus verbo,neque lingua, ſed opere,& veritate* ; & iterum : *Qui dicit ſe noſſe Deum & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt*: ob oẽs iſtos locos,& ſimiles, præſtat vt per oris confeſſionem intelligamus,opera externa iuſtitiæ,quibus profitemur,& confitemur fidem noſtram. Tum quia hæc ſemper ſunt neceſſaria ad ſalutem omni adulto , omni tempore poſt baptiſmum ſuſceptum. Tum quia illis maxime confitemur fidem Chriſti, & non tam facile fingi poteſt hæc confeſſio, vt illa quæ ore fit : nulli etiam ab hac excuſantur, niſi ſtatim de vita decedentes. Tum denique,quia pulchre dicuntur opera,oris confeſſio:vt enim os vultus noſtri natura datum eſt ad exprimendas quæ intus deliteſcunt animi cogitationes , & proximo communicandas inter media lingua circa falſitatem , aut veritatem earum;ita debuit dari fidei, & amori os ſuum,

Symboli Apoſtolici in Eccleſia altius decantandi ratio

Rom. 1.

Luca 9.

Cur Paulus oris confeſſionem Domini Ieſu à fide cordis eiuſdem reſurrectionis diſcreuerit.

Oris confeſſionem Apoſtolo eſſe tantũ opera bona præter fidem ad ſalutem neceſſaria, contra Lutheranos.

Matth 7.

Tantæ veritati ſubſcribant quæ teſtimonia Scripturarum.

Eſaia 28.

Matt. 19.

Tit. 1.

1. Ioan. 3

Supra 2.

Idem euincitur triplici ratione

Os homini natura cur dederit

vt per ipsa opera attestantia fidem, & amorem, sese prodant absque vllo mendacio. Et sic scriptum est : *Credidi, propter quod locutus sum*: nam fidei fructus sunt opera, quæ confessio dicuntur. Hinc Iacobus ait Apostolus

Os fidei, & amoris sūt opera.
Iacob 2.

Si frater, aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis, illis, Ite in pace, calefacimini, & saturamini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? quasi dixerit, Non est hæc illa oris confessio quæ requiritur ad salutem : sic etiam Dominus dixit: *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt*: id est, cordis affectu. Et subdit: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Vide, quomodo peccata, quæ aliis membris exercentur, vt furta, homicidia, fornicationes, asserat ex ore prodire.

Matt.15.
Quid sit, quæ de ore procedunt de corde prodire.

Et in hunc sensum intelligitur verbum Domini Matthæi duodecimo; *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Adde, quod verbum in Scripturis sæpe accipitur pro facto; vt: *Videamus hoc verbum quod factum est*: & Esaias de Rege Ezechia ait : *Non fuit verbum quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua.* Ad hæc fides non debet esse otiosa, aut mortua. Est autem otiosa, cum non producit fructus bonorum operum; mortua autem, quando vim vllam non habet germinandi, aut præstandi illa quæ fides docet suo esse tempore præstanda. Igitur per oris confessionem opera intelligit propter quæ præcipue, & non propter verba tantum, remunerandus est homo in iudicio, vt aperte Dominus docet Matthæi 25.

Supra 12.
Luca 2.
Esaia 39.
Iacob.1.
Fides quæ nam otiosa quæ mortua.
Matt.25.

Pro huius loci luculentiori intelligentia, perpende ex Epiphanio in Hæresi decimaoctaua contra Ossenos, sub Traiano Principe, in Nabathitide regione duos extitisse fratres, dictos vnum quidem Elxai, alterum vero Iexeum, qui docuerunt, non esse peccatum, si persecutione instante, idola quis colat, modo ne in conscientia sua ea colat; & licere confiteri ore, non corde. Et producebant quendam Phineem Sacerdotem de genere antiqui Phineæ Sacerdotis, filii Aaron, qui in Babylone tempore captiuitatis Dianam adorauerat, & Susis coram Dario Rege mortis periculum euaserat. Fuit in eodem errore Basilides, dicens non esse sustinendum martyrium pro asserenda Christi morte : quia dicebat non Christum mortuum in cruce, sed Simonem Cyrenensem: Fidem ergo instante persecutione, etiam in periurio negandam censebat. Et Origenes homil. 3. in Ezechielem, docent Basilidis sectatores inuerecūde negare, quasi præcepto, quod de eorum martyrio est.

Eorum argumentū.
Christum negare eru[...] fixum licere, vnde [...]guebat [B]asilides.
Orig. 20.3.

Hæc ille: & illud esse ostendit, cōsuere puluillos sub omni cubito manus, & ceruicalia sub capite. Eusebius libro quarto Hist. Eccles. capite 7. de Basilide testatur, quod doceret: immolata absque vllo respectu conscientiæ degustanda, & sine scrupulo & indifferentia Fidem negandam persecutionis temporibus. Origenes etiam, vti de eo refert Epiphanius in hæresibus eius, ne impurum Æthiopem corpore suo abuti volentē sustineret, idolis sacrificauit: & ab eo tempore abfuisse ab illo Spiritum Dei traditur. Vnde & à fratribus reiectus est.

Ezech.13
Euseb.10.2
Impius Origenes cur Idolis sacrificauerit secundum Epiph.

Sed certe aliter docent exempla, Petri primum abiurantis Christum, & de eo peccato pœnitentiam agentis : deinde Marcellini Papæ, qui thurificauit idolis, de qua re postea magnam egit pœnitentiam sacco indutus; & se coram Concilio Suessano obtulit à Cathedra deponendum. Verba item Apostoli, dicentis: *Corde creditur ad iustitiam ore autem confessio fit ad salutem*; aliter docent, sicut Christus, cum ait : *Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Qui autem negauerit me coram hominibus; negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Vnde & Negatores dicebantur, qui Christum negabant; Confessores vero, qui aliqua pœna, & calamitate affecti erant, quod Christum palam profiterentur, non tamen mortem oppetierant. Nam qui ad mortem vsque confitebantur, Martyrum nomen, & meritum habebant. Ita Hieronymus in epistolam ad Magnum & ad Marcellam, vocat Hilarium Pictauiens. Episcopum, Confessorem suorum temporum, eo quod propter fidem relegatus esset ad Phrygas. Et Paphnutius cum sociis, qui dextero oculo effosso, & sinistro poplite præciso, ad metalla damnati sunt, Confessores vocantur à Ruffino libro primo, Capite decimoseptimo. Quorum insignia Constantinus Imperator religiosissimus in Concilio Niceno osculabatur. Multus est sermo apud Tertullianum, & Cyprianum, & veteres Patres de his Confessoribus. Cæteros vero, qui deficiebant in tormentis (vt diximus) Negatores vocabant: quos inter vnus fuit Hosius Cordubensis Episcopus, qui ex seniculo negator euasit : nam cum olim multa passus esset ab Arrianis pro Fide Catholica, tandem gestis in Conciliis Syrmiensi, & Ariminensi ob auaritiam, ne bonis suis mulctaretur, consensit, vt testis est Isidorus libro De scriptoribus Ecclesi. capite primo.

Illicitum esse, Christi tempore persecutionis negarē.
Matth 10.
Rom.10.
Matt.10.
Negatores olim qui vocabantur. Confessores qui Martyres.
Hiero epist ad Marcell. ad Psal 129. to.3.
Hosius Cordubens. Episcopus cur defecerit à Fide.
Isidor. Hispal.

Subdit Apostolus: ¶ *Dicit enim Scriptura : Omnis qui credit in illum, non confundetur.*

Esaia 28
Hoc vaticinium : Omnis.

Hunc

qui credit in Christũ, non confundentur, quando erit maxime verum.

B. Amb. c. 5

Hunc locum superius explicatum reliquimus, in fine scilicet Capitis noni: & per illum probat, quod fides iuncta oris confessioni salutem pariat. Et maxime loquitur de die iudicii: nam ita ait Ambrosius hoc loco: *Cum examen cœperit fieri omnium rerum in die iudicij & omnia falsa commenta, vel dogmata in confusionem deduci; tunc in Christum credentes tripudiabunt, videntes omnibus manifestari, quia quod crediderunt, verum est; & prudens, quod putabant stultum. Aspicient enim inter cæteros se solos gloriosos & prudentes, qui æstimati fuerant contemptibiles, & stulti.* Hæc ille.

Esaiæ locũ Apostolus in quibus variauerit, & quare.

In hoc testimonio particula vniuersalis *Omnis*, nec in Græco est, nec in Hebræo. Item illud, *in ipso*, in Hebræo non est, bene tamen apud Septuaginta, ἐπ' αὐτῷ. Verbum *Non festinet*, Septuaginta reddiderunt, *Non pudefiat*, vt superius annotauimus. Verum Apostolus mentem potius Prophetæ re pexit, quam verba, & illum interpretatus est: idcirco potuit addere Apostolica autoritate explicationis gratia.

Deum Dominum, simul ac diuitem in omnes se inuocantes, cur Paulus nominauerit.

¶ Idem ponderans illud verbum: *Omnis qui credit in illum*, subiungit: *Non enim est distinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.* Deum non facere distinctionem Græci, & Iudæi, ex duab. Dei magnis perfectionibus comprobat, nempe quod Dominus omnium, & diues in omnes. Nam si Dominus esset tantum, & non diues, non posset in omnes effundere gratiam, quam se velle demonstrat. Rursus si infinita rerũ affluentia illi suppeteret; at Dominus omnium non esset, ad eum non spectaret omnibus prospicere.

Rom. 3.

1. Tim. 2.

Est autem Dominus omnium, iuxta illud; *An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium, imo & Gentiũ?* Et iterum: *Vnus Deus, vnus & mediator Dei, & hominũ homo Christus Iesus.* Ideo eius est, omnibus eum inuocantibus opem ferre, & misereri operis manuum suarum.

Quam Deus diues.

Est etiam in infinitum diues, ita vt opes suas immensas ipse solus comprehendat, vt etiam excitet omnes ad amplissime postulandum ab eo beneficia, & multa, & magna: quæ cum nobis dilargitur, exhauriri tamen minime potest.

Illa Dei attributa Christo etiam conuenire.

Mat. vlt.
Tit. 2.

Peculiariter tamen videtur hic locus intelligendus de Christo omnium Domino, qui in Cruce pro omnibus moriendo, seruos omnes fecit, & dominium in omnes comparauit, secundum illud quod suscitatus dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra;* & alio loco Apostolus, *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*

Ephes. 2.
Mira in homines Christi benignitas.

Ac ne quisquam causari posset, Christum Dominum aut non posse, aut nõ velle omnibus dare salutem; subiungit: *Diues in omnes, qui inuocant illum:* vt intelligas, per amplissima merita sua abundasse, adeo, vt posset omnibus dare superabundantius, quam peterent, aut intelligerent. Per bonam autem voluntatem suam hoc maxime velle, vt omnes homines salui fiant, & ad agnitionem veritatis veniant.

1. Tim. 2.
Ioan. 12.
Mat. 11.

Quare ipse dixit: *Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum,* & idem ipse ad se inuitabat; *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Idem & ad omnes vocandos, per vniuersum orbem destinauit Apostolos.

Mar. vlt.
Psal. 18.

Vnde & subiungit: *Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Explicuit partem illam, *Corde creditur ad iustitiam;* &, *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum.* Est enim inuocatio, confessionis vocalis species.

Quid sit, Inuocare nomen Domini.

Est porro inuocatio, quasi intus vocatio. Et inuocare nomen Domini est, ex intimis fidei, & spei sensibus, & syncero cordis affectu implorare diuinum auxilium.

Matt. 7.
Ibid.
Psal. 17.

Alias enim dicitur: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum,* &, *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, &c.* Et Psaltes, *Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret; ad Dominum, nec exaudiuit eos.* Quare? quia talis inuocatio ex fide non erat.

Falso quorundam inuocatio, inutilisque proinde.
3. Reg. 18.

Ac mortis erãt inter Gentes, vt homines sua sponte suæ sectæ deos proprios inuocarent, vnde & Helias proposuit Prophetis Baal; *Inuocate nomina deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Dei mei. & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.*

1. Cor. 1.

Paulus quoque Corinthiis scribens, ait: *Cũ omnibus, qui inuocauerint nomen Domini nostri Iesu Christi.* Et statim subdit: *Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Ostendẽs bonam inuocationem ex fide oriri debere.

Vera vocatio vnde procedat.
Quod sit illud nomẽ Domini.
Mat. 1.
Petri, & Pauli Apostoli ad Scripturas intelligendas, vtilis sane doctrina.
Act. 2.
Infra 4.
Gen. 4.
Psal. 98.

¶ Est autem nomen Domini olim quidem Iehouah, nunc autem Iesus. Iesus autem salus est. Si ergo Iesum inuocas salutem tuam qui potest, & nouit, & maxime vult exaudire, saluus eris. Est autẽ Iesus, Dominus, non solum quatenus creator est & gubernator, sed etiam quatenus redemptor noster. Ex hoc loco, & altero Prophetæ Ioelis, qui habetur Act. 2 acceperũt Petrus & Paulus, nomen Dñi esse Iesum: quod diligenter est annotandũ, quia multis locis hæc Apostolica consideratio lucem adferre potest. Nec. n. aliud nomen est sub cœlum datum hominibus, in quo oportest nos saluos fieri, vt idem Petrus dixit Act. 4. Et ita intelligo illud de Henos filio Seth, quod suo tempore cœperit inuocare nomen Dñi, & id, *Moyses, & Aaron Sacerdotibus eius; & Samuel inter*

eos,

Ierem.14. eos, qui inuocant nomen eius; Illudque Ie.emiæ. *Nomen Sanctum tuum inuocatum est super nos;* & sanctus Dauid, Psal.5. *Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum.* Sed non inuocatur, dicendo tantum, Domine, Domine, voce tenus, vt hæretici, & stulti putant: Falso Christum, & vere qui inuocent. nec tantum dicendo semel, aut bis, Domine Iesu miserere mei; sed operando, sustinendo in patientia multa, & in finem vsque perseuerando, iuxta illud: Psal.61. Habach.2. & Heb.10. *Expecta Dominum, viriliter age; & confortetur cor tuum, & sustine Dominum;* &c. *Si moram fecerit, expecta eũ quia veniens veniet, & non tardab.t.*

DISPVTATIO XXXIII.

In illa verba: *Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est, Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona? &c.*

I. dubit. IN his verbis etsi scopus non sit occultus in hac tamen verborum conexione dubium est, quomodo asserit, non posse credi in eum, quem non audierunt, cum Christus per se omnibus non prædicauerit? & an hic sit sermo de fide acquisita, an vero de infusa, & vt illa humana, ista diuina autoritate comparetur. II. Deinde dubium est in illo: *Quomodo audient sine prædicante?* quia multi olim ex Gentilibus saluati reuelatione Angelorum, & Patriarchæ, & Prophetæ prædicatores nõ audierunt, & Petrus, cui dictum Mat.16. fuit, *Caro, & sanguis non reuelauit tibi.* III. Tertio ambigitur de illo testimonio Esaiæ; Esa.52. *Quã speciosi pedes euangelizantium, &c.* quia ad literam videtur loqui de liberatione populi è captiuitate Babylonis, & non spectare ad Quomodo ad Apostolos. negotium Christi.

In primis igitur ordinẽ statuit, quo quis vocatur in salutem, quæ ex fidei iustitia est: dixerat enim: *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini:* describit iam, quales esse debeant innocantes, nimirum qui prius credant, vt ita ansam præcidat Iudæis gloriatio nis, quod ipsi soli essent, qui inuocarent nomen Domini inuocarent, & Prophetæ dictum Iudæorum in Gentiles arrogantia à Paulo compressa. implerent. Hinc ab inuocatione assurgit vsque ad missionem Dei, vt eius beneplacito omnes salutis nostræ causas resoluat. Id præstat per figuram gradationis, quæ pulchram facit narrationem, & ei pondus addit. Tales autem figuræ tam in prosa oratione, quã in illa, quæ numeris est adstricta, splendidam reddunt elocutionem, vt apud Poetam. Gradatio non vulgaris Virgiliana gradatio Virg. Eclo. 2.

Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam Florentem cytisum sequitur lasciua capella:
Te Corydon ô Alexi: Trahit sua quemq; voluptas.

In oratione vero numeris soluta eam interdum vsurpant Paulus, & Ioannes Euangelista. ¶ Declarat deinde, quid sit verbum fidei, quod dixit esse in corde, & in ore: nec enim cordi fides imprimitur à DEO, nisi prædicationis ministerio. Tertio, enititur Iudæos inexcusabiles reddere, quod non crediderint; cum tamen audierint, & obedire fidei noluerint. Quomodo fidem cordi nostro Deus imprimat. Et cum quinque sint gradus in hac sententia, tres ex parte vocatorum nempe, Inuocare, Credere, Audire: & duo ex parte vocantium, nimirum Prædicare, & Mittere: horum ordinem inter se demonstrat: vt primus non sit absq; secundo, nec secũdus sine tertio, vel alio. Apostolicæ gradationis partitio. Et cum infra subiungit: Sed non omnes obediunt Euangelio, docet, tria inferiora adesse posse sine duobus primis, id est, inuocatione, & fide: quæ etsi sint priora Pauli narratione, generationis tamen ordine sunt posteriora. Et vtitur solito interrogationis schemate, ad maiorem vehementiam. Et in primis ait, *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Est ergo sermo de inuocatione legitima, quæ fidem præexigit, & quam iuxta verbum Ioelis, consequitur salus. Neque quisquam potest nomẽ Iesu explicite vocare, nisi fide credat se, & speret assequi posse salutẽ: neq; sperare in alium, quam in eum, quem certo crediderit potentem futurum ad succurrendum. Vera, & legitima omnis inuocatio in fide sit, secundum Apostolum.

Est autem in omnibus his interrogationibus inclusa responsio negatiua, puta, Minime, vel, Nequaquam possibile est, sine fide innocare. Vnde Paul' ait: Rom.3. Psal.115. *Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus propter quod & loquimur.* Et notantur Iudæi Deum infructuosè inuocantes, quod in Christum non crederent, & in nomine Iesu non peterent; in cuius tamẽ nomine se exorandum & preces illorum se exauditurum promisit. Vana Iudæorum inuocatio Dei vnde prõfecta. De secundo subiungit: *Aut quomodo credent ei, quẽ non audierunt?* Nomen fidei, assensum certum designat, qui autoritate docentis gignitur in audiente: qua in re à scientia, & opinione discernitur, quarum altera demonstratione nititur, altera vero probabili ratione inhæret; atque ob id fine auditu nequit esse fides. Fides quid significet. Eius à sc.entia & opinione discrimen. Quare Aristoteles cum in lib. Posterio. dixit: *Oportet addiscentem credere,* intellexit, opus esse autoritati docto- Illud Philosophi: Discentem credere oportet, quo modo intelligendum.

Aristot.l.2. poster. Tex 9 tom.2.

Vt verum sit dictum Apostoli: Quomodo credent ei, quem non audierunt, cum vbique Christus non prædicauerit?

Luc.10. Matt.10. Ioan.4. 2 Cor.9. Infra 13.

Fidem infusam, & Catholicam esse acquisitam inepte hic ex Paulo deduci. Ratio.

ris niti, antequam demonstrationem accipiat. Recte autem dixit, *Quem non audierunt*: quia satis auditur Christus, cum auditur prædicator, qui eius nomine prædicat: quia dixit: *Qui vos audit, me audit; &, Non estis vos qui loquimini* & boni Samaritani dixerunt, *Iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus; &c.* Et alibi Paulus, *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Et iterum, *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?*

Nec ex hoc loco deducitur, fidem Catholicam, de qua hic est sermo, esse acquisitam, quia ex dictis, & autoritate docentis in audiente gignitur: quod improbatur. Nam etsi ad assensum fidei requiratur aliquid exterius ad credendum inducẽs, vt miraculum, vel rationabilis hominis persuasio, quæ res propositas credibiles reddat; tamen hæc nõ sufficiunt ad Catholicam fidem: quod ostẽdunt multi audientes eandem fidei persuasionem, & prædicationem, & eadem signa videntes, ex quibus tamen aliqui conuertũtur, cedentes fidei. Firmus tamen assensus eorum quæ dicuntur, nonnisi à Deo est interius operante, & fidem in corde digito suo scribente.

II. Ephes.2.

Deinde fides informis, qua etiam naturam excedentia certo credimus, donum Dei est: quare hic de proponente articulos fidei ad credendum sermo est: qui etsi vt plurimum exigatur ad fidem concipiendam, tanquam causam, sine qua nõ crederet; non tamen sufficit ad ingenerandum firmum ex habitu fidei assensum sine causa supra naturam interius mouente.

Augustin. Dictum Augustini: Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoueret autoritas, quem seorsum habeat.

¶ Quod ergo Augustinus dixit in epistola cõtra Manichæum: *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoueret autoritas*: non intelligitur de fide acquisita: nam propositio, & explicatio eorum, quæ credenda sunt, per reuelationem diuinam in sacris literis contentam communiter contingit, quæ ad inferiores peruenire non solet, nisi per maiores. Qua vero autoritas vniuersalis Ecclesiæ in his quæ sunt fidei, præcellit, & non potest deficere; postquam Dominus dixit: *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua*: hinc est, vt etsi habitus à Deo sit infusus, explicatio tamen credendorum, atque propositio, ad vniuersam Ecclesiam spectat.

Luc.22.

I. argum. hæreticorũ contra fidẽ infusam, & diuinam.

Axioma Philosophicum. Solutio.

Sed obiiciunt, vt fidem infusam adimant Ad omnem certitudinem actus credendi sufficit fides acquisita: nam illam certam fidem præstamus historiis Liuij, & Salustij, quemadmodum illis Scripturæ: supervacuum ergo est ponere infusam, cum frustra fiat per plura, quod potest fieri per pauciora. Dicendum est, quod maior fides requiritur ad credenda ea, quæ in Scripturę libris legũtur, vt pleraque illorum excedunt humanæ naturæ facultatem: vt, quod Deus sit trinus & vnus; Verbum Dei incarnatum, & pro nobis in cruce mortuum, & similia, quam sit illa, quam aliis historicorum dictis præstamus: quia hæc humana est, & humanæ naturæ facultatem non excedit: & ad hæc satis est communis hominum sententia, quod illæ Scripturæ veraces extiterint. In priori vero opus est signis supra naturam, quæ disponant ad habitum fidei suscipiendum: vt Marc. vlt. habemus, Apostolos prædicasse Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Duo grad' fidei.

Ioan.1.

Marc.16.

II. argum.

Rursus obiiciũt, hæreticum ita firmiter adhærere errori suo vt pro illo mori non dubitet: quæ quidem hæresis est acquisita, & inclinãs ad assensum erroris: & hoc sine persuasione rationis, vel vllo argumento, sed tantum quia credit aliis narrantib. vel docentibus. Potest ergo p fidem acquisitã firmiter adhærere reb. reuelatis sine infusa.

Diluitur.

Ad hoc dici potest, quod cum ea, quæ fidei sunt, lõge rationem excedant, secundum illud; Plurima sup p sensũ hominũ ostẽsa sunt tibi: hinc est, vt hęreses oppositæ apparentiam habeãt magnã, & quasi euidẽtiam, secũdum rationis humanæ dictamen. Vnde hæretici vt talib. erroribus fidem habeant, fide infusa non egẽt, quia ipsa apparẽtia, & suggestio diabolica satis est.

Eccl.3.

III. argum.

Tertio argumentum conflatur: Quia fides infusa nobis inesse nequit; alias nõ posset corrumpi, nec minui, sicut nec actib. nostris generaẽ, aut augetur. Quod si dicas corrumpi, quia annihilatur à Deo, at hoc creatura præstare non potest: quia sicut creare non valet, ita nec annihilare. Rursus nec per demeritum potest corrumpi à Deo: nam ita etiam dæmones credũt, qui summe Deum odio habent. Responsio est in promptu: quia sicut habitus charitatis (qui præstat fidei habitui) vno peccati actu corrumpitur, ita habitus fidei per infidelitatis, vel hæresis actũ corrũpitur. Nam vt fides à Deo datur, ita subtrahitur, nec tamen talis subtractio proprie dici potest annihilatio, sed quædam influxus diuini est cessatio: sicut per hoc quod clauditur fenestra, lux sine annihilatione subtrahitur. Et dæmones sunt in termino, quare non possunt mereri, vt aliquid ab eis adimatur: secus est de nobis viatoribus. Et licet Iacobus Apostolus dicat dæmones credere, hoc est, quia habent actum credendi à signis ipsis, & rerum euidentia coacti; non tamen habitum fidei vel informis habent. Et quemadmodum qui operatur iusta vi quadam coactus, non est iustus: ita qui inuitus, vel coactus credit, non est fidelis, nec habitum habent iustitiæ. Præterea obiiciunt:

Iacob.2.

Fidei, & charitatis per contrarios habitus corruptionem Dei subtractionem, quam annihilationẽ rectius appellari.

Simile.

Cur dæmones non possint demereri.

Iidem cur credant, teste Iacobo.

Quinam iusta operãtes iusti, vel credentes dici non debeant.

IV. argum. ciunt: Si habitus fidei esset infusus, perfectior esset omni habitu acquisito, ergo perfectior, quam ille, quo intelligimus prima principia: quod tamen falsum videtur.

Dissolutio. Respondemus, fidem infusam perfectiorem esse cæteris habitus intellectus, quia fides nititur diuinæ veritati, quod alii habitus nõ habent. Alij namque habitus etsi, quod ad nos attinet, & secundum quid certiores sint nec fidei acquisitæ certitudo est æqualis habitui fidei infusæ in adhæsione, & firmitate, eo quod illa, quotùm fides acquiritur ex narratione humana per contrariam assuefactionem corrumpantur: certitudo tamen fidei infusæ non potest per contraria corrumpi, imo perficitur, secundum illud; *Vt probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro: &c.* (1 Pet. 1.)

V. argum. Postremo aiunt: Si Iudæus inter fideles nutriretur more fidelium institutus, talis fide acquisita crederet firmiter omnibus, quib. nos assentimur; ergo fide infusa non est opus. Respondemus, fidem ex sola humana reuelatione non esse theologicam, quæ alicui non assentitur, nisi quia est à Deo reuelatum, quia ipsi diuinæ veritati nititur. (Fidei theologicæ proprium.) Qua re si quis omnia crederet, quæ à fidelibus creduntur, & non tanquam à Deo reuelata, talis non haberet fidem theologicam. Sicut habens notitiam conclusionis geometricæ, per medium tamen topicum, & probabile, non tamen acquireret per illam conclusionem habitum geometriæ. (Simile.) Et hæc sint satis ad primo loco propositum dubium, & ad persuadendum, fidem acquisitam non satis esse ad salutem, nisi adsit infusa: ob quam causam Apostolus fidem vocat frequenter donum Dei. (Ephes. 2. 2. Thess. 3.)

¶ *Quomodo autem audient sine prædicante.* (Ad II. dub.) Obiicias, Patriarchas, & Prophetas olim prædicatores non habuisse, neque Petrum, de quo dixit Dominus: *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* (Si nemo audit sine prædicante, Patriarchæ, & Prophetæ sine prædicatione quomodo salutem consecuti. Matt. 16.) Potest etiam quis sermone priuato, siue prædicatione ea quæ sunt fidei, accipere; & multi Gentilium secretis Angelorum vocibus instructi, saluati sunt, teste Dionysio. (B. Dionys. lib. de Eccl. Hier. ca. 9. prope fin.) Sed ad hoc respondendum, quod etsi Deus possit vnum & idem multis viis facere pro omnipotentia sua: pro sapientia tamen sua suauiter operari consueuit in creaturis, id est, iuxta earum naturam: nec hunc ordinem prætermittit, nisi necessitate aliqua aliud facere compellatur. (Sap. 8.) Nouit igitur Deus, homini insitum, & naturale esse, vt per auditum vocis humanæ doceatur, quia hic est sensus disciplinæ, vt dixit Philosophus; (Aristot. lib. de sen. & sensato. Auditus via est ad scientiam, secundum Philosophum.) ideo quæ fidei sunt, voluit hac ratione doceri, nempe per auditum hominis. Id vero quod deest ad firmandum assensum fidei, qui ab homine fieri nequit, vel per tacitas Angelorum inspirationes, vel per Spiritum suum, ipsemet efficit. Hinc Acto. 16. aperuit cor Lydiæ purpurariæ, vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo: & misit binos Apostolos, & discipulos in omnem locum, in quem erat Ipse venturus; (Marc. 6. Luc. 16.) &, *Omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit; venit ad me;* (Ioan. 6.) *&, illi profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante.* Vbi videmus, præter operam prædicatorum, necessariam esse Domini efficientiam, siue cooperationem. (Vnde constare possit, prædicationem externam nihil valere sine cooperatione diuina.) Vt enim Dominus voluit hominem seminare, plantare, terrã colere, & eam rigare, si fructum ex ea capere vellet; ipse autem per Solis, & sydeiũ, calorẽ & influxus facit semina, & plãtas coalescere: ita & in spirituali fidei fructu voluit hominem plantare docendo, & rigare exhortando, quod est munus prædicatoris. Lux autem veri Solis, qui est Spiritus sanctus, In astrorum, id est, Angelorum ministeriis interius influentibus facit incrementum, vt fructus proueniat.

Porro necessarium fuit, Patriarchas, & Prophetas per Angelos reuelationem accipere eorum, quæ fidei sunt, vt ipsi pro ratione temporis aliis prædicarent: sicut postea Apostolis est reuelatum per ipsum Dominum in carne, vt & ipsi cæteris prædicarent. (Quare Patriarchæ, & Prophetæ Angelica, non humana prædicatione sint edocti diuina mysteria.) Hic ergo debuit esse mirabilis ordo, vt ante Christi aduentum Deus loqueretur per Angelos in auribus Patriarcharum, & Prophetarum, vt & ipsi crederent, & literis commendarent posteris. Non enim mundus capax erat integræ fidei, de qua hic loquitur Paulus: ideo needum instituta erat vera prædicatio. (Cur primũ Christus prædicare debuerit Euangeliũ.) Adueniente vero Christo, decẽs fuit, vt ipse per se legem explicaret, & Euangelium Apostolis, qui discipulis aliis, & toti Ecclesiæ constitutæ fidem tradiderunt. Vnde Petrus licet habuerit reuelationem à Patre; (Matt. 16. Iacob 1.) intermedia tamen Christi voce, equod Pater luminum ea, quæ à Christo audiuit Petrus, lumen superfusum in eius corde stabiliuit. ¶ Quod vero olim multi ex Gentibus salutem adipiscerentur absque præuio doctore, non tamen sine fide, mirum esse non debet: (Cur olim Gentibus externa prædicatio necessaria ad salutem non fuerit.) Sed illa fides duorum articulorum erat tantum, quos Paulus docet ad Heb. 11. cum ait, quod credere oportet accedentes ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. (Hebr. 11.) Illos vero articulos ipsa natura prædicabat, & Angeli in cordibus hominum intus confirmabant, & præsertim ipse Deus salutis omnium sit. entissimus; & quia pro eo tempore satis erat, nec vltra reuelatum, prædicatio tunc necessaria non fuit. (Cur, & quã necessaria post Christum Euangelii prædicatio.) At vbi multa de Christo iustitia nostra, & pace reuelata sunt ad hominum salutem, vt propterea fides plenior exi- (Ierem. 23.)

gatur

1.Cor.1.

gatur, merito necessaria fuit prædicatio exterior hominum; quam ipse Christus primus exercuit, & post eum Apostoli. Quod si quidam priuata eruditione crediderunt; non tamen hic communis modus publice prædicandi abesse debuit. Decebat enim, rem tantæ dignitatis, & veritatis; & publice & solenniter prædicatione patefieri, quoniam Christus est, cuius virtute & nomine ministri euangelizant: vt & Paulus dixit; Pro Christo legatione fungimur. Adeo, vt non audire Christum per suos prædicantem, deterius sit puniendum in die iudicij, quam Sodomorum peccatum. ¶ *Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* Ecce supremum salutis nostræ fontem, nimirum Deum, cui⁹ est mittere. Vt enim Christus in prędicatione sua legatus fuit Patris, de quo dixit: Euãgelizare pauperibus misit me: & more fidelis legati nonnisi quæ in mandatis accepit à Patre, docuit: ita etiam prædicatores Noui Testamenti legati sunt Christi. *Sicut misit me*, inquit, *viuens Pater, & ego mitto vos: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. docentes eos seruare quæcunque mandaui vobis.* Inuocatio ergo nominis Domini fidem exigit, fides autem auditum, auditio prædicationem, prædicatio missionem. ¶ Mittit vero Deus prædicatores aut per seipsum, vt olim Prophetas, & Christum architectum Ecclesiæ, prædicatorum magistrum misit. Alios vero mittit Deus autoritate Ecclesię, vel sui Vicarij, vel prælatorum delectu: vnde Paulus qui Act.13. missus fuit ab aliis ad prædicandum in Gentes, postquam Spiritus sancti delectu segregatus fuit, ipse alios mittebat. Quare 2. Corinth. 8. ait: *Misimus etiam cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.* ¶ Hic autem loc⁹ mirifice iugulat nostri seculi nouos Euangelistas, qui currunt non mittente illos Domino: & pestilens est Lutheri articulus 28. quo ab Ecclesia omnem potestatem, & autoritatem in Scripturis interpretandis sustulit, permittens vnumquenque in suo sẽsu abundare.

Priuatam sine illa doctrinam minime sufficere.

2.Cor.5.

Matt. 11. Luc.10.

Diuinæ prædicatorum missionis autoritas quanta sit.

Sup.4.

Esa.6. Ioan.12. Infra 20. Mat. vlt.

Prædicatores Deus mittit dupliciter.

2.Cor.8.

Hæreticorum nullã esse missionem legitimam, ac veracem.

Ierem.23.

Lutheri blasphemia.

Rom.14.

Rupertus Tuitiensis super cap.2. Oseæ: *Dominus* inquit, *exaudit cœlos, & cœli exaudiũt terram, & terra exaudiuit triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudiunt Israel.* Et quia hic in superficie nihil aliud repromitti sentitur, nisi quod temporale est, quo anima nõ reficitur, sed solus venter, qui destruendus est, impletur; ideo altius has exauditiones vult intelligi, & quidem ad literam. Nam cum in superioribus sermo sit de Messię regno, & in inferioribus quæ subiungit, mirũ non est, si mysteria Christi in his verbis attingantur. Et ita scribit Rupertus: *Quatuor exauditiones sunt, & occulta gradatio, sed eam Apostolus planiorem, atque clariorem facit, dum ad Romanos scribens, præmisso: Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit, continuo subiungit: Quomodo ergo inuocabunt, in quem nõ crediderunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? Gradatio namque verbis diuersa, sed sensibus eadem est; nisi quod hic descendendo, Apostolus autem quasi ascendendo gradus eosdem disponit. Deinde idem ipse explicat, quomodo cœlos, id est, prædicatores, exaudiat Dominus, mittendo illos ad prædicandum. Illi exaudient terram, hoc est, inhabitantes terram, descendentes ad erudiendam terrenorum hominum ignorãtiam. Terra vero exaudiet triticum, & vinum, & oleum; dũ terreni homines credendo suscipient bonum Dei verbum. Et hæc exaudient Iezrael; id est, eorum credulitas inuocabit semen Dei, id est, Christum, quem nisi credunt, inuocare non poterunt.* Hæc ille, gradationem gradationi egregie accõmodans.

Rup. Tuit. li. in Oseam in fine.

Oseæ gradatio quædam Apostolicæ gradationi apte respondens, secundum Rupertum.

Propheticę gradationis iam dictæ spiritualis intelligentia.

Semen Dei Christus.

Sicut scriptum est; Quam speciosi pedes euangelizãtium pacem, euangelizantium bona? Probat necessariam missionem prædicantium testimonio Esaiæ, & Nahum 1. apud quem simile quid dicitur quod in Esaia. Et primũ obserua, in singulari dici, Quã pulchri super mõtes pedes annũciãtis, siue euãgelizantis: q̃ tñ Paulus ad Apostolos à Christo missos retulit, sicut alias facere cõsueuit. Nã Christus non tantum in ipso consideratur, sed etiam in Apostolis, & legatis suis, in quibus viuebat, & operabatur, & quorum lingua prædicabat. Deinde intelligit, hoc testimonium, vt præcedentia, & sequentia cõtestantur, ad literam esse de Christo. Vnde ante hæc verba præcedit. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.*

Esa. 52. Nahum.1.

Ad III. dubium. De loco Prophetæ: Quam speciosi pedes euangelizãtium pacẽ, &c. vt Christo conueniat.

Tertio perpende, Septuaginta interpretes aliter hunc locum legisse. πάρειμι ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων. *Adsunt*, inquiunt, *sicut hora super montes sic pedes annuntiãtis auditum pacis, sicut euangelizantis bona.* Verbum ὥρα, & horam significat, & ver, & pulchritudinem. Et Cyrillus interpretatur in eum locum, id est, vt Ver pura luce nitens super montes. Vt enim Ver flore recenti ornat omnia, & ex summa sterilitate facit omnia fœcunda: ita Christi aduentus omnia florere fecit, & reuiuiscere quæ ante mortua erant. Est ergo Christ⁹ hora, quia in tempore suo venit: & pulchritudo super montes, quia eius incarnatio, vita, & doctrina incomparabilis fuit supra omnes magnos viros, & Prophetas, qui omnes tanquam montes sunt. Demum omnia reflorere fecit, ac reuiuiscere, vt essent bonus odor in omni loco, & vt viuerent

B. Cyril l.5. in Esa. sub init.

Gal.4.

Mõtes qui mystice.

2.Cor.1.

rent vitā nouam ſpiritualem, q̄ conſequeretur in ſuo tempore carnis immortalitas, & vita cœleſtis. Paulus tamen videtur legiſſe: ὡς ὡραῖοι, q̄ refertur ad pedes, etſi aliqui hæc verba putent deeſſe in codice Septuaginta. Quarto, deſiderarunt nonnulli in Hieronymi verſione, quod vſus fuiſſet verbo euangelizandi, & non annuntiandi, vt fecit Paulus ſecut⁹ Septuaginta: imo etiam Aquila, Symmachus, & Theodorion, etſi iudaizantes, in translationibus ſuis vſi ſunt teſte Euſebio Cæſarienſ. libr.6. capit.24. demonſt. Euang. vt dilucidius eſſet, & magis firmum hoc teſtimonium de Chriſto contra Iudæos, qui aſſerunt, ad literam hic eſſe ſermonem de liberatione populi è captiuitate Babylonica. Quinto expende, pro more ſuo Apoſtolum quædam verba huius teſtimonij reliquiſſe, vt illud, Super montes: quia ea tantum proferebat, quæ propoſitū ſuum adiuuarent, relictis alijs, ſiue in principio, ſiue in medio, ſiue in fine.

Cur potius vertendum fuiſſet, euangelizantis, quā annonciantis pacē

Euſeb. Caſarienſ. to.1.

Mos eſt Apoſtolicus dimidiatos non integros de ſcriptoris locos producere ad maiorem breuitatē

Dicuntur autem fuiſſe ſpecioſi pedes Chriſti in montibus, Thabor ſcilicet, & Siō & Oliueti: quia ſcilicet non ſponte ſua, ſed à Patre miſſus venit: neque propriam gloriam prædicando quærebat, vt operaretur ſalutem noſtram per puriſſimam legem nouam, quam tradidit in monte Thabor ipſe per ſe puriſſimus, & ſanctiſſimus. Adhæc per veritatem doctrinæ, quam videbat in monte Sion, vt ſpeculator ſummus. Deniq; per miſericordiam, quam meditabatur in monte Oliueti, & vitam & ſpectabilem exhibuit in monte Caluariæ: & tales fuerunt pedes Chriſti, qui excellenter miſſus eſt a Patre, & de quo refert Sponſa: *Vox dilecti mei ecce iſte venit ſaliens in montibus, & tranſiliēs colles.* Et vt dixi, Paulus quæ Chriſti ſunt, extendit ad Apoſtolos ab eo miſſos, in quibus Chriſtus loquitur: quorum pedes à Chriſto loti ſunt; vt annotat Origenes tom. 2. vt mundi mundam legem, & ſanctificantem traderent, & eleuati alta eius ſpecularentur in Sion. Vnde de illis dicitur: *Qui ſunt iſti, qui in nubes volant?* Erant etiam viri miſericordię, quaſi in monte Oliueti cōſiſtentes: qui Dei miſericordiam, & Chriſti gratiam toti mundo euangelizarunt. Et ex libr.10. Iliados Homeri colligunt quidem, pedes dici præcones, ſiue nuntios, qui mandata perferebant eorum qui præerant, ad alios, vt non ſine cauſa dicti ſint pedes tam Chriſtus per aſſumptam humanitatem ad obeundam legationem Patris, quam Apoſtoli miſſi à Chriſto in mundum vniuerſum, & qui pro illo legatione functi ſunt.

Specioſi cur Chriſti pedes, & in montib. dicantur.

Ioan.8

Mat 5.

Thabor, Sion, & Olioeti montēs quid ſonent.

Can.2.

Chriſti propria Apoſtolis Paulus accōmodat: eorum pedes Chriſtus cur lauerit

Ioan.13.

Orig.to.2.

Eſa 60

Chriſtos, & Apoſtoli cur pedes nominati

Marc. vlt.

2.Cor.5.

¶ Specioſi porro vocantur, quia videlicet non ſibi vſurparunt talem prouinciam, niſi à Deo vocati, & miſſi. Vnde poſt illud, *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?*) Et ſubiungit: *ſicut ſcriptum eſt*, vt coniungatur ſequentia cum præcedentibus) ſubaudiendum eſt aliquid nempe: Sed miſſi ſunt, ſicut ſcriptum eſt. Et in verbo mittantur, quod Grece eſt ἀποσταλῶσι allusum eſt ad nomen Apoſtoli. Ideo de Apoſtolis loquentem produxit Scripturam. Erant etiam ſpecioſi, propterea quod recti, & ſancti illorum affectus, quib. non ſuam gloriam, & commoda, ſed Chriſti gloriam, & animarum ſalutem per mundum diſcurrentes quærebant.

Idem cur ſpecioſi.

Apoſtolis quid ſonet.

Item cur ſpecioſi pedes illorū.

Euangelizabant autem pacem, ſcilicet inter Deum, & homines: quæ quidem pax conſequitur iuſtificationem, iuxta illud, Iuſtificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum. Pacem etiam inter homines inter ſe diſcordes, & belligerantes: coniungens duos parietes in vnum, & præcipiens charitatis dilectionem etiā ad inimicos, vt ita omnia ſemina diſcordiæ tolleret, & cum omnibus hominibus pacē haberem⁹. Demum pacē inter carnē, & ſpiritum, q̄ efficit inſignis plenitudo gratiæ per Sacramenta collatæ: qua & ſpiritus Deo ſubeſt, & caro ſpiritui. ¶ Euangelizant etiam bona in plurali iuxta Septuaginta, & nō iuxta Hebręum. Bona autem, quæ in Euangelio traduntur de iuſtificatione, remiſſione peccatorum, adoptione filiorum, ſimpliciter bona ſunt, & ad bona illa quæ præparauit Deus diligētib. ſe, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, hominem paratum reddunt. Nam virgines quæ paratæ erant, intrarunt cum ſponſo ad nuptias.

Apoſtoli triplicem pacem annuntiarūt.

Rom 5.

Ephe ſ.2.

Matt. 5.

Rom. 12.

Idem quæ bona euangelizauerīt

Epheſ 4.

1.Cor.2.

Mat. 25.

DISPVTATIO XXXIV.

In illa verba: *Sed non omnes obediunt Euāgelio. Eſaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui noſtro? Ergo fides ex auditu, auditus aūt per verbum Chriſti. Sed dico, Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum &c.* in fin. vſque cap.

QVATVOR in his verbis prophetica teſtimonia producit Apoſtolus ad reddendum Iudæos inexcuſabiles, quod Euangelio à Chriſto, & ab Apoſtolis prædicato fidem ſuam adiungere reſtiterint, vt non tam ignorantia, quam pertinacia, & proteruia deliquiſſe videātur: quæ diligenter excutienda ſunt. Primum igitur explica

Quadruplicis ab Apoſtolo producti ex Scripturis teſtimonii cauſa.

I. dubit.

bitur

bitur scopus, quod melius perspiciamus, quo tendat filum Apostolici contextus.

II.

Secundo ambigitur, an primũ testimoniũ Esaiæ recte productum sit iuxta Hebræã veritatem, & quomodo hic locus producitur à Ioanne Euangelista ad probandum quod non crediderunt. Et subdit: *Propterea non poterant credere quia iterum dixit Esaias, Domine, quis credidit auditui nostro?*

Esa.53.

quod si illam prophetiã impleri necessũ erat, quomodo in Christũ nõ credẽdo peccauerũt?

III.

Tertio ambiguũ est, an locus ex Dauide productus, iuxta literam, an iuxta spiritum proferatur. Nam si de cœlis corporis, qui enarrant gloriam Dei, interpretandus est Dauid, vt multi Patres veteres faciunt, superest vt tãtum in sensu allegorico sit prolatus ab Apostolo, & ita proteruum Iudæum non conuinceret.

Psal.18.

IV.

Quarto, non vulgare dubium est de impletione illius prophetiæ, In omnem terram, an videlicet impleta sit eo tempore, quo Apostolus loquebatur. Cui sensui repugnat ipsa experientia rerum magistra, quæ nouos populos, ac terras nouas nostro seculo detexit.

V. & vltim.

Postremo dubitari potest an duo loci ad extremum producti ex Moyse, & Esaia, recte ad literam euincant quod Paulus spectauit.

Ad I. dub.

Primum expeditu facile est. Ostendit enim Paulus in illa gradatione, quam fecit, in prioribus nõ semper sequantur posteriora: etsi enim nemo credat nisi audiat, non tamen omnis, qui audit, credit. Non enim omnium est fides, vt alibi idem dixit Apostolus, sed eorum, qui audiunt intus à Patre instructi, & edocti. Accusat ergo in genere inobedientiam multorum non credentiũ, quam paulo post peculiariter reprehensurus est in Iudæis: ostendens, quod si multi ex Gentibus, vel ex Iudæis in Dominum non crediderunt, id non sit Deo imputandum, tanquam concionatores non mittenti, sed illis qui audire noluerunt ad se missos. Etsi enim fides donum Dei sit, à nostra tamẽ pendet voluntate, quam Deus non cogit.

De Pauli proposito. *2.Thess.3. Ioan.6.* *Ephes.2.*

Ideo voce obedientiæ vtitur, quæ spontaneam denotat assensionem: eo quod fides rationis vigore non demonstratur, sed obsequio voluntatis intellectum captiuantis suscipitur. Et Græce verbum est præteriti tempori: οὐχ ὑπήκουσαν, non audierunt: sæpe tamen eiusmodi præteritum pro præsenti ponitur, vt illud, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, pro Sedent. Et videtur arguere indignitatem Iudæorum in eo quod ait, Euangelio non obediunt. Nullus enim est, qui non libenter suscipiat fausta, & læta nuncia de bonis pacis, salutis, & vitæ suæ. Et probat testimonio Esaiæ, qui tam manifeste de ministris Euangelii pronuntiauit, ne aliquis nouum id esse putaret.

Cur fidem Apostolus obedientiæ nomine designauerit. Hebræi præteritũ pro præsenti sæpe tempus vsurpãt. *Matt.23.* Commune hominũ

desiderium quarum rerum sit. *Esa.53.*

¶ *Domine, quis credidit auditui nostro?* Hoc testimonium ad literam aptissime de Euangelio Messiæ concionatur: quia à principio in finem vsque cap.53. Propheta passionis Christi mysterium quasi Euangelista quidam latissime edisserit. Et more prophetico vsurpauit præteritum pro futuro: Credidit, dixit pro, credet. Et nomen illud, quis, non tam impossibilitatem, quam rationem, & difficultatem significat: vt illa, *Quis ascendet in montem Domini? &, Delicta quis intelligit?* & Poeta quidam Satyricus: *Quis leget hæc?* id est vnus, aut alter. Vnde subiungit: *Nemo hercule, nemo; Vel duo, vel nemo.* Quanquam & impossibilitatem naturæ hic sermo includat: nemo enim suapte natura auxilio gratiæ Dei fidem habere potest tanto mysterio: & cum illo rari sunt qui credunt. Et raritas oritur ex fide prædicata, nimirum Christo, qui despectus, & nouissimus virorum fuit; ac proinde cruci affixus Iudæis fuit scandalum, Gentibus stultitia. Tanta enim Christi gloria in infirmitate ostensa obscurauit inuidos, & inflatos oculos Iudæorum, ne Messiam agnoscerent. Et quod ait: *Auditui nostro,* Hebræa phrasis est, pro eo, quod est auditis sermonibus nostris: quo loquendi charactere vsi sunt Prophetæ. Ait enim Habacuc: *Domine audiui auditionem tuam, & timui.* Et Abdias capite 1. *Auditum audiuimus à Domino,* id est, ea quæ credenda, abs te per auditum internũ audiuimus: quæ & loquimur, vt alij etiam per nos audiant. Ad quartam extremam auditionem fortasse melius refertur hoc loco, quam ad priorem: quia sequitur: *Ergo fides ex auditu,* prædicatorum scilicet.

Quinquagesimi tertij cap. Esaiæ argumẽ quod. Illud: Quis credidit auditui nostro: impossibilitatem, an raritatem, quæ difficultatem denotet. *Psal.23. Psal.18. Persius Satyr.1.init.* Eadem sẽtentia quã contineat impossibilitatem. *Esa.53. 1.Cor.1.* Auditui credere, quid more Scripturæ. *Habac.3. Abd.1.*

Ad II.dub. An iuxta Hebræum an vero iuxta Septuaginta idem testimoniũ proferatur.

¶ Nomen autem primo loco positum, Domine, in Hebræo non habetur, sed à Septuaginta interpretibus positum est, vt explicarent, quod illa prædicantium verba essent ad Deum: quam lectionem secutus est Ioannes Euangelista capit. 12. & Paulus hoc loco, vt ita constet non ex Hebræo codice, sed ex fonte Septuaginta (vt sæpe alias fecit) excepisse hoc testimonium. ¶ Quod vero Ioannes dixit, *Propterea non poterant credere:* non quod impossibile esset, id dictum est; quia alioqui non erat cur accusarentur Iudæi non credentes; sed quod cum possent credere non audierunt. Et illud, *Non poterant credere,* idem est, ac si dixisset, nõ volebãt credere. Ita enim vulgo loqui solem', illos nõ posse conuerti ad pœnitentiã, vel ad Christum, negantes tantum volũtatem nõ potestatem. Et subiungit: *Ergo fides ex auditu.* Quæ sententia veritatem habet, quantũ spectat ad propositionem credendorum, & eorum explicationem, ac dubiorum, quæ

Propterea Iudæos credere non potuisse, quia iterũ dixisset Esaias, &c. quo Ioannes sensu protulerit. Cui similis illa ratio loquendi. Fidem esse ex auditu, quomodo verum.

circa illa contingunt, determinationem: at vero quantum ad inclinationem, & assensionem firmiter credendi, ab Spiritu sancto est: vt alio loco dixit, *Fides Dei donum est, vt ne quis glorietur*: & de Lydia purpuraria refert Lucas, quod eius Domin' aperuit cor, vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo. Quanquam vtrumque donum Dei sit: nam nec prædicatores proponunt fidem, nisi à Deo missi, neque homines credunt, nisi à Deo auditi. Ideo sequitur: *Auditus autem per verbum Christi*: id est, quod est de Christo, qui est subiectum prædicationis. Vel, verbum Christi mittentis prædicatores, & in eis loquentis. Et verbum Dei, siue Christi non pro solo scripto, sed pro omnibus, quæ Deo autore prædicabant Apostoli, antequam Euangelia scriberẽtur, accipiendum est. Quare frustra clamant hæretici, tantum prædicandum verbum Dei scriptum; quia ipsi de suo addunt postremum verbum scriptum. Atque ex hoc loco, Fides ex auditu, Augustinus initio suæ conuersionis deceptus, putauit fidem esse ex nobis, non consulens alios locos, in quibus aperte fides donum Dei traditur, vt postea retractauit. Et ita secundum dubium est euacuatum. ¶ *Sed dico: Nunquid non audierunt? Et quidem in omnẽ terram, &c.* Ostendit ignorantiam Iudæorũ non recipiẽtium Christum simplicem, aut excusabilem non fuisse, nec venia dignam, sed crassam, & supinam. Et quod in genere prius reprehenderat tam Iudęis, quam Gentibus, modo speciatim de Iudæorum populo loquitur. Et primo interroganter ait, Nunquid non audierunt? quod generale est. Et iterum: *Nunquid Israel non cognouit?* quod minus est generale, vt istis interrogatiunculis magis perspicuam reddat orationem, & dictis suis addat confidentiam.

Ephes.2.

Act.16

Auditus fidei per quod sit verbum Christi.

Verbum Dei etiam non scriptum, sed traditum, prædicandum esse, contra Lutheranos.

B. August. Ephes.2. 2.Thes.3.

Qualis Iudæorũ extiterit non credentiũ ignorantia

Et in hoc loco: Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, dubiũ est, an ad literam hęc de Apostolis intelligãtur, an mystice, & secundum quandã allusionem. Quidã igitur putarunt hæc primo, & principaliter dicta esse de cœlis corporeis, quorum cursus regularis velut publicus quidam præco diuinam potentiam, sapientiam, bonitatemque prædicat, & contestatur: cuius veloci cursui comparat tubæ Euangelicæ velocitatem, quę per vniuersam orbem penetrauit. Ita vt cœli allegorice sint Apostoli, quod & nonnulli ex Patribus tradunt, vt Ambros. Chrysost. & alii multi. Sed profecto hic sensus etsi tolerabilis sit ob eorum Patrum autoritatem, qui illum sequuntur, & ob id, quod verba aliquo modo illi subueniunt: contrarium tamen solidius, ac firmius mihi ob eas quas proferam rationes, semper visum est. Primo, quia etsi Apostolus sensus mysticos, vel allegoricos interdum adhibeat, quomodo cum fidelibus agit: vbi tamen de fide & dogmatib' disserit cum aduersariis, iis sensibus non vtitur, aut aperte exprimit se allegorice, & in figura loqui, vt fecit ad Gal. 4. 1. Cor. 10. & in epist. ad Heb. quod hic non indicauit: aut id fecit, postquã aliis apertis locis demonstrationẽ fecit; aut ab illis consulto abstinuit, ne aduersarij obijcerent infirmitatem producti sensus. Credidit ergo Paulus se iuxta sensum historicum agere. Deinde, quia cum Apostolo Paulo multi alij loci ad literam suppeterent ex Prophetis ad hoc idem confirmandum, videtur tamen ab illis consulto producendis abstinuisse, quod certe habuerit hęc verba ad literam idem continere: aut si paulo obscuriora erant, voluit mentem Spiritus sancti in eis apertius explicare. Tertio, quia etsi interdum Deus opera sua naturalia in cœlis, & elementis, & alijs creaturis proponere nobis soleat ad contemplandum, & vt nos doceat suam magnitudinem, potentiam, & prouidentiam; vt facit in Psal. centesimo tertio: id tamen raro facit, quia opera naturæ aliunde quam ex sacris literis discere possumus, & homines de eis solent discere. Verum cum Apostolus per Spiritum sanctum aliam eorum locorum intelligentiam in hoc Psalmo nobis aperuerit, aperte voluit nos alia grandiora Dei opera, & quæ supra naturam sunt, & quæ caro & sanguis non reuelant, sed quæ proprie egent reuelatione, nobis tradere & explicare. Vt hic sensus tanto sit illustrior, & magnificẽtior, quanto admiranda opera gratiæ præstant operibus naturæ. Quarto, quia post illam laudem, quam cœli, & firmamentum Deo tribuunt, continuo attexit de o, alterum de humanitate filii Dei, & descensu eius ad terras, siue ex sinu Patris in vterum Virginis, siue hinc ad nos, sub metaphora Solis, cui Pater posuit tabernaculum inter Apostolos, dum peregrinatus est nobiscum, & ad pugnam pro nobis perficiẽdam contra spirituales nequitias, nam peregrinantium, & pugnantium solet esse tabernaculum. Vbi etiam recte sponsi, & nuptiarum adhibetur comparatio: quia in Christi incarnatione desponsatio fuit Verbi Dei cum humana natura, & Christi cum Ecclesia. Narrat etiam posteriorem Christi ad Patrem suum regressum sub eodem Solis symbolo: & demum donum Spiritus sancti, qui descendit in linguis igneis ad inflammanda & corroboranda Apostolorum pectora, proponit, cum dicit: Nec est qui se abscondat à calore eius: quia effusus est iuxta Ioelem, super

Ad tertium dubium. An illud Prophetæ: Cœli enarrant, &c. In omnem terrã, &c. mysticum an literalẽ de Apostolis sensum habeat.

Psalm 18.

Prima opinio pro sensu mystico.

B. Ambros. hom.5. D. Chryso. serm. 18.

Non probatur multiplici ratione.

Ratio prima.

Quando mystice, & quando historice Paulus proferat testimonio Scripturarum.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Cur opera naturæ interdum Scripturæ commemorent.

Quarta ratio.

Psalm.18. quam pulchre Christum concionetur.

Act. 2.

Ioel. 2.

omnem

Quis ille Christi calor à quo nemo se abscondit.

omnem carnem. Calor eius potestas est iudiciaria, quam in impios, & infideles accipiet in ira furoris sui, quam nemo poterit effugere, vel ab illa se subducendo occultare. Alterum vero, quod adiungit ad commendationem legis diuinæ, dicens: *Lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis* & reliqua, quę de lege Moysis intellecta non satis videntur cohærere cum illa enarratione gloriæ Dei, quam reddunt cœli. At si de

Quinque legi. Euangelicæ proprietates ibidem expressæ. *Ioan. 1.*

Euangelica lege sit sermo, mirifice cohærent: nam post commendationem Apostolorum, qui vere sunt cœli, & Deum glorificant, recte subiungitur legis Euangelicæ quam prædicabât, laudatio. Nam hæc vere est lex Domini, id est, Messiæ; cum vetus sit Lex Moysaica, de qua: Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Vere etiam est lex immacula

Veteris legis defect⁹

ta, quæ nullum peccatum permittit; cũ lex vetus multa concederet infirmo Iudæo, & licentias carnis indulgeret. Est etiam conuertens animas, quia per fidé purificat con-

Act. 15.

da credentium; cum vetus manum cohiberet, non animum. Est & testimonium Domini fidele: quia Testamentum Nouum testimonium habet à lege, & Prophetis, & signis editis. Postremo, sapientiá præstat par-

Rom 3.

uulis, quia per Christum ipsum de mysterijs Noui Testamenti dictum fuit: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea*

Mat. 11.

paruulis Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, sunt Christi merita, & exempla, quibus nos instruxit. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, hoc est, præceptũ fidei, spei, & charitatis, quod præsertim Dominus vocauit suum præceptum, & mandatum. Timor Domini sanctus, permanens in seculũ seculi. Loquitur de timore reuerentiæ erga Patrem, quod accipientes Spiritum adoptionis ornantur Christo, ne amplius peccent, & non de spiritu seruitutis in timore. *Iudicia Domini vera, iustificata in semet ipsa* quia sunt disposita præcepta Dei in æquitate, & veritate vt propterea iuste iudicemus: & quia vita Christiana, etiam perfecta sine peccatis, saltem leuibus, non agitur & multa occulte subrepunt, subdit: *Delicta quis intelligit?* & precamur ab occultis nostris alienis quæ ignoramus, mũdari; q; proprium est Euangelii. Et Dauid, connumerans se cum Euangelicis, subdit: Etenim seruus tuus custodit ea. Optabat enim seruare diuina præcepta, & præmium quod illis debetur, accipere. Et concludit verbo Euangelico: *Domine adiutor meus & redemptor me⁹* Adiutor est seruantium legem, & redemptor ab omnib. peccatis iuxta illud; *In ma-*

Quid iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda, & q; præceptũ Domini lucidum. *Ioan. 13.* *Rom 8.*

Ibid.

Psal. 110.

Quorum sit Dominus (id est Christus) adiutor, & quomodo redẽptor. *Psal. 30.*

nus tuas, Domine, commendo spiritum meum: (vt adiuues) *redemisti nos Domine Deus veritatis;* vt perficias redẽptioné tuam in nobis. Quinto, quia cum hic dicatur: Non sunt loquelę, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, videtur allusisse ad varias linguas, quas Apostoli susceperunt: quod in alio sensu nobis eriperetur. Et quibus per vniuersum orbem Christi fidem propagarũt. Sexto; regula illa inseruire debet, vt sensus qui elicitur ex aliquo loco Scripturæ ad literam, & sine metaphorica locutione, pręferendus ei veniat, qui tropum, aut figuram continet. Et is etiá qui pauciores, & minores tropos vsurparet, esset præponendus illi; qui plures, aut minus familiares contineret. At cœlos enarrare gloriam Dei, & firmamẽtum opera manuum eius, & in fines orbis terrarum processisse eorum verba, si de cœlis corporeis intelligantur, qui ratione, & anima carent, sine tropo prosopopeię non conueniunt. At si de Apostolis per vniuersum orbé prædicantibus accipiatur, absque omni tropica locutione perspicue, & aperte explicantur. Neque mirum est, Scripturam sacram vocare Apostolos, & Doctores ad literam nomine cœlorum, aut firmamenti, aut stellarum. Hinc Daniel capit. 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splédor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stella in perpetuas æternitates.* Vt enim in parabolis sensum alium à rebus signatis per verba ad literam accipimus: ita hic alias altiores perscrutamur, quam sint cœli, firmamentum, stellæ, & Sol, & discursus cœlorũ: & hoc ad literam. Postremo, titulus huius Psalmi est, *In finem*, iuxta Septuaginta; Hebraice vero: *Victori, & triumphatori*, vel, *Vincenti*: at hic titulus Christi est, qui finis est legis, ad iustitiam omni credenti, & qui in bello Satanam nostri causa deuicit, & expolians principatus & potestates, traduxit cõfidenter palam, triumphás illos in semetipso, vt ait Apostolus: & Apostolos constituit ductores, & antesignanos ad perficiendam Christi victoriam, quam Spiritu Dei, & verbo eius muniti per orbem vniuersum dispersi, & à forti, arma eius, & vasa spoliantes obtinuerunt. ¶Quare cum hic sẽsus tot rationibus nitatur, reprehendẽdi veniũt, q; ausi sunt Apostolum redarguere, quod Scripturam de cœlis loquentem, & eorum cursu, & linea, ad Apostolicam prædicationem detor sit. Sed certe Spiritus proprium non fuit docere nos itinera cœlorum, sed poti⁹ vias salutis æternæ. Vt interim prætermittam Augustinum, Arnobium, Cassiodorũ, & alios Patres, qui hæc principalius intelligenda ad literam de Apostolis, & non de

V.

Act. 2.

VI.

Apostoli, & Doctores in sacris literis quib. sæpe nominib. compellentur. *Dan. 12.*

VII. & vlt.

Coloss. 2.

Luc. 11. Pauli Apostoli hæc Dauid dicti testimonii de Apostolis intelligẽtia à quorũdam Iniuria vindicatur.

B. Aug. s. 7 inst. *Arnobius.* *Cassiodor.*

Franc. Titelman.
Iust. Mart.

cœlis ipsis docuerunt. Franciscus Titelmanus eleganter persequitur hunc de Apostolis sensum. Sane Iustinus Martyr antiquissimus pater in Dialogo cum Tryphone de veritate religionis Christianæ, reprehendit Iudæos, quod illa verba, *Lex Domini immaculata* referrent ad legem Mosaicam; cum tamen Deus nouam legem, & nouum Testamentum se conditurum pollicitus fuerit.

Ad IV. dub. Dictum vaticinium: in omnem terram, &c. impletum ne sit, an implendũ.
Chryso. ser 10.
Colloss 1.
Act. 1.

Quarta dubitatio fuit, an hæc Dauidis verba iam impleta sint, an non. Nam si impleta non fuissent, vt Chrysostomus docet, frustra hoc testimonium Apostolus induxisset: frustra cap. 1. dixisset, *Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo* & ad Coloss. 1. *Verbum Dei in vniuerso mundo fructificat & crescit, sicut & in nobis*: & de præterito non dixisset: *in omnem terrã exiuit sonus*, & Act. 1. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsquequaque ad vltimum terræ*

Altera opinio negatiua.
B. Aug. t. 2.

His tamen non obstãtibus, probabilior est sententia Augustini epist. 80. ad Hesychium Episcopum, qui super ea quæstione Augustinum interrogauerat: & nondum exitum habuisse hanc prophetiam ostendit ex nonnullis.

Eius prima ratio.

Primo, quia innumeræ gentes ex Asia, & Africa erant, quibus suo tempore nondum fuerat prædicatum Euangelium, etsi nonnullis non subditis Romano imperio esset prædicatum. Idem etiam ostendũt nouæ insulæ Occidentales nostra ætate opera Regum Castellæ repertæ, quæ nullam Christi notitiam habebant.

II. ratio.
Mat. 24.

Deinde quia Matt. 24. habetur: *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniat consummatio*, nimirum, mundi. Hoc ergo vaticinium non implebitur quoadusq; appropinquet finis, & consummatio orbis.

B. Hier. to. 8. in princ.

In quẽ locum Hieronymus ait, nullam remansisse gentem, quæ Christum ignoret. Et licet prædicatorem non habuerit, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare.

B. Amb. 1. 5

Ambrosius autem ita hoc loco scribit *Quia vbique audita est, & peruenit in omnem locum prædicatio nominis* CHRISTI. *Vbi enim præsentia hominis prædicantis defuit, sonus tamen & fama peruenit, sicut peruenerat opinio factarum virtutum in Aegypto ad omnes gentes teste Rahab meretrice.* Sic ille.

Iosue. 2.
Quomodo fides Pauli tempore dicitur anounciata in vniuerso mundo.
Rom. 1.
Coloss 1.
1. Thess. 1.

Et in hunc sensum intellige quæ habentur ad Roman. 1. Colossen. 1. & Thessal. 1. Fuit enim ex vicinis locis rumor, & fama, sed non prædicatio cum fructu.

III. ratio.
In quas terras & prouincias Apostolicæ prædicationis sonus non exiuerit.

Tertio idem ostenditur, quia Ptolomæus diligentissimus geographiæ scriptor, alias terras, aut prouincias non nouit, quam à Sinarum regione vsque ad insulas Fortunatas, & à Taprobana insula vsque ad vltimam Thulen, tanquam à Meridie in Septentrionem: post cuius tamen descriptionem multa alia loca reperta sunt, in quibus nunquam fuit CHRISTVS annunciatus.

Prophetæ præteritũ pro futuro de more vsurpant.

Nec obstat quod de præterito dixerit: *Exiuit sonus eorum*: quia id more Prophetico ipse Dauid etiam ante Paulum prænunciarat.

Quam apte Apostolus hoc Dauidis vaticinio vtatur, si suo tempore impletum non fuit.
Act. 1.
In Iudæa primum Apostolos prædicasse.

Nec sequitur, Ergo Paulus obtentũ non obtinuit, si suo tempore quando scripsit, sonus eorum in omnem terram non exiisset: quia enim diuina prouidentia ita fuerat decretum, vt prius prædicaretur verbũ in Ierusalem, & in Iudæa, & Samaria; propterea ostendit iam prædicatũ esse in Iudæa cum in fines orbis terræ protenderetur prædicatio, cuius ministri erant ipsi Apostoli, qui ex Iudæis erant. Quo sensu accepto, soluitur etiam proposita superius quæstio: quia non probat prædicatum esse vbique suo tempore, sed quod prædicaretur in finibus orbis terræ. Ex quo colligitur prædicatum prius fuisse in Iudæa.

Ea intepretatio: In omnem terram exiuit linea, vel regula eorum, quare non probetur.

¶ Porro pro, *Sonus eorum*, quidam verterunt, Lineam, vel regulam: quod etsi commode intelligi queat de regula, vel linea prædicationis Apostolicæ, quæ in totum orbem eorum opera protensa fuit: sed certe Septuaginta interpretes optime verterunt φθόγγος & comprobat quod in secunda parte dixit, Verba eorum; & ita interpretatus est hoc loco Paulus, secutus more suo Septuaginta. Et ita hæc lectio præferenda est Hæbraicæ.

Quid omnis terra, in quam sonus Apostolorum exiuit, & quid fines orbis terræ.

¶ Et quod ait: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, etsi possit intelligi vt repetitio eiusdem rei, ita vt idem sint omnis terra, & fines orbis terræ: quæ repetitiones frequentes solent esse in Psalmis & Canticis: hoc loco tamen rectius distinguemus hæc verba ad res diuersas significandas: ita vt tota terra significet Iudæam, quod articulus Græcus designare videtur, εἰς πᾶσαν τὴν γῆν; per fines autem orbis terræ, reliquam orbis partem à Gentibus inhabitatam. Ita enim distinxit Actor. 1. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.*

B. Aug. in Psal. 18. to. 8.
Mat. vlt.

¶ Quomodo vero Apostoli secundum hoc testimonium Actor. 1. prædicatione omnes illas terras penetrauerint, respondet Augustinus intelligendum esse in successoribus illorum: vt & illud: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Impossibile enim erat, duodecim homines omnes & singulas orbis vniuersi partes penetrasse: quia fides non est propagata per Angelos, sed per homines, quia etsi maxime alati fuissẽt, tam velociter totum orbem lustrare non potuissent.

Ergo ex IERVSALEM, tanquam ex centro terræ habitabilis, sonus

Apo-

Apostolorum, in omnes mundi plagas processit. ¶ Qui vero ex Gentibus, siue ex Iudæis non audierunt, excusari quidem possunt à peccato nouo infidelitatis; non tamen à peccatis, quæ contra legẽ Naturæ, seu contra dictamen conscientiæ admiserunt, pro quibus merito damnantur.

Iudæi increduli, quib. prædicatum non fuit vnde damnabuntur.

Apostoli recte cœlis comparantur.

Psal 44.

Sunt ergo Apostoli cœli spirituales Ecclesiæ Christianæ, qui supremum habent locum in vniuersa Ecclesia, & vocantur Principes super omnẽ terram. Et primum posuit Deus Apostolos, qui quidem sunt illustres fide, alti spe, lucidi charitate, incorruptibiles per impeccantiam, rotundi propter perfectionem, solidi per constantiam, vsque ad mortem, motu continuo discurrentes, & proficientes de virtute in virtutem: influentes in terram imbrem doctrinæ, & varias virtutes, siue influxus per orationem, & exemplum. His cœlis subiecta debet esse terra subditorum omnium, qui Christum profitentur; vt ijsdem rectoribus gubernetur, quos operis sui vicarios constituit præesse pastores. ¶ *Sed dico, Nunquid Israel non cognouit? Primus Moyses dicit. Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, &c.* In genere interrogauerat primũ de omnibus; rogat nunc peculiariter de Iudęis, vtrũ Israel verbum Dei audiuerit, vt posset cognoscere opus esse fide ad salutem. Et intelli ge per Israel, principes, ac maiores illius populi, qui, & viderunt, & oderunt, & Christum, & Patrem eius: qui dixerunt: *Hic est hæres, venite occidamus eum.* Et demum reprobauerunt: ita vt si ipsi Christum nouissent, cæteri quoq; ex populo credidissent.

Eorũ virtutes, ac proprietates.

Deut. 32.

Quis ille Israel, qui non cognouit verbum Christi.

Ioan. 15.

Mat. 21.

Ibid.

Psal 117.

¶ Et primũ Moysen vocat, vel quod prior est tempore Esaia: qua voce sæpius Græci abutuntur pro Comparatiuo, id est, prior, vel quod summus Prophetarũ à Iudæis haberetur, de quo Deut. vlt. *Non surrexit vltra Propheta in Israel sicut Moyses.*

I. hic Paul. Mosen nominat.

Deut. 34.

Ego ad æmulationem vos adducam in non gẽtem. Et Capite trigesimosecundo Deuteronomij hoc acceptum est in Cantico illo, vbi dicitur: *Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus. & irritauerunt in vanitatibus suis: & ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.* Estque hic locus iuxta Septuaginta interpretes desumptus, & eadem fere verba æmulatus. Et intendit Paulus hoc loco dicere, quod poterant cognoscere Iudæi suum casum, & Gentium exaltationem. Et producit morem amantium, qui deferri ab illis, quos amabãt, prouocantur in zelum, & sic irritantur, vt ipsi quoque ab amatis ad alios transferant amorem suum, & seipsos ab illo priori amore explicent. Vnde vnus ex istis zelotypis accipiebat consilium: *Si illa Phædriam. tu Pamphilum.* Et tunc magna est irritatio, quando illi, qui ante amabantur, amittunt dona, & beneficia, quæ recipiebant, & in summa rerum inopia cõstituuntur: præsertim si non sit recuperandi locus. Hinc ille eiulatus Esau, cum amisit primogenita, & benedictionem, quam postea amplius recuperare nõ valuit. Recte enim dictum est: *Dura sicut infernus, æmulatio:* & verus malorum spirituũ infernus est, qui vident suum ipsorum cœlum, vbi erant creati post datum in possessionem nostram. Ego ergo ad æmulationẽ vos adducam, siue prouocabo vos in zelum, si quomodo irritati cõuertantur supplices, & assequãtur aliquam benedictionis partem, vt Esau. Et subdit Paulus: *In non gentem:* pro quo Moyses dixerat, *In eo qui non est populus.* Vix enim Dominus dignatur populi, vel gentis nomine eos, qui vidẹbãtur olim vt feræ bestiæ relicti. Vel per gentem quæ non est gens. Et subdit: *In gentem insipientem.* Quales erãt Gentiles, qui nec suũ finem, nec viam ad illum agnoscebant; vt ita vrantur ira, inuidia, & zelo. Excruciantur enim Iudæi, quando audiunt, legem, & Prophetas ad nos pertinere, qui in Christũ credimus, & quando vident prærogatiuas, quas olim habebant filiorum Dei, & populi Dei, & vniuersas promissiones, factas in nós esse translatas. ¶ Quod si obijcias, Moysen hæc dixisse de peccato idololatriæ quod admiserunt, non autem de peccato, quo reprobarunt CHRISTVM. Dicendum est, ibi quoque fuisse idololatriæ peccatum, quia dixerunt, Non habemus Regem, nisi Cæsarem: hunc sibi elegerunt Deum, & consequenter Romanorum deos. Nam non desunt hodie permulti, qui hæc idola sibi præstituant, & colant, vt pro vero Domino Reges terræ habeant, quos Christo præponant. ¶ *Esaias autem audet, & dicit: Inuentus sum à non quærentibus me.* Producit Apostolus testimonium quo Esa. 65. habetur. Et prius quidem eius membrum spectat ad Gentes, secundum ad Iudæos. Quidam legunt, vt Ambrosius, Audit & dicit: in quo forte falsi sunt: nam Græca habent. ἀποτολμᾷ, id est, Audenter dicit, libere, & intrepide loquitur. In quo ostendit eius animum inuictum, qui nullo mortis pauore veritatem tegeret; etiamsi formido, & laqueus facta esset vaticinatio, & contritio; etiamsi sciret se serra secãdum, etiãsi illa excruciet, & torqueat Iudæos. *Inuentus sum,* inquit, *à non quærentibus me.* Latini proprie dicerent, Repertus sum, iuxta illud Poetæ: *Tu nõ inuenta, reperta es.* Id est, Futurum est vt gens, quæ nihil de me cogitat,

Mosis testimonium: Ego ad æmulationẽ non adducam, &c. quorsum adferatur.

Terentius in Andria.

Aemulationis quanta vis.

Gen 7.

Heb. 12.

Cantic. 8.

Qualis dæmonum æmulatio.

Quare Iudæos Dominus in æmulationem adduxerit.

Gen. 27.

Cur Deus Gentes vocet non populum.

Cur gentẽ insipientẽ.

Ad V. dub.

Eadem Moysi sententia, an recte Paulus seruiat instituto.

Exod 32.

Ioan. 19.

Iudæi Christum non recipientes quando iterum idololatrauerint.

Esa 65.

Esaiæ magnanimitas.

Threnor. 3.

Reperim⁹ non quæsita, inuenimus quæsita, secundũ Grammaticos.

Ouid. li. 1. Metamorp.

Quid Deū palam apparuiſſe Gentibus.

me inueniat: & palam apparui ijs, qui me non interrogabant, id eſt, Qui non quærebant ſcire fidem, vel religionem meam. Palam, inquit, apparui, id eſt; non per typos & vmbras; ſed in expreſſa veritate. Alterum membrum eſt continuatum, cum ſuperioribus, ſed à Paulo diſtinctum, quid dicat de Gentibus, & quid de ipſo Iſraele, quod Iſraelem alloquitur: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & non tradicentem mihi.* Extrema duo verba ſunt ab Apoſtolo addita. Poteſt autem recte verti, non, Ad Iſrael autem, ſed, aduerſus Iſrael autem: quia propoſitio πρὸς vtrumq; ſignificat. Sed præſtat lectio: Ad Iſrael autem pro eo, quod eſt, De Iſraele, vt Hebræor. primo. Ad Angelos quidem dicit, pro, De Angelis. Et Lu. 19. *A t Ieſus ad eum* id eſt, Zachæum, pro De Zachæo, quia verba ſubiuncta (*Hodie ſalus domui huic facta eſt,*) non ſunt ad eum directa, ſed de eo dicta.

Heb.1. *Luc.19.*

Manus expandere, quid. *Prou. vlt.* Manus expandeiitIudæis quando maxime Chriſtus. *Origen.* *Auguſt.* *Mat 27.* *Prou.1.*

Manus expandere, effectus illius eſt, qui opem miſero offert, ſiue porrigit. Eſt etiam expandere, aperire: vt, *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Et amorem illius deſignat, qui vehementer cupit, amplexu aliquem recipere. Et communiter hanc expanſionem interpretantur Origenes, & Auguſtinus de illa, quæ facta eſt in cruce, vbi ſumma perfidia contradictum eſt ei, & inſultatum: *Si Filius Dei es deſcende de cruce.* Videtur tamen ad verba Prouerb. 1. alludere, vbi habetur: *Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret.* Et principaliter ſignificat beneficentiam Dei, quam per ſigna, & virtutes, quas operabatur, oſtendit ſanando omnes, qui ad eum pro beneficijs, ſiue animi, ſiue corporis accurrebant: de quo Petrus dixit: *Ieſum à Nazareth vnxit Deus Spiritu ſancto, & virtute, qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* Et hoc tota die; id eſt, toto tempore, quo in carnem veni: ex quo ſumma beneuolentia omnes ad ſalutem inuitaui. Populus autem meus non ſolum non credit; quod ſummæ eſt proteruiæ, ſed quod peius eſt, etiam contradicit.

Act. 10. Quid eſt tota die manus expandiſſe.

DISPVTATIO XXXV.

In illa verba: c. 11. *Dico ergo, Nunquid Deus repulit populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum, ex ſemine Abraham, de tribu Ben-iamin Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. An neſcitis in Helia, quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum aduerſum Iſrael? Domine. Prophetas tuos occiderūt, altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum reſponſum? Reliqui mihi ſeptem millia virorum, &c.*

Quæſtio prima. II.

IN his primum verbis quæritur, quæ ſit Apoſtoli noua quam proponit dubitatio. Deinde quæritur, an inductū teſtimonium de Helia rem faciat; & quæ ſit illa loquendi forma, in Helia dicere Scripturā: nam noua eſt omnino. Tertio; dubia videtur illa ſententia: *Si gratia; iam non ex operibus alioquin gratia iam non eſt gratia:* nam multi multa bona opera præmittūt, vt orationes, ieiunia eleemoſynas, & lacrymas, vt Dei gratiam peccato amiſſam recuperent, ſiue adipiſcantur. Quarto in proximis locis ex Eſaia, & Dauide productis, quædam videntur non bene in Latinum conuerſa: quædā etiam paullulum immutata ab eo; quod in fontibus habent.

III.

IV.

Ad I. quæ.

Primum abſoluamus. Confutauerat Iudæos ſuperiori Diſputatione de tot allatis Scripturarum locis, oſtenderatq; eorum caſum ſua culpa contigiſſe: iam de eadem ruina amplius verba facit, oſtendens rationem qua à Deo ſit permiſſa. Et primo quidem oſtendit, lapſum non fuiſſe generalem: deinde nec inutilem fuiſſe: quia permiſſus eſt à Deo, vt Gentilitas ingrederetur in fidem tertio nec fuiſſe irreparabilem, ſi rami fracti reinſeri poſſunt in ſuam oliuam: & anſam ſeſe efferendi & gloriandi præcidit Gētibus contra Iudæos, quoniam eorum ingreſſus fuit ex mera Dei gratia. Deniq; tantum Iudaicæ cæcitatis myſterium admiranda apoſtrophe concludit, dicendo: O altitudo diuitiarum, &c. Quæſtio vero noua, quam proponit, hæc eſt: *Nunquid Deus repulit populum ſuū?* Similis interrogatio apud Dauidem inuenitur: Vt quid Deus repuliſti in finem? iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ? Et eſt ſenſus: Abiecitne Deus populum ſuum, quem olim præ cæteris peculiarem elegit; & cui tot promiſſiones fecit? Et reſpondet more ſuo, abſit:

De cauſa quæſtionis propoſitæ: Nunquid Deus repulit populū ſuum &c.

Rom 11.

Pſal.73.

Exod. 19. *1. Pet. 2* *Pſal. 93.*

hoc est, Non repelle: Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet. Minime ergo Deus abiecit Israel, subtrahendo Iudæis suum fauorem, & in Gentes illum transfundendo: sicut olim Deus elegit Israel, reiectis cæteris gentibus. Probat autem hoc tripliciter. Primum suo exemplo: *Nam & ego*, inquit, *Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Beniamin.* Vocat se Israelitam, id est, filium Iacob, & ex semine Abraham, qui ab exteris adunabantur ad populum Israel: nec ex vna qualibet tribu, quorum capita nata sunt ex ancillis, vel ex Lia vxore minus dilecta, sed ex tribu Beniamin filij Rachel Patri suo dilectissimæ: nam de his alias seipsum commendat, vt 2. Corint. 11. & ad Philip. 3. Cum igitur ipse ex visceribus Israel fuerit euocatus, non gratis Deum ex odio repulit. Et subdit: *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit.* Id est, prædilexit, & prædestinauit ex gente Iudæa. Et ita Augustinus libro de Bono perseuerantiæ, c. 18. interpretatur hunc locum, quem Lyranus sequitur. Et hæc est secunda ratio propter quam Iudæi non perierunt: quia videlicet ex præscitis, siue prædestinatis sunt. Et ita Chrysostomus, & Origenes intelligunt de cognitione dilectionis, de qua: *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Et: *Cognouit Dominus qui sunt eius, &. Nunquam noui vos.*

I. ratio cur Deus non repulerit populum Iudæorum

Paulus cur se nominet Israelitam.

Gen. 29. Infra 31.

2. Cor. 11. Philip. 3.

II. ratio.

B. Aug. to. 7. Lyranus.

Chrysost. ser. 18. to. 4. Orig. to. 2. Ioan. 10. 2. Tim. 2. Matt. 7.

III. ratio

An nescitis in Helia, quam dicat Scriptura. Tertia confirmatio est per similitudinem, siue comparationem ad Heliam, de quo 3. Regum 19. Est autem maxime ad rem: nam cum ille videret, in vniuersum omnes à Deo defecisse ad Baal, & calumnum, & religionem Domini deseruisse, & putasset se solum relictum; illi tamen postea Domin. respondit, sibi reseruasse septem millia virorum, qui abominarentur deos Baal, & in cultu veri Dei remanerent. Atque ita Apostolus hoc pulcherrimo exemplo, non funditus excisam fuisse Iudæorum gentem à Christi fide, & eius corpore, ostendit. ¶ Illud vero, quod ait, Scripturam dicere in Helia, nouus est dicendi modus: nam Scriptura non est, istud locuta in Helia, seu per Heliam, sed potius de Helia, & ita quidam exponunt, De Helia; vel, In Helia, id est, libro de Helia scripto, qui est liber Regum. Vel potius Scriptura loquitur in ipso Helia, in quod tanquam exemplo quodam nobis loquebatur, describens eius cogitationem, qua putabat Dominum à magnitudine scelerum commotum totum Israel reliquisse. ¶ *Prophetas tuos occiderunt.* Cum præcepisset: *Nolite tangere Christos meos; & in Prophetis meis nolite malignari.* Hoc tamen maius

3. Reg. 19.

Ad II. quæstionem.

Quid sit, Scripturã in Helia dicere.

Iudæi contra quam legem Dei Prophetas occiderint.

Psal. 104.

erat, quod Prophetarum Dominum, & Filium Dei cruci suffixerant. ¶ *Altaria,* inquit, *tua foderunt.* Quorum loco erexerant aras idolorum. Iudæi quoque maius scelus commiserant, qui Christum reprobarunt verum altare & sacrificium. ¶ *Et ego relictus sum solus.* Audentius hoc dixit; cum cæteri non comparerent: quia non est omnium idem spiritus, vt se se prodant, veritatẽ que palam defendant: vnde & errare contingit. Nam qui se præ aliis pro suo zelo ostentant, indicare videntur eos, qui tacent, & scelera aliorum patiuntur impunita: è contrario vero errant & illi, qui simili zelo nõ correpti à Spiritu, alios qui magno spiritu rapiuntur, vt se prodant, tanquam temerarios, & sibi nimium confidentes redarguere solent.

Iidem altaria Dei quomodo suffoderint

Ioan. 19.

Quod vero dixit: *Interpellat Deum aduersum Israel*: recte est interpretandum. Non enim in eius verbis vllum est signum imprecationis, aut appetitus vindictæ: ei si negandum non sit, viros sanctos, cum in zelum rapiuntur propter iustitiam, siue iustã nemesim, scelera, & flagitia mundi commemorantes, vindictam tacite efflagitare. Cum ergo hoc suo iudicio bonus Helias & ciperetur; adfuit Diuinum responsum: Græca vox χρηματισμὸς non quoduis respõsum, sed Diuinum signat: ideo recte interpres dixit, Diuinum. Quanquam Matthæ. 2. interpres noster eandem vocem reddiderit simplici verbo: Et responso accepto in somnis.

S. Helias, vt interpellaret Deũ aduersus Israel.

Matt. 2.

¶ *Reliqui*, inquit, *mihi septem millia virorum.* Chrysostomus, & Augustinus libro de Bono perseuerantiæ capite decimooctauo, Expendunt verbum illud, *Reliqui*, scilicet per gratiam meam, & protectionem peculiarẽ, non permittendo illos perire, sicut alios. ¶ Quod vero quidam interpretantur, septenario numero comprehendi permultos fere sine numero: ita tolerari potest, vt non tamen maiorem populi partem seruatam à Deo intelligamus, sed paucos à multis, qui ob id dicuntur reliquiæ. Et dixit, Virorum: quoniam viros esse oportet illos, qui in tribulationibus seruantur, qui possint tyrannis, & impiis idololatris in faciem resistere. ¶ In libro Regum legitur de futuro *Derelinquam mihi*, &c. Sed Paulus ob immobilitatem Diuini propositi de præterito dixit, Reliqui: quia iam suo tempore verum est se factum apparebat. Nec tamen verisimile sit tantum fuisse viros seruatos, sed promiscue & mulieres: quæ nominatione virorũ comprehenduntur propter inuictum animi robur.

B. Chrysost. ser. 18. Aug. to. 7.

Illa quorundam interpretatio: Septem millia virorum id est, multa millia Iudæorum, vt vera.

Cur Paulus per præteritum dixerit, Reliqui mihi &c. non per futurum Derelinquam.

Quid curuare genua ante Baal.

¶ *Qui nõ curuauerunt genua ante Baal.* Per hanc

curua-

Eſaia 45. *Rom. 11.*

curuationem genu, adorationem intelligimus, iuxta illud: *In nomine Ieſu omne genu flectatur*; & Propheta: *Viuo ego; dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu.* Et quod dicitur: *Ante Baal* Græce dicitur cum fœminino articulo, τῇ Βαάλ. Et niſi ſit corruptum, recte referri poteſt ad εἰκόνα, id eſt, imaginem, ſiue ſimilitudinem, ſiue ſtatuam Baal.

Baal quid.

Erat autem Baal, idolum pſeudoprophetarum prædicatione celebratum. Et ſignificat Dominũ, in cuius poteſtate ſumus, vt mancipium in manu domini, & vxor in poteſtate mariti: & ideo pro idolo accipitur, cu. ſeſe totos mancipabant idololatræ.

Reliquiæ Iſrael quales Theophyl.

¶ *Sic ergo & in hoc tempore reliquia ſecundum electionem gratia Dei ſalua facta ſunt.* Applicat Apoſtolus exemplum de Helia allatum, quod idem contigiſſet nunc Iudæis, quod olim tempore Heliæ: & hoc ex gratia Dei, & miſericordia. Et reliquiæ dicuntur apud Theophylactum, ſicut quãdo reiectis paleis pura reſident grana. Genitiuus Dei, nõ habetur in Græcis codicibus, vel apud Ambroſium, & Auguſtinum libro de Pœnitentia, capi. 20. Et libro 1. Quæſtionum ad Simplicianum, quæſt. 2. circa finem. Et libro de Bono perſeuerantiæ, cap. 12. & alibi. & Hieronymum, libr. 16. In Eſaiam, in fine, & libro 1 in Michæam, cap. 2. Et gratia non poteſt eſſe alterius, quam Dei, ideo videtur ſuperfluere. Et eſt ſenſus: Secundum electionem gratuitam, non ob propagationem carnis, aut patrum, aut ſeruatæ legis merita. Verbum Saluæ, in Græcis codicibus non eſt, legunt tamen Ambroſius, & Auguſtinus libro de Bono perſeuerantiæ, cap. 18. & Origenes Græcus, & videtur aliquo modo eſſe ſupplendum ad maiorem claritatem maxime Capite priori, ex Propheta ſit productum illud: *Si fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquia ſaluæ fient.* Et Auguſtinus libro Quæſtionum in Geneſim, hunc præſentem locum cum illo Eſaiæ comparans, ait: *Reliquiæ per electionem gratia ſalua factæ ſunt: quia Propheta prædixerat: Etſi fuerit numerus filiorum Iſrael ſicut arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.* Eodem modo citat Hieronymus in prædictis locis, & Proſper libro primo de Vocat. Gentium capit. 3. Et ita, ſi dicamus: Reliquiæ ſaluæ factæ ſunt, intellige de prima ſalute, hoc eſt de iuſtificatione, non autem de ſecunda, vt hæretici faciunt, vt inferant, vitam æternam ex gratia eſſe, & non ex operibus: quæ illatio vera eſſet ſi per opera accipiant illa, quæ ſine gratia præſtari poſſunt, de quibus hic ait Apoſtolus: ſecus ſi de operibus in gratia Dei eſt, vt mereri poſſimus vitam æternam.

Theophyl. *Amb. to. 5.* *Aug. to. 4.* *Idem ibidẽ prope med.* *Idem to. 2.* *Hiero. to. 6.* *Ambroſ.* *Auguſtin.*

Origen.

Rom. 9. *Eſa. 10.* *B. Aug q 148. to 4. circa prin.*

Hieronym. *Proſper apud Amb tom. 2. ini.*

Hæretici dictum Apoſtoli: Reliquiæ Iudæorum ſaluæ factæ ſunt, de prima ſalute, id eſt iuſtificatione cur nolint intelligi veteratores.

Quod ergo de prima ſalute intelligatur hic textus, oſtendunt alij loci eiuſdem Apoſtoli. Nam ad Tit. 3. ait. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Et ad Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſaluati per fidem; & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Et cap. 8. huius epiſtolæ: *Spe ſalui facti ſumus*; & Dominus: *Fides tua te ſaluam fecit.*

De iuſtificatione eũ locum intelligendũ Scriptura oſtenditur. *Tit. 3.* *Epheſ. 2.* *Rom. 8.* *Luc. 7.*

Si autem gratia, iam non ex operibus. Ponderat ſua verba, quæ dixit, Per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt; ergo iam non ex operibus: alioquin, quod dicitur gratia, iam non eſſet gratia. Pugnat enim aliquid gratis donari, & operibus reddi; ſicut gratuitum, & iuſtum, indebitum & debitum. Et hanc eandem inferendi rationem ſecutus eſt Apoſtolus Capite quarto huius epiſtolæ in principio. Et opera in ratione operum non pugnant cum gratia, quia nonniſi diſpoſito, & ſtudio bonorum operum præparato conferunt: pugnant tamen opera in ratione debiti, & iuſtitiæ cum gratia. Et ita vt ſæpe docet Auguſtin. opera vocat merita. Non pugnat etiam ratio meriti cum gratia, ſi meritum oritur ex gratia: nam dicitur reddi vita æterna ſecundum opera vniuſcuiuſque. Nam tunc mereri, nihil eſt aliud quam dari gratiam pro gratia. Sed illud verum eſt, opera naturæ, aut liberi arbitrii, ſiue legis non promereri gratiam, ſiue gloriam. Et ita ſolutum eſt dubium propoſitum. In omnibus fere Græcis codicibus additur, & legendum contendit Faber: *Sin vero ex operibus; iam non eſt gratia: alioquin opus iam non eſt opus.* Sed Eraſmo hæc lectio non placuit, nec codex Aldinus, aut Hiſpanienſis illam habet, nec Origenes, nec Chryſoſtomus Græci, nec Ambroſius, aut Hieronymus Latini; & ideo videtur adiectitia. Fecerunt tamen eius mẽtionem Theoph. & Oecumenius: & videtur congruere ad explendam fidei, & operum antitheſim, & ſenſui nihil nocet: quia ſenſus eſt: Si ex operibus (hoc eſt, meritis) iam non eſt gratia: alioquin id quod eſt ex operibus, iam non eſſet ex operibus.

Ad tertiũ, dubium.

Auguſt.

2. Tim. 4.

Ioan. 1.

Fab. Stapul. *Eraſmus.*

Origen *Chryſoſt* *Ambroſ.* *Hieronym* *Theophyl* *Oecum. c. 10. ſub init.*

Quid ergo? Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt; cæteri vero excæcati ſunt. Colligit Paulus ex dicta interrogatione concluſionem: Quid ergo? ſcilicet conſequitur ex iſtis? hocne quod quærebat Iſrael, id eſt bona pars Iſraelitarũ, quæ ſuam quærebat ſtatuere iuſtitiã & ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Et hoc eſt, quod hic ait: non eſt cõſecutus. ¶ *Electio autem conſecuta eſt.* Id eſt, Fideles ex Iudæis electione Dei vocati cõſecuti ſunt, quia per fidẽ, & non ex operibus. ¶ Vbi primũ obſerua electos dici electionem

Quid illud, quod quærebat Iſrael, & non conſecutus, & quare. *Rom. 10.*

Supra 9. Electio pro electis, more Scripturæ.

per

per Henallagen ſpeciei, vt ait Theophyla. ſicut circumciſio dicuntur circumciſi; præputium, prӕputiati; vocatio, vocati, vt 1. Cor. 1. *Videte vocationem veſtram fratres*: & tranſmigratio apud Ieremiam, & Ezechielem frequenter ſignificat tranſmigratos.

Gaudet enim Hebræa lingua eiuſmodi locutione. Secundo perpende, B. Ambroſium hunc locum interpretantem, totũ populum partiri in partes tres; quarum prima dicitur non conſecuta, quod quærebat, ſcilicet iuſtificationem, eo quod quæreret eã ſuo marte proprio, id eſt, per opera, non ſe Chriſto ſubijciens, nec eius gratiam agnoſcens. Hæc tamen pars nõ omnino reiecta fuit, ſi tamen vellet reſpicere ad Ieſum, & conuerti ad æmulationem Gentium, quas videbat paſſim introire in Chriſtum. Secũda pars pertinet ad reliquias, id eſt, ad eos, quos gratioſe nouit Dominus, vt non permiſerit eos perire, aut excidere. Tertia pars eſt excæcatorum, qui ſua malitia oculos veritati clauſerunt, vt ſcopum legis, & Prophetarũ, qui eſt Chriſtus, non cernerent. ¶ *Sicut ſcriptum eſt: Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos, vt non videant; & aures, vt non audiant vſque in hodiernum diem.* Quia hæc verba: Dedit illis Deus Spiritum compunctionis, in Eſaia, vnde deſumpta ſunt, non habentur, Origenes putauit eſſe à Paulo ipſo adiecta, non autem à Propheta dicta; ſicut & illud adiectum eſt: *Vſq; in hodiernum diem.*

Sed profecto, quia hæc verba per modũ allegationis producuntur, prӕmiſſo verbo, *Sicut ſcriptũ eſt*, recte dicitur accepta eſſe ex Capit. 19. Eſaiæ, vbi Hebræa habent: *Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis*, id eſt, altiſſimi, & profundiſſimi ſomni, quo velut lethargo, vel veterno, quod omnem ſenſum adimit, oculi eorum clauduntur, ne videãt. Hebræa habent, Ruach tardema: qua voce vſus eſt moyſes, Gen. 2. quando miſit Deus ſoporem in Adam, & ei non ſentienti extraxit coſtam, ex qua formata fuit Eua. Pro illis verbis Septuaginta dixerunt: *Potauit vos Dominus ſpiritu cõpunctionis* Πεπότικεν ὑμᾶς πνεύματι κατανύξεως: quorum verſionem ſecutus eſt Apoſtolus; illi porro magis ſenſum quã verba reddidere, & interpretationem illius verbi Hebræi, ſiue expoſitionem Et pro verbo Potauit, Apoſtolus dixit ἔδωκε vt connecteret hoc cum altero ſequenti teſtimonio eiuſdem Prophetæ capit. 6. ¶ Per Spiritum vero more Hebræorum intellige Dei afflatum per Spiritum ſuum bonum agentis, vel per malum iudicia ſua exercentis: nam legimus ſpiritum fornicationis, auaritiæ, & vertiginis, & procellarum.

Theophyl.
1. Cor. 1.
Ierem. 24.
Ezech. 3.
Iudæi trifariam diuiſi ſecundum Ambroſiũ.
B. Amb. c. 5
Quinam excæcati Iudæi.
Rom. 10.
Act. 10.
Eſa. 6.
Illud: Dedit illis Deus ſpiritũ compunctionis, vnde ſumptũ ſecundum Originem.
Orig. to. 2.
Altera ſententia probabilior.
Eſa. 29.
Gen. 2.
Ad IV. dub.
De teſtimonio Eſaiæ, quemadmodum id Paulus citauerit.
Eſa. 6.
Quid ſpiritus (ſcilicet compunctionis) duplex ſẽſus.
Oſea. 4.
Pſal. 148.
Pſal. 29.

Chryſoſtomus, cuius ſententiam ſequitur Suidas, compunctionis ſpiritum interpretatur, non operationem aliquam, ſed DEI permiſſionem, vt aliquis maneat in malo, veluti clauus affixus iuxta illud: *Vt canet tibi gloria mea: & non compungar.* Somnum ergo appellauit compunctionis, quod compungat cor, & pene mortuum relinquat ſine ſenſu. Quemadmodum Pſalmo quinquageſimonono, vbi Hieronymus reddidit: *Potaſti nos vino conſopiente*, interpres noſter vertit, *Vino compunctionis.* Aliqui putant acceptum ex Eſaiæ 19. *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Aegyptum in omni opere ſuo.* Id eſt, Error, & ſeductio reddet eos animo conſternatos, vt nihil cœleſtium rerum videãt, vel ſentiant. Porro Paulus hunc locũ citauit coniunctum, & coagmentatum cum alio, Eſai. 6. quem morem ſeruant Apoſtoli, & Euangeliſtæ, vt Scripturæ teſtimonia ex multis locis coagmentata producant, vt idẽ ſignificari oſtendant diuerſis locis, & altero loco alteri lucem adferant: à quo nõ abhorrent 70. cum locorum, quos interpretãtur, ex alio Scripturæ loco faciunt paraphraſes. ¶ Et illud; *Vſq; in hodiernum diem*: ideo adiectum eſt à Paulo, vt oſtenderet, ſuo tempore durare Iudæorum cæcitatem, inſinuando illam aliquando ceſſare debere, nimirum quando plenitudo Gentium intrauerit, vt paulo poſt dicit. Hæc autem cæcitas etiam comprehẽdit eos omnes Iudӕos qui nunc ſunt, quia permanentes perfidia ſua & Chriſtum amplecti nolentes, ipſo facto teſtantur, quia ſi daretur eis facultas, quod patres eorum Chriſtũ fecerunt, idem & membris Chriſti facerent. Vel ſane dici poteſt, iſtos ob id excæcatos, quod parentum excæcatorum ſint filij. Nam ſi eorum progenitores Chriſtum, vt debebant, cognouiſſent, eorum filij in tanta cæcitate nõ permanſiſſent. Et non ait: Oculos illis eruit, vt non videant, vel, aures conuellit, vt non audiant: nam oculos habeant, & literӕ corticem legebant, ſed non ſpiritum latentem: miracula intuebantur & Chriſti doctrinam audiebant, ſed nihil, eorum intelligebant, Subiungit, & aliud teſtimonium Dauidis. *Fiat menſa eorũ coram ipſis in laqueum.* Non loquitur Dauid imprecando, ſiue malum optando, ſed prophetando, quod iam ſancitur in decretis Dei propter iuſtitiam viuere, & ita interpretatur Auguſtinus in eum Pſalm. Porro nomine menſæ interpretes varia, & diuerſa accipiunt. Duo tantum attingam. Primum ex Origene, & Chryſoſtomo, mẽſam eſſe ſacræ Scripturӕ paginam, in qua Iudæi gloriabãtur, & de qua Salomõ: *Sapientia*

Eſa. 19.
B. Chryſ. ſer. 86. in princ. Suidas.
Pſal. 29.
Cor ſomnus compunctionis dicatur.
Hier. to. 8.
Pſal. 59.
Quid ſignificet: Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, &c.
Eſa. 19.
Cur Paulus & Euangeliſtæ plura ſimul ac mixtĩ proferant teſtimonia Scripturarum.
Quare Paulus illud addiderit verbis Eſaiӕ: Vſque in hodiernum diem
Rom. 11.
Iudæorum noſtri temporis cæcitas vnde.
Alia ratio
Quo ſenſu dicatur à Propheta: Fiat menſa eorum coram ipſis in, laqueũ &c.
Pſal. 68.
B. Aug. t. 8.
Orig. to. 2.
Chryſ ſer. 19.

ædifi-

ædificauit sibi domum, & proposuit mensam sua: quam, locum pascuæ vocat Dauid Psal.22. Reficitur enim spiritus, & eodem alitur, tum fides, tum charitas, tum spes nostra. Vnde Apostolus: *Lac vobis potum dedi, non escam.* Conqueritur ergo Christus in Psalmo, quod sibi sitienti salutem Iudæorũ, illi acetum, & fel porrexerint, hoc est, Scripturas falsis sensibus, & amaritie corruptas: qua de re talionis pœnam illis promittit. *Fiat mensa eorum*; id est, Lex scripta, quæ ante eorum oculos scripta est, vt veris sensibus pascantur, & potentur, per sinistram intelligentiam fiat in laqueum, quo strangulentur, & in retributionem, ex eo, quod Christum potarunt felle. ¶ *Et in captionem* vt capiantur, & reuincantur per Scripturas vt faciebat sæpe Dominus, & de Stephano dicitur Actor.7. & de Paulo Actor. 9. *Et in scandalum.* Solent enim machinæ quædam præparari ad captãdas feras, in quas impingentes pereunt. Hic est vnus sensus. ¶ Alter vero est, vt per mensam, Christum in cruce accipiamus, qui erat velut eorũ phase, & agnus torridus igne Spiritus sancti in ara crucis immolatus. Fuit autem coram ipsis: quia viderunt in quem compunxerũt. ¶ *In laqueum.* Quia Christi infirmitas, quæ erat parata in salutem, facta est illis sua malitia in laqueum, & tanquam nodum fecit pedibus eorum, id est, affectib. prauis, quibus adstringerentur increduli, & strangularentur. ¶ *Et in captionem.* siue vt Græce habetur, venationem, quod de suo addidit Paulus: nam in Psalmo Hebræo, vel Græco non habetur hæc vox. Et fuerunt à dæmone venatore capti, indigna de crucis mysterio eis proponente, ne agnoscerent Saluatorem. Fuit & in scandalum, sicut ipse dixit. *Beatus qui non fuerit scãdalizatus in me*; & Paulus alibi ait: *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum &c.* Vere enim hęc petra percussa, & perforata in cruce, diligẽtib. mundi gloriam Iudæis scandalum fuit. ¶ *Et in retributionem illis* Summum namque Iudæorum est supplicium, videre omnium delitiarum mensam, ipsis paratas in ad alios translatam, & ipsos esse adiectos, & repulsos, vt sit illis in perpetuum vermem. Hæc est illa mensa, quam parauit paterfamilias filio prodigo, & quæ vocata est cœna magna; & prandium, ad quod primum vocati Iudæi venire neglexerunt? ¶ *Obscurentur oculi eorum ne videant; & dorsum eorum semper incurua.* Obscuratis namq; mentis oculis, quibus spiritualis Scripturæ intelligentia eruitur de Christo, & mysterijs ei⁹, reliqui omnes sensus iuxta corticem literę tot ceremoniarum & rituum, nihil aliud sunt, quam grauissimum onus, quo Iudęi, ceu in dorso gestantes incuruantur, & veluti baiuli onusti deprimitur in terram moli succũbentes. Nam intellectus cum circa superna cæcutiat, quod appellatione dorsi venire potest, quo vitæ negotia gerimus, ad terrena procliue demittitur. Vt interim prætermittam, quod iusto Dei iudicio in omnib. gentibus captiui detinentur, seruitutem miseram seruiunt, & quod nostri baiuli sunt, dum legem, & Prophetas in nostrum commodum, & beneficium portant.

Prou. 9.

1.Cor.3.

Quid mensa id est, sẽsus Scripturæ Iudæis quomodo du factæ sint coram ipsis in laqueũ, &c.

Mat. 27.

Alter sẽsus

Exod.12.

Christus Iudæis vt factus sit coram ipsis in laqueũ.

Ioan 10.

Quomo- in captionem, & in scandalum

Mat.11.

1.Cor 1.

Num.20.

Ioan.11.

Quomodo etiam in retributionem.

Luc 15.

Supra 14.

Mat.22.

Illud: Obscurentur oculi eorũ ne videant, & reliqua, quando in Iudæis impletum.

Dorsum incuruat, quid mystice.

DISPVTATIO XXXVI.

In illa verba: *Dico ergo, Nunquid sic offenderunt, vt caderent? Absit. Sed illorum delicto salus est Gentibus, vt illos æmulentur. Quod si delictum illorum, diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ Gentium; quanto magis plenitudo eorũ? Vobis enim dico Gentibus, quamdiu quidem ego sum, &c.*

HAec interrogatio dubitationem habet, quorsum spectet, & quomodo conueniat cum præcedentibus. Deinde quid est, quod ait, Ministerium meum honorificabo, cum obligaretur lege Dei ad omnia, quæ Iudæorum salutem promouere possent. Tertio, qua ratione infidelitas Iudæorum, & excæcatio, causa fuerit salutis Gentium: an non Gentes quoque saluarentur, si Iudæi in fide permansissent? Deniq; dubia est illa metaphora insitionis, quam tam late Paulus persequitur; ac proinde digna est, quæ diligenter excutiatur.

Primum facile soluitur, si dicamus, quod cum Prophetæ tam acriter de lapsu Iudæorum loquantur, quæri merito posset, an illorum ruina fuerit inutilis, & cassa, aut omnino irreparabilis, & insanabilis, an non? & hoc est, quod modo petractat. Nam dicendo, Nunquid sic offenderunt, vt caderent? significat, Nunquid ita impegerunt, & offenderunt in petram scandali Christum, vt omnino conciderẽt in perpetuum? Et particula, Sic, non vitat, etiamsi in Græco non habeatur. Et subiungit, *Absit.* Et negationem hanc confirmat, ostendens illorum conuersionem fuisse vtilem & frugiferam. Absit ergo, vt casus sit irreparabilis. Subdit: *Sed illorum delicto salus est Gentibus.* Particula, Sed, accipitur pro Imo, vel, Quin potius, vt sæpe sumitur Græce Ἀλλὰ. Estque sensus: Non sunt desperãdi Iudæi propter lapsum,

Quæstio prima & secunda.

III. & IV.

Ad I. dub.

Quid scopus Apostolicæ interrogationis illius. Nunquid sic offenderunt. vt caderẽt.

Ad I. dub. Quomodo Iudæorum delictum salus sit Gentib.

vt Gentes vocandæ ad fidem eo citius vocatæ sunt, vt Iudæi, conspecta Gentium fide, & sanctitate, zelotypia quadam commoti aduersus Gentes, tandem ad fidem accedant, qui per prædicationem Apostolorum accedere noluerunt. Nam si Iudæi verbum Dei recepissent, Apostoli ad Gentes non tam cito diuertissent, vt capit. 13. & vltimo Actorum habetur. Nam visum fuit Deo vti conuersione Gentium ad salutem Iudæorum.

Gentium salutem ex repulsione & obcæcatione Iudæorum minime dependisse.

1. Tim. 2.

Hic tamen à duobus cauendum est: ne quisquam putet, Gentes non potuisse viam salutis ingredi, nisi excæcatis, & repulsis Iudæis; quasi Deus tantopere angustauerit Gentium aditũ ad se, quasi non posset vniuersum genus humanum viã salutis capessere: talis namq; cogitatio impia est de Deo. Nam vtcunque prędestinatorum numerus sit certus, vult tamen omnes homines saluos fieri. Nam si omnes credidissent, & in finem vsq; perstitissent in fide, omnes intrassent. Deinde ab altero cauẽdum, ne putes, Deum ideo Iudæos excæcasse, vt Gẽtes ingrederentur in Christum, ne Deum constituamus mali autorem: at Deus nihil mali permittit, nisi ob bonũ aliquem finem. Iudæorum malo, quod ab ipsis ortum est, bene est vsus: vt ad exaltationem hominis vsus est induratione Pharaonis. Et ideo non dixit Paulus, quod finis delicti Iudæorum esset salus Gentium. Duplex namq; fuit Iudæorum delictum. Primum, fuit homicidium, seu potius Deicidium, quo Christum cruci affixerunt, vnde diuersi orbis salus promanauit: nam granũ frumenti mortuũ multum fructum adfert. Vnde cum Græce παραπτώματι, id est, casu, vel lapsu legatur; interpres tamen ad exaggerandum crimen lapsus, delictum vertit. Deinde Iudæorum delictum fuit repellere Apostolos, quos audire noluerunt: quod in causa fuit, vt Apostoli Gentes adirent, & ita fide Gentes anteuerterent Iudæos. Et non simpliciter, teste Chrysostomo, prohibuit Christus Apostolis ne Gentes adirent, sed vt irent potius ad oues domus Israel, quę perierant. Quod in parabola inuitatorum ad cęnam delineatum fuit, vbi qui ad conuiuiũ venire detrectarunt, eiecti sunt, & alij ex plateis, pro eis euocati. Fuit etiam vtilis cæcitas Iudęorum qui per Gentes dispersi erant, vt baiulantes legem, & Scripturas, per illarum testimonia fide de aduentu Messiæ constabilirent Gentes: vt recte ait Augustin. in Psalm. 58. Nam si ões Iudæi credidissent, hostes Euãgelij putare possent, libros Canonicos humanitus adinuentos. Nunc vero cum Iudęi hostes nostri iurati illos ad nos deferant, in uictum veritati fidei perhibent testimonium. Et vt olim Diuina prouidentia ob salutem Gentium Israelitas dispersit per vniuersum orbem, vt cum prędicaretur Messias per Apostolos, testis esset ipse Israel, quod Messias olim illis fuisset promissus: eodẽ modo ordinauit Iudæorum obstinationem, vt Gentiũ saluti inseruiret. Et subdit: *Vt illos æmulentur*. Id est, Eorum exemplo prouocentur ad credendum: non quidem vt Gentes Iudæos æmulentur, vt exponit Tho. sed contra potius, vt Iudęi à prompta obedientia fidei Gentium excitati, credant in Christum, modo quidẽ pauci, postea vero omnes. Paraphrastice vero vertit Hieron. Vt eos ad æmulandum prouocaret nempe, Deus. Experientia siquidem comperimus, plures Iudæos æmulatione Christianorum perculsos in nostram se conferre familiam. Cernunt enim aduenisse nobis omnia bona pariter cum illa, id est cum sapientia, qui est Messias. Omnia siquidem bona, quib. humana florere solet felicitas, nimirum regnorũ, potentatuũ, armorum, dignitatum, literarum, honorũ, refertissima est Christiana Respublica: & Christiani inter omnes mundi nationes florentissimi sunt, & cumulatissimi.

Duplex Iudęorum delictum.

Ioan. 12.

Act. 3.

Chrys. ser. 19. in hunc locum. to 4

Mat. 10.

Luc. 4.

Quomodo etiam cæci Iudæi inter Gentes dispersi earum saluti profuerunt.

B. Aug. 58.

Quæ caussa fuerit perpetuæ Iudæorum dispersionis inter Gentes.

Iudæi vt Gentes æmulentur

B. Th. lect. 2. in hæc verba, t. 10.

Hieron.

Sap 7.

Quib. bonis per Christum gaudeat Respublica Christiana.

Quod si delictum illorum diuitiæ sunt mundi diminutio eorum diuitiæ Gentium: quanto magis plenitudo eorum? Solatur Iudæos Apostolus, ne animo concidant, eo, quod eorum ruina recuperabilis sit: idque probat quibusdã rationib. quarũ prima hæc est ab vtili sũpta. Nam si eorum delicta, & culpæ diuitiæ sunt mundi, quia per Christi mortem illorum crimine paratam vniuersus mundus ditatus est, & locupletatus, vt possit Deo satis facere, qui ante pauper, & reus, & soluendo non erat.

Ratio, cur Iudæis de sua ad Deum conuersione sit bene sperandum.

¶ *Etsi eorum diminutio* (quia ex innumerabilibus paucissimi, & rarissimi conuersi sunt, & ea celsitudine gloriæ deiecti, & diminuti) *diuitiæ sunt Gentium: quanto magis plenitudo eorum locupletabit mundum, si videant Iudæos vniuersos, ad* CHRISTVM *reuerti?* Vel: Quanto magis plenitudo eorum, videlicet, Iudæorum, si occasione accepta æmulationis in Gentes venirent ad fidem, nonne hoc magis pertineret ad gloriã Gentium? Et est argumentum à maiori: Si de malo, quod per se aduersatur bono, per accidentariam occasionem, Diuina sapientia tantum eduxit bonum; quãto magis de bona ipsorum conuersione, quæ per se ordinatur ad bonum, mũdum, ad optimum, & florentem perducet statum? Et maius est lucrum Gentium, quæ sexcenties plures erant Iudæis.

Quid significet: Si delictum Iudęorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ Gentium, &c.

Cur dictũ potius, Plenitudo, q̃ Conuersio eorum, scilicet Iudæorum.

Neque dixit: Conuersio eorum, sed, Plenitudo; vt respondeat verbum plenitudo voci diminutionis. Et subdit; *Vobis enim dico Gentibus quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo.* Argumentatur secundo ad idem, ostendens, Israelis recuperationem non esse desperatam, quia rerum desperatarũ nulla est prudentia, & nulla cura suscipitur, iuxta illud: *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis.* Nunc autem ego, qui minister sum Gentium, nunc laboro, & totus sum in eo, vt nonnullos Iudæorum æmulatione nostri ad fidem prouocem: non est ergo apud me deplorata eorum salus. ¶ Et recte Apostolus ad Gentes apostrophat in hac ratione, quia quod dicturus erat, ad eorum gloriã spectabat; & ne suspicarentur, quod qui earum institutus esset Apostolus, transferret se ad Iudæos; & vt doceret Gentes non superbe spernere Iudæos, sed fraterno potius charitatis affectu eos suscipere, & quantum possibile est, ad fidem reuocare. ¶ Et ait: *Quamdiu sum Gentium Apostolus.* nõ quod aliquando deberet à se abdicare eiusmodi functionem, sed eo tropo, quo dicimus, Quamdiu vixero, hoc nunquã faciam. Græci legunt. Ἐφ' ὅσον, quod proprie significat. Quatenus: vt Matth. 25. *Quamdiu* (pro Quatenus) *fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ita hoc loco ait se loqui tanquã Gentium Apostolus, cuius autoritas non possit contemni. ¶ Et ait: *Ministerium meum honorificabo* Copiosum fructum apud Gentes edendo, & earum exaltationem prædicando, & conuersionem Iudæorum Gentibus commendando, & bonis operib. ministerium ornando, vt aliqua ratione Iudæi salui fiant. Vel dicendum est, illum ministerium suum honorificare, qui supra quam ex officio suo debeat, præstat. Et Paulus officio tantum Gentibus prædicare debebat: plus tamen fecit etiam Iudæis prædicando & eorum fidem, quoad potuit, excitando iuxta prouerbium Græcum: *Spartam quam quisq; nactus est hanc exornet.* Ita Christus missum se dixit, nonnisi ad oues, quæ perierũt domus Israel; tamen prædicauit interdum, & signa edidit inter Gentiles.

II. ratio.

1. Ioan. 5.

QuarePaulus Gentes alloquatur Vobis (inquit) dico Gentib. &c.

Illud. Quã diu quidẽ sum Gentium Apostolus quo modo accipiendum.

Mat. 25.

Ad IV. dub.

Quid sit: Ministeriũ meum honorificabo. Alter sẽsus

Spartam colere: vt Græci loquuntur.

Mat. 15.

Et ita Apostolus 1. Corinth. 1. qui se dicebat missum non ad baptizandum, sed ad euangelizandum, potuit tamen supererogare paucos quosdam, quos ibi commemorat, baptizando. Nec enim interdictum fuerat Paulo prædicare Iudæis, etiamsi peculiari cura Gentium saluti vacaret. Et ita Actor. 9. dixit Dominus: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel.*

1. Cor. 1.

Act. 9.

Et non ait: Honorificabo vos; ne gloriæ vanæ ansam illis offerret; sed, ministerium meum, quod in gloriam Dei cedit; & vt admoneret eos non ea de causa meminisse abiectionis Iudæorum, vt Gentes insolescerent, sed vt fidelis minister diuinum mysterium detegeret. ¶ *Si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis.* Vbi dicendo, Carnem meam, naturalem affectũ sanguinis produxit, qui vel in damnatis extingui nequit. Hinc diues epulo volebat quinque fratres admoneri, ne in locũ tormentorum descenderẽt. Et verbi huius dulcedine emollit Iudæorũ hostium suorum animos, quo amanter eius monita fraterna suscipiant. Et hac in re Iudæos lucrando, honorificabat ministerium suum: tum quia vouebat propositum DEI, qui eorum delictum in salutem Gentium conuerterat: tum quia hoc honoris accedebat Gentibus, quod ipsi tanta fidei, & virtutis sanctitate in orbe elucerent, vt vel ipsi excæcati Israelitæ earum exemplo conuerterentur.

Cur Paulus, non dixerit: Honorificabo vos, scilicet Gentes, sed ministeriũ meum.

Naturalis sanguinis affectus quam vehemens.

Luc. 16.

Paulus salutem Iudæorum procurando, dupliciter suum ministeriũ honorificauit.

Dicendo autem, Si quomodo, teste Chrysostomo, Iudæorum remordet obstinationem, & cordis duritiem. Et cum ait: *Saluos faciam*: non hoc arroganter dicit, quasi ipse esset salutis autor; cum non ignoraret Christi DEI opus esse saluare, de quo dicitur: *Deus noster Deus saluos faciendi*: sed tanquam fidei minister, qui curam aliorum gerit, vt salui fiant. Vnde de seipso alio loco dicit: *Omnibus omnia factus sum; vt omnes facerẽ saluos* Et Timotheo mandat: *Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.*

B. Chrys. prædict. ser.

Idem quatatione Iudæos saluos faceret, cũ hoc sit propriũ Christi Saluatoris nostri.

Psal. 67.

1 Cor. 9.

1. Tim. 4.

Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? Repetit, quod superius dixerat: *Si delictum illorum diuitiæ sunt mundi*; nam illud pariter & hic post verbum æmulationis subiunxit. Et est expositio proximi verbi: *Saluos faciam aliquos ex illis.* Et cum supra dixisset, delictum, hic vocat amissionem, quæ per delictum est facta: nam Iudæi serui erant familiares, & domestici Dei, per quorum fugam damnũ infertur domino. Verbum tamen Græcũ hoc loco est ἀποβολὴ id est, abiectio, vel reiectio quam suo contrario opponit, nempe assumptio. Si ergo amissio, vel abiectio eorum est reconciliatio mundi (alludens ad recompensationem amissi vnius amici, quæ fit, dũ vno perdito plures acquiruntur) quæ assũptio, nisi vita ex mortuis? Multo enim minus est reconciliari quam reuiuiscere.

QuarePaulus Iudæorum delictum nunc vocet amissionem.

Mundi cũ Deo Christum recõciliatio qualis.

Mundus autem dicitur reconciliatus ab ira antiqua per Christum, qui non offenderat, sicut Iudæi in Christo, sed adhuc aliquo

Rom. 5.

modo

Ephes. 2.

modo viuebat, licet in Adam inueniretur, sub inimicitia Dei. At Iudæi qui in signi scelere Deum irritauerant, non iam reconciliati, sed reuiuiscere dicentur, si cursus assumantur: quia peccatum illud tam grande perfectam mortem promeruit. Hoc est verum illud gaudium, & symphonia in domo patrisfamilias, quando dixit: Epulari autem & gaudere oportebat: quia frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

Luc. 15.

Chrysostomus tamen, & Origenes cum Ambrosio, hæc ad resurrectionem vniuersæ carnis in die iudicij referri volunt. Nam assumptis à Iudæis, & conuersis ad Christũ superest resurrectio vniuersalis: quæ tunc futura est, quando tuba Angelica intonuerit. Et vt Iudæorum abiectio non fuit causa, sed occasio reconciliandi Gentilitatem, ita susceptio Iudæorum occasio erit, & non causa resurrectionis. Sed prior sensus mihi præstare videtur. Et subdit: *Quod si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta & rami.*

Chrysost. 19 Orig. & Amb. 10.5. 1. Cor. 15. 1. Thes. 4.

III. ratio sperandæ Iudæorum

Tertio confirmat spem instaurandæ salutis Iudæorum, ne Gentes inique in eos gloriarentur. Atq; hoc argumentum conficit ex natura generis Iudaici. Verbum *Delibatio* Græce dicitur ἀπαρχὴ, quæ vox verti potest vel primitiæ, vel fermentum, vt hic Theophylactus, & 1. Corinth. 5. vertit interpres. Erasmus frumentum vertit, ex quo sumitur massa. Sed certe primitiæ sunt, quod primo ex aliquo sumitur, & delibatur, non autem illud, ex quo. Hic vero Ambrosius, & interpres vertit, delibationem: proprie enim vox Græca ἀπαρχὴ, id significat, vnde primitium deducitur alicuius rei, & deriuatur, & procedit ad alia. Quare à primitiis in fructibus, & animalibus, est initium rei, & deriuatio ad alia posteriora. Hinc Christus dicitur primitiæ dormientium: quia omnes eius virtute excitantur. Ita primi fructus arboris, & primi fœtus animalium, qui sunt illorum primitiæ, initium sunt fructificationis arborum, & generationis animalium. A fermento quoque deriuatur fermentatio, vel conspersio, quæ totam massam perficit, vt panis esse valeat, qui humano esui sit aptus. Delibatio vero est id, per quod ei initium sumitur, id est, massæ fermentatę degustatio, quo deprehẽdatur, an optimum habeat temperamentum. Etsi ergo in alijs locis optime vertat interpres nomine primitiarum: hic tamen magis placet vox delibationis, id est, fermenti, quod respondet massæ, vel conspersioni, & non ita voci primitiarum. Hinc Ambros. ait: *Manifestum est, quia quod vnus substantia est, vnũ est; ac per hoc non potest delibatio sancta esse, & massa*

Theophyl. 1. Cor. 5. Erasm. interpretatio Quod si frumentũ &c. pro, Delibatio sancta est, quare non probetur. B. Ambr. hoc loco.

1. Cor. 15. Coloss. 1. Apoc. 1.

Quid sit fermentatio, & quid delibatio.

Ratio huius interpretationis: Quod si delibatio, &c.

B. Ambros.

immũda. Delibatio enim de massa est. Et Theophyl. *Necesse est primitias, hoc est, fermento massam & radici ramos assimilari.*

Et alludit Paulus ad legem Numer. decimoquinto, vbi tradit, primitias esse dandas Domino de cibis, & de areis, & de pulmentis. Vnde primitiua, vel primitias Septuaginta verterunt, ἀπαρχὴν, quæ hic dicitur delibatio, & Hebraice reseith. Rursus Hieronymus vertit cibum; & pulmentum; Septuaginta transtulerunt φύραμα qua etiam voce vtitur hic PAVLVS Græce; interpres noster dixit, massam, & alibi conspersionem, Hebraice autem arista: quam vocem Santes Pagninus transtulit, pastam.

Theophyl. Eiusmodi metaphorã vnde Paul. sumpsit vide-atur. Num. 15.

Hieron.

Santes Pag.

Est ergo argumentum Apostoli per metaphoram tale: Si delibatio Israelis, puta Abraham, Isaac, & Iacob, qui fuere fermentum illius massæ, id est, populi, sancta fuit; ita & massa habilitatem, & aptitudinem habet, vt non sit velut reiecta, quin posset (etsi modo acescat) fermento Euangelicæ prædicationis in sanctitatem restitui. Hoc est: sicut à Domino delibatum fuit ex eo, id est electum, & suo gustu probatum fuit sanctũ hoc est, Patriarchæ illi, & reliqui Apostoli, & cæteri, qui crediderunt Spiritu sancto pleni, qui tamen ex ea excepti fuerũt ad gratiam; ergo & massa sancta erit; alioquin de ea, vt immunda non delibassent. Secundo subiungit: *Et si radix sancta* (id est Patres, ex quibus soboles illa Hebræa propagata est, vtique) *& rami*: etiamsi nunc ad tempus crescant, repullulare valent, quia tales rami continentur in radice, & adhuc de ea non sunt execti, vt igni destinentur. ¶ B. Augustinus epist. ad paulinum scribit, hunc locum repugnare alijs Scripturis, quæ tradunt, vnumquemq; in suo peccato, aut iustitia mori, vel viuere; & iustitiam, vel iniustitiam parentũ non transire in filios. Quare Augustinus massam, accipit eam partem Iudæorum, quæ non descendit ab Abraham secundum infectionem naturæ, & corpulentam substantiam, sed secundum imitationem fidei eius. Verum, si recte verba expendamus, Paulus loquitur de ramis fractis, & massa reprobata. Quare dicendũ est, quod hic locus, nequaquam alijs aduersatur: nam aperte est sermo de sanctitate legali, & naturali, non de spirituali. Illa autem naturalis, est quędam habilitas perueniẽdi ad fidem, & consecutionem promissionum Abrahæ factarum: quia filij sunt Abrahæ fideles, ex cuius semine descendit Christus secundum carnem. Ita accipitur sanctitas, 1. Corinth. 15. Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Et ad Gala.

Hæc Pauli argumentatio quatinus: Quod si delibatio sancta est, & massa, &c.

Per massã, electos ex Iudæis, id est, ex Abraham secun dum fidẽ, non secundum carnẽ descendentes, eis intelligat Augustin. B. Aug. epist. 106. ante medium. Ezech. 18.

Massã pro naturalib. Iudæis, ac reprobis, vnde confitet accipiendam.

Quid naturalis Iudæorum siue legalis sanctitas esset. Rom. 9. 1. Cor. 17. Gala.

stas, noli altum sapere, sed time, ne scilicet excidas à fide, & excidaris ab olea, in qua insitus es, quemadmodum & illi exciderunt. Et vna fidei custodia est sanctus timor. *Si enim Deus naturalibus ramis* (id est, Iudæis ad radicem per originem carnis pertinentibus) *nõ pepercit, caue tibi contingat, vt nec tibi parcat.* Et duplex est illa negatio in Græco, Ne forte nec tibi parcat non affirmat, vt apud Latinos. Et hic locus docet, quam sit vana Lutheranorum securitas, sicut fuit illa Pharisæi orantis in templo. Recte Apostolus admonet: *Si quis existimat se stare, videat ne cadat*; Rursus. *Cum metu, & timore vestram salutem operamini.* Quia exciditur palmes in vite fructum non ferens; & arbor non fructificans exciditur, & in ignem mittitur.

Vna fidei custodia est sanctus timor.

Contra inanem hæreticorũ fiduciã.

Luc. 18.

1. Cor. 10.

¶ *Vide ergo bonitatem, & seueritatem* Dei. Apostolus operam dat, continere Gentes in timore, ab eo, quod consueuit facere Deus: quoniam non solum exercet bonitatem erga immerentes, verum etiam seueritatem in eos, qui delinquunt. Et consideranda est simul Dei bonitas, & seueritas, non altera siue altera: quia talis separatio periculosa est, & vult nos inter spem & metum versari. Et seueritas non est vitium, sed censoria iudicis grauitas nihil de iuris rigore remittens. Et prædicit Iudæos, si non permanserint in incredulitate, facile reinseri posse, in suam oleam. Nam vt est apud Iurisconsultos, Res de facili redit ad naturam suam. ¶ Sed dubium est, quomodo rami iam præcisi dicantur iterum inserendi, cum hoc impossibile factu esse videatur? Sed hoc facile resoluitur. Nam cum mirarentur discipuli, de verbis Christi dicentis, diuitem in regnum cœlorum intrare non posse; illis hæsitantibus respondit: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deũ*, & in horto orauit ad Patrem, *Abba Pater omnia tibi possibilia sunt*, dum deprecaretur calicem. *Potens est enim Deus iterum inserere illos.* Proponit Dei potẽtiam, vt non hæsitemus de bonitate, & magnificentia Dei, cuius effundendo est sitientissimus. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ; &, *Non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat*; & Angelus ad Virginem, *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* ¶ Potest etiam aliter solui quæstio. Nam rami præcisi possunt iterum inseri, antequam omnino arescant, & amittant omnem vigorem. Ita enim docet Plinius, præcidi interdum surculos à vite, vel pyro, & inseri in eandem arborem, & meliorem fructum ferre, si tamen tempus faueat insitioni.

Ioan. 15.
Matth. 3.

Quam recte Paulus bonitatem Dei cum seueritate coniunxerit.

Quid sit seueritas.

Rami fracti vt valeant, natura repugnante, reinseri.

I. solutio.

Luc. 18.

Marc. 14.

Diuinæ potentiæ & bonitatis magnitudo.

Matth. 3.

Luc. 1.

Altera solutio.

Plinius. lib. 17. capi. 19.

¶ *Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & cõtra naturam insertus es in bonam oliuam*, &c. Oleastrum naturale vocat, non respiciendo naturam, qualis ab initio fuit creata, vt docent Manichæi, sed vt est in Adam vitiata, & ab eo in posteros deriuata: sicut superius naturales ramos vocauit illos, qui natiuum genus, & sanguinem ducunt ab Abraham, cui cum posteris facta est gratiæ promissio. Ita etiã Ephes. 2. natura dicimur filii iræ, non quatenus à Deo conditi sumus, sed sorte nascendi, siue natiuitate. Et Sap. 12. Naturalis est malitia Chananæorum, siue à naturę corruptione, siue ex consuetudine, quę est altera natura. Gręca non habent, Contra naturam, sed præter naturam; id enim est παρὰ φύσιν. Et non est hoc verbum ita dure intelligendum, vt sonat. Deus enim, cui natura omnis velut auctori suo obedientissima paret, nihil agit cõtra naturam, nec vim vspiam infert rebus. Nam fluxus, & refluxus maris, etsi contra particularem maris naturam existat; tamen quia fit ab influxu cœlorum, quibus mare paret, non est simpliciter contra naturam. Agit vero Deus præter naturam, vel supra naturam, cum cæco visum, mortuo vitam restituit.

Gentilis quomodo ex naturali excisus sit oleastro, cõtra Manichæos.

Vt fuerimus natura filii iræ.

Ephes. 2.
Sap. 12.

Gentilem contra naturam insertum esse in oliuam bonam, quomodo accipiendum.

Opera Dei quæ sint supra, vel præter naturam.

Est autem præter naturam, cum ramus malus inseritur in oliuã bonam, quę Græce dicitur καλλιέλαιος, contrarium ἀγριέλαιος, cum contra fieri soleat. Est etiam pręter naturam, quod surculus insitus non fructum suum, sed illum arboris, in qua insitus est; ferat. Et ita insiti Christo, non nostrum, sed fructum Christi ferimus, sicut dixit: *Qui manet in me, & ego in eo: hic fructum fert multũ: quia sine me nihil potestis facere.* Et hæc pauca sint satis de insitione, cum alio loco multa de illa dixerimus.

Ioan. 15.

Lib. 1. disp. in Paul. disp. 20.

DISPVTATIO XXXVII.
Et postrema.

In illa verba: *Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc (vt non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, sicut scriptum est, Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum. Sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio*, &c.

PRimo loco in dubitationem venit, cur incredulitas Iudæorum appellatione mysterii veniat. Et quomodo illa sint intelligẽda. Deinde dubitatur de testimonio

I. dubium.

II.

Producto ex Esaia, an ad literam sit prolatum, & an ex fonte Hebræo, an ex translatione Septuaginta interpretum.

III. Tertio dubitatur, quomodo dona Dei, & vocatio dicantur sine pœnitentia, cum de multis testetur se pœnituisse. vt, *Pœnitet me fecisse hominem:* & lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset Regem Saul super Israel: & *Memor fuit testamenti sui, & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.*

Gen. 6. 1 Reg. 15. Psal. 105.

IV. Quarto, quomodo cōcluserit, Deus omnia sub incredulitate, vt omnium misereatur, & an sit Deus causa mali.

V. Postremo, qua ratione assurgat in illā apostrophen: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei,* & an verum sit, quod quidam putant, deficientibus rationibus ad illam exclamationem confugisse.

Ad 1. dubi. Cur Iudęorum incredulitas; mysterium appelletur.

Primum facile est expedire. Nam vocat mysterium, non accipiendo mysterium pro vno de septem Sacramentis, quæ mysteria Noui Testamenti dicuntur, sed vt significat quodcunque arcanum, vel in ænigmate, & in symbolo inuolutum. Quia arcanum erat sub Dei secretissimis rationibus reconditum: tum quod hactenus sub metaphora & ænigmate de olea, & oleastro illud occuluerat: tum denique, quia Prophetæ multa prædixerant de hoc mysterio sub velaminibus & integumentis, ne cui esset obuium, & manifestum, maxime Esaias, qui c. 6. multis in locis idem repetit. Et hæc est maxima pars cæcitatis, quod cæcitatem suā non agnouerint, nec admoniti à Christo, & ab Apostolis illā agnoscere voluerint.

Iudæi in quo maxime cæcitatem declarauerint suam.

Subdit: *Vt non sitis vobis ipsis sapientes.* Id est, ne ipsi vobis magistri sitis, putantes vos penetrare secreta Dei consilia, quæ nemo potest intelligere, nisi fuerit à Deo instructus & ne nimium vobis placatis propter vestrā sapientiam, & Iudęos reiectos contemnatis: Est autem mysterium, quod cæcitas, vel stupiditas, vel insensibilitas, Græce autem πώρωσις, ex parte contingit in Israel, non quidem toti, sed parti eius, vt explicat Theophylactus.

Quid sit: Cæcitas ex parte contigit in Israel.

Recte in hunc locum Prosper Aquitanus libro, de Vocatione Gentium ponderans, scribit: *Non omnis Israel reprobatus est, nec omnis electus est, sed partem cæcitas voluntaria auertit, partem sibi illuminatio gratuita reseruauit: & tamen ita de eis sermo habetur, vt & in ijs, qui pereunt, & in ijs qui salui fiunt, nulla totius generis videatur facta discretio. Nam cum legitur: Secundum Euangelium inimici quidem propter nos, secundum electionem autē dilecti propter patres; ita locutio sonat, tanquam eosdem dicat dilectos, quos dixit inimicos. Sed hāc caliginem Apostolus ipse detersit, dicendo: Quia cæcitas ex parte in Israel contigit, vt vnum genus, in duas species intelligeremus esse diuisum, & omnem hominem, omnē plenitudinem omnem Israelem non semper ad vniuersitatem, sed plerunq; ad partem est referendum.* Hæc ille eleganter, & docte.

Theophyl. Prosper l. 1. de Voc. Gent. c. 3. in fin. to. 2. oper. D. Ambros. in princ. Rom. 15.

Vel potius ex parte, hoc est ad tempus, & non in sempiternum. Sicut c. 15. ait: *Audacius scripsi vobis fratres, ex parte.* Est ergo hic ex parte, id est, nec vniuersaliter nec perfecte. ¶ Vbi obserua nonnulla. Primum, quod non in vniuersum debemus intelligere excæcatum populum Iudaicum, quantū ad eximia, & efficacia gratiæ dona, & beneficia Dei spectat, quæ primo habuerunt Iudæi, deinde Gentes, tertio habuerunt Iudæi, & Gentes simul, alternatim tamen: modo enim possunt saluari Iudæi, si velint, non tamen offert eis illam exuberantem gratiam, quam nobis modo donat.

Iudæi quatenus fuerint obcæcati.

Obserua etiam & illud, quod Deus non est causa huius cæcitatis effectrix: quia intentator malorum est, & diues in omnes, qui inuocant illum; &, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* & rursus, *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendāt:* & iterum: *Lux venit in mundum, & dilexerūt homines magis tenebras, quam lucem.*

Iudæos nō à Deo, sed tantum à seipsis fuisse excæcatos. Iacob. 1. Rom. 10. Ioan. 1. Infra 12. Supra 3.

Quod ergo dicitur Esa. 6. *Excæca cor populi huius,* & Io. 12. *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum,* & similes loci permissiue accipi debent; quia Deus subtrahit lumen suum sine quo quis in mediis tenebris versatur; & gratiam suam, per quam cor carneum, & molle effici poterat, & sine qua homo in duritie sua permanet.

Quomodo Iudæos excæcasse, & indurasse cor eorū Dominus dicatur.

Tertio obserua, quod ait: *Donec plenitudo Gentium intrauerit,* scilicet in Ecclesiam Dei per ostiū, qui est Christus. Intrant aūt per Christū, quando fide, & Sacramento illi incorporamur. Cum autem nondū videamus Iudæos vocari; recte colligimus. Gentes omnes nondū intrasse: nam si iam intrassent, etiam Iudæi ad Christum venient.

Gentes in Ecclesiam Dei quomodo intrabunt, Ioan. 10. Vnde constet, Gētes in Ecclesiā nondum intrasse: & quando intrabunt.

Et cum dicat, Tunc omnis Israel saluus fiet, videtur loqui de vniuersali Iudęorum conuersione, cui non repugnat paucos aliquos eiusmodi vocationi resistere, vt Origen. annotauit, & Scholia Græca ex Clemente Alexandrino. Sicut cum dicitur plenitudinem Gentium intrasse, non repugnat eum eo, quod aliquę nationes Paganorum, aut tardius, aut nunquam sint conuersæ.

Orig. to. 2. Cle. Alex.

¶ Quod vero quidam existimant, Iudæorum conuersionē, de qua hic est sermo, non aliter euenturā, quam eo modo, quo nunc paruuli Iudæi Romę, aut Venetiis, aut Neapoli, aut aliis in partib. mundi conuertūtur: mihi non ꝓbatur: quia aperte Tex. ait, Tūc omnis Israel saluus fiet: quo verbo generalis quædā designatur conuersio, quā hactenus

Quod dicitur: Et tūc omnis Israel saluus fiet parum idonea. à quibusdā de quotidiana conuersione Iudæorum intelligi.

neque

neque vid'mus, nec audiu'mus. Et si quæ per violentiam facta est in aliquo regno, aut prouincia cogentibus Principibus, vt aut Iudæi recederent, aut Baptismum susciperent: illa etsi ex zelo Dei sit profecta, tamen successus felices non habuit, quia ex corde illa conuersio non prodiit, vt ipsa experientia aperte demonstrauit. Hic aût significatur vniuersalis ad Christum reditus, sed spontaneus ac voluntarius. In posteriori quoque ad Corinthios prænuntiat Iudæis aliquando auferendum velamen, & Iudæos conuertendos. Quod etiam Regius Propheta prædixit, cum dixit: *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes.* Sed nullibi apertius, quam Oseæ cap. 10. & Esai. 59.

Iudæorum fere infœlix omnis violenta cōuersio.

1. Cor. 3.

Psal. 58.

Admiranda vero est Fabri, Oecolampadii, & aliorum id generis hominum audacia qui fabulam esse tradunt, quod de Israele conuertendo in fine mundi dicitur: quæ tamen conuersio à Prophetis toties est prædicta, & decantata, & à Paulo tanta verborum emphasi tradita, & à Patribus communi sensu recepta. Nam ecce Irenæus eius meminit lib. 4. capit. 30. & iterum lib. 5. Et August. lib. 20. de Ciuit. Dei, ca. 29. *Per hunc,* inquit, *Heliam magnum, mirabilemque Prophetam expositâ sibi lege, vltimo tempore ante iudicium, Iudæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus, cordibusque fidelium.* Idem docet Hieronymus in Psalm. 20. Et in Ieremiæ c. 16. quâquam in ca. 11. Esaiæ aliter sentire videatur. ait enim: *In illo tempore, de quo & supra dictum est, cum resurrexerit radix Iesse in signum populorum siue vt dominetur Gentium, apponet Dominus secundo manum suam, vt nequaquam iuxta nostros iudaizantes in fine mundi cum intrauerit plenitudo Gentium, tunc omnis Israel saluus fiet. Sed hæc omnia in primo intelligimus aduētu.* Hęc ille communem sententiam vt fabulam Iudaicam tractans; tamen in epistola ad Algasiam melius sentit, & super ca. 17. Matthæi. Et licet c. 4. Malachiæ super illud; *Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios.* (dando scilicet verū Scripturarum intellectū, &c.) dubitet, an in propria persona sit venturus Helias, an in aliena vt alij putant: inconcusse tamen tenet, futuram gentis Iudææ conuersionem: vt etiam Chrysostomus, Theophylactus, & Ambrosius hoc loco, & libro de Ioseph patriarcha, cap. vlt. notat: quibus adstipulatur Prosper lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 3. *Pertinent autem,* inquit, *hæc* (scilicet verba Pauli) *non ad eosdem homines: nam vocatio, quæ prope mundi finem fiet, ad præteritam non reuocat ætatem* Origenes tamen hoc loco, *Quis autem,* inquit,

Traditionē de postrema Iudæorum conuersione futura fabulā non esse, contra Fabrum, & Oecolampadium, ac similes.

B. Irenæus

Aug. to. 5.

Iudæi in fine seculi cōuertendi sunt ad prędicationē Heliæ teste August.

Apoc. 17.

D. Hieron. to. 5.

Idem to. 5.

Idem ep. 15.

Idem to. 10

Idem to. 7.

Helias Propheta quomodo conuertet cor patrum ad filios.

Chrys. ser. 19.

Theophyl.

Amb. to. 5.

Prosper.

Origen.

sit iste omnis Israel, qui saluus fiet, vel quæ erit plenitudo etiam Gentium, Deus solus nouit, & vnigenitus eius. Quibus verbis plane asserit, se huius mysterii ignarum esse. ¶ Obserua etiam ordinem conuersionis, nam primitiæ Iudæorum antecesserunt primitias Gentiū: ideo pastores adorarunt prius Christum, quam Magi; priores etiam fuerunt Ioannes Baptista, & Apostoli, & alij Iudæi, quam fuerit Centurio, aut Chananæa, aut Cornelius, aut Eunuchus Candacis, qui fuerunt primitiæ Iudæorum. Et id in honorem legis. Sed quia Iudæorum cæcitas per occasionem via fuit, qua Gentes essent ingressuræ in Christum; duratura est quoad plenitudo Gentium salua fiat: cui non repugnat pauculos aliquos Iudæos in dies conuerti. ¶ Et quod dicitur: *Et tunc omnis Israel saluus fiet,* non intelligas, vt quidam imperite faciunt, de spirituali Israel, sed de Israelis secundum carnem: quia hic Israelem contraponit plenitudini Gentium: & tunc Israel, erit nō tantū carne, sed etiam spiritu Israel, id est, per fidem Deum videns. Et confirmans dictam sententiam, subdit: *Sicut scriptum est Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob: & hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum.* Hunc locum sic habent Hebræa volumina: *Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini; & qui ab Ortu Solis, gloriam eius: cum venerit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit. Et venerit Sion* (in Hebræo est Datiui casus) *redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te: & verba mea quæ posui in ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo & vsque in sempiternum* Hæc verba quasi digito indicant conuersionem Israelis ad Christum: & Septuaginta, quos sequitur Paulus, habent: *Veniet de Sion liberans, & auertet impietates à Iacob:* paraphrastice hunc locum vertētes. Et Augustinus insolubile argumentum esse putat, translationem Septuaginta virorum contextam afflatu Spiritus sancti: quia Apostoli & Euangelistæ non citarent translationem Septuaginta interpretum in iis locis, vbi non est translatio, sed scholium, vel interpretatio. At B. Paulus nunquam humanas pro diuinis responsis interpretationes sequeretur.

Iudæi primi in Christum credideruntiidē cur sint vsque ad plenitudinem Gentium conuertendi.

Luc. 2.

Matt. 2.

Infra 8.

Infra 15.

Act. 10.

Supra 8.

Cum dicitur: & tunc omnis Israel saluus fiet, de quo Israele sit sermo.

Esa 59.

Ad 2. dub.

Conuersionis Iudæorum in fine seculi futuræ haud obscurum indicium Esaię

B. Aug. epi. 10. in fine, & sæpe alibi, to. 2. init.

Est autem dubitatio, quomodo dixerit: *Veniet ex Sion:* cum potius Scriptura dicat ad Sion esse venturum. Sed declaratio est animi venientis, quoniam ad Sion pro ipsa Siō venturus est: quia Hebraice cum articulo deseruiente casui Datiui ponitur. ¶ Quod vero sequitur: *Et hoc illis à me testamentum,*

De Christo vedicat Apostolus quod veniet ex Siō, cum iuxta Esaiam ad Sion dicatur esse vēturus.

cum abstulero peccata eorum, enim nec in Hebræo, nec in Septuaginta interpretum codicibus habeatur; putant quidem additum esse de suo à Paulo, declarando quomodo eripuerit Christus ab impietate. Sed certe Hieronymus statim vertit: *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus.* Et est sensus: Spiritus qui est in te, videlicet in ipso Christo, non recedet de ore tuo, & de ore seminis tui; quod in Iudæis non verificaretur, si omnino fuissent à salute præcisi: recessisset enim penitus ab eis Spiritus Iesu Christi, contra quod vaticinatur Esaias.

Quid significet: Spiritus meus qui est in te &c. non recedet de ore seminis tui.

Illud porro intolerabile, quod Erasmus, & Beza, & alii derident, verbum Hebræum Berith verti per vocem testamenti. Sed hoc illi temere faciunt, & impie: quia tam Paulus, quam Christus illa voce Berith significari testamentum tradiderunt. Nec debent sibi tantam arrogare peritiam linguæ Hebrææ, vt iniurii existant ipsi Spiritui sancto loquenti in Christo, & in Paulo, qui doctissimi fuerunt linguæ Hebraicæ. Et cum impossibile esset sanguine, aut hircorum, aut taurorũ auferri peccata; recte de testamento sanguine Christi confirmato dicitur per Nouum Testamentum auferri peccata.

Hebrææ vocis Berith per nomen testamenti, cõtra Erasmũ & Bezam defenditur interpretatio.

Matt. 26.

Heb. 10.

Explicatio huius sententiæ: Secundum Euangelium quidem, inimici propter vos secundum electionem autem charissimi propter Patres.

B. August. to. 7 circa finem.

Alter sens' *B. Chrysost. ser. 19.*

Sequitur: *Secundum Euangelium quidem, inimici propter vos; secundum electionem autem charissimi propter Patres.* Occupatio est, & August. lib. de prædestin. Sanct. 16. intelligit hoc velut expositionem esse superiorum, nempe quod Iudæi inimici facti sunt Deo ratione Euangelii, cui pertinaciter aduersantur. ¶ *Propter vos*, Id est vestram salutem, vt locum primum in credendo acciperent Gentes. Vel alius sensus est, Chrysostomi: *propter vos*, id est occasione fidei vobis prædicatæ. Siquidem Gentium Fides offendiculo fuit Iudæis, vt alienarentur ab Euangelio ¶ Secundum electionem autem, qua Gens illa debet reuocari ad viam salutis, vel qua elegit Patres eorum, non sũt omnino abiecti, aut exosi Deo, sed charissimi propter ꝓmissiones Patribus factas, quoniam Patrum merita filiis in hoc prosunt: nõ autem quod merita Patrum sint causa electionis eorum, sed sunt media quædam, & adminicula exequendi eorum gloriam prædestinatam. Perpende etiam eosdem posse dici inimicos, & charissimos, sed diuersis rationibus. Inimici quidem dicuntur, quatenus repugnant veritati Euangelicæ, Charissimi autem, ob diuinã eorum electionem, & prædilectionem. Et est eadem Dei voluntas, quæ ab æterno pro tali tempore quo quis est in peccato, terminatur ad odium, iuxta illud: *Iniquos odio habui.* Pro tali vero tempore quo resipiscunt, & ad cor redeunt, voluntas Dei

Qua ratione, inimici Apostolorum Iudæi eorundem ne charissimi.

...ctio.

terminatur ad amorem. Quare stulte philosophantur qui dicunt, prædestinatos, vt Dauidem, & Petrum, peccantes, non esse dicẽdos peccare, vel à Deo odio haberi, quia sũt prædestinati: & similiter præscitos, dũ sunt in gratia, & bene operantur, odio haberi à Deo, quod omnino falsum est. ¶ Et ne quis diceret ꝙ peccata Iudæorum potuerunt hãc benignitatem Dei extinguere, postquam Euangelio credere recusarunt, cuius lex est: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit qui vero non crediderit, condemnabitur, respondens Apostolus, ait: *Sine pœnitentia. n. sunt dona, & vocatio Dei.* Respondet. n. tacitæ obiectioni: Quia etsi Deus mentionẽ illorum Patrum fecisset, qui erant radix sancti germinis, iam tamen ꝑœnitudine duct' totam illam progeniem hæreditate abdicasset. Et responsio consistit in hoc: Dei ingenium tale non esse in his, quæ benigne donare disponit, nec in iis irritatur à peccatis nostris: sed irreuocabiliter obseruat: sẽper aũt pœnitet rigoris sui, & seueritatis, si emẽdentur. Ideo dona quæ mere dona sunt, & vocatio, sine pœnitentia sunt, Id est eorum Deũ non ꝑœnitet. ¶ Est aũt pœnitere in Deo metaphoricum, quatenus mutat facta: quemadmodum verus pœnitens vellet nõ peccasse, & si posset quod ad se attinet, quod fecit, destrueret. Ad eũ modũ Deum pœnitet, ad modum ꝑœnitẽtis se habẽdo, & mundum cõditum destruendo, vel dona quæ cõtulit, adimendo. Græca vox habet *ἀμεταμέλητα*, hoc est, imꝑœnitenda, siue impœnitibilia. ¶ Est autem huius verbi apud Ambrosium talis expositio: Sacramentum ꝑœnitentiæ non esse necessarium ante Baptismum, sed gratis & sine vllo dolore, aut opere satisfactionis iustificamur. Quæ quidem explicandi ratio etsi vera sit, & veritatem contineat catholicam, quia mysterium Baptismatis satisfactione vlla non eget, sicut reconciliationis Sacramentum; non est tamen spectatus, aut intentus sensus Apostoli in hoc loco, in quo de electione, & reprobatione Iudæorum agit, non de Sacramentis, & non de hominis sed de Dei prouidentia est sermo. Quod si contra hanc sententiam obiicias, Adam donis cito spoliatũ fuisse; ac Deum dixisse, *Pœnitet me fecisse hominem.* Et Ierem. 18. *Si pœnitentiam egerit gẽs illa à malo suo quod locutus sũ aduersus eam; agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei.* Et Matt. 25. præcepit seruo malo auferri talentum: ergo videtur eum de collato beneficio pœnitere. Dicendum est, nunquam Deum pœnitere propositi sui in conferendis donis, eo quod semper propositum est optimum: quare nũquam ille nobis deest, sed nobis ipsis, & gratiæ Dei,

Falsum esse, Prædestinatos, dum peccant, Deo odiosos non existere, vt quidam asseruerunt.

Marc. vlt.

Quid sibi velit dictũ Apostoli, sine pœnitẽtia sunt dona, & vocatio Dei.

Ierem. 18.

Pœnitere in Deo, quid.

Ad 3. dub.

I. sensus.

B. Ambr. to. 5.

Quid incõmodi habeat.

Quid loci Deum collatu beneficii pœnitẽtem facere videntur, quomodo sint intelligendi.

Gen. 6.

Ierem. 18.

Matt. 25.

Heb 12.

tiæ Dei desumus. Vnde ad Heb. 12. ait: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* Et quia homo mutatur, & abijcit Dei gratiam, & amicitiam, spoliat eum gratia, & donis suis. Vnde Oseę 2. *Et hæc nesciuit quia ego dedi eis frumētum, & vinum, & oleum, & argentū multiplicaui ei & aurum, quæ fecerūt Baal: Idcirco conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanā meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.*

Osea 2.

Alter sensus accommodatior. Rom. 8.

Potest & alio modo melius absolui, si dicamus, sermonem esse donis quæ mere dona sunt, & de vocatione, id est, electione Dei, vel vocatione sancta secundum propositum, quæ non potest esse nisi ex dono, nō autem ex merito: quæ talia sunt, vt de illis nunquam pœniteat. Non ita autem est de dono remunerandi, vel dandi præmiū, aut vindictam: nam hæc non sunt sine pœnitentia donec viatores sumus, quoniā pœnitet Deū de malo, quod cogitauit facere in peccatorem, si conuertatur peccator. Et similiter pœnitet de bono quod cogitauit facere iusto remunerationis gratia, si iustus à iustitia recesserit. Et ita spoliauit pigrum seruū donis, & pœnituit fecisse hominem. Et ratio est: quia vtrumq; ex nostra voluntate, & merito pēdere voluit. Secus est de donis quæ ex beneplacito suo deliberauit conferre, & non ex merito: nam illa magis propriā rationē doni habent. Sunt præterea quædā Dei dona, quæ absolute, & immobiliter dare decreuit, quomodocunq; res succedat, q̄ nunquam De⁹ reuocat: & tale donum fuit Incarnationis Filij Dei, ob q̄ nunq̄ legim⁹ Deū pœnituisse non obstante incredulitate & ingratitudine hominum, de qua dixit ad Rō. 3. Nunquid incredulitas illorū fidē Dei euacuauit? Et iterū: Iurauit Dn̄s, & non pœnitebit eum: *Tu es Sacerdos in æternum, &c.* Falsum est ergo quod dixit quidam Poëta: *O faciles dare cuncta deos, eademq; tueri. Difficiles.*

Quænam Dei dona sint sine pœnitentia, quæ non, & quare. Ierem. 18. Ibid. 10. Ezech. 18.

Aliud genus donorum Dei sine pœnitētia.

Rom. 3. Psal. 109. Lucan. li. 1. Lucani sententia minus pia de diuina bonitate.

Si sine pœnitētia Dei sunt dona, & vocatio. Et ad hūc ordinē reducuntur ea, q̄ hic vocat dona, id est promissiones Dei absolute, & vocationem illā, quæ est secundum propositū Dei. Nam misericordiam quam Gentes consecutæ sunt, nō ex aliquo illarū proprio merito, sed ex mero Dei beneplacito acceperunt; etiamsi per occasionem induct⁹ sit Deus ab incredulitate Iudęorum, ob quam sunt repudiati, Et ideo subdit: *Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo &c.* Cōfirmatio est conclusionis per locum à simili. Et agnosce Dei benignitatem, qui ex omni malo semper bonū aliquod solet elicere. Nam ex incredulitate Iudæorū electæ sunt Gentes olim infideles. A Iudęis aūt recessit Dn̄s, dū æmulatione ita Gentes prouocati recognoscant quem deseruerunt, vt supplices veniam postulent, & misericordiā consequantur. Estq; sedes argumenti à minori ad maius in hunc modū: Si Iudęorum incredulitas, quę ex se perniciosa est, facta est Dei beneficio vobis Gentibus commoda, vt citius vocaremini ab infidelitate, quæ vobis erat natiua: multo erit maioris ponderis fides Gentium, quæ lux de se est mundi, vt ab incredulitate sua Iudæi reuocentur in suam veluti natiuam fidem. Et quod ait, *Crediderunt in vestram misericordiam* intellige, in Euangelium, quo misericordiam Dei estis consecuti: q̄ suā vocat, quia credentis est misericordia. Sicut quod paullo ante dixit, ꝓpter incredulitatē illorū, ꝙ Erasmus vertit, per incredulitatē eorū; ita & hic, Iudæi crediderūt in vestram misericordiā, id est occasione misericordiæ nobis præstitæ. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate vt omniū misereatur.* Tacitæ satisfacit interrogationi: q. d. opus erat ista vicissitudine fidei, & incredulitatis, vt ope mutua sibi inuicem duo populi inseruirent ad consummationem credentiū? Et respondet, sic visum esse Deo vtriusq; Gentis salutem dispensare, vt sineret gentem vtramq; suo vitio concludi quasi in rete quoddam sub incredulitatem, & perditionem, vt patentissimum fieret, per solam Dei gratuitam misericordiam homines ab errore, & perditione in salutē educi posse. Nam si totus Iudęorum popul⁹ fidei lumē suscepisset, ansa cogitandi dari posset, merito legis à se obseruatę promeruisse salutem Vt ergo oēs homines exæquarētur, permissi sunt oēs corruere in incredulitatē. ¶ Non aūt ita intelligas conclusisse, quia ipse ad incredulitatem induxerit; sed quia potens impedire, non impediuit, sed permisit. Vnde & aliquo modo dicitur fecisse Domin⁹, sed ex demērito nostro, & ad bonū, vt ostenderet diuitias misericordię suæ in eos quos seruare voluit. Et quia super huiusmodi possēt importuni, & morosi homines multas serere quæstiones, sicut ij qui dicebāt: Nō poterat hic qui aperuit oculos cęci nati, facere vt Lazarus nō moreretur? obstruit os impudētis, & arrogantis hominis, dum exclamans, ait: O altitudo diuitiarum, &c. ¶ Quod vero ait, *Conclusit omnia*; alii recentiores interpretes legunt, omnes, vt etiam habent Græca exemplaria, & aliquando ita legit Augustinus vt lib. 21. de ciuitat. Dei. cap. 18. in fin. & libr. de Grat. & lib. arbit. cap. 22. sub init. & alias interdum. Lectio tamen, *Omnia*, vehemētior est. Ita intellige illud Ioan. 12. *Omnia trahā ad me ipsum*, id est oēs, Et ad Gal. 3. *Cōclu-*

Proprium bonitatis diuinæ bona de malis eruere.

Quid in Romanorum, seu Gentilium misericordiam Iudæos credidisse. Erasmus.

Dei consilium & prouidentia circa Iudæos, & Gentiles.

Ad 4. dub.

Vti conclusferit omnia Deus in incredulitate, integra eius bonitate diuina.

Ioan. 11. Supra 9.

B. Aug. l. 5. Idem. to. 7. fin. versus. Ioan. 12.

sit

Gal. 3. fit Scriptura omnia sub peccato: Græce . ... la, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.¶ O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei Paulus hæc non producit, vt ostendat nullam esse rationem Diuini bene placiti, aut propositi, cum iâ aliquam assignauerit; sed in hominem, qui curiose disquirit, & super omnibus etiam particulari bus reddi sibi rationem poscit, quasi stomachans ad abyssum diuinorum iudiciorum prouocat, quo eius os obstruat. Nã si eorũ quæ humana lex de humanis præscribit, nõ omnium, quæ à maioribus nostris constituta sunt, ratio reddi potest, non quidem negans esse rationem, sed à nobis non posse reddi: quantò magis eorũ q̃ Dñs excelsus ip se cogitat, & statuit, cuius viæ, & cogitationes ita exaltantur vt cœlũ à terra? vt mirum nõ sit, si nemo mortaliũ eas valeat comprehendere, cũ tamen sint æquitatis plenissima iudicia teste Dauide. Et eõgruit hæc explanatio admirationi, & sermoni de electione, & reprobatione Dei, qui in abysso profundissimæ lucis est reconditus. Consonat etiã proximæ orationi, de cæcitate videlicet, q̃ ex parte cõtigit Israel, designans, totam materiam pòtius admiratione contegẽdam, q̃ nostris ratiocinationibus perscrutandam, ac vẽtilandam. O igitur Profunda, & impenetrabilis abyssus diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei. Et ad exaggerandam Dei sapientiã, duabus vocibus ad epitasin facientib. vsus fuit Apostolus, nimirùm altitudinis, & diuitiarum: nam altitudo, siue profundum per se habet auxesim, sicut & diuitiæ, q̃ more Hebræo copiam, & exuberantiam sonãt. O ergo profundas diuitias sapientiæ, & sciẽtiæ, siue illæ duæ voces idẽ significẽt, vt qui dam volunt, siue sint distinctæ: vt sapientia sit, qua supremo suo iudicio agẽdorum ordinẽ decreuit, vt quid quoq; tẽpore fieri velit, ordinans: scientiam vero, diuinam accipe vniuscuiusq; rei cognitionem, qua videlicet vniuscuiusq; nationis ingenia, & ratio nes cognitas habeat, vt possit de illis disponere.¶ Quam comprehẽsibilia sunt iud cia eius, siue vt Græca habẽt, inscrutabilia, vt etiam subinde citãt Hieron. & Aug. lib. de Gra. & libr. arb. c. 22. Et nõ valet homo ea comprehendere, sed nẽ scrutari quidem.¶ Inuestigabiles viæ eius. Venit hoc nomen à verbo vestigo, non ab inuestigo, quod cum, in, negante tollit posse vestigari. Et ideo nomen peruestigabilis tollit ambiguitatem. Et imperuestigabiles vias vocat, id est institura, & consilia, siue dispensationes, quibus modo per misericordiã liberat, modo per seueritatem reijcit. Quis n. cognouit sensũ Domini? aut quis cõsiliarius eius fuit? Probat per Esaiã inscrutabilia iudicia Dei. Vbi nos habemus iuxta Hebræum: Quis adiuuit Spiritũ Domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostẽdit illi? & Sapien. 9. Quis hominum poterit scire con silium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Sed magis accedit ad primum testimonium Esaiæ, quod iuxta Septuaginta, producitũ est. Nã qui consiliũ ab alio petit, vt ab eo adiuuetur, priꝰ mentem suam ei patefacit. Quare idem est ab alio adiuuari Spiritũ, q̃ esse tuũ ab eo cognosci sensum. Et ita: quis cõsiliarius eius fuit, erit expositio prioris sentẽtiæ. Verùmtamen quia alio modo quis potest cognoscere alienum sensum, etiãsi non adhibeatur aliud cõsiliũ propter acumen, & solertiam consilij, ideo possunt hæc duo mẽbra esse distincta. Et de primo ait: Quis non dicam comprehendit, verum, q̃ minus est, Quis nouit sensum Dñi? per propriam scilicet sapientiam, & industriam. Nã Sap. 9. habetur: Sensum aũt tuũ quis sciet, nisi tu dederis sa pientiã & miseris Spiritũ sanctũ tuũ de altissimis? & Apostol. Quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi Spiritus Dei.¶ De secũdo ait: Quis consiliarius eius fuit? Id est: quis potuit eũ cõsilio iuuare quã si egentẽ, & omnia minime sciẽtẽ? Et huiusmodi interrogationes: quia cognouit? quis cõsiliarius eius fuit? quis prior dedit illi, impossibilitatẽ quandã præseferũt. Et hac nouã ratione detegitur profunditas diuitiarũ Dei, qui bonorũ nostrorũ nõ eget. Deus. n. à nemine recipit, nec potest recipere, nisi q̃ ab eo prius gratis accepimus, iuxta id: Omnia tua sunt omnia & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi. Ideo nulli est obligatus sic, vel sic facere. Si igitur Deus à nullo est instructꝰ scientia, vel consilio adiutus, vel dono locupletatus, altissima est eius sapientia, & scientiæ abyssus, per quam dispensat vnicuiq; sine iniuria quæ vult.

Falsò autem, & calumniose deducit ex hoc loco Oecolampadius, nulla esse merita quibus Deum nobis deuinciamus. Sed hoc rectè colligeret, si addidisset, ex viribus nostris, siue ex facultate humana: at nos merita non fatemur nisi illa quæ sunt ex Dei gratia, quæ sub meritum non cadit, sed gratis vis ipsa promerendi æternam vitam simul cum ipsa gratia accipitur. Et cõcludens, ait: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi honor, & gloria in secula seculorum. Amen. Peroratio est totius causæ de fide, & gratia Christi, & de virtute Euangelij, de quibus ab initio per vndecim integra capitula disputauit. Et constituit, Deum omnium bonorum esse tam naturalium, q̃ supernaturalium autorẽ, eumq; absq; vlla dependentia, vel indigentia cuiusuis alterius causæ, quæ sit illi vel materia, vel exemplar, vel

Ad V dub.

Diuinorũ profunditas ſedie n rum. Esa. 55. Psal. 110.

Psal. 103.

Quam apte & signi ficanter Apostolus magnitudinem sapiẽtiæ Dei altitud nis & diuitiarum nominib. exprimat.

Quid per sapientiã, quid vero per scientiã Dei.

B Hier. D. Aug. c. 7

Quid viæ Dei inuestigabiles. Esai. 40.

Sap. 9.

Illud. Quis enim cognouit sen sum Domi ni, &c. Vnde desumptum sit.

Ibid. 18.

Consiliarum esse Dei, quid.

Psal. 15.

1. Para vlt.

Hunc locũ Apostoli Oecolampadio contra merita bonorum operum ne quaquam patrocinari.

Eo dicto quatuor genera caussarum cōtineri, & quænam illa.

minister, vel instrumentū, vel caussa coadiuuans, omnia perficere. Quatuor siquidē caussarū genera Philosophus nō ignota fuerunt: Finis, qui mouet agentē, & Agens, qui in materia disposita inducit formā; & Materia, q̄ recipit formā; & Forma, q̄ dat esse, speciemq; rei. Fit. n. res propter finē ab agente per formā de materia. Si ergo mūdi creationē spectes, ibi nulla fuit materia, & omnia sunt ex ipso efficiente; per ipsum, in genere causæ formalis, siue exēplaris; & in ipso, id est propter ipsum vt finē. Ex ipso ergo, significat initiū motus: nā res fit ex agēte, & ex materia, & ex contrario, hoc est ex priuatione illius formæ. Deus autem nec ex materia creauit orbē, nec ex cōtrario, sed ex nihilo, iuxta illud: *Ex nihilo nati sumus*. Vnde eius infinita arguitur potentia. Nam si ex potentia materiæ formā educere, virtutē magnā arguit agentis, eādem ergo formam de minori educere materiæ potentia, maiorē arguit virtutem: de nulla ergo potentia materiæ aliquid educere, infinitá agentis potestatē demōstrat. Per ipsum, causam denotat exēplarem, q̄ ab ipsa diuina essentia re ipsa non distinguitur. In ipso vero finē, ita vt ipse sit Alpha & Omega, principiū, & finis, quo omnia creata seruantur. Hæc omnia communia sunt tribus diuinis personis, etsi per attributionem autoritas, & Potestas tribuatur Patri, qui est principium sine principio: ars, & sapiētia adscribatur Filio, qui est principium de principio intellectu genito: bonitas Spiritui sancto per amorem vtriusque spirato. Atq; ita hic exponit Ambr. lib. 2. de Spiritu sanct. ca. 10. vbi has particulas docet competere tribus Personis, & Basil. lib. 5. in Eunomium, etiāsi Oecolāpad. in oculis suis sapiens ista despiciat. Certe Theophyl. ita interpretatur: Ipse est fons omnium: hoc. n. est q̄ ait, in ipsum. Omnia. n. ex ipso habent principiū, & per ipsum facta sunt, & in ipsū ceu fundamentū quoddā vergentia, cuncta quę cōsistunt, & cōtinentur, aduersa, & admota ad ipsum. Hæc ille. ¶ *Ipsi honor & gloria in secula seculorum Amen* Debetur illi honor id est subiectio, & reuerentia. Debetur illi etiam gloria, id est clara, cum laude notitia quia nihil accipit vel consilij, vel virtutis ab aliis, & à se habet quicquid habet. Vnde Paulus ait: *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi nō acceperis?* Et ita de virtutibus quæ in nobis sunt, debetur Deo honor & gloria: nobis aūt id honoris & glorię, quam ipse in regno suo nobis donare placuerit. ¶ Et subdit *In secula seculorum*, ad significandam æternitatem, in qua glorificandus est Deus ab omni creatura ratione prædita: q̄ qui faciūt, beati erūt, & gloriosi in seculis sempiternis: Amē

Sap. 2.

Diuinæ argumentum potentię ac virtutis infinitæ.

Esa. 44. Apoc. 1.

Proprietates diuinarum Personarum.

B. Amb. to. 2 circa fin. B. Basil. c. 1. Oecolampadii insipientia, & superbia. Theophyl.

Cur Deo honor, & gloria debeatur, & cur in secula seculorū

1. Cor. 4.

LIBRI QVARTI
IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

Præfatio.

CVM Hactenus Apostolus dogmaticam partem secutus, magnas, & graues Fidei quæstiones, quæ suo tempore inter Christianos ex Iudaismo, & ex Paganismo euocatos, non sine magna contentione, & pacis mutuæ solutione agitarentur, expedierit atque illustrauerit, modumq; iam disputationi suæ posuerit, videbitur prudens lector ex difficillimis, & confragosis locis tenuis orationis nostræ cimba enauigasse, & admitius, & placidius mare sulcandum peruenisse. Nam quæ sequuntur omnia in finem vsque, exhortationes sunt ad bonos mores colendos, & sanctæ parænæses ad recte vitam in Christo instituendam accommodatæ. Paulus enim vbi tanquam sapiens architectus solidum Fidei in Christo fundamentum iecisset ex auro, argento, & lapidibus pretiosis, hoc est ex charitate, fide, & reliquis virtutibus, ædificium spirituale incipit superstruere, & domum altam erigere: ad q̄ non dico Angelos, qui spiritus sunt cœlestes, sed diuinas ipsius Sacrosanctæ Triadis Personas ad nos inhabitandum, & in nobis manendum inuitare valeamus. Promisit enim ipse qui mentiri non nouit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus *Contra vero prædixerat olim:* In Maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. *Nec aliam sane esse existimo magis firmam rationem cur Hæretici, tam veteres, quam nostri seculi, tot ac tantos ex hoc doctissima epistola errores contra Fidem imbiberint, quam quod partim impuro animo, & ad carnis vitia procliui ac propenso, tum contentioso, & ad victoriam comparandam proterue composito accesserunt: qua ratione hanc*

episto-

Qualem superioribus libris Apostolus tenuerit docendi rationē.

Idem hoc libro quid doceat.

1. Cor. 3.

Quos tantum Deus inhabitet.

Heb. 6. Ioan. 14.

Sap. 1.

Quid caussæ fuerit cur hæretici in hu ius epistolæ intelligentia tam grauiter ac perniciose fuerint hallucinati.

Eorũ quantum præcesſet: audacia, & imprudentia. Pauli doctrina de fide tradita, eiuſdem doctrinæ de morib. miriſice conſenuit.

epiſtolam manibus terentes, ac lectitantes, fœdiſſimis ſuis cupiditatibus, & carnis appetitionibus exaturandis prætextum, & velamen adhibuerunt. Et licet à principio quo hæreſis cœpit, permulti eorum erubeſcerent ſuos Apoſtoli Pauli verbis errores munire: paullatim tamen incaleſcente diſputationis pugna, & prauis affectibus iudicium mentis corrumpẽtibus, eo ventum eſt, vt abiecto omni timore, & perfricta fronte (nam hæc eſſe ſolet hæreſis natura, & ingenium) eas opiniones propugnare, ac defendere adnituntur, quæ non tantum cum Sacris Scripturis, ſed etiam cum honeſtate ipſa, & ratione apertiſſime aduerſantur. Sed profecto ſi quis recte rationem ſubducat, deprehendet, exhortationes, quas Paulus adiũgit, & mores quos à fidelibus exigit, planam eſſe, & apertam explicationem eorũ quæ de dogmatibus diſſeruit; vt ſtultus plane ſit, qui non videat vnum, aut alterum verbum dubium, aut obſcurum inter diſputandum prolatum, cum his quæ poſtea de morib. perſpicue tradit, vt ſibi ipſe conſentiat, interpretandum eſſe.

Libri diuiſio.

¶ Sed iam ad rem: Quæ ſuperſunt, ita partiri poſſumus: vt c. 12. inſtruat virum pium, & iuſtum, quomodo ſe erga Deũ per fidem, & morum ſanctitatem gerere debeat: ſequenti vero, quod eſt 13. inſtituit inferiores homines, qua ratione per debitum obedientiæ erga ſuperiores habere ſe debeãt: in duob vero ſeqq. 14. & 15. docet vice verſa qualem ſe præſtare debeat is, qui præeſt puſillis & infirmis in fide, ne illis ſit ſcandalo, & quomodo maiores, & perfectiores, moleſtias, & infirmitates puſillorum æquanimiter ex charitate ferre teneantur. Poſtremum caput totũ ſalutationibus impenditur. Et quanquam in ijs quæ ſuperſunt: non ſint tã obſcura, nec incerta Pauli ſentẽtia, vt erant illæ. quas inter diſputandum proferebat: aliqua tamen ſunt, quæ aliquod interpretationis lumen deſiderant, & quæ breuiter expedire intendimus.



DISPVTATIO I.

In illa verba, cap. 12. *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit volũtas Dei bona, & beneplacens, & perfecta, &c.*

PRIMVM Quæritur, quo tendat hæc obſecratio, ſiue adhortatio, vt ſonat Græca vox. I. dubit. Deinde dubium eſt, quale ſit illud rationabile obſequium, ſiue rationalis II. cultus. Tertio quid ſit reformari in nouitate ſenſus noſtri, quo probare valeamus vo- III. luntatem Dei bonam. Quarto, qui ſunt qui IV. non ſapiunt ad ſobrietatem, ſed plus quam oportet, præſertim cum nemo in hac vita tanta cognitione ſit præditus, quin maiorẽ habere poſſit, & quin etiam maiorem deſiderare debeat.

Ad I. De ratione Apoſtolicæ obſecrationis inductæ. Pſal. 115. Mich. 6.

Primæ interrogationi reſpondemus, omnem, qui cognoſcit in corde ſuo aut peccata ſua, aut Dei beneficia, confeſtim deſiderio accendi aliquid diuino numini offerendi, ſecundum illud; *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* & Michæ *Nunquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Idcirco Paulus nõ ignarus tot beneficiorum, quæ quiſque fidelium Deo debet, indicat hoc ſermone, quid maxime expediat Deo offerre, & quid ſit illi per ſe gratum. Et vtitur lenibus, & placidis verbis, non proponens autoritatis imperium, ſed indicans fraternam charitatem, vt ita magis captaret beneuolentiam Romanorum, & ea ratione vehementius emolliret eorum corda. Vnde ad Philemonem ſcribit: *Multam fiduciam habens in Chriſto Ieſu imperandi tibi, quod ad rẽ pertinet: Propter charitatem magis obſecro.* Et quo facilius conſequatur quod poſtulat. *Adhortor*, inquit, *per miſericordiam* ſiue vt Græca habent, in plurali amplificationis gratia, vt etiam Pſalm. 50. *Per miſerationes*, quæ nobis ſacræ, & vere amabiles eſſe debẽt, & per quas ſine vllis meritis noſtris, imo cũ multis ſupplicijs digni eſſemus, iuſtificati tamẽ ſumus, adoptati in filios, & reconciliati cũ Patre, & de quibus paullo ante dixerat: *Concluſit oẽs in incredulitate & omniũ miſereatur.* Rogat ergo quæ pacis ſunt, per miſericordiam illam Dei, quæ hoſtiam maiorem pro

Pauli modeſtia, & ſuauitas.

Philem. 8. & 9.

Rom. 11. Cur obſecret per miſericordiã Dei.

uobis dedit, hoc eſt Chriſtũ, in ſacrificium cruentum, & incruentum. Per miſericordiam etiam. quæ non eſt peccatis irritanda, ne in ſeueram Dei iuſtitiam merito incidamus. Et eum nos potius ſupplices rogare debeamus; Deus pro ſua bonitate voluit miniſtros ſuos Apoſtolos legatione Chriſti fungentes nos rogare: *Obſecramus*, inquit Paulus, *pro Chriſto reconciliamini Deo.* ¶ *Vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, &c.*

Dei in homines mira benignitas.

2 Cor 5.

Proprie exhibetur, quod promiſſum eſt: promiſimus autem in Sacramento Baptiſmi exhibere membra noſtra, arma iuſtitiæ Deo, & vt illa periculo exponeremus in prælio contra Satanam, cui bellum indiximus pro Chriſto. Incipit autem à corpore noſtro Deo ſacrificando; vt oſtendat, non ſatis eſſe animo intus Deum colere in Spiritu, niſi etiam corpora illi offeramus per operum externorum ſacrificium. Debet autem exhiberi voluntas amans munditiam, & odio proſequens omnia vitia, & carnales cupiditates, earumque occaſiones fugiens. Et ſi hic ſermo ſine figura accipitur; corpus, eſt ipſa caro, quam quiſque habet, ne quiſquam excuſetur hoſtiæ inopia. Et qui olim aliena corpora offerre conſueuerant, iubentur iam propria ſacrificare. Et quatenus prona eſt ad malum, mactanda eſt, non acquieſcendo eius illicitis motibus quatenus vero pars, & organum eſt animæ, gratia eſt viuificanda, vt illi cooperari valeat in Sacramentis percipiendis, & in fidei confeſſione, & in bonis operibus vtriuſq; miſericordiæ, tam ſpiritualis, quam corporalis, vt ita meriti particeps reddita, fiat etiam & præmii conſors, & dicere valeat: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Quid ſit exhibere.
Rom. 6.

Exhibere corpora noſtra quid myſtice.

Quid proprie.

Pſ. 83.
Cur exhibere corpora noſtra debeamus hoſtiam.

¶ Petit autem, corpora reddi hoſtiam, quæ etiam ſacrificii ſpeciem denotat: & diſtinguitur à victima, de qua quidam Poeta cecinit.

Victima, quæ cecidit dextra victrice, vocatur:

Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet: atque hoc modo diſtinguebatur apud profanas gentes. In lege vero Leuit. 3. & 7. victima inſtituitur pacificorum pro gratiarũ actione; quæ in tres partes diuidebatur, vt vna cederet Deo, altera offerenti, & tertia Sacerdoti. Hæc eſt ergo hoſtia carnis noſtræ, quia de hoſte victo, & vincendo eſt: non victima; quia ferro non debet cadere, ſed tantum mortificari, & domari. Debet eſſe hæc hoſtia viuens: nam cum in lege viua animalia offerrentur ad tabernaculum, quæ poſtea mactabantur, inſinuat Apoſtolus illam legem nobis abolitam: quia hoſtiæ illæ, & ſacrificia iugulatorum animalium non ſunt amplius nobis neceſſaria. Olim enim

Ouid. 4. Faſt.
Quare victimam dicent.

Cur hoſtiã viuentem.

cum eſſet peccati ſtatus, & mortis regnantis in typum Chriſti occidendi, victimæ olim mactabantur. At celebrata redemptione, quæ fuit figurarum omnium veritas, ceſſauit & ritus ille iugulata animalia immolandi. Et vita illa, qua animantia immolanda viuebant, typus erat noſtræ vitæ, quæ ſecũdum carnem & ſenſum ducitur: & hæc morte erat afficienda per Spiritum vita diuina viuentem, ex quo in corpus vita diuina deriuanda erat: quia videre, ſentire, & deambulare, dormire, loqui, diuinum ſit, dum ob Deum fit, charitate dante finem, etſi nõ tollat obiecta corporea, circa quæ vita exerceatur. Neque dixit, hoſtiam viuentem, ad differentiam martyrii, vt quidam volunt, ad quod hic non exhortabatur, ſed ad legis Euangelicæ cultum per officia charitatis: nam certe hoc loco Apoſtolus nullum opus Chriſtianum excludit. Vnde ad Gal. 2. ait: Quod nunc viuo in carne; in fide viuo Filij Dei. Vnde Origenes ad brutas hoſtias Leuitici ſpectans, ait: *Tunc vnuſquiſque immolat vitulum, cum ſuperbiam corporis vincit: tunc arietem iugulat, cum ſuperat iracundiam: tunc in holocauſtum offert hircum, cum libidinem vincit: tunc denique columbas ac turtures immolat, cum vagos ac lubricos cogitationum reſecat volatus.* Hæc ille.

Hoſtiarũ typus legalium hoſtia fuit Chriſti viuens.
Quid animalium vita mactandorum in lege ſignauerit.

Gal. 2.

Orig. li. 9. in ep. ad Rom. initio, to. 2.
Quadruplicis hoſtiæ Leuiticæ ſpiritalis. Origenis intelligentia.

Ait deinde: *Hoſtiam ſanctam*, Id eſt mundam adeſum, & ſacrificium: & illa eſt in genere quæ ruminat, & vngulam diuidit. Debet autem homo inſtar mundi animalis ruminare Dei beneficia, amore proſequens donatorem: diuidit vngulam, cum fide diſtinguit ea quæ ſunt naturæ & gratiæ, carnis & ſpiritus, gratiæ & liberi arbitrii, temporalium & æternorum. Offert vero animal mundum in ſacrificium ille, qui bouem laborioſum exhibet, id eſt, patientiam in malis perferendis: ouem, id eſt, fœcunditatem, in bonis operibus: agnum, id eſt, innocentiam: capram, id eſt humilitatem tam in bonis, quam in malis, non alta de ſe, ſed fœtida ſentiendo. Erat etiam hoſtia ſancta, quæ omni macula carere debebat: quia oportebat eſſe integram, incorruptam, vt patet Leuit. 3. & maledicitur qui cæcũ, vel claudum, vel languidum Deo offert Malach. 1. Quia opus erat membrorum omnium integritate, ne videlicet oculus ſcortationi ſeruiret, aut rapinæ manus, aut venter turpitudini, aut lingua ſtultiloquio. Denique ſancta, id eſt, munda ab omni peccato. Et vt non licebat ſemel ſanctificata in vſus profanos conuertere: ita fas non eſt corpus ſemel per Baptiſmum Deo conſecratum, & ſanctificatum, in actiones vitiorum profanas proferre. ¶ Tertio ſubdit, *Deo placentem.*

Hoſtiam cur ſanctã Paulus velit exhiberi corpora noſtra.
Leuit. 11.
Deut. 14.

Rurſus cur ſanctam.

Leuit. 3.

Malach. 1.

Tertio cur ſanctam.

Hoſtia cur Deo placens ſit exhibenda.

tem. Nimirum in odorem suauitatis. Placent autem nostra Deo, quando nos illi placemus: quia respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Placet etiam Deo, vt vocem suam præferat Adam voci vxoris suæ, id est, carnis. Quarto subdit: *Rationabile obsequium vestrum.* Hoc est tale spirituale sacrificium in Fide, Spe, & Charitate situm: de quo Petrus in priori epistola, capite secundo, per carnales legis victimas significatum. Subiungit impius Beza: *Vbi igitur Missatica illa Christi oblatio pro viuis, & mortuis?* Quasi vero omnia in omni loco dici possint. Et vt hæc oblatio spiritualis non tollebat Veteris legis hostias, ita nec hostiam à Christo sensibilem institutam, & à solis Sacerdotibus offerendam. ¶ Thomas tamen cum Lyrano interpretatur, rationabile obsequium, id est moderatum, & ad rationis regulam exactum. Licet hoc censor mundi Erasmus multis verbis deriserit; cum tamen illi verba accommodari possint sine violentia. Nam λογικὸν; & rationale, hoc est rationis particeps, & rationabile, id est, rationis mensura moderatum, significat. Et Ambrosius ita intellexit, dicens: *Vt autem obsequij nostri effectum habere possimus, seruata iustitia pudorem custodiamus. Nihil enim proficit pudor, nec rationabilis potest videri neglecta iustitia.* Hæc ille. Et certe cum de externis est sermo, opus est ratione moderante sacrificium quod offerimus, nequicquam in alterum extremum peccare videamur. Hinc prudentia, virtutũ auriga nominatur; quia eius imperio, & ductu sacrificare debemus. ¶ *Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Adiungit corporis sacrificio animi reformationem, & puritatem, vnde ad opera emanat virtus: hæc autem consistit in declinanda figura huius mundi, & in conformatione ad alterius futuri formam. Dicendo enim: Nolite conformari huic seculo, futurum seculum innuit. Et primum verbum Græce est συσχηματίζεσθε: secundum vero μεταμορφοῦσθε: illud figuram, hoc formam denotat. Et potuisset verti: Nolite configurari huic seculo, sed reformamini. Et hanc figuræ, & formæ distinctionem cernens acute Chrysostomus, dixit: Commonemur nos hic, ne configuremur figuræ huius seculi. Figura enim significat id quod non est stabile, & firmum sed vtile, & inane. Vnde & alibi dixit: Prætetit figura huius mundi. Sed dixit, Reformamini per veram formam virtutum: forma enim rem stabilem denotat. Hæc ille fere. Nolite ergo tanquam cera recipere figuram, & impressionem à sapientia hominum huius seculi, quæ inimica est Deo; vel ab obiectis eius quæ percipit, amando quæ seculum amat, aut magnificando quæ ab eo magni fiunt, vel contemnendo quæ ab eo parui fiunt. ¶ Et vocat reformationem, restitutionem ad imaginem Filij Dei. Et reformamur, recipiendo crebro formam diuinæ sapientiæ. Et nouitatem sensus, siue mentis, vt Græce dicitur, vocat mentem baptismo renouatam; quæ facile illam perdit, nisi renouetur de die in diem, donec indurescat, & per habitus virtutum diuinos, & nostra diligētia à Deo auctos haud ita facile amittatur, sed potius fiat quasi sigillum æneum suam vim imprimens in eos, cum quibus versamini. ¶ *Vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Probatio voluntatis diuinæ non fit nuda speculatione, sed veluti experimento, & gustu quodam cognoscendo quæ Dei sunt: nam sic à piis solet percipi Deus, iuxta illud; *Gustate; & videte quoniam suauis est Dominus*: & qui possunt dicere, *Quā bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.* Et vt ita approbetis quod approbat Dei voluntas, quæ est firma sicut sigillum imprimens, & quam existentes in vetustate carnis, nō magis probare possunt, quam qui vitio linguæ laborant, mellis dulcorem degustare; quia animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: quemadmodum nec id quod graue est, potest tanquam bonum approbare sursum ascendere; nec id quod leue est deorsum tendere.

Illa autem tria verba, *bona, beneplacens, & perfecta.* Ita Græce leguntur: τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον, καὶ τέλειον & sensum reddunt ambiguum: quia cum voluntas apud Græcos neutrius sit generis, illa adiecta possunt cū illa coniungi, vt interpres fecit: possūt & seorsum legi: nam Erasmus ita vertit: Vt probetis quæ sit voluntas Dei, quod acceptum est, & bonum, & perfectum, & sic se legisse indicat Ambrosius hoc loco, & Hieronymus in suis Commentariolis, si eius sint, & August. epist. 85. ad Consentium in fine. Quæ lectio non est omnino contemnenda. Græci vero omnes nostræ potius versioni fauent: & præsertim interpres Origenis, qui Hieronymus fuisse creditur, censet hanc posteriorem lectionem Latinorum esse, priorem vero Græcorum; cum tamen apud nos nulla alia sit lectio, quam illa eadem. Et sensus illius posterioris lectionis esset: quod bonum, beneplacens, & perfectum, referatur ad mandatum legis nouæ, quod comparatur ad veteris legis iudicia, & ceremonias, & præcepta non bona, in quib. scilicet non erat vita. Secus est sentiendum de præceptis Euangelicis, & cōsiliis quæ bona sūt, & Deo placēt, & perfectio

Margin notes (left): Genes. 4. — Ad 2. dub. Quid rationale obsequium nostrum. — 1. Pet. 2. — Alter sensus. — D. Thom lect. 1. to. 16. — Lyran. — Contra Erasmum ille defenditur. — B. Amb to 5. — Prudentia virtutum auriga quā recte dicatur. — Animi reformatio ex conformatione ad futurum seculū & non ad præsens necessario pēdet. — B. Chryso. ser. 20. to. 4. — Quid figura, quid forma significent. — 1. Cor. 7. — Iacob. 4.

Margin notes (right): Quid reformatio secūdum Apostolum. Eidē quid nouitas sēsus. — 1. Cor. 4. — Ad 3. dub. — Psal. 33. Psal. 72. — Qui minime probare valeant quæ sit voluntas Dei bona. — 1. Cor. 2. — Duplex lectio huius loci, quæ quidem expenditur. — Erasmus. — B. Amb. Hier to. 9. B. Aug. to 5. Idem to 2. — Lectio illa: Vt probetis quod bonum, placens, & perfectum, quem sensum habeat. — Ezech. 20.

nem reſonant. Noſtræ vero lectionis ſenſus eſt: Voluntas Dei bona eſt, hoc eſt benigna, & ex ſe nobis volens bona. Vult enim omnes homines ſaluos fieri, nimirum ſi & nos ipſi velimus, iuxta illud: *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Et quia non abſolute vult; ideo inſtituti ſumus precari; *Fiat voluntas tua.* ¶ *Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, Non plus ſapere quam oportet ſapere.* A generali exhortatione progreditur Apoſtolus ad obſequia peculiaria, quæ maiores in Eccleſia debent minoribus per diuerſas vocationes ad varia officia, & miniſteria, quæ gratiæ gratis datæ dicunt: & ante omnia ſalutarem regulã de vſu donorum Dei præmittit, nimirum de modeſtia, & humilitate, quæ ſumme neceſſaria eſt omnibus, ſed præſertim Doctoribus, & præfectis, quos ſcientia, aut poteſtas ſuapte natura inflare ſolet: maxime vero deprimit faſtum, & ſuperbiam Iudæorum, qui ſe iactabant magiſtros, & duces cæcorum. Et adhortans ad amplectendam hanc modeſtiã, modeſtiſſima vtitur oratione, non iubendo, ſed admonendo: nõ enim ait: Præcipio, aut Iubeo, ſed dico, id eſt exhortor, & admoneo. Nec ait, per meam autoritatem, ne vllum ſibi honoris titulum arrogaret; ſed per gratiam, quæ nullis meis meritis data eſt mihi in veſtram vtilitatem. Et more ſuo munus Apoſtolicum χαρίσμα, ſiue gratiam vocat, non ſolum vt ſe humiliter gerat, nec vt ſuam illis autoritatem velut à Deo datam commendaret; ſed etiam vt neceſſitatem hoc loco iubendi excuſaret, ne quis eum redargueret, quod dando præceptum de humilitate, ipſe ſuperbiret. Denique ſolitus erat gratiam appellare Apoſtolatum vt ad Gal. 2. *Cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi.* Et ad Epheſios, *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc.* Et multum refert qua autoritate quiſque aliquid præcipiat, aut doceat, humana ne, quæ non ædificat, an diuina, quæ multum allicit inferiores. ¶ Ille autem dicitur ſapere pluſquam oportet; cum officium non ſuum, ſed alteri° audet exercere, vt ſi ſubditus autoritatem prælati ſibi vſurpet, aut ſi Doctoris, aut Prophetæ munus, cum non ſit miſſus docere, velit obire. Sapit autem vnuſquiſque ad ſobrietatem, & temperanter, vt quiſque ſe cõtineat intra ſuos fines & terminos, quos ſibi præſtituit menſura fidei. Atque hunc ſenſum vt verum & legitimum agnouerunt Patres. Nam ita Irenæus lib. 5. exponit de Hæreticis, & Hieronymus in illud Matthæi 6. *Reſpicite volatilia cæli*, ita ſcribit: *Apoſtolus præcipit, ne plus ſapiamus quam oportet ſapere. Illud eſtimonium & in præſenti capitulo conſeruandũ eſt. Sunt enim quidam; qui dum volunt terminos Patrum excedere, & ad alta volitare, in ima merguntur: volatilia dicentes cæli, Angelos eſſe, cæteraſque in Dei miniſterio fortitudines, quæ abſque cura ſui, Dei alantur prouidentia.* Ad eum etiã modum interpretatur Gregorius libro 5. Moral. cap. 18. in principio. Et Bernardus ſuper Cantica ſerm. 36. prope initium. Et ita Sapere, aut plus ſapere, eſt excedere ſui gradus, & loci menſurã, & citra modeſtiam de ſe ſentire, & ſibi placere, quod ex priori oritur. Sapere autem ad ſobrietatem, nõ ſolum eſt negatio extremi vnius per exceſſum: quia ita nihil aliud eſſet quam repetitio ſuperioris ſententiæ, ſed includit condemnationem alterius extremi per defectum. Solent enim meticuloſi prætextu humilitatis ſordes ſuæ ignauiæ, & puſillanimitatis regere, ſubducentes ſe à publicis fidei negotiis, maxime cum opus eſt ſuam prodere fidem, & doctrinam. Ita enim eſt ſuperbia reprimẽda, vt debitum functionis officium non deſeratur. Sapiendum ergo ad ſobrietatem, id eſt, noſtra Sparta, quæ nobis incumbit, excolenda eſt, ne talentum terræ infodientes, de nõ facta vſura pœnas Domino pendamus. Verbum, *ad ſobrietatem*, quidam vertunt, ad modeſtiam; alii, ad temperantiam: Irenæus dixit, *Sapere ad prudentiam*: Hieronymus lib. 1. in Iouin. legit, ad pudicitiam; & tamen proprie verbum Græcum ſobrietatem deſignat, quæ in moderando luxu victus, & veſtitus ſita eſt: transfertur tamen ad alia, quæ pondere, & menſura quadam moderanda ſunt. Qui bibit ad ſobrietatem, vinum illi nõ nocet, ſed prodeſt: vigere facit ſenſus, & acuit intellectum, & hominem fortem reddit: ſecus ſi pluſquã par ſit potetur, debilitatur corpus, eneruantur ſenſus, & rationis vſus abſorbetur. Idem alibi docuit Spiritus ſanctus per metaphorã edendi: *Sicut qui comedit multum mel, non eſt ei bonum, ita qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Subditque. *Et vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.* Græce nõ eſt coniunctio, Et, & ſine illa cohæret oratio. Et menſuram fidei, vocat donorum modum, quæ Deus largitur miniſtris ſuis ad fidem prædicandam, & confirmandam: quin & ipſa quoque fides donum Dei eſt, vt dicitur Epheſ. 2. Vnde Apoſtoli petebant augeri ſibi fidem, & omnes accipimus ad menſurã chariſmata Dei, præter vnum Chriſtum, qui ſolus accepit Spiritum ſine menſura, vt poſſet in omnes tanquam caput de plenitudine ſua influere, de quo ſcriptum eſt: *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum.* Debet ergo quiſque ſeipſum metiri iuxta munus ad quod aſſumitur. Cognoſcit autem mu-

1. Tim. 2. — *1. Theſſ. 4.* — *Matt. 6.*

Modeſtiæ & humilitatis virtus, quibus maxime neceſſaria ſit, & quam ob rem.

Rom. 2.

Huius virtutis Apoſtolus quale nunc ſpecimen præbeat.

QuarePaulus Apoſtolatum ſuũ gratiam nominet.

Gal. 2. — *Epheſ. 3.*

Ad 4. dub.

B. Irenæ. c. 20. ſub fin. Hiero. to. 9 in princ. Matt. 6.

Volatilia cœli.

B. Greg. to. 1. B. Bern.

Quid ſapere ad ſobrietatem.

Matt. 25.

Varia eius verbi interpretatio.

Iren. li. 5. c. 20. Hieron. circa med. & finem libri, to. 2. ſub. initiũ.

Prou. 24.

Quid menſura fidei.

Epheſ. 2. — *Luc. 17.* — *Ioan. 1.* — *Infra 3.*

nus esse legitimum, si maiorum obedientia, & autoritate super candelabrum Ecclesiæ rectus fuerit. Neque sensus est, quod qui maiori fide præstant, aut dono prophetiæ, aut linguarum, illi sunt maiores in Ecclesia Dei: nam sunt permulti ardenti fide prædi-ti, quibus nulla data est autoritas. Nec est cum tantopere inflentur hæretici quod linguis, aut eloquentia valeant: nam opus est maiorum suorum missione. Neque satis est asserere, se fide, & Spiritu præstare: quia hoc est sibi ipsis testimonium perhibere: & si Spiritu Dei prædit! essent, manifeste agnoscerent se ordinem à Spiritu sancto in Ecclesia collocatum, & tot seculis confirmatum inuertere, & perturbare. Et sic putamus paruas illas dubitationes dissolutas.

Falsa quorundam huius loci interpretatio reiicitur. Quam vana Hæreticorum fides, & linguarum quam iactant peritia.

DISPVTATIO II.

In illa verba: *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes se. undum gratiam quæ data est nobis, differentes, siue prophetiam se. undum rationem fidei, &c.*

IN Propositis verbis neque ignotus videtur esse scopus. Pergit enim explicare ne quis plus sapiat, quam oportet; ostendens diuersam esse charismatum functionem. Non sunt etiam magnæ dubitationes, cum perspicuus sit contextus Apostolicus. Paucula tamen quæ se offerrent, suo loco expediemus. Primum illud considerantes, Paulum frequenter vsum fuisse hoc luculentissimo membrorũ vnius corporis exemplo. Nam illud vsurpat in priori ad Corinth. & ad Ephesios. Similitudo vero in tribus videtur consistere. Primum in corporis vnitate, deinde in membrorum multitudine, & varietate. Tertio in functionum, & officiorum diuersitate, & vario vsu. Et sicut vnius corporis vna est tantum anima viuificatrix; ita fidelium omnium vnus est Deus illis pro anima. Nam sicut animæ est corpus ita & Dei viuificare animam: non tamen ea ratione qua anima, quæ forma est; Deus autem est forma formans, non informans. Et primus huius vitæ spiritualis Christus, quatenus homo, particeps est: quia vt primus Adam factus est in animam viuentem, ita secundus in Spiritum viuificantem. Et quia

Humani corporis similitudo membrorum Paulo familiaris. 1.Cor.12. & seq. Ephes.2. Illa tribus innititur.

1.Cor.15. Genes.2. Christum cur Paulo Ecclesiæ caput, non animam appellarit.

eiusdem est naturæ nobiscum; ideo appellauit eum Paulus non animam Ecclesiæ, sed caput. Nam sicut in homine virtus animalis, quæ est in capite, ex eodem victu diuersos generat & nutrit spiritus in diuersis sẽsuum organis attemperatos, aliis videlicet qui gustui deseruiunt, aliis qui auditui: ad eam rationem Christus per viuificatorem suum Spiritum (de quo: *Si quis Spiritum Christi non habet; hic non est eius* (aliis Spiritum prophetiæ suppeditat, aliis donum linguarum, aliis docendi gratiam, aliis ad gubernandũ prudentiam. Ita vt qui scripturis vacant, sint velut oculi, vulgus tanquam auditus, qui sensus est disciplinæ: qui vero miseris subleuandis mancipantur, perinde sunt atque manus & pedes: at qui substantia huius mundi abundant, sint velut stomachus: qui precibus, & orationibus continuis ad Deum incumbunt, officio linguę fungãtur. Quod igitur ait, Vnum corpus sumus in Christo: sensus est, cuius corporis caput est Christ', cuius Spiritu viuimus, eique vnimur vt mẽbra capiti. Et vnumquodque membrum suam habet functionem, quod alterius functionem non attentat: alioqui frustra, & in iniuriam illius membri operaretur. Et vnumquodque membrum ad vtilitatem, & vsum aliorum præstat ministerium suum.

Mysticum Christi corpus quid viuificet. 1.Cor.12. Mystici huius corporis membrorũ fũctiones

Vt simus vnum corpus in Christo.

¶ *Singuli autem alter alterius membra.* Inuicem scilicet cohærẽtia, & se mutuo iuuantia. ¶Vbi primum obserua, rationem membrorum non in eo consistere, quod vnum sit pars alterius: partes enim lapidis lapides non sunt: sed in eo, quod vnumquodque singularem habeat functionem in corpore ab alterius munere differentem. Hinc dixit, multa nos habere membra in corpore, quę non habent eundem actum. Deinde perpende, membrum non solum habere relationem ad totum corpus, sed etiam ad singula alia membra, quorum alterum alteri opitulatur, & omnia vicariam operam mutuo sibi præstant. Hinc vnum dicitur alterius membrum. Videt enim oculus pedi, & manui: contra pes reciproco obsequio portat oculum, & manum: at vero manus pro pede, & oculo laborat. Et hanc speciosam varietatem voluit Deus esse in Ecclesia: tum quia humana imbecillitas, & capacitatis angustia non patitur, vt vnus plurima munera præstare valeat: quemadmodum & in ciuili Republica decentissimum fuit multitudine supplere quod singuli efficere non possunt. Tum ob pulchritudinem, quæ ordinum varietate constat. Tum denique vt charitatis nexus indissolubilior fieret: nam decuit alios aliorũ opera indigere, quo charitas excresceret in largiendo, & humilitas

In quo sita sit ratio mẽbrorum inter ipsa.

In mystico Christi corporis esse debuerint cur variæ functiones

In reci-

In recipiendo,& pateret immensa Dei bonitas,qui tanquam verus parens tantis nos amoris vinculis colligauit. Corpus enim eterogeneum,quod videlicet partes diuersarum rationum habet, & non earundem (hoc enim vocatur homogeneum, vt ignis, cuius partes omnes eiusdem rationis sunt) simili est corpori mundi bus magno, quod variis indiget virtutibus & simplicia,& mixta corpora complectitur:tale est & microcosmus,id est,corpus naturale hominis organicum,& corpus Christi mysticum.

Quid etherogeneum corpus,& homogeneum.

Habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes. Donationes, Græce χαρίσματα vocat,& iungit κατὰ χάριν.Et,differentes, Accusatiui casus est. Et non solum dona secundum gratiam conferuntur, sed etiam secundum eandem differenter distribuuntur pro Dei voluntate. Non quin De' secundum eandem distributionem munerum,quæ dicuntur gratiæ gratis datæ, respectum habeat nonnunquã ad ingenia, & naturales hominum dotes, quæ etiam dona, & talenta Dei vocantur: non tamen tanquã ad condigna merita: nam simil a dona sub tale meritum non cadunt: sed tanquam naturæ autor,qui voluit donis naturalibus vti ad cõmodiorem munerum executionem Ideo etiã Apostolos de media plebe accersiuerit, quos tanto legationis suæ munere dignos efficeret:in Petro tamen, quem Ecclesiæ suæ præfecit,tum qualitates gubernatore dignas, tum etiam animi magnitudinẽ ad tantum pondus sustinendum considerauit: in Paulo autem Gentium conuersioni destinato animaduertit constantiam,& magnam ad persuadendum efficaciam,& indefessum quendam, atque excelsum ad superandos cuiuscuis generis labores animum. Et quicquid sit de Apostolis,quos Christus vno momento potuit locupletare, & omni dote necessario roborare:nunc autem in assumendis Ecclesiæ ministris,talis inter alias haberi debet naturalium qualitatum respectus,etiam dum electio in die sit Spiritus sancti. Nam ob id dixit Dominus: *Vnicuique dedit secundum propriam virtutem.* Et non obstante hac ratione,gratis dicuntur dispensati Dei dona, quia supra hominis naturam sunt. ¶ Est ergo sensus: Quemadmodum membra varios quasi naturæ debitos habẽt actus atque eis sunt contenta,nec frustra alienos actus vsurpant, nec sibi tantum prosunt:ita secũdum meram gratiam varia dona obtinemus,& quisque suo debet esse cõtentus, & ad proximi vtilitatem exercere, non vsurpando exercitium aliorum. ¶ *Siue prophetiam secundum rationem fidei.* Varia munera per triginta sex membra, in finem vsque capitis,distributa recensent,quib. Christianum hominem spiritualibus armis munit,vt sit ad omnia aduersa ferenda paratus, & ad omnia officia charitatis propensus. Quod ad Grammaticam attinet:id est, Aliqui habent prophetiam,& alij ministerium & alij alia,vt quisque suum exerceat donum, non inuidens aliud habenti, vel superbiens in non habentem;aliqui putantes esse eclipsin aliquid Subandiunt hoc modo. Si quis prophetiam habet,in ea maneat, & ita de teliquis.Sed nõ est opus cõfugere ad tale schema, si aliunde possimus defectum resarcire Certe hæc verba possunt referri ad illud: *Habentes donationes, siue prophetiam, &c.* Et hinc habetur, quomodo simus alter alteri membra.Et quod subiungit:*Secundum rationem fidei*,Erasmus vertit, *iuxta proportionem:* quia Græce legimus,*secundum analogiam.* & interpres noster , *secundum mensuram fidei.* Quod hic dicit,*secundum rationem fidei*; Ambrosius legit,*Secundum operationem fidei.* Cicero analogiam interpretatur interdum,cõuenientiam. Etsi vero mensura includatur in analogia; hic melius vertitur, secundum rationem : nam mensura refertur ad quantitatem, ratio vero addit qualitatem, & modum. Vnde Apostolorum prophetia dilucidior fuit quam veterum Prophetarũ, Et hoc secundum rationem fidei,quæ in noua lege est apertior. ¶ Non est autem intelligendum,secundum capacitatem,& quantitatem fidei ipsius prophetæ: nam sæpe homines minoris sanctitatis,imo interdum operarii iniquitatis (vt Matthæ.7.habetur) alitiori dono possunt prophetiæ, vel Theologiæ:sed secundum generalem rationem fidei,cui annuntiandæ, & elucidandæ deseruit;siue, secundum quod exigit fidei ædificium,iuxta illud : *Vnicuique datur manifestatio Spiritus,ad vtilitatem.* Et ita prophetia,siue donum interpretandi Scripturas,datur iuxta rationem fidei, ita vt eius interpretatio cum fide conueniat. Alii interpretantur : iuxta creditum sibi talenta,siue,iuxta rationem creditorum talentorum,secundum id: *Vnusquisque sicut accepit gratiam,in alterutrum illam administrantes.* ¶ Est autem prophetia visio; & Prophetæ dicebantur videntes. Vident porro, qui futura cõtingentia & vident, & prænuntiant; sicut qui Scripturas sacras interpretantur,& aliis exposita tradunt,quod si ne spiritu prophetico non fit. Et ad Ephes. 4.primo loco nominat Apostolos,secundo Prophetas:quia omnis Apostolus propheta est.Ideo Petrus de se dixit; *Habemus firmiorem Propheticum sermonem* : & Ioel, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri &c.* Apostolatus tamẽ addit supra

Donationes Dei sũt differentes dupliciter.

In iis conferendis quã lem Deus habeat donorum naturalium rationem.

Quænam in Petro naturales, & in Paulo ad Apostolatum apti fimæ animi dotes infuerint.

Ecclesiæ rectores quales eligendi.

Matt.25.

Eiusmodi donationes Apostolus in quot membra distinguat.

Illud: Siue prophetiã secundum rationem fidei.&c. quomodo accipiendum.

Erasmus.

D. Ambros. in 2.

M Tull.lib. de vniuers. & li.3.de Finibus.

Hæc lectio Secundum rationem fidei,quam illa, secundum analogiam fidei,est accommodatior.

I. sensus eius sententię,qui reijcitur.

Luc.19. Ps.6.

1.Cor.12.

Alter sẽsus

1.Pet.4.

Quid Prophetia,& qui dicantur Prophetæ.

Ephes.4

2.Pet.1.

Ioel.2.

Act.2.

ſupra prophetiam munus fidei promulgandæ cum ſignis, & Eccleſiæ vniuerſalis gubernatione. Et talis prophetia nunc eſt, vel in Eccleſia congregata, vel in capite eius, quia ius habet interpretandi Scripturas. Et ita hoc loco prophetia non tam eſt prædictio futurorum contingentium, quam interpretatio Sacrarum literarum, de qua: Cum prophetia defecerit, diſſipabitur populus, ſ. in varias ſectas, vt experientia teſtatur apud Hæreticos, quorum quiſque alteri non cedit: vnde & varias condunt Synagogas. ¶ *Siue miniſterium, in miniſtrando.* Scilicet aliquis ac ceperit, intra eandem functionem ſe contineat. Et ſignificat vel adminiſtrationẽ temporalium bonorum, quales erant diaconi Act. 6. ſiue ſpiritualium, id eſt, Cœnæ Dominicæ, Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum. Vnde in communi ait Apoſtolus: *Sic nos æſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Et Antiſtes arbitretur ſe aſſumptum ad interpretationem Sacræ Scripturæ populo adminiſtrãdam. *Quicunque,* inquit Dominus, *voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus: ſicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Etſi ergo Græce dicatur miniſterium *διακονία*; non tamen præciſe de diaconatus ordine loquitur, ſed in genere, vt complectitur Epiſcopatum, Sacerdotium, & reliquos Eccleſiaſticos ordines: & 2. Timoth. 4. ait Apoſtolus Timotheo Epiſcopo, *Miniſterium* (ſiue *διακονίαν*) *ſuum imple.* Et nullum eſt vile miniſterium, quod intuitu Dei adminiſtratur in Eccleſia. *Siue qui docet, in doctrina: Qui exhortatur, &c.* Quinque quæ ſequuntur, Græce non ſunt verba, ſed participia; quæ ob id quod cum verbis enunciantur, relatiuis egent, & pertinent ad omnia humana munera, & beneficia. Et primo doctrina latius patet quam prophetia, quia extendit etiam ad humanas ſcientias, per quas poteſt eſſe aliquis vtilis proximo ſuo. Qui docet ergo dogmata fidei, & illa oratione ſua illuſtrat, & confirmat citra peculiarem reuelationem, & ad tollẽdam ignorantiam intellectus, in doctrina, ſcilicet præſtet officium ſuum, & non maneat miniſtrando menſis. Vt ſoli data eſt lux, vt aliis cõmunicetur ad Solis ipſius viſionem, ita gratiæ gratis Doctoribus datæ ſunt, vt proximi ad Dei cognitionem, & laudem aſſurgant. Quam ſine fictione didici (ſcilicet ſapientiam) non fingendo meum eſſe quod eſt Dei, & ſine inuidia communico, nõ retinendo quod mihi donatum eſt ob alios. ¶ Et ſicut ille qui exhortatur in exhortatione, vt Græca habent, ſiue in exhortando, vt dixit interpres, donũ habet pertinens ad intellectum practicum: ita qui docet in doctrina, donum ſpectans ad intellectum ſpeculatiuum. Recte autem diſtinxit doctrinam ab exhortatione: nam, vt notauit Chryſoſt. diuerſa ſunt hæc dona. Nam quidam habent gratiam docendi, nõ autem popularem vim exhortandi: contra vero quidam valent lingua ad populum alliciendum, & non gratiam docendi. In perfecto tamen viro ibi Dei miniſtro illa ſunt cõiuncta, vt erant in Paulo, & in Timoth. ad quem ſcribens Paulus, dixit, *Hæc doce, & exhortare.* Sunt etiam quidam, qui officium & gratiam habẽt docendi, non ita autem permouẽdi: quod eſt eorum qui exhortantur. Quod vt aliquo exemplo illuſtretur, ecce Thomas intellectu eminuit, Bonaueutura vero affectu ſplenduit. Vel, qui docet publice, & exhortatur priuatim. Et docens, vel mouens non dat ſcientiam, vel calorem Spiritus, ſed tantum ſuppeditat fomenta, quib. vel excitetur intellect⁹ ad functionem ſuam vel accendatur affectus audientis. Et videt hoc loco Apoſtolus damnare illorũ vitium. qui nunquam vllo vitæ inſtituto contenti ſunt, ad quod apti nati eſſe videntur, & in quo vtiles eſſe vel Eccleſ. vel Reipublicæ poſſent, niſi ſatietate quadã nauſeantes aliam viuendi rationem inirent, in qua nec ſibi, nec aliis proſunt. Qui ergo exhortatur infirmos, vel pigros, etiãſi alioqui intellectu, vel doctrina valeant, in eo ſe exerceat: quia vt faciam⁹, non ſatis eſt ſcire: quare & docti debẽt concionem audire, vt ad ea quæ nouerunt, permoueantur: nec ſatis eſt plantare nouas arbores niſi etiam irriges, donec tenere ſunt. ¶ *Qui tribuit, in ſimplicitate.* Id eſt, Qui diſpenſator eſt Eccleſiæ facultatum conſtitutus, quales erant olim diaconi Act. 6. & qui faciũt collectas, quas conferũt fideles in vſus pauperũ Sanctorũ, bona fide ſine acceptione perſonarũ ſibi cõcredita, in publicam vtilitatẽ adminiſtrẽt. Hoc faciat in ſimplicitate quærenti Dei gloriã, & non ob retributionem, & ex virtute liberalitatis, quæ nihil iniquitatis admixtum habeat: Mutuũ, inquit, date nihil inde ſperantes. Neque expectemus vllã retributionem, vt ita retribuatur nobis in retributione iuſtorũ: hoc n. & Gẽtiles abominati ſunt. Nã Seneca quodã loco dixit: *Demus beneficia, nõ fœneremus. Dignus eſt decipi, qui de recipiẽdo cogitauit, cũ daret.* Quãto ergo purior eſſe deberet liberalitas Chriſtianorũ, ita vt neq; gratitudinis quidẽ vllũ ſignũ expectarẽt à recipiẽte, agnoſcẽtes Chriſtũ, qui ſe fidei inſtorẽ, & debitorẽ pro eis conſtituit, nõ ſec⁹ ac ſi ipſe reciperet. Nã Quãdiu inquit feciſtis vni de his fratrib. meis minimis, mihi feciſtis, id eſt, mihi dediſtis, imo etiam de

meo de-

Prou. 28.
Ratio diſſenſionis, ac diuiſionis Hæreticorum inter ipſos.
Accipere miniſteriũ in miniſtrãdo, quid.
Act. 6.
1. Cor. 4.
Matt. 20.
Doctrina, quid differat à prophetia.
Act. 6.
Munera gratuita Doctorib. qua lege donentur.
Sap. 7.
Quid exhortari in exhortãdo.

B. Chryſoſt. ſerm. 41 ſub init. to. 4.
1. Tim. 6.
Paulus & Timothe⁹ vtrumque munus præſtiterunt.
Doctor quid tantũ præſtet auditori.
Hiſce documentis Apoſtolus quos notare videatur.
Doctis etiam & eruditis audiẽdum est verbum Dei.
Tribuere in ſimplicitate, quid.
Luc. 6.
Seneca l. 1. de Beneficiis. initio, ca. 1.
Chriſtianorum liberalitas qualis.
Matt. 25.

meo dedistis in æternnm remuneraturo mea. Estque dare Regi exulanti, qui certo aliquando est reducendus in regnnm. Debet etiam esse simpl.citas ab intuitu laudis, vel inanis gloriæ, iuxta illnd: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.*

Altera tribuendi in simplicitate conditio Supra 6.

Sunt qui per simplicitatem, copiam & abundantiam intelligant, atque hoc ex doctrina Pauli accipiunt: nam 2. Cor. 9. ait: *Vt in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem.* Et superiori cap. loqnens de Macedonibus; *Altissima* inquit, *paupertas abundauit in diuitias simplicitatis eorum.* Vt ita, tribuere in simplicitate, idem sit quod tribuere abundanter, siue affluenter: qnemadmodum interpres vertit Iacob. 1. cnm sermo est de postulante sapientiam; *Postulet*, inquit, *à Deo qui dat omnibus affluenter*, vbi Græce habetur ἁπλῶς. Et hic est pulcher sensus Chrysost. cum ait: *Non enim sufficit dare, sed oportet & largiter istud facere. Simplicitatem enim istud esse nouit, vbicunque fiat.* Hæc ille.

Chrysost. serm. 21. in epist. ad Rom ca. 4.

Entium tria genera

Sunt autem tria entium genera: quoddam, quod semper recip.t, & nihil dat, vt est materia prima: aliud quod semper dat, & nihil recipit, vt est Deus, qui cum sit summe bonus, bonorum nostrorum, nō eget: & in assumptione humanitatis nostræ non tam accepit, quam dedit, nempe esse diuinum humanitati.

Ps. 15.

Quædam vero dant, & accipiunt, vt sunt intermedia omnia inter materiam primam, & Deum, etsi gloriosius sit dare, quam accipere, & ordinem nō obseruet, qui plura accipit quam donat.

Act 20.

Qui præest, in solicitudine. Præsidentium vox omnes magistratus Ecclesiasticos, atque etiam seculares complectitur: qui præesse debent in solicitudine, ne videlicet subditi Deum offendant, aut quoquomodo contra proximum peccent: aut si peccauerint, delicta impunita non sinant, ne aliena sua efficiant peccata.

Præsidentes quinā, iidem cor præsint in solicitudine.

Quid eisdē oneris incumbat.

Debet etiam solicitus esse is qui præest, vt sui proficiant in virtute, & ad Dei gloriam illustrandam, & ouium salutem promouendam suam solicitudinē impendere; non autem de honore proprio, aut ouium lana, aut euacuandis inferiorum loculis curā gerere. Ita vt hoc verbo excitari maxime conueniat Ecclesiast. præsides, qui vel gregi suo sine caussa absunt, vel eius curæ indormiunt: siue, qnod peius est, quam Ecclesiæ debent solicitudinem, eandem seculo mancipiarunt, curis mundanis vexati, vt vanos, & seculares honores aucupentur. Vnde merito factnm est, vt qui curam gregis sibi crediti neglexerunt, iusto Dei iudicio experiantur plebes contumaces, & in seipsos insurgentes. Nō sic Paulus, qui, vt docet, qui præest in sollicitudine, ita seipsum in exemplū proponit, dum ait: *Instantia mea quotidiana,*

Qui non præsint in solicitudine, ac ne vix præsint quidem.

Qualis eorum pœna.

Istiusmodi homines quantum ab Apostoli exemplo degenerent 2. Cor. 11. Heb. vlt.

& solicitudo omnium Ecclesiarum: & vult Præpositos peruigilare quasi rationem reddituros pro animabus subditorum. Et omnes Episcopi ante oculos habeant illud Apostolicum verbum: *Non quærimus quæ vestra sunt, sed vos*; vt agnoscant, quid quærant in Episcopatu, an salutem animarum, an sua compendia, & lucra.

Episcopis, Pauli instar animarum salus quærenda tantummodo est, non propriæ commoditates. 2. Cor 12.

Qui miseretur, in hilaritate. Id est, Qui præfectus est curandis ægris, aut qui habet, vnde de suo indigentibus subueniat. Et ita hoc verbnm esset repetitio, & declaratio præcedentis verbi: *Qui tribuit, in simplicitate.* Et actū liberalitatis, & magnificētię Paulns appellat officiū misericordiæ, quod absq; vllo humano intuitu propter Deum exhibetur ad proximi subleuādam inopiam

Qui miseretur in hilaritate.

Porro hilaritas, spleodor quidam est misericordiæ, quæ tum miserenti, tum misero necessaria est. Dare enim, & abalienare à se qnod suum est, tristitiam suapte natura parit: at hæc misericordia virtutis nomen non obtinebit, nisi illa ægritudine expulsa exhilaretur animus. Misero vero, quia eum egestas semper pauperem affligat, tunc maxime recreatur, quādo collatum fuerit beneficiū cum alacritatis gratia. Nam qui oculis auersis, aut fronte corrugata, & subductis superciliis aliquid dat, gratiā virtutis amisit.

Hilaritas in misericordia dupliciter necessaria est.

Hinc Seneca dixit; *Nemo libenter debet quod non accepit, sed expressit.* Et Chrysost. *Quomodo eum qui in tristitia est, refocillabis, si tu eo es? Difficile si quidem est, vt delectum se esse credat, & nihil mali suspicetur, etiamsi cum gaudio dederis. Nā quoniam nihil adeo videtur hominibus turpe, atq; ab alijs accipere; nisi excellenti hilaritate suspicionē illam sustuleris, ostenderisque quod magis accipias quam des, magis deijcias accipientem, quam refocillabis. Sic & vidua illa multa talenta duobus obolis superauit: Larga siquidem mente dedit. Potest enim quis & in paupertate magni, & in diuitiis pusilli animi esse.* Hæc ille.

Senec. loco predict. B. Chrys. serm. 21.

Luc. 21.

Est etiam ornamentū misericordiæ celeritas naturæ: nam qui cito dat, bis dat: & qui cito dedit, diu noluit dare; &, *Hilarem datorem diligit Deus.*

Altera ratio miserēdi in hilaritate. 2. Cor. 9.

Dilectio sine simulatione. Recenset communia, & mutua charitatis officia inter omnia membra Ecclesiæ. Et quia charitas est omnium officiorum radix & fundamentū; qui eam habet, nec in docēdo erit negligēs, nec in ministrando segnis, nec in exhortando remissus, nec duplex in distribuendo; nec mœstus in miserendo, sed omnia præstabit, modo dilectio non sit simulata, sed vera: quæ patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperā, non inflatur; non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum. Ideo per tredecim membra explicat charitatis ornamenta: & tribns primis eius substantiam constituit.

Prædicta omnia virtutum officia vna charitate comprehendi.

1. Cor. 13. Veræ dilectionis symbola ab Apostolo tradita

At eum verum contra falſum & ſimulatũ diſtinguatur, vt aurum contra aurichalcum ait, *Dilectio ſine ſimulatione*, ſcilicet ſit: nam hæc omnia verba quæ ſequuntur præcepti formam habent, etiamſi verbum ſubſtantiuum, more Hebræorum ſubticeatur. Sit ergo dilectio ſine ſimulatione: quia iniuria fit Spiritui ſancto, qui ipſiſſima charitas eſt, & qui diſciplinæ effugiet fictum. Nam operatur magna, ſi eſt. Diligamus etiam non tantum verbo, & lingua, ſed opere, & veritate: nec diſſimulemus vitia fratrum. Et cum charitas ſit finis præcepti, vt ait Apoſtolus; ſi illa ſit fucata, omnia euertuntur: ſi illa vera, omnia ſunt nobis integra. ¶ *Odientes malũ. adhærentes bono.* Definitio videtur charitatis: nam habitus ab obiecto habet ſpeciem ſi ã, ſicut à fine bonitatem, vel malitiam. Hinc obiectum amoris eſt verum bonum, vel apparens tale: odij vero malum, quod proprie eſt peccatum, vel tale ſe oſtentans. Charitas autem ſicut non gaudet ſuper iniquitate, ita congaudet veritati, hoc eſt virtuti, & his quæ vere bona ſunt. Bonum igitur, cui adhærendum eſt, ſolus Deus eſt, vel eius imago, qui eſt proximus, & virtus: reliqua omnia in ordine ad Deum diligenda ſunt. Non dixit: Diligentes Deum; ſed, *Adhærentes bono*; quaſi debeamus conglutinati eſſe, & cõpacti in id, quod vere honeſtum eſt, & bonum. ¶ Et ex iſto gemino membro optimum documentum accipiendum eſt: vt ita videlicet odium inſit mali, ne amorẽ lædat boni: & ita adſit amor boni, vt nullum malum admittat. Et ſic diligamus proximos, vt eorum non diligamus errores: aut ita odio habeamus vitia, vt odio proximos non proſequamur. ¶ *Charitatem fraternitatis inuicem diligentes*, Subiungit quatuor membra quæ rationem habent ad proximos. Et primo æqualitatem amoris, quam inter ſe ſeruare debent fideles. Etſi enim multa, ac diuerſa ſint neceſſitudinis vincula: debent tamen omnes quaſi fratres æquali quodam amore ſe mutuo proſequi: Reſpectu enim Dei omnes ſumus fratres in Christo: & ſi naturam ſpectes, omnes ab eodem opifice ſumus cõditi, eodem orbis domicilio cohabitamus, eundem aerem ſpiramus, eodem victu alimur, atq; eandem Creatoris imaginem geſtamus. Si vero gratia ſpectes, eodem Chriſti ſanguine redempti ſumus, eodem Baptiſmo regeniti, ſub gremio, & gubernatione vnius, & eiuſdem matris Eccleſiæ ſeruamur, eadem menſa Euchariſtiæ paſcimur, & potamur, ad eandem patriam feſtinamus. Græce dicitur in Ablatiuo φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι: id eſt, mutua charitate ad mutuo vos amandum propenſi. Eſt enim στοργὴ affectus pietatis, aut charitatis erga ſuos. Ἄστοργοι dicuntur, qui illo affectu erga ſuos tanguntur. Quæ lectio non contemnenda videtur, quia ait, Inuicem: non enim inuicem diligimus fraternam charitatem, ſed nos mutuo per charitatem; & quia in ſequenti clauſula ait in Ablatiuo, *Honore inuicem præuenientes*; tum etiam quia Ambroſius legit: Fraternitatis amore inuicem benigni, & Tertull. an. libr. 5. aduerſus Marcionem: *Amore fraternitatis inuicem affectuosi*. Et ita fortaſſe noſter interpres: Charitate fraternitatis inuicem diligentes, conuertit. Idem oſtendit nomen illud, non participium, φιλόστοργοι quæ vox eximium amorem ſignificat, qualis eſt parentum erga filios; ſicut nomine φιλαδελφίας ſignificauit æqualem amorem, qualis eſt inter fratres: vt talis ſit dilectio inter nos, qualis eſt fratrum inter ſe, aut parentum in filios, aut filiorum in parentes. Nam etſi aliquis ſit ſuperior, non deſinit eſſe frater: ſicut Ioſeph in ſummo gradu, & poteſtate conſtitutus, dixit fratribus, Ego ſum Ioſeph frater veſter, & Chriſtus poſt datam ſibi omnem poteſtatem, *Ite*, inquit, *nunciate fratribus meis*. Quod in eos dicitur, qui, ſi quid noui æ dignitatis, ſiue Eccleſiaſticæ, ſiue laicæ acceſſerit, mox inflati cæteros ſpernunt, etiam neceſſarios ſuos, & Gentiles. ¶ *Honore inuicem præuenientes* Honor, cum virtutis ſit præmium, & plurimum ab hominibus diligatur, primum locum habet inter externa, & plurimum valet ad amicitias multas extendendas, vel cõtrahendas. Exhibitus et à proximo honor, in Deum, qui Chriſtianos habitat, terminatur. Et non ait: Honorem inuicem reddentes, ſed, præuenientes; vt charitatem fraternitatis in honore, ſicut in amore oſtendant. In republica namque externa, maiores non præueniunt bonore minores, ſed potius cõtra. At inter Chriſtianos quo quiſque eſt ſuperior, exemplo eius, qui lauit primus pedes diſcipulorum ſuorum, eo magis officiis decertare debet cum inferioribus. Nã hoc eſt exemplum, & præceptum Chriſti, vt ſicut ipſe fecit, ita & nos faciamus. Et idem hic præcipit Apoſtolus teſte Origene, quod Dominus in Euangelio præceperat; vt vocatus ad cœnam, vel prandium, in primo conuiuii loco non ſedeat. Et poſt amorem de honore exhibendo inſtituit ſermonem; ne dilectio pariat contemptum. Et ſub honoris voce omnia obſequia, & beneficia, quibus proximum egere videmus, intelligenda ſunt. Addit: *Solicitudine non pigri*. Quia amor ipſe ſolicitus eſt: nam vt quidã dixit:

Res eſt ſolicita plena timoris amor:

Ideo ſubiunxit: *Spiritu feruentes*. Qui omnẽ

excutiat

Margin notes (left): Quando erit dilectio ſine ſimulatione. 1. Ioan. 4. Sap. 1. 1. Ioan. 3. 1. Tim. 1. Ratio charitatis. 1. Cor. 13. Quodnam illud bonũ, cui adhærẽdum eſt. Charitatẽ fraternitatis cur inuicem diligere debeamus. Matt. 23. I. ratio. II. III. Lectio illa. Mutua charitate ad mutuo vos amandum propenſi, quam probabilis.

Margin notes (right): Ambr. ia. ſ. Tertull. c. de epiſt. ad Rom. prope finem. Eo verbo qualis inter ſe Chriſtianorum inſinuetur dilectio. Gen. 45. Matt. 28. Honor quid ſit: quam vim habeat in rebus humanis. Quam recte dictum vt honore inuicem præueniamus. Ioan. 13. Ibid. 13. Orig. to. 2. Luc. 14. Honoris appellatione quæ veniant. Ouid. ep. 1. Quare ſpiritu feruentes.

excutiat teporem, aut torporem, vt quisque præsto sit subleuandis fratrum necessitatibus. Et feruor propre ad charitatem spectat, qui ignem zeli erga Deum, & fratris salutem excitat: de quo alibi ait; *Spiritum nolite extinguere.* Etiamsi Dominus admoneat futuros, quorum refrigescat charitas ob abundantiam iniquitatis.

1. Thes. 5. Matt. 24.

DISPVTATIO III.

In illa verba: *Domino seruientes, Spe gaudentes, In tribulatione patientes, Orationi instantes, Necessitatibus Sanctorum communicantes,* &c. vsque in c. fin.

QVoniam ea omnia quæ sequuntur, nō sunt dissimilia præcedentibus, & facilia, & plana se esse ostendunt, non immorabimur in quæstionibus super illis proponendis, ne nodum, vt dici solet, in scirpo quæramus, & simplici explanatione contēti erimus. Subiungit igitur primo loco quatuor membra, quæ ad Deum referuntur, quorum primum est: *Domino seruientes,* Vbi primum nota, quod cum Græce κυρίῳ & καιρῷ vicinæ sint admodum voces, & quia per compendium illud scribendi κῷ putatum est Καιρῷ fuisse scriptum, inde natæ sūt, variæ huius loci lectiones, an sit vertendū, Domino seruientes, an, Tempori seruientes. Ambrosius certe posteriorem sequitur lectionem, & eam probauit Erasmus, vt sit sensus, seruiendum esse loco, & tempori, & pensata qualitate personarum de fide, & religione tractandum. Vel καιρὸς pro occasione accipitur, & secundum prouerbium significat: Nullam sinamus occasionem nobis elabi bene agendi, sed omnem obseruemus opportunitatem, vt possimus officia, siue beneficia in proximos collocare. Ita Christus tempori plerunque seruiuit, se ad tempus aliquando abdendo, aliquando vero apparendo, interdum vero seipsum vltro offerendo: & Apostolis dixit; *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nūquid aliquid defuit vobis? Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.* Et, *Nonne duodecim sunt horæ diei?* ¶ Vel præscribitur fidelibus, vt pro temporis ratione sese accommodent fratribus: sicut Apostolus testatur sese factum omnia omnibus, vt omnes faceret saluos. ¶ Sed hæc lectio etsi tolerabilis, vincitur tamen ab alia multis de causis. Nam tam Latina, quam Græca exemplaria habent, Domino. Et Ambrosius qui Latine legit, tēpori, admonet Græce haberi, Deo. Et vice versa, cum Origenes legat; Domino, ipse tamen, vel eius interpres asserit in Latinis codicibus inconuenienter insertū, Tempori seruientes. Hieronymus in epistola ad Marcellā acriter eos insectatur qui legunt: Tempori seruientes. Clemens lib. 3. Pædagog. ca. 10. & Sophronius in vita Mariæ Aegyptiacæ, & Basilius in Moralibus regula 69. c. 2. Domino legunt. Vt interim omittam, quod mundi prudentia sit tempori seruire. Vnde Lactant. in quodam loco dixit: *O philosophorum adulatorem, & tempori seruientem.* Præterea si expendas & quod præcedit, & quod sequitur, deprehēdes, lectionem nostram priori præstare. Præcedit enim: *Spiritu feruentes,* & sequitur, *Spe gaudentes:* ¶ Nec obstat Ambrosii ratio: non competere, vt cum singula membra, quæ ad obsequia, & seruitia Dei pertinent, sint hactenus commemorata, non opus fuisset subiūgere velut in summa: Domino seruientes. Quin potius vt Theophylact. hoc loco ait: *Cum fratrum amator fueris, adeoque dilectionē habueris, idque genus alia, quæ paullo ante commemorata sunt, tum seruies Domino. In seipsum enim transfert, quæcunque fratri tuo præstiteris.* ¶ *Spe gaudentes.* Seruit enim quisque domino suo spe mercedis: quæ spes licet ratione durationis cor affligat, iuxta illud: *Spes quæ differtur, affligit animam:* ratione tamen firmitatis gaudere facit, quia Spes non confūdit. Ideo iustus in fide viuit, &, *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Nec enim bonum est modo reipsa gaudere, cū hæc præsentia bona, non sint vera bona, sed ad futura oporteat se præparare: quod fit luctu, & imitatione capitis nostri, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Quo fit, vt æquo animo præsentis vitæ incommoda, & persecutiones tolerare debeamus. Ideo subiungit: *in tribulatione patientes.* Nam tribulatio patientiam operatur, quæ probationem parit, probatio vero spem. Etsi enim spes de futuro bono sit, & gaudiū de præsenti, sicut tristitia de malis præsentibus: tanta tamen est spei firmitas, & robur; vt sensum præsentium malorum expellat, in quibus sancti gaudent, sicut scriptum est: *Ibant gaudentes Apostoli à conspectu concilij,* &c. Et, *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.*

Orationi instantes. Id est, Ab eodem Deo: cui seruitium impendimus, vires efflagitemus; quibus sustentari valeamus. Oratio siquidem nos ipsos cum infirmitate, & indigentia nobis repræsentat, vt magis coram Deo humiliemur, Deumque pluris faciamus, à quo speramus opem, & præmia apud Deum nobis comparemus, eique cuncta benefi-

Prouerbiū.

Hæc interpretatio: Tempori, pro, Domino, seruiētes, vnde nata sit.

B. Amb. ec. 5. Erasm. in Paraphrasi Quando tēpori seruierit Christus

Ioan. 11.

1. Cor. 9.

Ambr.

Orig.

Hier epist. 102. to. 2. in fin.

Clem. Alex. to. 1.

Sophron.

B. Basil. to. 1

Lactan. l. 5. c. sub fin.

Ambrosii ratio pro priori lectione diluitur.

Theophyl.

Quando seruiat Domino quis.

Prou. 13.

Quomodo simus spe gaudentes.

Rom. 5.

Habac. 2.

Rom. 5.

Heb. 12.

Cur in tribulatione patientes.

Rom. 5.

Iacob. 1.

Act. 5.

Iacob. 1.

Quid orationi instare.

Quorum instat orationi instabimus. *Luca* 18. *Iacob* 5. 3. *Reg* 17. Orationi eur nobis semper instandum. *Matt*. 7. *B. Amb* 10. 5. *Orig* 10. 2. I. sensus Ambrosii.

beneficia accepta referamus. Ideo non dixit, *Orantes*, sed, *Orationi instantes*, more illius viduæ Euangelicæ, & Heliæ, qui oratione orauit ne plueret super terram: & rursus vt plueret, & obtinuit. Et vt semper ope Dei egemus, ita indefesse est orandus Deus, & precibus ad fores suæ misericordiæ pulsandum. ¶ *Necessitatibus Sanctorum communicantes.* Post generalia officia descendit ad illa, quæ in peculiares personas conferuntur: vt sunt sancti, & hospites. Perpende, Ambrosium, & Originem legere: Memoriis sanctorum communicantes, & facile fuit duabus literulis mutatis legere χρείαις pro μνείαις. Et exponit Ambrosius dupliciter: *Manifestum est*, inquit, *quia qui preces suas exaudiri vult, æmulus debet esse vita Sanctorum. Cum imitatur enim communicat, vt hoc sit memorem esse, & communicatorem, imitari actus illorum.* (Et de altero sensu subdit.) *Et si sumptibus indigent, communicandum eis, sicut dicit alio loco: De collectis autem quæ fiunt in Sanctos. & ad Galatas: Vt pauperum memores essemus.*

Alter eiusdem. 1. *Cor*. 16. *Gal*. 2. *Origen. in Comment. epist ad Rō.* 10. 2. *B. Hilar. contra Constantium.* III. sensus.

Origenes vero ait: *Meminisse Sanctorum, siue in collectis solemnibus, siue proeo, vt ex recordatione eorum proficiamus, aptum, & conueniens videtur.* Hilarius tamen vtrumque sensum amplexus in Inuectiua contra Constantium Augustum, *Apostolus* inquit, *communicare nos Sanctorum memoriis docuit: tu eas damnare coegisti.* Hec ille loquens de 318. Patribus Nicceni Concilii. Alij vero Patres hunc locum de Sanctis qui vita functi sunt, & purgatoriis pœnis lustrantur, præsentem locum accipiunt. Sanctos vero vocat pios, & iustos, qui cæteris partibus preferri debent: tū quia digniores, tum quia suis orationibus fructuosiores, secundum illud: *Facite vobis de mammona iniquitatis.* Ita etiam leguot Optatus Afer libr. 2. contra Parmenianum, Eustratius quoque Constantinopolitanus vetus autor libro de operatione animæ post mortem, cuius meminit Photius in sua Bibliotheca, atque eodem modo legisse videtur Clemens Rom. libr. 8. constit. Apost. ca. 48. vbi ex Apostolorum persona præcipit mortuorum exequias celebrari cum hymnis, precibus, & lectionibus sacris. Deinde ex bonis defuncti constituit tribuere pauperibus in commemorationem ipsius.

Quos appellet hic Paul. sanctos. *Luc*. 16.

Laus hospitalitatis. *Matt*. 25. *Gen*. 18.

Hospitalitatem sectantes. Hospitalitatis officium tum in Veteri, tum in Nouo Testamento commendatissimū fuit: & Christus in se impensum accipit, quod hospitib. impenditur: & ob id Abraham meruit Angelos accipere. Fuit etiam in magno honore apud Gentes; adeo vt ipsi Ioui hoc hospitalitatis Epitheton, nempe ξένιος, tribuerent. Vnde Poeta dixit:

Iuppiter omnipotens: nam te dare iura loquuntur Hospitibus. *Virgil.*

¶ Nec dixit, Hospitalitatem exercentes, sed sectantes: quia non satis est aduenienti peregrino ostium aperire, sed debet, exemplo Abraham & Lot, in vias & campos prodire, & obuios quosque in domum suam ex charitate adducere, ne alius præcipiat prædam, aut tam pulchram venationem. Neq; sunt rectæ institutæ illæ ciuitates, in quibus pauperes non nisi ad triduum recipiuntur, ac tolerantur. Nam etsi ordo charitatis postulet vt nostris ciuibus indigentibus, quam alienis succurramus, & qui non potest, non teneatur vlla lege alienis prospicere: nō possunt tamen pauperes iure naturali, & Euangelico quod habent, discurrendi quocunq;, & manendi vbicunq;, & cuicunque exponēdi miserias suas, & calamitates spoliari; nisi forte essent aut vagabundi sine necessitate, vel insidiatores, vel alias criminosi. ¶ *Benedicite persequentibus vos benedicite, & nolite maledicere.* Progreditur ad officia charitatis, quæ inimicis exhibenda sunt: quæ sexdecim mēbris sequentibus includuntur. Cum vero inimicum tribus modis demereri possimus nimirum beneuolentia, concordia, atq; beneficentia: duo hæc priora pertinent ad beneuolentiam, sex proxima ad concordiam, octo vero posteriora ad beneficentiam spectant, ab eo nimirum loco: Nulli malum pro malo reddentes. ¶ Est autem Benedicere, non tantum Beneloqui de aliquo, sed etiā bene precari, optando illi bonum: & vtrunque significat vox Græca εὐλογεῖν. Indicat ergo Apostolus multos futuros atrocissimos Ecclesiæ persecutores, cōtra quos eos munit, præcipiendo ne quis maledicat, aut mala imprecetur. Et vehementer hoc admonet, repetendo idem præceptum, quia videbat, rem homini valde difficilem, & Christiana magnimitate dignam se præcipere. Nam id à Christo obseruatum legimus tanquam summam fortitudinis perfectionem. Nam Petrus ait: *Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur.* Debemus ergo corde & ore bene precari inimicis, hoc est resipiscentiam, & animi salutem. Deinde vt blande, & leniter eos admoneamus, mollique respōsio eorum iram restinguamus. Nam vt recte Salomon inquit: Responsio mollis frangit irā sermo durus suscitat furorem. *Gaudere cum gaudentibus flere cum flentibus.* Infinitiui per Henallagen ponuntur pro Imperatiuis more Hebræorum, & Græcorum, præsertim vero Atticorum: ideo Erasmus vertit Imperatiue, Faber per Gerundium, gaudendū & flendum. Et si lectionem Infinitiui retinemus,

Gen. 19

Triduanū duntaxat pauperum hospitium taxatur.

Officiorū quæ inimicis impendenda sunt enumeratio.

Quid sit Benedicere

Hoc præcepto Benedicēdi persequentib. nos, quid insinuet Apostolus, curque illud ingeminet.

1. *Pet*. 2.

Prou 15.

Hebræi, & Græci de more linguæ pro Imperatiuis Infinitiuis vtuntur.

Erasmus. *Faber.*

nesmus,

D. Aug. to. 4 sub init. B. Hieron. ep. 46. circa med. to. 1. Idem to. 2.

neamus, oportet supplere verbum aliquod nempe, oportet; & ita legit August. lib. 4. de doctr. Christ. ca. 20. Hieron. ad Rusticum, & Ambr. hoc loco; licet in lib. ad virginem Lapsam, c. 1. legat per Imperatiuum. Subiungit post monita beneuolentiæ, tria alia de concordia seruanda. Docet ergo Paulus illud quod docebant Philosophi, nimirum: *Amicus est alter ego.* Sed condienda est hæc sententia sale prudentiæ Christianæ. Non enim gaudendum est vbicunque gaudet proximus: neq; flendum quando ille luget, aut mœret; sed iuxta charitatis præceptũ, quæ non gaudet super iniquitate, sed super veritate. Sũt enim quidam qui lætantur cum malefecerint & lætãtur de vana huius seculi prosperitate per iniquitatẽ comparata, aut de vindicta per iniuriam obtenta, aut de alio simili scelere. At cum proximus lætatur de opere virtutis, aut dolet de peccato admisso, tũc vt membra corporis Christi debemus, aut congaudere, aut condolere: de bonis etiam naturæ licet parce, & modice lætari, vel dolere. Nihil enim adeo mutuam dilectionem conciliat, quam cum mutuam habemus tristitiam, aut lætitiam. Etsi calamitoso non possumus opem ferre, producamus lacrymas, & partem laboris sustulimus. Etsi prosperitatem augere nõ valemus, congaudeamus, & multum augmenti attulimus. Et difficilius est, teste Chrysost. gaudere cum gaudentibus, quam cõtristari cum tristib. nam hoc posterius natura vltro facit. Nam cum calamitates proximi nulla sint inuidiæ materia, nemo non est qui non sponte condoleat. At quod quis non solum non inuideat ei, cui arridet fortuna sed & cõgaudeat, hoc est generosæ mentis. *Idipsum inuicem sentientes.* Hæc est concordiæ perfectio, idem velle, & idem nolle: quanquam sunt plerique, qui nolũt cum aliis conuenire in sententiis, vt aliquid esse videantur. Chrysost. interpretatur, vt idem quisq; de seipso, quod de proximo suo sentiat; vt ita dometur superbia concordiæ inimica. Pauli tamẽ menti videtur potius spectare ad vnitatem sententię in rebus Fidei, & praxis, ac prudentiæ eorum quæ agi debẽt: quæ quidem vnitas radix est, & principium concordiæ. Nam sæpe per varias opiniones sequitur abalienatio animorum, qua extinguitur charitas. Et damnantur hic omnes illi, qui scripto, vel verbo haberi volũt singulares, aliena impugnando, & propria noua stabiliendo: quæ insolentia mater est schismatis. Subdit: *Non alta sapientes sed humilibus consentientes.* Adimit ex animis impedimenta quæ obstare possunt cõcordiæ: quæ tria esse videntur, & in vnum concurrere. Primum est, Alta de se sapere

1. Cor. 13.

Prou. 2.

Huiusmodi gaudiũ, ac fletus quam vim habeat in amicitia.

Chrys. ser. 22.

Ad flendũ cum flentibus quam ad gaudendum cum gaudentib. cur simus propensiores.

Quid id ipsum inuicem sentire Chrysostomo.

Idem ibid.

Alter sensus accommodatior.

Huius præcepti contemptores qui.

Quid alta sapere, & quid humilibus consentire.

ille aũt altum sapit, qui vult aliis supereminere, & super excedere, aut propter opes, aut propter nobilitatem, aut propter sapientiam: de quo superius dixit: *Noli altũ sapere, sed time.* Humilib. aũt consentientes sunt, q se humilioris, & vilioris sortis hominibus accommodant. Vocat hic humiles, non eos qui humilitatis virtute præstant, sed qui humili loco sunt nati, id est, pauperes, & abiecti, cum quibus, cum veritatem agnoscam⁹, & osculemur, non debemus dedignari consentire cum illis. Sunt et iam quidam qui altum sapiunt, quia sibi ipsis videntur prudentes: de quo subiungit: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Ambro. putat hæc verba desumpta ex Esai. ca. 5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Estque additum ad explicandum verbum præcedens: *Non alta sapientes.* Tanta est enim philautia, vt vix inuenias mortalem vnum cedere in his quæ spectãt ad se etiam, vel prudentiam; cum tñ in multis aliis cedant. Vnde homo sui opinione plenus, sibi ipsi arbitratur sufficere, nec alterius ope, aut opera indigere. *Nulli malum pro malo reddentes.* Prosequitur Apostolus ea, quæ spectant ad beneficentiam erga inimicos. Et non tantum est consilium, sed etiam quandoque præceptum, alterius odio, vel vindictæ affectu, in malo alterius delectari. Nõ aũt inhibet, aut consulit publicæ potestati ne malefactoribus rependeat supplicium, hoc enim nõ est reddere malum pro malo, sed bono actu iustitiæ punire malum, & acceptum damnum resarcire. Nam ita Paulus tradit Satanæ incestuosum Corinth. excæcat Elymam magum; Petrus Ananiam, & Sapphiram interficit; Moyses viginti tria millia ob peccatum idololatriæ dissipauit. Neque præcipit etiã Prælatis iniuriam passis, vt quod acceperũt detrimentum, remittant: nam ius habent, quo sæpe obligantur, illis, qui vel honore, vel bonis expoliati sunt, ea repetere, maxime vbi illis indigeant vel pro sua familia, vel pro republica: extra quam caussam potest hæc remissio cadere sub consilium: & non est reddere malum pro malo, sed repetere sublatum bonum. Est ergo prohibitum, ne inimico, à quo lacessiti sumus, vel damnũ aliquod accepimus, siue in honore, siue in bonis, ne odio acceptas iniurias sine ordine iuris retaliemus. ¶ *Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* In hac sententia, sex voces illæ: Non tantũ coram Deo, sed etiam; in Græcis desiderantur, neque eas habet aut Orig. in expositione, aut Theophyl. aut Oecumen. Ideo dubiũ est an desint in Græcis, an adiecta sint in Latinis, Sed quoniá ea legit Amb. &

Rom. 11.

Quibus sit humilibus consentiendum.

B. Ambros. Esai. 5.

Huius documenti, vt non simus prudẽtes apud nosmetipsos tradẽdi quæ causa.

Malum reddere pro malo contingat quãdo non sine peccato

Vbi nullũ sit peccatũ

1. Cor. 5. Act. 13. Supra 5. Exod. 32.

Quomodo nulli malũ pro malo reddendũ.

Orig. to. 2. Theophyl. Oecum. c. 18

expo-

Lectio hęc Latina bimembris: Prouidentes bona non tantū corā Deo, sed etiam, &c. quam probabilis. B Ambros. D. Hieron. epist. 47. paulo ante dimid. to. 2.

exponit, & B. Hieronym. in epist. de Viuendo suspecto contubernio eorum meminit; & licet non essent Apostoli verba, essent omnino supplenda: verisimile est de textu esse. Quia Romanos non admonuisset, vt coram hominibus prouiderent bona, quin prius Deo placere per illa admonuisset: & vbi vtrumque fieri nequit, potius est placendum Deo, quam hominibus. Ideo priora verba sequentis clausulæ quidam coniungunt cum prioribus verbis. Nam cum difficile sit, Deo, hominibusque placere, *Si fieri potest*, inquit, *hoc facite*. Sūt etiam simultates inter homines, propter quas vix sibi ostendunt serenam faciem, sed quodam animi tumore se ipsos decipientes dicunt. Valeat. Ego quidem illi parco coram Deo, non autem liber illum alloqui, aut signa amicitiæ vlla ostendere. Ideo Paulus voluit, vt in exterioribus etiam appareat charitas, ne sinistri iudicij præbeatur occasio. Et quod dicitur, bona, Græce est τὰ καλὰ. quæ aduerbii locum aliquando habent, vt quidam transtulerint: Bene prouideamus. Et si aliquando petenda est nobis vindicta admonemur id tali prudentia facere, ne cuiquam simus offendiculo, sed vt circumstantes ædificemus. ¶ *Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Etsi prima particula abundare videatur, quia satis erat dicere, quod in vobis est; potest tamen cohærere cum præsenti clausula. Quia sæpe fit ob aduersariorum potentiam, & malignitatem in Dei gloriam, & Ecclesiam eius, fidemque & bonos mores corrumpētium, vt cum his pax habenda non sit, sed vehementer resistendum: cum cæteris autem qui iniuriam inferunt, quærenda pax est, & concordia, non tamen necessaria est amicitia, vel familiaritas. Quantum ergo in vobis est; quia cum pax ab vtraque parte dependeat, non semper id situm est in nostra facultate. *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Si defendendi verbum ample accipiatur in sua quam primo repræsentat significatione, hæc verba præcepti vim non haberent: quia suppetit cuique ius vim vi repellendi; tuendi etiam honorem suum, & bona sui, & suorum: & Apostolus à coniuratione Iudæorum contra se excitata defendit se per milites tribuni: & Actor. 25. appellauit ad Cæsarem: sed esset consilium iuxta illud: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam præbe illi, & alteram*, scilicet in animi præparatione, vt declarauit magnus Augustin. At hoc loco liquidum est, defendere, accipi pro vindicare: nam id ostēdit vox Græca ἐκδικοῦντες: vnde & ἐκδίκησις vindicta, de qua subdit: *Mihi*

Quatenus expetere debeamus vindictam

Quam recte dictum ab Apostolo, vt, Quod ex nobis est, cum omnibus hominibus pacē habeamus.

Non defendere, & tueri nos ipsos proprie loquendo cur tantū consilium sit.

Act. 23.

Infra 25. Matt. 5. B. Aug li. 1. ser. Domini in monte c. 25. & 30. to. 4.

vindictam, & ego retribuam. Distat autem vindicta à defensione: quod defensio sit in ipso aggressu ad propulsandam iniuriam, vindicatio autem, est repensio post acceptam iniuriam. Solet autem in Scripturis defendere, capi pro vlcisci. Nam pro eo quod Apocal. 6. dicitur. *Vsquequo Domine (sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum*, Ecclesia canit: *Vsquequo non defendis*, &c. Et Iudith. 1. Nabuchodonosor iurauit per thronum & regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus, quæ sibi contradixerant, & remiserant nuntios suos vacuos; id est quod vlcisceretur de illata iniuria. Et similiter accipitur cap. 2. eiusdem lib. Et vbi nos in Gallicano Psalterio legimus: *Vt destruas inimicum, & vltorem*, Romanum psalterium, quod sequitur Augustinus, legit, *defensorem*. Et Tertullian. lib. 2. aduersus Marcionem, citans hunc locum, ait, *Mihi defensam, & ego defendam.* Ex Latinis porro Nonnius Marcell. lib. de proprietate sermonis, ait: *Defendere. est vindicare, siue depellere.* Nec simpliciter Paulus vetat vindictam, quia licet per legem, & publicam potestatē vindictam reposcere; sed ait: *Non vosmetipsos defendentes*, id est manu propria vindicantes. ¶ Et adiecit, *Charissimi*, vt leniret difficultatem præcepti. Et subdit: *Date locum iræ*, id est, Vos affecti iniuria cedite propriæ iræ, & sinite illam deferuere, donec euanescat, nullo modo resistentes. Sicut videmus fulgura, & tormenta bellica, cum nihil offendunt, in quod valeant vires suas exercere, nullam faciunt impressionem. Et sic in fine ait. Noli vinci à malo, scilicet iræ. Origenes vero interpretatur de ira iniuriam inferentis. Cum enim quis videt sibi non resisti, lenitate alterius confusus deponit iram. At Chrysostom. & Theophylactus ad iram Dei hæc referunt. Cum enim quis non sese vlciscitur, iræ Dei locum relinquit, qui est Deus vltionum: quod comprobant verbo sequenti: Scriptum est enim: *Mihi vindictam, & ego retribuam*: quod est perinde ac si dixisset, Date locum iræ illius, cui proprie competit vindicta. Etsi apte, etiam ad primum sensum hoc testimonium proferatur. Nam ideo debet quis iræ propriæ locum dare, quod proprium Dei munus sit, & suorum ministrorum iustitiæ pœnas de iniuriis illatis sumere. Ideo qui se propria potestate vlciscitur, & sibi malus est, dum peccat, & alteri iniquus, quem propria lædit autoritate: imo ò iniquior, quod in se expertus esset quam sit atrox malum iniuriam pati, quod forte iniuriam inferens expertus non fuerat. Est item in Deum iniurius, in quem delinquit,

Defensio & vindicta quid differant.

Apoc. 6.

Iudith. 1.

Infra 2.

Idem to. 8. in princ. Tertull. aliquanto post lib. dimidiū. Nonn. Marcell.

Quid dare locum iræ.

Alter sēsus. Orig. to. 2.

III. sensus. B Chrysost. ser. 22. Theophyl.

Ps. 93.

Deut. 32.

Seipsos vindicantes, dupliciter peccant.

eius munus,& suorum vsurpando. Estque hæc sententia ex Cantico Moysis deducta. vbi dicitur in Nominandi casu: *Mea est vltio, & ego retribuam*: & ita Græce legitur, Et est sensus: Ad me pertinet vindicta. Si legamus in Accusatiuo, suppleodum est verbum, date, vel seruate: quemadmodum in Accusandi casu legunt Hilarius in Psalm.118.& Tertullia lib.4.& 5. aduersus Marcion.& lib. de Patientia, atque alii. ¶ Docet autem Moyses vltionem relinquendam Deo, non autem petendam: nam si quis à Deo peteret vindictam iam animo suo vlcisceretur, & Deū faceret carnificem, & ministrum suæ iracūdiæ.

Quid significet: Mea est vltio, & ego retribuam.

D. Hilar. Tertull. c. de op ad Rom. in fine Idem post. lib. demed.

Recte autem prospectum est, vt liceat propulsare iniuriam quæ actu infertur sicut vnaquæq; res naturaliter suo contrario resistit. Sed vbi recepta est, non licet eam referre, nisi per certos, eosque publicos iustitiæ ministros persequi. Tum quia executio iustitiæ vim coercendi exigit, quæ nō semper est in priuato: & si cuique facienda esset, non æqua pateret omnibus iustitia: nam potentes se vlciscerentur, tenues ac debiles non possent. Deinde quia crudeles, & truces vindictam sumerent, mansueti vero facile remitterent, & sic mali peccantes, in perniciem bonorum impuniti remanerent. Tertio, quia si cuique pro suo arbitratu liceret repedere iniuriam; cum nullus sit æquus iudex in propria caussa, pro minimo damno maximum redderet, & pars læsa resarcire curaret sua parua damna cum maximo aliorum impendio. ¶ *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* Dixerat inimicis esse benedicendum: sed ne quis putaret tantum esse ore benefaciendum; adiungit quatenus sit etiam opere succurrendum: imitatus Christum, qui dixit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Et hæc omnia videtur accepisse Paulus ex cap.25. Prouerbiorum. ¶ Huius autem præcepti cibandi, & potandi inimicum, vis & efficacia, ad tempus tantum necessitatis extenditur, cum quis videlicet extrema, aut graui necessitate perurgetur, nā tunc suppeditanda sunt necessaria. Ideo meminit cibi, & potus, qui sunt ad vitam necessario tuendam; non autem deliciarum, aut pretiosiorum ciborum. Extra caussam vero necessitatis non est nisi consilium. Ciba, inquit, aut pasce; non exalta, aut dita. ¶ *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Carbones ignis dixit, pro carbones ignitos, siue candentes, Hebræo idiomate. Et primo à Chrysostomo in hunc modum exponitur: aptat enim hæc ad reseruatam à Deo vindictam. Et carbones ignis accipit pro suppliciis damnatorū, secundum illud: *Cadent super eos carbones; in ignem deiicies eos, in miseriis non subsistent.* Ait ergo. Vestrum est benefacere illis: si non resipuerint, erit cumulatior caussa succendendi carbones contra illos: nō quod dum benefacimus, hoc propositum habere debeamus, quia esset contra charitatem, sed hoc dixit prænuntians futurum iudicium.

I ratio, cur per Magistratum, & non per nos ipsos allatam iniuriam cōpensemus. II.

III.

Esurientē inimicum nostrum cibandi, ac sitientem potandi præceptū cur additū. *Matt. 5. Prou. 25.* Quomodo illud accipiendum sit.

Quid carbones ignis congerere super caput inimici *B. Chrys. ser. 22.*

Psal. 139.

¶ Alter sensus est Augustini, & Hieronymi, & verbis Pauli, quæ charitatem spirant, congruentior. Docet enim, quomodo in bono vincendi sint hac arte inimici, maxime cum à Salomone sit adiectum: *Et Dominus reddet tibi.* Congeres ergo carbones super caput eius. Caput enim hominis iniuria afficientis est superba mēs, & iniuriosa, quæ si contra beneficiis afficiatur, quasi carbonibus vastatoriis consumitur. Est enim ignis quidam charitas omnem malum humorem comburens, & vastans. Nullum autem magis accommodatum adminiculum ad prouocandum inimicum, quam spontaneum beneficium tempore necessitatis impensum. Vnde Hieronymus quæstio. 1. ad Hedibiam inquit: *Neque vero hoc, quod dicitur Hoc enim faciens, carbones ignis congregabis super caput eius: in malam partem accipiendum est, sed in bonam. Quando enim inimicis nostris præbemus beneficia; malitiam eorum nostra bonitate superamus, & mollimus duritiam, iratumq; animum ad mollitiem, & beneuolentiam flectimus, atque ita congregamus carbones super capita eorum, de quibus scriptum est: Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis: vt, quomodo de altari à Seraphin carbo sublatus, Prophetæ labia purgauit; ita & inimicorum nostrorum peccata purgentur; & vincamus in bono malum, & benedicamus maledicentibus.* Idem in librum Prouerbiorum, non de incendiis pœnarum sed de ardore charitatis docet esse intelligendum. Si tamen illa commentaria Hieronymo sint tribuenda. Subiungit Paulus: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Conclusio est elegans eorum omnium, quæ de beneuolentia, & beneficentia inimicorum disseruit. Nam cum homini innatus sit victoriæ de inimico appetitus, ait, Non contendo tibi hactenus persuadere, ne vincere des operam, sed hoc tantum, ne à malo sinas te vinci, quod turpissimum est. Contende autem, vt malum bono vincas, quod est pulcherrimum.

Altera sententia. *B. Aug. pr pos. 71. in hanc. epist. to. 4 prope fin.*

Hieronym epist. 50 ... quæst. 10.

Psal. 119. Esai 6.

Idem in c. 25. Prouer. to. 7 prope fin.

Quid est, non vinci à malo, sed vincere in bono malum.

Est autem egregia antithesis inter vinci à malo, & vincere in bono malum. Malum vero & bonum non vno modo accipitur. Nam si iniuria affectus surgat ira percitus in hostem, conuiciis agat, turpiter succumbit iræ, quæ illum veluti bestiam

Quam ... lum ac tu... pe à malo se vinci p... mittere.

calcaribus stimulat, & prétioso dono charitatis patientis spoliatur. Vincitur etiam ab ipso dæmone, qui eo fine spiritum furoris immiserat in cor illius, per quem iniuriam accepit, vt ambos eodem crimine inuolueret. Vnde nec tu solus, qui bonus eras, à malo iræ, & malo dæmone victus succubuisti: sed etiam Christi Spiritus, qui te agebat, dū esses eius membrum, extinctus per te est.

Quam bonum & honorificum vincere in bono malū

Quare si ab ira abstines, & aggressorem sustines, mansuetudine Christiana, & magnanimitate, quæ bonum est virtutis, debellabis inte: iam interficiendo, & inimicum fratrem tuum pudore suffundes, quē Christo lucraris, quique malus erat, dum tibi iniuriam contra ius, & Christi legem inferret. Spiritus etiam Christi in te permanebit & spiritum Satanæ deuictum tibi tradet in triumphum, palmamque & trophœa deferet, vt cum magna tua gloria vicisse videaris.

DISPVTATIO IV.

In illa verba cap. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, &c.*

Questio I. IN his verbis, præter rationem scopi, quærendum quid nomine omnis animæ sibi
II. velit Apostolus: quid etiam per potestates
sublimiores significet. Deinde, an clerici,
& Sacerdotes subiecti sint potestati secula-
ri, an vero exempti, & quo iure, diuino, an
humano, & an viri spirituales exercere pos-
sint potestatem ciuilem, & vsum gladii.
III. Tertio cum omnis potestas à Deo esse di-
catur, quæritur, an potestas malorum prin-
cipum à Deo sit, & an sit potestas peccandi
V. à Deo profecta. Quarto, an priuilegium cle-
ricorum, & Sacerdotum, quo exempti sunt
à secularibus potestatibus, quodque hic
Beza. impudenter Beza irridet, iuris sit diuini,
V. an humani. Quinto, quia asserit, eos qui re-
sistunt, potestati, damnationem sibi acqui-
rere; dubium est, an principes laici, & infi-
deles condere possint leges, quæ obligent
etiam in conscientia homines Euangelicos,
I. & qui Christum profitentur. Postremo,
quomodo verum est, principes non esse ti-
mori boni operis, sed mali; cum plerumq;
leges conditæ sint contra Fidei veritatem,
Act.5. aut contra bonos mores, de quibus dicebāt
Apostoli: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

De Pauli proposito.

Instruxit superiori capite Christianos omnes, quomodo vt vnius corporis membra Deo debeant inseruire, & munera, & ministeria vti debeant maiores inferioribus dispensare, ita vt nemo gradus sui fines transiliat: iam vero instituit subditos, qua ratione se gerere debeant erga superiores magistratus, præsertim vero laicos, & qui gladium portant. Quoniam autem obediētia initium est, & caput disciplinæ totius, quæ in moribus comparandis sita est; ideo de ea primum incipit agere.

De obediētia ille cur primum edisserat, quorum notet inobedientiā.

Videtur autem suggillare Apostolus hæresim Gaulonitarum, de qua loquitur Iosephus libr. 18. Antiq. capit. 1. & 2. quæ à quodam Iuda Gaulonita orta fuit: hic vero negabat censum, & obedientiam deberi Cæsari, aut profanis vilis principibus, propter libertatem legis, quam à Deo susceperunt, & cui soli se subiectos esse asserebant.

Iosephus.

Qui error in caussa fuit, vt Pharisæi interrogarent Christum, an liceret censum dare Cæsari, an non? de quo Gamaliel Actor. 5. ait: *Post hunc* (scilicet Theodam seductorem) *extitit Iudas Galilæus in diebus professionis* (id est, descriptionis census) *& auertit populum post se, & ipse perijt: & omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.*

Matt.22. Act.5. Luc.2.

Putat autem Occumenius periisse, quando Pilatus miscuit sanguinem eorum cum sacrificiis. Idem ergo forte serpebat in Ecclesia Christi ob libertatem Euangelicam, iuxta illud: *Si vos Filius liberauerit, vere liberi eritis.* Et Matth. 17. *Ergo liberi sunt filij.* scilicet à solutione didrachmatis; quod ad vitandum tamen scandalum soluit Dominus.

Oecum. c.9 in libr. Act. Luc.13. Ioan 8. Matt.17.

Similem errorem demum suscitarunt rustici Germani in ortu Lutheranæ hæresis, insurgentes contra nobiles: ob quod grādes strages factæ sunt, & plusquam centum millia hominum desiderata.

Humanæ potestatis, ac Regiæ instituendę necessitas exponitur.

Quare statuendum est, post peccatum necessariam fuisse aliquam potestatem coercentē ad impios puniendos: quia etsi in statu innocentiæ homo haberet dominium super omnia animalia; non autem super homines inuicem.

Gen.1.

Et cum post peccatum introducta sit rerum rerum proprietas, cum antea esset communitas, (quam in sua Republica desiderauit Plato, & ad quam monachi per religiosam rerum communionem contendūt) necessaria fuit potestas, quæ proprietatem, & iustitiam defenderet, ne scelerati opprimerent bonos, & laboribus quæsita adferrent.

Plato in libris de Republ.

Propria rerum possessio vnde primum ortum habuerit.

Cum enim Adæ Dominus dixit: *In laboribus comedes ex terra cunctis diebus vitæ tuæ*, insinuata est rerum proprietas, & exinde exorta pronomina illa tam litigiosa, Meum, & tuum.

Gen.3.

Tria præstat Regia potestas.

Introducta ergo est potestas regia, vt communitas obseruetur in religione,

quod

quod ad Deum attinet, & in iustitia, quod ad bona fortunæ spectat; & in pace, contra violentiam eorum, qui nos vellēt bello opprimere, aut alio modo cōmunem pacem perturbare. ¶ Sunt autem regna triplici via inducta. Prima quidem, patria potestate, vt Adam fecit, qui diuisit tres partes mundi in tres filios, secundum Berosum, & Iosephum lib. 1. Antiquitatum, c. 11. Secunda, communi consensu constituentium sibi Reges, aut Imperatores, aut Duces, aut Consules. Tertia, violentia, & tyrannide: nam hoc modo ad regnum peruenit Nemrod, Arbaces, Cyrus, Alexander, Romani & licet electio ab hominibus fiat, potestas tamen est à Deo approbata, qui dixit: *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Vn de Moysem elegit in ducem, sicut Iosue, & Iudices, Saulem, & Dauidem in Reges. ¶ Quæ flagitiosi sunt, & sediosi homines, qui nullā volunt esse potestatem, quæ peccata puniat Dicunt se esse in lege libertatis: sed libertatem vocant liberam lasciuiendi, & quodcunque liber agendi potestatem. Cum tamen libertas nostra sit à peccato, & à dæmone, adde etiam à lege Mosaica, quæ erat iugum importabile.

Ea triplici ratione est introducta

Berosus vetus Iudæorum histori cus.

Ioseph.

Gen. 10.

Prou. 8

Contra Euangelium Lutheranorum libertatem. Euangelica tantum quæ vera libertas.

Act. 15.

Nec obstat quod obiiciunt: *Lex iusto non est posita.* Vbi plane non intelligunt quid dicant. Nam Adæ posita fuit lex, quo tempore maxime fuit iustus: & Angeli cum initio essent iusti, sine lege non tamen fuerūt. Paulus item iustissimus erat, qui tamen sine lege non erat, qui se profitetur esse sub lege Christi 1. Corint. 9. & Apostolus dicens; *Lex iusto non est posita*, non simpliciter ibi naturam legis declarauit, tanquam ei repugnet poni iusto, cum re vera Lex Euangelica detur iustificato, ac proinde iusto: eo tamen fine ponitur, vt caueat, ne fiat iniustus, seu potius vt fiat amplius iustus. Igitur Paulus de lege Mosaica dicebat, quod non fuit posita iusto, sicut lex fidei, & gratiæ, quæ lata est in iusto: ideo potest impleri, non autem illa. ¶ Obiiciunt, non eradicanda zizania, ne simul euellatur & triticum: vbi non ponitur punitio zizaniorum, id est, filiorum nequam, vt expressit Dominus. Sed certe non loquebatur tunc ad mundi principes, præcipiens eis, vt non puniant, & ita seruēt zizania: alioqui frustra gladium portarent, qui etiam peccant, non eo vtentes. Imo puniet illos, qui punire potuissent, & debuerunt, dormierunt tamen, eisque dormientibus, hoc est, scelera permittentibus, priuatos quosdam in zelo non secundum sciētiam cohibent, qui optabant sibi fieri potestatem eiusmodi zizania euellendi, vt accidit Iacobo, & Ioanni fratribus, qui Luc. 9. dixerunt; *Domine, vis dicimus vt descendat ignis de cœlo, & consumat illos?* quos Dominus suo verbo repressit. Non ergo illa parabola vetantur huius seculi principes per Euangelium non vti gladio suo in tempore suo, sed admonentur zelatores, ne immodico, & nō secundum scientiam zelo nimis præpropere diuinam expectant vindictam: quoniam aliud est forum Dei, aliud hominum tribunal.

Illud Apostoli quod obiiciunt; Lex iusto non est posita diluitur.

1. Tim. 1.

Gen. 12.

Finis legis.

Quod etiā illi obiectāt contra potestatē ex Domini obiecto: Vt non eradicentur zizania, ne simul euellatur & triticum, dissoluitur,

Matt. 13.

Rom. 10.

Luc. 9.

Quo tendat illa parabola Dictum Apostoli: Pretio empti estis nolite fieri serui hominum, quomodo accipiendum.

Quod etiam Paulus dixit: *Pretio emti estis nolite fieri serui hominum*, de pseudoapostolis loquebatur, de quibus dicebant: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ*, &c. Et eum Dominus dixit: *Si vos Filius liberauerit, vere liberi eritis*: intellige à peccato. ¶ Legem vero perfectæ libertationis Iacobus intelligit legem charitatis. ¶ Et quod rursus ait Apostolus: *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri*: loquitur de iugo legis Mosaicæ, cuius priuilegio æque gaudent domini ac serui; subditi, ac principes: quia sequitur, *Si circumcidamus, Christus vobis nihil proderit.* ¶ Quoniam ergo Pauli tempore multa noua prodibant, & principes contra Christi nomen furebant, quasi de rerum publicarum euersione dubitantes, & de concisio ne sui imperij, blanditur hoc capite Imperatoribus, & Regibus Paulus, quemadmodum Petrus in priori sua epistola: *Subiecti*, inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti: siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: Quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Quod ob id dixit quod falso infamarentur Christiani, quasi essent hostes, & rebelles Romani imperii: quod egregie tuetur Tertullianus in libro Apologetico, & libro ad Præsidem Scapulam: Ait igitur Paulus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Id est, Non turbēt Principes, Reges, aut Imperatores, neq; sæuiant in Christiani nominis professores, aut cogant propterea exercitus aduersus eos: quia nihil innouauit præceptor meus Christus, quo lædat eorum potestatem. Cœlestia prædicamus, terrena contemnimus: nec eripit mortalia, qui regna dat cœlestia. Ait ergo: *Omnis anima*, quod perinde est, ac si dixisset, Omnis homo. Et Hebræo more per figuram Synedoches, qua pars pro toto ponitur, homo significatur. Ita dicitur Gen. 17. *Delebitur anima de populo suo*, & Act. 7. *Descendit Iacob in Aegyptum in animabus septuaginta quinque.* Sicut caro, quæ pars est hominis, etiam totum hominem designat. *Verbum*, inquit, *caro factum est, &, Videbit omnis caro salutare Dei.* Et Aristoteles libro 9. Ethicor.

1. Cor 7.

Supra 1.

Infra 3.

Quod illud Si vos Filius liberauerit vere liberi eritis. Et quid lex perfectæ libertatis Apostolo.

Ioan. 8.

Iacob 1.

Gal 5.

Ibid.

Ratio huius præcepti: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, quænam sit.

1. Pet. 2.

Falsa Christianorum criminatio apud Cæsares.

Tertull.

Ad I quæst Quid per omnem animam significetur.

Gen. 17.

Act. 7.

Gen. 46.

Ioan. 1.

Luc 3.

Esai 48.

Philosoph

Omnis anima, & nō Omnis homo, cur dictum.

Ethicor. *Totus*, inquit, *homo dicitur intellectus* ¶ Dixit autem potius, omnem animam, quam omnem hominem, forte, quia in anima ſpiritus eſt ſuperbiæ, qui eleuatur aduerſus poteſtates. Deinde, quia homo ſubditus eſt poteſtati in eo quod animalis eſt, teſte Origene: & hoc ad differentiam ſpiritus. Homo enim ſpiritualis ſub lege quæ eſt timoris, non eſt, ſed ſub amore, cuius ſpiritu agitur: tamen quia effici poteſt carnalis, & animalis; ideo nullus homo poteſt eximere ſeipſum à poteſtate, ſed ab executione poteſtatis. Nam in bene agentes lex nihil poteſt: & bene agens, à vi, & timore legis eximitur. ¶ Per poteſtates vero ſublimiores, quas Græce vocat ἐξουσίας ὑπερεχούσας, hoc eſt, ad literam poteſtates, ſiue ſingulatates ſupereminentes, ſiue præcellentes, quomodo vertit interpres 1. Pet. 2. Eſt enim poſitiuus, non comparatiuus, etſi moris ſit Hebraici, poſitiuus pro comparatiuis vti. Et ita accepit noſter interpres, & Hieronym. in epiſtolam ad Titum, per comparatiuum citat hunc locum, & legit, poteſtatibus ſuperioribus: quod idem eſt atque dicere, poteſtatibus ſublimioribus, id eſt, ſuper alios ſublimatis, & plebeiis ad regimen præpoſitis.

Orig. to. 2.

Poteſtates ſublimiores quid propriè.

1. Pet. 2.

Hebræi cō paratiua pro poſitiuis vſurpāt.

B. Hieron. in c. 3. tuis. to. 9.

Porro per poteſtates præeminentes homines intellige poteſtate publica præditos, ſiue Reges ſint, ſiue principes, ſiue duces, ſiue quicunque magiſtratus, quib. ab omnibus parendum eſt. Patres autem veteres, & præſertim Auguſt. in epiſt. 54. ad Macedonium, & Chryſoſt. præſenti loco, Apoſtolum interpretantur de poteſtate ſeculari tantum loqui: quod & ipſe Textus ſubindicat, cum ait: *Non enim ſine cauſa gladium portat.* Etſi vero de poteſtate laica tantum agat: ratio tamen qua illi parendum eſt, communis ponitur tam Eccleſiaſticæ poteſtati, quā laicæ: nimirum quod non eſt poteſtas niſi à Deo. Quare qui eorum iuſtas leges præuaricantur, perinde ſunt apud Deum rei. *Subdita ſit.* Id eſt, ſit dicto audiens per omnia, iuxta illud ad Coloſſ. 3. Serui, obedite per omnia dominis carnalibus. Niſi forte contra fidem, & pietatem iubeant: quia tunc obedire oportet Deo magis quam hominibus. ¶ Quia vero dicitur, *Omnis anima*, proſcribitur hæreſis Begardorum, qui aſſerebant eo perfectionis hominem peruenire poſſe, vt nemini ſit iam ſubditus: quæ damnata eſt in Clementina, Noſtram, de hæreticis.

Hoc loco de poteſtate ſeculari vnde conſtet eſſe ſermonem.

B. Aug. to. 2. D. Chryſ. ſer. 23. inter. to. 4.

Eadem Apoſtolus qua ratione Eccleſiaſticæ etiā poteſtati parendum inſinuet.

Coloſſ. 3.

Prædictæ poteſtati quatenus obtemperandum.

Act. 5.

Hoc verbo Apoſtolus: Omnis anima, &c. quorum dogma cont. et.

Duplicirer autem in hanc ſententiam peccant hæretici, & quidem perniciosiſſime: tum quod cauſas ſpirituales ſibi arrogant, quod eſt deteſtandum: tum quod viros in ſortem Domini aſcitos, id eſt, clericos, ſuæ ſubdunt iuriſdictioni, quia hic dicitur: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Vnde Oecolampadius & alii nullum eſſe priuilegium clericorum, ſiue Sacerdotum, quo minus ſubditi ſint Regibus, contendunt: quemadmodum olim in Lege Sacerdotes, & Leuitæ Regi parebant. Addunt Chryſoſtomum, & Theophylactum exponentes, *Omnis anima*, dictum, vt neminē excipiat, nec Sacerdotes, nec monachos, nec ſeculares, nec Apoſtolos, nec Euangeliſtas, neque Prophetas. Adhæc producunt Marſilium Patauinum ante annos ducentos, qui librum conſcripſit ad Ludouicum Bauarum, quem Defenſorium pacis inſcripſit, in quo prolixe diſputat; poteſtatem ſecularem aſſerendo ſuperiorem Eccleſiaſtica

Hoc Paulino hæretici abutuntur dupliciter.

Oecolāpad. I. eorum argumentū contra poteſtatem Eccleſiaſticam.

II.

Chryſ. ſerm 23.

Theophyl.

Sed primo reſpondetur huic loco, deinde paulo latius propoſitam quæſtionem expediemus. Qui ergo vrgent hunc locum Pauli, nequaquam vident, ex his verbis non poſſe deduci quod volunt. Oportet enim, eos prius probare, quod reſpectu clericorum illi ſint poteſtates & tunc eorum ſubiectionem concludere. Nam alioqui ſi omnis anima debet ſubdi cuicunque poteſtatem habenti, cur ergo Rex Galliæ nō imperat Angliæ, aut Hiſpaniæ, aut Germaniæ, niſi quia non eſt poteſtas vniuerſalis, vel locorum, vel perſonarum? ergo quod dicitur: *Omnis anima ſubdita ſit poteſtatibus*, ſenſus eſt: Vt quæuis anima illi obediat, quem ſibi agnoſcit, vel agnoſcere, debet habere ſuper legitimam poteſtatem. Quod vero in clericos princeps ſecularis hanc habeat, hoc maxime negatur, nec ex hoc loco deducitur.

Ad I. argū.

Vera, ac propria dicti Apoſtolici intelligentia.

Iam ad quæſtionem elucidandam accedamus, illud in primis præmittendo, principes Chriſtianos eſſe Eccleſiæ membra, quæ communione quadam quaſi vinculo colligata ſunt. Porro multorum communio conſiſtere non poteſt, niſi ſit vnus princeps: alias ſi quodvis pro arbitrio ſuo ferretur, ſolueretur vnitas Eccleſiæ, quæ regnum Chriſti eſt; de quo ait Paulus: *Oportet illum regnare* (hic ſcilicet ante mortem deſtructam, quam ſequitur regnum Eccleſiæ triumphantis) *donec ponat inimicos*, & cæt. Hoc autem cœlorū regnum conſtat ex quinque fatuis, & quinque prudentibus virginibus, & ex eo eiicitur non habens veſtem nuptialem. Eccleſia ergo Chriſti regnū eſt, non Babylon ciuitas, cuius ciues in vnum coeunt, & in qua naſcentur tribus Domini ad laudandum Dominum. Eſtque iudicij ſolium.

Chriſtianos principes tanquā Eccleſiæ membra, neceſſario vni eius capiti debere ſubeſſe.

1. Cor. 15.

Matt. 25.

Eccleſia regnum Chriſti eſt ordinatiſſimū, & vnum.

Pſ. 121.

Deinde obſerua, quod etſi in hoc regno debeat vnus Chriſtus dominari; recedens tamen in regionem longinquam, Petrum

Eccleſiæ caput Romanum eſſe Pontificem Chriſti, & Petri ſucceſſorem.

Luc. 19.

ſib

fibi vicarium fubftituit, vt vultas,& commu nio in ordine ad commune bonum ferua- retur:& tales Romani Pontifices pro Chri- fti vicariis fe gefferunt, & à tota Ecclefia cognitl, & recepti funt. Talisque poteftas quia non eft fupra humanum, fed diuinum regnum, à Deo eft; ideo nemo illam fibi po- teft arrogare, aut alteri tribuere, fed folus Chriftus illam præ omnibus aliis Petro & promifit,& contulit. *Confirma*, inquit, *fratres tuos,& Pafce oues meas.* Omnibus ergo Ec- clefiæ ouibus, etiam Regibus, & Imperato- ribus, neceffitas obediendi Chrifti Vicario data eft, quia eorum regnum temporale fpi rituali Chrifti regno inferuire debet. Quod fi Scriptura non effet, ratio euidens idem e- uinceret, nempe Dei fapientiam recte pro- fpexiffe de capite Ecclefiæ fuæ, fine quo vix duodecim hominum focietas poteft confi- ftere. Si enim omnes æquales; & nullus alte ri obligatus obedire, non effet vt caftrorũ acies ordinata Ecclefia, fed Babylon, vbi quot capita, tot fententiæ. Adhæc, cum in Ecclefia fint principes fibi inuicē minime fub ecti; ciuitas effe nō poffet, nifi vnus exi- fteret, qui ad communem Ecclefiæ vtilita- tem omnia reuocaret. Ex quo Ecclefia & in fe pacatiffima, & hoftibus effet formidabi- lis. Præterea expediebat dei u quentes prin- cipes corrigi, quia non fubfunt fibi ipfis: fu- pereft ergo, vt corrector fit Papa, qui fum- mo magiftratu in Ecclefia fungitur.

Poteftas ergo fecularis, & Regia fubeft Epifcopali,& Pontificiæ: tum quia Scriptu- ra id porrigit, nam Efaias cap. 60. ait: *Gens, & regnum, quod non feruierit tibi, peribit.* Da- niel etiam in vifione ftatuæ vidit Deum or- dinaffe reliquias Imperij Romani fibi fub- iicere, deinde alia orbis regna intrante in Chriftum plenitudine Gentium; ita vt om- nia comminuat,& conterat regna,& ipfum regnum (fcilicet Chrifti) ftabit in æternum. Nec ea regna vi occupata funt, fed vltro fe Chrifto obiecerunt: quia extra Dei Eccle- fiam non eft falus. Subfunt etiam omnes o- ues Chrifti Paftori à fe affignato, & vigilan- ti pro animabus earum. Principes etiam fe culares cum fufceperunt fidem Chriftia- nam, incorporati Ecclefiæ facti funt mem- bra Ecclefiæ; quare neceffe eft, vt fimul cum omni poteftate fua, & imperio Ecclefiæ Præfidi fubiiciatur: non fecus atque illi, qui ciuitati alicui adfcribitur, & incorporatur, neceffum eft, vt fubiiciatur magiftratui eiuf dem ciuitatis. Etfi antequam Principes in Ecclefiam intrarent, Petrus eis fubeffet in ciuilibus, non illi Petro: poft ingreffum au- tem fub funt. Nec priuantur fuo iure, quia vltro fe dedunt, & quia in animas directe

I ratio.

Matt 16.

Luc. 22.

Ioan. 21.

II. ratio.

Cant. 6.

III.

IV.

Ad II. quæ- ftionem, Scripturis, tum ratio- nibus euin citur, fecu- larem Ec- clefiafticæ poteftati fubeffe.

Efai. 60.

Daniel 2.

I. ratio.

Heb 13.

II. ac III. ra tio.

Quam iu- fta fit,& quam ratio ni confen- tanea eiuf- modi fub- iectio.

Per hanc fubiectio- nem non propterea fuum ius fecularem poteftatem amittere.

eft imperium, & fuper peccata, quatenus Deum offendunt, aut quatenus congrega- tionem Ecclefiafticam, & Chriftianam per- turbant. Poteftas item ciuilis & fecularis terrena eft,& ab hominibus accepta terre- nis, fubditos habens terrenos, & finem ha- bens terrenum, id eft, pacem mundanam,& media illis confona, id eft, leges, & virtutes ciuiles. Hæc autem poteftas Chrifti Ponti- ficia eft, ac prorfus cœleftis; fubditi diuini funt, hoc eft, filii Dei: finis cœleftis, hoc eft, vita æterna: cuius media Lex funt diuina, & virtutes infufæ. Hæc autē poteftas prio- rem aliam ciuilem non tollit, fed perficit, non valentem per fe fubfiftere ob naturæ lapfæ corruptionem, principum tyranni- dem, fubditorum rebellionem, & frequen- tia exterorum bella. Accedit etiam illa fpi ritualis poteftas omnes illos amore cœlefti, & illuminat ad propria fpernendum, & ho- minem corruptum mortificandum. Po- ftremo, ab initio hæc poteftas Epifcopalis, & Pontificia pro fuperiori erga principes fe geffit, principes vero fe illi libenter fub- diderunt: vnde & illorum præcepta, corre- ptiones, & monita tanquam fuperiorum acceperunt. Confecrat Papa imperatorem: fine vlla tamen contradictione, quod mi- nus eft, à meliore benedicitur. Depofue- runt Romani Pontifices, Imperatores, Re- ges,& Principes. Sententiam excommuni- cationis tulit Ambrofius in Theodofium & Nicolaus Primus vtrumque Imperato- rem,& Orientalem, & Occidentalem mu- crone anathematis percuffit. Mira itē m Pa- tres de hac poteftate excellenti fcripferunt; vt Eufebius lib. 10. Hift. Ecclef. ca. 2.& Con- ftantinus Imperator caufas Epifcoporum noluit agnofcere, vt libro 2. cap. 2. tradit Hi- ftoria Tripart.& Valentinianus libr. 7. eiuf- dem hiftoriæ; Gregorius Nazianzen. in A- pologetico,& Chryfoftom. libr. 3. de Sacer- dotio,& Ambrofius lib. de dignitate Sacer- dotali,& epift. 33. de hac dignitate, & pote- ftate multa tradiderunt, & Auguftin. epift. 48. 50. 166. vbi narrat, Conftantinum no- luiffe ferre fententiam in caufa Donati, & Cæciliani, fed remififfe ad Epifcopos; Ni- colaus Papa epiftolis ad Michaelem Imper. & Gregorius I. ad Gennadium, & Grego- rius VII. in Regift. libr. 4. epift. 2. & libr. 6. e- pift. 47. Denique B. Ignatius epiftola 9. ad Philadelphien. *Principes, inquit, fubditi fiote Cæfari, milites principibus, Diaconi Presbyteris, vt facrorum adminiftratoribus, Presbyteri vero, & Diaconi, atque omnis Clerus fimul cum omni populo,& militibus, atque principibus: fed & Cæ- fares obediant Epifcopo, Epifcopus vero Chrifto, ficut Patri Chriftus: & ita vnitas per omnia fer-* uatur.

IV. ratio difcrimin harum it ter fe pote ftatum mu tiplici.

Spirituali temporali poteftati duo præfta

V. ac po- ftrema ra- tio.

Heb. 7. In quib. in- terdum Re gia pote- ftas, vel Im peratoria Pontificiā vel noleos agnouerit, vel uoleos fenferit fu- periorem Eiufdem poteftatis grauiffimi affertores. ac defenfo res.

Eufeb. Cæf. lo. 1.

Hift. Trip.

Valentinia hiftoria.

Greg. Naz. operū tract.

B. Chryfoft. lo. 5.

B. Ambrof. to 4. & to 2

B. Aug. to 2.

Nicol 1.

Gregor I.

Greg. VII.

B. Ignat an te med. epi ftola.

Idem epist. 10. post med.

uitur. Et ad Smyrnenses, Sacerdotium tradit esse summam omnium honorum, qui in hominibus cõstant. vnde & terribile est illis non obedire.

Fidei, & Ecclesiæ controuersias iure diuino ad Ecclesiam pertinere. Quænam illæ sint.

Quare iure diuino ad Ecclesiam spectant omnes causæ fidem & Ecclesiam concernentes, vt quæ ad gradus ministrorum, eorumque sustentationem faciunt. Vnde & iure diuino terræ Sacerdotum, qui idolis seruiebant, exemptæ erant à vectigalibus Genes. 47. & 1. Esd. 7. eximuntur per Artaxerxem Regem à tributis Sacerdotes, Leuitæ, Nathinæi, Cantores. Causæ quoque pẽdentes ex Sacramentis, vt in matrimonio, & eius gradibus, ad iudices spectant Ecclesiasticos, sicut qui instituuntur v'a, & modo correptionis fraternæ, & Euangelicæ. Correctio etiam principum, vel inutilium, vel incorrigibilium, ad solos Sacerdotes spectat; vt propterea Ecclesiastici habeant arma sua, non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum. Hinc Paulus 1. Corint. 5. Satanæ tradit Corint. & cap. sequenti constituit modum iudiciorum, & reprehendit eos, qui audent indicari apud infideles. Vnde insinuat, Christianos suum habere tribunal ad decidendas lites. Hinc ad Timotheum scripsit: *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Et infra: *Hæc custodies, & sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Et iterum, *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* &c. rursus: *Prædixi, & prædico vt præsens vobis, &c. quoniam si venero iterum, non parcam, &, Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Est igitur apud Episcopos suum tribunal ad terminandas lites, & ad coercendos, & puniendos criminosos.

2. Cor. 10. *2 Cor. 5.* *Infra 6.* *1. Tim. 5.* *2. Cor. 13.* *Heb. vlt.*

Aliud quoddam genus causarum ad Episcopos duplici ratione spectantium.

Præter hæc vero iam enumerata, sũt quędam causæ ad Episcopos translatæ, vel præscriptione, vel consuetudine longa obtentę donatione principum, & spontanea submissione populorum.

Ad II. arg. hæreticorum ex Chrysost. desumptũ. An Ecclesiasticæ personæ à ciuili potestate eximãtur, & quo iure.

Ad hunc vero Pauli locum, & expositorum eius sensum productum, dicẽdum est, quod potestas Ethnici principatus nondum Ecclesiæ incorporata subditos habet omnes, qui ad eam Rempublicam, cui præsidet tanquam membra pertinent, siue Ethnici, siue Christiani, siue laici, siue clerici, siue Episcopi, siue Apostoli, & hoc ex iure naturæ; vt modo Turcarum Princeps super Christianos & Episcopos est, qui in suis locis resident. Ciuilis vero potestas vt est Ecclesiæ coniuncta, iurisdictionem non habet super Episcopos, & Sacerdotes, atque id quidem ex iure diuino & naturali disponente, & fundamenta eius rei iaciente. Ex iure autem humano per gratiam principum factã ea potestas complectur, sicut in Quarto d'st. 23. docent Richardus, & Scotus. De rebus vero ab Ecclesia possessis Beatus Augustinus in Ioann. tractat. 6. & D. Thomas asserunt, quod sunt exceptæ à seculari potestate, non quidem iure diuino, sed ex principum priuilegio. ¶ Summum vero Sacerdotium in veteri lege non erat vicariatus Christi, nec de rebus spiritualibus, vt nostrum est; ideo non mirum, si illud subetat Regi; quamuis nollens illi obedire, morte plecti iubeatur.

Richard. Scotus. Olim Summus in Lege Sacerdos cur legi subesset. *B. Aug. to. 9 in princ. D. Thom.* *Deut. 17.*

Laicæ vtrũ potestatis ad Ecclesiasticos vnde asserant pertinere nonnulli.

Est & altera quæstio, an possint Ecclesiastici viri, id est, qui altario deseruiunt, iurisdictionem temporalem exercere, & sanguinis effusionem; quia videmus, plurimos Pontifices dominatum hunc habuisse. Imo quidam aiunt, pertinere ad Pontificem de iure diuino orbis vniuersi dominationem, eo quod sit Christi Vicarius, cuius est terra, & plenitudo eius; orbis terrarũ, & vniuersi qui habitant in eo, & cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra. Sed certe hoc non est verisimile, nec vllus Pontificum tantum sibi arrogauit, nec tantum ausus est asserere. Nã si id verum esset, nulli in primis essent veri principes, aut legitimi domini: liceret illi iure alienare, & transferre pro arbitratu in quoscumque vellet, regna, siue dominia, nec esset verum, quod non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia: & fabula esset quod dicitur de donatione principum Ecclesiæ facta de terris, & oppidis, quia esset vera restitutio, non donatio. Omnes item principes retinerent aliena, & essent in continuo peccato, cum ab illo dominium non acceperint. Et si in veteri Lege Pontifex dominium aliquod non habebat, cum tamen lex esset de corporeis, & temporariis bonis, quanto minus habebit in lege pure spirituali? Præterea Christus dixit: *Regnũ meum non est de hoc mundo, &: Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Quod si ad ipsum spectabat regnum terrenum, cur vt homo fugit regnum, ne Rex fieret Ioann. 6. Et cur dixit Lucæ 22. *Reges Gentium dominantur eorum, &c. vos autem non sic?* Frustra quoque esset talis potestas sine vsu data, vt arguit Apostolus: *Non sine causa,* inquit, *gladiũ portat.* Indecens præterea fuisset, & consciẽtiæ pontificum periculosum, vnum hominem onera totius orbis in vtroque foro sustinere: præsertim cum Apostolus admonuerit: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.*

Ps. 23. *Matt. 28.* I. ratio in contrariũ. *Eccl. in Hymno de Epiphan.* III. ratio. *Ioan. 18.* *Luca 9.* *Ioan. 6.* *Luc. 22.* IV. ratio. *2. Tim. 2.*

Argumentum dissolutum aduersariorum. *Ps. 23.* *Gen. 14.*

Ad obiecta vero dicendum, Christum ratione Deitatis omnium naturalem, & ordinariam habuisse potestatem, iuxta illud: *Domini est terra, & plenitudo eius*; & sanctus

Abraham

Abraham, *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli & terra*: ratione vero Humanitatis, ea gratia qua Deitatem habebat, potestatem, & dominium omnium, seclusô peccato habere debuisse, sed ob aliam causam potestate temporali priuatam Humanitatem assumpsisse, & spiritualem restrictam tantum habuisse ad redimendum, ad euangelizandum, & præcipiendum. Vnde illud: *Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos? &*; *Cauete ab omni auaritia*; quasi diceret: Meum est prædicare cauendum esse à peccatis, non autê definire in foro controuersias, &: *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis*: hoc est: Deus largiens regnum temporale, dedisset & ministros temporales, & defensores, qui vt plurimum pro Rege suo decertare solent, & ego præciperem eis, vt pro me dimicarent. Quod tamen intetdixi discipulo meo, cum dixi: *Conuerte gladium tuum in locum suum*, sicut fugi me volentes facere Regem. Dixit etiam: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius*. Et: *Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum*; item: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis*. Verum post humilitate redemptum mundum, data est sibi homini suscitato omnis potestas in cœlo, & in terra, cum antea illi potestati cessisset, subiiciens se potestatibus Tiberij, Herodis, & Pilati. Datum est quoque ei nomen super omne nomen, & potestas iudicandi vniuersum orbem: Sed hoc regnum & potestas spiritualis est, & hanc impertiuit Dominus Petro super omnes oues quæ illum sequuntur: qui plenam habet spiritualem potestatem super oues. In temporalibus vero nihil illi dedit nisi indirectum dominium super omnia temporalia regna, & Imperia mundi, quatenus illa posset, si gloria Christi, & vtilitas Ecclesiæ posceret, mutare, transferre, vel abalienare. Hinc transtulit imperium ab Oriente in Occidentem, deposuit Imperatores, & Reges, & iustis de causis excommunicationis laqueis innodauit. Nec enim Christus omnem quã habebat potestatem, in Pontificem transtulit: nam ipse potestatem habebat super Angelos, & beatos, & damnatos: & tantum in spirituali pastoratu vicarius est: si quid vero habet bonorum temporalium, aut ditionem aliquam, id est sibi à Constantino, & aliis Principibus, vel ab aliis liberis ciuitatibus donatum. Vnde rogatus quo iure possidet talem ciuitatem, vel tale Regnum, non respondet: Papa sum vel Christi Vicarius, sed legitimos ostendit titulos. Et ita potest exercere vsum gladij: sed honestius id facit per vicarios suos. Quare duæ illæ potestates possunt concurrere, vt constat in Melchisedec Rege, & Sacerdote; in Heli, in Samuele, in Machabæis, & in ipso Moyse, de quo dicitur: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius*. In Regibus quoque Aegypti, qui simul erant Sacerdotes, vt Mercurius Trismegistus ostendit. Druydæ quoq; apud Gallos Sacerdotes erant, & ad eus causæ etiam temporales cognoscendæ deferebantur. Principes quoque dicebantur Sacerdotes teste Hieron. sicut filij Dauid. Primogeniti quoque Sacerdotio fungebant. Christus quoq; Rex fuit, & Sacerdos, licet potestatem regni, & vsum non exercuerit. Non ergo humana, vel ordinaria potestate eiecit ementes, vel vendentes de templo, sed diuina, & supernaturali; sicut miraculo eiiciebat dæmones de corporibus, increpabat ventos & mare, arefecit ficum, proiecit porcos in abyssum. ¶Quod autem dixit Petrus: *Argentum, & aurum non est mihi*: non præscripsit successoribus ne diuitias haberent, multo minus ne dominia, & regna temporalia haberent. Neque enim hæc dixit Petrus vt vicarius Christi, sed vt discipulus, qui prope sequebatur, omnibus renuntiando. ¶Collata est autem hæc potestas temporalis, tum Papæ, tum aliis Episcopis, à populis, vt melius, & iustius, & tranquillius gubernarentur, quã sub sæculi Principibus: quia decet tales maiori sapiẽtia, & clemẽtia præditos esse: non quia non habeant vsum gladii, vt cæteri Reges temporales, sed non animum dominandi, aut male tractandi subditos. Collata est etiam illa potestas Episcopis, vt melius possent spiritualem potestatem exercere; & vt in maiori essent reuerentia apud populum; & vt esse possent magis hospitales & benefici erga pauperes. Et licet Christus, & Apostoli pauperes extiterint, id optimis rationibus Christus voluit; vt humilitate, & infirmitate mundum vinceret, & humanis viribus fides non adscriberetur. Postea tamen voluit omnes sapientes, & eloquentes, & diuitiis, & facultatibus potentes, vt tenacius hæreret fides, & minus ab illa recederent apostantes propter metum potestatis, etiam gladij, quæ adest ministris Christi. Et hæc sit satis hoc loco dixisse.

Christus viuens, ac mortalis qualem habuerit potestatem.

Luca 12.

Ibidem.

Ioan. 18.

Matt. 26.
Ioan. 6.
Ps. 2.

Ioan. 12.

Matth. 20.
Infra 18.
Quam vero iam à mortuis suscitatus.

Philip. 2.

Ioan. 5.
Infra 12.
Petro & suis successoribus ab eo quænã collata potestas.

Christus quam sibi retinuerit potestatem Romani Pontifices quod habent dominij temporalis quasnam rationes instas obtendant.

In quibus Regia potestas & Pontificia simul incidenint.

Gen. 14.
Heb. 7.
1. Reg. 2.
Infra t.
Ps. 98.

B. Hieron. epist. 126. ad Euagr. à medio, to. 3.
2. Reg. 8.
Qua potestate vendentes & ementes de templo eiecerit.
Ioan. 2.
Matt. 21.
Supra 8.
Infra 12.
Supra 6.
Dictum Petri, Argentum & aurum non est mihi, quomodo accipiendũ sit.
Act. 3.
Summis Pontificib. eiusmodi potestas ei ulis cur tradita.
Cur etiam Episcopis atque Pastoribus.
Eam cur Christus Apostolis denegauerit.

DISPVTATIO V.

In eadem verba quæ superius proposita sunt.

Omnem potestatem esse à Deo; Apostolus probat ex multis.

QVoniam vix vnam aut alteram dubitationem superiori Disputatione absoluimus, opus est vt præsenti reliquas quæ propositæ sunt, diluamus: initium dicendi sumentes ab illa secunda sententia: *Non est enim potestas nisi à Deo &c.* Plures igitur rationes producit Apostolus ad propositi præcepti in prima sententia confirmationem. Et prima quidem est à causa efficienti: quia nulla potestas est nisi à Deo, cui subdita est omnis creatura. Secundo, à bono ordinis, per quem omnes bonæ res subsistunt: nam potestates sunt ordinatæ. Tertia à terrore culpæ: quia qui illi resistit, Deo resistit, cui resistere peccatum est.

Ad III. dubitationē superius propositā. Qui ratione omnis potestas terrena à Deo sit.

Primum igitur dubium surgit, quomodo omnis potestas terrena est à Deo, aut eius exercitium, cum scriptum sit: *ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui*, id est, non probaui. Et Lucæ 22. *Reges, Gentium dominantur eorum. Vos autem non sic.*

Osea 8. *Luc. 22.*

Naturalem politiam sine lege viua, vel mortua nō posse consistere.

Respondeo politiam naturalem, qua homo est animal sociale, de iure naturali esse, & indigere legibus quæ illam conseruent, præscribentibus quid agendum sit, & quid vitandum. Oportet etiam esse legem aliquam viuam, & animatā, quæ non est aliud quam ipse princeps gladium portans, vt per illam redigantur cuncta ad æquitatem per iustam vindictam. Cum igitur ex iure naturali sit Regia potestas, consequitur, ipsam à Deo esse, à quo est ius ipsum Naturę.

Abusus potestatis vnde sit.

Quod autem hic vel ille sit princeps, hoc ab hominibus est, & in eo potest esse error, & malum, vt is qui nec idoneus est, nec dignus, eligatur in Principem. At ipsa potestas bona est, quia ad bonum ordinatur, & ideo à Deo est. Quod si quis illa abutatur in malum, vel spirituali potestate, vel libero arbitrio, hoc ab hominis malitia est; quod Dominus improbat. ¶ Rectè ergo ait de potestate, quod est à Dei ordinatione: de malis vero & indigne dominationē tenentibus, merito dicitur: *Ipsi regnauerunt, & non ex me*: & de iis, qui abutuntur potestate, ait Dominus: *Reges Gentium dominantur eorum*: non potestatem eorum reprobans, sed prauum eius exercitium: non agnoscētes quod Dominus non instituit potestatem ad dominium, sed ad ministerium: vt sunt pastores, & patresfamilias. Quare rectè olim Reges, pastores populorum dicebantur, & Petro dictū fuit: *Pasce oues meas.* Qui vero præcellebant potestate, dicebātur Patres patrię vel Seruatores patriæ, quo vel solo nomine ap probarēt id quod esse debebant, etsi non essent.

Ad illud Oseæ: Ipsi regnauerunt & non ex me, &: Reges Gentium dominantur eorum, &c.

Reges cur olim vocarentur pastores. *Ioan. 21.*

Patres patriæ qui sic appellati.

Omnis ergo potestas in abstracto est à Deo, vt rectè annotauit Chrysostomus: quare hic potestas non significat, vt alias solet, potentem, siue præfectum: sicut à Deo est in cœlo & in terra omnis paternitas, omnis hierarchia, ius mariti in vxorem, patris in filium: domini in seruum, Regis in regnum. Assumptio autem, & vsus potestatis à Deo sunt, siue per se, & immediate: vnde Saulem, & Dauidem Reges creauit; siue per naturalis luminis impressionem, quo Gentes illustratæ Reges, vel magistratus creant. Cum autem male quis assumitur in Regem, vel abutitur potestate, ista non sunt à Deo, sed ab homine; quemadmodū etiam potentia peccandi, quatenus est vis faciendi aliquid, quod sine peccato non fit, à Deo non est: quatenus vero quædam dignitas est naturalis, ex qua potest quis bene vel male facere, ex Deo est, vt potestas Pilati, de qua dixit Dominus: *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.*

B. Chrysost. serm 21.

Ephes 3.

Vsus potestatis à Deo est dupliciter.

1. Reg. 19. Infra 10. 2. Reg. 2.

Quomodo potestas peccandi sit à Deo. *Ioan. 19.*

Quæstio etiam est de Tyranno, qui iniuste, vi illata, aut metu incusso occupauit imperium, an tali sit parendum, vel an valeat aliquis eius præcepta detrectare? ¶ Sunt quidam qui putant (inter quos est Caietanus) etiam priuatis licere interficere tyrannum. Bucerus vero hoc loco in aliud extremum inclinans, omnibus indistinctè ait esse obediendum tyranno, non quærendo an iure, vel iniuriam inuaserit regnum: bene, an male illud administret. Sed hæc extrema sunt declinanda.

An liceat tyranno obedire, nec ne.

I. opinio Caietan.

II. Buceri.

Ideo præmittendum, quod priuati non est iudicare de Principibus, vtrum iure, vel iniuria regnent: præsertim cum Dominus propter peccata populi faciat regnare hominem hypocritam, & per Oseam dicat, *Dabo tibi Regem in furore meo & auferam in indignatione mea*: & Augustinus libro de Natura boni, docet; Deum permisisse potestatem diabolo tentandi Iob, & colaphizandi Paulum. Ideo tyranni si iuxta præscripta legis imperant, Deo autore id faciunt, qui dicit: *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Si vero male, & contra Dei voluntatem, non sunt tales à Deo sicut illi, de quibus Dauid: *Astiterunt Reges aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Cum non sit ergo priuati iudicare de Principibus, etsi illi regnum non iuste occupauerint, & regnent ex parte sua; iuste

Principes à subditis nō sunt iudicandi. *Iob 34.* *Osea 13.* *B. August. c. 32. to. 6. post. med.* *Iob 2.* *2. Cor. 12.*

Tyranni quando sint à Deo quando nō sint. *Prouerb. 8.* *Psal. 2.*

Vnde constet iis etiam esse parendum, & quatenus.

tamen

tamen sub eius tyrannide plectitur populus. Et cum mandatum sit nobis indistincte obedire dominis, & principibus, etiam dyscolis, id est, morosis, & difficilibus: & hoc sancti fecerunt, & Christus in exemplum nostrum humiliter se similibus potestatibus subiecerit, etiam illi Cæsaris, qui tyrannice inuasit imperium, & etiam Herodis, qui regnum occupauerat: iis parendum est, in his tamen quæ non sunt contra Dominum. Alioqui obedire oportet Deo magis quam hominibus. ¶ Nec licet priuato propria autoritate tyrannum interficere: nam Dei autoritate potest (vt Aod occidit Eglon Regem Moab. Iudic. 3.) maxime si in pacifica possessione sit, & armatus satellitio regnet. Ideo rogatus Dominus, an liceret censum dari Cæsari respondit: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: quia dicitis quod habet imaginem Cæsaris. Quod si dixissent: Nos vi ista confitemur, respondisset Dominus; Agatis hoc cum illo, aut cum iudice superiori. In Concilio quidē Constantiensi damnatur hæc præpositio: *Quilibet tyrannus potest licite à suo subdito occidi*: sed male Caietanus intellexit de tyranno, qui ad suam vtilitatem conuertit gubernationem; non autem de illo, qui vi armorum occupauit imperium. Quæ glossa falsa est, quia potius est sermo de tyranno, qui occupauit quidem per vim regnum, cum quo tamen, & pacifice possideret, quem nemo potest occidere. Si vero esset aperte hostis populi, & tyrannidem, & iniquitatem exercet, nec pacifice possideret; posset à quouis priuato de medio tolli, non quidem priuata, sed publica autoritate. Nam ex hoc quod est hostis Reipublicæ, ex parte tyranni est iniusta, ex parte populi iusta: ac proinde publica autoritate occidit, quia in communem insurgit hostem.

1.Pet.2. Act.5.

Cur nemini priuatim liceat tyrānum occidere. Iudic.3. Matth.22.

Concilium Constant. sess.15. circa finem. Eius propositionis olim damnatæ: Quilibet tyrannus potest licite à suo subdito occidi, minus idonea Caietani interpretatio. Tyranni cædes homini priua to quando licita esset, & quomodo.

Perpende iam Buceri impietatem. Christus enim alios Reges non nominauit, & tamen volunt esse à Deo: & Petrum, quem nominauit Pōtificem, & Ecclesiæ suæ præfecit, nolunt esse à Deo. Et cum negent, Vicario Christi obedientiam præstandam; iubent tamen cuicunque tyranno esse obsequendum.

Quam stulte ac impie Bucerus Pōtificiam potestatem neget esse à Deo. Matt.16. Ioan.21.

Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Græce habetur: *Quæ autem sunt potestates à Deo, ordinatæ sunt.* Et Ambrosius legit: *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt*, & Irenæus lib. 5. *Quæ autem sunt (scilicet potestates) à Deo disposita sunt.* Ideo error fuit Librariorum, non interpretis, & comma apponendum est post Ablatiuum, A Deo, hoc modo: Quæcunque sunt à Deo, ordinata sunt. Nam si legas: Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt, frigida erit oratio, & non cohærebit cum præcedenti, quæ habet: *Non est enim potestas nisi à Deo.* Nisi legas, quæ autem sunt, videlicet potestates, à Deo ordinatæ sunt. Et subiungit. *Sicut sunt à Deo, ita & à Deo ordinate procedunt*, siue cum mirabili ordine: quia omnia in sapientia fecit, cuius proprium est ordine omnia disponere: *Qui attingit à fine in finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, vt omnia à se producta ad seipsum redeant. Et videtur innuere duas potestates, & duo regna, id est, terrenum, & spirituale, ita vt in uicem sibi seruiant: nimirum vt secularis potestas subseruiat spirituali, & spiritualis perficiat secularem. Nam si omnes boni essent legibus opus non esset, neque iudicibus. Et ita insinuat vsum gladij institutum à Deo ab initio. Vnde Cain cum occidisset Abel intelligebat se dignum morte: & Gen. 19. & Exod. 21. Lex datur in homicidas.

B.Amb.to.5. D.Iren lib.5.c.24. initio. Lectio illa: Quæ autē sunt, à Deo ordinata sunt; quid incommodi habeat.

Psal.103. Sap.8.

Duplex potestas sibi inuicem deseruiens.

Gen.4. Infra 9. Exod.21.

Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Optimam rationem adiecit, vt intelligamus non esse potestati resistendum: quia videlicet non homini, vt ipsi putant, sed Deo resistunt. Vnde Dominus ad Samuelem dixit: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*; & Christus: *Qui vos spernit, me spernit*; & Paulus: *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum*; & Moyses: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominū.* ¶ Porro resistere, non tantum significat, velle potestatem destruere, sicut Core, Datan, & Abirom restiterunt Moysi: sed in genere significat, potestati non obedire, sicut illud: *Vos semper Spiritui sancto restitistis*, illi non cedendo, aut parendo; & id: *Quis restitit ei, & pacem habuit?* quasi dicat: Resistens non erit impunitus. ¶ Ex quo habes, lethaliter eos delinquere, qui potestati ciuili scienter resistunt. Et idem comprobat quod sequitur: *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Nam qui amore filiorum Deo seruiunt, metu culpæ maioribus obedientiam præstant: de qua culpa dixit: *Dei ordinationi resistit.* Qui vero seruili ducuntur timore, etsi non culpā, saltem damnationis pœnam perhorrescant ob superbiam. ¶ Et quod ait, *Acquirunt*; alij vertunt, *Accipiunt*; alij vero, *Adsciscunt.* Et significatur quod non fortuito incurrunt damnationē, sed ipsi sibi sunt causa ipsius iudicij, quod in se prouocant, tam eius quod infligitur à potestate humana, quam æterni, quod à Deo experientur. Nam Core, Datan, & Abirom viuentes absorpti sunt à terra: Ozias Rex lepra percussus: Absalom è quercu suspensus est, & tribus lanceis confossus: Iudas Galilæus, & Theudas ob seditionem interfecti, & vterque Barchozibas.

Cur minime resistendum sit veritati.

1.Reg.8. Luc.10. 1.Thess.4. Exod.16. Resistere potestati, quid. Num.16.

Act.7. Iob 9. Quo vere Apostolus insinuet seculari potestati resisti citra peccatum non posse.

Quam recte dictum sit, Qui resistunt potestati, eos sibi damnationem acquirere. Num.16. 2.Paral.26 2.Reg.18. Act.5. Ibid.

Quod

Apostoli, & Martyres vt humanæ potestati restituerint.

¶ Quod si dicas, Apostolos, & Martyres Regibus obstitisse, & contumeliis in eos egisse in quo potius supplicio, quam præmio digni erant. Dicendum est, illos non restitisse potestati, quod peccatum est, sed ambitioni tyrannidi, & impietati. Hinc Paulus dixit: *Percutiet te Deus paries dealbate.*

Act 23.

Quid nos subditos potestati esse debere non tantū propter irā sed etiam propter cō scientiam.

Vnde concludit, nos debere subdi superioribus, non tantum propter iram, id est, vindictam ipsam, sed etiam propter conscientiam, quæ dictat hoc esse iustum. Et agnoscit in hoc Dei prouidentiam, & ordinationem. ¶ *Nam principes non sunt timori boni operis sed mali.* Græca ad literam habent: Principes non sunt terror bonorum operum, sed malorum. Quæ quia Hebræa, & non Latina phrasis est, vertitur à Laurentio per casum Datiuum. Erasmus paraphrastice vertit, dicendo: *Non sunt bene agentibus, sed male*: & ita accepit opus pro operante. Et respondet tacitæ obiectioni, cur sit potestatibus sublimioribus obediendum, ingerendo timorem ciuilis potestatis, cum Euangellum sit lex amoris, & in ea Deus solus est timendus, qui dixit: *Potius timere eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Et respondet, laicas potestates non esse ad terrorem bonorum, sed malorum; ac per hoc non esse timendas à veris Christianis: ideo etiam nec debemus eis resistere, quia sunt ad compescendum, deterrendumque homines ab operibus malis, qui amore virtutis ad bonum non prouocantur. Hinc iustus nullus conqueri potest de eiusmodi legibus; quia nullus subditur potestati, vel legi vindici, cum charitas perfecta foras mittat timorem, & charitas nihil dignum supplicio efficiat. ¶ *Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & laudes habebis ex illa.* Elicit duplex documentum. Nam si Princeps est delinquentium in terrorem, & non iustis, hinc fit, vt qui voluerit timorem excutere potestatis, bonum faciat, & reportabit laudem: non solum quando potestas est legitima, & sancte administrata, verum etiam vbi est tyrannica. Principis enim est subditos retinere in pace, & iustitia, & supplicia comminari, & præmia proponere. Nam & Petrus iubet parere Ducibus à Rege missis in vindictam malefactorum, & laudem bonorum.

Laurentius Valla.

Qualis sit lex Euangelica.

Matt. 10.

Cui potestati, vel legi nemo subdatur

Proprium charitatis

1. Ioan 4.

Duo præstat potestas secularis.

1. Pet. 2.

Et appellatione laudis veniunt non tantum præconia, quibus Respublica debet studiosos commendare, verum etiam præmia, & dignitates publicæ, quæ virtutis sectatoribus sunt propositæ, ad quas debent digniores promoueri: non solum quia sanctius alijs fulgēt, sed etiam in laudem virtutis, quæ honoribus alitur: imo & punitio iniquorum in laudem cedit bonorum. Quod si sanctos, & benemeritos non laudat, sed odit, & iniuriis insectatur; nihilominus, imo plus laudis de sua patientia reportarunt: & maiori in honore habentur in Ecclesia, quo peiori ludibrio trucidati sunt. ¶ *Dei enim minister est tibi in bonum.* Princeps est à Deo constitutus, si eodem scopo gubernet homines quem ipse Deus præfixit; id est, propter Dei gloriam, & bonum nostrum. Nam agentium subordinatorum est finis; atque ob id tam Deus, quam minister eius in reprehensione malorum, & laude bonorum, bonum vtriusque procurat. Tyranni etiam principes etsi non sint diuinitus assumpti, tamen permissi à Deo in correctione populi, ministri Dei sunt nobis in bonum nostrum, iuxta illud: *Assur virga furoris mei, & baculus ipse est.* Etsi inuiti bonum nostrum promouent, imo dæmones ipsi ministerium Dei tentando exercent in bonum nostrum; vt patet in Iob, & in Paulo. Hinc dicitur seruus sempiternus: nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et addit Paulus quintam rationem obediendi potestatibus; quæ sumitur à fine, sicut prima ab efficiente. Et minister Græce dicitur διάκονος, & infra λειτουργὸς. Et quia præcedit; Laudem habebis ex illa, quidam recens interpres legit: *Ministra enim Dei est,* referēdo ad potestatem: & aliter dicit commissum barbarismū ab interprete nostro, cum διάκονος vtriusque sit generis in Græco. Sed ille non intellexit, quod potestas Græce recte significare potest hominem in potestate constitutum, de quo subdit: Non enim sine causa gladium portat. Nec enim potestas abstracta portat gladium, sed potestas in homine. Sequitur: *Si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat.* Secundum est hoc documentum, quod colligitur ex superiore, quod videlicet potestas sit timori malis. Qui ergo malefecerint, non sint extra metum: nam si quandoque elabantur manus hominum, non tamen euadent vltionem Dei, quia pauor est omnibus qui operantur malum, &c; *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Nomine vero gladii, potestas coercens significatur, & quam Iurisperiti vocant merum imperium, id est, vitæ, & mortis. Ideo habentibus merum imperium, gladius nudus præfertur; & Romani Consules lictores cum fascibus virgarum, & securibus ante se ducebant. Et vindex in iram, significat vindicem ad pœnam infligendam, de qua rursus subiungit: *Non solum propter iram,* id est, vitandam vltionem, *sed etiam propter conscientiam.* Vbi vides In-

Laus duo denotat.

Honos alit artes.

Quomodo potestā secularis Dei ministra sit nobis in bonum.

Tyranni Deo permittente vt administ. fiunt nobis in bonum.

Esaia 10.

Iob 1.

2. Cor. 12.

Iob 40.

Rom 8.

Dæmon cur seruus Dei semper sēpiternus.

Laurentius Valla.

Lectio illa: Dei enim minister est, potestas. & contra Vallā defenditur.

Nemo maleficus diui nam euadit vltionē.

Rom. 2.

Quid, portare gladiū Apostolo.

Potestas vt fit vindex in irā.

Ad V. dub.

culcari

Au Clerici legibus Principum laicorum valeant ſalua conſcientia repugnare.

B. Amb. r. 5.
1. Reg. 14.

De legibus Epiſcoporum Eccleſiaſtici, eadem quæſtio eſt.

culari, leges Principum ſecularium in conſcientia obligare. Nam Paulus non ſolet vti nomine conſcientiæ, niſi vbi agitur de animæ periculo, vt notat recte Ambroſius. Idem probari poſſet per edictum Regis Niniuæ, & quo omnes obligauit ad ieiunium, & pœnitentiam ſub pœna mortis Ionæ 3. & per edictum Regis Saul, quo obligauit Ionatham ſub capitis periculo. Et idem dicendum eſt de legibus Eccleſiaſticis, quas Epiſcopi de reb. indifferentibus inſtituũt: poſſunt enim arctare conſcientias ſubditorum ad obedientiam. Alias Eccleſia non indigeret paſtoribus, vel præfectis, ſed tantum Doctoribus qui explicarent Scripturam, non autem præſidib. qui poſſunt leges condere. Subdit: *Ideo enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes.*

Tributorum penſio quid ſignificet.

Sextam rationem à ſigno acceptam tradit, Nam tributorum penſio, ſignum eſt obedientiæ, & cui pẽdimus, tributum, obedientiam præſtare arctamur. Ne quis vero putaret, tributum per tyrãnidem eſſe introducta; at hanc eſſe Dei ordinationem, vt miniſtri, qui curam noſtri gerunt, & publicis reb. conſulunt, publicis ſtipendiis alantur. Et ſubdit: *In hoc ipſum ſeruientes*: id eſt, Ob hanc ipſam mercedem, iuxta illud: *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Dignus eſt operarius mercede ſua. Non quod finis boni Principis debeat eſſe præcipue merces: ſed bonum publicum, ob quod rependitur ei tributum. Sed melius meo iudicio exponitur: *In hoc ipſum*: ſcilicet miniſterium Dei, ſcilicet ſint timori malis, & laudi bonis, Seruientes Græce προσκαρτεροῦντες, id eſt, inſtantes, ſiue incumbentes. Auguſtinus libro quarto de doctrina Chriſt. an. capite 20. legit, Perſeuerantes. Vnde quando nulla alia exiſtat ratio tributorum, ſatis eſſet, quod cum Deus ſit Dominus omnium bonorum noſtrorum, illiq; ſunt ei miniſtri, potuit per idem ius naturæ, quo Principes ſeculares inſtituuntur, obligare ad tributa pendenda: ſicut per ius Diuinum, quo inſtituta eſt poteſtas hierarchiæ Eccleſiaſticæ, valuit leges condere, vt eis qui altario deſeruiunt, temporalia adminiſtrent inferiores. Sunt etiam capaces miniſterii etiam illi, qui vero Deo non ſeruiunt: alioqui iam nulla eſſet vera poteſtas inter Paganos, quod eſt abſurdiſſimum, & contra Euangelium, in quo Chriſtus dixit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Nec eſt aduerſus regnum Chriſti, & Euangelium, quod regnet ſuper nos Pagani, ſi ita Deo placet, propter eius iram in nos, vel ob alia ſua iudicia. Ideo ad Conſtantinum vſque Eccleſia ſub Ethnicis Regibus fuit. Diſcant etiam Schiſ-

1. Cor. 9.
Lucæ 16.

B. Aug. 10. 8.

Terrenis Principib. tributa deberi iure naturæ.

1. Cor. 9.

Vnde conſtet ſeruiendum Ethnicis quoq. principib.

Matth. 22.

Eorum dominium ac principatum ſuper fideles per regnum Chriſt & Euangeliũ minime tolli.

matici Reges non inflari in filios Dei, neue mittant manum in meſſem alienam, vt velint Sacramenta adminiſtrare, vel verbum Dei docere, aut definire, aut inſtituere Sacerdotes, aut Epiſcopos; ne forte viui abſumantur cum Core, Datam, & Abirom, vel lepra percutiantur, vt Ozias; vel maledicantur, vt Ieroboam. Nam ipſorum tantum eſt exercere gladium in male agentes. Et ſubiungit: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Conſtituta tot rationibus poteſtate ſeculari, & præmiſſo tributorum iure, appendit præceptum ſoluendi: ideo ait, *Reddite*, non Date, aut Donate: quia opus eſt iuſtitiæ, non liberalitatis. Porro quicquid penditur Principi, aut tributum, aut vectigal, aut cenſus, tributum dicitur, quod penditur ex bonis ciuium propter adminiſtrationem Reipublicæ, quam Princeps & armis tueri debet, & in pace cuſtodire, & iuſtitiam cuique tribuere. Et hoc deberet exigi pro ratione ſubſtantiæ cuiuſque ciuis, vt eſſet legitimum. Tributum enim dicitur à Tribuẽdo, vel Contribuendo: vectigal à vehendo, quia penditur ex his quæ iuxta, vel extra, ciuitatem aduehuntur ad refectionem mœnium, pontium, & aliorum ædificiorum Reipublicæ: cenſus vero ſoluitur ex capite, in ſignum ſubiectionis, ſecundum numerum perſonarum, quæ recenſentur: de quo Lucæ ſecundo. Et quia hoc tertium non tantum honeſtatis præfefert, vt alia duo; ſubticuit hoc Paulus hoc loco. Tributum ſoluunt agricolæ, & qui agros poſſident; vectigal mercatores, omnes vero cenſum. Niſi quod vectigal iuſtum eſt, vt itinera ſint ſecura à latronibus, & tranſitus per pontes. Videndum tamen, vectigalia ne ſint immodica, & ad hoc ſeruiant, ad quod ſunt introducta. Et bene ait: *Cui tributum, tributum*: id eſt, Cuicunque in vniuerſum, id quod illi debetur, ſiue ſit princeps, ſiue pater, ſiue herus, ſiue coniux. Et hæc lectio videtur conuenire cum his quæ ſequuntur: Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Alij tamen ſentiunt non eſſe diuerſas perſonas, quas notat verbum, Cui, ſed idem valere ac ſi dixiſſet, ſiue tributum, ſiue vectigal. Et cum ait: *Cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Et nomine timoris Hebræa phraſi venit obedientia: nomine vero honoris ipſa reuerentia quæ magiſtratui debetur, & quam Q. Fabium Maximum filio ſuo Conſuli impendiſſe ſcribit Liuius libro quarto tertiæ Decadis. Etſi Paulus aliter aſſurgere nos doceat, impendendo

Eis ac [...] libus qu[...] cauend[...]
Numer[...]
2. Paral[...]
3. Reg. 13[...]

Redden[...] omnibu[...] debita, [...] non dan[...] cur dict[...]

Tributu[...] quid: qu[...] tenus ex[...] gendum.

Quid vec[...] gal.

Quid cen[...] ſus: de ho[...] cur Paulu[...] non mem[...] nerit.

Tributum qui ſoluãt, qui vecti gal, qui cẽ ſum.

Tributa moderãda.

Quid timor, quid honor apud Hebræos.

T. Liuius.

hono-

Honor cur Magistratui debeatur.

honorem Magistratui, quia Deum refert. Non opposuit timorem amori, quia amor omnibus debetur : hic autem loquitur de illis quæ Principibus debentur: etiamsi alia multa debita quæ reddenda sunt parentib. fratribus, vxori, filiis, imo & mercenariis aut seruis, quod cum illis pepigimus : item id quod mutuo, aut accommodato accepimus ab altero. Origenes hæc duo interpretatur Deo tribui debere, quia ille timor noster, & amor esse debet. Princeps vero quatenus in hoc similitudinem Dei gerit, & dominus est ratione eius cui debetur timor, & pater, cui debetur honor, & olim Reges, parentes patriæ nuncupabantur. Et respicit duo genera obedientiæ: nam quidam timore damnationis obsequuntur, alij amore ne resistant Dei ordinationi. Et timor debetur, si contingat vt quis peccet in magistratum. Sed præter hæc omnia debent Christiani suis Principibus, vt pro eis Deum rogent, vt docet Paulus 1. Tim. 2. & Baruch. in epistola sua ait : *Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis.* Et id seruari in Canone Missæ, tradit Ambrosius super 1. Tim. 2. & Augustinus epist. 59. ad Paulinum, & Tertullianus in Apologetico ca. 32. Et hæc sint satis hoc loco.

Orig. to. 2. Timorem, & honorē cui Deo debeamus, ac principi secundum Origenem. Duplex genus obediētiæ his verbis expressum.

1. Tim. 2. *Baruch 1.* *B. Amb. to. 6.* *D. August. to. 2.* *Tertull.*

DISPVTATIO VI.

In illa verba : *Nemini quicquam debeatis, nisi, vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum: in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo Legis, est dilectio. Et hoc scientes, tempus quia hora est iam nos de somno surgere, &c.* vsque in finem Capitis.

I. dubitatio IN his verbis difficile est quomodo debitum dilectionis semper maneat in reddente, cum hoc de Dei dilectione non dicatur.

II. Deinde quomodo verum sit, quod qui diligit proximum, Legem impleuit ; si cum Dominus in Euangelio dixerit : *In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet, & Prophetæ?*

Matt. 22.

III. Adhæc quorsum illa repetitio; *Plenitudo Legis est dilectio*, cum idem dixisset superius: *Qui diligit proximum, Legem impleuit?* Præter-

IV. ea quale est illud tempus, quo nos de somno surgere vult Apostolus, cum omni tempore semper fuerit homini vigilandum.

V. Postremo, quæ sit illa nox quæ præcessit, & quæ dies quæ appropinquat, cum conueniat nos abiectis operibus tenebrarum, arma lucis induere? Hæc breuiter excutienda sunt, & singula suis locis expedienda.

Continuatio prædictorum & ordo.

Scopus vero quo tendit Apostolus, ignotus in primis non est: cum enim superius dixisset, reddenda esse omnibus debita, causam implendi omnia quæ iussa sunt, declarat esse dilectionis proximi mandatum. Et ne onerosa esse videretur debitorum multitudo; ostendit vnum esse tantum charitatis debitum. Quodcunque enim aliud soluendo extinguitur: hoc vero quanto magis redditur, augetur. Posita igitur affirmatione reddendi omnibus debita, negationem adiunxit : *Nemini quicquam debeatis* : hoc est: Non tantum superioribus, sed et am æqualibus, & inferioribus in mora soluendi debita esse nolitis, secundum illud : *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane* Est enim alieni retentio inuito domino, furti species, restitutioni etiam obnoxia, si temporis dilationi creditori damnum vllum daretur.

Leuit. 19.

Ad I. dub.

Quod vero ait : *Nisi vt inuicem diligatis,* potest esse sensus nihil excipiens, ac si dixisset: Nemini quicquam debeatis, sed inuicem diligite; vt ostendat, quod cum nemini quicquam debuerimus, tunc vere inuicem diligemus. ¶ Chrysostomus vero hoc loco, & Augustinus in epistola ad Seuerum, & in altera ad Celestinum, atque alii Patres interpretantur, ac si exceptionem fecisset Apostolus, in hunc modum : *Nemini quicquam debeatis præter vnam dilectionem* : quod debitum ita semper soluitur, vt nunquam non debeatur: nam Deo, & parentibus pro beneficiis acceptis non satis obsequia rependimus, quia nō potest inter nos & ipsos æquale inueniri, iuxta illud: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* At cæteris proximis nunquam non debemus amorē, propterea, quod vt recte Augustinus scripsit ad Celestinum: *Cum redditur, non amittitur, sed potius reddendo multiplicatur.* Et hoc est charitatem erga aliquem habere, charitatem reddere, & reddere idem quod habere. Contrarium est in pecuniæ debito, quæ habetur dum non redditur, & quo plus redditur, minus habetur.

Debitum dilectionis proximi vt semper maneat in reddente: Nemini, inquit, quicquam debeatis. &c.

B. Chrysost. serm. 23. *B. Aug. ep. 135 circa med.* *Idem ep. 62. to. 2.* *Psal. 115.*

Proximis cur semper amorem debeamus, teste Augustino.

Non igitur Paulus adhortatur vt charitatem quasi indebitam donemus, sed vt sēper reddamus quasi semper debitā, & quia nullum est tempus, in quo non possit occurrere necessitas præstandi officium, & quia

causa

Deus quantum ambo bus diligendus.

causa semper manet; id est, similitudo naturæ, & gratiæ. Quod si semper proximum diligere debemus, multo magis Deum, cuius bonitas immēsa, & innumera beneficia aduersus nos collata ad reddendum amorē inuitant: & perinde inextinguibile est hoc debitum, imo multo minus quam illud dilectionis proximi. Nam etiamsi nullus esset proximus, illi amorem perpetuum debere mus: & si proximus propter Deum semper diligendus est, multo magis sine vllo modo aut mensura amoris erit deamandus.

B. Bernar. l. de amādo Deo inic. Faber. Stapulens. Fabri interpretatio: qui enim diligit alterum (pro proximo) reiicitur. B. Aug.

¶ *Qui enim diligit proximum, legem impleuit,* Proximum; ἕτερον Græce dixit, quod quidam contendit vertendum, Alterum, quia latius se fundit illa vox, quia etiam Deum comprehendit, quam vox proximi. Sed vana est hæc meditatio, quia tali vocula non solet Deus nominari in Scripturis, etiamsi aliquando Augustinus legat, Alterum. Alij tamen Patres, Proximum, vertunt. Vel forsitan olim erat, ἑταῖρον id est, proximum & qui nobiscum conuiuit. Et impleuit, dixit pro eo quod est, implet de presenti, sicut illud: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi* pro, Sedent: siue est in implendo, more Hebræo. Estque optima ratio ad charitatis debitum insolubile ostendendū quia in eo videlicet plena legis obseruantia consistit, quæ plene, dum viuimus, manet.

Mat. 23.

Præteritū pro præsenti acceptum more Scripturæ.

Ad II. dub.

Sed August. in expositione epistolæ ad Galatas, quærit, quomodo hoc verum sit, cum scriptum sit; *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ*? Soluit Origenes in hoc loco, per proximum nostrum, Christum verum Samaritanum intelligendum, quem qui diligit, Deum, & proximum diligit. Deinde alij docent, quod Paulus non fecerit mentionem nisi de Præcepto quod est in secunda tabula, in qua officia debita proximo continentur: neque hactenus hoc Capite nisi de his præceptis sermonem habuit neque in subiuncto exemplo mentionem facit aliorum, videlicet, *Non adulterabis, non occides, &c.* Leuit. quoque 19. numeratis præceptis primæ tabulæ, & secundæ, nihil de dilectione Dei subiungitur, sed tantum: *Diliges amicum tuum.* Qui ergo diligit proximum, legem, & omnia complet, quæ sunt erga Deum. Et quia impletio Legis intelligenda est quantum ad mentem præcipientis; tunc impleri nequit absque vera Dei dilectione; & in vera dilectione proximi clauditur dilectio Dei, tanquam vera eius causa; & vice versa, in dilectione Dei dilectio proximi tanquam inseparabilis ab eo effectus: vt Augustinus considerauit lib. 8. de Trinit. capit. 7. vbi tradit, in Scripturis alterum mandatum sine alterius mentione solere proferri: vt Deut. 10. *Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, ac diligas eum*? Et è conuerso: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Et idem in exposit. dictis ad Galat. asserit, potius meminisse dilectionis proximi, quam dilectionis Dei: quia facile potest quis fingere se Deum diligere, cum rariores tentationes, vel officia id comprobēt: secus est de dilectione proximi. Vnde Ioannes dixit: *Qui nō diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Aut potius dilectionis proximi tantū meminit, quia de officiis erga proximum sermonem habebat. ¶ Nec commemorat quartum præceptum de honore parentum inter alia, quia hoc nō est adeo vniuersale, cum nec omnes habeant parentes, vel consanguineos, vel facultatem illis subueniendi: nec ita pro quouis tempore obligat, vt alia quinque negatiua, quæ vt vniuersos, ita semper obligant. Tria prima spectāt ad iniurias proximi in persona, & in vxore, & in bonis: quartum in lingua ad verborum iniurias: quintum, ad cordis peccata pertinet, & vltimo adiecit more Oratoris *Et si quod est aliud mandatum*: qui inductione vtuntur, quia per omnia singularia nolunt progredi, sed recensitis quibusdam, reliqua sub genere comprehendunt. Et quia hic obiter, & aliud agens, de alijs tractat; ideo neglexit numerum ponere, & ordinem. Et ostendit se quasi nescire quod nō opus erat docere. ¶ *In hoc verbo instauratur.* Græce legitur ἀνακεφαλαιοῦται ad Galat. dixit, πληροῦται, id est, in summam huius verbi redigitur. Et posset verti ad literam, Recapitulatur, vt sæpe legit Augustinus, Ambrosius vero legit, *Consummatur.* Nam, vt aiunt, instauratur, quod instar prioris exemplaris restituitur: quod non ita videtur quadrare: quia præceptum non reædificatur, quod certe interpres non sensit: sed hoc quod aliorum quodlibet non est secundum virtutem, nisi dilectio proximi adsit. Vnde Ambrosius ait, in dilectione omnia mandata impleri, ac illā pro omnibus satisfacere. Nec verbum Instaurandi à verbo Græco abhorret: quia qui iubet proximum diligere, iubet non mœchari, non occidere, non furari, & reliqua. Ita vt hoc verbum, Diliges proximū, singula aliorum restauret, id est, consolidet ac roboret. Etsi verisimilius esse videatur, interpretem nostrum legisse ἀνακαινοῦται vel ἀνανεοῦται, id est, renouatur.

Q uomodo qui diligit proximum, Legē impleuit, si in Dei, & proximi dilectione vniuersa lex pēdet, & Prophetæ. Idem in expositione 3. c. epist. ad Gal subind. ca. 4. in fi. Orig. ca. 2. Luc. 10. Proximi dilectionem necessario ex Dei dilectione pendere.

B. Aug. lo. 3.

Deut. 10.

Ioan. 15.

Idem. Quare Paulus hoc loco potius proximi quam Dei dilectionis meminerit. 1. Ioan. 4.

Idem præceptum de parentibus honorādis quare suppresserit.

Quæ hoc loco Paulus commemorat diuina mandata, vt simul se distinguantur.

Vsus inductionis apud Oratores.

Non eodē Apostolus vsus numero, & ordine præcepta quare retulerit.

B. Aug. B. Ambr.

Lectio illa quorundā: Et si quod est aliud mandatū, in hoc verbo cōsummatur, pro Instauratur, cur improbabilis.

Dilectio proximi malum non operatur. Concludit probando, dilectionem proximi esse legem implere: quia charitas non operatur

Effectus dilectionis proximi. 1. Cor. 13.

Mmm ma-

malum, nec agit perperam, sed etiam operatur bonum: Noui, & recentes quidam interpretantur, Dilectio proximo: Græce tamé solo articulo τῷ cum aduerbio πλησίον potest verti, proximi, & proximo. Et quamuis parum referat, melius quadrat Gignendi, quam Dandi casus, & Patres Latini magis vsu sunt Genitiuo. ❡ *Plenitudo ergo legis. est dilectio.* Ab specie, id est, amore proximi, elicit in genere plenitudinem legis, siue implementum, siue expletionem, Græce πλήρωμα tam Dei quam proximi esse dilectioné: vel quia in dilectione Dei includitur illa Dei dilectio; vel quia, vt dilectio proximi est plenitudo legis proximi, ita dilectio Dei, plenitudo legis Dei est.

Lectio illa Dilectio proximi, altera, Dilectio proximo, &c, quare præstantior. Ad III. qu.

De ratione huius dicti Plenitudo legis est dilectio.

Et intelligi potest hæc conclusio vel in ratione causæ, quia per dilectionem impletur tota lex; vel formaliter, quia impletio legis, eiusque perfectio, & consummationi hil aliud est quam dilectio in opere. Hinc charitas dicitur vinculum perfectionis ad Colos. 3. Dicitur tertio plenitudo legis, hoc est, finis legis; quia finis præcepti, est charitas.

Colos. 3.

Ex quo dicto palam statuitur operum iustificatio, & destructio doctrinæ Lutheri de iustificatione ex sola fide. Impletio enim legis vere iustificat apud Deum, quam tamé efficit charitas. Nec Lutheri calumnia valet verum esse de perfecta dilectione, & impletione legis per fidem, quam nemo tamen hic potest præstare: & Apostolus, inquit, loquitur, si quis talem dilectionem, & obseruationem habere posset. Sed hæc interpretatio mera est calumnia, quia Apostolus aperte exhortatur Romanos ad mutuam dilectionem, quam possunt hic prestare. ❡ Habes etiam, non omne opus iusti esse peccatum: quandoquidem dilectio proximi plena legis obseruantia est. Habes denique iustos non tantum per imputationem obseruare legem per fidem, sed etiam reipsa, & opere illam perficere. Et subiungit: *Et hoc scientes tempus quia hora est iam nos de somno surgere.* Ordinauit hominem in ordine ad maiores, deinde per charitatis præceptum in ordine ad æquales, & inferiores: nunc instituit hominem in ordine ad seipsum, initiú sumens à temporis congruentia, & opportunitate. Et oportet in hoc primo sermone aliquid supplere, in hunc modum: Et hoc quod dixi: *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis*, debetis exequi, & implere nó solum propter dictas causas, sed etiam sciétes temporis occasionem, & opportunitaté non enim omnia omni tempore æque congruunt; sed est tempus dormiendi nocte, tempus etiam vigilandi cum dies apparet.

1. Tim. 1.

Contra Lutheri dogma de sola fide iustificante. Vnde manifestum fit, Apostolum de dilectione proximi præsenti habere sermoné. Nequaquam iustos in omni opere bono peccare, vt ille mentitur. Contra imputatiuam iustitiam. Illud: Et hoc scientes tempus &c. quomodo accipiendum fit.

Vnde illud, Hoc, non debet referri ad tempus, quia pronomen Græce est neutrius generis, tempus vero masculinum: vnde & καιρὸς dicitur. Ita enim soliti sumus exaggerãdi gratia dicere: Tu furaris, & adulteras, & hoc quidem in Quadragesima. Scientes ergo tempus, id est, scire debentes temporis occasionem. Dicimus enim: Ecce tempus, designantes pulchram, & congruam temporis occasionem: quia omni negotio temp° est & opportunitas.

Qualis ea sit forma loquendi.

Quid scire tempus hoc loco. *Eccl. 8.* Ratio cur scire debeamus hoc tempus.

In hoc ergo tempore noui testamenti magna scientia est opus ad magna opera p̃standa. Primo ob fomitis debilitatem, qui in principio mundi feruentissimus erat, & potens: iam cum in senilem ætatem peruenerimus, debilitatus est, & maiores occasiones præstat bene operandi. Dęmones etiã propter Christum sunt ligati, ac de mundo eiecti, nec tantum illis permittitur contra nos insurgere. Tertio mundus cum bonis temporalibus minus mouet ob naturæ vetustatem ac Dei dispositionem, qui multis nos modis per humilitatem, & paupertaté modo exercet. Quarto, habemus exempla vrgentiora Christi, & Apostolorum, & Martyrum, & Virginum; doctrinam etiam magis dilucidam, & ad amorem nos rapientem, Angelorum succursum, & præsidium, denique vberiorem C H R I S T I gratiam, quæ instar fræni ab omni vitio retinet, & instar calcaris ad bona solicitat. Et subdit: *Hora est iam nos de morte surgere.* ὥρα Græce denotat momentum surgendi. Nõ dixit, dies aut mensis, aut annus; ne temporis protractione redderet tardiores. Vt ergo nos breuitate vrgeret, dixit, *Hora*, de qua dixit Dilectus, *Filioli nouissima hora est*, & Matth. 20. *Hora vndecima*, quæ non longe distat à duodecima, quæ est finis diei, iuxta illud: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* & insinuat, *Iam*, nostram vitam breuiorem, quia citius deficit, & propter occasiones Euangelij violente abrumpitur per fidei persecutores. A somno surgere, Erasmus vertit, Expergisci; cum tamen Græce non legamus ἔξυπνος γενόμενος. id est, Expergefact°, vt habes Act. 16. de custode carceris, qui expergefactus volebat sibi mortem consciscere; sed ἐγερθῆναι quod proprie dicitur è somno surgere: vt Matth. 2. *Surge & accipe puerum*; &c. 8. *Surrexit, & ministrabat eis.* Et plus aliquid est surgere quam expergisci: sunt enim, quos expergefactos à somno pigritia remoratur, ne surgãt ad opera necessaria. Quod si hæc ad animum referas, sunt qui à peccato expergefacti, id est, per veritatis lumen à cęcitate liberati sunt, adhuc tamen vel ignauia, vel malitia decumbunt in sua prauitate. Paulus autem

II. *Ioan. 12.* III. IV.

Gratiæ Christi efficientia. Ad II. dub.

Quodnã sit illud tépus, & hora de somno surgẽdi.

1. Ioan. 2. *Ioan. 11.*

Contra Erasmi versionem: Hora est nos à somno expergisci, pro à somno surgere. *Mat. 2.* *Infra 8.*

A somno surgere, quid mysthice Quadruplex somnus in Scripturis quinam.

tem vrget nos vt ab omni somno vel igno-
Psal.4. rantiæ, vel culpę, vel negligentię surgamus.
I. ¶Obserua, esse somnum gloriæ, de quo di-
Psal.128. ctum est: *In pace in id ipsum dormiam, & requi*
II. *escam* & iterum: *Cum dederit delectis suis som-*
Cant 5. *num*: à quo nunquam deturbabimur. Est &
Supra 3. somnus contemplationis, de quo: *Ego dor-*
III. *mio. & cor meum vigilat*, &c: *Adiuro vos filiæ Ieru*
1. Thess. 4. *salem, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectā,*
Ioan.11. *donec ipsa velit.* Et tertio somnus naturalis
mortis, de qua: *De dormientibus nolite contri-*
stari, &c, *Lazarus amicus noster dormit: sed vado*
IV. *vt à somno excitem eum.* Est & somnus culpæ,
siue desidiæ, de quo Paulus: *Surge qui dormis*
Ephes.5. *& exurge à mortuis*: id est, à peccatis. Et Salo-
mon in prouerbijs: *Vsquequo piger dormies,*
quando consurges è somno tuo? Tempus est igi
Prou.6. tur surgendi è somno ex stupore sensuum
ad diuina effecto, & ex nocte nondum orti
Solis iustitiæ Christi, & ex vmbris legis, &
de tenebris ignorātię, & ex torpore operū
& immobilitate obstinationis: qui autem
in tali statu est, nihil solidi inuenit. Surgen-
dum ergo primo fide pellente ignorātiam,
& charitate iustificante à peccato, & studio
bonorum operum à negligentia. Et quo
hæc tria maiora, eo propinquiores sumus
fœlicitati cęlesti. ¶*Nūc enim proprior est nostra*
salus quam cum credimus. Græca non ha-
bent proprior, sed aduerbium Propiꝰ; quasi
Quare proprior sit nostra salus quam cum credidimus. diceret, Propius est nostra salus. Sed muta-
uit interpres aduerbium in adiectiuum fœ-
mininum salutis, & nihil sententię Pauli de
perit. Et, *Nunc*, designat tempus noui Testa-
menti, quando apparuit gratia Dei in Filio
suo. Et duas producit causas, ob quas sit ho-
ra surgendi. Primam, quia proprior est salꝰ
quam olim, Cœpit enim Iudæis salus appro
Deut.4. pinquare, cum cœperunt credere futuro
Aliter salus illa Iudæis aliter Christianis appropinquauit. Messiæ, & gloriabantur, dicentes: *Non est a-*
lia natio tam grandis quæ habeat deos appropin-
quantes sibi, sicut Deus noster adest cūctis obsecra
tionibus nostris. Sed nondum erat tempus ve
ræ, & perfectę appropinquationis per fidē,
Mat. 3. & vberiorem gratiam, quando Præcursor
Infra 4. intonuit. Appropinquauit regnum cœlo-
Infra 10. rum: quando Christus, & Apostoli, ac dis-
Luc.10. cipuli idem ipsi prædicarunt. ¶ *Nox præces-*
Ad 4. dub. De nocte quę præcessit, & de quæ appropinquauit. *sit.* (alij legunt, Processit, vt quidam ex Patri
bus Græcis) *dies aūt appropinquauit.* Dies, est
præsens tempus, si conferatur cum priore
tempore veteris Testamenti: si vero con-
feramus cum futuro seculo, potest dici nox;
Luc. 12. quia gratię lux, quæ nobis affulget, respectu
2. Pet. 1. futuræ lucis in gloria, instar est tenebrarū.
Quare Dominus hoc tempus per vigilias
noctis distinguit. Et Petrus sermonem
Propheticum quasi lucernæ assimilat lu-
centi in caliginoso loco, tempus huius no-
ctis adhuc esse indicans. Quare recte tēpꝰ
hoc diluculo comparaueris, quod aliquid
de nocte, & de die similiter participat: vide *2. Cor.5.*
mus enim nunc per fidem, & non speciem. *1. Cor.13.*
Regnum autem cœleste Christi passione a-
pertum magis excitare deberet ad festina-
tionem: vt carnis odorata præda velocius
currit, & lapis prope centrum citius moue- *Duo nomine salutis hoc loco significātur.*
tur. ¶Nec capitur hic salus pro iustificatio-
ne tantum, vel pro possessione gloriæ, sed
pro ambobus.

Altera persuasio est bene operandi, quod
nox pręcesserit, dies a[illegible]propinquauerit: pro
pręsenti ponitur, id e[illegible]ppropinquat, phra
si Hebræa.

Sed obiici posset contra hoc, quia vbi nox
præcessit, non appropinquat, sed eluxit iam
dies. Verum Græci Patres, vt Chrysosto- *An recte dicatur, vbi nox præcessit, dies appropinquare, cum iam eluxerit.*
mus, & Theophylactus, explicant, appro-
pinquare diem, ad aduentum gloriæ specta
re; eorum præsentem vitam noctem appel-
lantes. Ideo non legunt, Præcessit, sed pro-
cessit: seu progressa est ad diluculum prope
rans, etsi nondum sit peracta. Et huic sensui *B. Chrys. ser. 24.*
quadrat verbum Græcū [illegible]. At Am-
brosius & alij Latini legunt, Præcessit: nec *Theophyl. in explan.*
est corruptum, sed ita vertit interpres. Et *B Amb. 1 5*
intelligit Ambrosius nomine noctis vete-
rem hominem, qui per baptismum est in-
nouatꝰ: & appropinquare dicitur dies, quia *B Cypria. circa med. serm.*
accedit. Cyprianus sermone de zelo & liuo
re. *Nox*, inquit, *transiuit, dies autem appropin-* *D. Hier. epist 3. non procul à princ. to.1.*
quauit. Ita legit Hieronymus in Epitaphio
Nepotiani ad Heliodorum: & Ambrosius
lib. 5. de Sacrament. cap. 4. & serm. 52. de die *tom.*
sancto Paschæ. Non dissimulabo tamen, *Amb. to.9.*
diuum Hieronymum lib. 1. in Iouinianum *Idem to.5. circa fi.*
legere processit. ¶ *Adijciamus ergo opera* *Hier. to.2.*
tenebrarum, & induamur arma lucis. Applica-
tio est exempli propositi de die & nocte.
Est siquidem morale, & consuetum homi- *Abiicere opera tenebrarum cur debeamus, & arma lucis induere.*
nibus, vestib. minus pretiosis, & obsoletis
domi vti, & ea, quæ ad cultum pertinēt, ne
gligentius curare, præsertim autem noctu,
eo quod effusis tenebris nemo nos videat:
at interdiu cū omni decoro studeamus pro
dire, assumēres elegātes, & speciosas vestes
Ad eum modum nos, qui hactenus sub nu
bilo, & frigore iacuimus, quando nec fides
elucebat, nec auxilia suppetebant, vt chari-
tatis calore accenderemur, tempus est, vt
virtutibus diuinis ornati in publicum pro-
deamus, qui Christum mundi lucem profi- *Cur dictū à Paulo in prima persona, Abiiciamus.*
temur. Loquitur autem in prima persona,
ne alijs, & non sibi præfigere videretur. Et
pondera verbum, Abijciamus: quasi an- *Quid opera tenebrarum.*
guem è sinu, & venēum de ore, & furtū de
manu, ne cum eo coram Christo iudice de-
prehendamur. ¶ Vocat autem opera tene-

brarum, peccata, quæ deficiente rationis lumine concipiuntur, quia omnis peccans est ignorans: & non nisi in tenebris exercentur: quia omnis qui male agit, odit lucem. Vnde illud: *Oculus adulteri obseruat caliginem & ad tenebras illas exteriores nos pertrahunt*, & fœtus, siue proles sunt dæmonum talia suggerentium, qui tenebræ dicuntur, & tenebrose operantur, iuxta illud: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Denique tenebræ appellantur, quæ diuini lucem iudicij ferre non poterunt. ¶ Possunt & tenebrarum appellatione [illegible]ire legalia Moysis, quæ velata erant, [illegible]te gratiæ diem adhibebantur, & iam post Christum mortifera sunt, vel saltem tempore Pauli mortua.

Ioan. 3. Iob. 24. Luc. 22. Alter sensus ac tertius.

¶ Arma vero lucis, opera, & officia Euangelicarum virtutum nominantur, quæ fidei lumine concipiuntur, & quæ in manifesto exercentur: nam qui facit veritatem, venit ad lucem; & Dominus. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona*, & quia ducunt ad æternam, & cœlestem gloriæ lucem; & quia fœtus sunt Christi lucis mūdi, operantis per nos & velle, & perficere, pro sua bona voluntate. Et præterea non solum sunt ornamenta lucis quæ muniunt, & defendunt: quia semper est bellum contra hostes. Vnde ad Ephes. 6. hortatur idem Apostolus, vt induamus armaturam Dei (quasi πανοπλίαν) vt possimus stare aduersus insidias diaboli; & vt in omnibus sumamus scutum fidei, in quo debeamus omnia tela nequissimi ignea extinguere, & induamus loricam iustitiæ, id est, charitatis, & vt galeam salutis assumamus, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. In vita vero æterna nō est opus armis, quia nec hostis est vllus, sed opus est veste nuptiali. ¶ Induimus autem arma hæc lucis CHRISTI: vel imitando illum, vel frequentando actus bonos, quibus habitus nu gentur. ¶ *Sicut in die honeste ambulemus*. Aduerbium *Sicut*, non est diuidendum in duas partes, hoc modo: Sic induam*, vt honeste ambulemus, quia Græce tantum est ὡς, & valet idem quod Vt, vel Quasi. Et est sensus: Induamur arma lucis tanquam honeste, id est, cum decoro, & decēter ambulantes, & in lucem diei prodeuntes: quare circumquaque ab omnibus conspicimur, ac iudicamur. Ita nos putemus ambulare coram Deo, & Angelis eius, iuxta illud: *Ambulate coram me*, id est, cura vt me videas videntem te. Et ambulemus etiam tanquam oculatis exploratoribus, nos, & nostra quæ agimus obseruantibus. Et declarans opera tenebrarum, subdit: *Non in comessationibus, & ebrietatibus*, &c. Nam etsi vniuersa flagitiorum genera opera sint tenebrarum, lex tamen hic opera peculiariter commemorat. Etsi vero omne quod in mundo est, triplex sit concupiscentia; hic tamen nihil de oculorum, seu auaritiæ concupiscentia loquitur, quia illa ad iniuriam proximi spectant: quia hic hominem circa seipsum bene componere studet. Recenset ergo quæ contra concupiscentem, & irascentem partem reformatione egent. Et concupiscentia carnis fertur in voluptates, quæ hominem seruant, quod attinet ad indiuiduum, per cibum, & potum; vel per concubitum, quod ad speciem spectat. Et Paulus decorum seruauit exemplo diei, & noctis vtens, vt illa vitia insectaretur, quæ noctu vt plurimum perpetrantur. Comessationes enim apud antiquos etsi conuiuia generaliter dicebantur, in quæ singuli sua symbola conferebant: vsurpantur tamen proprie pro intempestis conuiuijs, quæ post cœnam fiunt, veluti ientaculum, epulum ante prandium, & merenda ante cœnam, comessatio vero post cœnam. Vnde κῶμος, Deum designat infamem, qui illis nocturnis cœnis præerat, quæ in multam noctem protrahebātur, & plurimam flagitiosorum segetem nutriebant, maxime vero crapulæ, temulētiæ, impudicitiæ, iurgiorum: quia Comos, Bacchus, & venus socij sunt. Ideo merito talia conuenticula non tam conuiuia à conuiuiēdo, quam συμπόσια, & cōpotationes dici merentur. Quod vero comessationes celebrarentur à cœna, docet Liuius lib. 10. belli Macedon. Demetrium post cœnam, quam sodales acceperant, dixisse: *Quin comessatum ad fratrem imus*. Suetonius in vita Domitiani hæc de illo refert: *Conuiuabatur frequenter, ac large sed pene raptim, certe non vltra Solis occasum, nec vt postea comessaretur*. Ex idem in Vitellio. *Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat: in ientacula, & prandia & cœnas, comessationesque*. ¶ Gula vero si dicat vitium, ad suum peculiare obiectum, & finem referri debet, id est, nimirum appetere delectationes cibi, & potus, ex genere suo lethalis non est, sed venialis culpa: at quatenus importat corruptum ordinem ad supremum finem, id est, Deum, cuius præcepta trāsgreditur, lethale est peccatum: & de his alio loco dicit Paulus: *Quorum Deus venter est*. Ebrietas vero non solum nimium potum, sed etiam rationis priuationem denotat: & ex genere suo lethale est peccatum, quia præfert delectationem potius vsui rationis. Est etiam capitale, id est, multorum peccatorum caput: & Paulus 1. Cor. 5. ebriosos cum idolis seruientibus iungit.

Arma lucis quid. Ioan. 3. Mat. 5. Ioan. 8. Infra 9. Philip. 2. Ephes. vlt. Vestem nuptialem, & non arma, vbi induamus tantummodo. Mat. 22. Induamur arma lucis quando. Quid est: Sicut in die honeste ambulem*. Gen. 17. Ambulare corā Deo, quid.

Opera tenebrarum lex potissimum. Ioan. 2. Ratio de lectus illorū. Comessationes quid. Eiusmodi comessatio nunc in cōmoda. Suet. c. 21. Idem c. 13. Gulæ vitiū vbi tantum veniale sit, vbi mortiferum. Philip. 3. Ebrietas duo includit: eius grauitas. 1. Cor. 5. Vbi nullo sit peccatum, aut leue.

[*B. Tho. lect. 3. à med. to. 16.*]

Et tamen hodie in quibusdam prouincijs decus est, & honor. Et dixit in plurali, ebrietatibus, secundum Thomam: quia inebriari, ignorata virtute vini, vt Noe, non est peccatum; secus vbi cognita fuerit. Subdit: *Non in cubilibus, & impudicitijs.* Recte dictum est: *Sine Cerere, & Libero friget Venus,* & venter, & genitalia vicina sunt: & venter mero æstuans facile despumat in libidinem.

[*Gen. 19.* *Terent. in Eunuch. Act. 4. Sce. 5.*] [Quid proprie cubile.]

Et nomine cubilis non intelligas molles, & delicatos lectos, quibus ad captandam voluptatem somni, & venereorum vtebantur, de quibus Salomon in Prouerbijs in persona meretricis: *Intexui,* inquit, *funibus lectulum meum, straui tapetib. pictis ex Aegypto. Sparsi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo. Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec elucescat dies.* [*Prou. 7.*] Et Amos; *Væ qui dormitis in lectulis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris.* [*Amos 6*] Sed melius cubilis nomine veniũt scortationes, & spurci complexus; quos explicatius vocat impudicitiam, quia contra pudorem sunt, & per expexegisim dicit, &, pro, id est. [Hoc loco quid.] Nam cubile, quod Græce [illegible] dicitur, etsi lectum quandoque significet, in quo somnus capitur; frequentius tamen pro ferarum lustris accipitur: quæ lustra à luto dicuntur, id est, paludibus, & cœnosis locis, in quibus feræ cubant. Et significat homines, qui veluti pecora volutantur in stercore, & luto. [Lustra vnde sic dict. quos denotent.] *Non in contentione, & æmulatione.* Hæc vita ad apetitum pertinent, quo vindictam expetimus. Et ex temulentia, & calore vini in comessationibus iurgia oriuntur inter compotores. [Contẽtio, & æmulatio quo fe. rantur.] Cum ergo calor potus silentium abruperit, colloquium prorumpit in clamores, & contentiones. Et vt notauit Aristoteles, animalia non nisi propter cibum, & venerem contendunt. [Animalia quib. inter se tantum de reb. contendant. *Philos. li. 9. de hist. anim. c. 1. & 2.*] Et contentionis prima mater est inuidia: nam inuidus cum ferre nequeat aliorum sententias, promptus est ad contradicendum. Cõtentione enim sæpe æmulatio, & inuidia augetur. [Vnde potissimum oriatur contentio.] Ideo recte hæc Paulus coniunxit. Romani quoque inter se contendebant, & mutuis se proscindebant iniurijs.

¶ *Sed induimini Dominum Iesum Christum* Indicat quid sit induere arma lucis. Et induendi verbum copiam, & abundantiam denotat apud Hebræos, secundum illud; [Quid Hebræi verbo Induendi significent.] *Induti sunt arietes ouium* (pro quibus vertit Hieronymus) *Vestientur agnis greges;* id est, oues erunt fœtosæ) *Et valles abundabunt frumento.* [*Psal. 65.*] Septuaginta ad sensum: nam ad verbum est Valles vastientur frumento. Ita dicimur cum ornamur, indui decore, salute, magnificentia, iustitia, & spiritu: contra vero cum dedecoramur, dicimur indui confusione, maledictione, & desolatione. Et quia illis armis vniuersę veniunt virtutes, quib. Christo in hac vita aduersus Satanam militam⁹, & fons earum, ac robur sit idem ipse Christus, cuius merito infunduntur, adhortatur vt Christum induamus, id est, per virtutum exercitium Christum imitemur, vt nihil appareat, nisi Christi imago admodum indumenti, quod solum in se homine repræsentat. [Induere cur debeamus Iesum Christum, & quomodo.] Sicut qui creatur in Regem, induit personam Regis; & qui in Episcopum, personam induit Episcopi, & vestimentum congruum Episcopi. Et ita ad Gal. 3. baptizati induerunt Christum. [*Gal. 3.*] Qui ergo illum induerunt debent per virtutum imitationem, nimirum charitatis, patientiæ, obedientiæ, mansuetudinis, orationis, & zeli illum per omnem vitam repræsentare, vt in Christo tanquam in veste primogeniti à patre Isaac benedicamur: [*Gen. 27.*] & pelle agni tanquam Adam vestiri, ne nuditas nostra erubescenda appareat: [*Sap. 5.*] atque hac veste nobis vtendum est cõtra maculam originalis peccati, & contra frigus tepiditatis, & tentationis dæmonis. Atque ita Christum induti, carnem non curabimus, de qua subdit: *Et carnis curam ne feceritis in desiderijs.* [Carnis nostræ curam quam vetet Apostolus. *Ephes. 5.*] Quibus verbis non omnem curam carnis interdicit, quin debeamus ei de necessarijs curis prospicere, quia nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam; sed quod non geramus curam eius in desiderijs suis, id est, in inexplebili desideriorum eius auiditate, ita vt secundum carnem viuamus, & ambulemus. [Immoderata carnis cura quid parat.] Quod à Paulo dictum est, ne quisquã putaret, carnem omnino negligendam, aut propagationem non curandam, aut carnem cibo, aut veste necessaria non tuendam; sed tantum curandum, vt caro improba in suas improbas concupiscentias non prodeat, sed quantum sobrietas, & cuiusq; status patitur, & vt caro inseruiat spiritui, & spiritus Deo. [Animæ incuria notatur.] Nouerat autem Apostolus, quantum studij, & operæ ponere soleat homo in cute curanda, & carne cibo, & potu, & veste fouenda, atque ornanda, contempta anima & spiritu, qui suo alimento, & vestimento caret perpetuo nudus incedit, & famelicus.



DISPVTATIO VII.

In illa verba cap. 14. *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet*, &c.

I. dubit. IN his primo explicanda est ratio contextus horum verborum cum præcedentibus.

II. Deinde, quis sit iste infirmus, quem primo loco tradit suscipiendum.

III. Tertio, quomodo ille qui cibos discernit, sibi sit relinquendus, cum malum sit cibos discernere, & hunc mundum, hunc immundum putare; cum potius à tali errore esset homo retrahendus; & an hæc verba Apostoli militent vllo modo contra delectum ciborum, & dierum, quem obseruat Ecclesia, vt volunt Lutherani.

IV. Quarto, an ille qui cibos discernit, aliquo modo peccet, & num aliquam immunditiam in his magis, quam in illis cibis constituere, peccatum sit.

V. Adhæc quod ait: *Domino suo stat, aut cadit*, videtur omne iudicium de bono nobis auferre: nã cum ex intentione, & sola charitate homo sit bonus, & quæ hominis iudicio non subiacet, quomodo possumus aliquem bonum iudicare?

VI. Postremo videtur Apostolus magnam fenestram aperire hereticis, & omnibus Ecclesiæ iudicio se subiicere detrectantibus, cum ait: *Vnusquisque suo sensu abundet.*

Ad 1. dub. De connexione Pauli contextus.

Ratio contextus non videtur obscura. Indicauit enim superiore capite, quam obedientiam inferiores debeant suis superioribus: in hoc vero, & sequenti capite docet, quæ perfecti debent debilioribus, & infirmioribus. Atque in hoc quidem ea potissimum edisserit, quomodo non debeant infirmos in fide scandalizare: in sequenti vero, quomodo debeant eorum imbecillitates sustinere. Et primum quidem in hoc capite, ne firmi infirmos spernant, aut infirmi alios iudicent, admonet; deinde prohibet scandalum, ne quis alteri offendiculum ponat, maxime ab eo loco: *Sed hoc iudicate magis*, &c. & Apostolus paulatim ad eorũ contentiones, quas superius reprehendit, accedit ab æmulatione procedendo, dum mutuo Gentilis in Iudæum, Iudæus in Gentilem inflaretur. Nam erant quidam fideles, qui credebant ex fide, licitũ esse omnia mãducare, neglecto omni Mosaico ciborum delectu: erant contra Iudæi, qui iudicabant Gentes vt legis contemptrices, idque impe-rite, cum iam vigorem lex non haberet. Hinc Apostolus huiusmodi disceptationibus, & æmulationibus occurrit, dicens, nullum esse discrimen dierum, aut ciborum necessario obseruãdum propter legem: deinde eos, qui de hac libertate essent instituti, non debere ea ad contemptum, & scãdalum proximi abuti: denique infirmiores non debere iudicare alios perfectiores, qui hæc dierum, aut ciborum discrimina non curabant, vtpote instructi de veritate. Nam vt aperte docent Patres, Chrysostomus, & Theophylactus hoc loco, & Ambrosius, ac Hieronymus libro 2. in Iouin. loquitur contra eos, qui in Christum credentes, adhuc Iudaismum in obseruantia ciborum, & dierum conseruabant. Et hæc de primo.

Iudæos inter & Romanos cõtentio, & æmulatio, quænam esset.

De cibis legis: eamq; Paulus quibus rationib. tollat.

B. Chrys. ser. 30 to. 4. Theophyl. D. Ambr. to. 5. B. Hier. s. 2.

Ad 2. dub. De secundo ait. *Infirmum autem in fide assumite*, vel recipite in vestrum contubernium. Infirmũ in fide vocat ἀσθενοῦντα, id est, non infidelem, & nil credentem, sed credentem, nec tamen omnia recipientem nisi certa, & plene determinata. Et firmitas fidei, siue intensio: extensionis solet esse causa: quia magna charitas omnia credit. Et Abraham non est infirmatus fide, sed dedit gloriam Deo plene persuasus de eius omni potentia. Quanquam vero Græco non sit præpositio In, merito tamen est addita: quia etsi fides ex se sit cognitionis infirmitas, quia ex parte, & per speculum cognoscimus: si infirmum fide dixisset, putare possemus, paulum loqui de eo, qui habet obscuram cognitionem; quod omnibus quadrat Christianis. Dicendo autem, In fide, languorem, & infirmitatem illius, qui non admodum in fide est perfectus, denotat. Et assumite, ait, id est, accipite, & in vestrum consortium suscipite, nõ abiiciatis. Hæc autem assumptio etiam adiutorium insinuat: nam inferius dicitur: Deus enim illum assumpsit. Sunt ergo tolerãdi infirmi, donec proficiant ad meliora, exemplo Dei, qui nos infirmos assumpsit. *Non in disceptationibus cogitationum*; Græca habẽt: Non ad diiudicationes: Græci enim Accusatiuo vtuntur pro Ablatiuo, vt superius: Carnis curam ne feceritis ad desideria, non enim finẽ assumptionis vult esse, ne disceptationibus cum illo agerent; sed modũ, quo eum debemus suscipere, exprimit, scilicet leniter, & blande, non disceptando, aut contendendo cum eo. Porro disceptatio non est dispu-tatio, sed idem quod contentio, & in malũ sumitur, quisque enim contendebat, penes se veritatem stare. Et ita heret hic sermo cũ præcedentibus, vbi dixit: *Non contentione.*

Quis ille infirmus in fide à nobis assumẽdus

1. Cor. 13. Rom. 4. Gen. 15.

Hęc interpretatio: In firmos in fide, & non illa, infirmus fide, q̃ commoda 1. Cor. 13.

Quid est assumere, hoc loco.

Infirmus in fide cur assumendus.

Græcis Accusatiuus pro Ablatiuo ponitur. Assumere infirmum in fide, nõ in disceptationib. cogitationum. quid. Rom. 13.

Aug. to. 4. sub fin. Mat. 15.

Et explicans quid sibi velit, adiungit: *Alius enim credit, se manducare omnia.* Id est, credit & certa fide apprehendit, se posse omnibus vesci: etsi hic sermo Latinis, & Græcis sit insolens: Credit se mãducare, pro eo, quod est credit sibi licere manducare. Recte Augustinus in libr. Expositionis epistolæ ad Roman. inchoatæ, ca. 78. hunc locum explicat. Interpretans enim illa verba, *Alius credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus mãducet*, ait, *Quia illo tempore multi iam infirmi in fide, & scientes secundum sententiam Domini quod non macularent ea, quæ in nos intrant, sed quæ exeunt, indifferenter sumebant cibos salua conscientia; quidam vero infirmiores abstinebant à carnibus, & à vino: vt ne vel scientes inciderent in ea, quæ idolis sacrificabantur. Omnis enim tunc immolatitia caro non in macello venundabatur: & de primitijs vini libabant Gentes simulacris suis, & quædam in ipsis torcularibus sacrificia faciebant. Iubet ergo Apostolus & his, qui salua conscientia talibus vtebantur, non spernere infirmitatem illorum, qui se à talibus cibis, & potu abstinebant: & illis infirmis, ne eos, qui carnibus vescebantur, & vinum bibebant, tanquam pollutos iudicarent. Ad hoc valuit, quod consequenter dixit: Qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.* Hæc ille, alludens, ad verba Apostoli 1. Corinthior. 10. *Omne quod in macello venit, emite.*

Qualis hæc locutio: Credit se manducare omnia.

Qui autem infirmus est, (scilicet in fide) *olus manducet.* Exemplo igitur declarat, quid sit firmus in fide, & quid infirmus. Inter legis enim ceremonias quædam erant de delectu ciborum Leuit. 11. vbi esus interdicitur multorum tam terrestrium, quam volatilium, & aquatilium: tum ob alias causas literales, sed præsertim ob mysteria rerum supernaturalium. Nam vt hoc nomẽ, Stultus, bonum est, & tamen significat malum, siue ratione destitutum: ita creaturæ quædam Dei sunt, & bonæ in se, & repræsentare possunt aliquod malum. Erant autem illæ ceremoniæ ad presentiam vsq; veritatis duraturæ. Et vt egregie docuit Augustin. tria distinguenda sunt tempora. Primum ante Christi passionem, quo illa præcepta vigebant, & obligabant: secundum à passione vsq; ad sufficientem Euangelij promulgationem, & tunc mortua erat, hoc est, vtilitatẽ nullam adferebant: sed non erant mortifera Iudæis ad Euangelium cõuersis, modo in illis spem non ponerent, sed ad tempus permissa, ne Synagoga eodẽ modo quo Gentilitas proscriberetur, sed cum honore sepeliretur. Et de hoc tempore loquitur præsenti loco Paulus, dicens de infirmo in fide, vt olus manducet: tertiũ tempus est post sufficientem promulgationem legis Christi, quando ceremoniæ cœperunt esse mortiferæ, tanquam falsa signa futuræ rei, quæ iam non est futura, sed præterita. Gentes igitur, & Iudæi quidã prouectiores credebant iã cessasse legalia, & licere omnibus vesci: vt ostensum fuit Petro in linteo Act. 10. Et de isto ait, Alius (qui doctior est in fide) credit se manducare omnia; id est licitũ esse omnium ciborum esum citra delectum & per fidem eousq; est progressus. Et pronomen, Se, non est in Græco, sed orationẽ non vitiat. Et manducare õia, Hebraismus est, pro, quæuis, vel quælibet, vel quæcunq; nam quis quæso posset omnia edere? Et ita etiam Grammatici frequenter vsurpant.

Tria legis tempora distinguit Augustin. B. Aug. epist. 9. to. 2. init.

Quo tempore debeat infirmus in fide olus mãducare.

Quis ille, alicui credit se manducare omnia. Act. 16.

Quid manducare omnia, more Scripturæ

Frustra ergo Erasmus contendit corrigere illud, Omnia: nam deberet etiam illud Pauli ad Cor. corrigere: *Omne quod in macello venit manducate*, &, *Omne quod vobis apponitur, manducate.* Nec enim hortatur nos Paulus, vt helluonum more omnia deglutiamus, sed absq; discrimine vtatur quisq; sua necessitate, & indigentia. Immerito etiam reprehendit verbum manducandi, quod est dentibus cibum atterere; quod Græce φαγεῖν & ἐσθίειν dicitur, id est, edere, siue vesci. Verum frequentissime Hieronymus voce manducandi reddit Græca illa verba, & olim manducones dicebantur homines edaces. Et q infirmus est, olus manducet. Id est, qui non arbitratur licere omnibus vti, abstineat ab omnibus, in quibus putat esse conscientiæ periculum. Et præstat legere in Indicatiuo, Manducat, vt legunt Theophylact. & Hieronymus lib. 2. in Iouinian. & in ca. 1. Ecclesiastis, sub initium. Et quia hoc verbum respondet priori de præsenti, Alius credit, & ne videatur Apostolus præcipere infirmo seruare legem: etsi alij imperatiue legant. Et per olus, intellige cibos lege non prohibitos, quia nihil ex fructibus, vel oleribus legitur hominibus interdictum, eo quod sint simplicissima hominis alimenta, etiamsi prima transgressio fuerit facta in ligno. Nec mens est Pauli, probare legales obseruantias, sed veritus ne perfectiores illa minuta negligentes, scandalizarent infirmos, hoc scripsit. Ex quo fit, vt hæc epistola, quo toleret obseruantias legis, prius sit scripta, quam epistola ad Coloss. in qua Christianos solidioris fidei commonefacit, & quam ad Galat. vbi habet: *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos.* ¶ *Is qui manducat, non manducantem non spernat. Et qui non manducat mãducantem non iudicet* Manducantem vocat illum qui cũ securitate conscientiæ quibuslibet vescitur. Talis erat Gentilis: nõ manducãs, & Iudę infirmus in fide, qui non vescit

1. Cor. 10.

Ibid. Immerito eiusmodi versionem ab Erasmo damnari dupliciter.

Manducones qui.

Theophyl. B Hier. paulo ante à med. to. 2. idem to. 2.

Quid olus mãducare.

Gen. 3.

Hanc epistolam Colossensium & Galatarum epistolis quidprobens posteriorem.

Coloss. 2. Gal. 4.

Quis manducans, quis vero non manducans Apostolo.

Firmi in fide cur infirmiores cōtemnerēt.

1.Cor 8. Infirmi in fide cur iudicarent infirmiores.

B. Chrys. ser 25.

quibuslibet. Et forti, ac firmo tribuit spernere; infirmo vero, iudicare: quia proprium est superiorum, & eorum, qui in aliqua re eminent, alios despicere. Gentiles despiciebant Iudæos, qui quasi pueri vellent manere sub elementorum pædagogia: & tales dicuntur infirmiores in cognitione fidei, & eius intelligentia, quæ, vbi non adest charitas, inflat, vt aliæ scientiæ. Contra vero inferiori tribuit iudicare superiores, & fortiores, quod ventri seruirent, vt cibis Gentilum vescerentur in legis despectum. Et iudicare, accipit pro damnare, & sententiam ferre de fratre, certe mortiferum est: discussio autem citra suspicionem, de aliena vita, veniale. Et vt recte expendit Chrysostomus, minime prohibet ne qui manducat, non manducantem non doceat, aut corrigat, sed ne contemnat. Nec in secundo genere vetat infirmo, quo minus conuenire illum liceat, qui dare videtur scandalum, & interrogare cur ita faciat; sed ne inaudita causa, temere de opere, quod eum latet, qua mente, & ratione fiat, sententiā ferat. ¶ Interpretantur quidam hæc alio modo: vt infirmus sit, qui cum carne luctatur, & abstinet, vt illam vincat, non damnat alios perfectiores, qui illa medicina non indigēt. Et perfecti non contemnant eos, qui ita abstinent ob necessitatem animæ, si non contēnimus abstinentem ob necessitatem corporis ex præscripto medici.

Aliis quibusdam quis videtur infirmus, q̃s firmus, secundum Apostolum.

Ex his Apostoli verbis, & ex c.4. prioris ad Timotheum, hæretici ciborum, & dierum festorum delectum, quasi obseruantiā Iudaicam damnāt: non intelligentes se agere causam illorum, de quibus paulus: Quorum Deus venter est: vbi helluonem Cherintum designauit, & eius asseclam Iouinianum, quem Christianorum Epicurum appellat Hieronymus. Illos vero secuti sunt Vualdenses, Hussitæ, & Lutherani. ¶ Pro quorum sententia euertenda perpende triplicem esse ciborū delectum. Primum eorū qui cibos dicebant sua natura immundos: quod senserunt Taciani, & Priscillianistæ, & Manichæi, qui Dei creaturas infamabāt. Contra quod, illud est inuictissimum telū: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, & illud Apostoli; *Omnis creatura Dei bona est. & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Alter delectus erat Mosaicus, omnino distinctus à nostro, quo illi nō omnes carnes omnino abijciebāt, neq; certis temporibus, sed vice versa certas perpetuo tempore, vt non ruminantes, vel non findentes vngulam animantes. Deinde illis certi pisces prohibiti, nobis nulli: & prohibita multa ob immunditiam corpoream, vt

Ad 3. dub. De Ecclesiastico ciborum delectu, an doctrinæ repognet Apostolicę.

1. Tim. 4. Philip. 3. B. Hier. lib. 1. aduersus Iouin. tract. to. 2. in princip.

Triplex ciborum delectus.

I. hæreticorum. Gen. 1.

II. legalis, ac tertius Euangelicus

Leuit. 11. Deut. 14.

cauerent ab idololatria, & potissimum in signum futurorum. Nos contra non in perpetuum (nisi quis se voto ad id addixerit,) sed statis temporibus à carnalibus abstinemus, & semper de omnib. piscib. edere possumus. Nec abstinemus ob ceremoniam legis, sed vt delictorum debita fructibus cōgruit compensemus: & vt corpus seruiat spiritui; & vt liberius animum sinat spiritualium contemplationi vacare, & vt crucem post Christum nostrum baiulemus. Quam obrem necessario est insitus delectus Ecclesiasticus, qui cōfirmatur præcepto abstinendi in paradiso, & exemplo Ioan. Baptistę, & abstinentia legislatoris nostri Christi. Et quamquam in piscibus, & fructib. sint, qui ad horam feruorem libidinis magis excitēt carnes tamen ex suo genere sunt solidioris alimenti, & per illas accrescit robur carni ad debellandum spiritum. ¶ Quod vero dicitur: *Non quod intrat in eos coinquinat hominē* intellige immunditiam, quæ ab immundis manibus, vel vasibus accipitur (vt Pharisæi crassissime & stultissime putabant) hominem non coinquinabāt. Alias si nihil, quod intrat in os, coinquinat hominem, profecto nec vinū vsq; ad ebrietatem sumptum, neq; cibus vsq; ad vomitum, nec venenum haustum coinquinaret. Reiecto ergo delectu ciborū, quem in vniuersum Manichæi tollebant, & illo Iudæorum Mosaico, & illo Pharisæorum, & Sadducæorū, quem reprehendit Dominus Mat. 15. superest ergo sanctus, & vtilis delectus Ecclesiasticus, qui iustissimis de causis in Ecclesia colitur, ac retinetur, & in quem leuissima sunt, ac nullius prorsus ponderis argumēta hæreticorū. Et hic locus Pauli nihil facit contra delectum Ecclesiasticum. ¶ *Deus enim illum assumpsit.* Præcepta proposita rationib. cōmunit. Et sensus est, Deus illū firmiorem, & perfectiorem Gentilem assumpsit, & inseuit in oliuā bonam, & in radicem non legis, sed Patriarcharum, & fidelis Abrahæ: ideo iniuriam Deo irrogat, qui illū iudicat, vel dānat. Vel sermo est de infirmo, de quo à principio dixerat: *Infirmum in fide assumite.* Et eundem refert relatiuū, illum post longū Hyperbaton interiectū, vt moris est Apostolo, vt ratio, propter quam sit à nobis assumendus; intelligatur: quia Deus illum assumpsit ad gratiā suam ei cōmunicandam, & non ad iudicandum, vt recte ait Ambrosius. Qui sensus bonus est, alias prioris dicti, ne firmus videlicet infirmum spernat, nullā redderet rationem. Adhæc Deus non assumpsit homines ad iudiciū, sicut assumpsit naturā humanam ad sanandum: nec dixisset: Deus assumpsit, sed, Deus illi iudex est. Et ita tam Haymo,

Ecclesiastici delectus causæ scitē di quam graues. Gen. 2. Mat. 3. Infra 4.

Verbum Christi: Non quod intrat in os coinquinat hominem, cuius sit intelligentiæ. Mat 15.

Deus quomodo assūpserit firmum in fide. Rom. 11.

Paulus frequentibus gaudet hyperbatis.

B. Ambr. Humanā cur Deus naturam assumpserit.

Haymo Episc.

quam

D. Chryf. predict. ser.

quam Chrysostomus de assumptione per gratiam intelligunt præsentem locum. ¶ *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Secunda est ratio, ne infirmus firmum iudicet. Iudicare alterum, est actus iurisdictionis, illi tantum competens, qui dominus est, & ius habet cognoscendi caussas, & merita subditorum. Nemo autem tali fungitur potestate in alios, sed solus DEVS; nemini ergo licet fratrem suum iudicare. Et quia illæ præcedentes propositiones naturali lumine notæ sunt, illis tacitis, breuissima est vsus obiurgatione, vt ostendat, illos mittere falcem in messem alienam; qui diuinum vsurpant officium. Potest quidem frater fratrem corripere, sed non vt superior, neque de occultis Deo soli notis. Neque putandum est, Paulum omne humanum iudicium condemnare, cum superius dixerit: *Non est enim potestas nisi à Deo,* & Salomon, *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Tradit enim hāc potestatem certis limitibus circumscriptam, vt penes publicos magistratus esset iudicium cogens ad coercendos malefactores legitimis testib. parentes: at scrutari renes, & corda, ex quibus indubitatum sumitur iudicium, sibi soli reseruauit. Et quemadmodum prætor autoritatem violat sibi à principe indultam si eam supergreditur: ita nos delinquimus, dum temere indicamus fratrem, cuius cor nobis est ignotum. ¶ *Domino suo stat & cadit.* Confirmatio est proximæ rationis. Ex eo enim nefas est alienum seruum iudicare, quia quicunq; sub cura alterius domino suo stat, si probe agat, in emolumentum, & honorem domini cedit: si autem cadit, id est, improbe ait, in dedecus eius, & incommodum. Quare illi incumbit, velut de re sua iudicium. Et licet Deus operibus nostris non indigeat, & scriptum sit: *Si peccaueris, quid ei nocebis? Et si multiplicata fuerint, iniquitates tua, quid facies contra eum? Porro si iuste egeris, quid donabis ei aut quid de manu tua accipiet?* Deus tamen glorificatur ab hominibus per opera nostra bona, blasphematur per mala. Et sunt multi, qui se putant stare, & alios cadere; vt Pharisæus de se & Publicano existimabat cum secussesset. Hęc ratio loquendi non fuit ignota Ciceroni in Oratore ad Brutum: *Habes*, inquit, *meum Brute, de oratore iudicium. quod aut sequere, si probaueris, aut tuo stabis si aliud quoddam est tuum,* Et ouidius li. 1. Fastorum.

Ad quem spectet alterum iudicandi prouincia.

Falcem in messem alienam qui mittant.

Alienum Apostolus, vt vetet iudicium.

Rom. 13.

Prou. 8.

Dei proprium solius quid.

Psal. 7.

Quare nō liceat indicare alienū seruum.

Deo bona opera nostra quid prosint, mala quid obsint

Iob. 35.

Mat. 5.

Rom. 2.

Luc. 18.

Cicero.

Ouid.

Da mihi te placidū, dederis in carmina vires:
Ingenium vultu statq́, cadítq́, tuo.

Et subdit: *Stabit autem*, siue stabilietur: ne videatur concedere peccatum in ea libertate manducandi. Et hinc educitur illa sana, & Christiana regula, Dubia omnia in meliorem partem esse interpretanda. Iudicium igitur temerariū inhibet de occultis: quod potissimum duabus causis incurritur aut quia incertum est, quo animo quis quid dixerit, vel fecerit; deinde, quia qualis futurus aliquando sit, qui modo malus apparet, iudicare non possumus. Priorem rationem attigit superius, hanc posteriorem hic subdit. Et ne quisquam putaret, illum suis viribus stare debere; subiungit; *Potens est enim Deus illum statuere*, siue stabilire, vt legit Cyprianus ad Nouatianum hæreticum: hoc est, Fauore Dei, & ope stabilietur Et bene argumentatur à potestate ad effectum: quia quod potest facere, si ad misericordiam spectat, & ex parte nostra non ponitur obex, profecto non perficit. Vnde superius dixit: *Sed, & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens enim est Deus iterum inserere illos.* Atque in hoc differt dominium Dei ab illo hominum, in quorum voluntate nō est emundare peccata famulorum suorum, sicut in voluntate Dei est sua gratia nos corrigere, vt stare possimus, & bene agere. Sub dit: *Nam alius iudicat diem inter diem, alius autem iudicat omnem diem.* Iuxta Ambrosium, & Oecumenium videtur Apostolus perseuerare in delectu ciborum. Nam erāt in Lege certis diebus præscripta ieiunia, q̄ pusilli seruabant, distinguentes inter dies ieiunij ab alijs, quib. non erat ieiunandū; alij perfectiores in fide omnem diem licitum existimabant ad abstinendū pro sua necessitate. Etsi Theophylactus asserat, quod non abstinerent à sulla carne perpetuo, certis tamen diebus abstinebant. ¶ Sensus tamen alius, & melior reddi potest pro his verbis Apostoli. Nam peracto sermone de ieiunio & abstinentia carnium, transit ad aliam ceremoniam legis, nempe de dierum festorū obseruatione. Erant enim in Lege dies quidam festi, & cæteris sanctiores, in quibus erat feriandū, vt Sabbatum, Pascha, Neomenia, Enconia, Scenopegia, & similia. Et vt de cibis dixit, quod alius credit se manducare omnia; infirmus vero olus manducat: ita de diebus festis ait, *Alius iudicat diem inter diem; alius autem iudicat omnem diem.* Et primū est, distinguere inter dies, & vnum altero constituere sanctiorē; alius vero nihil discernit, sed omnem diem æque sanctum putat, & hic est fortior in fide.

Salubris illa vnde sit, dubia in melius accipienda doctrina desumpta. Temerarij iudicij caussæ potissimum duæ.

B. Cypr.

Quale hominum sit, & quale dominium Dei.

Primos sensus huius dicti: Nam alius iudicat diem inter diem alius autē omnem diem.

B. Ambr.

Oec. c. 18.

Theophyl.

Alter sēsus congruentior.

Dies festi Iudæorum præcipui, & omni cultu venerabiles, qui

Eodem modo distinxit Apostolus ad Coloss. 2. cum dixit: *Nemo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi.* Et quamquam Græce idem verbum sit κρίνω de quo supra dixerat: Is, qui non manducat, manducantem non iudicet: &c, Tu quis es, qui

Coloss. 2.

iudicas alienum seruum? hoc tamen loco interpres aptius poterat vertere, discernere, quia vtrumque verbum Græcum significat. Et Hieronymus libr. secundo in Iouinianum: *Alius*, inquit, *iudicat diem plus, quam diem, id est plus quam alium diem, vt maiori honore colat: & hic est infirmus in fide. Alius tamen iudicat omnes dies, id est, pleraq; de omnibus diebus censet.* Noui vero interpretes ita vertũt: *Alius enim iudicat diem præ die*: & ita accipi solet illud: *Præ* vt Hebræorum 1. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* Et capit. 3. *Amplioris gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus.* Et ita dixit Comicus.

D. Hier. l. 2.

Illa recentiorum interpretatio Alius iudicat diem præ die, quam probabilis.

Heb. 1.

Infra 3.

Cum te post putasse omnes res præ parente intelligo.

Terent. in Hecy. Act. 3. Sce. 5.

Et hoc significat Græca præpositio παρὰ & verbum etiam iudicandi, quod sine vnius rei ad alteram collatione, vel æstimatione non fit. Et Augustinus in hanc epistolam: Alius quidem, inquit, iudicat alternos dies: quam interpretationẽ secutus est Budæus. Et quemadmodum superius Iudaicum ciborum delectum, non Ecclesiasticum, improbauit, qui vix introductus erat: ita hoc loco de festis per Legem constitutis est sermo, non autem de festis præscriptis consuetudine populi Christiani, aut traditione maiorum. Quare Melãchthon, & Bucerus, qui hinc argumenta sumunt, ad Ecclesiasticas sanctiones de cibis, & diebus festis demoliendas, in ventum pugnant.

B. Aug. propos. 70. to. 3. in fin.

Budæus.

Melanchthonis ac Buceri in hunc locũ sensus reiicitur.

Quod vero ad Gal. 4. dixit, *Dies obseruatis, & menses & tempora & annos. Timeo vos,* &c. Dicendum est in alio errore fuisse Galatas, in alio vero istos: siquidem Galatæ se iustos effici putabant apud Deum, per obseruationem legis Mosaicæ, adscribentes legi, quod præcipuum erat Christi beneficiũ. Romani vero non ita, sed cum per fidem se iustos agnoscerent, existimabant tamen legem Moysi retinendam, & obseruandam, ita in ceremonialibus, sicut in moralib. Prętetea Galatis res hæc satis erat expressa, & prædicata, & declarata, non autem Romanis: qui etsi ad tempus tolerati sint in eiusmodi, Gentibus tamen intolerabile hoc erat, cum iam Concilio Apostolorum definitum esset Actor. 15. ne Gentes has Iudaicas leges seruarẽt. Sed quia res nondũ erat plene decisa, ac definita; subiungit: *Vnusquisque in suo sensu abundet.* Quæ Græce ita habẽtur: Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. id est, in suo sensu, hoc est, mente, & iudicio. Nec est sensus, liberum esse vnicuiq; statuere circa hoc, quod velit pro arbitratu suo, sensui proprio inhærendo in his, quæ non sunt fidei: Nam hæc certe sunt dura, & ad

Qualem Galatæ qualem vero Romani obseruantiam legis Mosaicæ falso tuerentur.

Aliud discrimen.

Act. 15.

Ad VI. dub.

De sensu huius sententiæ Pauli: Vnusquisque in suo sensu abundet.

confirmationem sunt falsitatis, & ad contentionem fomenta, & scriptum est: *Consilium à sapiente perquire*; & Iterum. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et abundare in suo sensu, est hominis pertinacis, & sua proterue tuentis. Et quæstio in re proposita de pertinentibus erat ad Euangelicam veritatem. Et vt egregie hoc loco tum Chrysostomus tum Theophylactus annotant, nonnisi de rebus per se in differentibus, quas ob antiquam consuetudinem infirmi in fide putabãt esse seruandas, sermo erat. At si de dogmatibus sermonem haberet, nequaquam esse dicendum, sicut hæretici dicunt: Vnusquisque in suo sensu abundet, sed Vnusquisque suum sensum in obsequium fidei captiuet. Alij vero interpretantur, quod quilibet in suo sensu debet abũdare, vt id, quod credit, in DEI gloriam ordinet, & proximi ædificationem, ne per contentionem charitas soluatur, vt dicitur 1. Corint. 14. Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituũ, ad ædificationem Ecclesiæ quærite, vt abundetis. Sed profecto hoc loco Apostolus verbo περισσεύειν, est vsus, hoc est excellere, siue vt dixit Interpres, abundare, non autem verbo πληροφορεῖν. Et ille quidem vtilis est sensus, sed minus ad rem propositam. ¶ Tantũ ergo vult Apostolus, infirmitatem eorum à perfectioribus tolerari, donec ad meliora proficiant. Et ideo sensus est, Confidat, & satisfaciat suæ menti, siue fruatur iudicio mentis suæ & permittatur agere, persuasum omnino habens id, quod inceptat; vel licere, vel decere, ne nimio zelo, & contentionis studio, velit custodire positionem ad victoriam, & propriæ conscientiæ contrauenniat, sitque certus se simpliciter ambulare, & nihil agat reclamante conscientia. Cui si aliquando patuerit veritas, sit paratus de sẽtentia decedere, & oblatam amplecti veritatem estq; elegans, & pulcherrimus Apostoli sensus, quem vtinam omnes amplecterẽtur, quia multæ cessarent opinionum turbę, & contentiones, vbi iam non pro conscientia, sed pro victoria plerumque decertatur, & pro studio inanis gloriæ. Et hæc in præsenti sint dicta disputatione.

I. Interpretatio hæreticorum damnabilis.

Tob. 4.

Qui proprie abundent in sensu suo.

B. Chrys. supr. product.

Theophyl.

2. Cor. 16.

II. interpretatio parũ idonea.

III. Apostolicis verbis congruentissima.

Eius contemptores incommodis subiacent quib.



DISPVTATIO VIII.

In illa verba: *Qui ſapit diem, Domino ſapit: & qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui nõ manducat, & gratias agit Deo. Nemo enim noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur. Domino morimur. Siue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus*, & reliqua.

I.dub.

IN his verbis idem eſt ſcopus Apoſtoli, atq; in præcedentibus; ideo nõ eſt, quod in ſcopo declarãdo plus immoremur. Poſſet tamen dubitari, de illa conſtructione tam frequenti, qua vtitur Apoſtolus: *Domino ſapit, Domino manducat*, &c. Item quomodo vocetur Domino mortuorum, & viuorum, cum Chriſtus dixerit: *Non eſt Deus mortuorum ſed viuentium.* Deinde ambigi poſſet, quid eſt non ponere offendiculum, vel ſcandalum proximo. Tertio, quomodo regnum Dei non ſit eſca, & potus; cum hæc hæreticis mirifice deſeruire videantur vt tollant ieiunia, & ciborum delectum: & regnum DEI ſitum ſit in iuſtitia, pace, & gaudio Spiritus ſancti. Quæ, etſi magis non ſint perplexa obſcuritatibus, æquum tamen eſt, vt explicentur, & lumen aliquod interpretationis accipiant. ¶ Et in primis illud eſt ſtatuendum, verba omnia, præter caſum, quem ſuapte natura regunt, qui varius eſt, poſſe regere ſemper dandi caſum; ad deſignandum, vel emolumentum; vel honorem, vel è contrario dedecus, & detrimentum eius, qui per dandi caſum denotatur. Et hoc commune eſt omnibus linguis, & non minus familiare Hebræis, & Græcis quam Latinis. Dicimus enim, Mihi non eſt domi, id eſt, ad vtilitatem meam: &, Mihi non aſſurgis, hoc eſt, honorem non defers. Dicitur & Rex veniſſe populo, hoc eſt, ad commoditatem, & vtilitatem populi. Dicuntur, & inuitati veniſſe Regi ad nuptias, id eſt, ad honorem, & decus Regis illuſtrandum. Hanc rationem loquendi ſequitur Apoſtolus hoc loco octies, dicendo in primis, *Qui ſapit diem, Domino ſapit*: & in Græcis ſubiungitur: *Qui non ſapit. Domino non ſapit*: nam ita legit Theophylactus: & antitheta, quæ ſequuntur, probant hanc lectionem. Et rurſus: *Qui manducat, Domino manducat: & qui non manducat, Domino non manducat: quiuiſ enim gratias agit Deo.* Et manducare, nihil eſt aliud, quam putare libere licere ſumere quemcunq; cibum etiã à lege antiqua vetitum. Vt ſenſus ſit: Qui probat diem, id eſt, obſeruãtiam dierum, Domino ſapit, id eſt, propter Dominum obſeruat, putans in hæc ſe obſequium præſtare Deo. Et ſimiliter. *Qui non ſapit diem, Domino non ſapit; confidens quod Deus nolit huiuſmodi diſtinctiones.* Et ſimiliter accidit in manducãtib. quia quiſq; id agebat, cum gratias Deo ageret: quod autem fit cum gratiarum actione, cum ſanctitate, & honeſtate eſt coniunctum.

Mat. 22. II.

III.

Ad I. dub.

Theophyl.

Quid ſapere, vel non ſapere diẽ Apoſtolo.

Et ſubdit: *Nemo enim ſibi viuit, & nemo ſibi moritur.* Probauit ab actione ſeruandi diẽ aut non ſeruandi, aut manducandi, aut non manducandi, quomodo quiſque Domino ſuo ſtet, aut cadat, & ob id temere à proximo ſuo ſit iudicandus: idem modo probat ex humana intentione, à qua prodeunt actiones. Viuere enim quemquam vitam alteri, eſt vitam alteri tota intentione referre tanquam in eius obſequium, & gloriam propter quem viuit. Et ita mori quenquam alicui, eſt eius mortẽ in Domini lucrum, vel iacturam cedere: quemadmodum mancipium, vel iumentum propria natura redemptum. Ad eum modum nos Chriſtiani redempti à Chriſto non nobis viuimus, id eſt, non propter commodũ, vel gloriam noſtram viuere debemus: quia eſſet frui ſeipſo. Et ſi de actu, & non tantum de debito loquitur, ſermo eſt ſolum de iuſtis; qualis erat Paulus: ideo in prima perſona loquitur. Nam hi totã vitam ſuam Chriſto conſecrant, & nõ tam ipſi viuunt, quam Chriſtus in eis. Si autem ſit ſermo de omnibus Chriſtianis, idem eſt, Non nobis viuimus, quod, Non debemus nobis ipſis viuere, & proprię voluntati obſecundare. Et ita interpretantur illud: *Cui minus dimittitur minus diligit*; id eſt, minus debet diligere. Et cum ait: Nemo noſtrum ſibi viuit, nec ad actum, nec ad debitum noſtrum, ſed ad ius, quod habet Deus in nos, aſpexit: nam ex illo debitum noſtrum emanat. Perinde ac ſi diceret, Vita noſtra non eſt noſtra, ſed Domini, cui proprium eſt iudicare & opera, & intentiones; & cur ſi ſteterint, vel ceciderint, non ſint ab hominibus iudicandi, ſed à Domino. ¶ Quod vero dicitur, neminem ſibi mori, ſed Domino: hoc Theophylactus refert ad mortem Domini ſpiritualem: vt idem ſit Domino viuere, & mori, quod illi ſtare, aut cadere. Alij vero applicant ad mortem, quæ fit per gratiam Baptiſmi, vbi Domino mancipamur. Planius tamen ad vitam, & mortem temporalem refertur: tum quia ſubdit: In hoc enim CHRISTVS mortuus eſt, & reſurrexit; tum quia cum Deus nos condiderit, & redemerit, vt diuinitatis ſuæ gloriam

Viuat quis alteri, eidẽ & moriatur.

Quod dicitur Nemo noſtrum ſibi viuit, ſed Domino, id eſt, Chriſto, quomodo iuſt., & perfectis, quomodo imperfectis conueniat.

Luc. 7.

Illud. Nemo noſtrũ ſibi, ſed Domino moritur, habet triplicem ſenſum.

Theophyl.

Quis illorum magis ad rem.

In nos effundat, fit vt cū quis in iniquitate sua moritur, non solum sibi, sed Deo quoq; iacturam faciat tam naturalis vitæ, quā eius quæ est supra naturam, quam Deus eo fine illi donauerat.

Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur. Colligit ex superius dictis, nos vsque adeo Dei creaturas, vt non solum viuentes (sicut serui ciuiles dominorum, qui per mortem à seruitute liberantur) verum & mortui etiam Domini simus, siue miseri supplicijs inferni deputemur, siue felices conspectu Domini fruamur. Et assignat causam, quod, *In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur.* Estq; ratio cur tam viui, quam mortui Domini simus. ¶ Occurrit autem dubium Origenis hoc loco: Nunquid num Deus, etiamsi Christus nō induisset carnem, non esset Deus viuorū, & mortuorum? Et respondet, Deum omnib. creaturis dominari creationis iure, sicut omnipotens quia omnia condidit: at quantum ad dominium spirituale, quod est per gratiā non solum Deus, sed etiam Filius Dei, quatenus homo est, dominium habet regni cælestis, & iudex factus est viuorum, & mortuorum: ad quem ob id spectat, & viuentib. gratiam dispēsare, & in alio seculo mortuos vel in infernum detrudere, vel beatitudine donare. Quia enim se humiliauit, datum est illi nomen super omne nomen, cui omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

An Filius Dei nisi incarnatus fuisset, esset Deus viuorū mortuorum.
Orig. to.2.
Duplex dominium Christi, eiusque ius.
Act.10.
Philip. 2.

Alterum dubium est: quia Dominus Mat.22. dixit: *Non est Deus mortuorum, sed viuentium.* Respondeo, Dominum esse illorū qui perfecta morte non sui essent, vt ipsi putabant: nimirum, quod anima esset omnino extincta, sicut corpus, nec corpus erat sine spe vnionis. Et quanquam Deus peculiariter dominetur mortuis in Domino, vt habes Apoc.14. omnibus tamen mortuis dominatur, vt punire, vel remunerare possit.

Quomodo Christus viuorū, & mortuorum dominetur: si non est Deus mortuorum, sed viuentium.
Apoc.14.

Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Indignum enim est, vt cum eiusdem patris liberi sitis, parenti iudicium adimatis. Aut certe tu firmior fratrem tuum spernis? nam frater æqualitatis nomen est, & eorum, qui pari sunt dignitate in conspectu Dei, quorum nemo debet alios spernere, quādoquidem omnes stabimus ante tribunal Christi, qui & spernet eos, qui spernebant fratres suos, & iudicabit eos; qui iudicabant fratres. ¶ Nec hoc quod ait; *Omnes stabimus*, repugnat Prophetæ dicenti: Non resurgent impij in iudicio, nec Christi verbo: Sedebitis & vos super sedes duodecim. Sed certe, quod attinet ad discussionem, impij & infideles, qui nunquam in Ecclesia Christi fuerunt, non iudicabuntur, quia iam iudicati sunt: nec Apostoli, quorum clarissima merita discussione non indigent, sed assidebunt iudici. At quātum attinet ad audiendam sententiam præmij, vel supplicij, stabunt vniuersi ante Christi tribunal, non secus atq; in humana iudicio rei stantes sententiam audiunt.

Frater noster cur minime iudicandus sit, aut spernendus.
2.Cor.5.
Si omnes stabimus ante tribunal Christi quid illud:
Non resurgunt impij in iudicio, & vbi duodecim Apostolorum sedes iudicantium?
Psal. 1.
Mat 19.
Rom 3.

¶ *Scriptum est enim, viuo ego dicit Dom. quoniā mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Probat Apostolus hanc rem, nō quod sit dubia, sed vt nos intenti in iudicium illud, cui omnes sistemur iudicandi, hic interim abstineamus à priuatis iudicijs, præsertim in rebus indifferentibus, quæ, & bono, & malo animo fieri possunt. Et Esaias, capite 45. ait: *In memetipso iuraui,* pro quo Apostolus dixit, *Viuo ego, dicit Dominus, qui sum summa veritas:* quæ etsi opus non habeat iuramento, vt credatur, adhibet tamen in rebus, quas nostra maxime refert nosse, ad maiorem firmitatis commendationem. Et quod Esaias dixit. Et iurabit omnis lingua, Apostolus dixit, confitebitur Deo, nimirum ipsi Christo, quia iuramentum est species confessionis diuinæ, & sub religione comprehenditur. Et cur prohibetur ab hæreticis iuramētum, cum propheta sit, quod per illud confitemur ipsi Deo? Nam etsi Pater loquatur in eo loco dicens; *Egredietur de ore meo iustitia verbum.* (id est, Christus iustitia nostra) *& non reuertetur* (id est, nō redibit retrorsum absq; fructu) *quia mihi curuabitur omne genu:* idem tamen erit ante tribunal Christi; quia si se curuabunt ante Christum, etiam ante Patrem se curuabunt. Nam tunc clarificabitur à Patre in cœlis Christus, sicut ipse clarificauit Patrem in terris. Et vnusquisq; priuatus ante illud tribunal de se rationem reddet: at Prælati & de se, & de alijs, qui illorum regimini subijciuntur.

Esa.45.
Eiusmodi veritatem Apostolus tam certā, ac manifestam Scripturis quæ te confirmet, ac roboret.
Deus quādo cum iuramento loquatur.
Contra hæreticos iuramentum vetantes, atque damnantes.
Ierem. 23.
Iustitiæ verbum Christus de ore Patris egrediens.
Ioan.17.

Non ergo amplius inuicem iudicemus, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Post damnatum temerarium iudicium in vtrisque, & contemptum, nunc contra scandalum accusationem instruit; quod non modo peccatum est, vt superiora, sed & causa peccati in proximum, & pugnans cum charitate, quam toto hoc Capite constabilire voluit. Et recte connectitur cum superioribus: Sed hoc iudicate magis; hoc est, Rectum censete, & probate, seu constituite, non esse ponendum offendiculum, aut scandalum. Est autem offendiculum, illud, quo aliquis in via detinetur, ne vltra progredi valeat; & scandalum, quo offendentes sæpe cadunt. Etsi enim Latine

Ad II. dub.
De fratris offendiculo.
Scandalū proximi dupliciter malum.
Quid sit offendiculum, quid scandalum.

offen-

Hier. super Ca. 15. Mat. to. 9. Scãdalum Hieron. cur definiat esse dictum, vel factum minus rectũ. *1. Cor. 8.*

offendiculum idem sit, quod Græci σκάνδαλον, hæc tamen vocum geminatio aliquam facit orationis auxesim. Est autem scandalum, teste Hieronymo, dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ Sola enim cogitatione nemo potest alteri esse in scandalum. Dicitur autem minus rectum, id, cui deest aliquid, quod ei conueniat: quod, vel peccatum per se est, vel speciem mali habet, vt recumbere in idolo quod est Pauli exemplum, ex quo suspicio oriri potest, quod facit adorationis gratia; vel cum quis secreto cum fęmina loquitur.

Scãdalum per se seu scandalum actiuum.

¶ Datur autẽ directe scandalum; cum quid eo animo fit, vt alium seducamus, aut inductione, & exemplo ad malum trahamus: Et hoc est peculiare peccatum, in propria per se specie scandali constitutum: & virtuti correctionis fraternæ, qua spirituale bonum fratris promouemus, omnino contrarium.

Scãdalum per accidens quod nam illud.

Alio modo contingit scandalum per accidens dari, cum quis vel peccato, vel eo, quod illius figuram gerit, absque malo animo fratrem offendendi, aliquid facit, vnde frater scandalizatur; & hoc est scandalum per accidens. Et quia nemo cõpellitur ad peccandum, sed libere, & voluntarie peccat; ideo Hieronymus dixit, scandalum præbere occasionem, non causam ruinæ, siue peccati.

Quale scãdalum Pharisæorum.

Quare cum dictum, vel factum nec peccatum est, nec eius gerit similitudinem, nullam rationem habet scandali dati: potest tamen, quis ex factis alterius scandalum accipere, & hoc vocatur scandalum Pharisæorum.

Scãdalum quibus nullum detur, vel accipiatur, aut certe leuissimum. *B. Th. lect. 3. in c. 2. ad Gal. in fine. D. Aug. epist. 9. & 3. in prin. Gal 2.*

Perfecti autem neque aliorum factis scandalizantur, nec alijs præbẽt materiam offensionis, saltem mortiferæ: nam venialia non repugnant perfectioni: ideo possunt dare, & accipere veniale Sancti. Et Beatus Thomas concedit cum Augustino, Petrum, cum se subtraheret à conuictu Gentilium, peccasse venialiter; negat tamen vllum dedisse scandalum, scilicet lethale.

Scio & confido in Domino Iesu, quod nihil cõmune per ipsum Proposito præcepto proponit rationẽ scandali, quod accidere posset in præsenti materia: quia enim firmos in fide reprehensibiles ostenderat, quod despicerent paruulos, poterant suspicari ipsum in eadem esse cum infirmis opinione: & hanc suspicionis notam à se depellit, Et quod ait: Scio, & confido, idem est, quod Scio, & certo certius habeo, vt confidenter dicere possim in Domino Iesu, quia ab eo certior factus sum, qui fallere nescit, & in eius testimonio, qui nos per Euangelij libertatem ab onere legis liberauit.

Infra 4. Communes qui cibi: quid.

¶ *Quod nihil commune est per ipsum.* Cõmunes appellat cibos, quos Iudæi immundos: qua voce vsus fuit Petrus Act. 10. de quo dictum: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Et commune dicitur id; quod in vsu erat omnibus mortalibus, præterquam Iudæis. Et forte erat allusio ad vasa, ait Origenes, quæ Diuino cultui consecrata, non amplius profana, aut communia, sed sacra vocabantur. Hinc illa differentia ciborum mundorum; ab immundis, & dierum festorum à profestis.

rursus commune dicatur. *Act 10. Ibidem. Orig. to. 2. Leuit 11.*

Quare nihil cõmune per ipsum, scilicet, Christum. Hæc lectio Nihil est commune per seipsũ quid significet. *1. Tim. 4.*

¶ Et quod ait: Per ipsum, intellige, Iesum; qui mundauit omnia, siue purificauit. Et hoc si leniter legamus δι᾽ αὐτοῦ: si autem cũ apice aspirato dicamus δι᾽ αὑτοῦ, verti debet, Per se, vel, per seipsum: id est suapte natura nihil est immundum, quoniam omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Et huic sensui magis, quam priori quadrat, quod sequitur: *Nisi ei, qui existimat, quid commune esse illi commune est.* Hoc est, Per se quidem, & suapte natura nihil est commune, sed existimatione fit commune: quia error conscientię facit legem ligantẽ. Quod enim quis putat esse contra Deum, & tamen facit, peccat, quia quod ex se est, paratum se ostendit facere contra Deum.

Quod errans conscientia vim habeat obligandi probatur, & quatenus.

Ex quo loco elicimus, ac discimus, conscientiam erroneam obligare, non quidem ad faciendum secundum eam, sed ad non agendum contra eam. Huius ratio est: quia voluntas humana non fertur in aliquod incognitum, nisi prius sit ratione apprehensum: ac in illud non fertur, nisi sub ea ratione, qua apprehẽsũ est, à quo obiecto actio speciem sortitur. Vnde si quid ratione apprehensum est tanquam illicitum, tametsi ratio sic apprehendens fallatur, voluntas, quæ in illud fertur, in malum fertur, & malum velle conuincitur.

Exempla.

Vnde qui rem accepit suam, putans esse alienam, furtum verum committit: & qui feram sagitta configeret, hominem esse existimans, homicidiũ perpetrat. Et qui opus suum mortalem labem habere putat, & facit, mortaliter delinquit: & qui venialem, venialiter: nisi quis scire teneatur tale opus esse mortale, & suá ignorantiam vincere possit, vt aiunt.

Vbi illud locum non habeat.

Nam qui sic ratus simplicem fornicationem peccatum esse veniale, & fornicetur, proculdubio lethaliter delinquet. Hinc accipimus, facere contra conscientiam, non esse speciale peccatum, sed reduci ad eandem speciẽ, ac si fięret ex scientia: quemadmodum è contrario, ea quæ sunt genere suo mala, per excusantem ignorantiam in ea sunt virtutis specie, ac si à sciente fierent: vt accessus Iacob ad Liam, virtus fuit coniugalis, non peccatum. Contra vero illa erroris

Gen. 29.

conſcientia, quæ poſt factum ſubſequitur, non obligat: vt ſi, poſtquam quis telum iactauit in feram, arbitretur fuiſſe hominem, actio illa præterita non propterea fit peccatum. Et vice verſa, dum quis, id quod eſt mortiferum, neceſſarium eſſe cenſet ad ſalutem, talis conſciẽtia etiam obligat: vt qui putaret (ſi talis exiſtimatio poſſit cadere in aliquem) præceptum eſſe Dei, occidere puerum modo baptizatum, quem certo credit, poſtquam venetit ad ætatem adultam, deceſſurum in peccato mortiferò, niſi durante illa conſcientia occideret, peccatũ illi eſſet. Nam cum Diuina præcepta, per cõſcientiam noſtram applicentur ad vſum, id quod arbitratur eſſe præceptum, fit nobis obligatorium. Nec inde ſimpliciter ſequitur vlla perplexitas, ſi poteſt abijcere errorem conſcientiæ.

Dicti illius Apoſtolici: Scio & confido, &c. q nihil eſt cõmune per ipſum, vere ticorum ſenſus reijcitur. Scopus Apoſtoli. Deinde obſerua, Apoſtolum non docere, Chriſtum inſtituiſſe, vt fidelis quiſque in rebus indifferentibus, quas nec Lex Naturæ, nec Charitatis præſcribit, neceſſariam facultatem habeat libera conſcientia vtendi, vel non vtendi, pro ſuo arbitratu extra cauſſam ſcandali, vt hinc hæretici eruere conantur: ſed tantum docet per Chriſtum ſublatam neceſſitatem ſeruandi Legis ceremonias, & iudicia, ac per hoc donatam credentibus libertatem, vt extra cauſam ſcandali, libera conſcientia negligant differentiam dierum, vel ciborum perſcriptam in Lege Moſis. Quod ex eo liquere poteſt, q loquitur de cibis communibus Legis, qui non erant communes ex ſeipſis, ſed ob ſignificationem. Leuit.11. Deut.14. ¶ *Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur iam non ſecundum charitatem ambulas.* Propoſito præcepto de vitando ſcãdalo, corroborat illud nonnullis rationibus, nimirum ab officio, quod ex charitate debemus proximo; & ab reuerentia, quam ob religionem debemus Chriſto; & à cura, quam debemus habere publici boni; & ab obligatione, qua tenemur ſeruare pacem.

Fideles Iudæi atque Gentiles quare ſe mutuo offenderent ac ſcandalizarent. Leuit.11. Deut.14. Pro quare melius accipienda perpende, conuerſos ex Iudæis ſeſe plus æquo in cibo rum lautitia oblectaſſe, vt ſuilla carne, leporibus, anguillis, quas edere prohibiti erant per Moſen: vnde puſilli ſcandalizabantur, putantes illos legem abieciſſe, & fortaſſe ob id aliqui conuertebantur, vt libere poſſent omnia edere, & genio ſuo indulgere. Conuerſi etiam ex Gentibus hoc dabant ſcandalum Iudæis putantibus illos ad Legem teneri. Ob quod etiam celebratum ſuit Concilium Act.15. & expoſita Lex de ceſſatione legalium, præter pauca ad tempus Act.15. ſeruanda.

Primo ergo argumentatur, ab ingenio charitatis, quæ officioſa eſt virtus, & non ſolum iniuria non lædit proximum, ſed nec vlla afficit iniuſtitia, ita vt interdum cedat iuri ſuo, vt non contriſtet fratrem. Etſi vero antequam Paulus ſcriberet hanc epiſtolam, Petrus iam habuiſſet reuelationem lintei, & ceſſationis legalium; non erat tamen Romanis propalatũ, & plene intellectum. Ex quo elicitur, nondum eo tempore celebratum fuiſſe Concilium illud, vel de eare definitum. I. ratio Apoſtoli, vitandi ſcãdalũ fratris, à natura charitatis. Supra 10. Hanc epiſto. Concilium illud Act.15. tempore præceſſiſſe.

Dubium hoc loco ſurgit, an ſub obligatione conſcientiæ ad lethale delictum, teneamur omittere temporalia noſtra, quorum plenum, planumq; ius habemus, ne fratri vllum demus ſcandalum. Nam ſi ad id obligaremur; Chriſti ſuaue iugum ad grauiſſimum onus arctaret. Reſponſio eſt: Si is, qui ſcandalizatur, ex malitia id facit, ita, vt nulla offuſcatus ignorantia, vel illa falrem, cuius poteſt facile conuinci, ſed vel calliditate, vel per obſtinationem ſcandalizetur, non obligamur eius nequitiæ cedere. Alioqui arctaremur conniuere hæreticis, & abſtinere à carnibus, ne Iouiniani ſectatores ſcandalizentur, & latroni manifeſto remittere furtum, ne ſcandalo afficiatur. An ob vitandum ſcandalum fratris bona fortunæ ſint nobis neceſſario relinquenda. Mat.11. Vbi hoc ſit minime neceſſarium.

¶ Tantum ergo obligamur temporalia noſtra exponere, vbicunque ſunt ad ſalutem proximi neceſſaria. Dum autem quis ſua ſponte ſcandalizatur, vel iurat ſe peccatum perpetraturum, niſi mea illi erogauero: vt ſi debitor, qui eſt ſoluendo, iurat ſe non ſoluturum, niſi furando, vel ſi impudens mulier promittat ſe corpus expoſituram, niſi donauero ei certam pecuniam; nemo tenetur donare, etiamſi donatione illa mala caueretur; quia illi ſponte peccant ſine neceſſitate. Debent enim potius mori, quam peccare. ¶ Si vero quis ex ignorantia ſcandalizetur, vel alio defectu, cui ſuccurri nequeat ſine ſubuentione noſtra; tenemur illi ſuccurrere, & iuri noſtro cedere, nõ tamen in his, quæ ſunt nobis omnino neceſſaria. Et de ſimili euentu loquitur Paulus: nam puſilli ignorantia eius rei eo tempore tenebantur, qua non poterant tunc edoceri. Ideo alii Chriſtiani clam debebant vti communibus cibis, vt fecit Petrus ad Gal.2. ſine præſentia Iudæorum; vel abſtinere ab illis ad vitandum ſcandalum, quia illi ſimplicitet non erant ad vitam neceſſarii. Hine Paulus 1. Corinth.8. dixit: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum; non manducabo carnem in æternum.* Non dixit: Non manducabo eſcas in æternum, ſine quibus vita degi non poteſt; ſed, carnem, ſine cuius eſu poteſt vita ſuſtineri. Quod ſi ille, qui ſcandalum Gal.2. Expeditur illud Apoſtoli: Si eſca ſcandalizat fratrẽ meum nõ manducabo carnem in æternũ 1.Cor.8.

accipit ex ignorantia, eo vsque monitus fuerit, vt non possit iure ignorantiam obtendere; iam ille ex malitia scandalizari dicetur.

Secunda ratio ab reuerentia quam Christo debemus communi omnium redemptori.

Subdit: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Argumentatur à reuerentia Redemptori communi debita. Vbi pulchre opponit quatuor inter se, velut Antithesim: nos videlicet, & Christum, cibum nostrum, & mortem ipsius, fratrem nostrum, & eius inimicos perdere, & lucrari. Tu ergo, inquit, homũcio, noli cibo tuo communi & lauto, & tibi ad vitam minime necessario, illum fratrem perdere, cum quo es mutua charitate deuinctus: pro quo liberando, quando erat inimicus, & non frater, Christus te maior, & superior mortuus est: & non solum se omni cibo priuauit, sed etiam omni sanguine, & vita. Ex quo inæstimabili sumptu vitæ Dei expendi potest, quam sit prætiosa spiritualis vita fratris, quam tu perdis. Ob scandalum namq; aliqui nolebant Christiani fieri; alii, cum facti essent, retrocedebãt; alii, temerarij iudices reddebantur, & sinistre de lege Christi obloquebantur. ¶ *Non ergo blasphemetur bonum nostrum* (siue vt Græci habent, *vestrum.*) Et est ratio sumpta à boni publici cura. Nã per dissidia & contentione dabatur occasio Paganis deserendi Ecclesiam, & Christianum nomen. Vocat autem bonum nostrum, fidem, & religionem, qua liberati sumus ab illis ceremonijs. Hoc autem per abusum, & luxum ciborum male audiebat, & apud externos, & apud infirmos. Nam videbatur nimis laxum, & genio subditorum inseruiens; quod in blasphemiã Christi legislatoris quodãmodo redundabat.

Rom.5. Infinitæ ergo nos Christi charitatis argumentum. Iudæorum scandalum illud & Romanorum vtrinque datum, triplex adferebat incõmodum. III. ratio à communi bono seruãdo.

Ad 3. dub.

¶ *Non est enim regnum Dei esca. & potus sed iustitia, & pax. & gaudium in Spiritu sancto.* Videtur Apostolus hoc loco illorum cogitationibus occurrere, qui in Paulum insurgere poterãt, ac dicere: Lex Euangelica nobis hanc libertatem contulit, quid ergo tu Apostole, conaris nos ab ea auellere, & in antiquam legem reuocare? Respondeo: Regnum Dei nõ est esca, & potus. Et per regnum Dei intelligit legis Euangelicæ neruũ, & substantiam, nõ solum ob diuinam, quæ in eo floret libertatem, sed etiam quod per illam referantur nobis regni cœlorum fores. Ob quam caussam sæpe dicitur regnum cœlorum.

De sensu huius loci: Non est regnum Dei esca, & potus &c.

Hoc loco quid regnum Dei.

Est autem horum verborum sensus, vt colligitur ex Aug. Regnum Dei, per quod in nobis regnat Deus, & quo ad ipsius cœleste regnum peruenire possumus, nõ est per se, vel principaliter positum in cibo, & potu, hoc est, in eiusmodi externis, ac indifferentibus, quę sunt adminicula vel ad bonũ, vel ad malum ob circumstantias, & finem ipsum, & ideo nisi sint præcepta ab Ecclesia, manet ijs et indifferẽtia, nec in eis essentia, & substantia regni Dei cõsistit. Nam legem Dei nemo debet pro bono fratris sui violare. Substantia igitur, & neruus regni DEI in abstinentia, vel vsu communium ciborum nequaquam consistit: quemadmodum eiusdem regni fructus in cœlesti mansione, in qua nec nubent, nec nubentur, non captatur per fruitionem carnalium voluptatum, sed est principaliter positum in iustitia, pace, & gaudio, in Spiritu sancto, quibus accidentaria est ciborum libertas.

B. Aug. lib. 2. Qu. Euã. c. 11. to. 4.

Quod etiam 1. Corinth. 8. dixit: *Esca nos non commendat Deo: neque enim si manducauerim*⁹, *abundabimus; neq; si nõ manducauerimus, deficiemus*; id est amittemus gratiam Dei. Per iustitiam enim, & pacem ad perfectum cœli gaudiũ progredimur. Est autem iustitia, vt Aug. recte ait, nihil aliud quã charitas, qua vna iustus est, quicũq; iustus est. Et initium regni cœlorum, est per fidem adipisci iustitiam, siue charitatem; progressus vero, est eiusdem iustitiæ cultus, & augmentum: effectus vero, pax, cum quisque suum ius trãquille possidet, & quam proprie sequitur gaudium, quia spem secum habet possidendi dilectũ, quẽ hic videt per fidem. Et addit: *In Spiritu sancto*: quia vt ipse ad Galat. 5. dixit fructus Spiritus sunt, gaudium, & pax. Est etiam quædam naturalis operum iustitia, & pax quædam iniquorum: quam Christus non venit mittere, sed soluere. Est etiam gaudium sensus, aut mundi, distinctum à gaudio in Spiritu sancto, de quo scriptum est: *Gaudete in Domino semper*. At iustitia charitatis omnibus debita reddit, pacem cum Deo reconciliat, & cum fratrib. & certum gaudium in præsenti præstat, quod nemo nouit, nisi qui accipit, & æternum gaudium pollicetur.

1. Cor. 8.

B. Aug. lib. de Nat. & grat. c. 1.

Regnum Dei cur sit iustitia & pax. & gaudium in Spiritu sancto.

Luc. 12.

Philip. 4. Proprium iustitiæ Christianę

Vbi perpende, spiritualia ad salutem necessaria, non esse ob scandalum tollendũ dimittenda: secus est abstinere à cibis, dũmodo id non fiat antiquæ legis obseruãdæ gratia: quia eo modo obseruantia mortifera esset. Deinde perpende, alia esse spiritualia, quę citra necessitatem salutis vel differri ad tempus, vel dissimulari, vel ad vitandũ scandalum pusillorum occultari possunt, & licitum est; non tamen ad vitandum scandalum Pharisæorum, cuius farinę sunt omnes hæretici. ¶ Male ergo colligunt ex hoc loco hæretici, mandatis hominum de reb. indifferentibus non esse obedientiam præstãdam, ex eo quod regnum Dei obseruationẽ iustitiæ requirat, quæ Deo præstatur obedientia, non autem de præceptis in cibo, & potu

Bona spiritualia, quæ non sint ob vitandum scandalum relinquenda quæ vero dissimulanda tantum modo.

Falso Lutherani ex propositis Pauli verbis, inepte colligere hominum nõ esse de reb. mediis præcepta seruanda.

potu indifferentibus. Sed certe illa intelligentia Pauli falsa est. Tantum enim id agit Apostolus, vt doceat, regnum Dei per se, & suam substantiam consistere in obseruatione iustitię erga Deum, & proximum, quam prætermittere non liceat: in obseruatione aût rerum indifferentium non ita consistit quę pro ratione charitatis erga proximum, vel fieri, vel prætermitti possunt. Et ita præcepta Ecclesiæ, si quando charitati proximi aduersarentur, prætermitti debent, nec Ecclesia ea vult obseruari. Nam id vnũ vrget Paulus, vt illa, in quibus per se positũ est regnum Dei, obseruentur, res vero medias, & indifferentes, vt libertas vescendi quibuslibet, pro obligatione charitatis proximi seruanda esse, vel omittenda, quatenus Ecclesia concedit.

Ecclesiastica præcepta, quando obseruanda.

Arguunt deinde hæretici ex hoc loco obseruantias de reb. mediis, & indifferentibus, non esse cultum Dei, hoc est, opus, cuius operis proximus sit finis Deum honorare: qui, vt ipsi exponunt, Regnum Dei, in quo est cultus Dei, nõ est esca, & potus, sed iustitia, & pax, &c. ¶ Verum cum abstinentia cibi, & potus possit præstari, vt carne castigata homo liberius se DEO consecret, vel vt in se vindicet, quod contra Deum admisit, vel vt iram Dei placare valeat cultus DEI habendus est, vt Hieronymus docet lib. 2. in Iouinianum. ¶ Nec obstat illud ad Galat. 5. *Neq; circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Sed certe cum dixit Apostolus: Quæ per charitatem operatur, non exclusit opera fidei, & charitatis. Et quod Ioan. 4. dixit: *In Spiritu, & veritate oportet adorare*, significat, nullam ceremoniam vel actionem per se Deo placere sine fide, & spiritu. Quod vero Matth. 15. Sine caussa colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum: non vult Dominus sperni mandata hominũ legitima, & vtilia, quasi nõ sint cultus Dei; sed quod neglectis mandata Dei, inutilis est obseruatio mandatorum hominum, & præposterum esse cultum Dei, vt Augustinus docet epistola 119. ad Ianuarium. Et subdit Apostolus: *Qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus.* Gręce legimus, In his (vt etiam Chrysostomus & Theophylactus insinuãt) scilicet iustitia, pace, & gaudio, & quæ pertinent ad proximi ædificationem, vel confirmationem. Ambrosius legit, In hoc: scilicet Spiritu sancto: quia nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Et posset singularis numerus accipi pro plurali. Proprium autem est filiorum regni seruientium Christo, placere Deo, cuius voluntatem faciunt, dum

Eorundẽ altera ratiocinatio, quod scilicet obseruantia de reb. mediis non sit cultus Dei, quam sit inepta, & inefficax.
B. Hier. to. 2. sub init.
Verus sensus illius loci: Neq; circũcisio aliquid valet, neque præputiũ, sed fides quæ per charitatẽ operatur.
Gal. 5.
Illud Christum in spiritu, & veritate oportet adorare quid significet.
Ioan. 4.
Dictum eiusdem: Sine causa colunt me docentes doctrinas, & mandata hominũ, quomodo accipiendum sit.
B. Aug. to. 2. B. Chrys. ser. 26 ante med. Theophyl.
B. Amb. t. 5

obediunt Christo, de quo dixit: *Ipsum audite*, & cum proximo seruando charitatem, secundum illud: *Misericordiam volo, & non sacrificium*, &: *Quamdiu fecistis vni de his fratrib. meis minimis, mihi fecistis.* Probatus etiam hominibus dixit, respiciens illos, qui iustitiam & pacem excusando scandala colunt. Exteris etiam probantur, vt Christiani à Plinio in epistola ad Traianum, vbi agit de vita pura, & Probata Christianorum; & in vniuersum dixit Dominus: *Vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.*

1. Cor. 12.
Quorum sit placere Deo.
Mat. 17.
Ose 6.
Mat. 9.
Iidem vt probentur hominib.
Plinii nouo comensis de Christianis testimonium.
Supra 5.

DISPVTATIO IX.

In illa verba: *Itaq; quæ pacis sunt, sectemur; & quæ ædificationis sunt inuicẽ, custodiamus. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur, &c.* in fin. vsque Capitis.

HÆc, & quæ in finem vsque Capitis consequũtur, ad eundem prorsus scopum pertinent, ne videlicet alter alteri sit scandalo; quod & facile dari poterat ab his, qui prouectiores erant in fide, qui libertate Euangelica abutebantur: facile etiam ab infirmis suscipiebatur, eo quod non caperent perfectam Euangelicæ Legis ab oneribus Mosaicis libertatem.

Hæc præposita verba quo tendant.

Primum igitur dubitatur, quid est: *Omnia quidem sunt munda*: quia etiã a multorum animalium esu in Lege Euangelica, vt à cane fele, aquila, & similib. permultis tanquã natura sua immundis abstinemus. Deinde dubia sententia videtur, quomodo beatus sit ille, qui nõ iudicat semetipsum in eo, quod probat, cum hoc variis modis interpretari possit. Tertio, maxime dubia est sententia illa vlt. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*: nam videtur omnia Gentilium opera simpliciter damnare; cum tamen nõ detur eos opera moraliter bona posse præstare?

Quæstiõ prima.
II.
III.

Colligens ergo superiora, & connectẽs cum inferioribus, ait: *Itaq; quæ pacis sunt, sectemur; & quæ ædificationis sunt inuicẽ custodiamus.* Id est: Nõ vrgeamus importune ea, quę ad libertatis nobis per Christũ concessę declarationem spectant, sed quæ pertinent ad mutuam pacẽ, & ædificationem. Aedificationis voce intelligit omnia officia, quę pro

Quæ ædificationis sunt quid inuicem custodire.

ximo debētur, siue vt Christo adiungatur, siue vt ei iam adiunctus magis ac magis coalescat. ¶ *Noli*, inquit, *propter escam destruere opus Dei*. Alloquitur firmū in fide negligentem pusilli scandalum. Et argumentatur à veneratione pacis, quæ omnib. charissima esse debet, & nulla ratione euertenda. Et opponit opus Dei minus, id est, escā, quæ creatura Dei est, ad sustentationem naturalis vitæ operi Dei, id est, constructioni Ecclesiæ, siue ædificationi, quæ ad supernaturalem vitam, & diuinā facit. Et ait: Noli propter eduliorū lautitiam, quæ corporali vitæ tantum seruiunt, & sine quibus potest vita seruari per alios cibos, destruere opus Dei, id est, iustitiam, & pacem; vel (vt interpretatur Chrysosto.) salutem fratris. Vel constructionem Ecclesiæ Dei, vócat opus Dei, iuxta illud; *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*; & alio loco: *In quo & vos coædificamini in habitaculū Dei in Spiritu sancto. Non enim propter Escam Ecclesia est, sed esca propter Ecclesiam.*

Quid destruere opus Dei, triplex sensus

B. Chrys. ser. 26.

1. Cor 3.

Ephes. 2.

Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Videtur esse superiori repetitio, & tamē necessaria materia, de qua disseritur. Ait ergo, quòd etsi omnia natura sua sint pura, & mūda, dupliciter tamen reddi possunt impura: vel propter scandalū quod perfectiores in fide alijs infirmioribus opere suo exhibēt manducando; vel propter conscientiam, si contra eam infirmus aliquid edat. Et sunt munda per Christum ab omni infectione legis qua olim habebantur tanquā esui prohibita de quibus ad Titum ait: *Omnia munda mūdis.* Vbi notauit sordes legales ciborum, & respexit ad munditiā Baptismi, quia infidelib. qui inquinatā gerūt conscientiā omnia sunt impura, & non solum legales cibi, sed etiā omnia quæcūq; ex falsa fide faciunt. Mundū enim hic opponit cōmuni: agitur enim cōtra Iudaizantes, & non contra Manichæos.

Ad 1. quæ.

De eo, quod dicitur: Omnia quidem sunt munda.

Tit. 1

Quod vero carnes, serpentes, aquilæ, & similes animantes immundæ sint, ad esum suapte natura; id non est ratione legis Mosaicæ, ante quā, & post illam noxiæ habētur, & mali temperamenti, & nunquā in cibum homini concessæ, etsi nō desint Gētes, quæ aliqua ex istis vsurparunt in cibū suum: sed id rarissimū fuit; & propterea minime considerabile apud Paulum, qui mūda, vel immūda vocat respectu legis Mosaicæ, & non respectu naturæ, quæ certorū animantium carnes ineptissimas reddidit ad esum. Et cū ait: Malum est homini, qui per offendiculū manducat; taxat firmiores. Et per offendiculum dixit pro eo, quod est, cum offendiculo, siue, cum scandalo. ¶ *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum.* Non solum carnes, quæ antiquis Patribus pollutæ habebantur, verum etiam quascunque alias carnes. ¶ *Neque in quo frater tuus offenditur.* Id est, neq; quid aliud, in quo frater offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Et tria hæc verba idem fere significant, sed ad exaggerandū sunt coniuncta. Etsi offendi, sit, remorari in via propter impedimenta, vt desistat ambulare in via Dei. Scandalizari, est corruere, & cadere: Infirmari vero, est languore quodam à cœpto itinere, & progressu in eo quod cœpit in Christo lente procedere. Et possunt hæc tria responderre illis tribus, in quibus consistit regnū Dei Nam offenditur, dum læditur in his, quæ pertinent ad iustitiā charitatis quando non redditur ei ius suū: scandalizatur, per culpā iudicij temerarij, quo pax turbatur, & profligatur. Infirmatur vero in fide, quando lāguescit, reputando illam minus honestam. Vnde & gaudio priuat: quod adfert fides. Et perpendit Orige. quod ad scandalum, tam comedere, & bibere vinum, quam nō comedere, & non bibere, necessariū sit; non meminit tamen Apostolus affirmatiuæ partis, sed negatiuæ; ad commendandam abstinētiæ virtutem vtilissimam, & Sanctis etiam sæpe necessariam. At ne quis veritatem rei opponeret, quæ omnino est propolanda, & errores minime esse fouendos, quod fieri hac simulatione videbatur; mirifice respōdet Apostolus consulens vtriq; parti, & dicens. *Tu fidem quam habes penes temetipsum, habe coram Deo.* Et est sensus: Tu doctus es in re fidei, & plane perspicis tibi licitum esse comedere: sed hanc fidem habe coram Deo qui inspector est cordium, nec noceas infirmo fratri libertate tua, & vbi clanculo tibi licuerit, fruere hoc iure; at noli huiusmodi veritatem opere foris exerere cum aliorum scandalo. Et hoc est semper faciendum circa ea, quę tolerat Ecclesia: quoniam dissimulanda sunt, & cedēdum est infirmitati vsq; ad tempus quo res patefiet, & tunc non est vltra dissimulandū, sed libere prædicandum, & audacter sequendum quod Ecclesia sanxit. Et agnosce Pauli prudentiam, qui dum pro infirmo causam agere videtur apud firmum in fide, simul veritatem aperiendo illud agat, ne sit infirmus, & suadeat firmo, ne spernat infirmum. ¶ Sed dices, non satis esse corde credere, nisi ore, & opere cōfessio fiat ad salutem. Respondeo; non semper necessariam esse confessionem operis. Qui enim credit sanctum, & licitū esse matrimonium, non protinus tenetur vxorem ducere. Vel aliter, & melius dici possit, quod vbi veritas vel per Scripturam sacram expressa, vel per publicam Ecclesiæ

A certis quibusdā immundis animantib. cur abstineant Christi cultores.

De quib. dicatur? Malum est homini qui per offendiculum manducat.

Quid offendi, scandalizari, & infirmari.

Orig. to 2.

Quare Apostolus; ad vitandū scandalum fratris potius negatiue, de nō manducando & bibēdo, quam affirmatiue, vt poterat exemplum proferre.

Illud. Tu fidem quam habes apud temet ipsum, habe corā Deo. quē sensum habeat.

Moderatio Apostoli.

Rom. 10.

Quomodo quod Apostolus asserat, cum oris, & operis confessio necessaria sit ad salutem.

Altera solutio.

autoritatem definita est, necessaria est oris confessio, quando tēpus, & locus id exegerit. Si autē non est in Scripturis, aut per Ecclesiā res definita, nemo adstringitur illā confiteri, quamquā eam scienti negare nequaquam licet. *Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat.* Post documentū perfectorū, transfert se ad infirmos erudiendos; docens, qua ratione illis quoq; impurū fiat, quod suapte natura, & legis Euāgelicæ permissu purū est. Et quidam volunt esse hunc sensum: Beatus est, quem sua conscientia nō remordet in eo, quod probat esse faciendū, sed quieta, & pacata conscientia operatur; si tamen qui faciūt, recta fide, & lege, & bona conscientia faciant. Nam vbi quod quis facit, illicitum est, & malū, peius est si securus faciat, præsertim, quando ignorantia nō omnino excusat. Et hoc quadraret infirmis, qui etsi corrupto iudicio tenerent seruādas legis ceremonias, absq; tamē graui remorsu conscientiæ non erat, cū plerosq; Christianorū diuersum docere, & facere cernerent: quare Paulus hoc sermone illos instigat vt peritiores se consulant. Sed hic sensus durus videtur. Difficile est enim quenquā damnare seipsum in eo quod probat esse faciendum. Et ponit hic sermo, infirmos scrupulis conscientiæ agitari. Et ratio hæc non esse tam efficax apud infirmos, si intelligeretur, quando quis præcise sequitur fidē veram; & iudiciū rectum. ¶ Idcirco alii exponunt, Beatum esse qui iudiciū illius rei quā approbat, nō sumit de suo cap. velut sensus sui tenax, sed aliōs libenter audit, & eorum capit consiliū: quæ sententia vniuersaliter vera est, quia per eam infirmorū tenacitas redarguitur. Et ideo subiungit: *Qui autē discernit, si manducauerit, damnatus est, quia nō ex fide.* id est. Si manducat cōmunia contra conscientiam iuste, vel iniuste aliud dictantē, à seipso, siue à sua propria conscientia damnatur, quia non ex fide, scilicet operatur. Non enim satis est ad rectam actionē humanam, veritatem fidei in genere sequi, sed opus est in particulari ex fide applicata ad opus per conscientiā accedere. Nam veritates fidei & legis per conscientiā ad opera præstanda, applicare soliti simus. Quare qui operatur quod fides præcipit, contrarium tamen dictante conscientia, idcirco peccat, quia non facit ex fide in particulari applicata ad actionem, vt debet. Et subiungit maiorem syllogismi propositionem: *Omne autem quod non est ex fide peccatum est.* Opus autē, quod quis facit contra conscientiā aliter dictantem, opus est non ex fide ac proinde peccatum. Et ideo qui sic operatur, seipsum condemnat: sequitur etiam, vt nō sit beatus, qui seipsum

Ad 2. quæ. De illo dicto: Beat⁹ qui non iudicat semet ipsum in eo quod probat. I. sensus.

Quid incommodi secum adferat.

Alter sēsus non contēnendus.

Duo ad actionem humanam necessario requirūtur

iudicat in eo, quod probat. Sed hic sensus suas patitur difficultates: & si verus sit, non tamen videtur, ex hoc contextu colligi. Est tertio alius sensus, qui mihi magis arridet, qui firmo potius, quam infirmo congruit, iuxta ea, quæ præcedunt. Nam etsi vtrosque instruere contendat Apostolus: magis tñ videtur vrgere firmū in fide, ne scādalizet pusillum, quam vt pusillus ex operib. firmioris scandalū patiatur. ¶ Est igitur hic pulcher sensus; Beatus qui non iudicat semet ipsum etiā in bonis, quæ fecit. Etsi bonū sit iudicare bona esse bona; non tamen semetipsum iudicare in bonis, quia iudicium Dei est. Quasi diceret Apostolus, beatū esse humiliare, & submisse gerere, nec se iudicio proprio extollere aduersus proximū etiam in causa bona: quod fit aliis sese præferendo per scientiā quæ inflat, sed misereri fratris, & relinquere iudicium Deo; quod pauci faciunt. Et idē videtur dixisse Paul. alibi. *Nihil mihi conscius sum*: & statim adiicit; *Sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Do. est.* Vnde iudicare seipsum, significat cū autoritate secernere seipsum ab aliis proprio iudicio quod superbū est, etsi probet, quæ vere probanda sunt, nec erret: nā id est probare, tanquam experimento rē certo nosse: sed non in hoc quisq; probatus est, quod seipsum cōmēdat; sed si cōmendetur à Deo. Ideo bonū est semper sibi timere, & cēsentire sine peccato fratri suo: & qui id agit, beatus est. Atq; hæc Apostolus loquitur ad hominē veritatem scientē, & cibū à cibo non discernentē. Ad infirmū vero, qui discernebat, dirigens sermonem, subiungit: *Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est quia non ex fide.* Id est: Quemadmodum conscientia veritatis non excusat, si quis ob illa aduersus proximū infletur, quia contra charitatem proximi agit, ita etiam conscientia erronea ligat, vt si quis contra fecerit, damnetur, quia cōtra charitatē Deo debitam operatur. Et ita vtrumq; percussit, & firmū & infirmum, & vtriq; medelam adferre conatus est. Subdit que: *Omne autem quod non est ex fide peccatum est* Dubium est circa hanc sententiam quomodo fides accipiēda sit. Quidam enim accipiūt pro credulitate quadā, qua hoc quod quisq; agit, credit sibi licitū esse agere. vnde superius dixit: *Alius credit se manducare omnia* id est, Persuasus est licite se vesci posse quibuslibet. Et inferius dixit: *Tu fidem, quam habes penes temetipsum habe coram Deo.* Id est: Fide quam habes, quod edi possint in Euangelio omnes cibi, noli abuti scandalizando proximum: sed habe coram Deo, id est, vtere illa libertate, & nō in præsentia aliorum Et sic B. Ambros. ait: *Non vtiq; ex fide edit, qui*

III. sensus Pauli verbis accommodatior.

1 Cor 4.
Supra 4.

2. Cor. 10.

Erronea q̄ vocaōr, vnde obliget conscientia.

Ad 3. quæ.

Circa illud Omne q non est ex fide peccatum est. I. sensus.

B. Amb. i. s.

edendum negat, & edi. Et Chrysostom.& Theophylact. accipiunt fidem non pro fide dogmatum, sed pro fiducia conscientiæ, qua qui prædirus est, confidit sibi licitum esse omne quod agit: & in eandem prorsus sententiam tendit hæc acceptio fidei. Et quod hic vocat fidem. 1. Cor.8. vocat scientiam, dum ait. De iis autem quæ idolis immolantur, scimus quia omnes scientiam habemus, id est peritiam, & certam credulitatem, quod immolata idolis, non sunt illicita ad vescendum. ¶ Sensus ergo erit: Omne quod agitur sine fide, id est sine scientia, & persuasione, qua credatur id licere quod agitur, peccatum est. Nam si deerit hæc fiducia, siue credulitas conscientiæ, necesse est, vt aut quis agat contra dictamen conscientiæ, aut saltem contra dubium conscientiæ: quorum vtrumq; damnabile est. Imo etiam quodcūq; agitur contra persuasionē, etiam falsam, quam quis vt fidem accipit, peccat. Vnde Paganus si Christum adoraret, putādo hunc esse falsum cultū; bis peccaret: & putādo φ putare non debet, & faciendo quod nō est ex fide sua. Hinc Ambrosius ait: Recte peccatū appellat, φ aliter fit quam probatum est. Et Theophyl. *Qui ambigit*, inquit, *nec confidenter edit, condemnatus est. Quamobrē? Non quia immundum erat cibus sed quia non credit mundum esse; atque attigit escam ceu immundam* Hæc ille. Non desunt alii Patres, qui fidem hoc loco non pro conscientia quæ regula est actionum humanarum, sed etiam pro assensu fidei Catholicæ, siue assertione dogmatum accipiendum esse docent: atque in hac sententia est Augustinus, qui opposītam fidei acceptionem, vt nouam, & inauditam non probarit scriberis contra Pelagianos: & sæpe hoc testimonio Apostoli vtitur ad probandum, omnem infidelium actum esse peccatum. Etsi plerique exponāt B. Augustini sententiam, non tam ad mentē autoris, quam ad propriam voluntatem.

Pro quo notandum, quod fides & dicit quædam principia, & ex illis educit multa particularia. Principia quidem sunt, vt: *Diliges Dominum Deum tuum:* &, *Serua mandata eius.* Qui autem putat se eum peccato manducare, si manducat, iam non facit ex hac fide, quia ostendit se non diligere, & non curare vt feruet mandata. Etsi ergo manducare, non fit contra fidem, vel legem fidei quæ tradit licitum esse manducare: tamen in eo quod ipse putat prohibitum, facit con tra fidem in eo φ fides dictat esse parendū Deo, & conscientia intus dicit illi non parere. Facit ergo contra fidē, seu præceptum illud, Deo esse parendum, licet nō contra illud de nō manducando, φ iam non est vlterius necessariū. Neq; propterea ex his verbis colligi solide potest, omnes actiones Infideliū, peccata esse propria, & ad mortē imputabilia. Hæc.n. intelligim^9 de homine qui obligatur habere fidē, & de actibus humanis, q̄ à ratione proficiscūtur. Nā qui à cōsilio, & ratione nō oriuntur, vt fricare barbā, & similes act^9 animales, nō oportet vt ex fide deriuētur. Deinde perpēdē, aliud esse operari cōtra fidē, aliud operari nō ex fidē. Nam qui contra fidē agunt, & illi aduersantur, grauissime, & lethaliter delinquunt: quia qui non credit (id est, non vult fidē adiungere Christi, aut Apostolorū prædicationi) iā iudicat^9 est; &, Qui non crediderit, cōdēnabitur. At operari nō ex principio fidei, vt faciūt infideles, qui Euāgelii ignorātia laborāt, morti fere in eo nō delinquut, nisi cōtra legē naturæ, aut cōtra conscientiā operētur. Et de his in vniuersum dicitur, Omne φ non est ex fide, peccatum esse, id est, imperfectionem & defectum: quemadmodum etiam cap.7. fomitem, siue concupiscentiam impropriè vocauit peccatum. Et tales, etiamsi bona aliqua opera ex genere suo, siue ex officio operentur; adhuc tamen peccare dici possent ob imperfectionem & defectum quem habent ex eo quod talia opera ex fidē non oriuntur, quæ sola finem debitum actionum humanarum, & modum operandi præscribit. Nam ignorato fine, nulla actio est, quæ vitij aliquid non habeat. Vnde & Thomas virtutes morum asserit simpliciter non esse virtutes, quia aliquo modo deficiunt à regula sua: & si aliquæ bonæ actiones eorum, quæ extra fidem operati sunt, extiterunt certe qui eas præstiterunt, habent gloriam, sed non apud Deum, vt docet Apostolus: Et ita Augustinus tales actiones vocat peccata impropriè, vt libr. de prædestin. Sanct. cap.10. & lib.3. contra duas epistolas Pelag. cap.5. & libr.4. in Iulianum cap.3. & 4. dicēs non esse ista vera bona, quæ veræ virtutis nomine censeantur. Et lib. de Spirit. & lit.c. 27. docet, hæc opera iustitiæ laudem minime mereri, quia recto fine non fiant. Et in psal.31. *Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidē quāuis videātur hominibus laudabilia, inania sūt* Idem tract.86. in Ioan. in fine: *Quid est boni operis ante fidem, cum dicat Apostolus: Omne quod non est ex fide, peccatum est?* Accedit his Origenes, qui in huius capitis verba: *In hoc sermone*, inquit, *credentium quorundam negligētes & desides animos vinculo artiore constringit, vt nihil sine fide agant, nihil sine fidē dicant nec absq, fide aliquid cogitet: quia siue quid gesseris sine fide siue locut^9 fueris, siue etiā cogitaueris peccas Hoc idē est φ in aliis dicit: Siue māducatis. siue bibitis, siue aliud quid facitis omnia ad gloriā Dei facite.*

Marginalia (left): D. Chrys. ser 26. — Theophyl. — 1.Cor.8. — Duplex peccatum Infidelis Christum colēs quando committeret. — B. Ambr. — Theophyl. — Alter sēsus — B. Aug. li.1 contra 2. epist. Pelag. c.3. in fi to. 7. — Fides duo præstat. — Deut 6. Matt. 22. — Māducans cū proximi offendiculo quomodo contra Fidem agere possit.

Marginalia (right): Agere contra fidem, & agere non ex fide, non esse idem. — Ioan 3. — Marc. vlt. — Ethnici non ex fide operantes quatenus peccēt — Rom 7. — Bonæ etiā, & honestæ eorum actiones si ne fide deficiunt, & quate. — B.Th. 1. 2. q.23 art.7 & 12. q 65 ar. 2. 10. 11. p. 2. — Rom.4. — B. Aug. to 7. circa fin. Idem eod. — Idem eod. — Idem to. procul à med. Idem concio.1. paulo à med. to. 8. Idem to — Orig to. 2 — Coloss 3.

Hæreticorum fides credulitas potius est appellanda quam fides secundum Originem. Simile.

Sed requirat aliquis: si Hæretici quæ faciunt, quia secundum hoc quod faciunt, credunt, ex fide facere credantur; An quia fides apud illos mala est, omne quod faciunt peccatum sit pronunciandum quia non sit ex fide, & puto illorum credulitatem appellari magis quam fidem. Sicut enim pseudopropheta falso nomine interdum propheta appellatur, & falsa scientia scientia dicitur, & falsa sapientia sapientia abusiue nominatur: ita Hæreticorum credulitas, falso nomine fides appellatur. Vnde videndum est, ne forte etiam si quid boni operis apud illos geri videtur, quia non fit ex fide, conuertatur in peccatum, sicut de quo iam dictum est: Fiat oratio eius in peccatum Hæc ille. In cuius verbis id potissimum annoto, sermonem esse in verbis Apostoli non de infidelib. sed de fidelib. qui ex fide operari obligantur, ita vt nihil hic dicat de operibus infidelium, de quibus disseruerat, cum dixit: *Si Abraham ex operibus* (scilicet ante fidem) *iustificatus est habet gloriam, sed non apud Deum* & alio loco: *Omnia munda mundis; coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum* (id est purum, siue perfectum, in quo vera iustitia resplendeat) *sed inquinata sunt eorum & mens, & conscientia* Idem Orig. libr. 1. in Iob circa principium: *Vt breuiter*, inquit, *atque audenter dicam omnia quæcunque fecerint homines, siue in virginitate siue in abstinentia siue in corporis castitate siue in carnis sua combustione, siue in bonorum suorum distributione, omnia gratis faciunt, si non in fide fecerint, sine causa agunt nisi agnitione vnius ingeniti Dei Patris, &c. Omnem ergo sanctitatem, & omnem iustitiam quam fecerit qui foris à vera Dei cultura, atque vera fide, gratis facit in perditione facit, non prodest ei, non adiuuat eum in die ira non liberabit eum in die interitus. Ad quod est testis Apostolus qui dicit Omne quod ex fide non est, peccatum est.* Ad idem spectat Leo Papa ser. 2 De ieiunio Pentecostes: *Apud nos*, inquit, *fides etiam sanctificat manducantem, apud illos infidelitas polluit ieiunantem. Vnde? quia extra Ecclesiam Catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo. Omne quod non est ex fide, peccatum est. cum diuisis ab vnitate corporis Christi nulla similitudine comparamur, nulla communione miscemur, quod vtique nobis saluberrimum, maximumque ieiunium est* Hæc illi Patres, nomen fidei pro fide Catholica vsurpantes. Et Anselm. Laudunensis in Glossa Ordin. *Omnis vita infidelium peccatum est, & nihil bonum sine summo bono Vbi deest agnitio veritatis æterna, falsa virtus est etiam in optimis moribus, Opera quæ videntur probabilia, præter fidem sic sunt, vt magna vires, & cursus celerrimus extra viam.* Quæ verba ex Augustino desumpta repetit Anselmus Cantuarien. in huius loci explanatione. Ad hæc Prosper. lib. 1. De vocatio. Gentium, cap. 3. in princip. *Sine cultu veri Dei etiam quod virtus videtur esse peccatum est, nec placere vllus Deo sine Deo potest* Et lib. 3. de vita contemplatiua cap. 1. loquens de veris virtutibus, quantum distent ab his quæ tantum similitudinem habent, ait initio: *Hæc etsi possunt humano ingenio discerni, tamen sine dono Dei, quantum mihi videtur, nec virtutes possunt appeti, vel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt vitia, virtutes imitantia declinari in tantum, vt infidelibus nihil profuisse credamus, etiam si sunt aliquas per corporis operati virtutes, quod eas nec à Deo sue se accepisse crediderunt, nec ad eum, qui est finis omnium bonorum referre voluerunt. Et quid dicit? Nihil eis profuerunt; imo etiam nocuerunt, dicente Apostolo Omne quod non est ex fide, peccatum est. Non dixit: Omne quod non est ex fide, nihil est; sed dicendo: Omne quod non est ex fide, peccatum est: declarauit, quod omnia bona aut ex fide gesta, virtutis sunt, quæ perfecte iustificant. aut si fuerint sine fide non sunt aliqua bona credenda, sed vitia, quæ non iuuant suos operarios sed contaminant, inflatesque præcipitant atque à finibus æternæ salutis eliminant* Idem libr. Sentent. ait: *Omnis infidelium vita peccatum est & nihil est bonum sine summo bono vbi enim deest agnitio æterna, & incommutabilis veritatis falsa virtus est, etiam in optimis morib.* Hæc ille. Superfluum igitur est hoc loco disputare, an quælibet actio infidelium sit peccatum, & an tales præstare valeant opera moraliter bona: quia vt dixi, de infidelibus hic non est sermo. Deinde falsum est quod Lutherani ex hoc loco conantur euincere, nimirum iustificatum certum, & securum esse debere, quod quicquid agit ex fide, gratum sit Deo, nec de hoc esse dubitandum. Sic enim interpretantur: *Omne quod non est fide, peccatum est: id est, Omne quod agitur à Christiano, si non agatur ea animi certitudine quod acceptum sit Deo, peccatum est.* ¶Sed certe hæc manifeste falsa est doctrina. Nam aliud est credere, quod id quod agitur ex se, & ex genere sit licitum, & Deo placens; aliud, quod mea actio, qua quicquam ago, quod ex se licitum est, sit Deo accepta. Potest enim aliquod opus ex se bonum, & gratum Deo, à me tamen aliqua circumstantia vitiari, quæ me ipsum lateat iuxta illud: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*; & sanctus Iob, *Verebar*, inquit, *omnia opera mea sciens quod non parceres delinquenti*; & ipsemet Paulus: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum.* Quibus in verbis testari videntur aliqua esse delicta tam occulta, quæ prorsus à nobis ignorentur, & quæ nos merito reformidare debeamus: vt nulla sit alia nobis securitas, nisi timor sanctus, & metus.

Psal. 108.

De quib. dicatur, fidelib. an infidelibus.

Quicquid non est ex fide, peccatum esse.

Rom. 4.

Tit. 1.

Orig. to. 1. circa med.

Opera sine fide vana, & inutilia.

1. Cor. 13.

Leo Papa prope sermo. finis.

Ansel. Laudunen.

Opera sine fide qualia sint.

B. Ansel. Cantuarien. to. 2 prope init. Prosp. to. 2. operũ.

B. Ambr. inte.

Idem.

Quare non dictum ab Apostolo: Omne quod non est ex fide, nihil est, sed peccatum est.

Idem sent. num. 106.

Hæreticorum sensus reiicitur.

Psal. 18.

Iob 9.

1. Cor. 4.

DISPVTATIO X.

In illa verba c.15. *Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonũ, ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit: sed sicut scriptum est, &c.*

I. dub. CIrca verba hæc pauci scrupulis occurrunt, & nõ admodum graues, aut magni. Dicemus tamen scopum, & quomodo dicatur Christus non sibi placuisse, cum tamen Patri placuerit; Patris autem, & Filii vna tantum sit voluntas. Deinde quomodo
II. præcipit, vt vnusquisque alteri placeat; cum scriptum sit: *Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent*: & Paulus: *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Tertio, quo-
Psal. 52. Gal. 1. III. modo verum sit: *Omnia scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*; cum pleraque extent quæ nobis non conueniunt, vt ceremoniæ, & iudicia legis, à quibus necessa-
IV. rio est abstinendum, ni velimus in Iudaismum delabi. Quarto, quid est Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis; cum
Mat. 20. dixerit ipsemet, *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis*? multi autem, sunt o-
V. mnes etiam è Gẽtibus vocati. Quinto, quo modo asserit Gentes super misericordia honorare Deum; cum etiam per Prophetas promiserit earum conuersionem: vt per O-
Ose. 2. Rom. 9. seam: *Vocabo non plebem meam, plebem meam; &c.* Postremo videtur frustra producere
VI. quatuor testimonia, cum satis esset vnum; ac proinde superflue agere.

Ad 1. dub. De scopo. Ad horum dissolutionem præmittendum: Apostolus, postquam à non dando scandalo pusillis admonuit superiores, quoniam poterat aliquis in fide firmior obijcere: Num in perpetuum deserenda est Dei veritas in gratiam imbecilliorum? iam subiungit, qua ratione firmiores debeant se gerere cum infirmis, & quanta mansuetudine eos ferre, donec in Christi cognitione gran-
Quid imbecillitates infirmorũ sustinere. descant. Et ait: *Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere.* Id est, Non solum debemus vitare scandala illorum, sed etiam sustinere, & subleuare consilio, consolatione, & exemplo, iuxta illud;
Gal. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, qui omnia onera nostra portauit in
1. Pet. 2. Esa. 53. Cruce. Quare verbum Græcum βαστάζειν, portare significat, metaphora sumpta à baiulis. Et debemus nos opitulari aliis, & robur fidei, quod maius accepimus, conferre ad subleuandos fratres infirmiores. Verba Græca habent δυνατοί, quæ vox significat potentes, siue potestates Ecclesiæ, vt sunt Episcopi, & Presbyteri, quorum est portare, id est tollere peccata, iuxta consuetudinem verbi βαστάζειν à B. Basilio in reg. Breui-
Basil. to. 2. or. 177. & 178. notatam his verbis: *Grauis inquit, res est peccatum, & suo pondere animam ad inferni profundum detrahit. Hoc aũt inter nos vicissim alij ab aliis tollimus, atq; amputamus, quotiescunq; operã damus vt resipiscant qui peccant.* Et Esai. c. 53. & Matt. 8. *Ipse infirmitates nostras accepit & ægrotationes nostras portauit.* Et ait:
Imbecillitates infirmorum sustinere cur debeamus & quomodo. *Debemus*; ne quis existimet, patientiam in tolerandis fratribus, esse officium gratis impensum. Debemus autem ex lege charitatis. Et addidit, nos; enumerans seipsum cum firmis, & perfectis. Qua in re non peccauit in præceptum illud Sapientis: *Laudet te alienus & non os tuum; extraneus, & non labia tua.* Nõ
Prou. 27. enim laudis gratia in prima persona dixit, sed humilitatis potius, vt cum aliis fateretur debitum obsequium sustinendi infirmos. Quare etsi hoc loco non simpliciter pronuntiet infirmum, dixit tamen alibi, *Fa-*
1. Cor. 9. *ctus sum infirmus infirmus, vt infirmos lucrifacerem.* Et verè hic est charitatis ordo, vt mem-
Perfectæ ordo charitatis. brum nobilius ignobiliori consentiat, & quoad licet compatiatur: sicut saxa fundamentaria erectam ædificationem sustinẽt, & columnæ totum domus pondus sustentant. Non ergo fugiendi infirmi, vel fugandi, sed adiuuandi. Subdit etiam: *Et non nobis*
Quid est, non nobis placere. *placere.* Id est, Nemo sibi placens satisfaciat, ita vt suis donis contentus, aut scientiam suam, aut sententiam vrgeat cum aliorum offendiculo, & contemnat alios, aut tanquã sibi satisfaciens, aut quasi aliorum ad se salus non pertineat, cum scriptum sit: *Mandauit*
Eccli. 17. *vnicuique* (Deus) *de proximo suo*: &, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Cur debeat vnusquisque placere proximo suo in bonum & quantũ. *Vnusquisque placeat proximo suo in bonum.* Magna virtus est aliis placere in bonum: cuius rei se exemplum proponens, alibi dixit: *Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est sed quod multis; vt salui fiant.* Sed quia in Scripturis male audiunt qui ho-
1. Cor. 10. Ad 2. dub. minibus placent; addidit, *In bonum*, quia in malum non licet aut assentari, aut assentiri. Et quia Græce dicitur, τὸ ἀγαθὸν, innuere videtur ad perfectionem summam, quę ex eõ muni parte resultat, placere debere. Non. n. satis est cuiq; sibi iustũ esse, nisi & miserẽdo
Matt. 23. ꝓximi sui impleat omnẽ iustitiam. Nã qui sibi tãtum iustus est, min⁹ iustus est. Quare Ioanni Baptistæ dictum fuit: *Sic nos decet implere omnem iustitiã.* Et adiunxit: *Ad ædificatio-*
Cur ad ædificationẽ. *nẽ* Id est, vt nos oẽs vicaria opera ad constructionẽ Ecclesiæ magis, ac magis promoue-

a mus.

mus. Sunt enim iusti veluti lapides viui, vt dixit Apostolorum Princeps Petrus, ex quibus in Christo fundatis construitur ædificium Ecclesiæ, quod habitaculum Dei est in Spiritu sancto, Ephes. 2. Duo sunt autem status horum lapidum: alter est in Ecclesia Militanti: vbi quadrantur, poliuntur, & ornantur hi lapides: alter vero in Triumphāti, quando vnusquisque pro meritis suis in loco suo, vel inferiori, vel superiori collocatur. Adeo, vt sicut templum dum fabricaretur, non est audita securis, vel malleus, sed foris omnia dolabantur, & cudebantur; ita in cœlesti beatitudine, non erit vltra, neque luctus, neque clamor, neque dolor, quę prima abierunt. Probat aūt exemplo Christi, qui est caput nostrum, nos nobis ipsis placere non debet, dicens: *Etenim Christus non sibi placuit; sed sicut scriptum est, Improperia improperantium tibi, ceciderunt super me.* Quia enim Dominus dux, & exemplar vitæ nostræ est, ad cuius imaginem sumus prædestinati, & in cœlo conglorificandi, ita ad eius formam, modo nos componere debemus. Et vt recte annotauit Chrysostomus, Paulus, in quo plus Christ⁹, quam ipse in seipso viuebat, vt cuiuscunque virtutis admoneat Christum proponit in exemplum: vt virtutis charitatis, cum dixit: Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos; & eleemosynæ faciendæ, cum dixit: *Christus propter vos egenus factus est, cum esset diues; vt illius inopia vos diuites essetis*: & patientiæ: *Aspicientes*, inquit, *in autorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta*: & humilitatis atq; obedientiæ: *Hoc*, inquit, *sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, &c.* Sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Humiliauit semet ipsum factus obediens vsque ad mortē. Deniq; comprobare volens studium beneplacendi fratribus, & nobis ipsis, dixit: Etenim Christus non sibi placuit, id est, nō proprio cōmodo studuit in Cruce sustinēda. Quod si obijcias, Filij, & Patris vnā, & eandē fuisse voluntatem, & Christum Patri in omnibus placuisse; ac proinde etiam sibi ipsi placuisse. Dicendum est, Christum non placuisse sibi, secundum scilicet carnis infirmitatem, & cum deprecaretur calicem, voluntatem suam diuinæ subdidisse, cum dixit; *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu: &c. Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Christus ergo non sibi placuit, cum tamen sufficeret sibi ipsi: noluit esse contentus proprio bono, sed vt perfectius operaretur, non solum sustinuit nostras infirmitates, verum etiam

1. Pet. 2. Ecclesiæ spiritualis ædificii lapides viui quinā sint, eorum status duplex. Ephes. 2.

3. Reg. 56.

Apoc. 21. Ephes. 4. Cur placere nobis ipsis minime debeamus exemplo Christi. Psal. 68.

Rom. 8. Chrys. ser. 27. Gal. 2.

Ephes. 5.

2. Cor. 8. Heb. 12.

Philip. 2.

Christus vt sibi non placuerit: qui tamen Patri ob naturæ vnitatem, ac sibi placuit omnino.

Mat. 26.

sustinuit improperia aduersus Deum facta, vt ea in seipso puniret. *Sed sicut scriptum est, Improperia improperātium tibi, ceciderūt super me.* In aduerbio illo quod aduersatur, Sed, eclipsis est, & supplēdum est aliquid, nimirū vel, sed potius sibi displicuit, & nostris incommodis inseruiuit; vel, sed placuit Patri suo, aut quid simile. Editio nostra habet: *Opprobria exprobrantium tibi*: sed idem est cum hac: Improperia improperantium. Et sunt verba Filij ad Patrem. Et vt qui glorificat Patrem, similiter glorificat & Filium, ita opprobria quæ iaciuntur in Patrem, recidunt in Filium. Non tamen in hoc sensu cadere dicuntur improperia in Christum, etiamsi aliquam veritatem hoc habeat: sed referendum est ad pœnam, dupliciter. Primo, vt improperium sit nomen generale omnium peccatorum: nam per quodcunque peccatum Deus deseritur, quod est improperij genus. Et horum improperiorum solutio incidit in CHRISTVM, in quo posuit Deus iniquitatem omnium nostrum, vt habes apud Esaiam cap. 53. & apud Petrum dicentem, *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Deinde improperia vocat illas blasphemias, & contumelias, quas in CHRISTVM coniecerunt eius crucifixores, quorum supplicia & tormenta ceciderunt in me, qui illa sensibus percepi, & sensui displicentia pertuli; constanter tamē, vt negotium redemptionis transfigerem. Nam peccata omnia velut iacula & tormenta in eum iacta sunt, tanquam in turrim fortissimam, & quasi in muros inexpugnabiles. Ceciderunt autem tanquam in antemurale fragilis humanitatis muris diuinitatis coniunctum. Hoc autem exemplo CHRISTI, qui sunt Ecclesiæ solidiora membra, discant quomodo ad ipsos pertineat implere omnem iustitiam. § *Quęcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Hæc adiecit Apostolus; ne rem nimis arduam existimarent exemplum CHRISTI imitari, & ne dicerent Christum non fuisse perpessum illa opprobria in exemplum quod nos imitaremur, sed in meritum, quo nos redimeret; subdit documentum in genere, vt omnia quæ sunt scripta, etiam de Christo, ad nostram institutionem esse scripta acciperemus. Et hoc in calce epistolæ scriptum seruit omnibus Scripturę testimoniis supra allegatis. Et Græce legitur [illegible], id est præscripta, siue ante scripta: quia Christi mysteria pri⁹ scripta, quam exhibita, & promissiones prius scripto mandatę, quam cōpletæ: quod etiam ad Nouum Testamentū spectat. Sed quędam sunt, quæ fidem nostrā insti-

Illud: Sed, sicut scriptum est: quid desideret.

Psal. 68.

Ioan. 5.

Alter sensus, magis proprius.

Quid Improperia.

Esa. 53. 1. Pet. 2.

Improperia quid rursus.

Mat. 27.

Ea Christus sustinuerit quā fortiter, atque constanter.

Propriū perfectorum.

Sup. 3. Ad 3. dub. Quęcunq; scripta sūt, ad nostram doctrinam scripta esse Paulus cur dicent.

Deut. 6. *Gen. 1.*

instituunt, vt; *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est*: &, *In principio creauit Deus cœlum & terram*: Quædam vero mores informant, vt præcepta, monita, & exempla, ad quæ hic directe aspexit Paulus. Quæcunq; igitur: siue lex, siue psalmi, siue Prophetæ, siue historiæ, siue ad literam, siue mystice, siue intellecta, siue non intellecta, in quib. humiliamur, & concipere possumus multo plura Deum sapere, quam nos possimus intelligere: siue sint Noui, siue Veteris Testamenti. Omnia enim propter electos.

2. Tim. 2. Quæ sit illa doctrina quid nostra. *Ioan. 5.* *2. Pet. 1.*

¶ *Ad nostram doctrinam scripta sunt*. Doctrinā vocat, scientiam Dei; nostram, id est eorum qui attendunt, & scrutantur: *Scrutamini* inquit, *Scripturas*, &c., *Cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ*. Per hoc enim testamentum manifestatur nobis, vt doceat māsuetos in salutem. Et doctrinam vocat sufficientem, & efficacem de Deo in se potente, sapiente, & summe bono: de Deo etiam creatore, & redemptore, & glorificatore.

Psal. 149.

Cur per patientiam simul, & consolationē Scripturarum spem habere debeamus.

¶ *Vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus*. Duo enim maxime nobis in Scripturis traduntur, quæ sese mutuo sustinent, & neutrum sine altero stare potest: vnum est, patiendo prompte, ac perfecte vsque in finem; alterum, est cōsolatio propter spem æternorum bonorum: nam hæc maxime operatur in nobis patientia. Sine vllo quippe solatio quis vnquam pateretur? Et sine patiētia quæ potest esse spes?

Patientia quid eius effectus.

Est aūt patientia, virtus, qua conuenienter patimur verba, quæ non possumus vitare: ad quod opus est, vt ipsa patientia, quæ pars est fortitudinis, tollat hoc solum desideriū iniustæ vindictæ, q aufert iustitia, sed etiam iustæ; & odium, quod tollit ipsa charitas, & iram, q̄ moderatur mansuetudo; immoderatamq; tristitiam, quæ caussa est vindictæ, iracundiæ, atq; acerbitatis animi. Hinc dicitur: Patientia opus perfectum habet.

Iacob 1. Duo gradus patientiæ. Eiusdem necessitas triplex.

Estq; amplius ferre iniuriam, non retribuendo, quam perficiendo: perfectius etiam ferre iniuriam, vel dolorem vltra spoliationem honoris, voluptatis, & interdum etiam integritatis naturæ, si fortassis lædatur. Obligantur autem adhæc omnia pro Deo, id est, pro iustitia, veritate, religione: arctamurque minus malum ferre, vt vitemus maius amittendi Deum, & gratiam eius. Tenemur etiam minus bonum amittere, ac temporale, vt adipiscamur maius, hoc est æternum.

Spei virtus & efficacia. *1. Cor. 9.*

¶ *Spem habeamus*. Ipsa enim patientia, per quam currimus ad brauium, parati ad obedientiam laborum in custodia mandatorum, facit bene sperare, & cor dilatat tribulationibus, & aduersitatibus constrictū,

Charitatis necessitas.

Et subiungit: *Deus autem patientiæ, & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum*. Quia habere patientiam, & consolationem, sine spiritu esse non potest, bene precatur illis, vt Pater, qui Deus est sapientiæ (patientissim⁹ ipse, & Deus totius consolationis) infundat in nobis charitatem, qua hæc propter Deū, & in salutem proximi dilecti sustineamus,

Deus Pater, cur Deus patientiæ, & solatij. *2. Cor. 1.*

Idipsum sapere in alterutrum quid secundum Iesū Christum.

Et addit: *Secundum Iesum Christum*. Non secundum sectam hominum animalium, vel dæmonum, quos accidit interdum consentire, sed secundum quod ipse Iesus exemplo suo monstrauit. *Propter quod suscipite inuicem* Id est, Iudæus Gentilem, & Gentilis Iudæum assumat, & sustineat.

Quomodo Christ⁹ susceperit nos. *Esa. 53.* *Apoc. 1.*

Sicut & Christus suscepit vo. Ponendo super se iniquitates omnium nostrum, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & tersit, & lotos obtulit Deo in gloriam ipsius. Et hoc est quod ait, *In honorem Dei*; qui nos humiliare deberet, & inflectere ceruicem nostræ superbię.

Ad 3. dub.

¶ *Dico enim Christum Iesum, ministrum fuisse circumcisionis*; Id est populi circumcisi, vt culpas eius detegeret. Verbum, Dico, est doctoris exponentis sentētiam suam. Cum enim de omnibus dixisset: *Sicut & Christus suscepit vos*, poterat dubium oriri, an vno eodemq; modo CHRISTVS vniuersis mortalibus aduenisset. Iudæi enim obiicere possent, se solos susceptos, quia erat illorum Patribus promissus, & ipse CHRISTVS de eorum sanguine natus: contra Gentiles sui poti⁹ caussa aduenisse obiectassent, quia in eos, Iudæis repulsis, gratias, & beneficia sua effudisset.

Rom. 9.

Iudæi per veritatem Dei, Gentiles vero per eius misericordiā fidei beneficium acceperunt.

Ideo ostendit Paulus duas Dei virtutes in hoc opere resplenduisse, nimirum veritatem, qua Iudæos suscepit tanquam veritatis minister; Gentes autem, tanquam largitor misericordię. Etsi vero Christus æque venerit pro Gentibus, ac pro Iudęis ad redemptionem eorum operandam & legem Euangelicam dandam: quod attinet tamen ad ministerium prædicationis, & confirmationem per miracula, & signa, & præsentiam suæ humanitatis exhibendam, tantum venit propter Iudæos, sicut Dominus ipse dixit ad Chananæam, *Non sum missus nisi ad oues quæ perierūt domus Israel*

Mat. 15.

Christus cur fuerit circumcisionis minister. *Gen. 17.* *Ioan. 7.*

Dicitur autem minister Circumcisionis, id est Gentis Iudaicæ signo circumcisionis distinctæ, quæ cœpit in Abraham. Et peculiariter CHRISTVS minister vocatur; non, Dominus, vel Patronus, vel Legislator, sicut reuera erat, sed ministri voce, qua sæpe humilitatis gratia ipse se vocabat; & quia mysteriorum Dei veritas exigebat vt veniret, non vt mundus ei ministraret, sed vt ipse nobis omnibus ministraret.

Minister proprie q[illegible]

Est enim minister, qui nil sua gratia facit, sed aliorum negotia gerit, quibus ministrat.

Cur Deus homo idē vt venerit propter veritatē Dei.

Deus siquidem, vt mūdus sibi ministraret, nō opus habuit, vt carnem indueret, sed in rem nostram factus est homo, vt nos sanguine redimeret, verbis instrueret, Sacramentis expiaret, legibus denique institueret, ac in viam reuocaret. Et venit propter veritatem Dei, vt Deum veracem, & sua promissa implentem ostenderet. Et non venit, quod Iudæi legis obseruatione Christi aduentum promeruerint, sed ad confirmādas, & complendas promissiones de Christo, & lege eius Euangelica Patribus factas.

Gentes laudare Deum super misericordia, cur debeāt.

¶ *Gentes autem super misericordia honorare Deum.* Hic supplendum est verbum superius, dico; iuxta illud: *Dico enim Christum Iesum, &c.* Et, *Dico Gentes honorare Deum.* Et est figura ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. Et quidam legunt Imperatiue, honorate, vt sit apostophre ad Gentes & lucidius cohæreret cum superiorib. Verum quia Græce aperte est Infinitiu9, & pōt iūgi cū verbo dico, melior est hæc lectio. Et q᷑ ait: *Super misericordia*, idem est q᷑, pro misericordia, siue ob misericordiā, quia eadem præpositio hic habetur, ὑπὲρ ἐλέους, q̄ superius habetur, cum dixit, propter veritatem Dei, nimirum ὑπὲρ ἀληθείας.

Cur potius ob misericordiam, quam propter iustitiam; cum etiam de earum conuersione Prophetæ cecinerint.

Pro misericordia autem debent honorare Deum, qua eos assumpsit, etsi nihil promiserit Patribus eorum. Quod si obijcias, prædictum esse apud Oseam Gentium vocationem, & per alios Prophetas idem sæpe factum: dicēdum est, hoc non fuisse promissum Patribus eorum sed tantum prædictum: magnum est autem discrimen inter ea quæ prædicuntur, & promittuntur. Quæ enim promittuntur, debiti rationem induunt: quæ vero prædicuntur, non ita, maxime si q̄ prædicat, liberaliter, & gratuito danda prænuntientur. Licet aliquo modo dici possint promissa sibi ipsi, quia non erat tantum Deus Iudæorū, sed & Gentiū: præsertim cum vniuersæ viæ Domini sint misericordia, & veritas.

Osea 1. *Rom 9.* *Rom 3.* *Psal. 24.*

Iudæi Gentium conuersionem quare diuinitus prænouerint.

Prædicta autem fuit Hebræis Gentium vocatio; vt de tanta nouitate mirari non possent eorum filij, & perturbari: quanquam suo vitio vehementer scandalizati sunt. Deus autem hoc detegendo Patribus Hebræorum, non secus fecisse videtur, atque pater facit cum filio obediente, & prudente, cui communicat voluntatē misericordiæ suæ, quam dyscolo fratri vult facere, quem tamē alloqui per se non dignatur.

Si Dominus Iudæos ob promissiones Patrum cōfirmandas, Gentes autem per suam misericordiam vocauit, vbi gratuita quam Paulus astruit electio Dei

Quod vero affirmat, Iudęos assumptos ob veritatem diuinarum promissionum, Gentes autem ob misericordiam; non pugnat cum scopo totius huius epistolæ, in qua tam Iudæorum iustificationem ex æquo vult esse gratuitam, & indebitam, iuxta illud, *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiā saluos nos fecit.* Quod si Gentium assumptio fuit per misericordiam, & Iudæorū, non per misericordiā, sed per veritatē, videri posset nō esse gratuita, sed reddita. Dicendum est, veritatē diuinæ promissionis, qua assumpti sunt Iudæi ad Christū, nō cōtradicere iustificationi gratuitæ: quia diuina promissio Patribus facta de assumendis Iudęis, nō est ꝓpter merita, & dignitatem Iudęorum facta.

Tit. 3.

Duplex genus promissionū Dei.

Quędā .n. promittit Deus sine vllo operum aut meritorū respectu, & hoc gratiā non excludit, qua gratuito donetur id q᷑ promissū est: alterū vero genus est promissionū, q᷑ dignitatē operū respicit, & hoc excludit gratiā. At promissio Dei Abrahæ facta, q᷑ ex eius sanguine descenderet, qui iustificaret eius semē, non est filiis ob eorū merita facta; ac proinde nō excludit misericordiā, per q̄ sunt assumpti. Vnde Paulus Iudæus de se dixit: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* At misericordia, quā hic opponit diuinæ promissioni, nō est illa, qua citra merita quis iustificatur, sed qua Gētes citra promissionē voluit liberaliter assumere. Et quia hoc q᷑ de Gentibus dicit, videri nouum poterat Iudæis; ꝓducit quatuor oracula, q̄ Gentiū conuersionē concionātur.

Rom. 11. *Gen 12.* *1. Tim. 1.*

Ad 6. dub. De causis quadruplicis testimonii prophetici à Paulo producti de Gentiū vocatione. I. ratio.

¶ Etsi aūt vnum satis fuisset, quia perinde firmū est in Scripturis q᷑ semel à Deo dicitur, atq; illud q᷑ sæpe repetitur, & inculcatur: voluit tamē Apostolus ostēdere hoc nō semel tantū prædictum, sed etiā sæpius inculcatū, quo confirmatiores redderet Iudæos de illorū salute, & min9 turbarentur, cū viderēt Christū non minus illis suas opes spirituales communicasse, quam Iudæis. Hoc enim non ita notum erat populo, de quo dicitur Act. 11. *Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit De9 ad vitam.* Et Apostolus vocat hoc mysteriū absconditum à seculis cap. sequenti, & ad Ephes. 3. Et ita id videntes, & credentes Iudæi ex olim dictis, magis consolentur, & non credentibus magis persuadeat.

Act. 11. *Rom. 16.* *Ephes. 3.*

II. ratio.

Gentiles etiam ad humilitatem, amorem, & gratiarum actionem magis alliceret de insperata, & oblata salute, & cognoscerent Deū illarum rationem habuisse in antiquis vaticiniis; & amborum populorum animos magis inuicem conciliaret.

Cur Paul9 ea de re apertiora, vt potuisset, non protulerit testimonia Scripturarum? & quænam illa.

Poterat autem Apostolus multo plures locos producere nō minus apertos, si voluisset, vt illum: In tuo semine benedicentur omnes Gentes terrę, & illum, *Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Sed quia dixit, *Gentes super misericordia honorare Deum*, producit illos tantum locos, in quibus fit mentio honoris, vel laudis Dei per Gentes futuræ.

Gen. 22. *Esa 49.* *Act. 13.*

III. ratio.

Denique plures locos producendo Apostolus hoc fecit, vt patefaceret nobis

Scri

Scripturas, & secreta illarum nobis referaret. ¶ *Sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine,& nomini tuo cantabo.* Hoc est Primũ testimonium desumptum ex Psal.17. Sunt autem verba Dauidis, qui quotidie confitebatur Christo in suis psalmis per Gentes, vel, *Confitebor super Gentilem.* Vel verba sunt Messiæ ad Patrem: *Confitebor ego in Gentibus tibi Pater.* Omnis namque confessio nostra in Christi merito, & gratia facta Christo tribuitur, qui dat velle & operari. Confiteri enim Christum Patri in aliquo, est illi sua merita applicare. Nisi enim ipse confiteretur Patri in nobis, nihil nobis prodesse omnis nostra confessio. Sic dicitur & in nobis accepisse dona, quia se vnumquemque nostrum fecit, & cuiuslibet personam induit. Nam ob id confessio nostra in eo tantum est valida, & sua in nobis, quia ipse pro salute propria confiteri nõ indigebat. Vnde sic legitur in Euangelio iuxta Græcam veritatem, vt etiam ponderant Chrysostomus, & Theophyl. *Qui in me confessus fuerit coram hominibus confitebor, & ego in eo coram Patre meo* ¶ Potest & illud, *Confitebor*, sic recte exponi, id est, faciam confiteri, sicut, qui clamare nos facit. Estque sermo de confessione laudis, & gratiarum, actionis. Et sic Christus, & Dauid cum Iudæi essent gratiæ Gentium non inuidebant. Producit & alium Scripturæ locum : *Lætamini Gentes cum plebe eius.* Id est cum populo Iudæorum: Thomas hunc locum citat ex Esa. c.66: quod non admodum verisimile videtur. Alii putant hunc locum ex Psalm.66. à Paulo productum, vbi habetur: *Lætentur, & exultent Gentes, quoniam iudicas populos in æquitate.* Sed hic locus cum verbis qui citat Apostolus, non conuenit; quoniam singulari numero ait, *Populum*, non populos: ¶ manifeste ergo hunc locum deduxit ex Deuter.32. etiam teste Origene, vbi nos legimus: *Laudate Gentes populum eius.* vel, Lætamini Gentes cum plebe eius. Vbi Gẽtes testatur applicatas fuisse populo Iudaico, id est, electis illis qui non sunt repulsi, sed steterunt in Christo propter electionem: nec tamen Gentes, populum Dei laudare poterant, nisi cum illæ susceptę essent à Christo. Non ergo inuidendum inuicem, vel cõtentioni seruiendum, quia Christus soluit medium parietem inimicitiarum. Et isti duo loci iungũt Iudæos, & Gentes in vnum: tertius verò Gentes Deo coniungit, quartus vero Gentes cum Christo. Nisi enim Christo per fidem vniamur, non bene inuicem coniungemur. Et Imperatiuus ille Lætamini, siue laudate, significationem habet futuri more Hebręo, id est, Lætabuntur, siue laudabũt Gentes. De tertio testimonio ait: *Laudate omnes Gentes Dominum; & magnificate eum omnes populi:* Psalmus est 116. & vbi nos habemus: Laudate eum omnes populi Paulus dixit, Magnificate, id est, laudate, siue collaudate vt habet Græca lectio. Iudæi autem nõ sunt omnes populi, sed vnus populus, sed Gentes, & Iudæi. Quartum testimonium est Esaiæ dicentis : *Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt.* Ad eum modũ habet lectio Septuaginta interpretum. Adiicitur: *Erit requies eius honor.* Hieronymus vero ad veritatem Hebraicam vertit: *In die illa radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur. & erit sepulchrum eius gloriosum.* Et idem prorsus est sensus: nam Septuaginta, & Apostolus exposuerunt quod dicitur : qui stat in signum populorum, per hoc quod dixit, *Radix Iesse; & qui exurget regere Gentes* Radix enim Iesse Christus est ex purissima Virgine, qui erectus in Crucem velut quodam æneus ille serpens, quẽ iussus est Moyses erigere, stetit in signum omnium populorum, & Gentium; vt ad eum omnes Gentes aspicientes, à morsibus serpentium saluarentur. Quod Dominus expressit, cum dixit: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis* In eo Gentes, inquit, sperabunt, vel, vt Hebræa habent, requirent, quod idem est, quia more Hebræo, Deum quærere, est in Deo sperare. Vel, vt Hieronymus habet, deprecabuntur. Et id quidem merito: nam qui aliũ deprecantur, aut quærunt, in eo spem suam constituunt. Et quod Septuaginta dixerũt: Erit requies eius honor : sepulchrum eius respicit, quod fuit honorificum, & adhuc est, quia vacuum cadauere propter excellens resurrectionis decus. Sed mirum non est, si omnia hæc verba non retulerit Apostolus: quia morem suum seruat, quo ea tãtum producit, quæ ad rem suam faciunt. Et subdit: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo. vt abundetis in spe, & virtute Spiritus sancti.* Quidam putant hæc verba abundare, eo quod in Græcis nõ inueniantur hoc in loco, sed in fine epistolæ, nec hic apte cohęrere eam deprecationem. Sed qui sic existimant, in errore videntur versari. Et conuenit hæc deprecatio aptissime, quæ & in plerisque Græcis reperitur, & in codice Syriaco. Nam ad seruanda monita superiora, inuocat Deum Spei, autorem scilicet & totam spem nostrã, & mercedem quam speramus: quem superius patientiæ, & solatij Deum vocauit. *Repleat*, inquit, *vos omni gaudio*, perfecto, & spirituali. & de omni resumẽdo. Gaudete, inquit, in Domino semper:

Psal. 17.

Philip. 2. Quid sit Christum Patri, in aliquo confiteri, eiusmodi confessionis necessitas.

Psal. 67. Quomodo Christus acceperit dona in hominib.

Chrysost. 33 in Mat circa med. to 2 Theophyl ibid. Mat 10 Alter sensus prædicti testimonii.

B Tho lec. 1. circa fi. to. 16. Esa vlt. Psal 66.

Quæ cæteris præferenda. *Orig to. 2. Deut 32.* Gentes quibus cum Iudæis laudẽt Dominum.

Ephes 2. Quatuor hæc quæ Paulus producit testimonia, vt sint accipienda.

Hebræi Imperatiuo fa

pe vtuntur pro Futuro *Psal. 116.*

Qui sint omnes populi Deum magnificantes. *Esa. 11.*

B. Hieron.

Radix Iesse Christus. *Num. 21.*

Ioan 3.

Gẽtes Christum deprecati, quid.

Quid significet: Erit requies eius honor.

Cur Paulus Esaiæ testimonium non integrũ attulerit.

Deus spei, quid.

Philip. 4 Huius ratio prẽcationis

Deus spei repleat vos omni gaudio & pace in credẽdo.
Prou.13.

per: sicut apes de omni flore mel colligunt Et recte dixit, *Repleat vos omni gaudio*: quia Spes quæ differtur, affligit animam. Pace etiam repleat, vt sit gaudium vestrum stabile, & ordinatum: atq; hoc in credendo: quia Fides non fertur in bona incognita iuxta persuasiones varias. Et humana fides, & amor sui gaudium pariunt, & certam pacem sed minime stabilem. Subiungitq;: *Vt abundetis in spe & virtute Spiritus sancti* Id est: vt præter ea quę habetis, spes roboretur, & vigore operum, quæ fides per charitatem operatur: & hoc virtute Spiritus sancti, qui Fidei, Spei, & Charitatis diffusę, & charitatis cũ gaudio, & pace autor est, & principium. Quamquam aliqui legant: *In virtute Spiritus sancti, i. e. Per potestatem Spiritus sancti.* verum in eundem recidunt sensum.

Diuinæ Fidei & humanæ discrimen.
Quid Abundare in Spe, & virtute Spiritus sancti.
Gal.5.

DISPVTATIO XI.

In illa verba: *Certus sum autem, fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniã & ipsi pleni estis dilectione, repleti omnes scientia, ita vt possitis, &c.* vsque in fin. c.

QVæ sequuntur omnia in hoc capite, nihil magnopere obscurum, aut difficile habent: tantum contextus literæ erit breuiter explicandus, vbi fuerit opus & res ipsa poscere videatur

Quo spectet Apostolus.

In primis igitur exclusa prudenter exhortationis suæ fiducia, simul modestiam insinuat, & postquam omnem doctrinam de gratia Euangelica terminauit, peroratione quadam vtitur. Et primo quidem se eos non admonuisse docet, quasi boni non essent, aut quasi boni ignari fuissent, cum de ipsis certum se esse asserat, hoc est persuasum, quod essent repleti omni bonitate, & scientia, ita vt possent vel alios admonere. Et vt ait Chrysost. concordat finis epistolæ cum procemio, vbi similiter eos laudauit. Et loco dilectiõis, vox Gręca est ἀγαθωσύνης q̃ vox vicina est alteri ἀγαπωσύνη. Et prior vox bonitatem significat, quam pro omni virtute accipi posse, docet Chrysost. & ab illa progredi solet non minus, quam à dilectione, docere, & admonere alios, sicut & inuicem admonere. Nã interpres videtur legisse, ἀλλήλους, non, ἄλλους, vt modo, Græca habent. ¶ *Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens.* Audacem se fuisse non tam ad docendum quæ nescirent, quam ad rememorandum quæ scirent, insinuat: quia data erat ei gratia

B. Chrys. ser. 29. in princ. to. 4.
Idem ibid.
Paulus scribendo Romanis, vt ipse affectit, vt fuerit audax.

, id est, ministerium Apostolat, vt esset minister Christi in Gentibus, sanctificans Euangelium Dei. Vbi se Grece λειτουργὸν, id est sacræ rei ministratorem vocat, & ἱερουργοῦντα, id est, sacrificum, vel sacrificantem, siue sanctificãtem, vt interpres dixit: quia videlicet Euangelium prædicauit, vt fieret oblatio Gentium accepta, & sanctificata in illo, sicut hostiæ, quæ nihil vitii, vel maculæ habere debent. Est ergo res sacra Euangelii prædicatio; & qui prædicatione Apostolica instructi, crediderunt Euangelio, erant tanquam oblatio quæ sanctificata est ab omni immunditia per ministros; ac per hoc accepta Deo, quoniam secundum Dei voluntatem, & ordinem. Et insinuat quales esse debeant præcones verbi Dei, qui pro Christo legatione funguntur. Debent enim esse puri ab omni peccato, & sorde, vt pure exhibeant quod est Dei, non turpis lucri gratia, aut inanis gloriæ cupiditate, sed solum Dei voluntatem, & animarum salutem, & cogitent, & appetant; & præterea immunes sint à peccato, ne sermo eorum condemnet eos & vt fructuosus sit, ne, quod oratio ædificauit, turpe exemplum destruat, ne illis competat illud: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentũ meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.* Tanta enim vitæ puritate opus est ad Euangelium prædicandũ, quanta ad fructuose celebrandum sacrificium. Debet etiam sermo Concionatoris purus esse ab omni fuco affectatæ eloquentiæ, & ab omni prorsus mendacio, & ab omni doctrina, quæ non sit vere vtilis, & ad rem non faciat. Et quod ait, Ex parte, iungendum est cum superiori verbo, Scripsi, cum dixit: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetam.* quasi insinuans se nõ omnia mysteria, sed quædam enucleasse, quædam vero celasse. Alij iungunt cum aduerbio, Audacius, significet: Audacius ex parte scripsi, respectu scilicet peritiorum, & perfectiorũ in fide, non tamen respectu omnium; siue, Audacius aliquo modo, siue paulo audacius scripsi. ¶ *Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum.* Dixerat gratiam, quã à Deo habuit in prædicatione, nunc autem gloriam, quam habebat in his qui sua opera & ministerio ducebantur ad Deum. Vnde Gręce καύχησιν, non, δόξαν habetur, & interdũ gloria p gloriatiõe accipitur, iuxta illud: *Gloria nostra hæc testimoniũ conscientiæ nostræ*: & alio loco: *Bonum est mihi magis mori, quam vt gloriam meã quisquis euacuet.* Et apud Latinos dicimus, Hoc est mihi gloriæ, vel, Duco mihi futurũ glorię. Et sicut laus dicitur id, vnde quis poterit laudari: ita gloria

Idem quomodo sanctificauerit Euangeliũ Dei.
Gentium oblatio credentium Euangelio vt Deo accepta.
2. Cor.5.
Ministri Euangelii quales sint oportet.
1. Pet.5.
Psal.49.
Iidem ad Euangelii prædicationem quantam adferãt vitæ puritatem.
Sermo illorum à trib. debet abesse.
1. Cor.13.
Quid, habere gloriam in Christo Iesu ad Deũ
2. Cor.1.
1. Cor.9.

illud,

illud, de quo quis potest gloriari, in Domino tamen, ne vana sit gloriatio.

Et est sensus: Habeo vnde glorier propter Christum Iesum in his quæ ad Deum pertinét, hoc est, Habeo quod glorier propter Christum, qui operatur felici concionum mearum successu per me ea, quæ ad Dei gloriam non mediocriter pertinent.

2. Cor. 10.

Huius verbi sensus? Non audeo aliquid loqui eorum, &c. exponitur. Budæus.

¶ *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus.* Ne quis enim putaret eum frustra, & arroganter iactare seipsum, hæc dixit. E, ait: *Non audeo loqui*: id est, Non sustineo, siue, Non patior narrare. Significatum enim verbi τολμᾶν, recte in hunc sensum explicat Budæus in Comment. linguæ Græcæ. Est enim quippiam graue in animum inducere, & sibi imperare, cum significamus rem non periculosam, in qua proprie dicimur audere, sed duram affectibus nostris, & intolerabilé. ¶ Et hic nota, Christum in illo effecisse, ac per illum, vt obedirent fidei Gentes: & quæcunque ipse operatus est verbo, & facto prædicando, & sermonem signis & prodigijs confirmando, omnia Christo tribuit. Vt intelligat cócionator cui tribuendus sit fructus suæ prædicationis, & signa quæ interdum adhibentur. Nam ab Ierusalem & circumiacentib⁹ regionibus, id est Samaria, & Phœnicia, Arabia, Damasco, & Antiochia, vsque ad Illyricum mare, quod Adriaticum vocant, & multæ in eis ciuitates, & prouinciæ inuenű tur, prædicauit Euangelium. Quod sagenæ comparatur, & nihil est aliud quam regnű Dei, quod tunc repleri dicitur, cum pisces huius mundi in illud per fidem ingrediuntur. Ita alio loco dicitur domus plena discúbentibus. Non fuit ergo Pauli sermo inanis aut inutilis, sed efficax, ac fructuosus. ¶ *Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus; ne super alienum fundamẽtum ædificarem.* Commendat rursus Apostolus prædicationé suam à difficultate, & exhaustis laborib. in ea. Difficilius enim est omnino ignaros ad fidé conuertere, quam eos qui aliqua semina veritatis Euangelicæ habebát, aut eos qui per Legem tanquam per pædagogum instructi erant.

Ex eo quod Apostol. nihil audebat loqui eorű quæ per eű non effecisset Christus quid discát concionatores.

Marc. vlt.

Paulus vbi prædicauerit.

Mat. 13.

Infra 22.

Apostoli muneris difficultas.

Gal. 3.

Sunt autem nonnulli huius loci sensus. Primus Ambrosii, quod non prædicauerit, vbi per pseudoapostolos nominatus fuerat Christus; ne super alienum fundamentum, id est, corruptum & deprauatű ædificaret: sed illos anteuerterit, ne illi negotium facesserent. ¶ Sed profecto non videtur loqui de fundaméto deprauato, & reiiciendo, sed de eo, super quo esset ædificandum. Esaiæ etiam vaticinium minus quadrat huic intelligentiæ. Prædicauit etiam Galatis, & alijs Prouinciis quæ à pseudoapostolis præuetæ fuerant. Alter sensus est, quod non prædicauerit vbi alii legitimi Christi discipuli Euangelium disseminauerant, super quorum fundamentum ipse superædificaret: cuius contrarium contigit illi Romæ, vbi Petrus, & alij eű prædicatione antecesserant. Quod nő ex inani gloria, vt testatur Origenes, dictum est à Paulo; & ne Romani putarent, quod ad Romanos scriberet gloriolæ causa, volens emédare, & perficere quasi architectus doctrinam ab aliis acceptam. Nihil etiam vetat, quominus per hoc commédét suos labores, & pericula, quo magis fidem, & autoritatem suam apud Romanos stabiliret.

B. Amb. s. 5

Prior intelligentia reiicitur.

II. non inepta.

Orig. to. 2.

Cur id Apostolus tanta cum sua laude commemoraret, secűdum Origenem.

Tertius sensus est: quod Gentib. prædicauit, inter quas non fuerat Christus nominatus per legem veterem, neq; prænuntiatus, neque præfiguratus, aut expectatus. Perstat enim in cőfirmanda sua sententia, qua asseruit se esse Gétium Apostolum à tempore quo cum Barnaba segregatus fuit, & missus ad prædicandum Gentibus Act. 13. Cui serũi mirifice quadrat quod ait de alieno fundamento; quod non debet quasi iactanter dictum accipi, sed quod id cősequeretur ad Apostolatum suum in Gentibus, vt prædicaret illis, in quib. nullum erat fundamentum fidei. Quadrat etiam huic sensui oraculum Esaiæ quod citat: *Sed sicut scriptum est*: Supple, in locis ijs prædicaui, in quibus non erat annuntiatum de eo, & qui nihil audierant. Et sunt verba Esaiæ cap. 52. Et Gentes designat, quib. cum nihil esset per Prophetas prænuntiatum, viderunt tamen eum oculis fidei; & qui nihil audierant, mysteria Christi intellexerunt. ¶ *Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc.* Excusauerat superius acerbiorem, & liberiorem dicendi stylum: excusat impedimenta, cur ad eos prius nő venerit, vt maiori cum beneuolentia finem epistolæ imponat: & simul id quod à principio dixerat: sæpe proposui venire ad vos & prohibitus sum vsq; adhuc, exponit modo dicendo, *Propter quod*, id est; Propter has meas tã longas peregrinationes ad alias Ecclesias ædificandas, prepeditus fui, non à Satana, sed ab Spiritu sancto aliter disponéte. Dei enim est dirigere nubes Prædicatorű, quo impetus dirigentis voluerit. Et in his quæ sequuntur habes historiã, quæ ex parte explicatur Act. 19. Nam proposuerat Paul⁹ postquã Corinthi, Thessalonicæ, & Ephesi Ecclesias statuerat, ire Ierosolymam, vt necessitatib. sanctorum, de collectis quas congregauerat in Achaia, & Macedonia pro illis subueniret: & cogitabat ex Ierusalem se posse

Tertia Apostolicis verbis maxime cohærens.

Rom. 1.

Act. 13.

Esa. 52.

Insignis Gẽtium fides vnde appareat.

Quæ causa purgationis Apostoli, cur ad Romanos vt e prabat, non venerit.

Rom. 1.

Prædicatores verbi Dei ab Spiritu sancto diriguntur.

Act. 21.

Infra 28.

posse proficisci in Hispaniam, & obiter Romã petere, vt inde in Hispaniam iret. Quod & mirabiliter illi contigit: nam captus in Ierusalem, traditus est Gentib. & inde prouocauit ad Cæsarem: & Romæ mansit per biennium, vt testatur Lucas.

Infra 28.

Quod ait de desiderio suo veniendi in Hispaniam, dubium est vnde fuerit illi insitum & innatũ illud desiderium; deinde dubitatur, an eo peruenerit. Ad primum dicẽdum est, Dñm illud sanctum desiderium Apostolo inspirasse, vt non minus extremæ Occidẽtis partes eius doctrina, signis, & pferentia fruerentur, quam fecerant Orientales Deinde, quia cum ipse cũ Barnaba electus fuerit in Apostolatum Gẽtium, & statim à morte Iacobi per Herodem decollati cui in sortitione Prouintiarum Hispania obtigerat, volebat Paulus locum Iacobi explere in Hispania, ad quam morte præuentus non potuit redire: & in quam cum prius eo venisset, non potuit longo tempore morari, vt posset totã Prouintiam Euangelio disseminato illustrare.

Vnde Paulus optauerit Euangelii gratia in Hispaniam proficisci.
Supra 13.
Supra 11.

An vero hoc sanctum desideriũ Paulus fuerit consecutus, quidam in dubium reuocarunt, quidam etiam negarunt, quia nõ legitur in libro Canonico, & quia deductus Romam, detentus est in custodia, & postea martyrio coronatus. Et ita Gelas. Papa 22. quæ. 2. c. B. Paulus, tenet, Paulum non propterea decepisse, si in Hispaniam non venerit, quia etiam idem promiserat venire ad Corint. nec tamen venit, nec propterea falsus fuit; quia debet conditio intelligi. Si Dominus voluerit, vt ait Iacob. Apostolus c. 4. suæ epistolę, & Magi qui promiserant venire ad Herodem, disponente Dño non redierunt. Sed certe multa & grauia in contrarium faciũt. Et in primis hoc desiderium, & promissio veniendi in Hispaniam, arguit illud à Deo fuisse, ac proinde verum & impletum fuisse. Deinde liberatus à Nerone post biennium, Romæ remansit, & potuit quod promiserat, implere. Nam de se ait: *Dominus mihi astitit, et confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes quia liberatus sum de ore leonis.* Ex quib. verbis tum Euseb. tum Hieron. in Prologo epist. Pauli, & in libr. de Script. Eccl. tradunt, Paulum à Nerone dimissum in Occidẽtis patrib. Euangelium prædicasse. Idem tradunt Chrys. Greg. Beda, & Ansel. & Isidor. & præcipue Sophron. Patriarcha Ierosol. in serm. de Petro, & Paulo, vbi tradit, Italias, Gallias, & Hispanias trãsitu B. Pauli illustratas, & Philotheum (quem alii volunt esse Hierotheũ) Hispaniç principẽ Paulo adhæsisse, & Christi confessorem factum. Sed quia hoc argumentum alibi latius disserui, non ero prolixior.

An eius voti compos factus fuerit, necne.
D Th. lect. 1 post med.
F. Domin. à Soto Act. vlt.
Gela. Papa.
2. Cor. 1.
Mat. 2.
Vere Apostolum in Hispaniam peruenisse, probatur.
2. Tim. 4.
Euseb. li. 2. Hist. Eccl. c. 22. t. 1. 2.
Hier. to. 9.
Idem to. 1.

¶ Putat Erasmus, Græcos fraudare solitos vna litera Hispaniam: nam scribunt Σπανίαν, & Hispanos addere solitos syllabã aliquam in vocibus quæ incipiunt ab sp, vel ab st; vt prosperare, & stare, male pronuntiando dicunt, esperare, & estare. Sed certe neque vniuersale hoc est vitium, nec solum Hispaniæ, sed & aliarũ quarundam Prouintiarum. Et Stunica Erasmum reprehendit, producens Strabonem, Plutarchum, Galenum, aqud quos ἰσπάνια dicitur. Quod vero Apostolus in hoc Cap. his Σπανίαν nominet; secutus fortasse fuit Hebræos, apud quos Hisp. dicitur ספרד & illud Seua, proferendo corrũpitur, vt proprie Hebræum vocabulũ sit Σπέεια, pro eo quod nos dicim⁹, Hesperia, quæ proprie est Hispania: quanquã distincta à superiori Hesperia, quæ est Italia, vt Poeta libr. 1. insinuat. Apud Chaldæos etiã vox est מספמיין ex qua voce idem consequi forte potuit, quia nomen Hispaniæ à voce Samec incipit, & non à vocali.

Lib. 12. & postrem explicat Euang. tract. vlt.
Stunica illustris nostri seculi scriptor.
Strabo.
Galen.
Virgilius.

¶ *Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum qui sunt in Ierusalem.* Tacite videtur stimulare Apostolus Romanos prædiuites ad idẽ, ad quod duplici iure teneri poterant; & naturali, quia Ierosolymitani pauperes erant, & Christianæ pietatis cultores, quia sancti. Et simili modo 1. Cor. vlt. Corinth. stimulat exemplo Galatarum.

Romani fideles collationem facere debebãt in sanctos duplici nomine.
1. Cor. 16.

Κοινωνίαν vocat, quod est communio, siue communicatio, temporalium. Et de forma harum collectarũ habes 1. Cor. 16. *Per vnam Sabbati, &c.* Et per figuram Auxesis ait: *Placuit enim eis; & debitores sunt eorũ.* Id est: Non solum bona voluntate, sed iusto id debito fecerunt. Similia enim misericordiæ opera nec connexam habent rationem cõsilii, & præcepti. Est enim eleemosyna debita de superfluo his qui in extrema, vel graui sunt necessitate: extra qua causam eleemosyna opus est consilij. At vero quia nec liquido constat, quando vel adsit extrema, vel grauis necessitas, nec ęqui iudices esse possum⁹ quid nobis sufficiat, quidue redundet, neq; semper sit lege definitum quantum debeamus erogare, nemo Christianus debet expectare tã graues necessitates, nec tam rigide seruare statum suum, nec tam parcus esse in operibus misericordiæ. Et vt scribit Remigius: Quoniam ab illis acceperũt sanctã prædicationem & Apostolos, & ab illis sanctæ vitæ, & doctrinæ exempla, denique sanctas pro fide eorum nocte, & die preces, in quibus Ierosolymis sancti abundantes aliis communicabant, ita Macedones, & Achæi temporalib. abundabant. Et perpende, san-

Ibid.
Eleemosyna quib. ex præcepto debeatur quib. non sed ex charitate.
Prouide sẽper egenis esse benefaciendum, vt Christianum decet liberalitatẽ.
B. Remig.

ctos

Assignare fructum, quid. I. sensus.

ctos Christi pauperes fuisse in Ierusalē, qui ex emendicata stipe viuebant, pro quibus ipse laborabat, sicut Apostolus Petro Gal. 2 promiserat. ¶ *Hoc igitur cum consummauero, et assignauero eis fructum hūc; per vos proficiscar in H spaniam.* Cum dignitate magna de eleemosynis loquitur: appellat eas fructum, vel eorum pauperum qui eas recipiebāt velut subsidia, & quæ ob recepta spiritualia Gentes illis rependebant: Ideo ait, Assignauero id est, reposuero, seu obsignatum tradidero in ærarium pauperum, quasi cōmunem eorum fructum sibi debitum, quasi sigillo accipiens rectè dati cautelam. Sunt enim multi Iudæ, & multi calumniatores. Vel fructum vocat eorum, qui eleemosynas erogabāt, thesaurizantes sibi thesauros in cœlis. ¶ *Obsecro ergo vos fratres, per Dominum nostrum I sum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, &c.* Sicut à precationibus sumpsit exordium Apostol⁹, quas ipse pro Romanis sine intermissione fundebat; ita easdē ab illis vicissim repetit preces, quib. & ipse adiuuetur tanquam eorum Apostolus: & ideo in eorum rem, & commodum pertinebant illæ preces. Et præcipue precatur liberari ab infidelibus, id est, ab eis, qui nondum susceperātEuangelium, qui erant in Iudæa, quod illi bellum indicerent Apostolo, & insidias Euangelicæ prædicationi struerent.

Alter.

Matt. 6.

A quib. infidelib. in Iudæa existentib. Paulus optaret liberari.

Et obsecrat per duas res sacras, nimirum per Christum, cuius legatione fungebatur & per charitatē sancti Spiritus, qui tāquam Spirit⁹ esca Dei & Christi effusus est in nos abunde, vt omnes in Christo vnum simus ¶ Duo etiam petit per eorū orationes, quæ sunt velut lucta quędam, cum dæmone impediente nos ne à Deo impetremus q̄ volumus. Alterum est, liberari ab infidelibus Iudęis. Est enim quædam à malo liberatio, in quod nōdum incurrimus, sed non abre metuimus incurrere. Et hoc contra eos q̄ falso putant beatā Deiparam, non potuisse à peccati originalis macula ante liberari, q̄ eo peccato fuerit contaminata; enim nō tantum liberatio, sed etiam singularis extiterit liberatio. Deinde petit, vt obsequij sui oblatio accepta fiat Deo. id est, vt ministerium (sic enim Græce vocatur) acceptum fiat in ferēdis, & colligendis eleemosynis, & consignandis in vsum pauperū ¶ Et circa hunc locum notanda est, ait Theophylactus, ingens Pauli modestia, & humilitas, qui cum esset omni virtutū genere refertus, aliorū tamen discipulorū precibus, & intercessionibus se apud Deum commēdari implorabat. ¶ Ex quo addiscimus, non esse de Chri-

2. Cor. 5.

Tit. 3.

Theophyl. Ex eo quod Apostolus pro sua animi summissione precibus adiuuari aliorum efflagitat,

sti erga nos benignitate, & meritis diffidere, si quis sanctorum intercessiones, tam viuorum, quam mortuorū ex animo imploret. Deinde, eos, qui sibi sanctorū intercessiones apud Deum adhibent, Christo mediatori contumeliam non facere, in quo, & per quem omnes Sancti exaudiuntur. Tertio perpende, fiduciam in omnibus Ecclesiæ precibus à Paulo hic postulatis, magni esse momēti: quia communis suffragiorū virtus est ingens, si credimus Domino dicēti: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunq; petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est.* Quarto obserua, Ecclesiarum esse munus, pro suis Episcopis, & pastorib. preces fundere, sicut pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate cōstituti sunt, vt docet Apostolus ad Timotheum. Et tandem concludit: *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amē.* Sicut cœpit per salutationem pacis ita per eiusdem precationem finem imponit epistolæ: quia totum epistolę argumentum eo spectauit, vt eos in pace, & concordia confirmaret, & pax propri⁹ est effectus susceptæ fidei.

quartus e... tra Luthe... ranos doc... menta col... gimus. I docum. II. III.

Matt. 18.

Quartum.

1. Tim. 2.

Quæ sit hu... ius ratio precationi... Apostolica... Deus pac... sit cum o... nib. nobi...

DISPVTATIO XII. ac postrema.

In Caput 16. epistolæ ad Romanos.

TOTVM hoc Caput Apostolus salutationibus hinc inde datis, & missis expendit, & epistolam terminat in gratiarum actione. Porro mirari poterit aliquis, cur tā diligentē præstet operā in his impendēdis salutationibus: quomodo etiam potuerit Apostolus tot hominum; & mulierum nomina, & officia eorum erga Ecclesiam retinere, præsertim in vrbe nōdum sibi cognita; quia in ea versatus nondū fuerat. Tertio dubitari posset, cur à Phœbe muliere commendanda harum salutationum exordium sumpserit, & deinde à Prisca, & Aquila, & à Maria quadam. Sed hæc breui possunt expediri sermone.

Prima dub...

Secunda.

Tertia.

Nam ad primū facile est responsum dare. In primis enim ad excitandam, fouendamq; nascentem religionem opus erat in signes personas omnib. esse notas, ad quas ab alus posset esse recursus, tanquam ad pcipua capita Christianæ fidei. Deinde, quia virtus laudata crescit, & his calcaribus accēditur humanitas nostra. Vnde & Christus Centurionem, & Chananæam de fide laudauit, & Publicanum, & peccatricem de humilitate, verecundia, & lacrymis: & Apostolis dixit: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis:* & de Maria vnctrice testa-

Ad 1. dub.

De tot salutationib. ... hibitis. I. ratio.

II. ratio. Mat. 8. Infra 11. Luca 18. Supra 7. Infra 22.

Mat. 26. tus est Dominus: *Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Et ita Paulus Christum imitatus, neminem sine suis veræ laudis titulis nominat, & quæ quisq; dona à Christo acceperat, commendat. *Tertia.* Tertio, hoc factū est, vt omnes mutuis virtutis exēplis, & charitatis officijs sese in uicem extimularent, ac promouerēt, ac sese illi pro Christo in ampliora extenderent. *Quarta atque postrema.* Postremo, illi oēs primitiui, magni, & clarissimi viri extiterunt, & ob id scripti in epistola Pauli, quod prænouisset eos in spiritu, scriptos esse in libro vitæ.

Illud: Neminem per viā salutaueritis quomodo accipiendum. Luc 10. 4.Reg. 4. Prouerbiū. Quod ergo dicitur à Domino: *Neminem per viam salutaueritis*; & ab Heliseo: *Si occurrerit tibi homo, nō salutes eum. & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi*: non voluit Dñs naturale, & honestum salutationis officiū à nobis prætermitti, cum prouerbiū habeat: Saluta libēter, resaluta libentius. Tantum voluit præcones suos Euāngelicos ab infructuosis obstaculis, quib. fructus verbi Dei impeditur, auocari; & vt significaret dādam esse operam, vt illi vni prædicandi muneri, ablegatis omnib. aliis occupationib. serio vacarēt. *Quis sensus eius dicti: Ante mortem ne laudes hominem quenquam. Eccl. 11.* Quod vero scriptum est: *Ante mortem ne laudes hominem quenquam*, nō pugnat cum his laudib⁹, quas Paulus hoc loco quibusdā tribuit: quia sensus illius sentētiæ est, neminem esse nostra oratione vsque adeo cōmendandum, vt putemus iam esse extra omnem periculi metum, & quasi iam peruenerit ad portum felicitatis æternæ, quod de nullo, dum viuit, asseri debet: potest tamen laudari de quibusdā virtutum officiis, quo ad maiora progrediatur. Quæ quidem laudum præconia non tam Pauli extiterūt, quam Spirit⁹ sancti per eum loquentis, cui non est data lex, ne quenq̄ viuētem laudet.

Ad secundum dub. Vndenam Paulo tot virorum simul ac mulierum nomina quæ recenset, constare potuerint. Ad secundum: Nemo mirari debet, si Apostolus tot virorum & fœminarū sanctarum nomina retineret: (nam salutationes vigintiocto ad eos qui Romæ degebant, mittit) quoniam cum prædicasset in tot Prouinciis, verisimile est multos, qui Christi fidem essent amplexi, Romæ domiciliū habuisse, quos prius diuersis in locis agnouisset: multos etiam negotiorum causa Romæ venire cōpulsos, quod in ea esset summum tribunal appellationum omnium.

Deinde cum Paulus esset Gentium Apostolus, ad eum præcipue spectabat eorū q inter Gentes fidem acceperāt, mores, & gesta, vt qui erat bonus pastor, cognoscere, & præsertim eorum qui Romæ erant, quæ caput erat non solum Gentium, sed & totius orbis: nec in hoc esse curiosum, vitium erat sed potius virtus, cum scriptum sit: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.* *Prou. 27. Disput. 14.* Cur autem Petrum Apostolum, & Ecclesiæ Romanæ Episcopum Paulus hoc loco non salutauerit in primo libro explicatum reliqui.

Ad 3. dub. Ad tertium dicēdum est, Phœben tabellariam fuisse harum literarum, vt indicat subscriptio Græca; vt intelligas cur prima commendetur; & agnoscas Apostoli prouidentiam quibus baiulis aut cursorib. vteretur in mittendis literis ad Fidei fundamēta collocanda. *De Phœbe sorore prima omniū, & tam honorifice salutata.* Et mulieres primæ Apostolis attulerunt faustum resurrectionis nuntium: *Marc. vlt.* & in Christo Iesu non est masculus, neque fœmina. *Gal. 3.* Et fœminæ interdum celebrantur in confusionem virorum, vt docet Hieronym. libr. 1. in Iouinian. *B. Hieron. tc. 2. inst.* Nam ad sugillandos Iudæos infidelitatis, & impœnitentiæ, commendauit Dominus Chananæam, & Sabæ Reginam. *Matt. 15. Supra 12.* Erat etiā Phœbe matrona illustris: *Hæc mulier qualis fuerit.* quod ex eo colligitur, quod Apostolus per eam scripserit, & quod Romæ negotia haberet; ac proinde diues erat Et commendatur à Paulo non de diuitiis, vel de pulchritudine, aut de eloquētia, aut de potestate seculari; sed de simplicitate, & obedientia, & fortitudine fidei, & fidelitate ministerii: quia ministra erat siue diaconissa Ecclesiæ, q̄ est in Cenchreis, portu non procul dissito à Corintho. *Quib. eam laudib. exornet Apostolus Diaconissarum olim officia.* Erat autem officium Diaconissarum ad multos vsus vtile, vt habes li. 3. Diataxeon apud Clementem ca. 15. Ac primum cum illuminarentur mulieres ad baptismum venientes, Diaconissæ illas honeste nudabant, & easdem vestiebant, ne quid inuerecundius Sacerdotum oculis ingereretur. *Cenchreæ quid.* Adhæc earum officium erat vestibula, & ianuas intra quas fœminæ orabant reclusæ tempore sacrificij obseruare, vt docet his verbis. Ignatius epistola ad Antiochenos: *Saluto custodes sacrorum vestibulorum in Christo, diaconissas.* Et Clemens libro secundo Diataxeon, cap. 61. agens de Missæ sacrificio: *Maneant*, inquit, *ostiarij ad introitus virorum, illos custodiētes: Diaconissæ ad introitus fœminarū more nauticorum custodum.* Hæc ille.

Commendat etiam illam à charitate, quia ipsa Paulo adstiterat, hospitio recipiēs sanctos: vnde & meruit Paulum domi suæ hospitari; quemadmodū Abraham & Lot ob eximiam hospitalitatem meruerunt Angelos recipere. *Gen. 18. Infra 9.* Et ministrabat sanctis Apostolis, quemadmodum mulieres ministrabāt Christo de facultatibus suis. *Luc. 8.* Vult ergo, vt pro dignitate sanctorum ipsam recipiāt, & assistāt ei patrocinantes, & opitulātes in omnibus, in quib. possent, & illa indigeret. *Phœben sororem cur nominet.* Vocat illam sororem; quia vt omnes viri in Christo fratres, ita omnes fœminæ sorores

¶ Se-

Quare Priscam, & Aquilam, priorem scilicet viro mulierem salutauerit.

Act. 18.

Ibid.

¶Secundo loco salutat Priscā, & Aquilam, prius nominans mulierem, quę & Priscilla alibi vocatur, & deinde virum, quod fortassis sanctitate praecelleret virum: & hi erant ciues Corinthij, quorum hospitio except⁹ fuit Paulus, dum ex Athenis veniret Corinthum, quanquam in epist. priori ad Corint. quae missa fuit à Philippis, vltimo capite habetur: *Salutant vos in Domino multum Aquilas & Priscilla, cū domestica sua Ecclesia, apud quos & hospitor:* etsi hęc postrema quatuor verba in Graecis non habeantur, iam tamen eorū notitiam habuerat, fortassis cum eis conuixerat, vt deinde ad illos Corinthi existentes Apostol⁹ diuerteret, eo quod essent eiusdem artis scenofactoriae, & ab illis didicit statum Ecclesiae Romanae, & dissensionis inter eos, qui conuersi erant ex Iudaeis, & illos, qui ex Gentibus, vt eorum verbis animatus constituerit hanc epistolam scribere. Postea autem egressus Corint. Apostolus, duxit eos secum Ephesum, vbi Iudęum Apollos nomine, virum eloquentem, & potentem in Scripturis, sed tantum baptisma Ioannis scientem, cum audissent Prisca & Aquila assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini. Postea autē consilio fortassis Pauli in vrbē redierunt, vbi & admissi sunt, aut quia mutatus fuit princeps Claudius, aut quia fauore aliquo eorum, qui Christum profitebantur, domicilium in vrbe obtinere potuerunt. Ita vt cum iā Apostolus has literas daret, potuerit eos salutare, & de officijs ab eis sibi exhibitis commendare. Commēdat autem eos primum, quod essent adiutores in Christo quod dictū est, ne intelligeremus de adiutorio operis manualis, eo quod essent eiusdem artis, sed commēdat eos de adiutorio suadendi viam Domini, ac docendi ea, quae sunt Domini Iesu, in quo mirifice excellebant homines coniugati, & artem vnde viuerent, exercentes. Quod singulare fuit sāctitatis, & prudentiae Christianę argumentum: & consulto propositum in exemplū vt intelligant, neque coniugium, neque artem mœchanicam prohibuisse illis munus docendi, & exhortandi eos, qui ad Christū venirent. Deinde aliud mai⁹ testimonium profert, nimirum: *Qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt.* Non satis liquet, vbi hoc acciderit: creditur tamen fuisse, quando simul erant Corint. nam tunc Paulus Iudęos habuit sibi repugnantes; & dum causa agitaretur coram Praeside Gallione, aliquid accidit Paulo, in quo hi cōiuges piculo mortis se exposuerunt pro vita Pauli tuenda: quam rem magnificis verbis extollit Chrysostomus in Homilia in locum Pauli; *Salutate Priscam, & Aquilam. Qui pro anima mea,* inquit, *suas ceruices supposuerūt:* dicens: *Igitur dicet fortasse aliquis, hac de causa eos diligis, & amas? Quam maxime: quia etsi id vnum egissent ingenti laude digni erant. Qui enim ducem exercituum saluum facit, & milites facit saluos. Qui medicum liberauit, & laborantes morbis ad sanitatem reduxit. Qui gubernatorem è fluctib. eripuit, nauem totā ex vndis liberauit. Sic vtique qui magistrum orbis saluarunt, & pro eo, proque illius salute sanguinem suum effuderūt, orbis quoque totius fuerunt benefactores.* Haec ille pereleganter. ¶Fortassis etiam loquitur de periculo, in quo fuit Apostolus Ephesi, vbi & de vita periclitatus, vbi Prisca, & Aquila se pro Paulo vitae periculo exposuerunt: quibus propterea non minus ipse Paulus, quā omnes Ecclesiae Gentium gratias agere debent. Tertio, commendat eos à domestica eorum Ecclesia, de qua etiam meminit. 1. Cor. 16. Nec ad rem est vox congregationis vt quidam vertunt, cum Graece habeatur ἐκκλησίαν, quo nomine digna erat illa dom⁹ ob claritatem sanctitatis & hospitalitatem sanctorum. Nam qui alios in via Dei instituebāt, recte prius à domesticis bene, & sācte instruendis inchoabant. Hic autem Aquilas, qui tempore Pauli vixit, longe distinctus est ab alio Aquila Iudaeo, genere Pontico, sub Hadriano Imperatore, qui deficiens à fide Christi, Vetus Testamentū Iudaice conuertit in Graecum sermonē. Addit & aliam piam fœminam, de qua ait; *Salutate Mariam, quae multum laborauit in nobis.* Fœmina haec ministrauerat fortassis Paulo cum esset in Gręcia; quemadmodū Phœbe fecerat: & cum tum Romę ageret, & in fide staret, non putauit eam laudib. suis defraudandam. Quidam putāt, eandem esse hanc Mariā, q̄ Maria Cassabolites, & ad quā primam iuxta Gręcos codices epistolam misit Ignatius: q̄ quidem Christi religionem plurimum apud fideles Romae habitantes promouerat: quam & Ignat. celebrat, tribuēs ei nō vulgarē sacrarū literarum scientiā: vnde & eā πάνσοφον i. sapiētissimam illa prima Epistola appellat: & in altera ei⁹ Epistola ad Heronem diaconum πολυμαθεστάτην id est, omnib. disciplinis instructissimam vocat, ac domi suę nouisse Ecclesiam scribit. Neq; huic narrationi temporum ratio aduersatur, cum ex prima Epistola ad hanc Mariam satis constet Ignatium vixisse, cum Romae apud Anacletum Papam Maria haec diuersaretur. Haec enim sunt eius verba: *Mihi autem in mentem venit, vt dicam verum esse sermonem, quem de te audieram, cum Romae apud Papam Anacletum esses, cui nunc successit beatissimus Clemens, Petri, & Pauli adiutor.* Haec ille

1. Cor 16.

Act. 18.

Prisca, & Aquila epistolae Pauli ad Romanos conscribendae fuerunt occasio.

Ibid.

Quomodo illis potuerit Apostolus dicere salutem.

Eos cur vocet adiutores suos in Christo Iesu.

Insignis eorundem vitae sanctitas atque prudentia.

Prisca, & Aquila quando pro anima Pauli ceruices supposuerunt.

Act. 18.

B. Chrysost.

Quam illi proinde bene meriti fuerint de republica Christiana.

Act. 19.

In eo quod Paulus domesticam Priscae, & Aquilae ecclesiam salutat ac nominat quanto eos honore dignetur.

1. Cor. vlt.

Congregatio hic pro Ecclesia, à quibusdam inepte conuerti.

Quem hic Paulus commemorat Aquilam, ab Aquila Pontico fuisse diuersum.

Cur salutet Mariam.

Hier. Vierelius Siluius nouus Epistolarū Ignatij interpres.

Nam etsi Petrus Clementem sibi successorem delegisset: ille tamē singulari vsus modestia, Linum, & Cletum sibi prætulit. Fuit ergo primus post Petrum Linus. 2. Cletus, qui & Anacletus, & 3. Clemens. Annotauit tamen Franciscus Turrianus, in codice Bibliothecæ Mediceæ Florentiæ haberi Græce: *Apud Linum Papam*. non, *apud Anacletum Papam*.

Franc. Tur rian.

¶ *Salutate Andronicum, & Iuniam cognatos, & concaptiuos meos.* Nimirum genere, quia Iudæi erant. Græca enim vox significat congeneros meos; sicut ad Roma. 9 dixit de Iudæis: Qui sunt cognati mei secūdum carnem. Fuerant autem isti fortassis cum Apostolo simul capti: sed non satis constat quando, & vbi hoc acciderit. *Qui sunt*, inquit, *nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo.* Vbi ex duobus illos commendat. Primo, quod essent insignes inter Apostolos. Et Apostolos quidam esse volunt illos, qui Dominum viderunt, & eum in carne prædicantem audierunt. Addit deinde, illos ante se fuisse in Christo: quia, vt Origenes tradit, fuerūt ex numero septuaginta duorum discipulorum: & hi missi ab Apostolis in vrbem, munere Apostolico fungebantur:

Andronicū & Iuniam Apostolus cur vocet cognatos suos. Rom. 9.

Idem vt fue rint insignes inter Apostolos: & etiam ante Paulum in Christo fuisse dicātur. Orig. 16. a

Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo. Ambrosius docet, hunc congregasse fideles domi suæ: & quia ille vel absens erat, vel mortuus, salutat domum eius, velut Fidei scholam, & morum. Quéadmodum etiam inferius salutat eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino: quod verbo vltimo distinxit eos qui iam crediderant, & erant in Domino, ab his qui catechizabantur, & necdum omnino crediderāt. Et vt ait Ambrosius hoc loco: Narcissus presbyter officio peregrini fungebatur, exhortationibus firmans credētes.

D. Ambros. tom. 5.

Idem.

Salutat etiam Herman, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt fratres. Hic Hermas primo loco nominatus creditur autor trium illorum librorum, prioris qui inscribitur Ecclesia, alterius qui prænotatur Pastor, quod in ipso Angelus pastor, protector, & custos ipsius Hermæ, qui & Angelus pœnitentiæ ipsius dicitur: qui duodecim præcepta vitæ bene agendæ proponit; tertij etiam libri, qui decem similitudines continet, vnde & liber similitudinum appellatur. Consuetudo tamen habet, vt omnia opera eius nomine Pastoris veniant. Vnde Origenes hoc loco ait: *Puto quod Hermas iste sit scriptor libelli illius qui Pastor appellatur: quæ scriptura valde mihi vtilis videtur & vt puto, diuinitus inspirata. Quod vero (Paulus) nihil ei laudis Adscripsit, illa, opinor, est causa, quia videtur, sicut Scriptura illa declarat, post multa peccata ad pœnitentiam fuisse conuersum, & ideo nec opprobrium ei aliquod adscripsit, didicerat enim, Scripturam non improperare homini conuertenti se a peccato: neque laudis aliquid tribuit, quia adhuc positus erat sub Angelo pœnitentiæ, a quo tempore opportuno Christo deberet offerri.*

Quis fuerit Hermas.

Orig.

Quare hūc Apostolus ... sicut ali... superio... hōorifi... salutau...

Eusebius quoque libr. 3. Histor. Eccles. capit. 3. *Libellus*, inquit, *Hermæ, qui dicitur Pastoris, cuius Paulus in Epistolis suis meminit, à plurimis non est receptus: ab aliis autem necessarius indicatus est, propter eos, qui primis ad fidem institutionibus imbuuntur. Vnde & in nonnullis Ecclesiis legitur, & multi veterum scriptorum vsi sunt testimoniis eius.*

Euseb. to. 1.

Et Hieronymus de scriptorib. Ecclesiast. *Hermas*, inquit, *cuius Apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit: Salutate Asyncritum, Phlegontem Herman, Patrobam, Hermen, & qui cum eis fratres sunt asserunt, autorem esse libri qui appellatur Pastor, & apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publice legitur. Reuera vtilis liber, multique de eo Scriptorum veterum vsurparunt testimonia. Sed apud Latinos pene ignotus est.* Et in caput 7. Oseæ. *Vnde* inquit, *& in libro Pastoris sicut tamē placet illius recipere lectionem.* Ruffinus quoque in explanatione Symboli, Pastoris volumen inter Ecclesiastica scripta, vna cum libris Tobiæ, & Iudith, & Machabæorum enumerat.

B. Hier. to. 1. circa fin.

Idem to. 6. sub init.
Ruff. apud Hier. to. 4.
Libri Pastoris Hermæ adscripti qui proferant testimonia.

¶ Citat vero ex hoc libro ad confirmationem dogmatum, Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. Origenes Homil. 8. in Numeros, & Homil. 10 in Iosue, & Homil. 36. in Lucam, & libr. 1. & 2. & 4. Periarchon; Athanasius lib. de Incarnatione Verbi prope initium; Irenæus lib. 4. aduersus Hæreses, cap. 37. & Ioannes Cassianus collat. 13. cap. 12. & alij permulti: etsi post horum tempora autoritas huius libri paulatim conciderit: ita vt à Gelasio inter scripturas dubiæ fidei sit reiecta, vt patet ex capite, Sancta Romana Ecclesia, Dist. 15.

Clem. Alex. to. 1.
Orig. to. 1.
Idem to. 2.
Idem to. 1.
D. Athanas. to. 1. cir ca princ.
B. Irenæus
Ioan. Cass.
Hermes vbi floruerit.

¶ Vixit autem Hermas Romæ, vt ipse in prima prioris libri visione ostendit: etiam si Dorotheus in Synopsi tradat, eum fuisse Episcopum Philopoleos. Cum vero Hieronym. in prologo galeato scribat: *Hic prologus Scripturarum, quasi Galeatū principiū omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, conuenire potest; vt scire valeamus, quicquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur sapiētia, quæ vulgo Salomonis inscribitur & Iesu filij Sirach liber, & Iudith, & Tobias, & Pastor, non sunt in Canone*: hæc non de scripto Hermetis libro, qui Pastor inscribitur sentit Hieron. quia loquitur eo loco de libris Hebraice scriptis, & de his quæ spectant ad vetus Testamentum: at hic liber Hermetis Pauli discipuli qui inscribitur Ποιμὴν, nec Hebraice scriptus est, sed Græce: nec inter veteris Testamēti libros cōputabantur, sed inter illos Noui. Et sub Hadriano Imperat.

Dorotheus Epis. Tyri.

Hier. to. 3. ub init.

De libro Pastoris, cuius meminit in Prologo galeato Hieronym. quid sentiendū.

extitit quidam Iudæus, qui librum ſcripſit, cuius titulus erat Paſtor, & continet leges Moyſis, qui fuit paſtor, in quo multa falſa, & contra Chriſtianam veritatem continebantur, ac de hoc meminit Hieronymus in prologo illo galeato: & conſtat, Iudæos hodie hunc librum habere in veneratione, & fortaſſis eo ſpectauit etiam Ruffinus, dum in Symbolo librum illum inter Eccleſiaſtica ſcripta recenſet, non inter Canonica, & Gelaſius, qui inter apocryphos libros recenſet. Prioris tamen Paſtoris libri autor fuit Apoſtolo Synchronos. ¶ Illud tamen miratus ſum, Pium Põtificem, I. qui floruit poſt plures quam per 150. annos à Chriſto, hæc ſcripſiſſe de hoc libro Paſtoris: *Iſtis ergo temporibus Hermes doctor fidei, & Scripturarum effulſit inter nos. Et nos licet idem Paſcha prædicta die celebremus, quia tamen quidam inde dubitarunt, ad corroborandas animas eorum eidem Hermæ Angelus Domini in habitu paſtoris apparuit, & præcepit ei vt Paſcha die Dominico ab omnibus celebraretur. Vnde & nos Apoſtolica autoritate inſtituimus, omnes eadem ſeruare debere; quia & nos eadem ſeruamus, nec debetis à capite quoquo modo diſsidere.* Hæc ille, nonus à B. Petro Pontifex: quid etiam Platina in eius vita confirmat. Qui igitur fieri potuit, vt iſte fuerit diſcipulus Pauli, & ſcripſerit poſt tot annos tempore Pii Primi? Sed hoc aliis ſoluendum dimitto: *Salutate inuicem in oſculo ſancto.* Ne, qui præteriti erant abſque ſalutatione, inuiderent ſalutatis; aut, qui nominati erant, alios deſpicerẽt, hoc pacis, & concordiæ verbum ſubiecit. Oſculum autem, pacis eſt ſignum, & charitatis. Sanctũ dicit, hoc eſt purum, abſque omni carnis laſciuia, & abſque omni ſimulatione, quale fuit oſculũ Iudæ proditoris. Erat ergo mos inter fratres, id eſt Chriſtianos, oſculari ſe inuicem, & hoc pacis oſculo declarare pacẽ quam reliquit nobis Dominus in teſtamento ſuo, quando dixit, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Illi etiam qui hoſpitio excipiebant, priſco more oſculabantur hoſpitem: vnde Dominus conqueritur in Phariſæum, ſibi ab illo oſculũ minime datum. Alludit etiam ad morem in ſacrificio obſeruari ſolitum: vt tradit Origenes, quo pacis oſculum cunctis fidelib. porrigebat qui aſtabant ſacro ſancto Miſſæ ſacrificio, cũ ſacerdos precabatur pacem per Agnum Dei. *Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti.* Quæret aliquis, quomodo, cum in vna eſſet Eccleſia Achaiæ Apoſtolus, omnium tamen Eccleſiarum nomine ſalutabat Romanos; Reſpondeo, vnum, & eundem fuiſſe ſpiritum Pauli, & omnium Eccleſiarum, quæ communibus precibus pro omnium ſalute precabuntur. Sed forte loquitur de Eccleſiis, quas ipſe perluſtrauerat, & vbiq; erat Romanorum mentio, omneſque rogabãt eum, vt communi nomine ſalutaret omnes Chriſtianos Romæ agentes. ¶ *Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.* Optimum documentum poſtremo in loco tradit contra omnes pſeudoapoſtolos, & falſos doctrinæ miniſtros. In eo vero tradendo non tam præceptoris, quam æqualis fratris placide conſulentis perſonam induit. Vult ergo vt attente, & diligenter conſiderent eos qui ſecreto falſam doctrinam diſſeminant, iuxta illud; *Attendite à falſis Prophetis*, ſicut & alio loco dicit Apoſtolus: *Obſeruate eos qui ita ambulant*, quia veniunt in veſtimentis ouium: quia etiã legalia obtrudere pertentabant, vt ita per contentiones, & diſſidia charitatem læderent, & pacem Chriſtianam perturbarent. ¶ *Præter doctrinam*, inquit, *quam vos didiciſtis.* Veritas enim antiquior eſt mendacio, & prior habitus priuatione Ita ad Galat. 1. dixit: *Sed licet vos, aut Angelus euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Eſt autem certiſſima regula diſcernendi doctrinarum genera, & deprehendendi, & deprehenſas reuincendi, vt nouum doctrinæ genus, quod in quæſtionem proponitur, conferatur cum doctrina tradita, & accepta, & quæcunque ab illa diſſentit, pro adulterina, & hæretica eſt habenda. Cuius regulæ autor Paulus eſt tam hoc loco, quam ad Galat. 1. vnde Origen. in epiſtolam ad Titum ita Hæreticum definiuit: *Hæreticus habendus eſt omnis ille, qui Chriſto quidem ſe credere profitetur, aliud tamen de veritate Chriſtiana credit, quam habeat Chriſtianæ fidei definitio.* Vult etiam tales à nobis declinari: quia nõ eſt veriſimile, Hæreticos aut ſchiſmaticos ignorantia laborare; vt ſalutare charitatis officium blande adhibitum proſit, veritatiſque tales admoneantur. Nam ignorantia medicabile vitiũ eſt: vbi ergo conſtiterit de proteruia, & animoſitate hærendi ſuæ ſententiæ, declinãdi ſunt, ſecundum illud: *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita*: aut certe extirpandi, & de medio tollendi, ne reliquos inficiant. ¶ *Huiuſmodi enim* (ait) *Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.* Quibus verbis tam notat eos, qui non diſcernerent inter cibos, ſed omnia ederent, quam pſeudoapoſtolos legis Moſaicæ patronos, & ſeditionum autores, qui dicuntur ventris gratia facere, quia quæſtum, & auram populi venabantur ad maiores dignitates, vt vita ſuo genio, ſuiſque

Pii Pontificis Max. huius nominis primi de libro paſtoris teſtimonium vix ſolubile

Plat. in vit. Pontif.

Illud. Salutate inuicẽ in oſculo ſancto, cur Paulus addiderit. quid ſignificet.

Mat. 26.

Ioan. 14.

Luc. 7.

Origen.

Paulus agẽs Corint. vt potuerit Romanos omnium Eccleſiarum nomine conſalutare.

Salutare documentum Apoſtoli, de vitanda falſis prophetia.

Mat. 7.

Philip. 3.

Mat. 7.

Mendaciũ veritati innititur, eſtq; illa poſterius.

Gal. 1.

Certiſſima veram a falſa doctrinã diſcernendi formula à Paulo tradita.

Origenes. Hæreticus Origeni. quis.

Hæretici cur & quãdo à nobis declinandi.

Tit. 3.

Philip.3. *Tit.3.*

cupiditabus indulgerent. Temporalia enim nomine ventris veniunt, quibus corporea hæc vita sustẽtatur, vt alibi dixit: *Quorum Deus, venter est*; & iterum, *ventres pigri.* ¶ *Sed volo vos* inquit, *sapientes esse in bono; & simplices in malo.* Explicare videtur sententiam Christi qui metaphorice dixit: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Sapientes ergo, ne decipiamini: simplices, ne decipiatis. Non satis est serpentis prudentia; nec satis simplicitas columbæ: oportet ergo, vtramque virtutem esse coniunctam. Nam malignus spiritus quo nos in culpam pertraheret, & Adam deciperet, callidi serpentis formam induit. Paracletus autem Spiritus, qui nos in diuinam gratiam restituit, in forma simplicis columbæ apparuit. Quod si hæc feceritis, Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. Id est, Perturbatorem pacis, & Seminatorem zizaniorum horum sub pedibus vestris reponet, & pedibus vestris calcandũ subiiciet. Neque ait, conteret, vel conteritis, sed ipse Deus pacis, Christus scilicet, cui omnia tribuenda sunt. Et velociter: quia non permittet nos diutius tentari supra id quod possumus. ¶ Et iterum salutat, dicens; *Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum.* Vt conteratis scilicet Satanam, & vt hostibus mũdo, carni, & falsis prophetis possitis tempestiue occurrere. ¶ *Salutat*, inquit, *vos Thimoteus, adiutor meus, & Lucius & Iason.* Mittit sociorum salutes Romanis. Et sunt octo personæ quas enumerat. Et Timotheus peculiaris eius filius, & conscius laborum suorum ponitur primus: secundus Lucius, quẽ Origenes putat esse Lucam; nisi forte sit Lucius Cyrenensis, de quo Act. 13. Tertius Iason Cyprius genere, antiquus discipulus, qui Thessalonicæ pro Sila, & Paulo sese furori populi obiecit Actor. 17. Quartus est Sosipater, de quo Act. 20. comes Apostoli.

Mat.10. Quomodo simus sapiẽtes in bono & simplices in malo.

Ioan.1. Conterere Satanam sub pedib. nostris, quid.

Mat.13. Quis Deus pacis conterens Satanã & cur velociter.

1. Cor 10.

Timotheus Lucius, Iason, & Sosipater, à Paulo nominati quinam fuerint.

1. Tim.1. *Origen.*

Quomodo autem hos quatuor cognatos suos appellet, dubium est, cum Timot. esset Derbensis, & Lucius Cyrenensis, & Iason Thessalonicensis, & Sosipater Beroensis. Respondendum est, non fuisse illi genere coniunctos, sed ob contractam cognationem in baptismo spiritualem; propterea cognatos vocat. Nã etsi Paulus missus esset Euangelizare, & non baptizare, aliquãdo tamen baptizabat.

Cur vocentur eius cognati.

1. Cor.1.

His adiicitur Tertius, siue Terentius, vt alii Tertius habẽt (licẽt mihi magis placeat prior lectio) & Tertius, non est nomen numerale, vt putauit Lyranus, quia Græce non legitur τρίτος, sed τέρτιος. sicut infra cum dicitur; Quartus, frater, nomen proprium est, non numerale. Ita, Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam. Et hoc permisit Apostolus illi scribere, vt nullius officium sine munere esse apud eum intelligeres. Fuit hic postea Iconij Episcopus, vt testatur Amphilochius eius in sede successor. His adiicitur Caius hospes Pauli, & vniuersæ Ecclesiæ: quia omnes domi sui hospitabantur. Et ita vniuersæ Ecclesiæ, Genitiuus est. Ad hunc Caium conscripta est epistola tertia Catholica Ioannis: vbi etiam de misericordia in pauperes laudatur. Et antequam Aquila, & Priscilla venissent Corinthum, in domo eius hospitabantur, & Athanasius in Synopsi tradit, accepisse Euangelium ex ore Ioannis atque illud conscripsisse. Dorotheus vero in Synopsi Scripturarum refert, Caium post Thimotheum fuisse Episcopum Ephesium. Addit Erastũ Arcarium ciuitatis, id est, Quæstorem ærarij, siue œconomum ciuitatis Corinthi, vt Græca habet litera: & recte vertit interpres voce Arcarii. Est autem arcarius, qui publicam, vel priuatam asseruat pecuniam, vt habet Cod. Iustin. Titulo, De susceptoribus præpositis, & arcariis. Et huius viri mẽtionem fecit, eo quod tenera illa Ecclesia foueretur, quando audiebat illustres personas fidem suscipere. Vnde ad Philippen. vltimo dixit: Salutant vos omnes sancti, maxime autem, qui de Cæsaris domo sunt. ¶ Ei autem qui potens est vos confirmare iuxta Euangelium meũ, &c. ¶ Hæc verba sustulit Marcion hæreticus, vt tradit Origenes sicut etiam decimũquintum, & decimumsextum cap. Et terminabat epistolam vltimis illis verbis cap. decimiquarti: Omne quod non est ex fide, peccatum est: Sed nunquam inter Patres de his duobus capitibus dubium fuit? Et hæc verba veteres tam Græci, quam Latini interpretati sunt tanquam Apostolica. Adhæc solenne est Paulo semper precatione illa Epistolas claudere: Gratia Domini nostri Iesu Christi sit semper cum omnibus vobis. Amen. ¶ Sed quæstio est de constitutione huius loci, & quomodo iuxta rationẽ Grammaticæ dicatur: Ei autem qui potens est vos confirmare, soli sapienti Deo, per Iesum Christũ, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen Non enim vllum verbum esse videtur, cui connectatur, quod dicitur: Ei autem. Sed hoc facile dissoluitur, si dicamus, *Paulum salutasse omnes. cum dixit, Gratia Domini nostri cum omnibus vobis. Amen.* Ei autem, id est, In honorem, & gloriam eius: quoniam in illũ omnia recidere necesse est. Sed hoc duriuscule dicitur. Alio modo, & magis consueto in Scripturis resolui potest hoc dubium, dicendo, illud, Cui, superfluere & abundare

Tertius ille quis fuerit.

Lyranus.

Amphiloc. Episcopus.

Caius quis.

B. Athan. to.3.

Doroth. Ephes. Tyri.

Arcarius quid.

Erasti Arcarii ciuitatis Corinthi quare Paulus meminerit.

Philip. 4.

Hæc verba: Ei autem qui potens est vos confirmare. &c soli sapienti &c deiexta Pauli esse, contra sacrilegum Marcionem.

Origen.

I eiusdem sententiæ sane perplexæ ordinanda ratio.

Altera rat.

more

more Hebræorum, sicut alibi etiam abundat vt ibi. *Psal. 18.* *Non sunt loquela, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum*; abundat enim, Eorum. Et illic: *Psal. 44.* *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*, & ibi: *Psal. 121.* *Cuius participatio eius in idipsum*: abundat enim Relatiuum, Eius, in vtroque loco. Et ita hic si abundet, Cui, manet oratio clara, nimirum: Et qui potens est vos confirmare, soli sapienti per Iesum Christum honor, & gloria, scilicet, sit. Et verbum, Per Iesum Christum, cum inferioribus coniungendum est, non cum superioribus. Non enim est sapiens Deus per Iesum Christum, sed per Iesum Christum est honor, & gloria à nobis Deo impendenda. Certe Robertus Stephanus annotauit, *Robertus Stephanus.* in quibusdam codicibus Græcis illud Relatiuum, Cui, deesse, præsertim in codice Hispanico, siue Complutensi. Manifestus est etiam Hebraismus, cum expresso antecedente relatiuum redundat, sicut redundat ad Ephes. 3. *Ephes. 3.* cum ait; *Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter, &c. Ipsi gloria in Ecclesia*: vbi aperte, Ipsi, redundat, sicut & 1. Petri 2. *1. Pet. 2.* *Qui cum malediceretur*, inquit, *non maledicebat*. & postea subdit: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo*: vbi aperte abundat pronomen, Ipse. Etsi Augustinus lib. 3. contra Maximinũ, capit. 13. *B. Aug. t. 6.* arbitretur reficiendam esse sic orationem: *Et qui potens est vos confirmare soli sapienti Deo* (id est, Patri, Filio, & Spiritui sancto, quia inseparabiles sunt) *gloria per Iesum in secula seculorum*. Hæc ille in sensu; quasi dicat, Nulla est vera gloria, nisi per Christum. Sed & hoc etiam duritiem habet propter relatiuum, Cui; ideo præcedens solutio, quæ exemplis Scripturæ illustratur, & quorundam codicũ Græcorum autoritate fulcitur, solidior est. Vt igitur Apostolus in primi Capitis periodo longum contexuit Hyperbaton, in quo enucleando laborandum fuit, ita etiam in fine simile aliud hyperbaton, quod tenebras offudit Grammaticæ, admiscuit. *Vtranam ex illis alteri præstare videatur.* ¶ Quod dicitur, Per Euangelium meum, & prædicationem, appositiue accipienda est coniunctio, Et, est enim Euangelium prædicatio Iesu Christi. *Euangeliũ suum Apostolus cur dicat esse per prædicationem Iesu Christi.* Et quia dixerat, Euangelium meum, ne quis putaret ab ipso inuentum: addidit; Per prædicationem Iesu Christi. ¶ Vocat autem reuelationem mysterii temporibus æternis taciti, *Quid reuelatio mysterii temporib. æternis taciti.* vocationem Gentium, quæ vna cum Iudæis erant incorporandæ Christo. Et hoc illis fuit tacitum, quia non fuerunt Gentibus factæ promissiones, & hoc explicauit Paulus, *1. Tim. 2.* quia peculiariter erat Gentium doctor; & ad placandum Iudæorum tumultum contendentiũ Gentes non esse pari iure admittendas in Christum. Et ita ad Ephes. 3. *Ephes. 3.* vocat Sacramentum non agnitum filiis hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis, & Prophetis in Spiritu, Gentes esse cohæredes, & concorporales & comparticipes promissionis, &c. *Alter sẽsus.* Alij vero putant de mysterio Incarnationis, & Redemptionis accipiendum, quia loquitur vtrique populo, & quia subditur: Ad obeditionem fidei in cunctis Gentibus cogniti. Posset tamen hic sensus cum priori coniungi, vt intelligamus, mysterium Incarnationis & Redemptionis extensum ad omnes Gentes, quorum vtrumque admirabile est, & incognitum, nunc autem manifestatum, & amoris velamentis, & figuris expositum. Et addit. *Secundum præceptum æterni Dei*; Hebraismus est, ac si diceret, eiusdem æterni Dei. *Tempora æterna quid.* Et per tempora æterna, æternitatem Dei natura sua omnia complectentem tempora describit: quemadmodum Iob immensitatem Dei per dimensiones corporeas describit, *Iob. 11.* cum ait; *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? Longior terra mensura eius, & latior mari.* Vel alterna tempora appellat secula omnia à creatione mundi: *Alter sẽsus.* de quibus seculis Apostolus loquitur ad Titum 1. *Tit. 1.* *Quam promisit qui non mentitur Deus, ante tempora secularia.* Est enim Angelis promissa vita æterna, si Christo futuro se subderent. Et vt emolliamus hyperbaton, cum dicitur, Soli sapienti (suapte scilicet natura, sicut dicimus. *Deus vt sit solus sapiẽs.* Nemo bonus nisi solus Deus, *Luc. 18.* scilicet naturali proprietate) adiungi potest verbum, inquam, ita vt apertior sit oratio: *Et qui potens est vos confirmare, &c. Soli, inquam, sapienti Deo sit per Iesum Christum honor & gloria in sempiternu. Amen.* Et hic longa essent oratione deplorandi Iudæi, qui mysterium hoc à Deo patefactum, & signis, & rerum ipso euentu declaratum, & ipsis Scripturis expositis confirmatum, nondum ad salutem suam miseri cognoscere potuerunt. *Iudæi vocationis Gentium mysterium ignorantes, sane vehementer hallucinati sunt.* Agamus ergo immensas Deo gratias quotquot ex Gentibus sumus, quod nos ad veritates has tã altas, & nobis quam maxime salutares Deus summa sua bonitate euexerit, & faciat, vt erga eos magno commiserationis affectu ducamur, qui pro sua proteruia, & pertinacia tantum lumen videre non possunt.

Finis Tomi Decimitertij.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ

PRÆSERTIM IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

Prior numerus Paginam, posterior columnam indicat.

Ex Genesi.

Ex Exodo.

Ex Devteronomio.

Ex Lib. I. Reg.

Ex Iob.

Ex Psalmis.

Ex Proverbiis.

Ex Canticis.

Ex Ecclesiastico.

Ex Esaia.

Ex Ieremia.

Ex Ezechiele.

Ex Malachia.

Ex Zacharia.

Cap. Erexit cornu salutis nobis, &c. pag. 311. 2.

Ex Matthæo.

Cap. 6. Si oculus tuus fuerit simplex, &c. 329. 2. & 489. 2.

Cap. 11. Omnes Prophetæ & lex vsque ad Ioannem, &c. 141. 2.

Cap. 13. Habenti dabitur & abundabit, &c. pag. 158. 2.

Cap. 15. Filia mea malè à dæmonio vexatur. pag. 491. 2.

Ibidem. Non quod intrat in os, coinquinat hominem. 692. 2.

Cap. 21. Qui ceciderit super lapidem istum. &c. pag. 625. 1.

Cap. 26. Bonū erat ei, si natus non fuisset homo ille. 453. 2.

Ibidem. Hic est sanguis meus, qui pro vobis, &c. pag. 573. 2.

Cap. 27. Abba pater, &c. 546. 2.

Ex Marco.

Cap. 10. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? 149. 2.

Ex Lvca.

Cap. 10. Neminem per viam salutaueritis, &c. 714. 1.

Cap. 12. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, &c. 26. 2.

Ibidem. Baptismo habeo baptizari, &c. 446. 1.

Cap. 14. Qui venit ad me, & non odit patrem suum, &c. 77. 1.

Cap. 24. Si moram fecerit, expecta eum. pag. 625. 1.

Ex Ioanne.

Cap. 1. Dedit eis potestatem, &c. 119. 2.

Cap. 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. 444. 2.

Cap. 13. Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, &c. 76. 1.

Cap. 15. Manete in me, & ego in vobis, &c. 123. 1.

Cap. 18. Regnum meum non est de hoc mundo, &c. 252. 2.

Ex Epist. Ad Rom.

Cap. 9. Iacob dilexi, Esau autem odio habui, pag. 77. 1.

Ex Epist. I. Ad Corinth.

Cap. 3. Neque qui plantat, est aliquid, &c. pag. 489. 1.

Cap. 8. Si esca scandalizat fratrem tuum, &c. 698. 2.

Ex Epist. Ad Ephes.

Cap. 5. Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam, &c. 487. 1.

Ex Epist. Iacobi.

Cap. 2. Fides sine operibus mortua est. 531. 1.

Ex Epist. I. Ioann.

Cap. 2. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, &c. 574.

Ex Apocalipsi.

Cap. vlt. Qui nocet, noceat adhuc, &c. pag. 488. 2.

F I N I S.



INDEX SENTENTIARVM NOTABILIVM QVÆ IN HOC decimotertio tomo continentur.

A.

B.

C.

Chari-

Ecclesia

F.

G.

Pacis

Præscire



FINIS.



